239.02
V837



BIBLIOTECA
del Seminario di Novara
N. 267 d'inventario.
Sala A Scaffale 6 Piano 3
Classe N.

Digitized by the Internet Archive
in 2026 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/rpdominicivivaop00viva

P. DOMINICUS VIVA S.J.
S.S. THEOLOGIÆ PROFESSOR.

R. P. DOMINICI VIVÆ

SOCIETATIS JESU

OPERA OMNIA THEOLOGICO-MORALIA.

TOMUS PRIMUS

COMPLECTENS OPUSCULA THEOLOGICO-MORALIA AD USUM TYRONUM ELUCUBRATA,

Et in quotidianis Prælectionibus ſuis Auditoribus tradita in Palæſtra Collegii Neapolitani ejuſdem Societatis.

OPUSCULUM PRIMUM DE PRINCIPIIS MORALITATIS,

Seu de Actibus humanis, prout univerſam Moralem Theologiam Fundantibus.

ADCEDUNT IN HAC NOVISSIMA EDITIONE

FRANCISCI ANTONII ZACHARIÆ S. J.

Bibliothecæ Eſtenſi Præfecti, ac Socii Litterariæ Eccleſiaſticæ Societatis Lucenſis, & Auximatis

LUCULENTISSIMÆ ANIMADVERSIONES,

In quibus Romanorum Pontificum, & præſertim BENEDICTI XIV. Decreta ad Moralem Theologiam pertinentia ſuis locis inſeruntur; Auctoris ſententiæ, aut explanantur, aut confirmantur, aut a DANIELIS CONCINÆ, JOH. VINCENTII PATUZZII, aliorumque criminationibus ſtrenue vindicantur; ac præcipua, quæ ad Janſenianam hæreſim ſpectant, Epiſtolarum, & Decretorum monumenta Conſtitutionis UNIGENITUS illuſtrandæ cauſa in medium adferuntur.

ALMA COLLEGE LIBRARY Los Gatos, Calif.
239.02
V837

FERRARIÆ,
MDCCLVII.

SUMPTIBUS REMONDINIANIS.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

51485

LIBRARY
... COLLEGE
Los Gatos, Calif.
72.
8. tom.

RECENTIS EDITORIS
IN NOVAM HANC EDITIONEM
PRÆFATIO.

IN Caſuiſtico bello, quod multis ab hinc annis in Italia fervet, Daniele Concina Auctore, nemo ignorat, Dominicum Vivam Scriptorem graviſſimum, doctiſſimumque omni contumeliarum genere adfectum ab illis fuiſſe, quorum intererat Jeſuitas in invidiam adducere. Quamobrem cum Joannes Baptiſta Remondinius Typographus de nobis, noſtraque Societate optime meritus, quippe qui celebriores Theologos noſtros typis ſuis rurſum proferre conſtituit, eoſque a Probabiliſtarum criminationibus vindicatos, novam omnium Vivæ Moralium Operum editionem adornaret, viſum eſt Theologi optimi famam, doctrinamque tueri, atque a malevolentiſ-

ſimorum

ſimorum hominum calumniis vindicare. Non tamen calumnias omnes in illum jactas repellere conſtitui. Nam multæ, id quod alii ſola ipſorum auctoritate adfirmant, laxam nempe hanc illamve propoſitionem negando concidunt; multæ quum eo ſpectent, ut Vivam in citandis Auctoribus parum diligentem fuiſſe oſtendant, hac una ratione facillime diſſlantur, quam etiam non ſemel inculcavi, Vivam ſcilicet ab aliis, quos ſuorum dictorum vades adducit, deceptum fortaſſe fuiſſe, quemadmodum doctiſſimis quibuſque evenit, quum Auctores omnes conſulere nec ſemper vacet, nec liceat.

Cæterum non una Vivæ apologia adceſſiones hæ noſtræ continentur. Itaque primo exhibemus luculentum de rebus a Viva geſtis commentarium a Petro Joſepho Salomonio Soc. Jeſu Viro Clariſs. Italice perſcriptum, atque ab A. R. ejuſdem Societatis homine mihi amiciſſimo eleganter in latinam linguam converſum. Deinde ab Opu-

ſculis Theologico-Moralibus initio ducto, graduque hinc facto ad Curſum Theologico-Moralem, ad Opuſculum de Jubilæo, ac demum ad Theſes damnatas loca Auctoris aliqua illuſtramus, alia confirmamus, pauca corrigimus. Qua in re Eccleſiaſticæ, ac Moralis eruditionis promptuario illo locupletiſſimo largiter uſi ſumus, egregio inquam, atque adeo aureo BENEDICTI XIV. opere de *Synodo Diœceſana* recentiſſimæ Romanæ editionis. Pontificum præterea Conſtitutiones ſuis locis adſcribimus, illas ſcilicet, quæ ad Moralem ſpectant diſciplinam. Ubi vero ad Janſenii, & Queſnellii propoſitiones ventum eſt, monumenta Eccleſiaſtica, quæ optimo conſilio a Cl. P. Johanne Baptiſta Faure Societ. Jeſu collecta reperimus in appendice ad Romanam Becani editionem, exhibemus; ex his enim & hæreticorum fraudes, & Romanæ Eccleſiæ in defendendis Catholicis dogmatibus conſtantia liquido conſtabit.

Hæc monuiſſe ſit ſatis. Utinam ad majorem Dei gloriam cedat labor hic noſter, atque ad Eccleſiæ utilitatem, cui noſtra omnia, noſque ipſos libenter ſubjicimus.

DE REBUS
A P. DOMINICO VIVA
GESTIS
COMMENTARIUS

Italice a P. Petro Maria Salomonio S. J. perscriptus, ab A. R. ejusdem Societatis latine redditus, atque contractus.

ALetii (ea Urbs princeps est Hydruntinæ in regno Neapolitano Provinciæ, quam *Terra d' Otranto* vulgo dicimus), natus Dominicus Viva est decimo quarto Kalendas Novemb. anno post Virginis partum MDCXLVII. Eos habuit parentes, quos generis nobilitas, splendorque divitiarum hominibus; pietas moresque Christiano nomine digni Deo commendabant. His virtutibus par illis diligentia fuit, ut natus liberali disciplina educaretur, atque ab incunabulis Christianos hauriret spiritus. Sed qua a Deo fuerat large, liberaliterque donatus, egregia indoles, inque dies reddita ex attenta parentum industria multo candidior, absolutis jam politiorum litterarum, atque Philosophiæ studiis, cum primum etiam tum adolescentulus ætatem ageret (quinque enim supra decem numerabat annos) e parentum manibus eripuit. Etenim adolescens noster paternæ domus contemptis illecebris, ut a periculis, quibus est obnoxia profana hominum vita, sibi caveret, delitiis nuntium remittere, suaque omnia Deo offerre constituit, Societatem Jesu ingrediens, quod summo animi ardore expostulavit. Obstare Dominici votis parentes poterant, quos tam præstanti filio orbari ægre laturos nemo non intelligeret, ea enim erat adolescens natura, ut jam non solum sperare, sed etiam tuto confidere possent, fore illum familiæ ornamento, maximæque utilitati; spem tamen illi omnem quum Deo, ut Christianos decebat maxime, immolare non abnuerent, impetrata ab eis venia in Societatem ingenti nostrorum hominum lætitia cooptatus fuit. Itaque alacer, & moræ impatiens, ad Tyrocinium, quod Neapoli est, profectus, Societati se addidit tertio (1) Idus Majas anno post Christum natum MDCLXIII.

II. Adolescens, qui, ut dictum est, florentem ætatem indolis præstantia antevertit, atque inter mundi insanientis turbas integris moribus spectabilem se se exhibuerat, quisque persuadere sibi facile potest quantum in dies proficeret, quasve virtutes in illarum palæstra sibi compararet, quantis denique sub Tyrocinii finem præsidiis esset instructus ad reliquam ætatem pie, justeque, quemadmodum religiosum virum decet, traducendam. In Tyrocinio biennio versatus, ut consuetudo fert Societatis, pridie Idus Maii perpetuæ paupertatis, castimoniæ, & obedientiæ, adcedentibus omnium suffragiis vota nuncupavit.

III. Hinc Tyrocinii relicta domo profectus est ad illud studiorum collegium, eadem in urbe Neapoli florentissimum, quod quum cæteris Jesuitarum domibus, tum Sociorum numero, tum dignitate præstet, eorum potissima in Neapolitano regno censetur Academia, collegiumque *maximum* nuncupari solet, vulgo *Gesù nuovo*. Hic ad politiores litteras Dominicus noster animum adjunxit. Annum circiter unum cum dimidio, atque ab eo die, quo illum votis adstrictum diximus, ad ineuntem insequentis anni Novembrem Rhetorices arti sedulam navavit operam, ut qui ad eam faculatem aliis

(1) Alia monumenta alium diem adnotant 4. scilicet Idus Majas.

esset deinceps viam commonstraturus, nihil ipsum lateret seu vis, seu elegantiæ, quæ egregiam illam optimamque disciplinam maxime ornat. Tum Novembri mense anni 1666. etsi Philosophicis ante nomen Societati datum disciplinis liberaliter erat imbutus, quum immatura tamen esset ætate, eoque ingenio, ut si probatiore docendi ratione qualis in eo collegio obtinebat, ad illas instrueretur, fructum sane uberrimum capturus videretur, Moderatorum suorum jussu, ad Philosophiam animum rursus applicuit, quam sub finem anni 1669. absolvit. Adeo vero in subtilioribus, difficilioribusque Philosophiæ quæstionibus summa ingenii præstantia, miroque acumine eluxit, præcipue vero in publicis disputationibus, quas de more S. J. Scholastici tantum excellentioris cujusdam doctrinæ aggrediuntur, ut suffragiis, quæ Præceptores de discipulorum suorum perspicacitate, ac diligentia ferre solent, attentis, præter consuetudinem dignus habitus fuerit, qui docendarum quadriennio humaniorum doctrinarum munere liberatus Theologiam statim audiret (1). Ita enim e Philosophicis studiis nulla interposita mora ad Theologica progrediens isthæc decurrisset alacrius; plus deinde temporis illi fuisset, quo præceptionibus suis, atque admirabili sapientiæ suæ lumine sublimiora gymnasia diutius illustrarentur.

IV. Nihilo tamen secius integro quadriennio, a Calend. videlicet Novembris 1669. ad Calendas Novembris an. 1673. quo scilicet die solemnis studiorum instauratio fieri solet (quod semel monuisse sufficiat, ut quid causæ sit, cur hujusce mensis iterata fiat mentio omnes intelligant) lubens nihilque de immunitate sollicitus tradendæ Grammatices, & politiorum litterarum difficile munus, ac laboriosum aggressus est. Quæ vero præstanter gesserit, quid præclari nominis sibi compararit, nihil, vere ut dicam, mihi præsto est singulare. Verum si ejus ingenium, si ab illo adhuc discipulo datum doctrinæ specimen, si cætera omnia præclare sapienterque acta in sublimioribus disciplinis paululum attendas, nihil ab eo prætermissum intelliges, quo tanto muneri satisfaceret. Quæ sane laus exigua non est, immo plane maxima, ac singularis; nam in hoc munere, quantum ab obtrectatorum invidia, sæpe a parentum insulsitate, semper vero a puerorum levitate sit molestiæ ferendum, quantaque virtute præstet, qui omnibus hisce se se luculenter probet, manifestius est, quam ut in disputationem cadere possit.

V. Posthæc rursus discipulus in dicto Neapolitano Collegio a 1673. sub præstantium præceptorum disciplina Dominicus Theologiæ curriculum ingressus est. Hic Viva qua erat animi altitudine, & ejus scientiæ, quæ omnium esset domina & regina facultatum, ingenti desiderio totos in hoc studio nervos contendit. Tanto animi desiderio, tantæque diligentiæ non impares fuere progressus, doctrinæque mirifici fructus, quos deinde percepit maximos, nam in ejus tam amplis scientiæ partibus mira cum claritate mirum ingenii acumen eluxit, nec Viri religiosi humilitas tantum valuit tenebris splendorem obtegere, quin anteferretur illi e condiscipulis nemo, pauci pares putarentur, inque disputationibus tum privatis tum publicis magistrum, non discipulum differentem credidisses. Quare (ne longum faciam) quadriennio confecto dignus a præceptoribus habitus est, (2) qui nullo alio munere detentus, (quod de excellentissimis ingenio Scholasticis tantummodo ferunt Soc. instituta) (3) multorum præstantiumque scriptorum collatione assiduoque studio per aliquod tempus, quæ aliis docentibus audierat, retractaret ipse secum, ac recognosceret, sicque in ea facultate, in qua cæteris antecellebat omnibus, absolutionem quamdam, perfectionemque consequeretur.

VI. Ita prospere absoluto sub finem anni 1677. Theologiæ curriculo, sacrisque initiatus ordinibus totum Religiosæ perfectionis studio se tradidit, non ut spiritus fervorem in se excitaret, sed ut magis magisque virtutes augeret, etsi nihil illis præteritorum

---

(1) In MS. codice ita de Viva legitur: *Duorum magistrorum suffragiis dignus habitus est, qui statim ad Theologiam transmitteretur.*

(2) In dicto codice Præceptorum suffragia continente hoc post ultimum a *Viva* de Theologia habitum examen legitur: *Trium magistrorum judicio dignus existimatus est, qui Theologiam repeteret.*

(3) *Constit.* S. J. Parte IV. Cap. VI. Art. 16. *& in declarationibus ad idem caput* §. ultimo.

ritorum ſtudiorum contentio detraxiſſe videbatur; id porro facile obtinuit anno *tertiæ*, ut ajunt, *probationis*, quem homines Societatis antequam profeſſi in Ordinem referantur, de more ſubire debent, ut impenſius ſpiritus cultui dent operam. Hoc igitur periculo perfunctus Pater Dominicus, jamque ad alios doctrinæ ſuæ lumine illuſtrandos idoneus, Aletium Philoſophiam explanaturus mittitur, ibique ab ineunte Novembre an. 1678. eam facultatem quadriennio ipſo edocuit; valde enim ſuſpicor (quoniam tutiora mihi non ſuppetunt argumenta) biennio uno confecto, altero quoque eum ibi illam prælegiſſe, quo tempore videlicet quarto nonas Februarii ſolemnia vota emiſerit. Adeo autem ingens fuit ſub tanto magiſtro Diſcipulorum progreſſus, tantaque apud omnes de ejus doctrina, atque ad difficiliora quæque explananda celeri, acutoque ingenio opinio, ut Scholaſticæ Theologiæ lector, ingenti civium ſuorum, qui tantum Virum maximi ſemper fecere, utilitate fuerit deſignatus.

VII. Sed diu illo frui patriæ non licuit. Vix triennio confecto, atque in dies nomen illius magis magiſque fama efferente, Collegium maximum Neapolitanum eum tamquam præſidium, atque præcipuum Academiæ ſuæ ornamentum Novembri menſe an. 1685. ad ſe revocavit; interim ſcholaſtico illo anno Ethicen docturum, ut (perbreves, nec quotidianæ cum eſſent ejus facultatis prælectiones) otium ipſi eſſet quo ad graviores diſciplinas, quas in majori hominum luce eſſet mox traditurus, ſeſe diligentius compararet. Hinc in ſcholarum inſtauratione novus illi, veluti ut ita dicam in litteraria palæſtra veterano militi, gloriæ eſt aditus patefactus, Philoſophiæ enim doctor renunciatus, qua pollebat arte, ac vi diſſerendi, diſcipulos ſuos ad ſcholaſtica certamina ſubeunda inſtruxit, magna ſui nominis fama, majore illorum utilitate.

VIII. Poſt Philoſophiam tanta omnium laude triennio abſolutam a ſuis Moderatoribus, in eodem Collegio, ubi deinceps vitam ſemper traduxit, Moralis Theologiæ præceptor dictus eſt. Eam igitur ſub initium Novembris an. 1689. aggreſſus ſex conſequentibus annis in ea publice tradenda verſatus eſt. Deinde ad finem an. 1695. tertiam, ut ajunt, Theologiæ cathedram conſcendit, unde Theologico-Moralia dictavit Opuſcula, quæ diligentiori deinde trutina examinata typis mandavit; (1) quin imo tunc temporis ſe primum alterius ſacri, eruditique Opuſculi pro re nata Auctorem prodere debuit. Aliquot ante annis F. Vincentius Maria, *ex Urſinia* Romana gente clariſſima, ſacraque Dominici familia tunc Beneventanorum, univerſæ deinde Eccleſiæ BENEDICTI XIII. adſcito nomine Pontifex Theologum ſibi Dominicum noſtrum delegerat. Juſſit itaque Archiepiſcopus, Provinciali Concilio a ſe in eadem urbe habito *Vivam* intereſſe; quo tempore ſolemni pompa ſacroque agmine compoſito B. Bartholomæi Apoſtoli corpus, quod ibi adſervari rumor certus invaluerat, rite recognitum alio Archiepiſcopus deferendum mandavit. Cum itaque ab uno P. *Viva*, ut qui omnibus, quæ contigerant, oculatus teſtis interfuiſſet, de tota hac re commentariolum ſcribendum omnes cenſerent, a Beneventano Magiſtratu rogatus ut quotquot inſigniora acciderant, graphice deſcriberet, hac ille ſibi injuncta provincia docte ſcienterque perfunctus eſt, edito Italico libro; qui primum ejus eruditionis velut ſpecimen fuit; prodiit autem hic Beneventi ex Archiepiſcopali Typographio an. 1698 hoc titulo prænotatus: *Efemeride di quanto è accaduto nella celeberrima ricognizione e traslazione del corpo del glorioſo Apoſtolo S. Bartolommeo fatta dall' Eminentiſſimo Arciveſcovo Sig. Cardinale Orſini in tempo del ſuo ſecondo Concilio Provinciale, coll' intervento di venti tre altri Veſcovi nel meſe di Maggio* 1698. *ſcritta dal P. Dominico Viva della Compagnia di Gesù, Teologo del medeſimo ſagro Sinodo ad iſtanza dell' Illuſtriſſimo Magiſtrato di Benevento. In Benevento* 1698. (2).

 Hoc

(1) *Animum induxi* (ait ipſe Viva de opuſculis ſuis in prooemio libri) *ut ea incudi redderem, & ad limam pro modulo meo revocarem. Ea quippe multis ab hinc luſtris inter alia ſelegeram, in palæſtra Theologica explicanda, velut ad curſum Theologicum prodroma, etc.*

(2) In indice omnium P. *Vivæ* operum, qui ejuſdem Theologiæ morali præmittitur, ſaltem in Patavina editione an. 1726., & hoc commentariolum recenſetur; quum tamen titulus latine reddatur, latino ne ſermone, an Italico illud ſit exaratum, vix intelligas.

Hoc unum hic additum volo (eſt enim perhonorificum Dominici noſtri nomini) hujuſmodi videlicet commentariolum laudibus cumulari, auctoremque probari a celeberrimis viris PP. Bollandianis in eximio opere *de Sanctorum* actis, dum octavo Calend. Septembris de Reliquiis *Divi Bartholomæi* diſputant, quorum Judicium hiſce in rebus quanti faciendum ſit, Lector mi, tute ipſe vides.

IX. Sed anno inſequenti *1699.* quo adhuc Theologiam edocebat, ejus opera, de hac facultate latine conſcripta in vulgus primum fuere prolata; nam ſeptimo decimo Sæculo propemodum ad finem vergente, annique, quem Jubilæum dicimus, imminente initio, D. *Fabius Caracciolus* e Ducibus *Montis-Sardi* tum forte *Vivæ* diſcipulus breve illius, atque ad uſum maxime accommodatum de *Jubilæo* atque *Indulgentiis* Opuſculum impenſis ſuis in lucem extraxit, laudato Cardinali Beneventano Archiepiſcopo dedicatum (1); quo ſcilicet poſtulante auctor vel invitus, ut edi permitteret, adductus eſt. Titulus hic libro poſitus: *De Jubilæo, præſertim anni Sancti, ac de Indulgentiis univerſim* Enchiridion &c.

X. Hic antequam progredior, in illud felix, totique Chriſtiano orbi auſpicatiſſimum omen, quo Cardinalem auctore, aut certe ſuffragatore ipſo *Viva Caracciolus* eſt proſecutus, mentem parumper intendere juvat. *Dumque* (ita ait Caracciolus librum Cardinali inſcribens), *vel dignitatem tuam, vel rerum a Te geſtarum amplitudinem animo complector non ſine aliquo fortaſſe numinis afflatu, ſic ſtatuendum cenſeo; Te, qui nunc libros de Anni Sancti Jubilæo privatis auſpiciis ad publicam utilitatem foro committi imperas, poſt quinque luſtra Pontificia auctoritate Diploma de anno ſancto indicendo promulgaturum.* Hoc ubi de *Vivæ* profectione Romana an. 1725. loquemur, non inutile erit memoria repetere. Jam vero quæ is decimo ſeptimo ſæculo præclare geſſit conſideratis, ad alia non minus illuſtria, quæ conſequenti ſæculo perpetravit, orationem converto.

XI. Et ſane multa docte ſapienterque peregit; nam annis octo vix elapſis non ſolum apud omnes ingenti ſui nominis opinione, ſummaque præſtantium diſcipulorum frequentia totum Theologiæ curriculum (quod in vulgus vel invitus poſtea vidit) verum etiam eodem tempore negotium ſatis difficile, aleæque plenum aggreſſus eſt, quo bene cedente præclaram ſibi laudem nomenque comparavit. Nonnullas enim ad Theologicam trutinam proſcriptas propoſitiones expedite diligenterque revocavit, revocatas ſummatim perſtrinxit, perſtrictas vero refellit, cauſaſque cur Summi Pontifices confixerint, breviter aperuit: hoc porro opus an. 1708. omnibus majorem in modum probantibus fuit excuſum. Quibus de cauſſis ad hoc opus adgrediendum inter ſubtiliſſimas ſcholaſticæ Theologiæ diſputationes adjecerit animum, quantaque illum celeritate Deo juvante perfecerit, præfatio docet, quæ in prima Patavina editione & poſterioribus aliis invenitur, omiſſa tamen fuit in Patavina an. 1732. alia *Vivæ* ſane perhonorifica a Typographo in ejus locum ſuffecta. Quare nunc operæ pretium erit, nonnulla e proœmio excerpere, quæ cum libri editioni lucem afferent, tum etiam mentem auctoris declarabunt. Qui igitur, ut ipſe admonet, ad tam eruditum ſuſcipiendum laborem ſtimulos admoverunt, ſui in primis fuere diſcipuli, enixe rogantes, ut eorum utilitati conſulturus librum conficeret, in quo de theſibus a Summo Pontifice vetitis Theologice diſſereretur, præcipue vero de iis, quæ nondum fuerant a quoquam enucleatæ. Simul ſunt illum obteſtati, ut in operis elucubratione, quam in edito jam de *Jubilæo*, atque *Indulgentiis* libro perſecutus fuerat, ea uteretur ratione; multa ſcilicet ſubtiliaque preſſe, & dilucide complecteretur. Hiſce vehementer permotus Diſcipulis morem gerere ferme inſtituerat. Verum felicioris id eſſe opus ingenii animo reputans ab eo ſe continuit, perſpiciebat enim, quam difficile factu eſſet, laxas inter, rigidaſque ſententias medio, tutoque itinere incedere, atque inimicis Theologorum ſectis,

(1) *Auctorem te Auctori tribuiſti* (ait Caracciolus paulo poſt epiſtolæ ſuæ initium) *ut opus hoc quamvis pro palæſtra dumtaxat curſim elucubratum prælo omnibus profuturum committi ſineret, vel invitus.* Quod vero auctor ſiverit librum edi, vulgandi ejus facultas a Provinciæ Præpoſito P. *Andrea de' Mari* impetrata, quæ ſub opuſculi initium extat, ſatis ſignificat.

fectis, alteri probabilitate contentæ, alteri illam aversanti satisfacere. Hæc interea mente secum agitantem Cardinalis Ursinius alia de causa Beneventum accersit. Paret ille quam primum, atque Ursinium adit. Forte autem inter loquendum de proscriptis propositionibus sermo incidit. Tum vero: *atqui rem gratam faceres,* Cardinalis inquit, *si quid hac de re scriberes præcipue de XXXI. ab ALEXANDRO VIII. nuperrime confixis, nullus cum ad manus super hac re sit auctor. Eja age peracto Theologiæ tuæ curriculo, si per tempus licebit, mei causa operi manum admoveto. Bono sis animo; modo non desit voluntas, cætera supetunt.* Hoc Cardinalis desiderio, aut potius jussu mirum in modum erectus animo Viva, atque confirmatus Theologiæ prælectionibus, quas tamen ut ipsemet ait, magna ex parte absolverat, nondum confectis, huic novo se tradidit labori. Atque non solum de propositionibus ab Alexandro VII. Innocentio XI., Alexandro VIII. ac quinque aliis Episcopi Iprensis scilicet Jansenii proscriptis censuram perfecit (quæ omnia ante dimidium an. 1708. (1) qui fuit sui magisterii postremus, prospere ad finem perduxit), sed etiam absolutam in lucem emisit Neapoli (2). Opus itaque in tria exigua volumina in 12. quod ajunt, tributum Michaelis Aloysii Mutii impensis, ac typis lucem adspexit an. 1708. hoc titulo: *Damnatæ Theses ab Alexandro VII, Innocentio XI., & Alexandro VIII. nec non Jansenii ad Theologicam Trutinam revocatæ juxta pondus Sanctuarii, Auctore P. Dominico Viva S. J. sacræ Theologiæ professore in Collegio Neapolitano ejusdem Societatis &c.*

Et merito quidem, ac jure D. *Philippo Bernualdo Ursinio Gravinæ XIV. Duci* Auctor librum inscripsit; nam cum ille Cardinali Archiepiscopo ex fratre nepos esset, tum patruum, cujus consilio opus fuerat adgressus, tum universam Ursiniam Gentem amplissimam, cujus Philippus caput esset, debitis honoribus fuit prosequutus.

Quid vero in hoc opere intenderit Auctor, ab eodem paucis accipe: *Illud tamen,* ait Viva in prooemio, quod in posteriori quapiam editione perperam omissum videmus, *hujus opellæ consilium fuit, non evulgare quæ præsignes, ac veteranos Theologicæ facultatis magistros titillare possent, quod supra ipsam audaciam esset, sed quæ Theologiæ candidatos erudire, & confessionibus audiendis recentes, ad rite tantum munus obeundum possent instruere &c.* paulo autem antea dixerat: *Quamvis non pauci .... Theses ab Innocentio confixas in bono lumine collocarint, necnon quinque Jansenii propositiones ..... quin tamen aut de Thesibus ab Alex. VII. aut de aliis ab Alexandro VIII. proscriptis verba facerent.* Hic animadvertas velim, ex hoc Vivæ opere non solum Theologiæ initiatos, sed & in ea jam provectos plurimum capere fructus posse. Certe quo omnibus utilior esset hic liber, neque tamen volumen nimis excresceret (3), appendicem addidit Viva, brevem illam quidem atque concisam, apertam tamen sententiis atque clarissimam. In ea autem (nam de indicibus, qui ad calcem singularum partium exstant, nihil adtinet dicere) novem & LXX. *Michaelis Baji* propositiones a *S. Pio V.* primum, tum ab aliis Summis Pontificibus proscriptas conjecit; nulla tamen adjecta interpretatione: octo præterea, & sexaginta *Michaelis Molinos* cum Innocentii XI. illas damnantis Constitutione, quibus accedunt de purissimo in Deum amore Theses tres, ac viginti ab *Innocentio* XII. confixæ. Cur autem Viva hasce propositiones inexplicatas reliquerit, causæ fuit, quod facile erat (ut ipse admonet in Prooemio) P. *Joannem Martinez de Ripalda* (4) aliosque præclaros homines, qui *Bajum* oppu-

(1) Inter eorum, quibus opus examinandum, diligenterque excutiendum traditum fuerat, censuras initio primi voluminis adscriptas ea exstat quam P. Carolus Alciatus Jesuita tunc temporis in Maximo Neapolitano Collegio studiorum Præfectus dedit octavo Calend. Julii 1708., quod nuper dicta confirmat.

(2) *Vix opus aggressus* (ita in allato prooemio Auctor idem testatur) *eam in elucubrando expertus sum divinæ opis præsentiam, ut antequam quotidianis prælectionibus essem liber, illud non absolverim modo, sed etiam (quod tædii, & laboris plus habuit) Typis jam dederim.*

(3) Quæ ad hunc commentarium scribendum missa mihi sunt monumenta, totum opus quatuor voluminibus in 12 Neapoli excusum fuisse declarant: fortasse quarto volumine hanc appendicem indicatam volunt, quam propterea post tres editos Tomos eodem anno, aut paullo post prodiisse suspicor.

(4) Tom. III.

oppugnaverant, aliosque non paucos Jesuitas (1) consulere, qui de Quietismo disputaverant. Quid? quod ex propositionibus a Viva in superiori opere ad trutinam revocatis cæterarum omnium falsitas colligi facile potest. Quatuor tamen in hac appendice propositionum censuram Auctor non prætermisit. Harum tres sub *Innocentio XI.* a Sacra Romanorum Fidei Quæsitorum Congregatione confixæ fuerunt (2), quarta a *Clemente VIII.*, quæ de confessione administranda, atque impertienda per nuntios aut epistolas absentibus absolutione agebat.

XIII. Opus vero tum in Italia, tum trans alpes laudibus summis vel ab excellentioribus viris fuit cumulatum; quare tot fuere, qui ejus legendi desiderio flagrarunt, ut (missum facio, Neapoli illud secundo fuisse excusum) celebris ille Patavii Typographus *Manfrè* editionem an. 1732. decimam esse affirmaverit; nec solum in Italia, sed aliis etiam in regionibus magna omnium approbatione fuit opus recusum (3).

Atque hic non inutile fortasse lectoribus erit, si monuero, in Patavinis, quæ mihi ad manus sunt, editionibus (4), ut justum volumen conficeretur, quartæ hujus operis parti additum fuisse Opusculum de *Jubilæo*.

XIV. Non defuere tamen quidam, neque ineruditi homines, qui nuperrime scripserint, Vivam in ea Thesium trutina modo in laxiores incidere sententias, modo damnatam propositionem certis auctoribus falso tribuere, aliaque hujusmodi, quibus Vivæ nomen in discrimen adduceretur. Verum hæc, aliaque: si qua sunt, tamquam si oleum flammis instilles, ejus gloriam nomenque in dies auxisse mihi videntur. Nonnulli præterea emunctæ naris viri validis apertisque rationibus, ab omni illum erroris nota plane vindicarunt (5): quod etiam de Morali Theologico cursu a *Viva*, deinde uti mox dicemus Typis mandato intelligas velim, (6) & hunc enim nescio quis gloriolæ fortassis sibi comparandæ gratia adgressus est. Qua in re illud demum adcidit, ut quæ Vivæ parabant adversarii, in ipsorum caput probra detorquerentur; adeo enim ineptæ, insulsæ, atque ab omni prorsus veri specie alienæ hujusmodi criminationes sunt deprehensæ (7), ut non nisi odii atque insanæ cujuspiam maledicentiæ caussa prolatæ quum viderentur, infamiam suis auctoribus conciliarint.

XV. Si tamen hi Vivam multis jam annis demortuum injuria oppugnarunt, non defuere alii nomine, dignitate, ac doctrina viri longe præclarissimi, qui strenue pro illo rem egerint, summisque laudibus extulere. Sed ne nimium a proposito digressus videar, alibi, quæ Vivæ sunt honorifica, in medium proferre opportunius licebit.

XVI. Theologia igitur an. 1708. confecta, in qua per annos octo in Neapolitano Collegio explicanda gnaviter fuerat, atque ingeniose versatus, deque damnatis Thesibus opere jam divulgato sub finem anni ejusdem (quo unum ille supra septuaginta vitæ annos numerabat), majorum studiorum Præfectus designatus est, ut a traditarum

---

(1) Inter quos P. Paulus Segneri senior eminet, ut in volumine quarto ejus operum videre est. Adde & Danielem Bartolum.

(2) Una & altera a. 1679. coram S. S. tertia vero 1682. coram Eminentiss. S. R. E. Cardinalibus.

(3) Francofurti in Germania. Hac editione utitur La-Croixius, ut ex Auctorum, quos ipse in medium affert, indice facile potest intelligi.

(4) Anno scilicet 1713., & 1732. 12. 4.

(5) Ut videre est in P. Antonii Lecchii in Braydensi Collegio Matheseos Doctoris clarissimi libro, cui titulus. *Avvertenze contraposte alla Storia del Probabilismo*. (Hoc opus prodiit Einsildæ in Helvetia an. 1744.) Pag. 107. art. 16., uti & pag. 207. art. 5. præterea consule: *Lettere d' Eugenio Apologista* Venetiis editas 1745., auctore P. *Gaspare-Josepho Gagna*, P. 137. 234. 259., insuper *Saggio d' Avvertimenti sopra l' opera intitolata: della Storia del Probabilismo*, qui liber pariter in lucem emissus Venetiis an. 1745. auctore P. *Joanne Francisco Richelmio*, Pag. 2. 10. 51. 55. 63. 70. 90. 98., deinde adi P. *Caroli Nocetii* (viri sane de litteraria Republica optime meriti) opus prænotatum: *Veritas vindicata*, tum volumine primo, quod Lucæ primum excusum, tum Romæ cap. 36. 37. 57. 64. 86. 97. tum secundi voluminis, quod ex Matritensi prima editione Remondinianis typis expressum habes ipso hoc anno 1757., pluribus in locis. Confer etiam litterariam Italiæ Historiam, *Volum. IV. lib.* 1. *Cap.* 3. *art.* 4. ubi P. *Concinæ*, qui in Vivam omnium maxime invectus est, declaratio, seu verius palinodia, adfertur, atque æquissimis animadversionibus illustratur, præterea ibidem legatur art. 8., neque omittendum ejus litterariæ historiæ Volum. 7. art. 7. 8.

(6) *Theologici moralis cursus* propugnationes videri possunt in laudato opere *veritas vindicata* Tom. I. cap. 48, 50. 79. 86. 90.

(7) Si rem tenere cupis, vide librum P. *Richelmi*. Pag. 58. art. 59. Pag. 64. art. 64. Pag. 72. art. 74. Pag. 74. art. 75.

rum triginta ipsis annis litterarum labore animum tandem aliquando relaxaret. Secus vero res evenit. Nam cum Præfecti præcipuum sit munus Thesium propugnationi, aut litterariis examinibus veluti moderatorem sedulo interesse, quæque ad rectam studiorum rationem conferunt, diligenter curare; Vir litterarum studiosissimus nihil habuit antiquius, quam ut in illo Religiosorum hominum cœtu litterarum exercitationes efflorere magis in dies viderentur.

XVII. Quanta illi fuerit cura, ut libris Bibliotheca augeretur, alibi commodius dicemus; hoc interim scias velim, ad breve tempus hoc illi qualicumque otio frui licuisse. Vix enim Biennio elapso, cum in eam quæ Romæ extat, Professorum domum Procuratoribus Europæ de more conveniendum esset; unus eorum e Neapolitana Provincia *P. Viva* ut qui non solum litteris notus, sed etiam rerum gerendarum peritus maxime esset, an. 1711., electus fuit. Romam prospere advenit, judiciumque de illo Patrum Neapolitanorum Romana Congregatio luculenter comprobavit, quæ eum sibi a secretis esse voluit.

XVIII. Novum ipso hoc anno laborem subire jussus est; nam quum ex Romana illa Congregatione Neapolim rediisset, Generalis Societatis Jesu *Michael Angelus Tamburinus*, qui tanti hominis prudentiam intime noverat, sub exitum an. 1711. regimen Neapolitani Collegii illi destinavit, omnibus præter ipsum magnopere approbantibus, quum enim, quanta cum dignitate onera essent conjuncta, probe intelligeret, sollicitus hac de re non mediocriter erat, sed Superiorum voluntate Divinæ interprete utens, omnique in Deo spe rei bene gerendæ reposita magistratum iniit. Nullius unquam Collegii gubernacula tractaverat, nec tamen verendum erat, ne illi deessent, quæ in Religioso moderatore requiruntur difficiles, amplissimæque virtutes, quæque diuturno usu, atque sola experientia duce comparari posse videntur; sed non ita de Viva existimandum. Etenim summa erat in iis, quæ præter opinionem accidunt, animi præsentia, atque erga omnes ita officiosus, ut nunquam commiserit, a subditis aliquam vel caritatis, vel urbanitatis significationem desiderari posse, in primis vero aliis commendare potius factis quam verbis solebat domesticam disciplinam.

XIX. Interea dum *Viva* sapientem semper se *præstabat Moderatorem*, *alii curabant* illo inconsulto, ut Theologia Scholastica, quam tradiderat, in lucem emitteretur. *D. Ignatius Viva* Auctoris ex fratre nepos rem sane utilem si eam divulgaret se facturum putavit; sed satis præsensit vel *Dominicum* hoc ipsum negaturum, vel si annueret, rem nimium perpoliendi operis gratia protractum iri. Quapropter *D. Bartholomæo Capuæ Magno*, ut ajunt *Altæ-Villæ comiti*, quocum maximam Romæ in Clementino PP. Somaschæ Congregationis collegio, ubi simul fuerant instituti, familiaritatem (1) inierat, inscriptum opus ad *Manfrè* celebrem Patavinum Typographum clam, nullique aperto consilio suo excudendum misit. Nec mora; editioni hic manum continuo admovet. Quare Viva primo magistratus sui anno vix absoluto certior est factus, *Cursum Theologicum*, qualem primum tradiderat, jam in vulgus prodire. Hoc ille ægre tulit, ac molestius tulisset, ni sibi constitisset, *D. Ignatium* optimo adhibito consilio clam editionem mandasse. *Dominicus* enim nunquam in ea fuerat sententia, ut *Cursus Theologicus* lucem videret; sibique omnem aditum ad illum, uti optasset, exornandum interclusum sentiebat; hoc tamen a Typographo obtinuit, ut in operis fronte enuntiaret, opus illud eorum utilitati, qui Sacris Theologiæ litteris initiantur, elucubratum fuisse.

Primum igitur opus e Typographio *Manfrè* in publicum prodiit an. 1712. octo in partes distributum, quibus duo volumina in 4. efformantur. Quatuor autem partes singulis voluminibus hoc titulo comprehenduntur. *Cursus Theologicus ad usum Tyronum elucubratus & in quotidianis prælectionibus a P. Dominico Viva S. J. Sacræ Theologiæ Professore suis auditoribus traditus in Palæstra Collegii Neapolitani ejusdem Societatis cupientibus, atque instantibus*

---

(1) *Cursum hunc* (ait D. Ignatius) *consanguinitatis jure confidentior veluti injecta manu mihi asserui, ut tuo dicarem nomini* ec. Quod confirmat, illud inscio Auctore factum fuisse.

tibus Theologiæ Candidatis, *in lucem publicam editus a D. Ignatio Viva Auctoris Nepote*, *ac dicatus Excellentissimo Domino Bartholomæo V. de Capua magno Altæ villæ comiti* ec. Verum in posteriori quadam editione, credam brevitatis causa, nomen opus inscribentis, unaque hæc verba: *cupientibus, atque instantibus Theologiæ candidatis* omissa fuerunt (1).

Hoc interim scias velim, partes octo, quibus cursus conficitur, hosce habere titulos: I. *De Deo uno & trino*: II. *De Beatitudine, de Angelis, ac de actibus humanis*: III. *De divina gratia auxiliante*, *& sanctificante*. IV. *De Fide*, *Spe*, *& Charitate*: V. *De Justitia*, *& Jure*: VI. *De divini verbi incarnatione*; VII. *De Sacramentis in genere ac in specie de Eucharistia, tum ut Sacramento, tum etiam ut Sacrificio*. VIII. *De Pœnitentia ut Virtute*, *& ut Sacramento*. Ad calcem singularum partium omnium Thesium, quæ in unaquaque earum sunt propugnatæ, extat utilis collectio, cui rerum notabilium index additur, extremæ vero parti generalis præterea rerum omnium in universo opere notabilium adtexitur: ita sollicitos se præstiterunt editores, ne quidquam quod e re esset legentium, desideraretur.

XX. Nonnulli mediocriter eruditi, & quid Scholastica sibi velit, prorsus ignorantes improbum laborem in tanta Indicum congerie, imo in *Theologico cursu* comparando imprudenter notabunt; ajunt enim, Scholasticam Theologiam non ut antea in scholis probari. Dogmatica, Polemica, atque sacra Ecclesiæ Historia, optima duce Critice, eæ in præsentia sunt facultates, quibus qui recte hac in re sapiunt enixe dant operam. Sat est si eam legas, quæ jurisconsultus Neapolitanus *Costantinus Grimaldus Epistolæ Aletini* (2) *de Scholasticæ* studio rescripsit, ut intelligas, *Vivam* qui quo tempore *Aletinum* inter, & *Grimaldum* lis erat, (3) Theologiam tradebat, in hujusmodi studio operam, diesque trivisse, neque *Cursum Theologicum* gloriam illi conciliasse, minus vero conciliaturum imposterum. Lege, instant illi, celeberrimum opus quod prænotatur: *Dizionario universale dell' arti*, *e delle Scienze ab Ephraimo Chamberio* Regiæ Societatis Londinensis Anglice scriptum, atque Venetiis Italice editum; verbo *Scolastica* (4). Ubi hæc habet; *La Teologia Scolastica*, *è ora caduta nel suo maggior disprezio*, *ed appena v' è luogo*, *onde a lei si getti lo sguardo*; *eccetto in alcune Università*, *ove per antica istituzione sussiste ancor l' obbligo d' insegnarla*. *Si Scholasticæ nomine*, (ne longum faciam) infinitam quamdam subtilium, ac Metaphysicarum potius quam Divinarum quæstionum farraginem, quod quibusdam est in more positum, perperam intelligas, equidem fateor, illum minus commendandum esse, qui in hujusmodi tricis totus hæreret: Verumtamen cordati viri Scholasticam Theologiam Divinam scientiam, aut melius sapientiam esse arbitrantur, in qua ratione duce a *locis* vulgo *Theologicis* dictis partim haud dubia, probabilia partim tum de iis, quæ Divinam Fidem spectant, tum de cæteris ad eandem haud pertinentibus recte, & dilucide deducuntur; (5) dummodo ad illa priora referantur, majoremque lucem Divinæ Doctrinæ afferant; hoc autem adsequeris, modo rectam Philosophiam, quæ facem non imperium præseferat, ipse calleas; (6) De hac celebris *Honoratus Tournelius* Sacræ facultatis Doctor Parisiensis, atque Sorbonæ Socius (cui censorii homines Summi Theologi nomen non denegabunt) verba faciens sub initium *Theologiæ Scholasticæ* (sic ipse eam appellat) (7) recte demonstrat hujusmodi facultatem magni faciendam esse, ut quæ

(1) Ita in Patavina editione apud *Manfrè* an. 1726. factum est: Quum tamen extet in illa *D. Ignatii ad D. Bartholomæum de Capua* Epistola, in qua hæc sub initium leguntur. *Auctor est meus gradu Sanguinis Patruus ex eadem Societate Theologus* ec. quibus, quæ superius diximus satis indicantur.

(2) Is est *P. Joannes Baptista de Benedictis S. J.*, qui *Aletinus* vocari voluit aut ab Aletio, ejus patria, aut a græco vocabulo ἀληθινός, ut veritatis amator videretur.

(3) Aletini in Grimaldum confutatio, de vulgari *Theologia Scholastica* an. 1703. excusa fuit, annis quatuor post quam Jurisconsulti critice in lucem prodierat. Sub finem an. 1700. Theologiam tradere *Viva* adgressus est quam deinde annis octo absolvit, quare ea inter dissidia ejus facultatis doctorem illum fuisse satis comprobatur.

(4) Tomo VII. pag. 390. *Venetæ Edition.* an. 1749. ubi plura hac de re profert, quæ caute sunt legenda, nonnullaque improbanda.

(5) Vide Petavii Prolegomena cap. 6.

(6) Lege sis Francolinium in procemio *Tyrocinii Theologici*.

(7) En ejus verba (*artic. III. Præf. Theol.*), quæ illum de *Scholastica* agere Theologia demonstrant. *Quidquid Positivæ Theologiæ superaddit* ***SCHOLASTICA*** *nostra plurimum confert ad rem Fidei Catholicæ promovendam*.

quæ maximæ utilitatis sit ad Catholicæ Fidei mysteria illustranda, atque ad Hæreticos retundendos valde accommodata. Immo Cl. vir ille Theologus Jesuita *Dionysius Petavius*, quem quidem honoris causa nominabunt Critici, licet sub præviæ Dissertationis initium *Dogmaticam*, quam explanaturus erat, *Scholastica* facultate copiosiorem elegantioremque commendet, omnemque sacræ, atque eruditæ antiquitatis speciem ita præseferre asserat, ut facile illius studio, atque amore capiamur, ut tamen nonnullas, quæ Catholicorum Scholas torquent, controversias non inutiles esse ostendat, etsi in illis solum e Theologicis fontibus aliqua probabilitate derivari argumenta possunt, in dicto Prologo (1) profitetur (idque magna deinde cum fide est persecutus) se non modo in opere suo Dogmatico Fidei Doctrinas declaraturum, verum etiam plura ad *Polemicam*; nonnulla etiam ad *Scholasticam* spectantia dicturum, & quemadmodum Hæreses, quæ singulis jam expositis doctrinis adversantur, esset diligenter confutaturus, ita se plures Scholasticas soluturum Quæstiones, quarum vestigia, monumentaque in Sanctis Patribus deprehendisset; quæ quidem non ita dicta esse velim, ut scholasticorum quæstiones omnes, earumque tractandarum rationem ab omnibus sive antiquioribus, sive recentioribus Theologis institutam videar comprobare. Novi enim, quæ Sexto decimo Sæculo *Canus* (2) quæque ætate hac nostra *Lamindus Pritanius* (3) in Scholasticis quibusdam Disputatoribus jure reprehenderunt. Verum quod optime animadvertit *Sforzia Pallavicinus* Cardinalis Doctissimus (4) tractatorum hæc vitia sunt, non artis ipsius (5).

XXI. Quod ad P. *Vivæ* Cursum Theologicum adtinet, cujus gratia hæc disputavimus, non negaverim equidem, quæstiones aliquot, quæ Metaphysicam potius sapiant, quam Theologiam ab eo pertractari, verum nec multæ Quæstiones ejusmodi sunt, & cæterarum utilitate compensantur. Quid quod opus, inscio, ac pene invito Auctore, uti antea monuimus, divulgatum fuit? Potuisset quidem quo tempore iterum typis excusum fuit, Auctor illud perpolire, & Metaphysicis quibusdam resectis quæstionibus Dogmaticas alias, Criticasque pertractare, quemadmodum ab Jesuitis *Edmundo Simmonet*, *Paulo Gabriele Antoine*, atque *Antonio Mayr* litteratis viris plaudentibus factum novimus: Verum Auctor in eodem semper proposito mansit, ut opus illud fere a se abjudicaret (6). Adcessere præterea alia munera, affecta valetudo, ac tandem quæ maximus morbus est, senecta. Cæterum Ecclesiastica eruditione præstitisse *Dominicum* nostrum, ut alia deessent argumenta, sui in damnatas Theses commentarii palam faciunt.

Verum licet in illo Cursu Scholastico, quem Viva, si per tempus licuisset, facile exornasset nonnulla desiderarentur, tanta tamen fuit ab omnibus approbatione exceptus, ut non solum eo vivente a Typographo *Manfrè* Patavii, sed etiam Pragæ, & Coloniæ (7) fuerit sepius recusus. Enimvero PP. Trivultiani in suis litterariis monumentis an. 1716. (8) Pragensem, quam indicabam editionem commemorantes, præclarum hoc de illo tulerunt judicium, quod latine hic reddo. Hic (scilicet Pragæ)

*** *Cur-*

(1) Cap. IX. artic. IX.

(2) *De locis Theologicis lib.* VIII. *Cap.* I., *lib.* IX. *Cap.* VIII., & *Cap.* V. *lib.* XII.

(3) *Riflessioni sopra il buon gusto* Par. II. Cap. XII.

(4) Istoria del Concilio di Trento Par. I. Lib. VII. Cap. XIV.

(5) Confer eundem *Canum* Lib. VIII. Cap. II. & IV. & *Lamindum*: Par. II. Cap. X.

(6) *Quid tamen (ita legitur in monito, quod Typographus Manfrè editioni Patavinæ an.* 1719. *inscripsit vivente Auctore) ubi operis Auctor longissime abest a Typographia .... Ut nulla via valeat illud, velut Ursa suos catulos expolire? Quid vero ubi pariter Auctor veluti prolem non agnoscens suam renuat typis evulgari, quæ ad discipulorum dumtaxat eruditionem in palæstra gymnastica tradita sunt ut in umbra delitescerent?* Hoc ipsum invenies in editione an. 1726.

(7) Sub finem tomi secundi hujus Scholasticæ an. 1719. a Manfrè Patavii editæ legitur, post editionem primam an. 1712. aliam ibi voluminibus octo in 12. factam fuisse. Quare quum Auctor, ut postea dicemus, an. 1726. e vita discesserit, ter opus eo vivente Patavii fuit impressum. Porro in fronte Patavinæ editionis an. 1726. post Auctoris obitum legitur *Editio quinta*. Pragæ fuit opus recusum in 4. an. 1716. aut paullo antea; Coloniæ vero voluminibus octo in 12. an. circiter 1717., ut ex Trivultianorum Litterariis monumentis constat.

(8) Pag. 2117. Trivultianarum Ephemeridum an. 1716., minime vero pag. 2133. ut perperam legitur in citato monito Patavinæ editioni ann. 1719. & 1726. addito. Coloniensem editionem memorant Trivultiani in Ephemeridibus an. 1717. pag. 1201.

Cursus Theologiæ (Scholasticam intelligunt ; nondum enim *Moralis* lucem viderat) *P. Vivæ Jesuitæ Neapolitani recusus est. Perspicuitas, atque argumentorum robur, apud ipsos etiam Protestantes, existimationem auctori conciliant; atque interim Coloniæ recuditur. Tres tam brevi tempore editiones habitæ librum satis commendant, qui est ab omni suspicione immunis*. Porro Dominicum nostrum Moderatoris munere insignitum, atque domesticæ rei bene gerendæ totum addictum nuper vidimus: Aliis vero nunc curis distentum illum consideremus, quæ ut erat ad Christianam Rempublicam quodammodo natus, illi demandatæ fuerunt. Anno enim 1711. (quo nempe Neapolitanum Collegium moderari cœpit) a præstantissimo Cardinali *Francisco Pignatellio*, qui *Vivam* plurimi æstimabat, *Examinator*, quod ajunt, *Synodalis*, & *S. Officii a consiliis* electus fuit; quibus in curis ad extremum usque vitæ suæ tempus, summa omni cum laude, atque admiratione versatus est.

Ad has tertia accessit, non illa quidem diuturna, omnium tamen fortasse gravissima. *Clemens* XI. sexto idus Septemb. an. 1713., centum & unam propositiones ex novo Testamento gallice reddito & *Moralibus animadversionibus* explicato, quod opus a *Quesnellio* perscriptum an. 1708. damnaverat, interque vetitos libros retulerat, diligenter selectas, accurateque perpensas celeberrima Constitutione confixit, cujus initium. *Unigenitus Dei filius*. Incredibile dictu est quot in *Clementem*, ejusque æquissimam licet sententiam a Quesnellio, suæque factionis asseclis libelli prodierint, magno Catholicæ rei detrimento (1). Pauci contra Doctores Catholici, ut doctissimus *P. de la Fontaine* (2) refert, pro Clementis constitutione ad an. 1717. pugnaverant, librisque exiguæ mollis, ut injurias potius propulsare, quam dogmata confirmare voluisse viderentur; cum tamen e re Catholica esse censerent Doctissimi quique, ut *Quesnellianorum* frangeretur audacia, de confutandis liberiore calamo illorum erroribus serio cogitatum est. Hos inter primum certe sibi vindicat locum Viva noster, qui cum in Galliis Theologicam *Quesnellianarum* Thesium explanationem desiderari comperisset, non curis regiminis sui, quod in annum tertium administrare cœperat, non devexa ætate (agebat enim annum sextum supra sexagesimum) non operis denique difficultate territus opus adgressus est sub an. 1714. initium, tantaque in illud diligentia incubuit, ut fere intra annum absolverit. Quod nequis difficile de homine præsertim aliis curis distento sibi persuadeat, illud præ oculis omnino habendum est, quod Typographus ignorare nos noluit, in procemio quodam ad ipsum hoc *Vivæ* opus, Dominicum scilicet nostrum; *Quamvis extraneis circumseptum curis manum tabulæ admovisse, sedulam adeo navando operam, ut nocturnas persæpe e somno horas eriperet cum non liceret uti Diurnis*.

Sed nimium vigiliis confectum prægravante studii labore bis fuit ἀποπληξία repente correptus, atque ab omni opere cessare coactus; quin etiam valetudine Deo adjuvante quam citissime recuperata, studio, amicorum rogatu, in multum tempus se continuit, dum ad pristinum roboris statum penitus rediret. Interea ad finem sui Magistratus Viva pervenit, quem mœrentibus omnibus decimo sexto Kalendas Februarii an. 1715. abdicans Neapoli in eodem Collegio Bibliothecæ Præfectus perstitit. Studii porro intermissione ita convaluit, ut non solum brevem in Jansenistas, qui futurum Concilium appellabant, dissertationem elucubrare, atque *Theologiæ Moralis* Tractatus (quos edere in animo habebat, ut mox dicemus) ornare, ac perpolire, sed etiam interrupte *Quesnellianarum Propositionum* Confutationi extremam potuerit manum imponere. Operis tamen editionem retardare Viva cogitabat, dum tota Gallia Pontificis constitutioni adsentiretur (quod quam primum futurum esse sibi suadebat) atque hoc temporis intervallo meliorem in formam confutationem illam redigere secum ipse statuerat. Sed Cardinalis Pignatellius rem Ecclesiæ perutilem se facturum intelligens, si ea quam primum ederetur, jubet moram illum omnem abrumpere, atque in lucem quo citius

(1) Vide Gallicas Epistolas Abbatis cujusdam ad Episcopum Lugduni an. 1714. editas.
(2) Sub initium Moniti, quod Doctissimam propugnationem Constitutionis, quæ incipit *Unigenitus* præcedit cujus operis Tomus prior Romæ an. 1717. in lucem venit.

citius possit emittere; Pignatellii jussis sua addidit sæpe laudatus *Ursinius Beneventi Archiepiscopus*, qui ne quid operis editioni officeret, ipsemet opus & perlegere, & approbare voluit. Quare liber præclaro illi, atque piissimo Cardinali, ac Patavinorum Pontifici *Georgio Cornelio* inscriptus primum e Beneventano Typographio an. ni fallor, 1717. in vulgus exiit hoc titulo *Quesnellianæ Theses a S. S. D. N. Papa Clemente XI. confixæ ad Theologicam Trutinam revocatæ juxta pondus Sanctuarii* &c. Tanta vero hujus operis fuit approbatio ut an. 1726. præter Italicas editiones, quincta Lugduni facta numeretur. Et revera hujusmodi confutatio cæteris, qui adversus Quesnellium magno numero prodiere libris luculentior, aut certe nulli secunda est jure ac merito æstimanda. *Pater Antonius Mayr* celeberrimus in Academia *Friburgensi in Brisgovia*, *atque Ingolstadii* Doctor e tribus Auctoribus, quos legendos hac de re proponit, *Vivam* nostrum in primis perhonorifice commendat. Sed illud fortasse ad operis commendationem erit magis idoneum, quod *Johannes Fabricius* celeberrimi *Johannis Alberti* Frater etsi Lutherianæ factionis homo parte 4. *Bibliothecæ Fabritianæ* an. 1721 Wolfembutelii editæ de hac confutatione ait: *Lucem nobis præbet ad cognoscendas rationes ob quas visum fuit Sedi Romanæ Theses Quesnellianas . . . . impias, & hæreticas declarare, damnare, & reprobare*. Deinde hæc sub finem addit: *Ex hac demum* (Theologica Trutina) *qualiscumque sit, liquido constare potest, quas ob causas Theses Quesnellianæ CI. a Clem. Papa XI. sint confixæ; eas autem qui ignorant, & nihilominus condemnationem refutare sustinent, non possunt non in tenebris palpare, & Andabatarum more dimicare*. Duo fere circiter effluxerant anni, ex quo Viva Trutinam suam prælo tradiderat, cum *Quesnellius e Mechliniensi* carcere elapsus, & Amstelædami, quo se receperat, lethifero morbo correptus *appellationem*) universæ Ecclesiæ Concilii), *quarto ante obitum die*, ut ait Citatus Mayr Scholasticæ Theologiæ T. I. *tract. 6., qu. 3. art. 9. rogatis etiam duobus testibus, scripto innovavit, eique immortuus est 2. Decembris an. 1719. ætatis 85.*

Qua *appellatione* permotus *Viva*, de ejus fallacia ac pravitate pressam quidem, sed eruditam elucubravit dissertationem, quæ primum Neapoli e Typographio *Felicis Muscæ* an. 1720. sic prænotata prodiit. *De inappellabilitate ad futurum Concilium, ex Conciliis Oecumenicis, & ex ipsis conventibus generalibus Gallicanis demonstrata &c.*

Quo exceptum fuit Vivæ *Anti-Quesnellianum* opus, Christianæ Reipublicæ plausus novos optimo seni labores peperit, *instantibus & percupientibus Theologiæ candidatis* (ipsius fere verba sunt in sua ad Opuscula *Theologico-Moralia* Præfatione) *aliis etiam quotidiano pene convicio efflagitantibus . . . . . necnon iis, quorum jussa declinare non poterat suo nomine quasi debitum officium postulantibus, ut Theologico-Moralia saltem Opuscula in lucem ederet . . . . . tandem aliquando refectis Deo miserante, quantum provecta passa est ætas, viribus apoplecticorum vitæ insidiantium insultum vi non parum accisis animum induxit, ut ea incudi redderet, & ad limam . . . . . revocaret*. Quod quidem cum feliciter perfecisset, Patavium edenda Opuscula sua misit ad *Johannem Manfrè*, qui primum illa impressit an. 1721., atque iterum an. 1726. Inscripta vero *Francisco Pignatellio* Cardinali, ac Neapolitanorum Archiepiscopo prodierunt hoc titulo: *Opuscula Theologico-Moralia ad usum Tyronum elucubrata, & in quotidianis prælectionibus a P. Dominico Viva S. J. sacræ Theologiæ Professore suis Auditoribus tradita in Palæstra Collegii Neapolitani &c.*

Quatuor hæc omnino sunt. Agit Primum de *principiis Moralitatis, seu de Actibus humanis*: alterum de *Conscientia dubia, de Ecclesiasticis Beneficiis*; deque *Simonia* tertium: Quartum *de Usura*.

Opusculis hisce jam divulgatis non sibi quiescendum ratus est optimus senex, sed ad universum *Moralis Theologiæ Cursum* in publicam utilitatem emittendum animum appulit. Itaque quas frequentibus olim auditoribus prælegerat hujus facultatis tractationes, diligenter recognoscere cœpit, ac perpolire, summoque atque assiduo labore id demum effecit, ut duobus post annis opus esset prælo paratum; quod quidem an. 1723. e Patavino laudati *Johannis Manfrè* Typographio exiit in vulgus *Cursus Theologico-Moralis* inscriptum, ac duobus voluminibus in 4. comprehensum: *Marco Antonio*

Burghesio Sulmonensi Principi egregios hos libros Auctor dedicatos voluit beneficiorum memor, quæ tum in Sodalitatem Jesu universam Burghesia Gens amplissima, tum in (1) eum Marcus Antonius ipse contulerat, quo tempore Caroli VI. Imperatoris nomine Neapolitanum Regnum Prorex administravit (2). Cursus iste, qui deinde an. 1726. recusus fuit, octo in partes dividitur; quarum quatuor singulis voluminibus adtributæ sunt. Unus est, quod in accuratis hujus operis editionibus desideres, generalis scilicet, rerum maxime notabilium index.

Multa post hæc sapienter gessit *Viva*, & præcipue summa diligentia in tria illa munera incubuit, quæ ut superius diximus, illi demandata fuerant. Sed ad eum jam annum devenimus, quo, ut sub initium hujus commentarii narratum est: *D. Fabius Caracciolus ipso Viva auctore aut certe suffragatore* Summi Pontificatus *omine F. Vincentium Mariam Cardinalem Ursinium prosecutus fuerat, & huic quidem toto Christiano orbi auspicatissimo*, eventus respondit: Nam vita jam functo *Innocentio XIII.* Cardinales de more quum convenissent, recitatis suffragiis Pontifex declaratus fuit Ursinius Benedicti XIII. adscito nomine.

Dici vix potest, quanta cum *Cardinalem Ursinium* Pontificem creatum intellexisset, fuerit *Viva* consolatione adfectus; neque id mirum de homine, cui summa *Ursinii* benevolentia perspectissima esset, plurimaque ab eo beneficia accepisset: nequaquam tamen, quod facillimum erat, Romam continuo adiit; hoc illis iter relinquens, qui honorum, atque utilitatis spe alliciebantur. Qui tamen animum induxerit ut sex post menses Romam peteret, accipe ex quadam ipsius *Vivæ* epistola, quam decimo octavo Kalend. decembr. ann. 1724. ad doctissimum Virum *P. Petrum Mariam Salomonium*, illum ipsum qui hoc commentariolum italice scripsit, tunc Romæ Theologiæ auditorem misit: *Per la metà del seguente* (Decembrem intellige) *con l' ajuto del Signore, e con la permissione del nostro Padre Generale, al quale ne ho scritto, penso esser costì per tributare a N. Signore i dovuti ossequi, essendosi degnato più volte parlar di me con affetto. Per lo che si stima concordemente anche da Personaggi di conto, che mancherei a' miei doveri, se differissi, come disegnava, la mia venuta per Pasqua*; deinde hæc addit. *Volendo disporre tutto, come se avessi a morir per istrada, o per altra causa non più tornare; ripetendo con l' Apostolo. Ecce alligatus ego spiritu, vado Romam, (egli Jerusalem), quæ in ea ventura sint mibi, ignorans* (3).

Quid tunc temporis S. P. de *Viva* cogitarit, prorsus ignoro; hoc unum scio, rumorem tunc certum invaluisse, *Vivam* nihil de se, plurimum de Societatis suæ utilitate sollicitum non parva pro eadem ab illo beneficia impetrasse.

Anno igitur Jubilæi potuit *Dominicus* noster plurimum se probare non solum apud *P. Michaelem Angelum Tamburinum S. J.* Præpositum Generalem, sed etiam vel maxime apud Cardinales numero plures, aliosque virtute, doctrinaque viros ornatissimos, qui eo anno Romam confluxerant; erat enim in *Viva* sapientia, & gravitate condita summa humanitas, qua dum aliis familiariter utebatur, suavissimam indolem, moresque jucundissimos præseferebat.

Per totam fere hyemem an. 1725. Viva moratus Romæ cum esset, eum *Benedictus XIII.* honoribus ac laudibus ornatum dimisit; sed Præpositus Generalis antequam itineri Neapolim versus se committeret, illum etsi annos octo supra septuaginta natum *Provincialis* dignitate decoravit, auxitque, quem *Viva* magistratum decimo Octavo Kalend. Aprilis ejusdem anni inivit. Hoc munere detentus ad dimidium an. 1726. pervenit, quo tempore ecce tibi quarto nonas Jul. attenuatis omnino, fractisque viribus concidit, nec tamen ille victum se dedit, aut mortis periculo deterritus est, nihil enim

---

(1) Cum præfatus Prorex ad Neapolitanum Collegium se contulisset, ad Vivæ cubiculum divertit, multa cum illo comiter locutus est, ejusque donum pergratum habuit.

(2) In nonnullis hujusce sæculi monumentis invenio, prædictum Burghesium an. 1721. a Carolo VI. Neapolis Proregem creatum fuisse.

(3) *Apostol. Act.* Cap. XX. V. 22. Nonnulla monumenta ad me Neapoli allata referunt, a Benedicto *XIII.* sub finem anni 1724. Vivam Romam fuisse advocatum, scripta jam fortasse, quam reddidimus Epistola.

hil enim erat illi solemnius, quam D. O. M. orare, atque obtestari, ut sacro peracto (re tamen Dei voluntati commissa) supremum diem obiret.

Et voti fuit compos; nam consequenti die Missa de more celebrata rursum ἀποπληξίᾳ vehementer perculsus fuit; ad Medicos accurritur illico, sed frustra morbum impediri, aut retardari tentatum est: hi magna virtute, illi doctrina hominem præstantissimum flere, alii sapientem Moderatorem, alii amissum Sodalitatis nostræ ornamentum conqueri; verum ingravescente jam magis morbo preces inter, & fletus suorum hora XI. quarto nonas Jul. anno post Christum natum 1726., ætatis vero suæ 78. M. 8. D. 18., animam placidissime efflavit (1). Vulgatam ejus mortem non sodales modo nostri doluere, sed etiam omnium ordinum homines, atque in primis Benedictus XIII, & Neapolitanus Archiepiscopus *Cardinalis Franciscus Pignatellius*, aliique Cardinales amplissimi, apud quos ille plurimum existimatione, & gratia valuerat. Post exequias mira hominum frequentia celebratas picta ejus Imago in Atrio Collegii collocata fuit, qui honor S. J. hominibus non nisi animi virtute doctrinave excellentioribus decerni solet; Dominicus autem noster utroque quidem excelluit. In libro præterea, cui nomina, ac monumenta nostrorum hominum in Neapolitano Collegio inscribuntur, brevi hoc, sed singulari, ac præclaro Elogio ornatum illum reperio: *Ai 5. di Luglio (2) del 1726. morì il P. Domenico Viva attualmente Provinciale; Uomo stato di somma Religiosità, e di sommo credito in Letteratura presso a' Domestici, e a' Secolari: lo fan chiaro le dotte sue stampate opere, e sì applaudite, che lui vivente più impressioni ne furon fatte. Sorpreso da accidente apopletico morì poco dopo celebrato il Santo Sagrifizio, e rendute le grazie. Fu onorato secondo il merito del Ritratto.* Multa *Dominico* perhonorifica hactenus persecuti sumus; alia hic addere operæ pretium est, quæ scilicet Doctissimos homines spectant, qui Vivam in suis operibus non sine summa honoris significatione nominarunt. Plures numero fuisse in monito 12. Patavinæ editionis (3) *Thesium proscriptarum ab Alex. VII., Innoc XI., Alex. VIII.* dicuntur; sed hi tredecim præsertim recensentur: Beneventanus Cardinalis Archiepiscopus *F Vincentius Maria Ursinus*, deinde *Benedictus XIII.* in libro cui titulus: *Sermoni Mariani*, *P. Claudius la Croixius* addit. in Busembaum; P. Gabriel Gualdus Cler. Regul. *P. Cæsar Calinus*, in opere prænotat. *Theologico-Morali Lezioni sopra il giuoco*. *P. Matthæus Zaccherius Decisiones Patavinæ*, *P. Augustinus Matheuccius Ord. Min.*, in quodam Dogmatico opere contra Hæreticos. P. *Cristophorus Rassler* in opere, quod *norma recti* inscribitur, P. *Francisus Schmazgrueber*: Jus Ecclesiasticum universum; P. *Franciscus Cajero*, P. *Simeon Karcne* in libro *de Justitia & Jure*; P. *Benedictus Chiaretta*, Consultazioni Canoniche. P. *Franciscus Soll* in tractatu de Tributis; D. *Joannes Eufrate* in Cynosura confessariorum &c. Essent alii plures ejusmodi Vivæ laudatores, quos percensere numerando longum foret, ac permolestum. Paucos tamen de multis liceat mihi commemorare. Primum locum dabimus eruditissimis viris, qui Diarium Italorum editis libris, doctrinaque præstantium Venetiis an. 1710. aggressi fuerunt. Hi ergo *Tom. XII. pag.* 428. *Scholasticam Vivæ Theologiam* laudibus cumulant; Theologica vero Opuscula Tom. XXXIII. Quid quod *Petrus Catherinus Zenius* qui Venetum illud diarium *Cl. Apostolo Fratre Viennam* Caroli VI. Imperatoris jussu evocato curabat, de Vivæ elogio in partem secundam Tom. XXXVIII. referendo cogitaverat; quamobrem ad hujus Italici commentarii Auctorem P. *Petrum Mariam Salomonium*, a quo *Cardinalis Ptolomæi*, & P. *Philippi Bonnanii* elogia acceperat, litteras dedit nono Kalend. Jun. an. 1727. & decimo tertio Kalendas April. sequentis anni 1728. quibus ut illud quoque elogium contexeret, eum etiam atque etiam rogabat. Et *Zenii*

---

(1) In monumento Neapoli ad me misso legitur *Vivam* supremum diem obiisse tertio Nonas Julii; sed cum alia tria de ejusdem Patris obitu alia referant, *Vivam* scilicet 4. Nonas Jul. e vita discessisse, hanc ego sententiam amplectendam esse existimavi. Accedit *P. Carolum de Bonis*, qui Vivæ Præfectus Bibliothecæ successit, hæc Neapoli quarto Idus April. an. 1728. ad me scripsisse. *Il P. Viva poi di b. m. morì a' 5. Luglio 1726., verso le undici della mattina. Noi ne abbiamo in Porteria esposto il Ritratto a cagione della sua dottrina, e religiosità nulla meno insigne, che la dottrina, in sì degno soggetto.*

(2) Vid. superius Notam.

(3) Eadem Legas in monito XIV. Editionis, quæ annum præsefert 1749.

nii quidem votis *Salomonius* respondit; nec Vivæ tantum, sed etiam P. *Friderici Burlamacchii Jesuitæ* Lucensis elogia ad eum misit. Cum tamen a *Cl. Antonio Vallisnerio* seniore, accepisset Salomonius de Diario illo persequendo fere desperatum esse, elogia illa ad se revocavit sub initium an. 1730. Atque hinc factum, ut in ea Tom. XXXVIII. parte II., quæ an. deinde 1733. prodiit, elogia illa desiderentur. Sed silentio prætereunda non sunt, quæ celeberrimus Hyacinthus Gimma *Tom. II.* operis inscripti *Idea della Storia dell' Italia letterata pag.* 864. *de Viva conscripsit*: *Non abbiam fatta menzione, inquit ille, del noto, e ben dotto P. Domenico Viva Gesuita Lettore nel Collegio di Napoli; e pure i suoi trattati Teologici con applauso si leggono, come l' opera contro le Proposizioni condannate da tre Pontefici tra gli ultimi, e contro le cinque del Giansenio con l' Opuscolo del Giubileo, sin ora impressi ben dieci volte in Padova, in Napoli, in Francfort: Così la Trutina antiquesnelliana nella cui terza edizione si è steso nel Proemio a dimostrare coll' autorità de' medesimi concilj ecumenici, e Sinodi de' Vescovi, e Clero Gallicano dal principio della Chiesa sino al Presente secolo l' Inappellabilità dalle Definizioni Pontificie in materia Dogmatica al futuro Concilio Universale, e la superiorità del solo Pontefice a tutto il Concilio: Così gli otto Trattati di Teologia Scholastica più volte impressi in Padova, in Praga, ed in Colonia, e Opuscula Theologico-Moralia, e 'l Cursus Theologico-Moralis, ora uscito dalle stampe di Padova in otto trattati: nelle cui opere, e la chiarezza, e la sodezza e la brevità si ammirano, e vi si discutono varie questioni, e non ancora toccate da altri, e solo superficialmente*. Verum quod Vivæ nomen præclarum reddit, opinio est quam de eo maximam habebat Cardinalis, ac Beneventi Archiepiscopus sæpius commemoratus. F. Vincentius Maria Ursinius, qui Ecclesiæ Pontifex creatus nomine Benedicti XIII. appellatus est. Is cum solemnem in majori Templo populo haberet concionem, sæpius Theologi nostri (quem & *doctissimum* appellabat) ad doctrinam suam confirmandam auctoritate utebatur. Quotiescumque autem eum nominabat, caput ad singularem existimationis significationem aperire in more habebat.

Neque pauciora, aut minus honorifica ea sunt testimonia, quæ suæ in Vivam benevolentiæ, existimationisque edidit Benedictus XIV. Etenim antequam Pontificia dignitate exornaretur, in Institutionibus, quas Bononiensis Archiepiscopus divulgavit, hæc de *Viva* habet. *Tom. I. Instit. VII. Venetæ editionis pag.* 35. *Il P. Domenico Viva della Compagnia di Gesù Teologo di chiaro nome nella sua bell'opera sopra le proposizioni dannate*. *To.* autem *IV. Instit. V. pag.* 20. *Può vedersi* il P. Domenico Viva *che volontieri nominiamo, e per la sua dottrina e per la singolare amicizia, che abbiamo avuto con esso nel tempo della sua vita*. Pontifex porro universæ Ecclesiæ renunciatus eadem de Viva sentire perrexit. Nam, & *To. III. Bullarii sui constit. XXI. pag.* 170. *Romanæ Editionis* 1753., & in præstantissimis *de Synodo Diœcesana* libris utriusque Editionis Romanæ an. 1748. & an. 1755. sæpius *Vivam* appellat, nonnunquam etiam cum laudis significatione.

Quæ hactenus de Viva persecutus sum, ea potissimum debere me fateor singulari Patrum *Caroli de Bonis*, *&* *Pasqualis de Matthæis* humanitati. Ab his monitus sum, nihil *Vivæ* exstare, quod typis vulgatum non sit, præter Philosophicas prælectiones. Mihi tamen certissimum est, scripsisse illum pro *Eminentissimo Ursinio* commentariolum an. 1719., quo Nicolao *Acciajolio* Cardinali vita functo ob Pauli IV. Constitutionem Romæ in disceptationem venit, quisnam Purpurati Collegii decanus, ut ajunt, esset constituendus. Nam hæc ille ad me tum Romæ degenti Neapoli scripsit Nono Kalen. Octobris an. 1724. *Oggi per mezzo di Monsign. Nunzio m' invia Monsig. Finy Vescovo* d' Avellino *la Consituzione, emanata sopra il Decanato. Come che su ciò ne scrissi a favore dell' Eminentiss. Orsini ora* Benedetto XIII, *ma questi per sua modestia non volle far dibattere le validissime sue ragioni, ha voluto detto Prelato favorirmene subito con anticiparmi la Costituzione* (1).

(1) Edita est ea Constitutio septimo Idus Septembris an. 1724. Extat autem Bullarii Tom. XI. parte II. pag. 341. Romanæ editionis an. 1736.

EMINENTISS. ac REVERENDISS. PRINCIPI

FRANCISCO

SABINENSI EPISCOPO
S.R.E. CARDINALI PIGNATELLO
ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO

DOMINICUS VIVA E SOCIETATE JESU

Perpetuam Felicitatem.

O*Pera in lucem edituri ſua*, PRINCEPS EMINENTISSIME, *non parum ſæpenumero laborant Auctores, ut præſtabilem, inſignemque, atque omni virtutum genere ornatum, cui ea conſecrent, Mæcenatem nanciſcantur, qui vel ipſomet ſuo ea Nomine illuſtret, iisdemque victricem oblivionis non tam ſpondeat, quam pariat immortalitatem. Mihi vero pertenuem hanc Opellam prælis commiſſuro, in eo laborandum non eſſe exiſtimarem, ſi a quovis alio, quam a Te fauſtiſſima auſpicia deſumpta vellem; aut quemlibet alium præter Te Principem Inclytum, ut faventibus illam oculis aſpiceres, deprecarer. Laborant itidem non ſemel plurimi in perquirendo, quibus de cauſis evulgandas lucubrationes Patronis commendent ſuis, benevolentiam ab illis aucupaturi. Aſt ipſe in eo quam maxime laborare me fateor, ut rationes, cauſaſque in medium proferam univerſas, quæ iturientem, ac feſtinantem licet, admotis tamen calcaribus acrius impulerunt, ut Tibi qualecumque hoc mei in Te obſequii levidenſe ſeu pignus, ſeu argumentum nuncuparem. Quis enim Tua in me, Parentemque meam amantiſſimam Societatem tot, ac tanta explicet pro dignitate merita? Quis meritis proſequatur laudibus? Quis digna admiratione excipiat? Quis debitis illa gratibus exæquet? Tantum quippe abeſt, ut nos illis qualitercumque reſpondere poſſimus, quin potius in dies illam, ac me magis, magiſque ad invidiam pene oneres.*

Quam-

Quamvis (bona Tui pace dixerim) non hanc Tu laudem primus es auspicatus, sed verius prosequutus; Cum a Majoribus Tuis insitam in nos benevolentiam non tam in hæreditatem accepisse, quam ipso cum lacte hausisse videaris. Intra Tuæ siquidem domus parietes, Regali sane Hospitalitate, prima sui Neapoli Societas nostra sortita est Cunabula : cum eam vixdum partem non tam domo, quam animo familia Tua exceperit, recentemque, ut ita dixerim, a lacte meliori munificentiæ succo, ac sanguine nutrierit. Proh quantus sane, vel una in re, se mihi offert rationum cumulus, quo & premi me, & prorsus obrui intelligo! Quid vero de Tuis in me meritis dicam? An non verear, ne, si vel delliberare tantum ea velim, elevem potius, quam extollam; ne lux potius, quam laudandi materies me deficiat; neve mihi quodammodo aut plaudere videar, aut tacite superbire? Luce se illa produnt sua, nec alio indigent, quam eo, quo se ipsa commendant, Encomio: Majora quippe ea sunt, quam ut animo contineri omnia, nedum vocibus exornari queant. Animis ergone Societas, atque ipse prorsus excidamus? Minime sane gentium. Quinimmo generosa ipsa indoles Tua mihi animos facit, ut ad Te accedam, ac vectigal hoc qualecumque mei in Te obsequii, Tuis si minus, meis saltem viribus accommodatum exhibeam; Hoc quoque maximi beneficii habiturus loco, quod æquo nempe Tuo illud animo excipias. Theologico-Moralia, quæ in hoc libello Opuscula prosequutus sum, ad pedes E. T. provolvo fidenter. Quem enim magis illa deceant, quam Te, Princeps Eminentissime; cum abdita, altissimaque Sublimioris Theologiæ arcana pene sub ætatis Tuæ florem in præclarissimæ Parentis, Theatinæ nempe familiæ, sinu magno ubique exceptus plausu, admirationeque recluseris; & nunc temporis inter Purpureos Patres a divinis facultatibus commendatos nulli secundus numerere? Tametsi nulla seu divina, seu humana facultas sit, quam non apprime calleas, qua maxime non floreas. Quid, quod tanta Morum luce semper, & ubique præfulseris, ut Clericali Ordini universo qua dictis, qua jussis, qua exemplis mores sanctissimos instillaveris? Quid, quod eo virtutis commissos Tibi populos evexeris, ut satis sit, Diœcesim intueri Tuam, quo statim omnium vel nolentium in oculos coacta in parvum Ecclesiæ Majestas non tam incidat, quam incurrat? Non sine quadam tamen aliorum populorum omnium invidia, qui Tibi uni parere omnes certant, maximumque a Te olim Maximo, ac Supremo Orthodoxæ Ecclesiæ Hierarcha capturos se ornamentum fore, jure meritoque confidunt. Quidni igitur Theologico-Moralia isthæc Opuscula Te unum in Auspicem deposcant, cum & a Theologiæ disciplina, & a Morum sanctimonia tantum Tibi ornamenti comparaveris? An vero quis miretur, quod beneficiis Tuis in me tantis tantulo Opere respondeam? Sed hoc omnino suum Maximi Principes, hoc maxima habent beneficia, ut nihil non minimum sit, ubi cum illis conferatur: Cumque id præclarissimorum quoque Virorum conatibus usuvenire, nemo unus ignoret, quis non mihi, (cui tam angusta supellex) jure succenseat, si augusta Tui Nominis fretus clientela, in lucem, Solemque audeam prodire, cum de meo nihil nisi umbratile quidpiam afferre possim? An non arrogantis ista sint animi? At eo enimvero ductus consilio, Te in benemerentissimum Mæcenatem ut cum maxime statui? Is enim es, ut me Tua latentem sub umbra, Purpuræ me hujusce Tuæ Splendore satis, superque illustres. Sileant profecto, sileant gratificantis illæ animi voces, quibus Antiquus ille Encomiastes publica in Panegyri suum mirum quantum exornavit Cæsarem Theodosium dicens:

cens. Amicitiam, nomen antea privatum, non ſolum intra aulam vocaſti, ſed indutam Purpura, gemmiſque redimitam ſolio recepiſti. *Tuam quanto potiori jure hæc Purpuram decent, qua repentem humi tenuitatem meam ſublevas, omni denudatam ornamento foves, ac contegis, atque in ſublime Tecum extollis; Cum jubeas, ut quæ propriis antea ſe tenebris involvebat, Purpuræ Tuæ luce ſulguret, ac tantum non intumeſcat. Illa quippe non gemmis, auroque luxuriat, ſed clarius tamen multo irradiat, utpote quam Virtutes certatim omnes, quæ Invicti, Integerrimique Præſulis ſint, ad oculorum ſuſpendium diſtinguunt. Inopes, Pupilli, Viduæ, miſerorum genus omne, qui Tua ſub Purpura levamen omne experiuntur, proh Superi, quantum illam in Cœlum evehunt, ac ſuperno Splendore colluſtrant! Teſtem hanc Urbem univerſam appello, quæ nullo non loco ferventiſſimis Amoris Tui flammis calet, nullo non tempore Tuarum Virtutum exemplis omnibus abunde affluit; itaque affluit, ut quocumque oculi ſe convertunt, ſtupore defigantur. Sed conqueri quodammodo, mihique ſuccenſere Tarentum, Roma, ac Polonia univerſa non immerito videntur, dum intra noſtræ Urbis fines immoror. Non ita patrios intra fines Virtus Tua continere ſe potuit; quin longe, lateque pervaleret, ac rebus præclariſſime geſtis non minus, quam admiratione omnia compleret. Ad Poloniam de Latere Legatus miſſus arduam, ſupra quam cuiquam credibile ſit, demandatam Tibi provinciam ſplendide, atque e Romanæ Eccleſiæ re ita obiiſti, ut bona omnium pace dixerim, neſcio, an parem ſis habiturus; Qui Te vero præiverit, habueris ſane neminem. Omnium animos, Regium quoque, Comitate Tua mirabili, ac melliflui ſermonis affabilitate Tibi arctiſſime devinxiſti. Unus ea cumulatiſſime impleſti, quæ nec ſinguli quique longiſſimo, nec omnes ſimul tam exiguo temporis ſpatio præſtitiſſent. Iris turbatiſſimo illi Cœlo viſus es affulgere, omnem importunæ calamitatis nubem longe prorſus avertens. Quanta enim in arduis, ac ſummi momenti rebus Tua emicuit Prudentia! Quanta eluxit dexteritas! Quantum (quod Tuum diſcrimen, atque Inſigne, ut ita dixerim, eſt præſtantiſſimum) quantum, inquam, Humanitas triumphavit! Humanitas illa, quæ propemodum tantundem Te ad aliorum placita deprimit, quantum Tua Te magnitudo ſupra omnes alios extollit. Quam periculoſæ plenum opus aleæ, Deus immortalis, obeundum Tibi commiſſum? At quam expediiſti feliciter? In quam difficilem, ac ſalebroſum adducta locum res erat? Quas ipſe delatus in Syrtes, ut quocumque minimum deflecteres, hærere non immerito timeres? At quam ſecundo curſu ad Gloriam velificatus es! Quam fauſte proſpereque optatum expeditionis portum tenuiſti! Vix viſus, omnium in Te oculos convertebas; vix auditus omnium demulcebas, omnium in Te animos abripiebas. Verbo, Poloniam triumphis magis Tuis, quam paſſibus perluſtraſti; At rebus omnibus e voto, (e voto autem? an ſupra vota ipſa?) confectis, Victor, ac Polonus ad Capitolium, plaudente Urbe, atque Orbe univerſo, Triumphantis in morem aſcenderviſus es. Oſtro Te Polonia inſignivit, an potius Oſtrum ipſum in Te inſignie re eſt rata? Atque hoc unum in expeditione Tua habuit, quod doleret; nimirum, quod Te juſto afficere præmio minus poſſet. At ad tantum honoris apicem multa Te jampridem provehebant: Tarentina ſanctiſſime a Te Eccleſia gubernata; Ipſa neceſſitudinis, ac cognationis cum Summo Hierarcha vincula; Majorum Tuorum erga Eccleſiam merita; Pontificiæ Legationis munus; Sangui-*

nis

nis splendor, qui potiori, quam de Nilo flumine dictum est, jure Cœlesti verius, hoc est Heroum, quam terrestri vena flueret; Qui ortus suos præclarissimos celari maluit, quam nosci; ut a Longobardorum Principibus ne, an a Beneventanæ Urbis Ducibus, an vero a Patritio Romanorum fonte profluat, non satis in comperto sit; Qui Hispaniam, Italiam, atque Europam late universam toto exercituum Imperatoribus, tot Maritimæ rei Præfectis, tot Sublimibus Infulis, tot ad Reges, ac Pontifices Legatis nobilitavit; ut non immerito asseruerim, Trabearum, fasciumque vestrarum pondere laborare. Qui ipsam etiam Americam, novum nempe Orbem, Vaglii dominatu illustravit; Ac tot Aurei velleris Equites, tot Hispaniæ Magnates edidit: Tot Proreges invictissimos procreavit: Quos inter Principem sibi vendicat locum Germanus Tuus, Tuique omnino similis Dux Vibonensis, quem Sardinia olim suspexit pro Rege moderantem; Ac Trinacria nunc Regis gerentem Vices ea laudum segete onustum intuetur, ut latissima se præ gaudio non capiat Insula; Quæ triumphalibus semper Augustissimi Caroli armis devicta, Illius ex omni parte Amoris expugnari armis se animadvertit; Atque Hectorem illum Pignatellum, suo bene respondentem Nomini, Vibonensi etiam dominatu insignitum, veluti redivivum intueri, ac suscipere, morem ei gerendo obsequentissimum; Is quippe anteactis seculis assertam pariter Regi suo Siciliam felicissime est moderatus. Hæc, aliaque sexcenta hujusmodi Sanguinis Tui decora, quæ libenter missa facio; (ne nunc primum malemeritus de Te videar, Tuamquæ præ ipsamet Purpura rubescere cogam modestiam,) Hæc, inquam, decora Ostrum jam Tibi non uno Nomine deferebant; Sed indignum Te existimasti, quod nullo Tibi labore non staret; quod Tuo sudore non imbueres. Unus effecisti, ut magis ipsæ Tibi uni fumosæ Majorum imagines, Marmorataeque laudes, quam Tu ipsis deberes; ut Posteris Tuis laudum prærogativam præriperes; ut Naturæ in Te uno ad maxima omnia effingendo conatus Virtute superares. Eo denique devenisti Celsitudinis, ut non modo supra famam, ultra invidiam, trans omnem ancipitis fortunæ aleam Magnitudinis Tuæ securus consistas; atque ad supremum Ecclesiasticæ Hierarchiæ Solium, quo Tua Te merita provehunt, votis omnium evoceris; Sed etiam incolumes, atque in tuto locatos reddas, quos Tuo Patrocinio tueri non dedignaris. Vale, & diu, felixque Ecclesiæ Catholicæ, ac Tuis præsertim obsequentissimis famulis Vive.

E Collegio Neapolitano 1721.

LE-

LECTORI
Benevolo.

Miraberis profecto, quod paucis hisce Opusculis Theologico-Moralibus ad Te veniam, ubi Universa, prout in Scholis traditur, Moralis Theologia jamdiu a me in lucem danda expetebatur, & expectabatur. Ut verum fatear; post absolutam utcumque, Superis annuentibus, Trutinam Antiquesnellianam, a Moralibus in posterum quæstionibus ex professo pertractandis supersedendum statui; Siquidem vix calamo ad id operis admoto animadverti, plurimum studii, ac laboris, plurimum ingenii, ac perspicuitatis, plurimum dexteritatis, ac prudentiæ opus esse ad illud pro dignitate peragendum, atque ad Sapientium, ac Insipientium notas declinandas. Præsertim quia Moralem Cursum aggressuro immensum esset pelagus enavigandum, innumeris ubique disseminatum Syrtibus, in quas vel peritissimi ex Naucleris non raro impegerunt; Nec cuique facile est alterutrum scopulum declinare, aut laxitatis, aut nimii rigoris in opinando; passimque Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim. Quare impar ego tanto oneri, atque non minus ingenio hebes, quam acie oculorum, animis excidi; grates Deo bonorum omnium Largitori rependens plurimas, quod in exponendis Confixis Thesibus (nisi mea mihi sententia, ac non paucorum opinio blandiatur) incolumis evaserim.

Instantibus tamen, ac percupientibus Theologiæ Candidatis; Aliis etiam quotidiano pene convicio efflagitantibus, aut missis ad me literis perquirentibus, Necnon iis, quorum jussa declinare non poteram, suo nomine quasi debitum officium postulantibus, ut Theologico-Moralia saltem Opuscula in lucem ederem, prout olim in Scholis tradideram, quippe qui fore sperabant, ut humaniter, & citra nauseam, ac stomachum exciperentur; non secus ac benigne Cursus Theologicus, Scholastica pariter methodo in Scholis traditus, necnon Opusculum de Anni Sancti Jubilæo excepta fuere, quod toties iteratæ illorum editiones non obscure testantur, imperata facere oportuit: Ac tandem aliquando refectis, Deo miserante, quantum provecta passa est ætas, viribus, apopleticorum vitæ insidiantium insultuum vi non parum accisis, animum induxi, ut ea incudi redderem, & ad limam pro modulo meo revocarem. Ea quippe multis ab hinc lustris inter alia selegeram in Palæstra Theologica explicanda, velut ad Cursum Theologicum prodroma, utpote quæ magnam eruditionis, ac doctrinæ ad praxim spectantis segetem proferunt, nec Moralem dumtaxat, sed Scholasticam, immo & Po-

ſitivam etiam ſapiunt Theologiam. In primo ſiquidem ex his, quæ ad uſum Tyronum elucubrata fuere Opuſcula, diſceptatur de Principiis Moralitatis, ſeu de Actibus Humanis prout univerſam Theologiam Moralem fundantibus. In ſecundo de Conſcientia Dubia, & Scrupuloſa; ubi etiam nonnulla de Conſcientia Certa, Erronea, ac Probabili delibantur: In tertio de Beneficiis Eccleſiaſticis; ubi fuſe etiam de Simonia univerſim. In quarto demum de Uſuris, quippe quæ affinitatem cum Simonia habent, quatenus quod in Spiritualibus Simoniam, in Temporalibus redolet Uſuram; atque utrobique perſæpe contractus, qui ſpeculative, ſeu circumſcriptis adjunctis, ab utraque labe depurati deprehenduntur, in praxi tamen ab ea non ſunt immunes. Tradideram pariter Auditoribus meis quintum Opuſculum inſcriptum De Jubilæo, præſertim Anni Sancti, ac de Indulgentiis univerſim. Sed illud hic ſuperaddere non eſt opus, utpote quod occaſione Anni Sancti tunc temporis imminentis, videlicet anno *1699.*, Illuſtriſſimus D. Fabius Caracciolus e Ducibus Montis Sardi inter meos Auditores nemini ſecundus, ſanguinis claritate ſatis notus, præſtanti ingenio, ac virtute ornatus, Prælatura jamdudum Romæ inſignitus, ac ad Purpuram, Deo auſpice, evehendus, vix exceptum, in ſui, ac mei obſequium Eminentiſſimo Urſino Archiepiſcopo Beneventano in lucem editum dicare cenſuit; Ac deinde Typographus, tanquam Appendicem, ſemper illud annexuit in quavis ex tot editionibus Trutinæ Theologicæ Theſium damnatarum, ut plurimæ Indulgentiæ paſſim aſſequibiles omnibus innoteſcerent; atque ad eas cum fructu lucrandas quilibet incitaretur.

At audire videor plurimorum querimonias, qui ab innumeris, ubique obviis, de re Morali pertractantibus libellis abhorrentes, nil niſi crambem recoctam in hiſce Opuſculis apponi poſſe autumant. Quid enim ſuperaddi poterit iis, quæ tot præclariſſimi Auctores in ſuis Voluminibus eaſdem quæſtiones revolventibus, ac difficultates enodantibus candidiſſimo enuclearunt? Qui fieri poterit, ut quidpiam de novo prodeat, quod in Veterum monumentis non habeatur in bono lumine collocatum? Non unus dumtaxat aptare hic poſſet illud Martialis: *Quem ſcribis, meus eſt, o Fidentine, Libellus; Sed male dum ſcribis, incipit eſſe tuus.* At cur querimoniis iſtis non pariter Martialis illud reponatur? *Cum tua non edas, carpis mea carmina Cæſar; Carpere vel noli noſtra, vel ede tua.* Si quidpiam querimoniæ iſtæ, quæ paſſim obtruduntur, præſeferrent; nonne pariter evincerent, incaſſum celeberrimos ſuperioris Sæculi Auctores deſudaſſe in rebus Moralibus univerſim diſcutiendis; ubi de iiſdem pariter Auctores longe præſtantiores, ac non pauci, Sæculis anteactis diſputarunt? Cum tamen in comperto ſit, Superioris Sæculi Auctores multum ſplendoris Reipublicæ literariæ contuliſſe, ac ornamenti plurimum Bibliothecis addidiſſe. Siquidem quod Veteres profunde, ac dilucide prodiderunt, illud ipſum, ſed alia via, alia methodo, aliis ratiocinationibus, ac doctrinis illuſtratum a Neotericis proditum eſt, non ſine magna ingeniorum, ac animorum utilitate. Idipſum in hiſce Opuſculis præſtare conatus ſum, animo revolvens, quod poſt tot Theſium proſcriptiones malint Theologicæ Facultatis ſtudioſi Opellis iſtis,

quæ

quæ nec mole obruunt, nec brevitate confundunt, ſedulam navare operam; quam aliis utut præſtantioribus, in quibus evolvendis ſcopulorum ignari ſæpenumero hærent, ac timore trepidant etiam ubi non eſt timor. Non abs re itaque quæſtiones plurimas ad praxim paſſim occurrentes, quas alii fuſiore calamo pertractarunt, veluti in compendium perſtrinxi, brevitati ſimul conſulens, & claritati, ut eas præ manibus Tyrones habere facile poſſent; iis opinionibus meum calculum ſuperaddendo, quæ magis veritati conſonæ viſæ ſunt. Hiſce de cauſis, mutato conſilio, poſt hæc elaborata Opuſcula animum etiam induxi ad incudi pariter reddendum Moralem Curſum: & jam nonnullos hujuſce rei Tractatus pro modulo meo ad umbilicum perduxi: ac labori non parcens confido poſt non multum temporis alios pariter perducturum, ut ſimul omnes typis committantur; ſi tamen divina inde gloria (quæ tantorum laborum unicus eſt ſcopus) promovenda ſit. Interim Lector, ſi quid boni in revolvendis meis lucubrationibus deprehenderis, Clementiſſimo bonorum omnium Auctori gratias age; ſi quid mali, tribuas tenuitati meæ. Vale.

JOAN-

JOANNES BAPTISTA GRIMALDI

PRÆPOSITUS PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU

In Regno Neapolitano.

CUm Librum, cui titulus eſt, OPUSCULA THEOLOGICO-MORALIA, a P. Dominico Viva Societatis Noſtræ Sacerdote conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi, quibus commiſſum fuit, recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; facultate nobis ab Adm. Rev. P. Noſtro Michaele Angelo Tamburino Præpoſito Generali communicata, concedimus, ut typis mandetur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo Societatis noſtræ munitas dedimus.

Neapoli die 7. Octobris Anno 1720.

Joann. Baptiſta Grimaldi.

INDEX QUÆSTIONUM,

Quæ in hoc primo Opuſculo continentur

DE PRINCIPIIS MORALITATIS, Seu DE ACTIBUS HUMANIS

Quoad ea, quæ fundant Theologiam Moralem univerſam.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex ſit Voluntarium, & Liberum? pag. 2

ART. I. *Quomodo definiatur Voluntarium? Quomodo Liberum?* ibid.
II. *Quotuplex ſit Voluntarium?* ibid.
III. *Satisfit quibuſdam quæſitis ad praxim neceſſariis.* 3
IV. *Num dicatur Voluntarius, & aperiendus ſit in Confeſſione effectus procedens ex cauſa libere volita, quando non poteſt ea amplius vitari?* 4

QUÆSTIO II.

Utrum Peccatum ex genere ſuo Mortale evadat Veniale ex defectu Voluntarii? Ubi plurima de Delectationibus Moroſis. 7

ART. I. *An Peccatum ex genere ſuo Mortale evadere poſſit Veniale ex defectu Voluntarii, ſeu plenæ libertatis?* ibid.
II. *An Delectatio Moroſa de objecto turpi ſecundum ſe pertingat ad Mortale?* 8
III. *An Delectatio Moroſa de objecto turpi indirecte volita ſit etiam mortale?* 11
Ult. *Utrum deſideria objecti pravi ſub conditione tollente ejus malitiam vacent lethali culpa?* 13

QUÆSTIO III.

Quænam Ignorantia circa Leges, aut Præcepta tollat, vel minuat Culpam? 14

ART. I. *Quid, & quotuplex ſit Ignorantia, & quænam reddat actum involuntarium?* ib.
II. *Utrum a culpa excuſet Ignorantia Invincibilis, etiamſi ſit Concomitans?* 16
III. *Ex præjacta doctrina plurimæ difficultates reſolvuntur.* 17
IV. *Utrum Ignorantia Invincibilis ſolius pęnæ per legem impoſitæ excuſet ab ea pœna Delinquentem?* 19
V. *Quandonam Ignorantia cenſeri debeat Invincibilis, etiamſi proveniat ab Ignorantis culpa, itaut excuſet a pœna.* 20
VI. *An poſſit dari Ignorantia Invincibilis Dei, & Juris naturalis?* 21
VII. *Utrum Ignorantia Vincibilis ſemper peccatum minuat, præſertim in Tranſgreſſione legum Humanarum?* 23
VIII. *Utrum legis Ignorantia mortaliter vincibilis excuſare poſſit a pęna, quamvis non excuſet a gravi culpa?* 24
Ult. *Utrum peccata ex Ignorantia vincibili commiſſa ſint ejuſdem ſpeciei moralis cum peccatis ſcienter admiſſis?* 25

QUÆSTIO IV.

De Vi, Coactione, ac Metu excuſantibus a Legum, & Votorum obſervantia. 26

ART. I. *Quid, & quotuplex ſit Metus, Vis, & Coactio?* ibid.

II. E-

II. *Enodantur plurimæ Difficultates quoad metum cadentem in Constantem Virum.* 28
III. *An metus gravis excuset a culpa Transgressorem Legum Humanarum?* 29
IV. *An Metus gravis excuset a Transgressione Legis Divinæ Positivæ?* 31
Ult. *An Metus gravis excuset a Transgressione Legis Naturalis?* ibid.

QUÆSTIO V.

De Ignorantia, ac Errore Contractus irritante ex defectu Voluntarii. 34

ART. I. *Prænotantur Prænotanda.* ibid.
II. *Utrum Error, vel dolus antecedens reddat Contractus irritos jure naturæ?* 35
III. *Ex præjacta doctrina resolvuntur plurimæ Difficultates.* 37
IV. *An dolus, vel error antecedens dans causam Contractui illum irritet, saltem jure Positivo?* 39
Ult. *An Error concomitans circa rei substantiam irritet Contractum jure Naturæ?* 41

QUÆSTIO VI.

De Metu irritante Contractus, aut Vota ex defectu Voluntarii. 42

ART. I. *An Metus gravis injuste incussus ad extorquendum Contractum irritet illum jure naturæ?* ibid.
II. *Utrum Contractus metu injusto extorti sint jure positivo irriti, an solum irritandi?* 44
III. *Utrum Metu etiam levi extorta restituenda sint in foro Conscientiæ?* 45
Ult. *Resolvuntur plurimæ Difficultates ex præjacta Doctrina.* 46

QUÆSTIO VII.

Utrum Juramentum confirmet Contractus metu irritos, aut obligationem implendi Contractus inducat? 47

ART. I. *Prænotantur Prænotanda.* ibid.
II. *Utrum Juramentum universim confirmet actus jure positivo irritos?* 48
III. *Utrum Juramentum confirmet Contractus metu invalidos, aut saltem obligationem inducat eos implendi?* 49
Ult. *Quisnam Prælatus possit Juramenta contractibus adjecta relaxare?* 51

QUÆSTIO VIII.

De Concupiscentia minuente, vel augente Voluntarium. 54

ART. I. *Utrum Concupiscentia minuat, aut etiam quandoque tollat Voluntarium?* ibid.
II. *Utrum restituenda sint in foro Conscientiæ, quæ blandis verbis extorquentur.* 55

QUÆSTIO ULTIMA.

De Actibus humanis quoad eorum moralitatem. 56

ART. I. *In quonam consistat bonitas, & malitia Moralis?* ibid.
II. *Utrum a Fine, an ab Objecto desumatur bonitas, aut malitia moralis Actuum humanorum?* ibid.

OPUS-

OPUSCULUM PRIMUM
DE PRINCIPIIS MORALITATIS,
SEU
DE ACTIBUS HUMANIS
Quoad ea, quæ fundant Theologiam Moralem universam.

PROŒMIUM.

IN Tractatu de Actibus Humanis Scholastici viam muniunt ad Moralem Theologiam, ejusque fundamenta jaciunt, examinando nostrorum actuum bonitatem, ac malitiam moralem, motusque animi voluntarios, ac liberos. Cum enim moralitas in actu esse non possit sine libertate, & actus non possit esse liber, nisi sit voluntarius, idcirco anxie discutiunt, quomodo ratio voluntarii, ac liberi ab Ignorantia, Metu, Concupiscentia, & similibus lædatur, ut dignosci possit quandonam actus ex defectu voluntarii, aut plenæ libertatis, vel culpa simpliciter vacet, vel saltem gravi culpa. Hæc nos, Numine aspirante, in præsenti præstabimus, ut facilius percipi possint, quæ Scholastica Theologia discutit de Actibus humanis in ordine ad speculationem.

Primo itaque quæremus, quid, & quotuplex sit Voluntarium, ac Liberum? Secundo, An peccatum de se mortale evadere possit veniale, sive ex defectu plenæ deliberationis, sive ratione puræ delectationis morosæ de objecto pravo non pertingentis ad desiderium, aut operationem; sive ratione delectationis, vel desiderii sub conditione tollente malitiam ab objecto? Tertio, Quænam ignorantia circa leges, ac præcepta seu tollat, seu minuat culpam? Quarto, Quænam ignorantia, aut error in contractibus illos irritet, sive naturali jure, sive positivo? Quinto De vi, coactione, ac metu excusante a legum, ac votorum observantia. Sexto De Metu, tam juste, quam injuste incusso reddente contractus sive irritos, sive irritandos. Septimo nonnulla examinabimus de Concupiscentia, seu de passione partis inferioris mentem perturbante, quæ sæpe tollit, aut minuit voluntarium, & subinde malitiam, aut bonitatem moralem auget. Demum quæ ad essentiam moralem actuum humanorum spectant paucis perstringemus; Supersedendo a quæstionibus de Conscientia, seu ultimo rationis dictamine, quæ proxima regula est humanarum actionum, cui se conformando voluntas dicitur moraliter bona, & difformando mala; cum de ea in Opusculo insequenti de conscientia dubia, & scrupulosa, Deo dante, agendum sit.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Voluntarium, ac Liberum?

Discutienda est primo Voluntarii, ac Liberi definitio. Deinde multiplex eorundem acceptio. Tertio satisfaciendum nonnullis hac de re quæsitis ad praxim necessariis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quomodo definiatur Voluntarium, quomodo Liberum?

I. *Definitur voluntarium, & violentum.*
II. *Definitur liberum libertate a coactione, & libertate indifferentiæ.*
III. *Pura omissio quomodo dicatur voluntaria, & libera?*

I. Voluntarium ex Philosopho 3. Ethic. 1. dicitur, *Cujus principium est in agente cognoscente singula*. Quare tria requiruntur, ut actio sit voluntaria. Primum est, quod sit a principio intrinseco: nam Violentum est, *quod fit ab extrinseco nullam vim conferente passo*. Secundum, quod procedat a principio cognoscente, eo quod voluntas non feratur in incognitum. Tertium, quod cognoscantur singula, idest ea omnia, ex quibus operationis substantia, tamquam ex objecto dependet: Sic, ut Paricidium, v. g. sit voluntarium debet esse a principio intrinseco cognoscente, non solum quod qui occiditur sit homo, sed etiam quod sit pater; aliter non erit voluntarium in quantum parricidium est.

Voluntarium sic definitum opponitur, tam Violento, quod scilicet procedit ab extrinseco, quam Naturali, quod scilicet fit a natura, absque cognitione ejus, quod geritur, ut sunt operationes vegetativæ, quæ licet sint a principio intrinseco, non sunt tamen voluntariæ, sed naturales: Coincidit tamen cum Spontaneo, ut notat D. Th. 1. 2. quæst. 6. art. 2., quod reperitur etiam in Brutis; nam Bruta etiam operantur cum cognitione ejus, quod agunt, quamvis careant cognitione perfecta, & libero arbitrio. Quare voluntarium presse sumptum in quantum est proprium Homini definitur, *Quod procedit a voluntate*; in quo sensu non competit Brutis ratio voluntarii, quamvis iis competat ratio spontanei.

Porro differt Voluntarium a Volito, ut notat Cajet. quæst. 154. art. 5., quia volitum comparatur ad voluntatem tanquam objectum ad suam potentiam; voluntarium vero ad voluntatem comparatur tanquam effectus ad suam causam; unde solus actus voluntatis, & omissio dicuntur voluntaria, quamvis possint esse etiam Volita actu reflexo.

II. Liberum vero definitur: *Quod procedit a Potentia, quæ positis omnibus requisitis ad agendum potest agere, & non agere*. Ita communiter cum Suar. lib. 1. de Gratia cap. 3.; quod colligitur tum ex Scripturis, tum etiam ex Tridentino sess. 6. cap. 5., ubi Libertatem nostram, qua ad Deum convertimur, in eo reponit, quod Deo tangente cor nostrum sua gratia, possimus illi assentiri, si velimus, aut dissentire; quod est posse agere vel non agere. Quicquid sit utrum hoc intelligendum sit in sensu composito, an diviso? Quod fuse discutit contra Thomistas Coninch disp. 2. de actibus humanis dub. 3.

Hæretici docentes cum Calvino, & Luthero, Gratiam efficacem non tollere libertatem, quamvis necessitet ad assensum, duplicem libertatem distinguunt, alteram *a coactione*, quæ habetur, quoties voluntas non coacte, sed spontanee, & cum inclinatione fertur ad unam partem contradictionis; etiamsi nequeat ad alteram ferri; Alteram vero libertatem vocant a *necessitate*, seu indifferentiæ, quæ habetur, quoties voluntas indifferenter se habet ad utramque partem contradictionis. Verum libertatem a coactione non esse dicendam libertatem ad meritum, vel demeritum sufficientem in natuta lapsa, constat ex Tridentino adducto: Unde Innoc. X., & Alex. VII. proscripserunt tertiam illam Jansenii thesim, in qua dicitur: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione*.

III. Ex dictis sequitur primo, differre voluntarium a libero, tamquam superius ab inferiori: etenim omne liberum est voluntarium, sed non e converso; amor enim v. gr. in Patria, & amor, quo Deus semetipsum diligit, est plene voluntarius, non tamen liber, nisi tantum a coactione. Notandum tamen sæpe confundi Voluntarium cum Libero, ita ut nomine actus voluntarii significetur actus liber, & juxta hunc sensum locutus est August. lib. 1. de vera Relig. c. 14., ubi dixit: *Usque adeo peccatum est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*, hoc est liberum: & in hoc eodem sensu a nobis deinceps usurpabitur.

Sequitur secundo, definitionem Voluntarii posse etiam applicari puræ omissioni liberæ; hæc enim quatenus libera procedit a principio intrinseco cognoscente singula, & in omissionem influente, non quidem positive, sed privative, ut notat D. Th. loco laudato art. 2.: Voluntas enim, quæ est causa positiva suæ operationis, dici potest causa privativa suæ omissionis; Causa enim dicitur id, per quod respondemus interroganti propter quid res sit; interroganti autem propter quid sit Omissio, respondemus, quia voluntas libere se determinavit ad non operandum, seu ad omittendum.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Voluntarium?

I. *Quid sit directe, quid indirecte voluntarium, seu liberum?*
II. *Explicatur Voluntarium elicitum, ac imperatum.*
III. *Item expressum, & tacitum.*
IV. *Voluntarium voluntate propria, & aliena.*
V. *Necnon actuale, virtuale, & habituale.*

I.

I. Dividitur primo voluntarium, prout confunditur cum libero: Aliud enim est voluntarium directe, quod scilicet est voluntarium in se: puta si quis occidat hominem advertens esse hominem, hujusmodi homicidium dicitur directe voluntarium: Aliud est voluntarium indirecte, seu in alio, tanquam in causa, soletque appellari voluntarium interpretative quod dupliciter contingit. Primo, si quis ponat actionem, ex qua prævidetur secuturus aliquis effectus: V. g. si sciens te in ebrietate facile alios occisurum, adhuc inebrieris, homicidium inde secutum erit tibi indirecte voluntarium. Secundo, si quis effectum aliquem impedire possit, & impedire omittat: V. g. si videns mergi navem ommittat submersionem impedire, cum possit, submersio censetur voluntaria indirecte.

II. Dividitur secundo voluntarium in Elicitum; quod scilicet libera voluntas elicit immediate; & Imperatum, quod non alicitur ab ipsa voluntate, sed ab aliis potentiis, quibus voluntas imperat, ut sunt actus loquendi, legendi &c: imo ipse actus intellectus potest a voluntate imperari, dummodo non sit prima cognitio, cum voluntas ferri nequeat in incognitum; potestque etiam unus actus voluntatis alium imperare, ut quando posita intentione finis imperatur electio medii. Quicquid sit, an circa actus a voluntate sibimet imperatos exerceatur immediata libertas; in quo disputant Doctores.

III. Dividitur tertio in Expressum, quod scilicet verbis, aut aliis signis ad id institutis exprimitur, & Tacitum, quod scilicet ex solo pacto, aut conventione perpensis circumstantiis prudenter colligitur. Hinc est regula illa quarta Juris in sexto: *Qui tacet consentire videtur*; quando scilicet taciturnitas aliis adminiculis adjuvatur, ut notat Azor. tom. 1. lib. 1. cap. 4., aliter militabit regula quadragesima quarta dicens, *Is, qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur*. Unde Doctores apud Sanch. l. 1. disp. 5. varias tradunt conjecturas, quibus tacentis consensus aut dissensus præsumi possit; videlicet si quid fiat in favorem tacentis, taciturnitas habetur pro consensu; sicut etiam si facile contradicere possit, & non contradicat: secus vero si quid fiat in ejus incommodum, & contradicere non debeat, aut non possit sine periculo, vel scandalo.

IV. Dividitur quarto in Voluntarium voluntate propria, quod scilicet a singulis elicitur, & imperatur, & Voluntarium voluntate aliena; sic actus voluntarius Tutoris censetur esse voluntarius Pupilli, voluntas Patris censetur voluntas Filii impuberis; & voluntas nostri Protoparentis censetur esse voluntas Posterorum.

V. Denique dividitur in Actuale, Virtuale, & Habituale: dicitur voluntarium Actuale, quando quis aliquid facit, advertens ad id, quod agit; dicitur Virtuale, quando quis ex vi actus præcedentis aliquid facit, non advertens hic & nunc ad id, quod agit, v. g. si Confessarius distractus absolvat ex vi voluntatis antecedentis, qua ad Confessionem audiendam accessit. Dicitur Habituale, quando quis aliquid facit neque sciens id, quod agit, neque id faciens ex vi alicujus actus præcedentis, ita tamen dispositus, ut si sciret, adhuc faceret ex vi actus præcedentis, non amplius perseverantis moraliter, sed interrupti v. gr. per somnum, ebrietatem, amentiam; ut si quis post somnum non advertens occidat inimicum, quem olim vigilans volebat occidere. Hoc tamen voluntarium habituale non sufficit ad tunc peccandum, nec ad valorem contractuum, nec ad sacramenta conferenda, licet satis sit ad quædam sacramenta suscipienda.

Hinc potest amens, qui aliquando habuit usum rationis, voluitque christiane mori, recipere in articulo mortis Eucharistiam (si citra irreverentiam possit) & Extremam unctionem; potest etiam baptizari, & absolvi, dum caret usu rationis, qui Baptismum, aut absolutionem petiit ante quam sensibus destitueretur, quia in his Sacramentis recipiendis satis est habitualis intentio: Non potest tamen valide matrimonium, verbi gratia, contrahere, absolvere, consecrare; quia in his requiritur intentio virtualis. Et ratio disparitatis est, tum quia suscipiens Sacramenta habet se passive, conferens vero active; major autem perfectio requiritur in agente, quam in patiente; tum etiam quia quamvis sapientem deceat aliquando dispensare bona amentibus, nunquam tamen decet ea dispensare per amentes; unde quamvis Christus Dominus voluerit quædam Sacramenta conferri amentibus, & cum sola aut interpretativa, si nunquam rationis usum habuerint, aut cum habituali intentione, si rationis usum præhabuerint, nulla tamen Sacramenta voluit conferri per amentes, & sine intentione saltem virtuali, & humana.

ARTICULUS III.

Satisfit quibusdam quæsitis ad praxim necessariis.

I. Num requiratur ad voluntarium directe non solum expressa scientia, sed etiam expressa voluntas?

II. Utrum dicatur indirecte voluntarius effectus prævisus in causa sua, si non detur obligatio illam vitandi?

III. Qui pravo suo exemplo alium inducit ad furandum, num teneatur ad restitutionem?

IV. Quid si Confessarius culpabiliter omittat Pœnitentem monere de restitutione facienda?

V. Num peccet contra justitiam Gubernator, inducens suo exemplo alios ad furandum?

I. Circa primam divisionem Voluntarii, seu Liberi, dubitatur primo, an ad Voluntarium directe requiratur non solum expressa scientia, sed etiam expressa voluntas. v. g. si quis propinet venenum, advertens solum esse mortiferum, non tamen intendens mortem, quæritur an homicidium secutum dicatur directe voluntarium, ita ut propter illud incurratur irregularitas proveniens ex homicidio directe voluntario, cujus dispensatio semper excipitur in omnibus privilegiis,

Negant nonnulli apud Vasquez 1. 2. disp. 24 cap. 2.; & ratio videtur esse, quia ut homicidium dicatur directe voluntarium debet esse volitum in se; & per hoc distinguitur a casuali, quod casuale debet esse volitum in sua causa, quod habetur in casu adducto.

Sed præstat sentire cum Avila de censuris p. 7. disput. *6.* sect. 2. Henriquez, Navarrus, Sa, dicentibus homicidium esse directe voluntarium, si sit volitum vel in se, vel in causa adeo propinque, ut sit moraliter impossibile velle illam, & nolle mortem: puta si quis velit mortaliter ferire, venenum propinare &c. Contra vero esse casuale, & indirecte voluntarium, quando est volitum in causa remota, ex qua casu, & veluti per accidens mors sequatur, verb. grat. si quis velit leviter aliquem vulnerare, & deinde non temperarit manum, unde mors præter intentionem secuta est, quamvis cum culpa gravi.

II. Dubitatur secundo, Utrum dicatur indirecte voluntarius eventus proveniens ex aliqua causa positiva, ex qua prævidetur futurus, etiamsi nullum sit præceptum, ne fiat tale opus positivum, in quo ille eventus prævidetur, verb. grat. si quis audiendo confessiones, vel comedendo temperate prævideat delectationem carnalem, vel aliam spirituum commotionem secuturam, quæritur, an hæc dicatur indirecte voluntaria?

Affirmat Vasquez 1. 2. disp. 24. cap. 3. probatque ex definitione voluntarii, quod est a principio intrinseco cognoscente singula; talis autem delectatio carnalis est a principio intrinseco illam prævidente; ergo est indirecte voluntaria. Etenim voluntas, dum vult causam, in qua prævidetur eventus futurus, vult pariter eundem eventum *ex lege* p. de *Usus fructus petitione*, & qui vult antecedens, vult consequens inde deductum.

Sanchez vero lib. *9.* disp. 45. putat, effectum prævisum in causa, quam non tenetur quis vitare, non dici indirecte voluntarium; cum non imputetur ad culpam operanti, si causam vitare non teneatur. Hinc peccata non dicuntur Deo voluntaria per hoc, quod prævideantur secutura ex collatione auxilii inefficacis; nec dicitur voluntarium Scandalum Pharisaicum ponenti actionem de se bonam, quamvis prævideatur illud præter intentionem bene operantis secuturum.

Utramque sententiam conciliat Merolla, Franciscus Lugo, Layman, & alii, dicendo dupliciter posse aliquem effectum dici indirecte voluntarium. videlicet physice, seu quasi physice, & moraliter, seu imputative ad culpam: Ut effectus in casu adducto sit voluntarius physice, docent non requiri obligationem vitandi causam; secus vero ut sit voluntarius moraliter.

Dico equidem primo cum Martinonio disp. *9.* de actibus humanis; Effectus prævisus in sua causa libere volita dicitur moraliter, seu imputative ad culpam voluntarius, si detur obligatio vitandi causam. Ratio est, quia si nullum detur præceptum non ponendi causam, in qua effectus prævidetur, sicuti ad culpam non imputatur causa, ita nec effectus. Quare si ex comestione calidorum, verb. grat. prævideatur secutura spirituum commotio, hæc non dicetur imputative ad culpam voluntaria, si non datur obligatio vitandi eam comestionem: Quando tamen ea intentione quis ponit causam, ut sequatur effectus, (v. g. ea intentione comedit calida, ut spirituum commotio consequatur) hæc dicetur voluntaria moraliter, & imputative ad culpam, quia quamvis non teneatur ab ea comestione abstinere, tenetur tamen abstinere a comedendo cum ea intentione, ut talis conspurcatio sequatur. Non est autem mirum, quod possit aliqua citra culpam poni causa, ex qua prævidetur malus effectus secuturus, quin possit ea poni cum hac intentione, quod talis effectus sequatur. Sic potest aliquis indigens mutuo petere illud ab usurario, prævidens, quod ille petiturus sit usuras; non tamen potest ea intentione petere mutuum, ut ille petat usuras. Potest pariter fœmina cum decente ornatu ire ad Ecclesiam, prævidens quod ab aliquibus vage sit concupiscenda, quin possit ea intentione ad Ecclesiam ire, ut ab aliquibus concupiscatur.

Dico secundo: Effectus prævisus in sua causa per se libere volita dicitur indirecte voluntarius, tantum physice, seu quasi physice, si nulla detur obligatio vitandi causam, ut est v. g. commotio spirituum prævisa in comestione calidorum. Ratio est, quia ex lege laudata, Qui vult causam per se, vult effectum ex illa provenientem: Quomodo enim intelligi potest, quod quis velit lethaliter ferire, & non velit etiam occidere? Ergo effectus in sua causa per se prævisus dicitur voluntarius physice, seu quasi physice: Non est tamen moraliter voluntarius, si non detur præceptum non apponendi talem causam, juxta dicta in prima conclusione.

Dico ultimo, effectus prævisus in sua causa per accidens, neque physice, neque moraliter dicitur voluntarius indirecte, si non detur obligatio vitandi causam. Ratio est, quia voluntas relate ad talem effectum neque influit physice, cum solum physice influat in causam, quæ de se non trahit talem effectum: neque influit moraliter; cum non detur obligatio vitandi causam, ex qua provenit.

Hinc peccata creaturarum non dicuntur Deo voluntaria nec physice, nec moraliter; non physice, aut quasi physice, quia prævidentur secutura per accidens ex libertate collata; nec moraliter, quia non tenetur Deus abstinere a conferendo libertatem. Idemque dicas de scandalo Pharisaico.

III. Ex dictis sequitur, quod si Titius suo pravo exemplo moveat Cajum, v. g. ad furandum, hujusmodi furtum sit indirecte voluntarium moraliter Titio, etiamsi per accidens sequatur. Ratio est, quia Titius prævidit Cajum accepturum ansam furandi, & debebat impedire. Notandum tamen, quod quamvis furtum Caji imputetur ad culpam Titio inducenti illum ad furandum pro pravo exemplo, non per hoc Titius tenetur ad restitutionem, ut docent Sanch. lib. 1. cap. *6.* Layman. lib. 2. tract. 3. cap. ult. Bonacina de restitutione disp. 1. q. 2. Ratio est, quia Titius peccavit solum contra charitatem, non contra justitiam; etenim justitia non violatur, nisi quis influat positive in damnum alterius, sive physice, sive moraliter, v. g. consulendo, mandando &c. aut cum quis ex contractu, vel officio tenetur damnum impedire, & non impedit. Titius autem neque influit positive ad furtum, neque ex contractu, aut officio tenetur impedire, ne Cajus furetur; ergo quamvis furtum Caji imputetur Titio, non peccat proinde Titius contra justitiam; unde non tenetur ad restitutionem.

IV. Idemque docent multi de Confessario, qui culpabiliter omittit monere pœnitentem, ut restituat. Docent enim probabiliter, Confessarium hunc ad restitutionem non teneri; quia ex officio non tenetur consulere damno temporali aliorum, sed solum bono spirituali pœnitentis; unde non videtur peccare contra justitiam erga alterum, si omittat culpabiliter monere pœnitentem de restitutione facienda: secus vero si positive dixerit pœnitenti, nul-

nullam habere obligationem restituendi; tunc enim moraliter influeret suo consilio in damnum alterius; unde contra justitiam peccaret, & ad restitutionem teneretur.

V. Utrum autem Princeps, aut Gubernator Reipublicæ, si suo malo exemplo inducat alios ad furandum, peccet solum contra charitatem, an etiam contra justitiam, disputant Doctores. Docent multi apud Bonac. peccare contra justitiam, & consequenter ad restitutionem teneri, quia ex officio suo videntur Principes, & Gubernatores teneri ad impedienda furta, & sic consulere bono temporali subditorum: Sanchez vero probabiliter docet, non teneri ex justitia, seu ex proprio munere facultates subditorum custodire, aut bonum exemplum præbere, cum non sint Pastores: sed solum debere consulere bono pacis, unde si pravo exemplo moveant alios ad furandum, aut aliter damnificandum, ad restitutionem non tenentur.

ARTICULUS IV.

Num dicatur voluntarius, & aperiendus sit in Confessione effectus procedens ex causa libere volita, quando non potest ea amplius evitari?

I. Num effectus peccati clavibus subjiciendus sit, non secus ac peccatum externum?

II. Videtur, quod sic, eo quod sit peccati complementum.

III. Sed peccati effectus non habet amplius rationem peccati, si retractetur voluntas prava, antequam ille sequatur.

IV. Secus vero, si non sit ea revocata; & in tali casu peccati effectus clavibus subjiciendus est.

V. Non tamen, si prava voluntas antecedenter fuerit revocata, & simul præcesserit etiam Sacramentalis Confessio.

VI. Quid si Confessio non præcesserit?

VII. Utrum irregularitas, aut censura incurratur effectu secuto post voluntatem prava retractatam?

I. DUbitatur acriter, num effectus, vel omissio procedens ex actione voluntaria, quando non potest amplius impediri, ita sit indirecte voluntarius, & ad culpam imputabilis, ut debeat necessario subjici clavibus, perinde ac actus externi peccaminosi. E. g. si quis propinavit venenum, ita ut non possit amplius mors impediri, quæritur, an mors deinde secuta ita sit effectus peccati volitus in causa, ut sit novum peccatum aperiendum in Confessione? Pariter si quis culpabiliter neglexit scire obligationem sui muneris, v. g. an hodie sit audiendum Sacrum? & adveniente tempore audiendi non possit illud audire, quæritur, utrum hoc sit novum peccatum confitendum? Sic si prævideas homicidium in ebrietate patrandum, satis ne erit in Confessione aperire ebrietatem, cum ea prævisione, aut etiam intentione factam, an debeat etiam aperiri ipse effectus secutus? Ad eum modum quo necessario aperiendi sunt in Confessione actus externi, præter internos, quamvis externi actus nullam addant malitiam internis; sicuti revera isti effectus contingentes eo tempore, quo vitari non possunt, nullam addunt malitiam peccato præsupposito: Cum enim nullam addant denuo libertatem, quæ fundamentum est bonitatis, & malitiæ moralis, nullam possunt addere malitiam, ut docet D. Thom. in 4. dist. 10. quæst. 2. Suar. Vasq. Sanch. lib. 1. cap. 16. Recolimus hic paucis, quæ in tractatu de Pœnitentia satis diximus.

II. Prima itaque sententia cum Sanchez loco laudato, & lib. 9. de Matr. disp. 45. Palao tract. 2. disp. 1. punct. 3. putat, eodem modo aperiendum in Confessione effectum secutum ex causa voluntaria, pro quando impediri non potest, ac actus exteriores. Quare, inquit Soto in 4. dist. 12. q. 1. si quis percusserit graviter Petrum, & statim post percussionem hanc confessus sit, morte deinde secuta ex percussione, tenetur iterum homicidium confiteri. Ratio est, tum quia hujusmodi effectus est veluti complementum peccati antecedentis, ut actus externus est complementum interni, atque adeo tanquam peccatum confitendum est; tum etiam quia in foro externo punitur v. g. per Irregularitatem, per Censuras &c. ergo signum est, esse peccatum, atque adeo confitendum.

Secunda sententia docet, hujusmodi effectus pro quando vitari non possunt non esse peccata in se, sed in causa, & proinde vocari peccata, ut vocantur peccata actus externi peccaminosi, sed esse effectus peccati; unde satis est in Confessione causam tantum illorum aperire. Ita Vasq. Bonacina, de legibus disp 2. quæst. 4. part. 4. Azor. & alii Dian. part. 1. tract. 1. resol. 64.: Et ratio est, quia nemo dicitur peccare, quando peccatum impediri non potest, aliter peccatum non esset liberum; ergo hujusmodi effectus pro quando vitari non possunt nullatenus habent rationem peccati, atque adeo non sunt in Confessione aperiendi. Intantum actus externi, licet non habeant propriam, & formalem libertatem, sunt tamen vere peccata in Confessione aperienda, quia pro quando ponuntur vitari possunt, & sic libere ponuntur: At effectus isti pro quando ponuntur vitari non possunt; ergo nullatenus induunt rationem peccati in Confessione aperiendi.

III. Dico equidem primo cum Sanch. loc. cit. de Matrim. Henriquez. Becan. Salas, & aliis apud Dian. loco laudato, si voluntas prava, verbi gratia, patrandi homicidium veneno propinato, antequam sequatur effectus, retractetur, hujusmodi effectus non habet rationem peccati.

Probatur, quia effectus hic non est voluntarius; ergo non habet rationem peccati, quod essentialiter debet esse voluntarium, ac liberum. Antecedens probatur: causa præterita, puta venenum propinatum, quando sequitur homicidium, non erit amplius voluntaria, cum fuerit revocata per Pœnitentiam; quamvis ergo effectus procedat ex causa olim voluntaria, & voluntarie posita, non oritur tamen hic, & nunc ex causa voluntaria, atque adeo non est voluntarius.

Confirmatur: Qui mandat Procuratori, ut nomine suo matrimonium contrahat, si revocet mandatum, & antequam ad notitiam Procuratoris ea revocatio perveniat, hic contrahat matrimonium nomine Principalis, profecto hic contractus, quamvis processerit a causa voluntarie olim posita, voluntarius tamen non est; unde matrimonium non est validum; ergo idem in casu: potest enim

enim causa in ratione voluntarii revocari, quamvis effectus inde sequatur naturaliter, perinde ac si revocata non esset.

IV. Dico secundo, si voluntas ista prava non fuerit revocata, antequam sequatur effectus, puta homicidium post venenum propinatum, in tali casu homicidium dicitur vere peccatum externum, aut saltem complementum peccati externi participans malitiam per extrinsecam denominationem a causa præterita. Ita Doctores citati cum Palao, Suar., Becano, & aliis. Probatur, quia ad rationem peccati non requiritur actualis libertas, sed satis est, quod maneat moraliter liberum, vel habitualiter, quatenus non fuit retractatum, vel virtualiter, quatenus voluntas tunc operatur per causam appositam; sed totum hoc habet homicidium, quando post propinatum venenum non est retractata prava voluntas; ergo hujusmodi homicidium habet rationem peccati externi. Major probatur, quia in communi hominum sensu dicitur v. g. voluntarie omisisse recitationem Horarum, qui projicit Breviarium, etiamsi deinde non possit eas recitare: Sic voluntarie dicitur peccare peccato somni vetiti, qui contra præceptum sui domini ad dormiendum libere se composuit, etiamsi deinde non possit amplius vigilare; ergo ejusmodi effectus habet vere rationem peccati per malitiam extrinsece derivatam a causa voluntaria moraliter perseverante in ratione voluntarii per non retractationem.

Confirmatur, quia projiciens Breviarium, ne possit Horas recitare, non incurrit Censuram, (si forte ea esset imposita propter omissionem recitationis Horarum) quando Breviarium projicit, sed circa mediam noctem, quando peccatum talis omissionis consummatur. Atqui Censura non incurritur, nisi ponatur peccatum; ergo omissio illa recitationis Horarum, quamvis necessaria post projectionem Breviarii, adhuc est peccaminosa, & voluntaria in sua causa, perseverante moraliter ejus voluntarietate.

Dico tertio cum Sanchez, Palao, Salas: Ejusmodi effectus promanantes a voluntate prava non retractata subjiciendi sunt clavibus, non secus ac peccata externa. Probatur, quia aliter universim non teneremur confiteri v. g. aut mortem ex propinato veneno secutam, aut pollutionem, vel alium effectum contra castitatem, sed satis esset dicere, datam esse culpabilem causam morti, aut pollutioni, vel aliis effectibus adversus castitatem; & similiter qui fornicatus est, posset duntaxat dicere, se habuisse tactus impudicos cum soluta ex intentione consummandi copulam: Quod tamen est contra sensum fidelium, & Doctorum: Quidquid in contrarium videatur docere Vasquez 1. 2. disp. 94. cap. 4. n. 16.

Confirmatur, quia si quis emissa sagitta interficeret hominem, posset solum confiteri jaculationem sagittæ animo occidendi, & præscindere, imo etiam citra mortale negare homicidium, quod tamen nemo dixerit; Et ratio a priori est, quia, ut aliquid in se vere, & formaliter sit peccatum, non est necesse, quod sit in se, & directe volitum, sed sufficit, si saltem indirecte, & in sua causa sit voluntarium.

V. Dico quarto, effectus orti a prava voluntate jam retractata non sunt iterum clavibus subjiciendi post Confessionem de causa illis data. Ita Fagund. Salas, & alii apud Dian. par. 3. tract. 6. resol. 52.

Probatur: nam, ut ostendimus in 1. conclusione, hujusmodi effectus non habent rationem peccati, aut voluntarii, & consequenter non habent malitiam in confessione aperiendam; quæ enim malitia præcessit in causa, jam in confessione explicata fuit; effectus vero, qui consequitur retractationem, non dicitur voluntarius, quia indirecte volitus in sua causa; nam non perseverat, nec communicatur effectui voluntarietas.

VI. Utrum autem clavibus subjiciendi sint hujusmodi effectus, si non præcessit Confessio, sed sola interna revocatio pravæ voluntatis? Negant Azor. & Palaus, quod probabile putat Sanch. lib. 1. cap. 16. n. 46. quia, cum hujusmodi effectus non sint voluntarii, non habent rationem peccati, & consequenter non continent malitiam in Confessione aperiendam: Conveniunt tamen Doctores, tutius esse eos aperire, ut ex illis clarius elucescat prior culpa. Imo Bonac. de leg. disp. 2. quæst. 4. punct. 4. num. 36. & alii communius docent, confitendos omnino esse, quando ad illos consequitur irregularitas, censura, aut obligatio restituendi, quæ solum actum externum consummatum comitantur.

VII. Non est tamen improbabile, quod docet Henriquez lib. 5. cap. 3. num. 3. lit. A. Tabiena, & alii, nullam censuram effectu secuto incurri, quando voluntas prava antecedenter fuit retractata; etenim cum Censura sit pœna medicinalis ordinata ad infringendam contumaciam, si voluntas prava, antequam effectus sequatur, retractetur, jam non habetur deinde contumacia; unde nec incurritur censura; Et sane si post incursam censuram tollatur contumacia per Pœnitentiam, censura debet a superiore tolli; ergo si antequam sequatur effectus, contumacia tollatur, censura non debet incurri.

Dices cum Meroll. disp. 2. cap. 1. num. 5. Si Presbyter iter faciens projiciat Breviarium, ne possit recitare horas per decem dies sui itineris, & post quinque dies eum pœniteat projectionis, & statim confiteatur peccatum suum, dicens: Projeci Breviarium animo omittendi horas per dies decem, sed solum quinque diebus omisi; juxta hanc sententiam non teneretur deinde confiteri, quod per alios quinque dies omiserit recitationem horarum: hoc tamen videtur absurdum, quia revera per decem dies recitationem omisit, & solum confiteretur omissionem quinque dierum.

Sed Sotus, Medina, Sanch. Henriq. fatentur, non teneri hunc confiteri alias omissiones, utpote non voluntarias. Quare negatur esse absurdum eo pacto confiteri omissiones illas: Sicut enim juxta doctrinam traditam, qui propinavit venenum, & antequam mors sequatur confitetur peccatum suum, non tenetur deinde iterum confiteri homicidium post mortem secutam; ita in casu adducto non sunt necessario aperiendæ in confessione omissiones horarum in quinque ultimis diebus, si post quinque primos illos dies facta fuit confessio de projectione Breviarii, cum animo omittendi horarum recitationem per decem dies, ita ut de facto tunc temporis per quinque dies jam illam omiserit.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Utrum peccatum ex genere ſuo mortale evadat veniale ex defectu voluntarii?

Ubi plurima de Delectationibus Moroſis.

PEccatum, quod ex Auguſtino contra Fauſtum eſt *Dictum, factum, concupitum contra legem æternam*, ſeu contra voluntatem divinam, aliud eſt ex genere ſuo mortale, quod ſcilicet ſecundum ſe graviter lædit charitatem Dei, vel Proximi, ut ſunt peccata contra virtutes Theologales, contra juſtitiam, contra caſtitatem &c. Aliud eſt ex genere ſuo veniale, quod ſcilicet ſecundum ſe leviter lædit charitatem erga ſe ipſum, aut erga proximum, ut riſus, eſus, potus immoderatus, mendacium jocoſum, verbum otioſum, vanæ cogitationes, aut deſideria &c. Peccatum, quod eſt ex genere ſuo veniale, poteſt multipliciter evadere mortale; videlicet, vel ratione finis mortalis adjuncti; (ut ſi quis mentiatur ad mœchandum) vel ſi committatur ex contemptu, non quidem legislatoris humani, ſed ipſius legis, & poteſtatis præcipiendi, vel ratione periculi incidendi in mortale; aut ratione gravis ſcandali, vel ratione conſcientiæ erroneæ; ut ſi quis putet eſſe mortale proferre mendacium jocoſum &c.

Pariformiter peccatum ex genere ſuo mortale poteſt multipliciter fieri per accidens veniale, vel ratione ignorantiæ, ut ſi quis invincibiliter putet eſſe veniale perjurium in re levi; vel ratione parvitatis materiæ; ſi tamen in eo genere detur materiæ parvitas; nam hæc non excuſat, quando integra irreverentiæ, & offenſionis ratio reperitur tam in materia parva, quam in magna, ut accidit in peccatis, quæ immediate contra Deum verſantur, puta in odio, & contemptu Dei, in infidelitate, perjurio aſſertorio, divinatione ſuperſtitioſa &c. ſicut etiam in ſimonia juris naturalis, & in re venerea.

Illud hic inquirimus, an poſſit peccatum ex genere ſuo mortale evadere per accidens veniale, ex defectu voluntarii. Primo ſcilicet ex libertate imperfecta, vel quia intellectus non plene advertit ad malitiam objecti, vel quia voluntas non plene conſentit in illam: Triplex enim in voluntate noſtra reperitur motus, ut notant communiter cum Almayno, & Soto; quidam dicitur motus primo primus, qui nullatenus eſt liber; quidam vero ſecundo primus, qui liber eſt, ſed libertate imperfecta, ac tenui; quidam demum perfectus, qui plene liber eſt; quare de motibus ſecundo primis inſtituitur quæſtio, an vacent mortali culpa ex defectu plenæ libertatis, etiam ſi malitia objectiva de ſe ſit gravis? Secundo quæritur, an peccatum de ſe grave poſſit eſſe veniale, præciſa ratione delectationis moroſæ, nullatenus pertingentis ad deſiderium, aut ad opus? Tertio, an ſaltem ratione delectationis, ac deſiderii tendentis in objectum malum, ſub conditione tollente malitiam ipſius; ut ſi quis dicat vellem furari, aut fornicari, ſi liceret?

ARTICULUS I.

An peccatum ex genere ſuo mortale evadere poſſit veniale ex defectu voluntarii, ſeu plenæ libertatis.

I. *Videtur peccatum de ſe mortale non poſſe, aut ex defectu plenæ deliberationis in intellectu, aut ex defectu perfecti conſenſus in voluntate per accidens evadere veniale.*

II. *Sed dicendum id non repugnare, imo paſſim accidere, præſertim in ſemidormientibus.*

III. *Diluuntur objecta.*

IV. *Quid ſi dubitetur de plena deliberatione, aut perfecto conſenſu?*

V. *Utrum ex oppoſito peccatnm de ſe veniale ratione conuetudinis poſſit in mortale tranſire?*

I. NEgant Palud., & alii apud Io: Sanch. diſp. 18. putantes, nullum hujuſmodi peccatum eſſe veniale ex ſemiplena deliberatione, ſed peccatum de ſe mortale ſemper vel eſſe mortale, vel nullum. Primo, quia committens v. g. homicidium ex ſemiplena deliberatione, vel potuit plene dtliberare, vel non; ſi potuit, peccat mortaliter non deliberando; ſi non potuit, ne venialiter quidem peccat patrando homicidium; quia Deus non ligat ſuis legibus ſemihominem, ſed hominem integrum, ac plene liberum; ergo ſi non ſit homo ſuarum operationum plene dominus, non peccat, ne venialiter quidem.

Secundo, vel ſemiplena deliberatio excuſat a veniali, quando peccatum eſt de ſe veniale, ut eſt mendacium jocoſum, vel non excuſat; ſi primum, ergo pariter excuſat a mortali quando peccatum eſt de ſe mortale: aliter ſemiplena deliberatio magis favebit veniali, quam mortali, cum illud a propria culpa excuſet, hoc non; ſi ſecundum, ergo neque excuſabit a mortali quando peccatum eſt de ſe mortale, & conſequenter poſita ſemiplena deliberatione peccatum de ſe mortale vel erit mortale, vel nullum.

Tertio, quia non potest explicari, in quo consistat ista semiplena deliberatio; vel enim consistit in remissa cognitione malitiæ; & contra est, quia cum cognitione quantumcumque remissa potest haberi voluntas plene libera; vel consistit in difficultate vitandi culpam; & contra etiam est, quia assueti culpis maximam habent difficultatem vitandi peccatum, & tamen mortaliter peccant.

II. Dicendum tamen cum Sanch. lib. 1. cap. 1. Vasquez disp. 107. cap. 4. Palao, & aliis communiter, peccatum de se mortale evadere veniale, tam ex imperfecta cognitione intellectus, quam ex imperfecto consensu & deliberatione voluntatis. Ratio est, quia cum mortale divinam amicitiam dissolvat, & reatum pœnæ æternæ inducat, non est credendum illud contrahi, ac tam diro supplicio hominem propter illud puniri a Deo clementissimo, sine plena mentis deliberatione, ac perfecto voluntatis consensu. Et ratio ulterior est, quia sicut ad rationem peccati essentialiter requiritur libertas, ita ad rationem peccati mortalis, quod propriissime peccatum est, requiritur voluntas plena, ac perfecta; & consequenter, quando in semidormientibus, aut etiam in plene vigilantibus alio distractis tenuis, ac confusa habetur mentis consideratio ad malitiam peccati, tunc lethalis culpa non contrahitur.

III. Ad primam rationem in contrarium respondetur, committentem homicidium, cum semiplena deliberatione, non posse plene deliberare, sed non proinde ab omni peccato excusari; solum excusatur a mortali, cum ad veniale sufficiat deliberatio semiplena: Deus enim homines libertate utentes suis præceptis ligat, ita tamen, ut si libertas sit semiplena, solum venialis culpa contrahatur.

Ad secundam; semiplena deliberatio sicut excusat a mortali, redditque illud veniale, ita excusat aliquatenus a veniali, reddendo illud inter venialia levissimum; non tamen ab omni omnino culpa excusat, quia ad declinandam quamcumque culpam in amplexu mali, debet homo simpliciter libertate carere, quod non contingit, quando habetur semiplena deliberatio.

Ad tertiam; hæc semiplena deliberatio non consistit aut in difficultate vitandi peccatum, aut in cognitione malitiæ remissa, sed in cognitione malitiæ confusa, ac tenui, qua homo non redditur plene liber, sed similis semidormienti, ac semiebrio.

IV. Quando autem dubitatur de consensu, num fuerit plenus, an semiplenus, ex variis conjecturis discerni potest; puta ex peccantis ætate, proposito, moribus, &c. Quod si adhuc dubium perseveret, sub eo dubio peccatum in confessione aperiendum est, ut explicetur, prout est in conscientia. Quicquid sit, an peccatum mere negative, seu suspensive dubium sit materia necessaria confessionis? Qua de re fuse in cursu Theologico part. 8. disp. 4. qu. 3. n. 10.

V. Posset hic inquiri, num ex opposito possit peccatum de se veniale in mortale transire, ratione consuetudinis? videtur enim, quod sic, teste August. tr. 1. in Epist. D. Jo: ubi ait; *Multa peccata levia faciunt unum grande; multæ guttæ implent flumen, multa grana faciunt massam.* Idemque docent D. Antonin. 2. p. tit. 9. c. 3. & alii. Et ratio videtur esse, quia consuetudo peccandi venialiter fert legis contemptum, qui non vacat culpa lethali.

Sed communissime id negant apud Sanch. lib. 1. cap. 5. Etenim ex D. Th. 2. 2. q. 186. art. 9. non habetur contemptus, quando ex malitia, aut ex prava consuetudine præceptum violatur; sed solum quando contemptus præcepti est causa, cur præceptum violetur, videlicet quando quis præceptum violat, quia præcepium est, seu quia ipsi præcepto, aut superiori præcipienti renuit subjici. Solum itaque pro foro externo, ut notat Navarr. consuetudo peccandi multum facit ad contemptum præsumendum. Tunc autem verum est, quod consuetudo peccandi leviter ferat mortale, quando quis ex tali consuetudine exponit se periculo proximo peccandi graviter, juxta illud Eccles. 19. *qui spernit modica, paulatim decidet*, & in hoc sensu loquitur August. loco laudato. Propterea communiter docent apud eundem Sanch. quod propositum committendi quodcunque veniale occurrat, & solum abstinendi a mortali, sit culpa gravis, præcise ob periculum proximum labendi in mortale vi talis propositi. Immo etiam propositum committendi quodvis veniale in aliqua determinata materia, puta in materia luxuriæ, quæ de se fert lubricitatem ob periculum proximum labendi in mortale, censetur culpa gravis. In alio pariter sensu ex venialibus iteratis potest committi mortale; quando scilicet materia levis, ratione cujus transgressio est levis, per multas iterationes coalescit in unam gravem sufficientem ad peccandum lethaliter, ut accidit in furtulis iteratis, & quando quis diebus esurialibus sæpius modicum quid comedit, ex thesi 29. proscripta ab Alex. VII. Quomodo autem, & quando id accidat, vide quæ fuse habentur in hujus thesis expositione in codice Thesium damnatarum, ubi assignatur regula ad dignoscendum, quando materiæ leves in unam notabilem coalescunt.

ARTICULUS II.

An delectatio morosa de objecto turpi secundum se pertingat ad mortale.

I. Quid interest inter desiderium objecti pravum, & simplicem ejus complacentiam?

II. Delectatio morosa alia est de re turpi, alia de cogitatione rei turpis, & hæc potest non esse culpabilis.

III. Delectatio isthæc de objecto formaliter pravo procul dubio est peccaminosa: dubitatur tamen, an vacet gravi culpa, si ea sit de objecto materialiter pravo?

IV. Delectatio deliberate quæsita in re venerea excludit parvitatem materiæ in solutis.

V. Discutitur, num etiam in Sponsis? num in Viduis, num in Conjugibus, quando sunt absentes?

VI. Delectatio morosa videtur non desumere specificam diversitatem a diversitate objecti, sicut desumit desiderium.

VII. Si delectatio morosa sit de objecto jure tantum positivo prohibito, poterit vacare culpa gravi: Secus vero si sit de objecto prohibito jure naturali, si nullatenus a malitia denudari possit?

VIII. Con-

VIII. Conciliantur variæ hac in re Doctorum sententiæ.

I. DUplex est nostræ voluntatis affectio, altera dicitur desiderium, seu volitio efficax consequendi quod delectat, & fugiendi quod displicet; & hujusmodi desiderium est ejusdem omnino malitiæ cum opere volito; eo quod exterior executio, quæ intenditur, non possit a sua malitia, & ab omnibus suis circumstantiis sejungi. Hinc dicitur Matth. 5. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Sicut enim quando desideratur objectum turpe quoad ejus substantiam, contrahitur malitia propria talis objecti, v. gr. si desideretur furtum, peccatur contra Justitiam: ita si desideretur idem objectum sub circumstantia turpi, quæ adversatur alteri virtuti, contrahitur malitia talis circumstantiæ concupitæ, unde si desideretur furtum sacrilegum, peccatur tum contra justitiam, tum etiam contra Religionem. Altera voluntatis affectio dicitur Simplex complacentia boni, vel displicentia mali, absque desiderio executionis; & hæc dicitur delectatio morosa; non a mora temporis, cum possit in instanti ea haberi, sed a mora rationis; quatenus voluntas post plene cognitam talis affectus malitiam, adhuc illam plena libertate admittit.

II. Porro delectatio isthæc morosa vel potest esse de cognitione rei, v. g. turpis, vel de ipsa re turpi. Si sit de ipsa re turpi procedens ex ejus consideratione, & affectu, procul dubio culpabilis est: Sin autem delectatio sit solum de cognitionione rei turpis, potest non esse peccaminosa; sicut citra culpam delectari possumus de ipsa narratione, vel lectione præliorum, hæresum, incantationum, absque ullo affectu ad res ipsas; Nec peccat, qui delectatur de notitia, quam studendo acquirit de gravitate malitiæ, quæ est in actibus luxuriæ, vindictæ, &c. Et ratio a priori est, quia cognoscere rem malam non est malum, cum id competat Deo; ergo nec delectari de hujusmodi cognitione; imo talis delectatio erit honesta, si finem honestum habeat; erit vero venialis, si procedat a cognitione otiosa, aut curiosa; erit etiam sæpe mortalis, si conjungatur cum periculo delectationis morosæ circa rem ipsam turpem, atque adeo cum periculo peccandi graviter; Idemque dicas, si quis delectatur de modo quodam mirabili, aut artificioso pravis objectis adjuncto; ut si quis delectatur de fortitudine, dexteritate, ingenio, quæ pravis actionibus adjunguntur; potest enim delectatio nullatenus terminari ad ipsa objecta prava: Sicuti quando videmus aliquem labentem, ridere solemus, etiam si graviter ille sit læsus, quia non de malo proximi, sed de modo cadendi lætamur. Ad discernendum tamen, utrum delectatio morosa sit de re ipsa turpi, an vero de cogitatione illius, aut de artificio, ingenio &c. variæ conjecturæ adducuntur a Sanch. lib. 1. cap. 2., Palao tract. 2. disp. 2. & aliis; Præcipua est, si simile piarum rerum artificium, aut cognitio, & cogitatio non delectet, aut si quis ad rem ipsam valde afficiatur.

III. Notandum denique, delectationem de re ipsa cognita aliquando esse de objecto formaliter pravo, aliquando vero de objecto materialiter malo. Dicitur esse de objecto pravo formaliter, & qua tali, quando voluntas fertur in objectum sub motivo illicito, v. gr. si quis delectatur de morte hominis quatenus injuste illata, in quo casu procul dubio peccat, qui finit se moveri a motivo pravo. Et quia actus specificatur a suo motivo, ideo tale erit peccatum, quale ejus motivum, unde delectatio de malo proximi, quatenus conducente ad bonum proprium, est actus Invidiæ; delectatio de proximi doloribus, quia illum torquent, est actus crudelitatis; delectari de obscœnis ob delectationem veneream, est luxuria; delectari de peccato, quatenus est Dei offensa, est odium Dei: delectari de eodem, quatenus est transgressio legis, est actus inobedientiæ, &c. De objecto vero materialiter pravo delectamur, quando voluntas fertur in objectum illicitum, sub motivo aut licito, aut indifferenti; ut si quis de morte alicujus delectetur ob bonum inde sibi proveniens, vel si delectetur de furto facto Joanni, ut ab eo tollatur avaritiæ occasio. De hac autem delectatione respiciente objectum materialiter tantum pravum quæritur, an vacet culpa gravi?

Prima sententia docet cum Medina, Valentia, & aliis, omnem delectationem de objecto graviter turpi, sive sit contra jus naturale, sive contra jus positivum, esse peccatum mortale; quia scilicet grave peccatum est conformari per affectum peccato gravi, ut docet D. Thomas 1. 2. q. 74. a. 8.

Secunda sententia cum Martino de Magistris, quam probabilem putat Corduba lib. 1. disp. 23. dub. 11., negat, hujusmodi delectationem etiam in re venerea esse de se mortalem, sed ad summum esse venialem, si motivum habeat otiosum, præscindendo a periculo consentiendi in affectum efficacem. Ratio est, quia quamvis virtus Castitatis omnes motus ad delectationes circa res venereas reprimat, at non videtur reprimere sub mortali delectationes inefficaces, sed solum efficaces, quæ tendunt ad opus.

Tertia sententia cum Lessio l. 4. c. 3. Sanchez l. 1. c. 9. Navarro, & aliis docet, delectationem morosam de objectis graviter prohibitis jure naturali esse mortalem, non vero de prohibitis jure positivo; ut si quis diebus esurialibus delectetur de comestione carnium, qua tali, non qua prohibita.

IV. Dico primo, omnem delectationem deliberate quæsitam circa rem veneream in solutis hominibus esse mortalem, adeo ut non detur in ea parvitas materiæ. Ita Vasquez, Less. Palaus, & alii communiter docentes, oppositam sententiam esse omnino improbabilem, & temerariam.

Probatur, quia delectatio ista sejungi non potest a proximo periculo consentiendi in luxuriam; cum natura sua excitet appetitum sensitivum ad turpes affectus, & commoveat spiritus vitales generationi deservientes, accendatque corpus facibus libidinis; ergo per se est graviter opposita castitati, non minus quam oscula, & amplexus venerei, quos esse mortalia constat ex propositione 40. ab Alexandro VII. proscripta, quæ habet: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.*

V. Hinc sequitur primo, graviter etiam peccare Viduas, si deliberate admittant delectationes venereas de copula præterita, necnon Sponsas, si delectentur de copula futura; tum quia in iis etiam est pro-

proximum periculum consentiendi in luxuriam; tum pariter, quia cum iis non sit licita copula de præsenti, nec licita est delectatio, quæ via est ad copulam, & quædam copulæ inchoatio: Solum Conjugibus, quibus licita est copula, licitum est de ea delectari, quia si licet terminus, nempe copula, licere etiam debet via, & initium viæ, qualis est hujusmodi delectatio. Quod si hæc habeatur, quando non est via ad talem terminum, v. gr. quando Conjuges sunt absentes, dissidium est inter Doctores, num ea sit mortalis? Affirmant Silv., Corduba, Navarr., Vasquez in 1. 2. tom. 1. disp. 173. Azor. lib. 4. cap. 6. dub. 8., quia hic, & nunc talis delectatio ad copulam non ordinatur. Negant vero Reginaldus, Less. Sanch. lib. 9. disp. 44., Gaspar Hurtado de matrim. disp. 10., tum quia delectatio isthæc natura sua odinatur ad copulam, quod videtur sufficere, ut ea non sit graviter illicita; tum etiam quia propter bonum matrimonii sicut excusantur a mortali tactus, & oscula inter Conjuges, absque animo cosumandi copulam, ita hæc delectatio morosa de actu conjugali, etiam si hic, & nunc ad illum non ordinetur. Prior tamen sententia videtur solidior.

Sequitur secundo, nec licere delectari de conspurcatione in somnis habita: Quamvis possimus de ea gaudere propter tentationes sedatas, aut propter sanitatem inde secutam; quia hoc est solum gaudere de bonis ex illa provenientibus, ut notant Bonac. Vasquez. 1. 2. d. 115. Sanch. lib. 1. c. 2.

Sequitur tertio, nec licere delectari de copula illicita, sub conditione, si non esset prohibita; quia hujusmodi delectatio etiam commovet spiritus generationi deservientes; ac libidinem accendit, & exponit hominem proximo periculo consentiendi in luxuriam.

VI. Dubitatur apud Doctores, an delectatio morosa circa rem veneream speciem suam desumat a varietate materiæ, circa quam versatur, ita ut delectatio de copula cum moniali, v. gr. sit sacrilegium, cum conjugata sit adulterium, cum consanguinea sit incestus eo modo, quo omnes fatentur de desiderio. Videntur multi affirmare cum Sanchez lib. 1. cap. 2. num. 11., Suar. tom. 3. de Religione lib. 9. cap. 2., Salas, & aliis apud Meroll. dist. 2. cap. 4. num. 21., quia scilicet delectatio morosa ideo est peccatum, quia versatur circa objectum pravum; ergo pro diversitate specifica objecti diversa est ejus malitia. Probabiliter tamen multi negant cum Vasquez d. 112. c. 2. Azor., Reginal., Palao, Sà, Bonac., Filliuc, & aliis apud Dianam p. 1. tr. 3. res. 48. Nam in tantum consensus efficax, seu desiderium contrahit malitiam omnem circumstantiarum, in quantum tendit ad executionem operis intenti, a qua circumstantiæ non separantur ex parte objecti: At delectatio morosa potest præscindere ex parte actus a circumstantiis; potest enim quis veneree delectari de copula cum Berta conjugata, attingendo illam, quatenus fœmina est, non quatenus conjugata; ergo delectatio morosa potest non contrahere malitiam circumstantiarum, si ab iis præscindat. Unde sequitur in Confessione aperiendas quidem esse circumstantias objecti efficaciter voliti, nec satisfieri dicendo; Concupivi fœminam, quando quis concupivit conjugatam; Contra vero, si quis delectetur de copula cum conjugata, non qua tali, sed qua quædam fœmina est, præscindendo a circumstantia conjugii, satisfit dicendo: Delectatus sum de copula cum fœmina, quam obviam habui, quia cum circumstantia conjugii non sit objectum motivum, non variat speciem delectationis.

Hinc si quis desideret infligere vulnus inimico in loco sacro, tenetur circumstantiam sacrilegii aperire; at si solum delectetur de vulneribus inimico inflictis in loco sacro, sine consideratione loci sacri, peccatum erit solum odii, non sacrilegii, ut notat Less. l. 4. c. 3.: Et qui delectatur de verbis obscœnis, & contumeliosis in alterum prolatis, præcise quia impura sunt, non quia contra proximum, non peccat contra justitiam, sed contra castitatem: secus vero si desideret ea verba proferre, quia desiderium est quidam motus, & progressus ad opus sub iis circumstantiis, sub quibus repræsentatur; Unde eamdem habet malitiam, ac ipsum opus: Delectatio vero speciem sumit solum ab objecto, quod movet ad illam, & quia potest movere objectum ad delectationem præscindendo a circumstantia, quæ etiam repræsentatur, ideo non sumit ab eo malitiam.

VII. Dico secundo: Delectatio morosa de objecto prohibito tantum jure positivo potest vacare culpa mortali, si scilicet proponatur voluntati objectum præscindendo a circumstantia, qua redditur malum: V. gr. potest quis diebus esurialibus delectari de comestione carnium, si præscindatur a circumstantia prohibitionis, quamvis non possit talis comestio desiderari. Ita Less., Vasq., Sanch., & alii communiter: Et constat ex hactenus dictis, quia objectum hoc secundum se non est malum; ergo nequit secundum se consideratum transfundere malitiam in delectationem; Potest autem per intellectum denudari a conditione vitiante; quia sicut ab illo objecto separabilis est prohibitio, ita & malitia; unde potest præscindendo a conditione vitiante repræsentari, & ad delectationem movere, quæ proinde non est de objecto secundum se malo, & a quo in ipsam delectationem malitia transfundatur.

Dico tertio: Quoties objectum jure naturali prohibitum sub nulla circumstantia nudari potest a malitia, (ut est odium Dei, mendacium, perjurium, infidelitas) tunc delectatio morose de tali objecto semper est mortale; si vero possit sub aliqua circumstantia denudari a malitia, ut est homicidium, (quod si fiat in bello justo, aut auctoritate publica, vel in defensione, non est prohibitum) tunc delectatio pura de hostium internecione sub circumstantia, in qua a malitia depuratur, poterit vacare culpa mortali. Prima pars constat ex dictis, quia delectatio contrahit malitiam ab objecto suo pravo, si quatenus pravum est moveat: atqui quando ab objecto denudari non potest ejus malitia, tunc quatenus pravum est, movet, quia quatenus tale est pravum; ergo delectatio de tali objecto semper est peccaminosa.

Secunda pars probatur, quia delectari, v. gr. de hostium internecione, quatenus facta auctoritate publica, est delectari de objecto secundum se bono; ergo quoties delectatio ista non procedit ex odio Proximi, aut non trahit illud, non potest esse graviter peccaminosa. Idcirco enim dicimus, in re venerea quamcumque delectationem deliberate quæsitam esse peccatum mortale, etiamsi quis, v. gr. delectetur de copula cum Berta sub hypothesi,

quod

quod esset Uxor, quia quamvis copula cum Uxore non sit objectum de se malum, quod desiderari non possit sub ea conditione; at delectatio de tali objecto exponit hominem proximo peciculo consentiendi in luxuriam: in exemplo tamen adducto hoc non habetur; ergo delectatio de objecto jure naturæ prohibito sub circumstantia, sub qua non est prohibitum, potest vacare culpa mortali, quod clarius apparebit articulo quarto.

VIII. Ex dictis sequitur, primam sententiam Medinæ, & Valentiæ supra relatam veram esse, quoties delectatio morosa in objectum jure seu naturali, seu positivo prohibitum tendit sub motivo illicito, cui subinde per affectum conformetur. Secunda sententia est vera extra rem veneream in iis objectis, in quibus potest malitia gravis per intellectum separari. Tertia sententia non est universaliter vera relate ad objecta jure naturali prohibita; cum ab iis aliquando separari possit malitia: quod si nomine objecti jure naturali prohibiti veniat objectum sub ea circumstantia, sub qua jure naturali prohibetur, v. gr. homicidium prout commissum contra Dei voluntatem, tunc tertia illa sententia est universim vera, sed voce tenus discrepat a nostra.

ARTICULUS III.

An delectatio morosa de objecto turpi indirecte volita sit etiam culpa lethalis.

I. Dupliciter potest delectatio isthæc morosa esse volita indirecte, aut volendo illam in causa, aut non repellendo.

II. Si primo modo sit indirecte volita, dubitatur, num possit vacare culpa gravi?

III. Sin autem sit indirecte volita per hoc, quod non repellatur, speculative loquendo poterit vacare culpa gravi.

IV. Non tamen practice.

V. Habetur quippe consensus interpretativus in illam, si minus formalis.

VI. Dissolvuntur, quæ in contrarium objectantur.

VII. Quamvis non semper consensus interpretativus in gravitate culpæ æquivaleat formali, æquivalet tamen in casu nostro.

I. HActenus locuti sumus de Voluntario directo, & expresso, quod consistit in positivo voluntatis consensu libero amplectente delectationem ex cogitatione objecti pravi promanantem; dicendum nunc de eadem delectatione indirecte voluntaria, quæ duobus modis contingere potest: Primo, si quis voluntarie, & directe ponat operationem, puta lectionem, aut locutionem, prævidens, aut probabiliter suspicans inde secuturam delectationem de objecto turpi. Secundo, si quis plene advertens ad cogitationem naturaliter subortam de obiecto pravo, & ad delectationem sensitivam inde naturaliter etiam promanantem, illam repellere negligat, aut actu positivo eidem opposito, aut saltem animum ad alia avocando.

II. Et sane si primo modo sit indirecte, & in sua causa volita delectatio de objecto pravo, communiter Doctores distinguunt cum Sanch. lib. 9. d. 46. Vasq. d. 108. c. 3., Corduba, Laymann lib. 1. tr. 3. c. 6., dicendo, quod si actio directe volita, ad quam ea delectatio consurgit, exerceatur ob causam aliquam secundum se honestam, & simul utilem, ac necessariam, v. gr. ad discendum, aut docendum, tunc ne venialis quidem culpa subsit si nullum sit periculum consentiendi in talem delectationem; si vero actio directe volita sit solum vana, & inutilis, ut est, v. gr. collocutio, lectio, aspectus curiosus, tunc habebitur solum culpa venialis, si pariter absit periculum consensus.

III. Circa secundum modum, quo potest esse indirecte voluntaria delectatio morosa de objecto turpi, est gravissima difficultas, num scilicet vacet mortali culpa mere negative se habere in repellenda delectatione sensitiva orta ex cognitatione turpi naturaliter consurgente. Et certe si quis ideo negligat repellere talem cogitationem, ac delectationem, quia ea placet, procul dubio peccabit mortaliter peccato delectationis morosæ, quia habetur positivus consensus voluntatis in illam: Si vero ideo negligat positive eas repellere, quia conscius de constantia suæ voluntatis contemnit delectationem partis inferioris tanquam passionem non voluntariam, nec sufficientem ad inclinandam voluntatem; Nonnulli docent in hoc casu haberi duntaxat veniale, si nec periculum habeatur consensus, nec pollutionis. Ita Sanch. l. 1. c. 2. Tolet., Corduba, Armil., Salas, Cajet., Navarr. apud Laym. loco laudato; idemque videtur docere D. Thomas de veritate quæst. 15. art. 4. ad 10. Ratio hujus sententiæ est, quia licet voluntas teneatur appetitum sensitivum gubernare, at sufficienter huic obligationi satisfacit, si ipsa non consentiat; Quod si non reprimat positive motus appetitus sensitivi, peccabit quidem venialiter, eo modo quo si reprimat remisse, solum venialiter peccabit.

Confirmatur ex Laymann, quia in tantum permissio talis delectationis esset graviter peccaminosa, in quantum voluntas non impedit grave aliquod malum, quando commode potest; quod si malum impediendum non sit grave, voluntaria ejus permissio non erit peccatum grave; atqui inordinata commotio appetitus sensitivi, si naturaliter oriatur, non videtur esse grave malum; ergo si permittatur, non habebitur culpa lethalis. Minor probatur, quia talis commotio, & sensitiva delectatio potest citra culpam permitti ob causam aliquam honestam, etiam non valde gravem, ut nuper diximus; imo si actione aliqua vana, puta verbis jocosis, detur causa tali commotioni citra periculum consensus, erit solum venialis culpa; ergo talis commotio, supposito originali peccato, ac naturæ infirmitate, non est censenda grave malum.

Confirmatur secundo, quia tam est indirecte, & interpretative voluntaria hujusmodi commotio spirituum, ac delectatio appetitus sensitivi, si ea solum permittatur, & non impediatur actu positivo animum ad alia avocando, quam si actione aliqua vana ad illam causa præbeatur; atqui in hoc secundo casu, in quo agens voluntarium ad illam concurrit positive, & indirecte, non habetur culpa mortalis; ergo a fortiori nec in primo casu, in quo ne indirecte quidem positive concurrit.

IV. Quamvis autem hæc speculative loquendo videantur probabilia, communius tamen, & probabilius, Doctores cum Less. Val. Azor. Med. Vasq. d. 108.

d. 108. c. 2. Kuriel., Zumel., Merol. d. 2. c. 6. dub. 4. docent, in praxi non vacare lethali culpa hanc voluntatis permissionem, & negationem resistentiæ positivæ. Quod videtur aperte sentire Divus Thomas 1. 2. qu. 74. art. 8. ad 3., ubi dicit, delectationem appellari morosam, non ex mora temporis, sed ex eo quod ratio deliberans circa eam immoratur, *Nec tamen ea repellit*; Et Vasquez loco laudato dicit, plerisque nostri temporis Doctoribus oppositam sententiam videri omnino improbabilem.

Ratio conclusionis est, quia idcirco communiter docent non dari parvitatem materiæ in delectatione venerea deliberate quæsita, quia hæc ita est intrinsece mala, ut non possit sejungi a proximo periculo consentiendi in luxuriam, ut diximus articulo superiore (adeo ut P. Claudius Aquaviva Præpositus Generalis Societatis Jesu anno 1612. in virtute S. Obedientiæ præceperit nostris, ne contrariam sententiam doceant ullo modo, non solum ut probabilem, sed ne ut tolerabilem quidem, aut secundum illam dent consilium & quod manifestetur Superioribus, qui in hoc deliquerit) atqui hoc etiam afferi debet, si voluntas negative se habeat, cum moraliter fere nihil intersit inter parvam materiam, ac nullam, seu inter parvam delectationem deliberate quæsitam, ac inter nullam delectationem quæsitam, sed deliberate non repressam; ergo sicut ratione periculi proximi consentiendi in libidinem sine lethali, non potest minima isthæc delectatio deliberate quæri, ita nec potest deliberate non reprimi: Est enim objectum natura sua vehementer alliciens, ut difficile sit illi resistere, nisi vi, & actu positive repellatur; unde de ea dici potest: *Mus in pera, ignis in sinu, serpens in gremio male suos remunerat hospites*, ut habetur ex cap. *Etsi Judæos de Judæis*.

V. Ratio ulterior, quam communiter Doctores promovent, est, quia ad mortale committendum sufficit solus consensus in objectum pravum interpretativus, qui in moralibus æquivalet consensui expresso formali, & directo; sed in casu nostro haberetur consensus interpretativus in delectationem appetitus sensitivi, quæ continet malitiam mortalem, ut proinde non possit directe intendi; ergo in casu nostro habetur culpa mortalis. Probatur minor, quia consensus interpretativus habetur universim, quoties quis potest, & tenetur facere aliquid, & non facit: atqui in casa potest voluntas eam delectationem reprimere, & tenetur (ut adversarii ipsi concedunt, dicentes, ad id teneri sub veniali,) non tamen reprimit, si negative se habeat; igitur erga illam exercet consensum interpretativum.

VI. Ad rationes in contrarium dicendum, delectationem istam sensitivam ferre grave malum, & incommodum, quia exponit hominem periculo consentiendi in libidinem. Verum quidem est, quod ex causa honesta possit licite ea permitti: & citra mortale etiam ob causam venialiter malam; & ratio est, quia nimis durum esset cogere homines ad desistendum ab actibus honestis, & sub gravi compellere ad desistendum ab actibus leviter malis, ne detur causa his effectibus naturaliter provenientibus: Etenim plurimæ, & frequentes hujusmodi causæ contingunt; unde sicuti impossibile est sine speciali Dei auxilio, per longum tempus abstinere a venialibus; ita impossibile moraliter esset abstinere ad longum tempus a mortali, si sub mortali teneremur vitare omnes actiones leviter malas in hujusmodi delectationem influentes. Quare potest citra mortale in his casibus permitti, dummodo absit periculum consensus: Contra vero in casu nostro non est durum obligare homines sub gravi ad positive resistendum his delectationibus vehementer allicientibus ad libidinem; sicut non est durum obligare homines sub gravi, ne minimam delectationem in re venerea deliberate quærant, quia hoc exigit regimen debitum partis inferioris.

VII. Dices. Si communis ratio fundamentalis hujus sententiæ obligantis hominem ad resistendum actu positivo delectationibus venereis, consistens in hoc, quod permissio talis delectationis esset consensus in illam interpretativus, quicquam evinceret, indivisim evinceret esse etiam mortale exercere actiones vanas, ad quas naturaliter consurgit hujusmodi delectatio: sequela non admittitur; ergo nec id unde sequitur. Probatur sequela, quia etiam in hoc casu haberetur consensus interpretativus, & indirectus in talem delectationem æquivalens directo, quatenus voluntas potest, & tenetur illam impedire, & non impedit.

Respondeo, nego sequelam. Ad probationem concedo, etiam in tali casu haberi consensum interpretativum erga delectationem, sed nego hunc æquivalere in gravitate culpæ consensui formali, & directo. Nam, ut notat Laym. l. 1. t. 3. c. 6., non semper in gravitate culpæ consensus interpretativus æquivalet formali, & directo, sed solum quando eadem ratio militat ad utrumque prohibendum. Sic petere mutuum absque necessitate ab usurario parato, consentiendo interpretative in peccatum usuræ, probabiliter ex Mendoza apud Dianam p. 5. t. 7. ref. 8. est tantum veniale, quamvis directe velle peccatum usuræ ab eo committendum esset mortale. Sic etiam si fœmina egrediatur domo absque necessitate, ut sua libertate utatur, prævidens se ab adolescentibus vage, non vero ab aliquo particulari concupiscendam non peccat, nisi venialiter consentiendo tantum interpretative in peccatum illorum; peccaret tamen mortaliter, si directe illud intenderet. Et ratio est, quia non militat in utroque consensu eadem ratio prohibitionis: etenim grave incommodum esset fœminæ privari sua libertate ad egrediendum, ne ab aliis ametur, quia cum hoc sæpe contingat, deberet fere semper clausa detineri; unde solum venialiter peccabit, si absque necessitate velit sua libertate uti ad egrediendum, ut communiter docent apud Busemb. l. 2. tr. 3. c. 2. Idem dicas in casu nostro; esset gravissimum incommodum sub mortali obligare homines ad abstinendum ab actionibus vanis frequentissime occurrentibus, ad quas consurgit naturaliter delectatio sensitiva; & ideo consensus interpretativus in talem delectationem non æquivalet in gravitate culpæ consensui formali. Contra vero in casu conclusionis non est grave incommodum sub gravi obligari homines ad positive resistendum his delectationibus; sicut non est grave incommodum sub mortali teneri ad non admittendam deliberate ne minimam quidem delectationem in re venerea, & ideo consensus interpretativus in hujusmodi delectationem æquivalet in gravitate culpæ consensui formali.

ARTICULUS ULTIMUS.

Utrum desideria objecti pravi sub conditione tollente ejus malitiam vacent lethali culpa?

I. Diversimode loquendum de desideriis circa objectum vetitum sub conditione possibili, quod non prohibeatur, ut est comestio carnis die Veneris, ac sub conditione impossibili, ut est mendacium, perjurium, &c.
II. Videtur hoc etiam posse vacare culpa.
III. Sed dicendum ea non licere; quippe quæ in praxi ferunt absolutam, & actualem propensionem in malum, ac pravam voluntatem.
IV. In casu nostro conditio impossibilis habetur pro non adjecta.
V. Præ oculis habendæ theses 13. 14. & 15. ab Innoc. XI. proscriptæ circa desideria inefficacia de malo alterius, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.
VI. Desideria isthæc tam absoluta, quam conditionata graviter lædunt Charitatem.

I. Certum est, quod sicut vacat lethali culpa delectari de objecto prohibito jure positivo, aut etiam jure naturali sub circumstantia, sub qua non prohibetur juxta dicta articulo 2., ita vacat lethali culpa idem objectum desiderare sub conditione, quod non esset prohibitum; ut si quis diebus esurialibus dicat, Vellem comedere carnes, nisi prohiberentur; aut si quis dicat, Utinam essem Judex, ut malefactorem hunc occidere possem ex amore justitiæ. Potest pariter citra mortale conjugatus dicere, Ducerem Bertam, si uxore carerem; & Religiosus potest etiam dicere, Ducerem uxorem, nisi a voto impedirer; dummodo tamen isthæc desideria non influant de præsenti in veneream delectationem. Et ratio est, quia eo actu Religiosus vel exprimeret naturalem aliquam propensionem ad uxorem ducendam; & in hoc nulla est culpa: vel exprimeret desiderium, quod habet, carendi voto Castitatis, ut possit uti Conjugio; & hujusmodi desiderium conditionatum de se non est culpa gravis, cum feratur in objectum denudatum malitia mortali. Ita Cajet., Palaus, Sà, Sanch. lib. 1. cap. 2. num. 24., & alii communiter.

Dubium solum est, an si voluntas feratur in objectum jure naturali prohibitum, quod sub nulla circumstantia potest esse licitum, (ut est odium Dei, mendacium, perjurium, peccatum contra naturam) tunc desiderium ad id terminatum sub conditione impossibili, quod non prohiberetur, vacet lethali culpa?

II. Affirmant Vasquez 1. 2. disp. 116. c. 2. Palaus, Sà, Bonac., tum quia desiderans v. g. mentiri sub conditione, quod per mendacium Deus non offenderetur, re vera non desiderat efficaciter mentiri, cum videat id esse impossibile citra Dei offensam; Sed solum exprimit propensionem suæ voluntatis ad mendacium, a quo detinetur propter ejus malitiam; cum qua propensione bene stat voluntas absoluta nunquam mentiendi; tum etiam quia qui vult mendacium, si liceret, non vult objectum malum, qua tale, sed sub hypothesi impossibili, quod non esset malum; ergo non peccat.

III. Sed Azor., Adrian., Sanch. loco laudato verius docent, hujusmodi desideria, si non exprimant solum naturalem propensionem ad hujusmodi objecta, non vacare culpa gravi. Quis enim dixerit, sine gravi culpa posse hominem desiderare Deum destruere, si liceret? Nonne in hoc desiderio conditionato relucet absoluta, & actualis Dei displicentia? Idemque dicas, si quis desideret alapam v. g. Crucifixo infligere, si liceret; hæc enim non videntur posse in praxi esse absque prava voluntate in objectum pravum inclinata.

IV. Confirmatur, quia qui dicit, Pejerarem, si liceret, eo ipso videtur absolute desiderare, quod perjurium sit licitum; atqui hujusmodi desiderium absolutum est graviter peccaminosum; ergo etiam illa voluntas conditionata. Adde, quod conditio impossibilis haberi debet pro non adjecta ex cap. *Si tale, De Conditionibus appositis*: atqui si abesset ea conditio, procul dubio desiderare objectum pravum esset peccaminosum; ergo etiam si ea impossibilis conditio apponatur.

Neque dicas, solum in favorem Matrimonii sancitum esse, quod conditio impossibilis in eo contractu habeatur pro non adjecta. Nam contra est, quia si universim conditio impossibilis non haberetur pro non adjecta, actus voluntatis tendens in objectum sub hypothesi impossibili esset nugatorius, & fatuus; ergo etiam in casu nostro habetur pro non adjecta. Et per hæc patet ad rationes in contrarium pro prima sententia.

V. Denique quod attinet ad desideria inefficacia de malo alterius, non quia illius malum est, sed quia inde bonum provenit desideranti, consulenda, quæ habentur in expositione thesium 13. 14. & 15. ab Innoc. XI. proscriptarum; in quarum 13. dicitur: *Si cum debita moderatione facias, potens absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum*: In 14. vero habetur: *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est parentis hæreditas*. Denique in 15. legitur: *Licitum est filio gaudere de parricidio patris a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas*.

VI. Desideria isthæc esse graviter peccaminosa, ex eo constat, quia per illa graviter læditur ordo Charitatis; Charitas quippe erga proximum postulat, (sicut etiam Pietas erga Parentes) quod vita proximi, & a fortiori vita Parentis præferatur bono temporali proprio; adeo ut pauperi in extrema necessitate constituto teneamur etiam de necessariis statui subvenire ad ejus vitam conservandam: atqui cupiens, quamvis inefficaciter, sicut etiam complacentiam habens de morte Proximi, aut Parentis, præfert affective lucrum temporale proprium vitæ illorum, ut patet; ergo graviter per isthæc desideria inefficacia, & per similem complacentiam læditur Charitas erga proximum, & Pietas erga Parentes. Et sane quilibet ægre ferret, & graviter contristaretur, si sciret alterum sibi mortem inefficaciter exoptare ob finem sordidum acquirendi ejus divitias; quare a posteriori etiam constat inefficacibus istis desideriis graviter lædi Charitatem. Quoniam autem ipsa Charitas postulat, ut vita etiam propria, nedum proximi, posthabeatur bono altiori, pu-

ri, puta bono Fidei, aut Reipublicæ, ideo desideria inefficacia de morte proximi non sunt illicita, quando ad hos fines altiores ordinantur. Propterea non peccat v. gr. filia, si inefficaciter exoptaret, aut etiam complacentiam haberet de morte Patris, qui volebat illam prostituere, ut ab hoc ingenti malo liberaretur.

Neque obstat, quod effectus isti non oriantur ex odio, aut displicentia personæ, sed solum ex amore boni temporalis, quod ex ejus morte provenit. Nam ut graviter Charitatem lædant non est opus, quod oriantur ex odio personæ, sed satis est, quod vita proximi, quæ est in ordine altiori, bono exiguo emolumenti temporalis præferatur. Sic pariter invidia non tristatur de bono alterius ex odio personæ, sed solum ex amore inordinato propriæ excellentiæ, ægre ferente, quod alter sibi præcellat, & tamen etiam, ut habetur ad Galat. 5., excludit a regno Dei. Quæ omnia fusius in expositione harum confixarum thesium pertractantur; Ubi pariter explicatur, quomodo illicita, & contra charitatem sint non solum desideria inefficacia absoluta de aliorum morte ob lucrum temporale inde proveniens, (de quibus solum in hisce thesibus proscriptis est sermo) sed etiam desideria conditionata, ut si quis diceret: Vellem mortem proximi, vel mei Parentis, si Deus ita disponeret juxta altissimos fines suæ Providentiæ, ut possem divitias consequi ab iis mihi relinqnendas: Sicut enim desideria conditionata de objecto turpi sub hypothesi, quod non essent prohibita, (v. g. vellem mentiri, pejerare, aut Deum odio habere, si liceret) non vacant lethali culpa, ut ostendimus, quia quamvis videantur a culpa depurari propter talem conditionem appositam, adhuc tamen culpam imbibunt propter actualem affectum erga objectum illud turpe, qui rapit animum ad exprimendam illam velleitatem conditionalem; ita prorsus desiderium conditionatum de morte proximi, aut Patris sub hypothesi, quod Deus ita disponeret ad divitias comparandas, non vacat lethali culpa; quia licet videatur a culpa depurari propter illam conditionem appositam, adhuc tamen culpam imbibit propter actualem affectum erga mortem illorum ob illud sordidum motivum, quod rapit animum ad exprimendam illam conditionalem velleitatem: Cum autem talis affectus actualis graviter repugnet Charitati erga proximum, ac Pietati erga Parentes, ideo adhuc isthæc desideria conditionata de aliorum morte propter emolumentum temporale sunt graviter peccaminosa. Vacat quidem saltem lethali culpa complacentia de hæreditate acquisita post mortem Patris, aut proximi; necnon desiderium de illa acquirenda quandocumque Deo libuerit independenter ab aliorum morte; Sed complacentia de illorum morte, aut desiderium inefficax mortis, ad illam acquirendam, lethali culpa non vacat.

QUÆSTIO III.

Quænam Ignorantia circa Leges, aut Præcepta tollat, vel minuat Culpam?

QUærendum primo, Quid, & quotuplex sit Ignorantia, & quænam reddat actum involuntarium? Secundo, Utrum Ignorantia invincibilis, non solum antecedens, sed etiam concomitans excuset a culpa? Tertio, Utrum ignorantia invincibilis solius pœnæ per legem impositæ excuset delinquentem a pœna incurrenda? Quarto, Quandonam ignorantia censeri debeat invincibilis, etiamsi proveniat ab Ignorantia culpæ, itaut excuset a pœna transgressoribus imposita? Quinto, Utrum dari possit ignorantia invincibilis Dei, & juris naturalis? Sexto, An ignorantia vincibilis, quæ non excusat a gravi culpa, excusare possit delinquentem a pœna? Demum, An peccata ex Ignorantia vincibili commissa sint ejusdem speciei moralis cum peccatis scienter admissis.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Ignorantia, & quænam reddat actum involuntarium?

I. *Quid intersit inter Ignorantiam, Nescientiam, & Errorem?*

II. *Sub nomine ignorantiæ comprehenditur oblivio, & inadvertentia.*

III. *Multiplex est ignorantia Invincibilis, & Vincibilis, seu Antecedens, & Consequens; quæ scilicet actum culpabilem voluntatis consequitur; daturque ignorantia Concomitans, quæ non antecedit, sed comitatur actum.*

IV. *Ignorantia antecedens excusat a culpa, actumque reddit omnino involuntarium.*

V. *Ignorantia concomitans neque reddit actum voluntarium, neque involuntarium positive, sed tantum negative voluntarium.*

VI. *Ignorantia consequens actum, quem causat, reddit indirecte voluntarium, & secundum quid involuntarium; propterea peccati gravitas a tali ignorantia minuitur. Sed quid si ea sit affectata?*

I. IGnorantia ex Divo Thoma 1. 2. quæst. 76. art. 2. in hoc differt a Nescientia, & Errore, quod Nescientia importat negationem scientiæ in subjecto, aut non apto simpliciter ad sciendum, ut in lapide, aut non apto pro tali tempore, aut statu, ut in Infante, vel Amente: Ignorantia vero importat scientiæ privationem, ut quando alicui deest scientia eorum, quæ aptus natus est scire: Error autem supra Ignorantiam addit positivam deceptionem; ut si quis contractum usurarium putet esse licitum, ut notat Sanch. lib. 1. cap. 16.

II. Dividitur primo in ignorantiam Juris, & Facti. Ignorantia Juris habetur, si ignoretur jus, seu præceptum; ut si quis ignoret prohiberi accessum ad non suam: Ignorantia facti habetur, quando res ipsa præcepta ignoratur; ut si quis ignorat, fœminam,

nam, ad quam accedit, non esse suam, vel si quis sciens prohiberi carnium comestionem in pervigiliis, non adverrat hodie esse pervigilium; hujusmodi enim oblivio, aut inadvertentia, aut inconsideratio nomine ignorantiæ comprehenditur in præsenti, ut notat idem Sanch.; quia sicuti inadvertentia est ignorantia actualis, ita ignorantia est quædam inadvertentia habitualis.

III. Dividitur secundo in Ignorantiam Invincibilem, & Vincibilem. Invincibilis habetur, quando ignorans vel non potest illam superare, vel non debet; ut si quis adhibeat diligentiam omnem debitam humano modo ad veritatem inquirendam, quam tamen non assequitur. Solet hæc ignorantia appellari Antecedens, quatenus omnem operationem liberam antecedit, unde dicitur etiam involuntaria, inculpabilis, probabilis, & justa; Vincibilis, vero habetur, quando ignorans potest, ac debet illam superare: Hæc appellari consuevit Consequens, quatenus consequitur ad illam operationem liberam; unde dicitur etiam voluntaria, culpabilis, improbabilis, & injusta.

Porro ignorantia vincibilis triplex est, Affectata, Crassa, & generico nomine dicta Vincibilis. Affectata est directe voluntaria, ut cum quis data opera vult ignorare; juxta illud Psalmi, *Noluit intelligere, ut bene ageret*. Crassa, seu supina est voluntaria indirecte, quatenus ignorans nullam, aut fere nullam adhibet diligentiam ad illam superandam, quamvis non sit directe volita. Vincibilis absolute dicta est etiam indirecte voluntaria, & dicitur illa, ad quam superandam adhibet quidem ignorans aliqualem diligentiam, non tamen quantam debet, unde ea non pertingit ad crassam. Utrum autem dari possit ignorantia vincibilis, quæ non sit affectata, neque crassa, & tamen sit mortaliter culpabilis? Negant communiter cum Suar., Vasq., Azor., Coninch. disp. 13. n. 95. putantes, ignorantiam, quæ non est affectata, nec crassa, esse solum venialiter culpabilem, si sit vincibilis. Admittunt vero Sanchez lib. 1. cap. 16. Bon. de censur. d. 1. q. 2. Valentia, Salas, & alii. Equidem censeo cum Francisco Lugo, ignorantiam hujusmodi mortaliter culpabilem, & non crassam vix posse in praxi discerni, etiamsi esset possibilis. Quod si ea daretur, deservire posset solum ad vitandas censuras Ordinariorum, quæ ex Cap. *Ut animarum de Constit.* non ligant Ignorantes, nisi eorum ignorantia sit crassa, vel supina.

Subdividitur deinde utraque Ignorantia tam vincibilis, quam invincibilis in Antecedentem, & Concomitantem. Ignorantia antecedens est causa actus, qui ignoranter fit, atque adeo illum antecedit; ut si quis putans occidere feram occidat Patrem, quem non occidisset, si cognovisset: Concomitans ignorantia est illa, quæ non antecedit, nec causat actum, sed illum comitatur: ut si quis credens occidere feram occidat inimicum, quem si cognovisset, adhuc occidisset: Illa occisio Patris, quæ fit cum ignorantia antecedeate, ab Arist. 3. Ethic. 1. dicitur fieri ex ignorantia: hæc occisio Inimici, que fit cum ignorantia Concomitante, dicitur fieri ignoranter, quia occisio Patris causatur ab Ignorantia, non vero Occisio Inimici: Ignorantia tamen illa antecedens, ut notat Suarez in 1. 2. tract. 2. disp. 4. sect. 1. est causa occisionis Patris solum per accidens, & tanquam removens prohibens, seu quatenus tollit cognitionem Patris, quæ si adfuisset, actum impedivisset. Ignorantia vero Concomitans nullatenus est causa actus, quia licet tollat cognitionem Inimici, hæc tamen si adfuisset, actum non impedivisset. Sicut autem ignorantia invincibilis appellatur Antecedens, quia antecedit omnem actum voluntatis; ita ignorantia vincibilis appellatur Consequens, quia consequitur ad culpam voluntatis obligatæ ad ignorantiam superandam, & tollendam; Ut si qnis occidat hominem, quem putat esse feram culpabiliter, quatenus antequam sagittam intorqueret, debuisset investigare, essetene fera, an homo? Utraque tamen ignorantia tam Antecedens, quam Consequens antecedit, & causat actum, (puta homicidium) quatenus illud non fieret, si ignorantia abesset. Quia tamen ignorantia vincibilis consequitur ad culpam voluntatis, secus vero ignorantia inculpabilis, idcirco hæc ignorantia dicitur antecedens, ignorantia vero vincibilis dicitur consequens.

Notandum denique, quod ad discernendum quando quis operatus est cum Ignorantia antecedente, & quando cum concomitante, ex Philos. loco laudato illud est indicium, quod operans cum ignorantia antecedente, adveniente scientia, dolet de facto, puta de homicidio Patris; operans vero cum ignorantia concomitante, adveniente scientia, lætatur de facto, puta de homicidio Inimici. His explicatis,

IV. Dico primo: Ignorantia antecedens reddit actum simpliciter involuntarium, atque adeo omnino a culpa excusat; ut si quis occidat hominem, quem invincibiliter putat esse feram, illum non occisurus, si nosset. Ratio est, quia actus, qui fit cum hac ignorantia, neque est directe, neque indirecte voluntarius; imo est contra impetum saltem habitualem voluntatis, quatenus occidens sic hominem est habitualiter dispositus ad illum non occidendum, si sciret.

V. Dico secundo. Ignorantia Concomitans, prout præscindit a vincibili, & invincibili, neque reddit actum voluntarium, neque involuntarium positive, sed tantum negative voluntarium; ut si quis occidat hominem, putans esse feram, illum occisurus etiam si sciret: Ita communiter cum Divo Thoma, & Philosopho 3. Ethic. 1.

Probatur prima pars conclusionis, quod non reddat actum voluntarium; hujusmodi enim occisio hominis neque est voluntaria directe, cum non possit esse directe volitum, quod est ignoratum; neque est voluntaria indirecte, quia solum ignorantia consequens, & vincibilis reddit actum indirecte voluntarium. Secunda pars conclusionis, quod scilicet non reddat actum positive involuntarium, etiam probatur; quia ut aliquid sit positive involuntarium, debet esse contra impetum voluntatis sive actualem, sive habitualem; quod autem fit cum ignorantia concomitante, non solum non est contra impetum internum voluntatis, sed potius est juxta habitualem dispositionem voluntatis; unde multi docent, hujusmodi occisionem esse potius voluntariam habitualiter; ergo actus, qui fit cum ignorantia concomitante, non est positive involuntarius: Quare remanet, quod sit negative tantum voluntarius. Utrum autem hæc ignorantia excuset a culpa, si sit invincibilis, explicabimus articulo sequenti.

VI. Dico tertio. Ignorantia consequens, seu vincibilis reddit actum voluntarium indirecte, & so-

lum

lum involuntarium secundum quid, quando est causa actus: ut si quis occidat hominem culpabiliter putatum feram, quem non occideret, si sciret.

Prima pars probatur, quia ignorantia isthæc, ad quam sequitur occisio, est voluntaria, cum sit culpabilis; ergo voluntaria redditur indirecte occisio, quæ ad illam sequitur. Secunda pars ab Angelico ostenditur, quia si ignorantia ista est causa ocisionis, adeo ut occisio non poneretur, si haberetur notitia hominis, qui occiditur, eo ipso occisio ista est secundum quid involuntaria: Unde fit, rationem voluntarii re'ate ad occisionem hominis minui sub hac ignorantia consequente; & idcirco peccatum hoc homicidii est minus grave, quam si scienter poneretur: Universim enim minus voluntarium est, quod ignoranter, etiamsi culpabiliter, quam quod scienter ponitur. Quicquid sit, an hoc sit verum de ignorantia affectata? quam Valentia, & alii apud Meroll. d. 1. c. 2. dub. 7. putant minuere culpam; Alii cum Navar., Becan. Layman ex Divo Thoma 1. 2. q. 36. ar. 4. putant augere. Verius tamen est, quod si ea procedat ex animo peccandi liberius, & sine conscientiæ remorsu, culpam augeat; si vero procedat ex tædio addiscendi, seu ut transgressio levior sit, culpam minuat; ut docent Corduba, Salas, Sanch. lib. 1. c. 13.

ARTICULUS II.

Utrum a Culpa excuset Ignogantia Invincibilis, etiamsi sit Concomitans?

I. Ignorantia invincibilis antecedens excusat a Culpa solum secundum illam rationem, quæ ignoratur.

II. Ignorantia invincibilis concomitans probabilius excusat a malitia objecti ignorata, necnon a pœna illi annexa.

III. An, & quale peccatum sit affectus annexus Ignorantiæ concomitanti?

IV. Qui putat invincibiliter sagittam intorqueri in feram cum animo intorquendi illam in Clericum inimicum, si ibi adesset, probabiliter non incurrit irregularitatem, nec excommunicationem, aut onus restitutionis, si forte illum occidat.

V. Quodnam homicidium casuale trahit irregularitatem?

I. Diximus, Ignorantiam Invincibilem antecedentem omnino a culpa excusare, cum reddat actum simpliciter involuntarium. Hoc tamen intelligendum est, si tota malitia actus invincibiliter ignoretur; aliter excusabitur a peccato actus solum secundum illam rationem, secundum quam habetur ignorantia invincibilis, e. gr. si quis occidat Clericum, ignorans invincibiliter Clericatum, sed non ignorans, quod sit homo, erit solum homicidii reus, non sacrilegii. Quod si actus apprehendatur ut continens malitiam levem, invincibiliter ignorando, quod contineat gravem, solum venialis culpa committitur per talem actum. Dubitatur dutaxat de Ignorantia concomitante invincibili, an etiam excuset a peccato?

II. Censent a peccato non excusare Ugolin. Sayr. Durandus, Gabriel, quia talis ignorantia non reddit actum positive, & simpliciter involuntarium, ut diximus articulo superiore, sed solum negative voluntarium, cum habituali propensione voluntatis ad illum: Unde inferunt, quod si quis occidat Clericum, cum ignorantia invincibili concomitante, non solum peccet, sed etiam excommunicationem incurrat; Nitunturque auctoritate Divi Thomæ 1. 2. quæst. 76. art. 3., ubi aperte dicit ignorantiam concomitantem non excusare a peccato.

Communius tamen, & verius cum Suar. d. 4. de Censuris sect. 8., Vasquez, Molina, Sanchez l. 1. cap. 16. n. 13. docent, Ignorantiam hanc sive juris, sive facti excusare a malitia objecti ignorata. Quare excusatur a peccato homicidii, & consequenter ab excommunicatione, ac irregularitate, necnon ab onere restitutionis, qui occidit Clericum inimicum, invincibiliter putans esse feram, quamvis esset habitualiter dispositus ad illum occidendum, si cognosceret sagittam in inimicum esse intorquendam, non in feram.

Probatur, quia actus non potest esse peccaminosus, nisi prosequatur objectum, quod apprehendatur malum; atqui posita illa ignorantia concomitante, homicidium illud non apprehenditur ut malum: ergo. Confirmatur, quia quod non est volitum, non est culpabile; quod autem est ignoratum non est volitum; ergo quod est ignoratum non est culpabile; sed posita ignorantia concomitante in casu nostro ignoratur homicidium; ergo homicidium sub ea ignorantia non est culpabile. Ex quo fit, ad rationem peccati requiri, quod actus sit voluntarius positive, nec satis esse, quod sit negative voluntarius, prout est sub ignorantia concomitante; nam quod est negative voluntarium non est simpliciter voluntarium; ergo non est peccatum.

Ad rationem in contrarium, verum est, quod hujusmodi homicidium sub ignorantia concomitante non sit actus simpliciter, & positive involuntarius, hoc tamen non sufficit ad culpam inducendam: cum ad hanc requiratur positiva voluntarietas, saltem indirecta, quæ in casu nostro habetur. Ad authoritatem Divi Thomæ respondet primo Vasquez, Angelicum voluisse solum, quod ignorantia concomitans non excuset a culpa gravi affectus interni concomitantis, non vero quod non excuset a culpa actus externi, qui solum trahit onus restitutionis, censuram, & irregularitatem. Respondent 2. Soto, & Medina apud Merollam, ignorantiam concomitantem, utpote præscindentem a culpabili, & inculpabili, secundum se neque excusare a culpa, neque accusare, sed si sit inculpabilis, excusat a peccato, secus vero si sit culpabilis.

III. Dubitatur tamen, an, & quale peccatum sit ille affectus annexus Ignorantiæ concomitanti, quo quis vellet occidere inimicum, si sciret ibi non esse feram, prout invincibiliter putat, sed Inimicum?

Ad quod respondendum, triplicem posse esse dispositionem operantis cum hac ignorantia. Prima est habitualis tantum, quatenus ea voluntate habituali est, ut Inimicum vellet occidere; at, dum projicit sagittam, non habet actu hanc voluntatem; Et in hoc casu certum est, non haberi peccatum ullum, ne internum quidem, quia per dispositionem habitualem non peccamus, donec ea in actum prodeat. Secunda dispositio potest esse actua-

se actualis, quam haberet projiciens sagittam, si tunc in actum hunc prorumperet; Utinam illa fera esset Inimicus meus, libenter illum occiderem: & in hoc casu habetur quidem peccatum homicidii internum, non vero externum; quia actus ille internus nullatenus influit in projectionem sagittæ ad hostem interimendum, posito quod invincibiliter putetur, ibi adesse feram; & ideo hujusmodi actus internus peccaminosus non trahit onus restitutionis, nec censuras, aut irregularitatem. Ita Suar. Vasq. Sanch. contra Cordubam lib. 7. q. 19. Tertia dispositio est, quando mittens sagittam cum Ignorantia concomitante voluntatem habet occidendi quodcumque ibi sit, sive fera, sive homo, etiamsi sit Clericus; in quo casu dubitatur.

IV. Utrum hic peccet peccato homicidii externi, & si occidat Clericum, an incurrat etiam excommunicationem, præter onus restitutionis, & irregularitatem? Affirmant communiter cum Suarr. d. 4. de Censuris, sect. 8. Azor. Sanch. lib. 1. cap. 16. Reginal. Bonac. Corduba, quia sub illa voluntate generali configendi quicquid apparet, sive fera sit, sive homo, sive etiam Clericus, continetur actualiter occisio Clerici, unde, si ea sequatur, habetur peccatum homicidii, & sacrilegii externi, quod eas pœnas secum trahit.

At Zumel, Lorca, Curiel.& Less. c. 7. num. 25. non improbabiliter putant, peccatum illud internum homicidii, & sacrilegii non esse peccatum externum, quod eas pœnas trahat. Ratio est, quia actus ille exterior, quatenus est occisio Inimici Clerici, non potest esse imperatus ab illo actu interno peccaminoso occidendi quidquid apparet, posito quod invincibiliter ignoretur, ibi esse hominem, & credatur adesse fera: unde licet in tali casu occisio hominis possit dici volita, non potest tamen dici voluntaria, atque adeo non est actus externus peccaminosus; cum ex dictis ratio voluntarii essentialiter requiratur ad rationem peccati. In eo tamen differt, ut notavimus, volitum a voluntario, quod volitum comparetur ad voluntatem, tanquam objectum ad potentiam; voluntarium vero tanquam effectus ad causam, ut constat ex definitione voluntarii, quod est id, quod procedit a principio intrinseco cognoscente singula.

Confirmatur, quia hic actus mere internus, Vellem occidere Inimicum Clericum, non trahit irregularitatem, excommunicationem, aut onus restitutionis; ipsa etiam occisio Clerici, si non procedat a voluntate illum occidendi, neque trahit has pęnas: atqui in casu nostro habetur voluntas illa interna occidendi Clericum, & habetur occisio Clerici, non tamen procedens ab ea voluntate, sed casualis, cum credatur ibi adesse fera; ergo non incurruntur illæ pęnæ, ut docent etiam Molina d. 228. & alii apud Meroll. loco citato.

V. Et sane occisio Clerici neque fuit voluntaria directe, cum non adfuerit ulla cognitio, quod ibi adesset homo; neque fuit voluntaria indirecte, quia, cum supponatur invincibilis ignorantia illa concomitans, non habebatur debitum comparandi talem notitiam; ergo occisio illa simpliciter non fuit voluntaria, sed omnino casualis non trahens post se irregularitatem & censuras; Quicquid in contrarium dicat Avila 1. 2. cap. 5. d. 4. dub. 5. Illud enim homicidium casuale trahit irregularitatem, quod ita sequitur præter intentionem, ut tamen non adhibeatur debita diligentia, ne sequatur; puta quando quis volens solum graviter percutere Petrum, illum occidit: at in casu nostro cum ignorantia illa sit invincibilis, non debet ulla diligentia adhiberi, ne sequatur homicidium; ergo, ea secuta hoc pacto casualiter, irregularitas non incurritur.

ARTICULUS III.

Ex præjacta doctrina plurimæ difficultates resolvuntur.

I. Num incurrat excommunicationem, & onus restitutionis, qui volens occidere Inimicum Clericum occidit invincibiliter amicum etiam Clericum?

II. Quid si volens comburere agrum inimici, comburat invincibiliter agrum amici?

III. Num ignorantia vincibilis leviter culpabilis relate ad legem excuset a pœna gravi per legem imposita?

IV. Num invincibilis ignorantia legis peccatum reservantis excuset a reservatione?

V. Quandonam reservatio peccati habet rationem pęnæ; quando vero fert limitationem jurisdictionis in Confessario?

VI. Pœna privationis petendi debitum non incurritur ab eo, qui invincibiliter illam ignorat.

VII. Invincibiliter immemor voti pœnalis, v. g. de non furando sub pœna jejunii, non tenetur jejunare, si furetur; nec ad id tenetur, si oblivio fuerit venialiter culpabilis.

VIII. Beneficiarius inculpabiliter omittens Horas recitare, non tenetur ad fructuum restitutionem.

I. Sequitur ex dictis primo decisio illius quæstionis, an incurrat onus restitutionis, irregularitatem, & excommunicationem, qui volens occidere Titium Clericum Inimicum, occidit invincibiliter Cajum Amicum, etiam Clericum?

Respondendum cum Suario de Censuris disput. 45. sect. 2. & disput. 32. sect. 1. num. 54. dupliciter posse casum contingere. Primo quidem, quod volens occidere Titium Clericum inimicum adhibeat omnem diligentiam debitam, ne alia persona occidatur. Secundo si talem diligentiam non adhibeat. In hoc secundo casu occidendo Cajum Clericum amicum tam irregularitatem, quam excommunicationem incurrit, & consequenter etiam onus restitutionis; quia vere est homicida relate ad Cajum culpabiliter illum occidens, esto noluerit talem hominem occidere. Idemque docent Sanch. lib. 9. dist. 332. Henriq. & alii communius apud Croix de Censuris num. 9. In primo vero casu, cum omnem diligentiam adhibuerit, ne alia persona a Titio inimico occideretur, nec irregularitatem, nec excommunicationem incurrit occidendo involuntarie, & inculpabiliter Cajum amicum Clericum; sicut qui volens occidere feram omnino inculpabiliter occidit Clericum, non est irregularis, nec excommunicatus, nec subit onus restitutionis. Monet tamen in praxi idem Suarius, sanum consilium esse, quod petatur dispensatio ab irregularitate propter dubium, & horrorem facti. Equidem communiori huic sententiæ adhærendum censeo. Quamvis Tambur. lib. 6. c. 4. §. 3. n. 29. aliique

que apud eundem Croix putent absolute, quod volens percutere Titium, si præter intentionem Cajum Clericum percutiat, censuram non incurrat, quia talis actio exterior neque est formaliter injuriosa Titio, cum illum non tangat, neque formaliter injuriosa Cajo, quem non cognoscit, & omnino involuntarie percutit.

II. Quod si objicias: Qui vult comburere agrum A, quem putat esse Titii inimici, & revera est Caji amici, adhuc ad restitutionem tenetur; ergo pariter qui vult occidere Titium inimicum, si invincibiliter occidat Cajum amicum, etiam tenetur ad restitutionem, & incurrit irregularitatem; quandoquidem vere habet animum patrandi homicidium, & illud patrat de facto.

Respondent, concesso antecedente cum Lugo, disput. 17. de Justit. num. 75. negatur consequentia. Disparitas est, quia in primo casu intenditur substantia delicti, & error est in circumstantia; revera enim agrum A intendit comburere, quamvis erret in hoc, quod putet esse inimici, & est amici; ergo debet restituere damnum illatum: At in secundo casu error est circa substantiam; siquidem nullatenus intenditur occisio amici; & ideo cum omnino casualiter hoc accidat, non trahuntur ea onera. Sicut communiter docent, quod si volens occidere feram, omnino casualiter, & inculpabiliter occidat Clericum, non incurrat excommunicationem, nec onus restitutionis. Sicut autem in Sacramento Matrimonii error circa Personam est error circa substantiam, ut proinde qui contrahit cum Berta, putans illam esse Teresiam, invalide contrahat: Secus vero in Sacramento v. g. Pœnitentiæ error circa Personam est error accidentalis, unde qui absolvit Petrum, putans esse Paulum, secundum se valide illum absolvit: ita in casu nostro circa Personam est error substantialis relate ad homicidium, vel percussionem; secus vero error relate ad dominum hujus Agri, quem vult damnificator comburere; & ideo hic ad restitutionem tenetur, secus vero ille homicida: Et pariformiter dicimus, collationem beneficii, verbi gratia, factam Petro, qui putatur esse Paulus, non esse validam, quia error hic circa personam spectat ad substantiam collationis: Contra vero collationem beneficii factam Petro, qui putatur esse castus, & quæ non fieret, si sciretur ejus improbitas, esse validam, eo quod talis error sit accidentalis, & quoad circumstantiam. Idem dicunt accidere in casu nostro; error relate ad Dominum Agri, quem vis comburere, est accidentalis; & quamvis non combussisses, si scivisses, quod esset Ager tui Amici; adhuc teneris ad restitutionem; error vero circa Personam, quam percutis, vel occidis, est substantialis; & ideo si ex errore omnino inculpabili percutis Amicum Clericum loco Inimici Clerici, actus est omnino involuntarius, relate ad Clericum amicum; atque adeo non incurris excommunicationem, nec onus restitutionis. Sed his non obstantibus non est recedendum a communi sententia, quod irregularitatem, excommunicationem, & onus restitutionis incurrat, qui volens occidere Titium Clericum inimicum, ita occidit Cajum Clericum amicum, ut non adhibuerit debitam diligentiam, ne alia persona occidatur. Etenim licet homicidium Caji fuerit involuntarium relate ad Cajum, utpote amicum, non facit involuntarium homicidium ut sic, si non adhibita est diligentia debita, ne alius occidatur. Illud solum admiserim, quod si volens occidere feram, adhibita debita diligentia, ne ibi subsit homo, intorquet sagittam eo animo, ut vellet ibi subesse inimicum, & illum occidere, si per accidens ibi subsit inimicus, & occidatur, ad restitutionem ille non teneatur: Etenim illa occisio externa non prodit ex illo pravo animo conditionato, atque adeo ille pravus animus, cum non prodeat in actum externum, non trahit onus restitutionis: Secus vero si volens occidere inimicum per accidens occidat amicum, non adhibita debita diligentia ne alius occidatur, tunc enim occisio externa prodit ex actu pravo interno, & ideo trahit onus restitutionis.

III. Sequitur secundo, Ignorantiam invincibilem, tam antecedentem, quam concomitantem legis prohibentis aliquam operationem excusare a pœna per legem imposita; Cum enim excuset a culpa, ut hactenus ostendimus excusat etiam a pœna; Immo si ignorantia vincibilis legis pœnam imponentis sit tantum venialiter culpabilis, excusat etiam a pœna; quia non incurritur pœna gravis propter culpam levem; ergo si Ignorantia vincibilis venialem culpam contineat, non trahit pœnam gravem per legem impositam: Et quod dicimus de ignorantia, dicendum etiam de inadvertentia, ac oblivione, juxta superius dicta. Adde ignorantiam invincibilem tam juris, quam facti excusare; quamvis enim in regulis juris in 6. dicatur Ignorantia facti, non Juris excusare; id tamen intelligendum est pro foro externo, in quo ignorantia Juris non præsumitur, ut notat Laymann lib. 1. tract. 4. cap. 26. & Sanch. lib. 4. cap. 22.

IV. Sequitur tertio, quod si nova aliqua constitutione reservetur aliquod peccatum in odium illius, & in pœnam delinquentis; ut fecit Sistus V. contra male promotos ad ordines Sacros, tunc Ignorantia Invincibilis talis legis excusaret a reservatione; non secus ac excusaret ab excommunicatione, si in pœnam alicujus delicti imponeretur excommunicatio. Ratio est, quia qui committeret Peccatum illud sic reservatum, quamvis transgrederetur legem Divinam, atque adeo peccaret; at non transgrederetur legem humanam imponentem in pœnam delicti reservationem, aut excommunicationem, cum talis lex invincibiliter ignoretur; ergo quamvis mereretur pœnam æternam debitam transgredienti legem Divinam, non mereretur tamen pœnam reservationis, aut excommunicationis debitam solum transgredienti legem illam humanam. Idemque probabilius, & cohærentius docent de irregularitate Sanchez l. 9. d. 32. Navarr. Reginal. Bonac. contra Avilam 2. parte, cap. 5. disp. 5. dub. 10. Suar. de censur. disp. 40. sec. 5. Azor. Alvar. Cordub.; cum etiam irregularitas ex delicto imponatur in pœnam: Quare licet simul sit impedimentum Canonicum, ut est irregularitas ex defectu; at quia quando consequitur ad culpam, habet rationem pœnæ, ideo ignorata non incurritur.

Dices: Reservatio peccati non est pœna delicti, sed est limitatio jurisdictionis in Confessario; atqui limitatio jurisdictionis non reddit validam absolutionem per hoc, quod peccans ignoraverit illam, quando peccavit; ergo ignorantia invincibilis legis reservantis peccatum non impedit, quominus peccans reservationem incurrat: Esto verum sit, quod impediat quominus incurrat excommunicationem impositam per legem, quia excommunicatio est pœna, quæ ex Cap. *Ut animarum*, *de Constit.* ut

supra

supra diximus, non incurritur ab ignorante illam, nisi ignorantia esset crassa, aut supina.

Sed contra est, quia reservatio peccati dupliciter imponi potest: Primo, limitando jurisdictionem in Confessario, idque ad bonam Ecclesiæ gubernationem, ut scilicet graviora delicta Superioribus reserventur, a quibus melius curari possunt: Secundo potest in lege aliqua imponi reservatio in puram pœnam delicti: Si primo modo imponatur, verissimum est, quod ad illam vitandam nullatenus suffragetur Ignorantia; secus vero si imponatur in pœnam; ut videtur imponi quoties in odium delicti superadditur.

Et sane neque arridet sententia Januarii de Januario disp. 1. de casibus reservatis putantis cum Graffiis, reservationem semper esse pœnalem, & in odium delicti impositam, & sic nunquam incurri ab ignorante illam; sicut nec etiam a non advertente ad illam, dum actu peccat. Hanc enim opinionem esse improbabilem jure merito docet Hurtad. apud Dian. par. 6. tract. 6. resol. 42. Neque arridet sententia aliorum communius putantium, reservationem semper esse limitationem jurisdictionis, & nunquam habere rationem pœnæ, atque adeo nunquam per ignorantiam declinari.

V. Censeo siquidem cum Sanch. lib. 9. disput. 32. Merolla disp. 1. cap. 2. 12. Bonacin. Dian. loc. cit. habere rationem pœnæ, quoties lex ipsa videtur reservationem in pœnam comminari; habere vero rationem limitationis jurisdictionis, quoties ad bonam Ecclesiæ gubernationem imponitur, quæ postulat, ut a Superioribus graviora delicta cognoscantur. Utrum autem reservatio habeat rationem pœnæ, semper ac per legem universalem imponitur, & solum habeat rationem limitationis jurisdictionis, quando imponitur Confessario per modum præcepti? Affirmant Fagun. 2. Eccl. præc. lib. 8. cap. 1. num. 28. Graffius, Navarr. Januarius, & alii apud Dianam par. 10. tract. 14. res. 63. Equidem tamen non subscribo; potest quippe lege aliqua Confessarii jurisdictio limitari. Quare id ex tenore legis inspiciendum est. In dubio tamen, num reservatio sit pœnalis, an vero jurisdictionis limitativa? dicendum, eam esse pœnalem, quia in dubio melior est conditio possidentis; est autem in possessione jurisdictio, quando ea confertur absolute, & dubitatur de ejus limitatione; sicuti dicitur esse in possessione lex, quando absolute est lata, & promulgata, & dubitatur, num sit usu recepta, & dicitur esse in possessione votum, quando constat, quod sit emissum, & solum dubitatur, an sit emissum cum animo obligandi se sub gravi.

VI. Sequitur quarto cum Sanch. l. 9. disp. 32. num. 49. Navar. Sylv. contra Cordubam, Henriquez, Sotum, Guttierez apud Diana part. 3. tr. 5. res. 12. quod si conjux contrahat cum altero conjuge affinitatem, aut cognationem, videlicet aut cognoscendo consanguineam conjugis, aut tenendo in Baptismo, vel Confirmatione filium communem, aut filium alterius conjugis, vel ipsum conjugem, & simul invincibiliter ignoret Jus Ecclesiasticum, privans in his casibus conjugem petitione debiti, immunis erit ab hac pœna. Etenim ignorantia invincibilis Juris excusat a pœna eo jure imposita, quamvis factum sit cæteroqui jure naturali prohibitum; atqui pœna privationis debiti solo Jure Ecclesiastico est imposita; ergo quamvis conjux peccet contra legem naturalem, cognoscendo consanguineam alterius conjugis, quia tamen ignorat invincibiliter legem Ecclesiasticam imponentem hanc pœnam, ideo ea non incurritur.

VII. Sequitur demum, quid dicendum ad quæsitum, Num transgressio voti pœnalis, si vacet culpa sacrilegii, excuset a pœna? verbi gratia, voveat quis non furari, vel non ludere sub pœna jejunii; si deinde immemor hujus voti furetur, aut ludat, teneturne ad jejunium? Dicendum cum Sanch. lib. 4. cap. 22. num. 18. non teneri, quia cum oblitus sit invincibiliter voti illius pœnalis, quod habet rationem legis sibi impositæ cum comminatione pœnæ, sicut hanc legem non transgreditur, ita nec pœnam incurrit. Immo nec ea pœna incurritur, si tantum cum culpa veniali, vincibiliter sit oblitus voti; nec incurritur si transgressio sit levis, ut notat idem Sanch. quia pœna illa censetur imposita transgredienti votum mortaliter.

VIII. Unde etiam sequitur quod docet Diana p. 3. tract. 6. resol. 41. Beneficiarium omittentem recitationem Horarum inculpabiliter non teneri ad restitutionem fructuum, non obstante lege pœnali fructuum acquisitionem irritante.

Utrum autem immunis sit a pœna, qui memor voti, & immemor pœnæ sibi impositæ votum transgrediatur furando, aut ludendo? constabit ex mox dicendis. Illud hic adverto, quod omittens culpabiliter recitationem Horarum post sex menses ab adeptione Beneficii, quamvis non advertat, aut ignoret, quod omittentes culpabiliter hanc recitationem teneantur fructus Beneficii restituere, & illos non faciant suos, adhuc teneatur illos restituere. Et ratio est, quia (ut fuse diximus in expositione thesis vigesimæ ab Alex. VII. proscriptæ, quæ habet: *Restitutio a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna*) lex ista, qua imponitur restitutio fructuum non recitantibus culpabiliter, non est lex pœnalis, sed conditionalis, quatenus sub hac conditione dantur fructus, quod recitatio non omittatur culpabiliter; Quare hac conditione non impleta, fructus retineri non possunt. Ad eum modum, quo si relinquantur feminæ centum sub conditione, quod caste vivat, non potest retinere hos nummos, si vivat turpiter, non quidem in pœnam turpitudinis, sed ob conditionem non adimpletam, ut notat Less. & Salas apud Diana par. 1. tr. 10. res. 23.

ARTICULUS IV.

Utrum Ignorantia Invincibilis solius pœnæ per legem impositæ excuset ab ea pœna delinquentem?

I. Communius docent, Conscium legis pœnam imponentis, immemorem tamen invincibiliter talis pœnæ, culpæ simul, ac pœnæ reum esse, si legem violet, exceptis Censuris, quæ contumaciam supponunt. Quod autem attinet ad irregularitatem ex delicto Doctores variant.

II. Sed non est improbabile, universim pœnam hanc non incurri, si ea sit extraordinaria, & exorbitans.

III. Hinc non incurritur in tali casu privatio peten-

petendi debitum, nec irregularitas ex delicto invincibiliter ignorata.

IV. Pariter in voto pœnali, quoties pęna est exorbitans, ad illam non tenetur, qui illius tantum invincibiliter immemor votum transgreditur. In dubio tamen, an pęna sit extraordinaria, censenda est ordinaria.

I. COmmuniter Doctores docent cum Laym. l. 1. tract. 4. c. 20. Sanchez lib. 9. disp. 32. Suar. lib. 5. de legibus cap. 12. Avila p. 2. cap. 5. disp. 6. conscium legis, quamvis pęnam annexam ignoret invincibiliter, culpæ simul. ac pœnæ reum esse, si legem transgrediatur. Primo, quia obligatio delinquentis ad pœnam est naturalis, nec requirit consensum delinquentis in ipsam pœnam, sed solum in culpam, ad quam naturaliter consequitur reatus pœnæ. Secundo, quia alias Infideles ignorantes pœnam inferni annexam esse mortali, ab ea excusarentur; & rustici, ac mulieres ignorantes legum pœnas in nullam earum incidere; quod non est admittendum: Qui enim vult antecedens, videlicet culpam, quæ est causa pœnæ, vult necessario consequens, nempe pœnam, ex l. *Illud*, *ff. de acquirenda hæreditate*.

Excipiuntur tamen a Layman, Sanchez, Suario disp. 4. de Censur. sect. 4. & aliis apud Dianam p. 3. tract. 5. res. 12. omnes censuræ, quæ cum supponant essentialiter contumaciam, supponunt consequenter sui notitiam, sine qua consistere non potest adversus potestatem Ecclesiæ contumacia.

Excipitur etiam a Sanchez, Palao, Navarro, Diana loco laudato, irregularitas ex delicto, quia licet non sit proprie censura, habet tamen rationem censuræ; Quod tamen negant Suar. Laym. Salas, cum ea non sit pœna medicinalis imposita propter contumaciam, sed perpetua.

II. Equidem censeo, communem hanc Doctorum sententiam esse veram solum relate ad pœnas ordinarias, ac delictis consentaneas, quod scilicet eæ incurrantur a delinquentibus, etiamsi ignorentur. Cæterum non est improbabile, quod docet Laymann loco citato Navarr. Sà, Sylv. Sanch. & idem Suar. disp. 4. de censur. sect. 9. num. 102. quod si pœna delictis imposita sit extraordinaria, & exorbitans, ea non incurratur a delinquentibus, si ignoretur, verbi gratia, si Peregrinus transeat per locum, ubi præter morem puniatur venatio ferarum pęna gravissima, quamvis delinquat venando, & pœnam infligi solitam mereatur, non tamen illam gravissimam. Ratio est, quia quamvis non requiratur consensus delinquentis in pęnam, ut ad illam obligetur, requiritur tamen consensus in causam pęnæ, non solum materialiter, sed etiam formaliter ut causa est; qui certe non datur, quando ea pęna exorbitans ignoratur.

Confirmatur: In tantum ea pęna extraordinaria est debita delinquenti, in quantum per legem imponentem eam pęnam delictum prohibetur gravius; unde peccans contra hujusmodi legem, quia gravius peccat, gravius puniendus est: ergo si quis ignoret invincibiliter transgressoribus legis impositam esse pęnam illam extraordinariam, non peccat contra hujusmodi legem quatenus gravius prohibentem delictum: ergo delictum in hoc casu non est puniendum gravius, atque adeo pęnam extraordinariam non meretur. Et per hæc patet responsio ad rationes pro communi sententia adductas, quæ non impugnant hanc nostram limitationem de pęnis extraordinariis.

III. Hinc sequitur primo, quod si cònjux contrahat cognationem, & affinitatem cum altero conjuge, ex ignorantia non solum juris, vel facti, de quâ diximus articulo superiore, sed etiam solius pęnæ, non privetur petitione debiti; quia hujusmodi pęna est extraordinaria, & supra delicti secundum se considerati gravitatem imposita; ut contra nonnullos docent Sanch. l. 9. d. 32. n. 47. & Dian. p. 3. tr. 15. res. 12.

Sequitur secundo, non solum excommunicationem, & alias censuras, sed etiam irregularitatem ex delicto probabiliter non incurri ab ignorante invincibiliter hujusmodi pęnam, quia ea est pęna exorbitans, ut docent Sanchez loc. cit. Coninch. Bonac. Merolla disp. 1. cap. 2. num. 85. contra Filliuc. Reginal. Alvar. Et confirmatur, quia in cap. *Ut Animarum de constitutionibus* indefinite deciditur, Ignorantes non ligari sententiis Ordinariorum, nisi ignorantia sit crassa, vel supina; Irregularitas autem est sententia, quam supremus omnium locorum Ordinarius imponit; ergo invincibiliter ignorata non incurritur.

IV. Sequitur tertio, quod si quis voveat verbi gratia, non furari, sub pęna servandi castitatem, aut ingrediendi in Religionem, & deinde memor voti, sed immemor hujus pęnæ furetur; quamvis sacrilegium committat, nihilominus hanc pęnam, utpote exorbitantem, non incurrat; secus vero si pęna voto promissa non esset exorbitans. In dubio tamen, num aliqua pęna sit extraordinaria, an ordinaria, quæ ab ignorantibus incurri debeat, ea censenda est ordinaria; quia possessio stat pro lege, & in dubio melior est conditio possidentis.

ARTICULUS V.

Quandonam Ignorantia censeri debeat Invincibilis, etiamsi proveniat ab Ignorantis culpa, itaut excuset a pęna.

I. Ignorantia est inculpabilis, quando non est in potestate nostra illam repellere.

II. Ignorantia, quæ fuit vincibilis in causa, potest hic, & nunc esse omnino invincibilis, & a culpa excusare.

III. Quomodo peccant non jejunando Rustici, qui culpabiliter neglexerunt audire Sacrum, in quo Parochi promulgant jejunia illius hebdomadæ?

IV. Unumne, an duplex peccatum committit, qui culpabiliter neglexit inquirere de tali lege, & deinde jejunare omittit?

V. Num peccet contra Justitiam, qui vacans v. g. venationi illicitæ aliquem inadvertenter occidit?

I. COnveniunt Doctores in hoc, quod ignorantia invincibilis, & inculpabilis ea sit, ad quam superandam homo facit, quod facere debet, quin possit illam vincere; Quare dicitur v. g. invincibiliter ignorare Mysteria Fidei, qui licet possit, non putat tamen teneri adire Parochum, a quo instituatur.

Sed quamvis hæc doctrina sit vera, non tamen explicat, quandonam homo teneatur diligentiam adhibere ad vincendam aliquam ignorantiam; unde non explicat, quando Ignorantia sit invincibilis, quando vincibilis.

Cla-

Clarius itaque dici potest cum Vasquez 1.2. disp. 123. Suar. dec. 4. de censur. sect. 8., Sanch., Coninc. d. 14. de actibus humanis, tunc ignorantiam alicujus legis, vel inadvertentiam, seu oblivionem esse invincibilem, quando nulla notitia, dubitatio, aut scrupulus de ea venit in mentem, unde possit homo excitari ad inquirendam scientiam talis legis. Ratio est, quia, quoties non occurrit naturaliter menti aliqua notitia, dubitatio, aut scrupulus de re aliqua, non est in potestate nostra de ea consultare, amplecti, aut respuere; ergo talis ignorantia est invincibilis, cum sit supra humanam diligentiam eam expellere,

II. Hinc sequitur primo contra Navarr. Valen. apud Meroll. d. 1. c. 2. n. 110., quod licet peccet, qui negligit addiscere ea, quæ scire tenetur, (v. g. licet Medicus ignorans pharmacum ægroto applicandum peccaverit, si olim negligens fuerit in studendo iis, quæ ad suum munus spectant) at si hic, & nunc non advertat, quod scire cæteroqui hic, & nunc teneretur, nunc nullatenus peccet; idque ratione ignorantiæ invincibilis, quamvis in causa ea fuerit vincibilis, & culpabilis.

Neque dicas, Jura sæpe clamare, quod ignorantia non excuset, quando quis debuit scire; & quod paria sint scire, & debere scire. Nam hæc intelligenda sunt, si adsit hic, & nunc aliqua advertentia, dubium, aut scrupulus de tali obligatione: Vel intelligenda sunt pro foro exteriori, in quo non præsumitur ignorantia eorum, quæ quis scire tenetur. Et ratio a priori est, quia ut hic, & nunc peccemus, requiritur hic, & nunc libertas ad faciendum, quod præcipitur, & consequenter advertentia ad præceptum, nec satis est libertas in causa: unde damnata est ab Alex. VII. prima illa propositio dicens: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, ac libertate Adami peccantis.*

III. Sequitur secundo, quod Rustici non servantes jejunia, ac festa intra hebdomadam occurrentia, non peccent, si non advertant ad præceptum, etiamsi culpabiliter non interfuerint die Dominico Missæ, in qua Parochus ea solet promulgare. Quod si die Dominico, quando Missæ noluerunt culpabiliter interesse, occurrit dubitatio de promulgatione facienda jejunii, aut festi intra hebdomadam, & culpabiliter neglexerunt ea scire, aut alios ea de re interrogare, peccarunt quidem tunc tam contra præceptum audiendi Missam, si illam simpliciter non audierunt, quam peccato interno contra præceptum Jejunii, quod obligat ad inquirendum, quando occurrit aliqua dubitatio de aliquo jejunio præcepto: At si deinde non jejunent, non peccant novo peccato, si tunc nulla suboritur advertentia de tali obligatione. Verum quidem est, quod ista transgressio jejunii fuerit indirecte, & virtualiter volita ab eo, qui neglexit interrogare, imo fuit etiam indirecte voluntaria, si culpabilis omissio illius diligentiæ debitæ fuit causa, ut hic, & nunc violaretur jejunium; at non proinde ista jejunii transgressio est novum peccatum; sed solum se habet, ut effectus peccati, qui utrum in Confessione aperiendus sit, examinavimus quæst. 1. art. ult.

IV. Dubitatur hic, Unum ne, an duplex peccatum committatur ab eo, qui culpabiliter neglexit inquirere de aliquo jejunio, si deinde non jejunet? Corduba, Rodr. Avar. putant, duplex peccatum committi, alterum omissionis diligentiæ debitæ, quod profecto committitur, etiamsi deinde nullum occurrat jejunium in hebdomada, alterum violationis jejunii, si revera occurrat jejunium præceptum. Sed dicendum cum Merolla, unum tantum committi peccatum, si revera occurrat jejunium, & violetur; Unde non esset opus in Confessione dicere: Omisi culpabiliter inquirere de jejunio præcepto, & deinde illud ea de causa violavi; sed satis esset dicere; Violavi Jejunium præceptum. Ratio est, quia obligatio inquirendi de jejunio non oritur per se ex aliquo speciali præcepto, sed solum a præcepto jejunii; quod obligat per accidens ad inquirendum, tamquam ad medium requisitum, ut servetur jejunium: Sic qui projicit lapidem e fenestra, omittens culpabiliter inspicere, ne quis tunc transeat per viam, si forte aliquem occidat, unum tantum peccatum homicidii committit; quia quamvis omissio illius diligentiæ sit peccatum internum homicidii; (quod certe committeretur, etiam si nullus occideretur) at quia diligentia illa præcipitur per accidens ab eodem præcepto non occidendi, idcirco, secuto homicidio, unum tantum peccatum homicidii actu externo completum commissum est. Sic etiam Sacerdos, qui post mortale sine contritione administrat Sacramentum, non committit duo peccata, alterum omittendo contritionem, alterum administrando Sacramentum absque prævia contritione, sed unum tantum peccatum sacrilegæ administrationis; quia non obligatur tunc speciali præcepto ad contritionem, sed per accidens ab eodem præcepto, quo tenemur Sancta sancte tractare.

V. Sequitur ultimo, quod dans operam rei illicitæ, puta venationi prohibitæ, si inadvertenter, absque prævisione, aut dubitatione damni forte secuturi aliquem occidat, aut damnificet, non peccat contra Justitiam, nec tenetur ad restitutionem. Ita Vasq. Suar. Sanch. lib. 1. c. 16. contra Covarr. in cap. *Alma Mater* parte 1. §. 10., unde D. Augustinus li. 22. contra Faustum (ut refertur causa 15. quæst. 1. cap. *Inebriabuntur*) docet incestum Loth in ebrietate secutum non imputari illi ad culpam, quia nullatenus fuit prævisus.

ARTICULUS VI.

An possit dari Ignorantia Invincibilis Dei, & juris naturalis.

I. *Juris Divini positivi, ac nonnullorum Mysteriorum fidei dari potest non solum ignorantia, sed etiam error invincibilis.*
II. *Etiam nonnullorum præceptorum naturalium.*
III *Ignorantia isthæc excusat a culpa.*
IV. *Nequit homo culpæ esse obnoxius, & ignorare Deum, saltem sub conceptu Supremi Legislatoris obligantis ad abstinendum a tali operatione, quibuscumque Creaturis ad illam invitantibus*
V. *Num possit ad longum tempus ignorari Deus sub conceptu Numinis ab omnibus colendi?*
VI. *Quid dicendum de enutritis in Sylvis?*

I. Ostendimus articulo superiore: eorum omnium dari Ignorantiam invincibilem, de quibus potuit nulla incidere ratio cogitandi, aut dubi-

dubitandi. Difficultas nunc est, An possit juris naturalis, & ipsius Dei dari hujusmodi invincibilis ignorantia? Etenim Jus humanum, seu leges humanas posse invincibiliter ignorari non dubitatur. Et quamvis leges humanæ communes omnibus difficilius ignorentur, quam municipales, possunt tamen invincibiliter ignorari, adeo ut Azor. tom. 1. l. 7. cap. 7. putet, Pastores aliquando, & alios rusticos usque adeo rudes esse, ut invincibiliter ignorent præceptum ipsum audiendi Sacrum.

Dico equidem primo. Potest dari invincibilis ignorantia Divini Juris positivi, & mysteriorum Fidei.

Probatur, quia multis Infidelibus nunquam proposita fuit Catholica fides; ergo ignorarunt illam invincibiliter; Unde non damnabuntur ob infidelitatem, sed ob alia mortalia delicta.

Neque dicas, ideo Infideles istos carere Prædicatore, a quo instruantur, quia non servarunt legem naturalem; ergo Ignorantia mysteriorum Fidei est culpabilis, & vincibilis.

Nam contra est, quia cum non prævideant ad transgressionem legis naturalis sequi carentiam illuminationis, & Prædicatoris, non potest ipsis culpæ imputari, quod non illuminentur, & non credant; quamvis verum sit, idcirco non illuminari, quia legem naturalem non servant, ut docent Vasquez, Azor., Sanch. loc. cit.: Qui addit posse dari non solum Ignorantiam, sed etiam errorem invincibilem circa Fidem, ut si quis instruatur ab hæretico, aut imperito, quem putat veritatis præconem: esto fides erga Mysterium falsum ab hæretico, vel ab imperito propositum non possit esse supernaturalis.

II. Dico secundo. Potest pariter dari invincibilis Ignorantia etiam aliquorum præceptorum naturalium: ut de non accipiendo lucro ex mutuo, de non ulciscenda propria injuria: Et ex Bonac., & Azor. multi putant, licitum esse mentiri ad cavendum malum proximi; Imo ex Laymann, Sanchez, & Diana par. 3. tract. 4. dist. 108. multi, præsertim Pueri, invincibiliter ignorant malitiam Mollitiei. Vasquez (ut habet p. 2. d. 122. cap. 2.) novit Rusticum putantem invincibiliter, pium esse morti proximum in alteram partem versare, ut citius decedat, ne diu patiatur. Quædam prima principia ignorari nequeunt, ut *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*; quia sunt maxime obvia; sicut nec quædam Decalogi præcepta, nempe Deum esse colendum; Parentes honorandos: Alia vero Decalogi præcepta possunt invincibiliter ignorari, saltem, ut notat Corduba, & Vasquez loco laudato, si vestiantur aliqua circumstantia, quæ a culpa excusare videatur; ut si quis putet, furtum licere ad succurrendum Pauperi, vel Perjurium ad vitam tuendam.

III. Quod autem Ignorantia Præceptorum naturalium excuset a peccato, si sit Invincibilis, constat, tum quia repelli non potest, unde absque culpa non repellitur; tum etiam ex propositione secunda ab Alexandro VIII. damnata, quæ habet: *Tametsi detur ignorantia invincibilis Juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ non excusat a peccato formali.*

IV. Dico tertio, impossibile est, aliquem honeste, vel inhoneste operantem non cognoscere Deum, saltem sub conceptu confuso Legislatoris, seu obligantis ad hanc, vel illam operationem seu ponendam, seu vitandam; & consequenter impossibilis est ignorantia invincibilis Dei, sub hoc conceptu confuso.

Probatur ex propositione damnata ab Alex. VIII. 24. Augusti 1690. de peccato pure Philosophico, quod scilicet non sit offensa Dei, nec æterna pœna dignum, quia apprehenditur solum ut contrarium naturæ rationali, & rectæ rationi, absque ullo respectu ad Deum, qui vel ignoratur, vel tunc actu non cogitatur: Ideo enim peccatum hoc pure philosophicum non datur, quia cum a solo Deo obligari possimus ad non peccandum, quibuscumque Creaturis aliud suadentibus, idcirco dum homo peccat, cognoscere debet Deum sub conceptu obligantis, seu Legislatoris; Unde fit, peccatum quodcumque non esse pure philosophicum, sed etiam Theologicum, quia opponitur non solum naturæ rationali, quam considerant Philosophi, sed etiam Deo, qui a Theologis consideratur; ergo Deus ignorari invincibiliter non potest sub aliquo conceptu confuso ab eo, qui peccat. Sed hac de re fuse in expositione thesium ab Alex. VIII. confixarum.

V. Dico ultimo: Deus sub conceptu explicito Numinis ab omnibus colendi non potest invincibiliter ignorari ad longum tempus, præsertim ab eo, qui in communitate vivit. Ita communiter Patres, & Doctores. Ratio est, quia cogitatio Numinis, Cœli, ac Terræ Conditoris est maxime omnibus obvia, ut Cœli ipsi ejus gloriam enarrent. Potest tamen aliquis in sylvis educatus, aut in familia Atheistarum per aliquod tempus ignorantiam Numinis invincibilem habere, cum Numinis notitia non habeatur ex ipsis terminis; Nemo tamen potest in præsenti providentia tota vita hanc Numinis ignorantiam habere absque ulla culpa, saltem mediata, & in causa. Ratio est, quia in præsenti providentia necessaria est necessitate medii cognitio Dei explicita, etiam ut Remuneratoris; quod constat ex propositione 22. damnata ab Innoc. XI.; ergo cum Deus in præsenti providentia nulli deneget auxilia necessaria ad salutem, idcirco est impossibile, dari ignorantiam Dei inculpabilem, saltem inculpabilitate remota in causa; ut proinde peccans contra dictamen rationis privetur in pœnam cognitione hac Numinis ad salutem necessaria.

VI. Hinc fit primo, quod si quis in sylvis nutritus legem naturalem semper servasset, & Numinis ignorantiam invincibiliter haberet, teneretur Deus illi ante mortem Prædicatorem mittere, ut notat D. Th., ne cum ea ignorantia decedat, & absque propria culpa damnetur.

Fit secundo, quod si vera est sententia Bonac. & Sanch. (contra communiorem) putantium fidem explicitam Trinitatis, & Incarnationis esse necessariam ad salutem, etiam necessitate medii post Evangelii promulgationem, neque poterit dari tota vita ignorantia invincibilis horum mysteriorum, absque culpa saltem mediata, & in causa; secus vero, si Fides explicita horum mysteriorum sit solum necessaria necessitate præcepti, ut docent communius, prout habetur in expositione thesis sexagesimæ quintæ ab Innocentio XI. profligatæ; ubi dicitur: *Sufficit illa mysteria semel credidisse.*

ARTICULUS VII.

Utrum Ignorantia Vincibilis semper peccatum minuat præsertim in Transgressione legum Humanarum.

I. Etiam crassa, & supina Ignorantia alicujus legis minuit peccatum adversus talem legem.
II. Non tamen affectata.
III. Potest Ignorantia vincibilis ita minuere aliquando culpam, ut excuset a mortali, & a censuris, ac pœnis per legem impositis.
IV. Ignorantia, quæ est graviter culpabilis relate ad transgressionem legum naturalium, potest aliquando esse solum venialiter culpabilis relate ad leges humanas.
V. Quare lex humana non obligat cum eo rigore, quo lex divina?

I. Regulariter omnis Ignorantia vincibilis alicujus legis, vel obligationis est etiam culpabilis; si enim eam vincere, ac depellere possumus, tenemur. Dubitatur solum, an ea semper peccatum minuat in legum ignoratarum transgressione?

Dico primo: Ignorantja etiam crassa, & supina alicujus legis minuit culpam, quæ in talis legis transgressione committitur. Ita D. Tho. 1. 2. q. 76. art. 4., quem communiter sequuntur. Ratio est, quia ignorantia minuit voluntarium ex dictis; ergo minuit peccatum, quod qua tale est, voluntarium est.

II. Dico secundo: Ignorantia affectata, qua quis vult legem ignorare, ut liberius, & sine remorsu operetur, quamvis reddat peccatum contra legem illam secundum se levius, utpote minus voluntarium, at relate ad hunc animum internum peccandi liberius, culpa fit gravior; unde talis ignorantia non minuit, sed auget peccatum. Ita D. Th. loc. cit. Becan. Navarr. contra Valen., & alios, apud Meroll. n. 154., putantes etiam affectatam ignorantiam minuere peccatum, quia reddit illud indirecte solum, & in causa voluntarium, non directe & in se: Quod certe verum est, si spectetur peccatum sine relatione ad animum illum peccandi liberius, ut diximus.

III. Dico tertio: Ignorantia vincibilis potest aliquando ita culpam minuere, ut excuset a mortali, & consequenter a censuris, & aliis pœnis gravibus per legem impositis. Ita Sanch. lib. 1. c. 17. Suar., Avila 2. parte cap. 5. disp. 5.

Probatur: Quando quis non adhibet diligentiam illam, quam adhibere tenetur ad ignorantiam legis superandam, sed committit levem aliquam negligentiam, tunc certe excusabitur a mortali propter parvitatem in negligentia, & quia ratio voluntarii indirecte est satis diminuta. Quare si quis putans vincibiliter ob omissionem levis diligentiæ occidere feram, occidat hominem, non est reus graviter homicidii secuti; unde nec ad restitutionem tenetur, nec irregularitatem, aut censuram incurrit.

IV. Difficultas præcipua hac in re est, Utrum ignorantia graviter vincibilis, hoc est proveniens ex gravi negligentia, excuset a mortali transgressionem legum humanarum?

Negant Suar. tom. 3. in 3. par. dist. 82., sect. 3., Palaus tract. 2. disp. 1., punct. 16., & alii apud Fran. Lugo p. 2. quæst. 8. Probant autem, quia, si quis v. g. cum ignorantia mortaliter culpabili occidat hominem putatum feram, eo ipso habet voluntarium sufficiens ad mortale; ergo eo ipso peccatum homicidii committit, pœnasque annexas incurrit: Idemque docent, si ex Ignorantia culpabili violetur præceptum humanum, puta Jejunii. Confirmant, quia ignorantia culpabilis opponitur eidem præcepto, cui opponitur peccatum ex ignorantia commissum; ut in casu adducto præceptum naturale, quod obligat ad non occidendum, obligat etiam ad tollendam ignorantiam vincibilem, vi cujus posset sequi homicidium: ergo quoties hæc est gravis, graviter violatur præceptum sive naturale, sive humanum.

V. Sanchez vero loco laudato, Sà, Val. Cajet. Vasquez in 1. 2. dist. 148. num. 61. censent, ignorantiam vincibilem gravem excusare a gravi culpa transgressorem legum humanarum, dummodo ignorantia non sit crassa, vel supina, & operans sit dispositus ad non violandum præceptum, si innotesceret. Ratio est, quia lex humana non obligat cum tanto rigore, sicut lex naturalis: Quod ex eo patet, quia quæ excusant a violatione legis humanæ, (ut metus mortis) v. gr. non excusant a violatione legis naturalis; idque ex suavi Legislatoris humani intentione, quæ non cogit cum nimio rigore, nec tantam exigit diligentiam ad legem prænoscendam.

Et ratio, cur lex humana non obliget cum eo rigore, sicut lex Divina, est, quia non confert auxilia ad legis observantiam Legislator humanus, sicut confert Deus; ut proinde facilius sit, legem Divinam etiamsi rigidam servare, quam legem humanam minus rigidam, quatenus humana est; quamvis quatenus Deus reflexe nos obligat ad illam servandam, non desit suis auxiliis supernis nostras vires confortare.

Equidem censeo, sententiam hanc in hoc solum sensu esse veram, quod scilicet ea ignorantia vincibilis, quæ in transgressione legum naturalium esset mortaliter culpabilis, in transgressione legum humanarum sit tantum venialiter culpabilis, si non sit crassa, vel supina. Quod probat ratio adducta: Sicuti quando dicitur, quod si in aliquo contractu, puta Depositi, Commodati, Pignoris sequatur aliquod damnum ob negligentiam contrahentis, teneatur hic ad restitutionem, docent communiter, quod ad restitutionem teneatur ex levissima culpa juridica, si contractus sit in sui favorem, ut est contractus commodati; teneatur vero ex culpa levi, si contractus sit in favorem utriusque contrahentis, ut est contractus Pignoris; teneatur tamen solum de culpa lata, si contractus sit in favorem alterius, ut est Depositum. Et sensus est, quod negligentia juridica, quæ non est culpa mortalis, & gravis Theologice obligans ad restitutionem in contractu Depositi, vel Pignoris, sit culpa mortalis in contractu Commodati, qui est in bonum proprium contrahentis. Hinc inferunt Less. lib. 4. cap. 2. num. 34. Henr. lib. 9. c. 25. n. 10. & Azor. sæpe a mortali excusari transgredientes præcepta Ecclesiæ, puta jejunii, vel audiendi sacrum, si scilicet bona fide reputent dari sufficientem excusationem, quamvis ea revera non sit sufficiens; adeo ut ista bona fides, & Ignorantia, quæ respectu juris naturalis suffi-

ceret

ceret ad mortale, respectu Juris humani non sufficiat.

Ad argumentum itaque prioris sententiæ respondetur, posse haberi sufficiens voluntarium ad constituendam violationem præcepti naturalis mortalem, quæ respectu præcepti humani non sit voluntarium sufficiens, nisi ad constituendam violationem illius venialiter culpabilem, ratione negligentiæ, quæ relate ad leges naturales est gravis, relate ad humanas est levis.

Ad confirmationem, concesso antecedente, & prima consequentia negatur secunda; quia potest Ignorantia vincibilis esse gravis, & mortaliter culpabilis relate ad leges naturales, quæ tamen non esset nisi venialis relate ad humanas.

ARTICULUS VIII.

Utrum Legis Ignorantia mortaliter vincibilis excusare possit a pœna, quamvis non excuset a gravi culpa?

I. *Ignorantia mortaliter culpabilis, quæ non pertingit ad crassam, excusat a pœna transgressoribus imposita, sive ea sit censura Episcopalis, sive Pontificia, sive irregularitas &c.*

II. *Excusat etiam ignorantia crassa, si pœna imponatur facientibus scienter, aut temere præsumentibus.*

III. *Et probabiliter etiam affectata, quippe quæ solum æquiparatur scientiæ pro foro exteriori, quando scientia præsumitur.*

IV. *Num legens hæreticorum libros ex ignorantia affectata incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ latam contra Legentes scienter?*

V. *Num excommunicatio lata contra Percussores Clericorum incurratur, si adsit ignorantia crassa sive Juris, sive facti?*

I. NEgant id fieri posse, Suar. d. 4. de censur., sect. 4. n. 10., & Villalobos, putantes non dari ignorantiam mortaliter culpabilem, quæ non sit saltem crassa, vel supina; hæc autem Ignorantia legis sicut non excusat a gravi culpa, ita nec a pœna per legem imposita, prout deciditur in cap. *Ut Animarum*, *De Constitutionibus*, ubi dicuntur sententiis Ordinariorum non ligari Ignorantes, nisi eorum ignorantia sit crassa, vel supina. Sed Sotus, Graff., & alii admittentes possibilem ignorantiam mortaliter culpabilem, quæ non pertingat ad crassam, docent, hujusmodi Ignorantiam excusare solum a censuris Episcopalibus, non vero a Pontificiis, ac latis a Jure communi, quia in Capite laudato dicuntur ignorantes excusari a sententiis Ordinariorum; ergo solum ab Episcopalibus.

Dico equidem primo cum Sanch., Bonac. Dia. par. 3. tract. 5. res. 135.: Ignorantia legis, etiamsi sit mortaliter culpabilis, (permisso quod ea dari possit in legibus etiam humanis, de quo diximus articulo superiore) si non pertingat ad crassam, excusat a pœna Transgressoribus imposita, sive ea sit censura Episcopalis, sive Pontificia, sive Irregularitas, aut alia similis.

Probatur, quia in cit. cap. dicuntur excusari Ignorantes a sententiis Ordinariorum: nomine autem sententiæ veniunt omnes pœnæ enumeratæ, & nomine Ordinariorum venit etiam Pontifex, qui Ordinarius est Ordinariorum: Constatque ex ratione ibi adducta, videlicet, ut occurratur periculis animarum, quæ pariter militat pro pœnis Pontificiis, præsertim quia facilius istæ ignorantur, cum minus publicentur.

II. Dico secundo cum Sanch., Molin., Avila apud Dia. loc. cit., pœnam per legem impositam non incurri ab ignorantibus legem, etiamsi ignorantia sit crassa, & supina, quando pœna imponitur facientibus scienter, aut temere præsumentibus, &c.

Probatur, quia per hæc verba significatur excludi culpabiliter ignorantes, dummodo ea ignorantia non sit ingens temeritas, quæ dolo æquiparetur.

III. Dubitatur, An in hoc casu excuset Ignorantia affectata? Negant Suar., Laym., Henr., Sanch. l. 9. d. 32. n. 40., & l. 7. d. 48., quia ex Capite *Eos qui De temporibus ordinationum* in 6. Ignorantia affectata æquiparatur scientiæ, & ex D. Thoma 1. 2. q. 76. a. 4. auget, non minuit peccatum.

Sed verius affirmant Bonac., Filliuc., & idem Sanch., veluti palinodiam canens in Summa l. 2. cap. 10. n. 38., quia ignorans affectate revera non delinquit scienter. Tunc æquiparatur scientiæ ignorantia affectata, quando scientia præsumitur, idque solum habetur pro foro exteriori. Propterea peccatum ex ignorantia affectata procedens est gravius, quam peccatum scienter commissum per relationem ad peccatum internum, quo quis vult ignorare, ut liberius legem violet; secundum se tamen peccatum hoc est minus grave, utpote minus voluntarium, quia est tantum voluntarium indirecte, & in sua causa, videlicet in ipsa ignorantia. Præterquamquod, ut notat Franc. Lugo p. 2. qu. 9., Ignorantia affectata potest minuere peccatum, si scilicet quis ob bonum finem velit legem ignorare, puta ut non ita præceptum violandum contemnat, nec ita directe legi repugnet.

IV. Hinc infertur, quod legens v. g. libros hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes ex ignorantia affectata non contrahat excommunicationem Bullæ Cœnæ; quia ea fertur contra scienter legentes. Negat hanc illationem Merolla n. 252., quia quamvis in odiosis ignorantia affectata non æquiparetur scientiæ quoad pœnas incurrendas, æquiparatur tamen in favorabilibus; lex autem prohibens lectionem librorum hæreticorum, probabilius est quod sit favorabilis; quia principaliter lata est in favorem Fidei, & Animarum, ut docet Suar. de Fide d. 27. sect. 2. n. 10. Sed contra est, quia si doctrina hæc subsisteret, nulla lex esset pœnalis, & stricte interpretanda; quia sic omnis lex, utpote principaliter lata in bonum publicum, & animarum, esset favorabilis.

V. Dubium denique est de excommunicatione lata in Canone, *Si quis suadente* contra percussorem Clerici, an incurratur ab ignorante illam ignorantia crassa? Negant incurri Rodriq., Sylvest., Alvar. apud Meroll. n. 241., quia Canon videtur requirere scientiam, ac dolum, cum dicat, *suadente Diabolo*. Sed probabilius dicendum cum Suarez, Vasquez, Molina, Sanchez lib. 9. d. 32. num. 41., eam incurri, si crasse ignoretur; quia ea verba non videntur importare dolum, ac requirere scientiam, sed solum significant excommunicationem incurri, quando percussio non est licita; non vero si fiat ad correctionem, aut si non sit mortalis.

ARTICULUS ULTIMUS.

Utrum Peccata ex Ignorantia Vincibili commissa sint ejusdem speciei moralis cum peccatis scienter admissis.

I. *Probabilius ejusdem speciei sunt peccata scienter commissa, & peccata commissa cum ignorantia graviter culpabili; quamvis illa directe sint volita, hæc vero indirecte, & in causa.*

II. *Quod verum est etiam de peccatis, quæ in sola voluntate consummantur.*

III. *Quomodo peccata isthæc clavibus subjicienda?*

IV. *Quandonam ignorantia vincibilis est speciale peccatum in Confessione aperiendum?*

V. *Non solum est speciale peccatum ignorantia vincibilis, si sit directe volita, sed etiam quando ex speciali præcepto tenemur eam removere, ut est ignorantia Mysteriorum Fidei.*

I. VAriant in hoc Doctores: Med. & Adrian. putant universim specie differre, atque adeo hanc circumstantiam in Confessione esse exprimendam, quia videtur diversa ratio malitiæ, & magis a recta ratione abhorrens transgredi præceptum scienter, quam per ignorantiam culpabilem: Cajet. 1. 2. q. 76. a 4. putat, specificam hanc diversitatem reperiri solum in peccatis contra jus naturale, non vero in peccatis contra jus positivum. Azor. & Vasq. in 1. 2. d. 101. cap. 5. specificam hanc diversitatem agnoscunt in peccatis, quæ in sola voluntate consummantur, ut sunt odium Dei, vel Proximi, inobedientia &c., non vero in iis, quæ consummantur opere externo, aut per actus alterius potentiæ a voluntate; quia scilicet malitia peccatorum, quæ interius consummantur, consistit in speciali intentione odio habendi Deum, non obediendi, &c. quæ malitia in iisdem peccatis per ignorantiam vincibilem commissis non videtur reperiri; & ideo in his duntaxat peccatis videtur dari ea specifica diversitas. Demum alii cum Curiele, & Maldero putant, Ignorantiam legum vincibilem esse speciale peccatum, quod ante legis transgressionem committitur.

Sed communis Doctorum scientia fert, peccata quæcumque esse ejusdem speciei, sive scienter, sive per ignorantiam vincibilem committantur, ut videre est apud Suar., Sanch., Bonac., Conink., Dia. p. 3. tr. 4. res. 141. Ratio est, quia in hoc tantum differt homicidium v. g. scienter commissum ab homicidio patrato ex Ignorantia vincibili, quod illud sit volitum directe, & in se, hoc vero indirecte, & in ea ignorantia, tanquam in causa; sed hoc non facit diversam specie malitiam actus; cum velle directe, vel indirecte spectet tantum ad modum, quo idem objectum pravum voluntas prosequitur; ergo ejusdem speciei sunt peccata, quæ sunt directe, & quæ sunt indirecte voluntaria, seu commissa scienter, & ex ignorantia vincibili.

II. Nec est ratio, quare non idem debeat dici de peccato, quod interius consummatur, ut est odium Dei: cum specialis illa intentio odio habendi Deum æque habeatur per ignorantiam culpabilem, non secus ac in peccatis, quæ opere externo consummantur, puta in fornicatione, malitia opposita virtuti castitatis æque habetur in fornicatione habita per ignorantiam vincibilem. Idemque etiam dicas tam de peccatis contra jus naturale, quam de peccatis contra jus positivum.

III. Hinc sequitur in Confessione non debere universim explicari, ut notant Sà, Coninch., Bonac., num peccatum commissum fuerit scienter, an ex ignorantia vincibili, dummodo ignorantia non fuerit vincibilis, quæ reddat peccatum de mortali veniale, aut nisi censura aliqua sit annexa contra scienter perpetrantes aliquam culpam; (tunc enim ignorantia vincibilis excusare posset a tali censura incurrenda, ut notat Sanch. lib. 1. cap. 17. num. 23.) aut demum nisi peccatum sit hæresis: hæc enim probabilius ex Suar., Vasq., Sanchez lib. 2. cap. 7. num. 20. contra Sayrum, Tol., Lop. requirit scientiam, quod propria opinio sit contraria doctrinæ Catholicæ; aliter non haberetur pertinacia, quæ est constitutiva peccati hæresis.

IV. In eo tantum casu puto cum Alvar., & Merol. num. *699.*, veram esse sententiam Malderi, & Curiel. supra relatam, quod ignorantia vincibilis sit speciale peccatum, quando scilicet ea est directe volita, quia tunc est contra specialem virtutem studiositatis, ut docet Filiuc. tr. 21. cap. 10. num. 365. Sicuti quamvis in qualibet transgressione præcepti reperiatur inobedientia; at si quis directe velit inobedientiam, seu si quis transgrediatur præceptum ex hac intentione directa, quod nolit obedire, & velit præceptum contemnere, committit speciale peccatum contra virtutem specialem Obedientiæ in Confessione exprimendum, ut notat Div. Th. 2. 2. quæst. 104. art. 2. Quando vero ignorantia non est directe volita, sed est tollenda ad removendum impedimentum ad executionem præcepit, tunc ex eodem præcepto, quo obligamur ad opus, obligamur ad removendum hoc impedimentum; unde cum eidem præcepto opponatur, non est speciale peccatum; E. gr. præceptum Jejunii, quod obligat ad jejunandum, obligat etiam ad inquirendum quo die teneamur jejunare: unde si quis vincibiliter hoc ignoraret, & ex hac ignorantia comederet carnes, unum peccatum committeret contra temperantiam, quod sufficienter in Confessione explicatur, dicendo: Violavi jejunium præceptum.

Verum quidem est, quod si post ignorantiam vincibilem, qua quis exposuit se periculo comedendi carnes illas, non comedat, debet solum ignorantiam istam vincibilem in Confessione explicare, quia illa de se est grave peccatum, ut

notat Sanch. & Dia. p. 3. tr. 4. ref. 165. At si deinde carnes comedat, non patrat novum peccatum, sed solum opere externo in Confessione aperiendo complet illud prius peccatum internum, juxta dicta art. 4.; cum enim in illa carnium comestione non sit nova libertas, & nova ratio voluntarii adversus præceptum ex defectu cognitionis, non potest haberi novum peccatum.

V. Denique est speciale peccatum ignorantia vincibilis, quando quis negligit addiscere, quæ scire tenetur: puta mysteria Fidei; in hoc enim casu ista scientia est opus præceptum; unde in hoc casu recurrit doctrina universalis jam tradita, quod scilicet tam peccat contra obligationem addiscendi articulos Fidei, qui advertenter non vult eos addiscere, quam qui ex ignorantia culpabili hujus obligationis eos non addiscit. Communiter enim Doctores docent cum Vasq., Filliuc., Sanch. lib. 1. c. 17. num. 2. contra Meroll., Scientiam Mysteriorum Fidei præcipi non solum per accidens, videlicet ne quid contra Fidem asseramus; (eo modo, quo præcipitur per accidens notitia de diebus esurialibus, ne tunc carnes comedamus) sed etiam per se, & speciali præcepto: Et ratio discriminis est, quia potest v. g. quis servare jejunia præscripta absque illorum notitia, si quotidie velit jejunare, aut si imponat alteri, ne sibi ministrentur carnes diebus vetitis &c.; at sine notitia Mysteriorum Fidei elici nullatenus possunt tempore debito actus Fidei: & ideo ea notitia per se requiritur. Idemque dicas de scientia omnium illorum præceptorum, quæ per se servari nequeunt absque prævia illorum notitia.

QUÆSTIO IV.

De Vi, Coactione, ac Metu, excusantibus a Legum, & Votorum observantia.

Metus etiam minuit rationem Voluntarii, atque adeo culpam, non secus ac Ignorantia. Ideo explicabimus primo, Quid sit Vis, Coactio, Metus, & Quotuplex? Secundo, Quinam dicatur metus cadens in constantem virum? Tertio, An metus gravis excuset ab observantia legum humanarum? Quarto, An excuset ab observantia legis Divinæ positivæ? Demum, An a lege Divina naturali?

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Metus, Vis, & Coactio?

I. *Vis, seu Coactio absoluta reddit actum simpliciter involuntarium, seu coactum, & violentum. Actus tamen elicitus voluntatis non potest esse simpliciter coactus.*

II. *In actibus humanis magis late patet involuntarium, quam coactum: Quod enim per ignorantiam fit, est quidem involuntarium, sed non coactum; ut nec motus primo primi.*

III. *Simpliciter tamen magis late patet coactum (quippe quod etiam brutis competit) quam involuntarium. Magisque late patet violentum (quod etiam inanimatis rebus competit) quam coactum.*

IV. *Definitur Metus, qui cum Vi, & Coactione conditionata confunditur.*

V. *Quæ fiunt ex metu, sunt simpliciter voluntaria positive; aliquando tamen sunt positive involuntaria secundum quid, ut est projectio mercium; aliquando solum negative, ut est actus attritionis.*

VI. *Transgressio legum meticulosa, utpote simpliciter voluntaria, non vacat culpa gravi, nisi quando ratione metus obligatio materiæ variatur.*

VII. *Consensus meticulosus sufficit naturali jure ad contractum, dummodo non desit titulus legitimus.*

VIII. *Probabilius valida est jure naturæ donatio, ac promissio, quamvis sit metu extorta, esto injuria compensanda sit.*

IX. *Metus alius est ab intrinseco, alius ab extrinseco, alius cadens in virum constantem, alius in inconstantem.*

I. Vis, seu coactio, quæ reddit actum violentum, seu coactum, duplex est: Altera propria, absoluta, & simpliciter talis, quæ reddit actum simpliciter, & absolute violentum, & coactum: Altera impropria, conditionalis, & secundum quid, quæ reddit actum secundum quid involuntarium, seu violentum, & coactum: & hæc confunditur cum metu, ratione cujus aut non fieret actus, aut non ita prompte, si metus abesset.

Vis absoluta reddens actum coactum simpliciter, & involuntarium, leg. 2. *De eo, quod metus causa* dicitur esse *Majoris rei impetus, qui repelli non potest*: unde ab Aristotele 3. Ethic. 2. definitur violentum: *Quod fit ab extrinseco, nullam vim conferente passo*; hoc est, ut explicant Philosophi, *passo contranitente*. Hinc dicitur vim pati v. g. & violenter operari, qui reluctanter ad Idoli Templa pertrahitur. Quia tamen actus internus voluntatis, cum sit vitalis, atque adeo dimanans essentialiter ab intrinseco principio, non potest ab extrinseco procedere, ut communissime docent cum Philosopho 3. Ethicor. 1.; ideo actus elicitus voluntatis nunquam potest esse simpliciter coactus, & violentus; immo nequit voluntas ab ullo agente creato necessitari, ut notat Palaus tom. 1. tract. 2. dist. 1. pun. 4., nec potest ullatenus ad peccandum cogi.

II. Ubi vides, in actibus humanis Involuntarium magis late patere, quam Coactum; etenim ad coactum duo requiruntur, & quod motus proveniat ab extrinseco, & quod sit adversus naturalem appetitus inclinationem; Ad involuntarium vero satis est, quod sit contra inclinationem appetitus; etiamsi procedat ab intrinseco, unde quod per ignorantiam fit dicitur involuntarium, non coactum; sicut etiam motus primo primi, qui in membris suboriuntur, reluctante voluntate.

III. Cæ-

III. Cæterum simpliciter magis late patet Coactum, quam Involuntarium; nam hoc proprie convenit agentibus per voluntatem; Coactum vero, sicut & invitum, convenit etiam brutis. Et eodem modo magis late patet Violentum, quam Coactum; nam coactum solis animantibus convenit; violentum vero etiam rebus inanimatis; Motus enim sursum lapidis dicitur violentus, non coactus; at animalia, & homo ipse possunt pati tum violentiam, tum coactionem, non quidem secundum actus voluntatis elicitos, ut diximus, sed secundum actus imperatos exteriorum membrorum, quæ ab extrinseco moveri possunt; Quare dum quis ad carcerem detruditur, violentiam simul pati dicitur, & coactionem.

IV. Metus autem (qui confunditur cum vi, & coactione impropria conditionali, & secundum quid) definitur leg. 1. ff. *De eo, quod metus causa* a Vulpiano esse *Instantis periculi, vel futuri causa mentis trepidatio*. Dicitur Trepidatio mentis, quia provenit ex Imaginatione periculi imminentis, aut futuri. Et sane quædam a nobis fiunt cum metu, seu metu concomitante, ut quando Martyres vincendo metum fidem profitentur; quædam vero fiunt ex metu, quia metus cogit, seu inducit voluntatem ad operandum: De hoc autem metu nobis agendum. Porro quæ fiunt ex metu, dicuntur esse mixta ex voluntario, & involuntario, sed voluntaria simpliciter, & involuntaria secundum quid, ut notat Divus Thomas q. *6*. artic. 4. quatenus voluntate efficaci sunt volita, & solum inefficaciter nolita, seu cum simplici quadam displicentia, ratione cujus voluntas possit dicere: Nolem v. g. projectionem mercium, nisi naufragii periculum ad id cogeret.

V. Ubi notandum, vi metus non poni necessario, sed solum posse poni hujusmodi actum conditionalem, *Nollem*, aut simplicem displicentiam; nam qui metu gehennæ non peccat, non tenetur dicere, Nollem abstinere a peccato, nisi gehennæ metus urgeret, ut docent Catholici contra Luther. ex Trid. Sess. 14. cap. 4. & can. 5. unde quæ fiunt ex metu, sunt solum negative, non positive involuntaria secundum quid, & simpliciter voluntaria positive; Solum quæ fiunt ex metu cum contranitentia, ut est projectio mercium, sunt positive secundum quid involuntaria; quæ vero fiunt ex metu, cum inclinatione potius naturæ, quam cum contranitentia, ut est dolor de peccatis, sunt negative involuntaria, & secundum quid, hoc est non omnimode, & perfecte voluntaria; & ideo qui dolet de peccatis ex metu gehennæ, non dicit implicite, & positive: Nollem dolere, si abesset gehenna, quamvis id posset dicere ex eo, quod voluntarietas non est omnimoda, & perfecta.

VI. Ex quibus sequitur primo, non vacare culpa mortali transgressionem legum, etiamsi metu v. g. mortis ponantur; cum sint simpliciter voluntariæ, dummodo tamen cætera ex parte materiæ non desint; siquidem aliquando propter metum incussum solet obligatio materiæ variari: Sicut sæpe variatur in lege positiva, qua regulariter non obligat concurrente metu gravi, & aliquando nec lex naturalis; non enim cum periculo mortis teneor subvenire proximo in necessitate constituto; aut negare domino ensem depositum, quando vult eo abuti ad occidendum innocentem.

VII. Sequitur II. Consensum meticulosum naturali jure sufficere ad contractus perficiendos, cum sit simpliciter voluntarius; dummodo tamen præter consensum ac contractus requisitum detur titulus legitimus; nam quæ dantur v. g. Usurario, non possunt ab eo retineri, non quia in Mutuatario deest liber consensus ad dandum, sed quia deest titulus legitimus, quo dominium transferri possit; Non enim datur titulus liberalis donationis, ut constat, quia ea non dantur liberaliter, sed in pretium mutui; neque titulus alterius contractus onerosi, ut ostenditur cum de usuris.

VIII. Utrum autem donatio, vel promissio metu extorta jure naturæ obliget ut obligant alii contractus? dissidium est apud Doctores. Negant Azor. Molin. Vasq. 1. 2. dis. 27. cap. 3. num. 19. quia hi actus videntur natura sua postulare, quod liberaliter fiant, atque adeo non coacte. Sanch. tamen lib. 4. d. 14. & Less. cap. 17. verius docent, naturali jure esse validam donationem, & promissionem metu extortam, non secus ac venditionem, aliosque onerosos contractus; cum eadem libertas videatur sufficere universim ad quemcumque contractum.

Ex hoc autem quod donatio debeat esse liberalis, sequitur solum, quod nihil ob eam possit in compensationem accipi, non vero quod debeat esse omnino libera, absque mixtione involuntarii; unde invalida sit jure naturæ, si metu extorqueatur. Verum quidem est, restituenda esse, quæ donatione metu injusto extorta accipiuntur, idque quia per injuriam accepta sunt, non quia donatio fuit invalida: Sicut etiam qui metu induxit aliquem ad vendendum equum, tenetur in conscientia ad arbitrium vendentis contractum rescindere, quamvis venditio fuerit valida. Si tamen metu juste incusso aliquid accipiatur, non datur onus restituendi, cum desit injuria, & injustitia: Unde fit, quod si deprehensus, v. g. in adulterio, aliquid donat marito, ne occidatur, illud restituendum sit, quia hujusmodi metus injuste incutitur, cum non possit maritus occidere uxorem in adulterio deprehensam, quamvis leges civiles illum non puniant, quia præsumunt occisionem hanc fieri citra libertatem ex vehementia passionis: contra vero non debet restitui, quod forte ab uxore adultera donetur marito, ne illam accuset apud Judicem: cum hic metus juste incutiatur, eo quod licite possit illam accusare.

IX. Circa divisionem metus, dividitur I. Nam alius provenire dicitur ab intrinseco, ut si quis capite plectendus ob sua delicta ad mortem vitandam promittat ducere in uxorem filiam judicis, vel promittat huic pecuniam; Sicuti etiam si proveniat ex causis naturalibus; ut si quis metu naufragii voveat ingressum in Religionem. Alius provenire dicitur ab extrinseco, quando scilicet ab extrinseca persona directe incutitur ad consensum extorquendum, sive incutiatur juste, sive injuste.

Dividitur II., quatenus alius dicitur cadere in virum constantem, alius in inconstantem. Ille appellari solet metus justus, probabilis, & gravis, quia non repugnat constantiæ, ac fortitudini, sed juste, ac probabiliter, seu rationabiliter eo terretur vir constans, ac fortis. Hic vero dicitur metus injustus, improbabilis, & levis, quia constantiæ, ac fortitudini repugnat, & inconstantis hominis est, vani, ac levis illo terreri, ut notat D. Th. in 4. dist. 29.

Duæ autem præcipuæ conditiones requiruntur, ut metus cadere possit in constantem virum, ut notat Sanch. lib. 4. d. 1. Altera est, quod malum imminens sit grave, ex leg. 1. ff. *de eo quod metus causa*; in dubio autem, num malum sit grave, an leve? censendum esse leve ex Farinac. 2. p. fragmentorum, v. Metus, quia scilicet in dubio standum pro valore actus, qui est in possessione. Altera conditio est, quod timens non vane, ac leviter, sed probabiliter, ac rationabiliter credat malum illud sibi imminere; cum hoc sit proprium viri constantis, prout opponitur inconstanti, ac levi, ex D. Thoma loco laudato. Sed quoad hæc nonnullæ difficultates emergunt enodandæ, quod sequentibus conclusionibus præstabimus.

ARTICULUS II.

Enodantur plurimæ difficultates quoad metum cadentem in constantem virum.

I. Metus cadens in constantem virum debet esse gravis respective.
II. Malum, quod timeri debet, satis est, si timeatur in consanguineis, vel affinibus, aut alio arctissima amicitia conjuncto.
III. Malum grave non est mors duntaxat, sed etiam infamia, & amissio rei valde notabilis, necnon gravis pœna, ut excommunicatio, carcer diuturnus, servitus.
IV. Quandonam metus reverentialis dicatur cadere in constantem virum?
V. Quandonam sponsalia celebrata a patre pro filia præsente, & tacente sunt invalida?
VI. Num preces importunæ superioris de se metum gravem incutiant?

I. Dico I. Metus, ut sit cadens in virum constantem, debet esse gravis, non absolute, sed respective; quandoquidem idem metus potest esse gravis respectu unius infirmioris, non vero respectu alterius robustioris. Ita communiter cum Sanch. lib. 4. d. 3. Unde infertur, minorem metum requiri in fœmina, quam in viro; quia ea facilius terretur. Minor autem metus habetur vel ex minori probabilitate ejusdem mali, vel ex minori malo, etiamsi sub eadem probabilitate.

II. Dico II. Malum grave, quod timeri debet, non semper debet in propria persona timeri immediate; satis enim est, ut timeatur in persona consanguineorum, ut colligitur ex cap. *Sciant cuncti de electione in sexto*, quia natura ipsa amore conciliat consanguineos, ita ut malum illorum reputetur proprium. Idemque dicitur de affinibus; cum sint consanguinei alterius ex conjugibus, qui sunt duo in carne una. Idem etiam dicitur, si malum immineat alicui arctissima amicitia conjuncto, quia ex Philosopho, Amicus est alter Ego, & Horatius Amicum vocat, Animæ dimidium suæ. Idem etiam aliqui putant apud Meroll. num. 31. si malum immineat domesticis. Sed immerito; nisi forte gravis injuria inde domino resultaret. Malum autem imminens consanguineis, vel affinibus, ut reputetur proprium, debet consanguinitas, vel affinitas non extendi ultra quartum gradum, ex Sanch. nam usque ad hunc gradum dirimitur matrimonium, & censetur affectio naturalis durare; Potest tamen per accidens damnum reputari proprium aliquando, etiamsi immineat consanguineis ultra hunc gradum, si forte immineat toti prosapiæ gravis dehonoratio.

III. Dico III. Mala, quæ metum justum, & cadentem in virum constantem causare possunt, non solum est mors, vel mutilatio, sed etiam gravis corporis cruciatus, servitus, carcer diuturnus, amissio honoris, &c. Ita Sanch. & alii. Idemque dicas de infamia gravi, ac de amissione majoris partis bonorum, imo etiam amissione rei magnæ, & notabilis; cum hæc omnia virum constantem jure optimo deterreant. Idem etiam docent aliqui de amissione magni lucri cum Suar. lib. 6. de leg. cap. 7. apud Meroll. disp. 4. cap. 8. dub. 2. num. 29. cont. Sanch. lib. 4. d. 5. num. 28. quia talis amissio censetur grave damnum; unde putant aliqui apud Tambur. & Dianam par. 2. tr. 15. resol. 34. contra communiorem excusari ab auditione Missæ, e. g. qui illam audiendo magnum lucrum amitteret. Sed non est aperiendum facile hujusmodi ostium avaritiæ; cum universim non deterreatur eodem modo Vir constans a cessatione lucri, sicut ab emersione damni. Denique idem dicendum de excommunicatione injusta, quia gravis pœna est hominum consortio privari, ex leg. *Hi, qui vi C. de Apostatis*. Præterquamquod etiam injusta excommunicatio timenda est, II. quæst. 3. cap. 1. cum sæpe ad vitandum scandalum sacramentis privet, & infamiæ notam aliquam inurat.

IV. Dico IV. Metus reverentialis non est cadens in constantem Virum, nisi minæ, aut verbera, vel quid simile metui adjungatur. Ita communius cum Sanch. lib. 4. disput. 6. num. 7. contra Baldum, Menoch. & alios. Probatur; Metus viri constantis Professionem Religiosam annullat, ut communiter docent cum Suar. tom. 3. de Religione l. 3. c. 4. sed metus reverentialis Professionem non annullat; ergo hic non est metus Viri constantis. Minor probatur; etenim ita decisum est in Rota Romana apud Farinac. tom. 2. decis. 579. & colligitur ex capite finali, *Qui Clerici, vel voventes*, ubi dicitur Votum emissum præcepto regio, vel Parentum non esse nullum. Et ratio a priori est, quia hujusmodi metus non terret constantem Virum, nisi minæ graves adjungantur.

Neque dicas: Minas graves etiam secluso metu reverentiali parere metum constantis Viri; ergo e converso metus reverentialis cadit in Virum constantem, etiam minis seclusis. Nulla enim est consequentia; inde enim solum sequitur, quod secluso metu reverentiali graviores debeant esse minæ, ut constantem deterreant; minus graves vero, si adjungantur metui reverentiali.

V. Hinc colligitur, valida esse Sponsalia, si Pater ea contrahat pro Filia præsente, & tacente, ut habetur cap. unico *de Desponsatione Impuberum in sexto*: quamvis forte Filia ob reverentiam Paternam consentiat, ac taceat; dummodo tamen Sponsalia non sint admodum præjudicialia, & indigna tali Filia; quia tunc, ut notat Sanch. in foro exteriori non præsumitur consensus, quando Filia ob reverentiam Patris taceret.

VI. Dico ultimo, neque Preces importunæ Principis, ac Superioris de se incutiunt metum gravem cadentem in Virum constantem. Ita etiam communius cum Sanch. d. 7. Henriq. lib. 11. c. 9., & aliis contra Baldum, Rebuf. Ostiensem. Etenim preces istæ non videntur habere tantam vim, ut concutiant animum constantem, nisi tamen fuerint a Superio-

periore consueto tyrannice se gerere adversus non sibi acquiescentes. Putat tamen Sanch. contra Suar. & Henriq. preces assiduas, & instantissimas, si metui reverentiali superaddantur, constituere metum Viri constantis. Ratio est, quia si utrumque conjungatur, minuitur valde libertas.

ARTICULUS III.

An Metus Gravis excuset a culpa Transgressorem legum Humanarum?

I. *Videtur Lex humana universim obligare etiam cum discrimine vitæ.*
II. *Alii docent nunquam cum tali discrimine posse legem hanc obligare.*
III. *Sed verius solum per accidens in aliquibus casibus non excusat.*
IV. *Evacuantur rationes in oppositum.*
V. *Excommunicatus vitandus potest ad mortem declinandam Sacramenta ministrare; non tamen Sacramentum Pœnitentiæ ex defectu Jurisdictionis.*
VI. *Quamvis urgens metus gravis non sit causa justa simulandi Sacramentum Pœnitentiæ; est tamen causa sufficiens ad simulandum contractum matrimonialem.*
VII. *An liceat consummare Matrimonium celebratum cum impedimentis impedientibus, puta cum voto simplici Castitatis, ad mortem vitandam.*
VIII. *Num contrahat excommunicationem latam contra homicidas, qui metu mortis alium occidit?*
IX. *Num possit Carthusianus vesci carnibus in extrema necessitate?*
X. *Metus gravis excusat a transgressione legis humanæ, quamvis ea pœnam capitis imponat.*

I. CAjet. 1. 2. quæst. 92. artic. 4. cum Adriano, & Durand. docent, leges humanas obligantes ad mortale, etiam cum periculo mortis, retinere vim obligandi; præsertim si ad Religionis cultum pertineant, puta ne quis communicet cum excommunicato, ne quis sine vestibus sacris celebret &c. Probant primo, quia in cap. *Sacris de his, quæ vi*, decernitur communicationem cum Excommunicato non excusari metu mortis: & redditur ratio his verbis, *Cum pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere*. Probant secundo, quia lex humana obligat in conscientia, & reddit rem de se non peccaminosam, graviter peccaminosam, per hoc præcise, quod prohibeatur; atqui pro nullo metu licitum est peccare, ne venialiter quidem; ergo nec transgredi legem humanam. Tertio quia ex cap. *Satius* 31. *quæst.* 4. præstat fame perire, quam idolothytis vesci; Et miles tenetur cum vitæ discrimine stationem tenere, ac hostem aggredi. Parochus pariter tempore pestis tenetur Sacramenta ministrare; ergo universim parendum humanis legibus, quin metus gravis a culpa excuset.

II. Secunda sententia cum Almaino, & Majore tenet, nunquam posse legem humanam cum vitæ discrimine obligare: Tum quia arduum valde est exponere vitam pro re, quæ nec Jure naturali, nec Divino requiritur ad æternam salutem; Tum etiam quia lege naturali præcipitur conservatio vitæ; ergo lex humana non potest ad vitam contemnendam obligare.

III. Communiter tamen docent; Metum cadentem in Virum constantem regulariter excusare a legis humanæ transgressione; esto in aliquibus casibus non excuset per accidens; quando scilicet observantia legis humanæ confert ad bonum publicum, aut ad observantiam legis naturalis, vel Divinæ. Ita Vasqu. dub. 161. cap. 2. Suar. Bonac. ; & fere omnes. Ratio est, quia Jurisdictio humana vel non potest cum tanto detrimento obligare; vel si potest, ex suavi, qua utitur providentia, non vult obligare: Vita certe non subest potestati humanæ, nisi per ordinem ad bonum commune, aut ad obsequium Numinis; & consequenter lex humana non potest cum eo rigore obligare, ut vita contemnatur, quando non expedit ad bonum commune, vel ad obsequium Dei. Esto autem id posset, Voluntas tamen prudens Legislatoris non præsumitur cum tanto rigore obligare ad nimis dura; præcipue quando magna necessitas non urget. Quod etiam communiter Doctores docent de lege Divina positiva.

Confirmatur; quia ex cap. *Consilium de Observantia Jejunii*; Nemo tenetur jejunare cum detrimento salutis; sicut nec Missam audire cum periculo gravis nocumenti; Et ex cap. *Inter De sententia excommunicationis* propter famis necessitatem licitum est cum excommunicato communicare.

Hinc fit, per accidens solum posse aliquando legem humanam obligare cum discrimine vitæ; quando scilicet id expedit ad bonum commune; ut accidit, quando præcipitur Militi, ne discedat a sua Statione, & Parocho, ne tempore pestis recedat a sua Parochia: Sicut etiam quando concurrit cum lege humana jus naturale, aut Divinum; puta si Tyrannus mortem minetur, nisi comedantur carnes die Veneris, idque in contemptum potestatis humanæ, aut Religionis Catholicæ: tunc profecto moriendum potius, quam cooperandum tali contemptui, qui jure naturali prohibetur.

IV. Ad rationes in contrarium pro prima sententia respondetur. Ad primam: in eo capite dicitur, communicatio cum Excommunicato non licere ob metum mortis, quando scilicet talis communicatio cadit in contemptum Ecclesiasticæ censuræ; ut notant Salas, Bonacina, Coninch., sine vestibus sacris probabilius licitum est ad vitandam mortem celebrare, quando id non præcipitur in contemptum Religionis, ut docet Vasquez in 1. 2. dub. 161. cap. 3. Suar., Laym. Salas: Quod si non liceat (ut tenet Cajet.), etiam id erit ob concursum legis naturalis, quæ obligat ad tractandum Sancta sancte, non sancte autem viderentur tractari, si quis sine sacris vestibus celebraret. Ad secundam: involvitur ibi sophisma, inferendo a sensu composito ad divisum: certe quando lex obligat, non licet illam transgredi ad vitam conservandam, sed negamus obligare cum discrimine vitæ. Ad tertiam: fame moriendum potius, quam idolothytis vesci, si adsit scandalum activum, aut species idololatriæ; quia tunc concurrit cum lege humana lex naturalis, ut diximus. Denique miles, & Parochus ad ea tenentur propter bonum commune, quod prævalet particulari.

Ad rationes pro secunda sententia respondetur, legem humanam posse ad difficillima obligare, quando id expedit ob causas gravissimas, nunquam vero posse obligare ad mortem sibi consciscendam contra legem naturalem; potest tamen præcipere, quod vitæ discrimen manifestum

stum quis subeat, si id expediat ad bonum publicum, aut ad Dei obsequium.

V. Sequitur ex dictis primo, posse Sacerdotem excommunicatum, vel interdictum, ad vitandam mortem, vel infamiam, præmissa solum contritione, si desit copia Confessarii, celebrare, ac Sacramenta ministrare; cum id tantum jure Ecclesiastico prohibeatur ratione Censuræ. Sacramentum tamen Pœnitentiæ ministrare non potest, si sit excommunicatus vitandus; quia ex defectu Jurisdictionis Sacramentum hoc esset irritum; Nec urgens metus gravis est causa justa simulandi administrationem Sacramenti, ut constat ex propositione 29. damnata ab Innocentio XI.. Si tamen esset excommunicatus toleratus, posset illud ministrare petenti, quia post Extravagantem, *Ad vitanda*, Concilii Constantiensis non privatur Jurisdictione, unde valide absolveret.

VI. Sequitur secundo, ob metum gravem posse Cajum celebrare Matrimonium cum Berta exterius, etiamsi adesset impedimentum dirimens: quamvis non possit ob metum mortis hujusmodi matrimonium consummare. Ita Vasq., Becan., Suar. lib. 3. de leg. c. 30. Probatur prima pars illationis; quia impedimentum dirimens non obligat ad abstinendum a contrahendo matrimonio exterius posito tali metu, simulando talem contractum, ac vitando mendacium, sive adhibita æquivocatione, ut notat Sanch. lib. 4. d. 16., sive adhibita locutione materiali. Neque dicas, illicitum esse simulare Sacramentum Pœnitentiæ ob metum mortis, proferendo materialiter verba absolutoria; ergo etiam illicitum est simulare ob metum mortis Sacramentum Matrimonii. Nam contra est, quia in primo casu simularetur Sacramentum directe, quia poneretur supra materiam debitam forma sacramenti sine sacramento. At in secundo casu simularetur directe (prout licet) solum contractus matrimonialis, quo simulato nullum constitutivum Sacramenti poneretur; unde non simularetur administratio Sacramenti. Sed hac de re fusius in expositione illius thesis 29. ab Innoc. XI. proscriptæ.

Secunda pars illationis, quod scilicet consummatio talis matrimonii ob metum mortis non liceat, ex eo patet; quia cum tale matrimonium sit nullum ob impedimentum dirimens, ejus consummatio esset fornicaria, atque adeo nullatenus licita.

VII. Sequitur tertio, nec licere ob metum mortis consummationem matrimonii celebrati cum impedimentis impedientibus, v. g. cum voto simplici castitatis. Ratio est, quia eo ipso ac matrimonium est metu extortum, est irritum, ex cap. *Veniens*, secundo *de Sponsal.* ut communius, & probabilius docent cum Sanch.; ergo ejus consummatio est pariter fornicaria, & illicita. Probabiliter tamen Ledes. Palud., Vega putant in tali casu non habere vim legem Ecclesiasticam irritantem matrimonium metu extortum; atque adeo illud validum esse, & licitam ejus consummationem. Ratio est, quia lex ista lata est in favorem metum passi; in hoc autem casu non vergeret in illius favorem, sed in damnum, quia obligaret illum vel ad subeundam mortem, si non consummaret Matrimonium, vel ad committendum mortale, si consummaret; ergo in tali casu lex non obligaret. Notandum tamen, quod ut matrimonium hoc sit validum, celebrari deberet coram Parocho, & Testibus; ne sit aliunde irritum. Adde, quod posito eo impedimento impediente, non solum posset debitum reddi, sed etiam peti ad mortem declinandam, quia licet petere debitum positivo voto simplici castitatis sit intrinsece malum; at posito metu mortis votum illud non obligat; cum votum sit instar legis privatæ, quæ concurrente metu gravi cessat obligare, ut notant Sanch. l. 4. c. 13. Sot. Val., & alii.

VIII. Sequitur quarto, quod si præcipiatur, v. gr. sub pœna excommunicationis auditio Missæ, qui ob metum gravis damni Missam non audiret, sicut non contraheret culpam, ita nec excommunicationem; si vero sub pœna excommunicationis prohibeatur, v. gr. homicidium, quod est intrinsece malum, & Cajus ob metum mortis homicidium patraret, peccaret quidem contra legem naturalem, sed non contra legem Ecclesiasticam comminantem excommunicationem; unde hic illam non incurreret, ut docent Avila, & Suar. de Censur. d. 4. sect. 3. contra Duardum, & Alteriis; cum lex Ecclesiastica concurrente metu gravi desinat obligare. Unde etiam fit, quod si quis v. gr. habeat votum non occidendi Clericum, & ob metum gravem illum occidat, in Confessione solum deberet dicere, se patrasse homicidium, non exprimendo nec Clericatum illius, nec votum proprium; quandoquidem neque contra legem ecclesiasticam peccavit, nec contra votum; & consequenter nec excommunicationem contraxit, nec sacrilegium.

IX. Sequitur quinto, quid dicendum ad celebre quæsitum; Num possit Carthusianus carnibus vesci, quando necessariæ sunt ad vitæ conservationem? Martinus de Magistris, Medina, & alii apud Vasq. in 1. 2. disput. 162. affirmant. Quinimo Almainus, & alii putant, illum ad id teneri, quando morbi vis exigat esum carnium; idque vi legis naturalis obligantis hominem ad vitam conservandam. Communius tamen cum Vasq. loc. laud., Salas, Laym. docent, quod licet Carthusianus teneatur carnibus vesci, quando alii cibi non suppetunt, cum prævaleat tunc lex naturalis de vita conservanda: nihilominus si alii cibi suppetant, non poterit vesci carnibus, quamvis exponatur periculo vitæ. Ratio est, quia consuetudo antiquissima hujus Sancti Instituti ita votum hoc interpretatur, ut obliget etiam cum vitæ discrimine. Nec est mirum, quod possit lex humana, aut votum obligare ad aliquod opus virtutis, etiam cum vitæ jactura, quando subest ad id aliqua honesta, & justa causa. Sic propter bonum commune tenetur Miles in sua statione persistere, etiam cum vitæ discrimine; & laudabiliter Uxor cum vitæ periculo opitulatur suo marito laboranti morbo contagioso; potestque ad id voto se obligare: Atqui in casu nostro adest honesta, & justa causa, cur Carthusiani se obligent ad abstinendum a carnibus, etiam cum discrimine vitæ, videlicet ut tam laudabile, & egregium virtutis opus exerceatur; adeo ut ex reverentia ergà suam Constitutionem malit Carthusianus illam exacte servare, quam vitam protrahere, & a morbo liberari: ergo laudabiliter voto ad id se obligant, juxta communem eorum interpretationem, & tali voto ligantur. Et sane nemo tenetur Uxorem ducere, etiamsi necessaria sit ad vitæ conservationem; nec tenetur Religiosus mutare locum, ut vitam protrahat, & ab ægritudine liberetur: Fratres Capuccini non tenentur laneam vestem deserere, & in molli culcitra cubare, dum ægrotant, ut vitam protrahant; quare nec Carthusiani tenentur carnibus

bus vesci, ut ab ægritudine liberentur: Communiter etenim Medici docent, esum carnium non esse præcise necessarium ad vitam conservandam; & licet is esset necessarius, ut vita diutius prorogetur; nemo tamen tenetur vitam prorogare, aut delicate vivendo, aut declinando asperitates aut Monasticæ, aut Asceticæ vitæ communes.

X. Sequitur ultimo cum Salas, Bonac. Sanch. l. 1. c. 18. contra Sà, Metum gravem excusare a transgressione legis humanæ, etiamsi pœnam capitis imponat; quia quamvis ea pœna imponatur, ut arceantur homines a transgressione legis; at concurrente metu gravi lex illa non obligat.

ARTICULUS IV.

An Metus gravis excuset a transgressione legis Divinæ positivæ?

I. Gravis metus excusat a transgressione legis Divinæ positivæ, dummodo hæc non concurrat cum lege naturali, nec concernat publicum bonum.

II. Fit id perspicuum exemplis Sacrorum Bibliorum.

III. Adultus non tenetur cum vitæ discrimine Baptismi Sacramentum suscipere, si possit commode actu contritionis sibi consulere.

IV. Tenetur tamen cum vitæ discrimine infantem baptizare mox decessurum.

V. Ad mortem declinandam non potest Sacerdos sigillum Sacramentale violare; aut in una tantum specie consecrare; vel extremam unctionem sano conferre.

VI. Licitum tamen est Sacerdoti concurrente metu gravi Eucharistiam ministrare peccatori occulto, quamvis clam illam petenti; nec non Eucharistiam in materia dubia, puta in vino congelato, conficere.

I. NEgant Gabriel, Major, Sotus, ob rationes articulo superiori adductas a Doctoribus putantibus, metum gravem non excusare a transgressione legis humanæ. Sed communiter cum D. Thoma 1. 2. quæst. 100. art. 8., Suar., Medina, Azor. docent regulariter excusare, prout dictum est de lege humana, quando scilicet non concurrit cum lege naturali, nec concernit publicum bonum. Ratio est, quia quotiescumque non est intrinsece malum, quod prohibetur lege divina positiva, toties ad id obligamur a libero Dei arbitrio, quod non præsumitur cum tanto discrimine obligare; cum ipse sit benignissimus, & nostrum figmentum, ac imbecillitatem cognoscat. Hinc communiter docent, præceptum de integritate materiali Confessionis, ac de Confessione communioni præmittenda non obligare cum periculo gravis damni. Contra vero non licet Parocho a sua residentia abesse tempore pestis, quia præceptum Divinum de residentia Pastorum in hoc casu concernit bonum publicum: Nec licet præceptum Divinum violare, si ad illud violandum a Tyranno obligemur in ejus contemptum; quia tunc lex Divina positiva concurrit cum lege naturali præcipiente in tali casu vitæ jacturam.

II. Confirmatur conclusio exemplis Sacræ Scripturæ. Nam 1. Regum 21. legimus de Davide, quod ob famis necessitatem citra culpam comederit panes propositionis, quos non licebat Laicis manducare. Matthæi 12. Christus Dominus ob eandem rationem excusavit Discipulos colligentes spicas die Sabbati. Primo Machab. 2. Matathias diebus Sabbatorum, quando quies jure Divino præcipiebatur, pugnavit extrema necessitate compulsus. Et Josue cap. 5. legitur, quod Filii Israel per annos quadraginta non fuerunt circumcisi, eo quod non poterant commode Divinam legem Circumcisionis servare, ac vulnera curare.

III. Ex dictis sequitur primo, non teneri adultum cum vitæ discrimine suscipere Sacramentum Baptismi; nec post mortale Sacramentum Pœnitentiæ, quando potest commode contritione sibi consulere: Nisi tamen per accidens aliquando urgeret obligatio suscipiendi Baptismum ad fidem confitendam. Ita Suarez, Corduba, Sayrus, Sanchez l. 1. c. 18., & alii communiter contra Azorium tom. 1. cap. 11. quæst. 7.

IV. Sequitur secundo, debere nos, cum periculo vitæ infantem, qui periclitatur, baptizare; quia concurrit lex naturalis de præferenda vita spirituali proximi nostræ temporali.

V. Sequitur tertio, urgente metu mortis, non licere Sacramenti administrationem simulare, aut violare sigillum Confessionis, aut consecrare in una tantum specie, vel extremam Unctionem sano conferre, & similia; quia bonum commune Religionis, quod his præceptis attenditur, præponi debet damno particulari.

VI. Sequitur quarto, ex Bonacina, Suarez, Henriquez, Diana p. 3. tr. 6. resol. 48., licere Sacerdoti metu mortis Eucharistiam ministrare clam peccatori occulto, & conficere Sacramenta in materia dubia, v. g. Eucharistiam in vino congelato; quia lex ista Divina non videtur cum tanto discrimine obligare. Neque dici potest, actionem illam porrigendi Eucharistiam peccatori esse intrinsece malam. Nam si hoc esset, neque dari ea posset peccatori occulto publice petenti; quod est falsum.

ARTICULUS ULTIMUS

An Metus gravis excuset a transgressione legis Naturalis?

I. Naturalia præcepta alia sunt affirmativa, alia negativa. Ex his autem alia sunt circa objectum simpliciter, & in quacunque hypothesi incohonestabile, alia vero versantur circa objectum, quod in aliquibus circumstantiis cohonestari potest.

II. Metus gravis culpam extenuat; raro tamen ita illam minuit, ut ex mortali evadat venialis.

III. Præcepta naturalia affirmativa, non secus ac præcepta divina positiva non obligant regulariter cum vitæ discrimine; nisi forte concernant bonum commune, aut bonum spirituale proximi.

IV. Similiter præcepta naturalia negativa, quæ sub aliquibus circumstantiis cohonestari possunt; unde possumus cum moderamine inculpatæ tutelæ invasorem occidere, brachii amputationem permittere ad mortem declinandam, & sigillum naturale ad vitandum patriæ excidium, vel mortem innocentis, violare.

V. Præcepta tamen negativa, quæ nullatenus sunt cohonestabilia, etiam cum vitæ discrimine semper servanda sunt. Immo si quis putet se esse in

in mortali, & ad inferos detrudendum, si hic, & nunc occidatur, non potest ad declinandam hanc mortem v. g. fidem negare.

VI. Num possit lex negativa non fornicandi, aut non furandi in aliquibus circumstantiis cohonestari?

VII. In nullo casu licitum est directe occidere innocentem. Quamvis fugiens ad mortem evadendam possit infantem conculcare; non tamen, si hic sine baptismo sit moriturus.

VIII. Num liceat ad evadendam mortem commodare gladium volenti occidere suum hostem; ostendere ubi sit, qui ad necem petitur; admovere scalam volenti per fenestras ascendere ad furandum, aut ad virginem stuprandam?

IX. Num liceat similiter Nauclero transvehere volentes duellum committere, aut alios occidere?

X. Num peccent remigantes in Triremibus Turcarum Christianos vexantium ad mortem declinandam?

XI. Num liceat in extrema necessitate vesci carnibus hominum mortuorum? & Utrum ad id homo teneatur in hypothesi, quod liceat?

I. PRænotandum, præcepta naturalia quædam esse affirmativa, quæ obligant pro determinato tempore, ut est præceptum Correctionis fraternæ, servandi votum, amandi, & colendi Deum, elargiendi stipem &c.: Quædam vero negativa, quæ obligant semper, & ad semper; ut est præceptum non adorandi Deos alienos, non blasphemandi, non occidendi. Præcepta tamen negativa quædam versantur circa objectum intrinsece malum, quod sub nullis circumstantiis sit cohonestabile, ut est præceptum non pejerandi, non mentiendi, &c. Quædam vero versantur circa objectum, quod sub aliquibus circumstantiis cohonestari potest, ut præceptum non occidendi, non furandi &c.; cum licitum, & honestum sit occidere reum juste damnatum, & in extrema necessitate licitum sit furari.

II. Advertendum ulterius, metum gravem, etsi non adimat culpam, minuere saltem illam: quod constat tum ex cap. *Sacris*, *de his*, *quæ vi*, ubi dicitur: *Licet Metus extenuet culpam*: Tum etiam quia metus coarctat libertatem ad peccandum requisitam. Vix tamen accidit, libertatem sic diminui, ut peccatum ex mortali ratione metus evadat veniale, ut docent Salas, Palaus, Sanch. lib. 4. d. 1. Et ratio est, quia raro accidit, quod tollat deliberationem requisitam ad mortaliter peccandum. His annotatis,

III. Dico primo, præcepta naturalia affirmativa regulariter non obligant cum vitæ discrimine, eo pacto quo diximus de præceptis divinis positivis, ac de humanis. Ita Sanch. lib. 1. c. 18. Salas, Azor., & alii communiter. Fundamentum est, quia ipsa ratio naturalis dictat, talem legem in ea circumstantia non obligare; etenim cum præcepta affirmativa non obligent semper, & ad semper, sed solum quando oportet, & sicut oportet, obligant solum juxta dictamen prudentiæ, & servato ordine charitatis, atque adeo non obligant cum vitæ discrimine; Sic lex naturalis obligat ad restituendam rem domino suo; at ipsa etiam lex naturalis dictat, non esse restituendum ensem domino furioso, quando hic vult abuti ense ad homicidium patrandum. Pariter lex correctionis fraternæ, & lex naturalis de stipe eroganda non obligant cum discrimine vitæ, nec cum gravi detrimento. Idemque dicas de obligatione naturali servandi votum, ac juramentum promissorium.

Dixi tamen in Conclusione, Regulariter metum gravem excusare; nam si præceptum affirmativum respiciat bonum commune, vel bonum spirituale proximi, non excusat: tenemur enim cum vitæ discrimine defendere patriam, conferre Baptismum infanti moribundo &c.

IV. Dico secundo, præcepta naturalia negativa, quibus prohibentur actiones, quæ possunt sub aliquibus circumstantiis cohonestari, neque obligant cum discrimine vitæ sub iis circumstantiis.

Fundamentum etiam est, quia ratio ipsa naturalis dictat, sub iis circumstantiis nullam esse obligationem; sicut enim de se est intrinsece malum occidere innocentem, & præcepto naturali negativo obligamur ad non nocendum illi; at sub circumstantia, quod Deus Abrahæ præcipiat occisionem Isaaci, ipsa ratio naturalis dictat, innocentem esse occidendum: Ita pariter de se est intrinsece malum occidere alium; sed instante mortis discrimine, ad propriam defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ licet. Eodem modo licitum est ad mortem evitandam sibi manum amputare, (quamvis id lege naturali secundum se prohibeatur) & quidem non solum quando mors imminet ab intrinseco, videlicet a morbo, quod omnes admittunt; sed etiam quando timetur inferenda ab extrinseco, ut docent Tolet., Less., Filliuc., Nav., &c. Similiter violare sigillum naturale prohibetur præcepto naturali negativo; at ad evitandum grave damnum aliquando licet, puta ad evitandum patriæ excidium, aut mortem innocentis, ut docent Soto, Molina, Less. cap. 11. d. 8.: Sic etiam exponere se periculo peccandi mortaliter, ver. grat. cohabitando cum muliere, naturali jure negativo prohibetur: quod tamen ad evadendam mortem aliquando licet; dummodo periculum illud proximum physice orationibus, ac mortificationibus fiat remotum moraliter; ut docent communiter cum D. Thom. 2. 2. quæst. 10. artic. 9. Salas in 1. 2. tract. 3. disp. 30. Henriquez, Suarez, Sanchez: tunc enim periculum illud non est moraliter voluntarium, posito quod sine vitæ discrimine nequeat declinari.

V. Dico ultimo: Præcepta naturalia negativa, quibus prohibentur actiones, quæ nullatenus cohonestari possunt sub quibuscumque circumstantiis, ita obligant semper, & ad semper, ut nullus metus cujusvis mali etiam ipsius gehennæ excusare possit transgressorem a culpa. Quare si quis per errorem v. g. putet se occidendum in mortali, nisi fidem neget, atque adeo ad gehennam detrudendum; si vero neget extrinsecus fidem, possit arrepto tempore disponere se ad contritionem, ad confessionem, ac demum ad martyrium, tenetur potius mortem subire, etiamsi putet se ad tartara detrudendum ob mortalia præterita, quam fidem extrinsecus negare; quamvis re vera hic non damnaretur, sed ad cœlum advolaret, quia illud ipsum se exponere morti, ac gehennæ potius, quam peccare, est actus amoris perfectissimus, quo mortalia præterita absque ullo formali dolore remittuntur ob virtualem dolorem in eo inclusum.

VI. Conclusio hæc est communissima, & manifestissima; quia malum culpæ, etiamsi levis, est deterius quovis malo pœnæ; ergo ad mortem, aut aliam pœnam declinandam non est licitum culpam

com-

committere; atqui actiones, de quibus loquimur, sub quibuscunque circumstantiis sunt culpabiles; ergo nunquam potest a culpa excusari transgressor. Nunquam ergo potest vacare culpa pejerare, odisse Deum, mentiri, fornicari, hoc est accedere ad non suam. Quando enim Deus Oseæ dixit, ut acciperet mulierem fornicariam, non præcepit fornicationem, sed contulit Oseæ jus in corpus illius mulieris; unde accessus fuit ad suam, & non fornicarius: eo modo, quo non habetur furtum, quando Deus supremus Dominus confert mihi jus in bona Titii, quamvis ea subripiam Titio invito. Propterea quando Deus filiis Israel (Exod. 52.) permisit, ut expoliarent Ægyptios, non dispensavit in lege naturali non furandi, sed solum contulit iis facultatem accipiendi vasa aurea, & argentea, vestemque plurimam Ægyptiorum, qua posita facultate Supremi Domini, non poterat amplius dici furtum illarum rerum acceptio, eo quod non fieret invito Domino, nempe Deo.

VII. Objicies Glossam in l. penult. ff. *si familia*, ubi habetur, non peccare servum patrantem aliquod delictum, ne pereat, nisi domino pareat; Et Bart. in l. *Si Servus*, ff. *de noxialibus actionibus*, Salicetus, Jason, & alii excusant eum, quem metu mortis Tyrannus adigit ad occidendum alium injuste; quia sicuti potest aliquis fugiens hostem conculcare, & occidere innocentem, si non posset aliter mortem declinare; ita in casu ad mortem evadendam potest alius occidi: unde in lege laudata, *Si Servus*, dicitur, nihil deliquisse servus, qui domino jubenti obtemperavit.

Respondeo, tam in Glossa, quam in lege *si servus* sermonem esse de servo, qui ob metum mortis obtemperat in iis, quæ solo jure humano sunt prohibita. Cæterum Palaus contra Juristas ostendit esse Catholicum dogma ob nullum metum licere directe occidere innocentem. In casu adducto de fugiente hostem, licitum est conculcare innocentem, quia non intenditur directe occisio, sed habetur per accidens: Eodem modo quando ad victoriam est necessarium, possunt in bello dirigi tormenta bellica adversus turres, esto ibi de industria positi sint aliqui innocentes ab hostibus, ut communiter docent cum Cajet. 2. 2. q. 67. art. 2. & Less. cap. 9. n. 59. qui tamen addit, fugientem non posse ad mortem declinandam conculcare Infantem sine baptismo moriturum; quia debet præferri vita spiritualis Infantis temporali propriæ.

VIII. Ex dictis sequitur I. juxta doctrinam Sanch. l. 1. c. 3. & Cordubæ contra Comitol. non peccare servum, qui metu mortis inducitur aut ad commodandum, aut ad vendendum gladium occidere volenti; aut ad ostendendum, ubi sit, qui petitur ad necem; aut ad admovendam scalam volenti per fenestras ascendere ad facinus patrandum.

Neque opponas thesim quinquagesimam primam damnatam ab Innocentio XI. Nam (ut in ejus expositione fuse habetur) ea solum fert, non licere famulis adjuvare herum ascendentem per fenestras ad stuprandam virginem, deferendo scalam, aperiendo januam &c. si id faciant metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractentur, ac torvis oculis aspiciantur, ne domo expellantur &c. non tamen damnatur, id licere metu mortis. Quod sane licitum est, si actiones istæ non sint intrinsece malæ, sed indifferentes, ut nonnulli docent apud Dianam par. 3. tract. 6. res. 48. & apud Sanch. lib. 1. Sum. cap. 7. num. 18. contra Comitolum lib. 5. qu. 7. etenim juxta hanc sententiam sufficiens causa ad excusandum cooperationem materialem ad illas erit metus mortis, quo major non datur; quamvis metus illius notabilis detrimenti in propositione adducti non sufficiat ad excusandum: Quod si actiones istæ, (videlicet admovere scalas, aut humeris sustentare volentem ascendere ad stuprandam virginem) censeantur esse intrinsece malæ, & non indifferentes, ut verius nonnulli docent cum Comitolo laudato, quippe quæ licet physice sint indifferentes, sunt tamen hic, & nunc proxime ordinatæ ad peccatum, sicut admovere ignem tormento bellico est actio physice indifferens, sed quando ordinatur ad occidendum innocentem, est intrinsece mala moraliter: Certe juxta hanc veriorem sententiam nullatenus illæ actiones licent, etiam si metus mortis interponatur; ad eum modum quo nullatenus licet vocare concubinam jussu domini volentis illam ad peccandum; nec licet scripta deferre ad duellum provocantia; quia cum per se, & proxime ad peccatum ordinentur, sunt intrinsece malæ; Idemque dicas de eo, qui venderet, vel commodaret ensem volenti occidere alterum; nec non de eo, qui ostendit, ubi sit qui petitur, ut occidatur.

IX. Sequitur II. juxta sententiam Avilæ, Corduba, & aliorum apud eundem Dianam non peccare Nauclerum, qui metu mortis transvehit volentes committere duellum, aut alium occidere; quia actio ista transvehendi videtur esse de se indifferens, quamvis in his circumstantiis videatur ordinari ad inferendum alteri damnum; unde probabiliter metu mortis potest quis excusari a cooperatione ista materiali cum peccato alterius. Sed quia probabilior videtur sententia opposita Comitoli, & aliorum, quod pariter actiones istæ sint intrinsece malæ, ideo nullatenus licere videntur.

X. Sequitur III. ex Vasq. de Scandalo a. 8. dub. 7. Sanchez lib. 9. d. 31. Mol. d. 115. Avila, Azor. Laymann & aliis, non solum non incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ (quod omnes admittunt; cum Lex Ecclesiastica non obliget cum gravi incommodo) sed probabiliter nec peccare Christianos remigantes in Triremibus Turcarum injuste vexantium Cristifideles. Ratio est, quia remigatio illa videtur actio de se indifferens, qua Turcæ abutuntur; unde ad id cooperari materialiter excusat metus mortis. Verum probabilior videtur sententia opposita Suarii de Censuris disp. 21. sect. 2. n. 60. Navar. Toleti, & aliorum putantium, remigationem istam in his circumstantiis esse intrinsece malam, atque adeo nunquam licere; Sicut nunquam licet Christianis in Triremibus Turcarum metu mortis tormenta bellica exercere, admovendo iis ignem; quandoquidem hujusmodi actio, cum sit de se interfectiva, est intrinsece mala: Quod si solum asportent tormenta bellica, sarcinas, ac necessaria ad bellum, admoveant scalas, & machinas ad muros, porrigant Turcis arma ab iis petita ad Christianos occidendos, probabiliter excusantur a Molina, Azor. Reginal. Sanch. Laymann sicut etiam si Turcas humeris sustentent, & juvent ad castra

castra munienda, ad ædificanda propugnacula, &c. quia istæ actiones non adeo proxime, sed remote ordinantur ad peccatum. Excusantur etiam, si damnum inferant Christianis in solis bonis externis; quia præferenda est vita propria bonis externis alienis; quidquid in contrarium dicat Bonac. d. 1. de Contract. quæst. 2. pun. 10. Imo nec tenentur deinde restituere ea damna, quæ inferunt; ut communius docent contra Molin. d. 115. quia probabilius est, accipientem res alienas in extrema necessitate non teneri ad restitutionem, quando venerit in pinguiorem fortunam; cum in eo casu omnia sint communia. Illud hic notandum cum Less. Molin. Sanch. lib. 1. cap. 7. quod Christiani isti, si non remigando possent magnum Reipublicæ Christianæ damnum vitare, videlicet captionem alicujus civitatis; vel pagi multum utilis Reipublicæ, tenerentur potius mortem subire, quam remigare; quia tenetur quilibet vitam suam exponere pro maximo Reipublicæ bono. Hic tamen casus (subdit Molina) raro accidit; quia si quis desistat a remigando, non per hoc deerunt alii, qui id præstent.

XI. Sequitur ultimo, quid dicendum ad quæstionem illam celebrem, Num liceat vesci carnibus hominum mortuorum ad mortem declinandam? Negant Azor. Val. Vict. cum D. Thoma 2. 2. q. 142. art. 4. ad 3. ubi vocat hoc peccatum excedens modum humanæ naturæ, & comparat illud cum turpi commercio bestiarum, aut masculorum.

Sed communius cum Suarez lib. 3. de leg. c. 30. Sanchez l. 1. cap. 18. Bonac. Less. Cajet. 2. 2. qu. 148. art. 2. docent, licere; cum id non videatur intrinsece malum, ita ut non possit simpliciter cohonestari sub circumstantia periculi mortis: Sicut enim abscindere brachium est intrinsece & ex objecto malum, & tamen ad evadendam mortem est licitum; ita in casu. Et sane licitum est ex Sanch. Palao, Sà, Bonacina uti humana carne per modum medicamenti; (ut quando datur in pharmacis mumia, necnon ossa, adeps, ac pulveres humani cerebri) quia scilicet natura ab hac medicina non abhorret; quidni erit etiam licitum ad mortem declinandam, sive ob famem, sive ob tyranni imperium, humanas carnes comedere? Adde, quod si licet cadavera scelestorum exponere feris dilanianda, cur non liceat iis vesci extrema fame urgente?

Ad id, quod objicitur, dicendum, D. Thomam non comparare peccatum hoc in omnibus cum peccato nefando, sed solum in eo, quod ambo sint contra naturam, seu lege naturali vetita: At multa præcepta negativa juris naturalis non obligant cum periculo mortis, ut ostendimus conclusione secunda. Quare sicut præceptum naturale v. g. non occidendi alterum, non obligat, quando occisio est in sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ; ita hoc naturale præceptum non utendi in cibum carne humana non obligat, quando ea deservit ad evadendam mortem.

Notant tamen Less. Bonac. Sanch. extrema fame laborantem non teneri vesci tali cibo, tum quia potest adhærere sententiæ oppositæ putanti, id esse simpliciter illicitum; tum etiam quia nemo tenetur omnibus mediis licitis vitam conservare, sed solum ordinariis, & humanæ conditioni, ac proprio statui consentaneis; Unde ex Less. lib. 4. c. 3. dub. 3. Bonac. de contract. d. 2. quæst. ult. & aliis, Nemo tenetur uti pretiosissimis medicamentis ad vitam prorogandam; nec tenetur in obsidione carnes murium comedere, ne moriatur: Neque itaque tenetur vesci carnibus humanis, a quibus natura abhorret: Sicut neque tenetur homo in sui inculpatam defensionem occidere Invasorem: immo Invasus laudabiliter abstinet ab occidendo invasore, quem scit esse in mortali, atque adeo ad inferos detrudendum; esto non ex hoc teneatur illum non occidere; quandoquidem invasor sua culpa, ac libere in eo statu miserrimo versatur.

QUÆSTIO V.

De Ignorantia, ac errore Contractus irritante ex defectu Voluntarii.

PRimo plurima prænotanda; deinde inquirendum; An error, vel dolus antecedens reddat contractus jure naturæ irritos? Ex cujus quæstionis decisione plurimarum difficultatum descendit resolutio. Tertio examinandum, An hujusmodi error reddat contractus irritos, saltem jure positivo. Denique eadem inquirenda sunt de errore concomitante.

ARTICULUS I.

Prænotantur Prænotanda.

I. Eodem modo ignorantia, ac error contractus irritant ex defectu voluntarii in consensu. Ac similiter dolus ferens errorem provenientem ab altero decipiente.

II. Error antecedens dans causam contractui reddit actum simpliciter involuntarium; Error vero concomitans, seu incidens in contractum non reddit actum simpliciter involuntarium, sed non voluntarium. Uterque error potest esse invincibilis, & vincibilis, seu consequens ad prævium actum voluntatis.

III. Quænam dicatur causa finalis; quænam impulsiva contractus?

IV. Quinam sit in contractibus error circa substantiam, quinam vero circa qualitates? Et quando error circa qualitates redundat in substantiam?

V. Contractus alii sunt onerosi, alii lucrativi; Alii stricti juris, alii bonæ fidei. Isthæc tamen divisio non est ex natura rei.

I. REcolendum primo, Errorem supra ignorantiam (quæ de se importat privationem scientiæ) addere positivam deceptionem. Hinc tam ignorantia, quam error impediunt consensum, & reddunt actum non voluntarium ex D. Th. in 4. dist. 30. q. 1. quia nihil volitum, quin præcognitum ex Philosopho 3. de Anima 31. Ignorantia autem tollit cognitionem, error tollit cognitionem veram, & ideo eodem modo irritant contractus ignorantia, ac error; Quia tamen plerumque supponitur in contractibus aliqua rei notitia, ideo communiter dicimus, errorem potius quam ignorantiam contractus irritare.

In hoc tamen differt Error a Dolo, quod dolus fert

fert errorem provenientem ab altero decipiente; unde *lege* 1. *de dolo* definitur, quod sit Calliditas, fallacia, aut machinatio ad alterum circumveniendum. Hinc ignorantia magis late patet, quam error, & hic, quam dolus.

II. Prænotandum II. Errorem (idemque semper dicas de ignorantia, & dolo) alium esse antecedentem, qui scilicet dat causam contractui, quatenus si error non interfuisset, contractus non fieret; unde actus est involuntarius, & voluntati repugnans: Alium vero esse comitantem, qui non dat causam contractui, sed incidit in contractum, quatenus si error non interfuisset, adhuc contractus fieret, quamvis forte non tanto pretio, nec cum talibus circumstantiis; & hujusmodi error non reddit actum simpliciter involuntarium, cum non sit causa contractus repugnantis voluntati; siquidem voluntas, etiam errore deficiente, contraheret; reddit tamen actum non voluntarium; cum nihil sit volitum, quin præcognitum. Uterque error potest esse vel invincibilis, si scilicet errans non potest, aut non debet eum superare; vel vincibilis, seu consequens ad prævium actum voluntatis, si scilicet superari debeat, aut possit, & id negligatur.

III. Præterea causa alicujus contractus potest esse vel finalis, vel impulsiva. Dicitur Finalis ea, ob quam tanquam ob motivum intrinsecum ponitur actus: dicitur impulsiva illa, ob quam tanquam ob motivum extrinsecum actus ponitur; eaque solum impellit ad actum ponendum, ut notat Suarez l. 2. de voto cap. 11. v. g. quando quis erogat stipem Sacerdoti, quem putat pauperem, ac probum, paupertas sublevanda dicitur causa finalis, probitas causa impulsiva: Quamvis enim, si ejus improbitas deprehenderetur, eleemosyna non daretur, non per hoc probitas dicitur esse causa finalis, ut notat Merolla n. 324. ex D. Thoma, & Sanchez lib. 3. d. 39. contra Vas. 1. 2. d. 70. c. 3. cum sola paupertas possit, & soleat esse motivum intrinsecum, & finale, etiamsi deficiente probitate eleemosyna non daretur. Hinc est, Episcopum valide conferre Ordines Titio, quem putat idoneum simul & probum, quamvis deficiente probitate, quæ est motivum extrinsecum, & impulsivum, Ordines illi non conferret. In hoc enim differre solet motivum finale ab impulsivo; quod deficiente motivo finali actus non solum non fieret, sed illum ponens vellet nulliter poni, v. g. deficiente paupertate, non solum non daretur eleemosyna, sed erogans illam vellet nulliter dari, ut advertit idem Meroll. n. 729.; unde est, quod pauper fictus teneretur eleemosynam magnam restituere; deficiente vero motivo impulsivo, puta probitate, erogans eleemosynam non vellet nulliter dari, quamvis forte non daretur. In dubio tamen, num causa aliqua sit finalis, an impulsiva? dicenda est impulsiva, quia standum pro valore actus, qui est in possessione.

IV. Prænotandum ulterius, errorem posse contingere in contractibus, vel circa substantiam rei; ut si volens emere aurum, aut adamantem emat aurichalcum, aut vitrum; Vel circa qualitates, seu accidentia, quæ alliciunt, aut retrahunt a contrahendo; ut si putans emere equum strenuum reperiat calcitrosum, aut pigrum; vel si contrahens matrimonium cum Berta putet esse nobilem, & pulchram, & reperiat ignobilem, ac deformem. Ubi bene advertit Vasq. in 1. 2. d. 30. c. 4. posse aliquando errorem circa qualitates redundare in substantiam, & consequenter esse errorem circa substantiam rei; quando scilicet consensus contrahentium non per accidens versatur circa qualitates, sed per se, quia ex natura rei conducunt ad essentiam contractus. Hinc ad substantiam venditionis, vel locationis pertinet, non solum res ipsa vendenda, vel locanda, sed etiam qualitates, quæ valde notabilem ementis, aut conducentis utilitatem continent; & ex Sanch. lib. 4. cap. 2. ad substantiam voti pertinent etiam circumstantiæ substantiales, seu notabiles executionis difficultates, quæ notabiliter voventis animum a voto avertunt; Unde etiam est, quod in matrimonio error circa personam sit substantialis; secus vero in aliis Sacramentis; Quod etiam accidit in contractibus gratuitis, puta in promissione, donatione &c. per quos voluntatis affectus, & liberalitas erga certum hominem exercetur.

V. Sciendum denique, contractus dividi in onerosos, qui ferunt in utroque contrahentium obligationem, ut sunt emptio, locatio &c.: & lucrativos, seu gratuitos, qui tantum gravant unum contrahentium; ut sunt promissio simplex acceptata, donatio liberalis, &c.. Præterea alios esse contractus bonæ fidei, alios stricti juris: dicuntur esse actiones bonæ fidei, quæ proveniunt ex contractibus, seu quasi contractibus emptionis, venditionis, locati, conducti, mandati, depositi, tutelæ, commodati, & similibus, *ex Instit. de actionibus*: Reliquæ actiones sunt stricti juris, nempe ex promissione liberali, & transactione, Emphyteusi, Feudo &c..

In contractibus stricti juris locum non habet arbitrium Judicis in foro externo, ut notat Less. cap. 13. n. 15., sed tenetur hic absque ulla benignitate judicare, prout a contrahentibus expresse conventum est: In contractibus vero bonæ fidei Judex habet facultatem judicandi, quid sit bonum, & æquum visum fuerit, quamvis de eo nihil sit expressum a contrahentibus.

Dubitant juris periti, Num divisio horum contractuum sit ex natura rei, an vero ex arbitrio Imperatoris? Dicendum videtur esse ex dispositione juris positivi aliquatenus fundata in exigentia naturali talium contractuum. Quamvis autem in jure civili habeatur horum contractuum distinctio; multi tamen cum Bardi, Comitolo lib. 3. q. 1. putant in jure Canonico omnes contractus esse bonæ fidei; Unde fit, Jure Canonico, & in foro conscientiæ omnem contractum, (excepto matrimoniali, ut notat Lugo c. 5. n. 55. ex Bonacina) esse nullum, quoties dolus dat causam contractui; quod in jure civili, & pro foro externo solum in contractibus bonæ fidei est verum, cum contractus stricti juris possint solum exceptione doli elidi, ac irritari, ex Sanch. lib. 1. d. 64. Molina, Bonacina contra Less. loc. cit. Laymann. Conink putantes, etiam contractus bonæ fidei in jure civili esse validos, & irritandos, quando dolus dedit illis causam.

ARTICULUS II.

Utrum error, vel dolus antecedens reddat contractus irritos Jure naturæ.

I. Error antecedens invincibilis circa substantialia contractus irritat illum jure naturæ.

II. Et probabilius etiam vincibilis, & crassus.

 III. Ad

III. Ad culpam contrahendam sufficit voluntarium indirecte, & in causa, non tamen ad valide contrahendum: Sicut nec sufficit ad valide Sacramentum administrandum.

IV. Relate ad culpam contrahendam comparatur actus voluntatis ad illam, tanquam ad suum objectum; at relate ad contractum, & ad Sacramenta administranda comparatur, tamquam ad suum effectum.

V. Ad contrahendum, & ad Sacramentum conficiendum satis est intentio virtualis (non tamen habitualis) seu voluntas tantum in causa.

VI. Error, seu dolus circa accidentalia contractus universim illum non irritat jure naturæ. Sicut nec obest validæ Sacramentorum administrationi talis error.

VII. Irritat tamen, si sit circa qualitates substantiales.

VIII. Quandonam eleemosyna data pauperi ficto ab hoc restituenda.

IX. In matrimonio, & professione Religiosa, quæ statum fixum continent, contractus non irritatur per errorem circa qualitates, nisi expresse excipiantur.

X. Contractus bonæ fidei jure positivo duntaxat, non jure naturali sunt irriti, quando dolus dat causam contractui.

I. QUæstio procedit tam de errore circa substantialia contractus, quam circa accidentalia; tum de invincibili, tum etiam de vincibili.

Dico primo; Error invincibilis antecedens, seu qui dat causam contractui, si sit circa substantialia contractus, reddit illum jure naturæ irritum: ut si invincibiliter emas vitrum pro adamante, aut ducas Bertam pro Theresia. Ita communiter apud San. l. 3. d. 18. Less. Filliuc. Ratio est, quia deficiente consensu contractus est nullus jure naturæ: atqui posito tali errore deficit consensus: ergo contractus est jure naturæ irritus. Minor patet, quia nihil est tam contrarium consensui, quam error, videlicet circa substantialia rei, ex lege *si per errorem de Jurisd. omnium judicum*; & errantis nullus est consensus, neque voluntas, ex lege *Non iccirco, c. de juris, & facti ignorantia.*

II. Dico secundo: Error antecedens dans causam contractui, quamvis sit vincibilis, adhuc irritat contractus jure naturæ. Ita communis contra Med. Less., & alios apud Sanch. l. 7. d. 19. n. 20., putantes, Ignorantiam crassissimam conditionis servilis non irritare contractum matrimonialem; & contra Nav. & Sylvest. apud Sanch. t. 10. d. 9. n. 19. docentes professionem irritari ab errore invincibili, non tamen a vincibili, fatuo, & crassissimo; & contra ipsum Sanch. l. 4. cap. 2. docentem, errorem vincibilem circa substantiam, vel causam finalem voti non irritare votum.

Ratio nostræ conclusionis est, quia etiam orror vincibilis, & crassus tollit consensum directum in contractum; ergo etiam talis error irritat contractum. Unde Sanch. l. 7. d. 18. probat, Matrimonium esse nullum, si quis putans ex errore crasso ducere Bertam contrahat cum alia persona.

III. Dices: Error vincibilis non causat involuntarium, cum non excuset a culpa transgressorem præcepti: ergo neque reddit contractum involuntarium, & irritum, sed voluntarium, licet indirecte, & in causa. Quare sicut voluntarium indirectum satis est ad culpam contrahendam; (ut si quis ex errore vincibili non jejunet tempore debito, aut si quis prævidens, se patraturum homicidium in ebrietate velit inebriari) ita satis est ad valorem contractuum voluntarium etiam indirectum.

Respondeo, errorem vincibilem irritare contractus, quia licet includat voluntarium indirectum, excludit tamen voluntarium directum, quod unice requiritur ad valorem contractuum. Quis enim dixerit, contrahi valide matrimonium ab ebrio, qui prævidens se in ebrietate contracturum matrimonium se inebriet, & deinde oretenus contrahat?

Ideo ad culpam contrahendam satis est voluntarium indirectum, quia, ut notat Suarez l. 1. de Voto c. 10. & Sanch. l. 1. d. 8. n. 20, cum homo teneatur vitare culpam, eo ipso ac prævidet ex aliqua actione, puta ex ebrietate, sequi aliquod malum, v. g. homicidium, & non curat illud vitare, cum possit, censetur indirecte & virtualiter illud velle; Unde reus est homicidii: At contrahens non tenetur contractum vitare, aut ponere; unde voluntas adhibendi causam contractus non est virtualis voluntas ipsius contractus: Sicut nec Deus dicitur velle peccatum creaturæ, volendo causam liberam peccati, quia non tenetur illud impedire; Nec qui prævidet spirituum commotionem in administrando Sacramento Pœnitentiæ, aut conspurcationem in somnis, dicitur illam virtualiter velle, quando non tenetur tollere ejus causam.

Sed disparitas ulterior, quare ad valorem contractus non sufficiat Voluntarium Indirectum, seu in Causa (puta in omissione voluntaria sciendi, qua constituitur error vincibilis) ex Suar. t. 2. de Relig. l. 1. de Voto cap. 10. n. 8. & tom. 3. l. 6. cap. 5. est, quia ad contrahendam obligationem ex contractu non sufficit ponere materialiter verba obligatoria, sed requirirur etiam formalis voluntas promittendi; Sicut non satis est ad obligationem voti, ut quis prævidens se in somnis nuncupaturum votum, velit dormire, sed debent ea verba procedere formaliter a voluntate directa se obligandi, & ideo voluntarium indirectum, & in causa non satis est ad contrahendum; & consequenter error vincibilis circa substantialia contractus illum irritat jure naturæ; ut si quis matrimonium contrahat cum Berta, ex errore vincibili, quod sit Theresia: Idemque dicas de Professione Religiosa, de Voto, ac de aliis contractibus.

IV. Confirmatur, quia ad culpam contrahendam satis est, ut actus voluntatis comparetur ad actum peccaminosum, tanquam actus ad suum objectum; unde peccat qui vult malum, puta homicidium, etiamsi illud non causet: At in contractibus actus voluntatis comparatur ad contractum, seu ad obligationem ex contractu ineundam, tanquam principium, & causa ad suum effectum; & ideo ad peccandum sufficit involuntarium indirectum, & in causa, non tamen ad contrahendum: Sicut nec in administratione Sacramenti sufficit voluntarium in causa, quia pariter minister Sacramenti est causa effectus illius.

V. Illa intentio virtualis sufficit tam ad Sacramentum conficiendum, quam ad contrahendum, quæ procedit ab intentione actuali perseverante aliquatenus in suo effectu; ut cum quis procedit ad celebrandum, vel ad contrahendum matrimonium, & dum profert verba sacramentalia, distrahitur, quia scilicet hujusmodi verba procedunt ex illa intentione præterita; Contra vero si quis prævidens se in

ſe in ſomnis eadem verba ſacramentalia prolaturum, & velit dormire, nec Sacramentum conficit, nec contrahit matrimonium, quia voluntas utriuſque eſt tantum in cauſa.

VI. Dico III. Error, ſeu dolus, ſive ſit antecedens, & det cauſam contractui, ſive ſit comitans, & incidat in contractum, ſive ſit invincibilis, ſive vincibilis, ſive verſetur circa accidentalia, tunc contractus non eſt irritus jure naturali. Ita Molina, Bonacina, Leſſius c. 17. n. 29. Sanchez l. 1. d. 64. contra Medinam, & Conradum.

Probatur, quia licet quilibet error cauſet involuntarium, cum nil ſit volitum, quin præcognitum; at error, qui non eſt circa ſubſtantialia contractus, ſed circa accidentalia, non reddit actum involuntarium ſimpliciter, & quoad eſſentialia, ſed ſolum ſecundum quid, & quoad ejus qualitates: Atqui actus, qui eſt voluntarius ſimpliciter, & quoad eſſentialia contractus, eſto ſit involuntarius ſecundum quid, & quoad ejus qualitates, non reddit contractum nullum; ergo contractus cum tali errore celebratus non eſt jure naturæ irritus. Minor patet, tum quia metus dans cauſam contractui non reddit illum jure naturæ nullum, ut docent communiter, quia pariter metus tollit ſolum voluntarium ſecundum quid, non ſimpliciter; tum etiam quia, ſi error circa accidentalia contractus dans cauſam contractui redderet actum ſimpliciter involuntarium, & nullum, ſequeretur, quod contractus matrimonialis cum tali errore celebratus eſſet irritus; Quod tamen nemo dixerit; etenim ſi quis ideo Bertam ducat, quia putat divitem, ac virginem, & deinde eas dotes non deprehendat; adhuc matrimonium eſt validum: Dummodo tamen qualitas illa, in qua erratur, non ponatur in contractu per modum conditionis; nam in tali caſu conſenſus conditionatus non purificata conditione non evadit abſolutus, unde matrimonium eſt nullum; & ideo debet expreſſe talis conditio vel actualiter, vel virtualiter in contractu apponi, ut habeat vim conditionis; ita tamen, ut ſi ea ſolum apponatur in mente contrahentis, in foro tantum interno non reſultet obligatio ex illo contractu; ſi vero apponatur verbis, ut probari poſſit, ne in foro quidem externo ea obligatio reſultet.

Hoc etiam dicendum in adminiſtratione Sacramentorum, ſi quis erret circa accidentalia: v. g. ſi quis conferat Baptiſmum, abſolutionem, vel Ordines &c. huic perſonæ præſenti, quia putat eſſe Petrum, vel quia putat eſſe Amicum; cum tamen ſit Cajus non Amicus, tunc error hic non invalidat Sacramentum, niſi expreſſe ſub ea conditione conferatur; quia ſcilicet error Perſonæ ſolum in Sacramento Matrimonii eſt error ſubſtantialis; error autem accidentalis, cum non tollat voluntarium ſimpliciter, non irritat Sacramentum, nec contractum.

VII. Dices: Si quis voveat Peregrinationem Romanam ex errore, quod putet Romam eſſe propinquam, quæ tamen ſit diſtantiſſima, votum eſt nullum, ut docent communiter cum Sanchez lib. 1. c. 2. eo quod error videatur eſſe circa accidentalia; ergo error circa qualitates dans cauſam contractui univerſim contractum irritat. Propterea ſi qui ficta paupertate eleemoſynas extorqueat, non acquirit earum dominium ex defectu conſenſus in conferente, qui cognita fraude eleemoſynam non eſſet daturus. Denique omnes contractus bonæ fidei, ſi fiant ex dolo dante cauſam iiſdem, ſunt ipſo jure nulli, ex Lege, *Et eleganter ff. de dolo*, & quidem ex defectu libertatis, & conſenſus, ut dicitur ibidem; ergo idem dicendum in omnibus contractibus.

Reſpondeo, errorem voti in tali caſu eſſe circa qualitates ſubſtantiales, & ideo eſſe irritum votum, error enim circa qualitates ſubſtantiales redundat in ſubſtantiam contractus, ut notavimus articulo primo, quando ſcilicet valde notabiliter res immutatur relate ad voluntatem contrahentis; ut accidit in caſu; nam peregrinatio ſuſcipitur ad labores perferendos propter Deum; ſi ergo magna deprehenditur diverſitas laborum, diverſa conſtituitur ſubſtantia voti, unde votum eſt irritum; quia ſcilicet ſubintelligitur virtualiter illa conditionalis, Niſi ſit magna diverſitas laborum perferendorum ab ea, quæ apparet.

VIII. Ad id, quod additur: Si motivum eleemoſynæ finale ſit paupertas, certe deficiente paupertate donatio eſt nulla; quia talis error, cum ſit circa motivum intrinſecum, & finale, eſt circa ſubſtantiam contractus; ſi vero motivum eleemoſynæ finale eſſet amicitia, paupertas vero eſſet motivum impulſivum, & extrinſecum, tunc donatio eſſet valida, quia error eſſet circa accidentalia contractus, ut notat Vaſq. 1. 2. d. 30.

IX. Solum in Matrimonio, & Profeſſione Religioſa, quæ continet ſtatum fixum, quem oportet ſuſcipere propter ejus finem, & motivum intrinſecum, quilibet error cenſetur pertinere ad accidentalia; (niſi expreſſe habeatur contraria voluntas) & ideo univerſim Matrimonium, & Profeſſio Religioſa cenſetur valida, petito quovis errore non pertinente aperte ad ſubſtantiam contractus: In reliquis vero contractibus ſæpe dubitatur, Num error ſit circa motivum finale, & quoad ſubſtantialia, an vero circa impulſivum, & quoad accidentalia? In quo caſu id judicandum ex affectu, & diſpoſitione contrahentis, ex quantitate, vel qualitate rei per contractum tradendæ, & ex aliis circumſtantiis: Quod ſi adhuc dubium perſeveret, diximus motivum cenſendum eſſe impulſivum, non finale, quia ſtandum pro valore actus, qui eſt in poſſeſſione.

X. Ad ultimum, id deciditur jure poſitivo, nos vero hic loquimur de jure naturali, & dicimus, contractum cum errore circa accidentalia valere jure naturæ, eſto jure poſitivo poſſit eſſe irritus. Unde objectio retorquetur; nam ſi ibi deciditur contractus bonæ fidei tantum eſſe ipſo jure irritos, ſi dolus det cauſam contractui, non vero contractus ſtricti juris; ergo jure naturali omnes contractus ſunt validi, dummodo dolus non ſit circa ſubſtantiam, quia ſcilicet ſubintelligitur conditio non contrahendi, ſi in ſubſtantialibus erretur.

ARTICULUS III.

Ex præcitata doctrina reſolvuntur plurimæ difficultates.

I. Error perſonæ ſicut in matrimonio, ita in donatione &c. eſt error circa ſubſtantialia irritans contractum.

II. Promiſſio gemmæ, quæ putatur vitrum, quamvis juramento firmata, eſt nulla.

III. Collatio Beneficii facta per errorem circa doctrinam, paupertatem &c. valida eſt; ſecus vero, ſi fiat per errorem circa lauream Doctoralem in beneficiario requiſitam.

IV. Quandonam collatio Beneficii facta a Pontifice per errorem circa accidentalia eſt invalida?

V. Num

V. Num votum de ingredienda Religione obliget, si non subsistat, aut cesset causa talis voti, puta paupertas? Et quid in dubio, an talis causa fuerit finalis?

VI. Quandonam est invalidum votum factum per errorem circa circumstantiam, quæ si fuisset prævisa, votum non fuisset nuncupatum?

VII. Error circa causam finalem irritat votum simplex, & sponsalia, non tamen professionem Religiosam, & Matrimonium.

VIII. Sitne valida eleemosynæ collatio facta simulanti ægritudinem?

IX. Si erigatur Hospitale, aut dos constituatur, v. g. pro Germanis, aut pro Virginibus, num teneatur ad restitutionem, qui has qualitates simulat? Et cuinam facienda isthæc restitutio?

I. SEquitur ex dictis primo, errorem Personæ in contractibus onerosis non irritare contractum, secus vero in contractibus lucrativis, puta in donatione, promissione &c. Ratio est, quia ille error est circa accidentalia contractus, hic vero circa substantialia; eo modo, quo in matrimonio error personæ est circa substantialia, non vero in aliis Sacramentis. Quamvis autem in hoc omnes conveniant, quod donatio sit nulla, quando fit Petro, si putetur esse Paulus; nihilominus dubitatur a Doctoribus, an sit pariter nulla donatio, quando fit Petro diviti, aut extraneo, si per errorem putetur esse pauper, aut consanguineus? Putant esse validam Salas 1. 2. tr. 3. d. 4., & Conink de Sacramentis d. 37. dub. 1., quia error hic videtur esse circa accidentalia, ut in contractu Matrimonii. Sed verius cum Vasq. c. 3. de Eleemosyna dubio ultimo distinguendum. Si paupertas, aut consanguinitas sit motivum finale donationis, error contractum invalidat; secus vero si solum sit motivum impulsivum. In contractu Matrimoniali semper motivum finale est bonum ipsum matrimonii, ut diximus, non vero dotes Bertæ, nisi id exprimatur; & ideo in Matrimonio semper error hic est circa accidentalia, non tamen in donatione.

II. Sequitur II, quod si vendatur gemma, quæ putetur vitrum, contractus jure naturæ sit nullus, cum error sit circa substantialia; secus vero, si vendatur Petro, qui putatur amicus, cum revera sit inimicus: Et eodem modo promissio gemmæ, quæ putatur vitrum, est nulla, etiamsi sit juramento firmata.

III. Sequitur III., Quandonam collatio beneficii per errorem facta sit invalida? Si quis enim fingat paupertatem, doctrinam, sanctitatem, &c. eaque de causa beneficium obtineat, valida est collatio, quia hujusmodi error est circa accidentalia, non circa causam finalem, quæ est idoneitas Clerici; contra vero invalida est collatio, si quis fingat, se esse Doctorem Theologiæ, vel Canonum, & ad tale beneficium requiratur laurea doctoralis; Idque verum est, sive Episcopus decipiatur a se, sive ab ipso Beneficiario, sive ab alio, ut docent Azor. Vasq. contra Alensem; quia eadem ratio semper militat, quod error sit circa causam finalem. Pariter, si quis in concursu ad obtinendum beneficium curatum fingat doctrinam, eaque de causa ipsi tanquam digniori beneficium conferatur, collatio est nulla; quia pariter error est circa substantialia, & circa motivum finale, quod est major dignitas; cum ex Trid. sess. 14. cap. 18. ejusmodi beneficia debeantur dignioribus.

IV. Adde; Si collatio Beneficii simpliciter fit Clerico simulanti doctrinam, ob doctrinam simulatam collatio est valida, si fiat ab Episcopo; quia doctrina est motivum impulsivum; & idoneitas est motivum finale: Contra vero si fiat a Pontifice ad petitionem ipsius Clerici impetrantis, qui falso dixit, se esse Doctorem, vel nobilem, collatio erit invalida, si id expositum fuit pro causa unica talis petitionis. Ratio est, quia rescripta Pontificis semper habent tacitam illam conditionem, si preces veritate nitantur, *ex cap. 2. de rescript.* Eodem modo, si quis petat secundum beneficium, non facta mentione de priori, collatio facta ab Episcopo est valida, *Ex Clementina 2. de Officio Ordinariorum*; (idemque docent communiter Doctores, si in supplicatione non fuit expressus verus valor beneficii) quia qualitates Beneficiariorum suæ Dioecesis præsumuntur cognitæ ab Episcopo, qui ex Tridentino sess. 24. c. 3. tenetur singulis annis Dioecesim visitare: Contra vero, si collatio hæc fiat a Pontifice, est nulla, & subreptitia, ex cap. *Si motu proprio de Præbendis*; nihilominus si non fieret mentio prioris beneficii, hunc defectum subreptionis suppleret clausula illa *Motu proprio*, si in concessione beneficii posterioris ea adderetur a Pontifice; at non suppleret ea clausula talem defectum, si quis falso exprimeret, se non esse beneficiarium. Præterea nec vitiatur collatio beneficii facta a Pontifice, si in modico non exprimatur verus valor illius, quia modicum, & nihil in jure æquiparantur, ut notat Molina d. 81. ex cap. *De Multa de Præbendis*.

V. Sequitur IV., quid dicendum, An teneatur Voto de Religione ingredienda, qui ad illud nuncupandum inducitur, quia per errorem credit, se esse destitutum re familiari, cum tamen re vera sit dives, vel si cesset paupertas, antequam Religionem ingrediatur?

Antonius, & Ostiensis apud Meroll. d. 2. n. 772. putant, teneri ad Religionis ingressum, etiamsi cessaverit causa voti. Negant aliqui, quos videtur sequi Molina d. 209., putantes, errorem causæ, quæ induxit ad promittendum, regulariter annullare promissionem, quia præsumendum est non esse promittentis animum velle se obligare ea causa non subsistente. Sed cum Suar. l. 4. de voto cap. 18. distinguendum: error enim solius causæ finalis extinguit votum, non vero error causæ impulsivæ; cessante enim causa finali deficit intentio voventis, quia deficit proprium, & formale motivum illius: In casu autem nostro non videtur cessare causa finalis voti, quæ est bonum ipsius Religionis, & ideo votum obligat. In dubio tamen, num paupertas in tali casu esset causa finalis? præsumi debet, esse impulsivam, atque adeo obligationem voti non cessare; tum quia in omni voto finalis causa illius videtur esse Dei cultus; tum etiam quia possessio stat pro voto, & in dubio melior est possidentis conditio, ut notat Sanchez lib. 10. disp. 9. Et idem dicas, si dubitetur, an circumstantiæ, quæ superveniunt voto, notabiliter varient rem promissam?

VI. Ubi diligenter notandum, non irritari votum ex ignorantia alicujus circumstantiæ, quæ si esset prævisa, votum non fuisset emissum; nam si hoc esset, fere nullus contractus subsisteret; quia

fere

fere semper ea de novo accidunt contractui, quæ si fuissent prævisa, contractus non fuisset factus. Quare dicendum cum Sanchez loco laudato n. 15., tunc votum irritari, quando ex vi volitionis vovendi, non vero ex vi aliorum actuum, vel habituum voventis, non fuisset emissum votum errore deprehenso: E. gr. si quis vovet dare eleemosynam Petro, qui putatur pauper, & probus, cum tamen sit dives, & fur, ex vi volitionis vovendi eleemosynam non fuisset hujusmodi votum emissum deprehenso errore, quod Petrus sit pauper, quia sola paupertas, non vero probitas continetur in objecto volito per talem promissionem. At si deprehendatur, quod non sit probus, sed sit fur, solum ex vi aliorum actuum, vel habituum voventis, quibus odio habet fures, non fuisset data eleemosyna, nec votum emissum fuisset; & ideo si Petrus sit pauper, & fur, adhuc votum est validum, secus vero si sit probus, sed dives.

VII. Votum tamen solemne Religionis nunquam est irritum; sicut nec est irritum Matrimonium, nisi quando error est circa substantialia contractus, (ut docent communiter cum Sanchez lib. 10. de Matrimon. disp. 9. num. 20.) quamvis error sit circa causam finalem. Disparitas autem, quare error circa causam finalem irritet votum simplex, & Sponsalia, non tamen irritet votum solemne, & matrimonium, est, quia quando voluntas eligit statum fixum, & permanentem, (sicut est professio Religiosa, & Matrimonium) eligit illum secundum modum congruentem tali statui, atque adeo independenter ab aliis rebus, præter ea, quæ sunt de ipsius status substantia.

VIII. Sequitur V. resolutio illius quæstionis, sit ne valida donatio eleemosynæ facta simulanti paupertatem, vel ægritudinem; Putant esse validam Cajet., Sot., Laym. l. 3. tr. 4. sect. 5. c. 5., quia causa finalis dandi eleemosynam non cessat; ea enim videtur esse non paupertas, sed charitas Dei, qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos. Suar. tamen lib. 4. de voto c. 18. Azor. Conink de Sacramentis d. 31. docent esse invalidam, atque adeo eleemosynam restituendam esse, quia quamvis actus ille, quo pauperi succurrimus, sit a charitate Dei imperatus, elicitur tamen a virtute misericordiæ, quæ respicit essentialiter miseriam pauperis sublevandam, unde cessante paupertate cessat causa finalis; & sic donatio est nulla.

Alii denique cum Molina d. 210. Less. c. 18. n. 130., & Rebello verius distinguunt juxta superius dicta, quod si dans eleemosynam deprehensis divitiis Patris voluisset donationem esse nullam, tunc donatio est invalida: Secus vero si deprehensis divitiis, solum non facta fuisset eleemosyna, non vero voluisset ille invalidam esse largitionem: Juxta quam sententiam excusantur a restitutione, qui ob fictam causam accipiunt eleemosynas parvas; quia scilicet animus donantis solet esse, quod valida sit donatio, non obstante fictione, posito quod parvam illam eleemosynam contulit; quandoquidem idem est meritum apud Deum erogantis stipem, sive verus sit pauper, qui accipit, sive putatus: Non excusantur tamen a restitutione, qui ficta paupertate magnas eleemosynas accipiunt, quia causa finalis istarum est sola paupertas sublevanda.

IX. Sequitur ultimo resolutio alterius quæstionis, An quando quis erigit v. gr. hospitale pro Germanis, aut constituit dotem pro Virginibus &c. teneatur ad restitutionem, qui fingit se esse Germanum, aut se esse Virginem, ut possit frui iis bonis? Videtur, quod non, quia error est circa qualitatem: sed dicendum teneri cum Azor. lib. 1. c. 18., & aliis communiter; quia talis error circa qualitates redundat in substantiam; etenim reditus illi constituti sunt ad Germanos sustentandos, & ad Virgines dotandas; Unde error est circa substantialia donationis.

Cui tamen facienda sit hujusmodi restitutio? dissidium est apud Doctores: Sotus, Molina, Lessius, Bonacina putant faciendam esse danti, quia cum donatio sit invalida, remanet dominium apud donantem: Cajetanus, & uterque Navarr. putant, faciendam esse aliis pauperibus, quia donans abdicavit a se dominium: Vasquez cap. 3. de Eleemosyna dubio ultimo censet, ad arbitrium recipientis posse restitutionem fieri, vel danti, vel aliis pauperibus, ob utriusque illius sententiæ probabilitatem.

ARTICULUS IV.

An dolus, vel Error Antecedens dans causam Contractui illum irritet saltem jure positivo?

I. Nullo jure irritatur Contractus, si dolus, & error sit circa accidentalia, & non proveniat ab aliquo ex contrahentibus doli participe. Debet tamen contractus ad æqualitatem reduci.

II. Si res sit integra, non tenetur deceptus stare Contractui.

III. Qui sponsalia contraxit cum Berta, quam falso putat esset divitem, num possit errore detecto resilire?

IV. Contractus per dolum alterius Contrahentis celebrati jure positivo videntur validi, licet ad arbitrium decepti possint rescindi, si sint rescindibiles.

V. Diluuntur objecta.

VI. Opposita sententia suam habet probabilitatem.

I. Certum est, errorem, vel dolum, qui non provenit ab uno contrahente doli participe cum injuria alterius, non tollere consensum substantialem, quando est circa accidentalia contractui; nec ullo jure hujusmodi contractus irritari, esto dolus dederit causam contractui; ut communiter docent cum Laym., Less. Bonac. Solum admittit Sanch. l. 1. disp. 64., quod secundum juris æquitatem possint irritari. Molina vero disp. 352. notat, quod si in contractu fuerit ratione doli aliqua inæqualitas, debeat ad æquilitatem reduci; ut si quid emptum fuit minus justo pretio, debet usque ad pretium justum, saltem infimum, suppleri, *ex l. 13. ff. de Actionibus empti.*

Quod si dolus provenerit ab aliquo tertio, tunc ille tenetur restituere decepto quicquid datum fuisset ab emptore, etiam ultra pretium infimum; quia totius istius jacturæ fuit causa injusta per dolum.

II. Denique Less. cap. 17. num. 33. advertit, quod si res sit integra non teneatur in conscientia deceptus stare contractui; quia promissio, cum sit quædam lex privata, non obligat ultra promittentis

tis intentionem; Nemo autem promittens intendit se obligare, nisi subsistat causa, propter quam promittit: ergo interveniente dolo, deceptus non tenetur stare contractui.

III. Hinc communiter docent, quod si quis contrahat Sponsalia de futuro cum Berta, quia per errorem putat illam esse divitem, aut nobilem, poterit errore detecto resilire, & sponsalia dissolvere, si cum ea non esset alias contracturus: Et quamvis putet Less., deceptum in hoc casu debere compensare damnum, quod alteri obveniret ex non adimpletione contractus; at verius Merol. docet non teneri, si error fuerit invincibilis, aut venialiter solum vincibilis; sed solum quando fuit graviter vincibilis; quia tunc damnum provenit alteri contrahenti ex culpa gravi trahente onus restitutionis. Quando vero res non est integra, qui tali contractu per dolum celebrato aliquid consecutus est, non tenetur ad restitutionem, nisi contractus irritetur, quia nullam injuriam intulit. Si tamen error sit circa substantiam contractus, puta donationis, tunc quia donatio jure naturali est irrita, datur onus restitutionis, juxta dicta articulo secundo.

IV. Difficultas tamen est, An quando dolus circa accidentalia dans causam contractui provenit ab altero contrahente, tunc contractus jure positivo sit irritus? Quod ad praxim deservit, ut mox dicemus.

Sanchez lib. 1. dub. 64., Molina, Bonacina, Salas putant, contractus bonæ fidei, ut emptio, Locatio, commodatum &c. esse irritos jure positivo; Contractus vero stricti juris, ut promissio, donatio, emphiteusis &c. esse irritandos, & consequenter validos; ita ut exceptione doli mali elidi possint. Quod probant *ex l. Et eleganter ff. de dolo*, ubi dicitur nulla esse venditio, si in hoc ipso, quod venderet, circumscriptus est, hoc est dolo inductus est. Quia tamen hæc lex est tantum pro foro externo, & secundum conscientiæ forum, & Jus canonicum, nullum hac in re datur discrimen inter contractus bonæ fidei, & stricti Juris; ideo omnes omnino contractus, quibus dolus adhibitus ab altero contrahente, censentur a Molina d. 259. Sanchez lib. 1. dub. 64. Rebell., & aliis jure positivo irriti.

Dicendum tamen cum Less. cap. 17. num. 31. Laym. lib. 3. tract. 4. cap. 5. Conink, & aliis communius, omnes contractus per dolum alterius contrahentis celebratos esse validos, & jure positivo irritandos ad arbitrium solius decepti; quando tamen contractus rescindi potest, non vero si sit irrescindibilis, ut Matrimonium, & professio Religiosa.

Probatur, quia dolus, & error circa accidentalia non tollunt voluntarium simpliciter, sed solum faciunt involuntarium secundum quid; ergo in casu nostro cum habeatur consensus substantialis, contractus sunt validi, ut patet in contractu matrimonii, qui in omnium sententia est validus. Quod autem ad arbitrium solius decepti possit irritari contractus rescindibiles, constat, quia semper in contractibus censetur inesse ea tacita conditio, quod arbitrio decepti rescindi possint, quando dolus alterius contrahentis induxit ad contrahendum.

V. Oppones ex Molina, Sanchez, Rebell. legem laudatam, *Et eleganter*, ubi dicuntur irriti contractus bonæ fidei celebrati ex dolo alterius contrahentis; sed in jure Canonico nullum est discrimen inter contractus bonæ fidei, & stricti juris: ergo jure positivo omnes hujusmodi contractus sunt irriti, non vero solum irritandi.

Confirmatur, quia si hujusmodi contractus essent validi, sequeretur, quod deceptus, quousque errorem deprehendat, teneretur ad arbitrium deceptoris stare contractui, quod videtur absonum; nam ex injuria irrogata proveniret illi actio, & jus adversus deceptum.

Respondeo, eam legem non obstare, tum quia ibi agitur de Minore per dolum decepto, ut servum venderet, cujus contractus erat nullus, quia absque Judicis decreto, quod requirebatur ex lege, *Ex causæ cognitione ff. de Minoribus*; tum etiam quia hujusmodi contractus vocantur irriti, per hoc quod deceptor nihil solidi juris ex eo acquirat, cum debeat ad arbitrium decepti rescindi contractus: denique cum sæpe in jure idem sonet irritum, ac irritandum, dicendum hujusmodi contractus esse tantum irritandos, non irritos.

Ad confirmationem dico, hujusmodi jus, & actionem competere deceptori, non ex injuria illata, sed ex mutuo, & substantiali consensu adhibito in contractu; ex injuria autem duo sequuntur, & quod omne damnum resarcire debeat deceptor, quousque dolus ignoratur ab altero contrahente, & quod deprehenso dolo debeat ad arbitrium decepti contractum rescindere.

VI. Quia tamen opposita tot, tantorumque virorum sententia (quod scilicet jure positivo sint irriti hujusmodi contractus) suam habet probabilitatem, ex ea pro praxi sequitur, deceptorem non teneri in conscientia ante Judicis sententiam contractum implere, aut ratificare; Sicuti qui ficte contraxit, non tenetur saltem sub mortali contractum ratificare, quando nullum secutum sit incommodum, quod unice per ratificationem reparari possit; ut de matrimonio docet Sanchez l. 1. dub. 11., & de aliis contractibus docet Lessius: Nec tenetur professionem ratificare, qui ficte professus est, nisi forte per accidens ad scandalum vitandum.

Dices: Absonum est, quod deceptus teneatur stare contractui, & deceptor nec teneatur contractui stare, nec illum ratificare; ergo tenetur ratificare.

Respondet Sanchez loco laudato, non teneri ad ratificandum; sicut non tenetur ad professionem Religiosam exterius ratificandam, præciso scandalo, qui ficte professus est, quamvis Religio se obligaverit ex parte sua; sed sufficit, quod Religiosus consensum interius renovet, antequam Religio revocet consensum suum. Ratio est, quia ex hoc, quod deceptus se obligaverit, & teneatur contractui stare, quousque illum putat validum, solum sequeretur, quod deceptor teneatur ex justitia vitare, & compensare quodvis damnum contrahentis; ergo non tenetur ratificare contractum, si aliter potest damnum reparare.

ARTI-

ARTICULUS ULTIMUS.

An Error Concomitans circa rei substantiam irritet contractum jure naturæ.

I. Videtur circumscripto Matrimonio validus jure naturæ contractus celebratus cum errore concomitante, seu incidente in contractum; quippe qui deprehenso errore adhuc celebraretur.
II. Communius tamen docent esse invalidum jure naturæ.
III. Doctores oppositum sentientes, docentesque jure saltem positivo esse validum, interpretandi sunt de contractu celebrato per errorem concomitantem circa qualitates.
IV. Contractus jure naturæ nullus a lege extrinseca solum validari potest quoad ejus effectum, non quoad ejus constitutiva.
V. Quid si dubitetur, Num contractus celebratus sit cum errore antecedente, an cum concomitante?

I. Reliquum est, ut agamus de errore, seu dolo concomitante, quem Juristæ vocant dolum incidentem in contractum, quia non est causa contractus, quandoquidem etiam eo deprehenso contractus fieret: Vasq. 1. 2. d. 13. c. 4. n. 30., cum communi Juristarum docere videtur, quod contractus hic sit validus, excepto Matrimonio, quia quamvis error, & ignorantia concomitans faciant actum non voluntarium, juxta superius dicta; nihilominus cum hic contractus non sit positive involuntarius, & alias deprehenso errore etiam fieret, censeri debet validus propter voluntatem interpretativam, qua contractus fieret, si error non adesset.

II. Sed communiter cum D. Thoma 1. 2. qu. 6. art. 8., & Filliuc. tr. 25. cap. 6. negant esse validum ea ducti ratione, qua communiter etiam docent cum Sanchez l. 7. d. 18. Matrimonialem contractum cum ignorantia concomitante celebratum esse nullum, puta si quis ducat Bertam, putans esse Teresiam, eo tamen animo, ut etiam illam duceret, si sciret esse Bertam. Ideo enim Matrimonium hoc cum Berta est invalidum, quia ad contractum matrimonialem requiritur voluntas, & consensus positivus, qui relate ad Bertam non datur; Cum ignorantia concomitans, licet non faciat actum positive involuntarium, non faciat tamen voluntarium positive. Et ratio ulterior est, quia in hoc casu consensus est absolutus relate ad Teresiam, cum putet illam esse Teresiam, relate vero ad Bertam præsentem consensus est conditionatus, quatenus si sciret hanc esse Bertam, adhuc duceret; Consensus autem conditionatus conditione se tenente ex parte actus, quo quis dicit, contraherem cum Berta, si &c. nullam inducit obligationem, ut patet: quis enim dixerit aliquem teneri v. g. voto, quod non emittit absolute, sed emitteret, si &c. ergo matrimonium hoc est invalidum. Hæc autem ratio æque militat pro aliis contractibus; ergo nullus contractus jure naturæ est validus, si cum errore, vel dolo concomitante celebretur.

III. Juristæ, qui in contrarium adducuntur, docentes, jure saltem positivo contractum cum errore concomitante esse validum, intelligi debent de errore circa qualitates, non circa rei substantiam; Et eodem modo explicandus est Vasquez laudatus; Nam si error sit circa substantiam rei, aut circa qualitates substantiales, cum reddat contractum jure naturæ invalidum, fieri nequit, quod jure positivo hujusmodi contractus evadat validus; Quomodo enim fieri poterit, quod contractus jure humano sit validus, quando ei desunt constitutiva essentialia contractus, ut est consensus absolutus?

IV. Potest quidem a lege extrinseca validari contractus relate ad ejus effectum, non relate ad ejus essentiam: Sicut enim potest Deus sine consensu Caji, & Bertæ obligare illos ad ea omnia, ad quæ obligat contractus matrimonialis, ut notat D. Thomas 1. 2. q. 100. art. 8. ad 3., in quo casu habetur effectus matrimonii, nempe vinculum indissolubile, absque constitutivis essentialibus matrimonii; Ita potest lex humana efficere, ut posito contractu cum ignorantia concomitante, obligetur contrahens, perinde ac si verum contractum posuisset; quin tamen efficere possit, quod habeatur tunc contractus legitimus, deficientibus ejus constitutivis; cum ne divinitus quidem id fieri possit.

An autem jus humanum de facto statuerit, quod contractus cum errore concomitante celebrati validi sint quoad eorum effectum? dicendum cum Meroll. nu. 568. probabilius nihil de hoc statutum esse: Quod probatur ex leg. *In venditionibus*, *ff. de contrahenda emptione*, ubi dicitur error in substantiam rei reddere venditionem nulla: Cum autem textus non loquatur expresse de errore tantum antecedente, dante causam contractui, intelligendus est de quocumque errore, sive antecedente, sive concomitante incidente in contractum; quia ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, *ex lege de pretio*, *ff. de public.*

V. Illud demum inquiri posset: In dubio, num contractus aliquis celebratus sit cum errore antecedente, an cum concomitante, quid resolvendum? Sanchez lib. 1. dub. 65. putat id resolvendum ex materiæ gravitate; nam si ea sit ita notabilis, ut juxta prudentium æstimationem notabilem mutationem efficiat, præsumendum est, quod si error deprehenderetur, contractus non fieret, atque adeo contractum fuisse factum ex errore antecedente dante causam contractui, & ideo esse invalidum; cum talis error sit circa rei substantiam, seu circa qualitates substantiales: Secus vero, si gravem mutationem non efficiat. Quod si recurrat dubium, an gravem efficiat mutationem? tunc standum pro valore contractus, qui stat in possessione; atque adeo dicendum factum esse cum errore tantum concomitante, qui scilicet sit circa accidentalia rei, unde contractus sit validus.

QUÆSTIO VI.

De Metu irritante Contractus, aut Vota ex defectu Voluntarii.

PLurima hic inquirenda: Et primo quidem, an metus gravis injuste incussus ad contractum extorquendum irritet illum jure naturæ? Secundo, An saltem jure positivo irritet? Tertio, Utrum extorta metu levi in foro conscientiæ restituenda sint? Unde plurimarum quæstionum resolutio descendet. Esset etiam inquirendum, An contractus metu irriti juramento firmentur? sed quoniam hac in re plura sunt discutienda; quæstionem seorsim instituemus. Sit igitur

ARTICULUS I.

An metus gravis injuste incussus ad extorquendum contractum irritet illum jure naturæ?

I. *Non irritatur contractus a metu gravi non injusto.*

II. *Neque a metu injuste incusso, sed non ad extorquendum contractum: in quo casu non est irritandus. Ex quo multa deducuntur.*

III. *Metus injuste incussus ad contractum extorquendum videtur jure naturæ contractum irritare multis de causis.*

IV. *Saltem videtur id verum esse in contractibus lucrativis, qui debent esse magis voluntarii, quam onerosi.*

V. *Sed communius docent, omnes hujusmodi contractus esse jure naturæ validos, ita tamen, ut ad arbitrium metum passi rescindi possint, dummodo sint rescindibiles. Quare etiam matrimonium meticulosum, & professio Religiosa jure naturæ sunt valida, & solum jure positivo irritantur.*

VI. *Potest tamen metum passus accommodare se oppositæ sententiæ, & nolle stare contractui tanquam invalido.*

VII. *Metus dicitur consensui contrarius, non quia illum destruit, sed quia minuit.*

VIII. *Dominium, quod per contractus metu extortos transfertur, est debile.*

IX. *Cur nequit latro ea, quæ sibi per metum promittuntur, accipere? Et cur promittens non teneatur ea solvere, nisi promissio sit jurata?*

X. *Votum simplex metu extortum solum jure positivo est irritum, non quidem scripto, sed tradito; Non secus ac matrimonium fidelis cum infidele metu extortum.*

XI. *Pariter sponsalia meticulosa vel sunt saltem indirecte irrita jure positivo per hoc, quod irritetur matrimonium, ad quod tendunt, vel sunt irritanda.*

I. CErtum est, quod si metus sit justus, & proveniat ab intrinseco, vel a causis naturalibus, non irritetur contractus: Aliter promissiones, vota, & juramenta in infirmitate periculosa, aut in tempestate facta non valerent; quod nemo dixerit. Et ratio est, quia metus non tollit simpliciter voluntarium: Quando autem non est injustus, non irrogat injuriam; unde non est, cur contractus sit irritus, aut irritandus.

II. Certum etiam est, neque irritari contractum a metu injuste incusso, sed non ad illum extorquendum: Etenim tunc homo non impellitur ad contrahendum ab alio, sed a se ipso, cum nemo exigat illum contractum, sed voluntarie contrahens illum eligat ad evadendum malum imminens, etiamsi injuriose comminatum: Imo in tali casu nec est rescindendus contractus, ut docent Salas, Reb., Conink., Henriq. l. 11. c. 9. Cessat enim ratio, ob quam contractus rescinduntur; videlicet ne detur ansa ad vim inferendam. Unde sequitur primo, valere matrimonium damnati ad mortem propter homicidium, cui libertas offeratur, si ducat consanguineam occisi: Idque verum est, non solum si juste, sed etiam si injuste damnatus sit ad mortem; dummodo non sit damnatus ad matrimonium extorquendum, ut docent Pal., Bon., Valent., Sanch. l. 1. d. 12. Sequitur etiam, ut notat Henriq. loc. laud., & Sanch., quod si consanguinei velint injuste occidere repertum in stupro, & hic offerat matrimonium cum stuprata ad mortem evadendam, validum etiam sit matrimonium, quia metus non tendit ad extorquendum matrimonium, sed per accidens se habet ad illud. Idemque dicitur, si Gubernator obsessus offerat matrimonium cum filia obsidentis, ut obsidione liberetur; dummodo obsesso non fuerit ad extorquendum matrimonium.

III. Difficultas itaque est de metu injuste incusso ad contractum extorquendum; Et quidem de metu gravi; nam si metus sit levis, certum pariter est, contractus non esse irritos, immo nec irritandos in foro exteriori; cum pro metu levi non detur actio pro tali foro, ex l. *Vani timoris*, *ff. de Reg. juris*; quamvis communissime doceant contra Medinam, extorta metu etiam levi pro foro conscientiæ esse restituenda, quod infra examinabimus.

Prima itaque sententia docet cum Soto, Sayro, Salas, Molina disp. 267. & 326. ad 2., hujusmodi contractus jure natutæ esse irritos, atque adeo per illos dominium non transferri. Ratio est primo, quia Titius extorquens metu gravi consensum a Cajo, irrogat illi injuriam, & injustitiam; ergo justum non est, quod commodum ex hac iniquitate reportet; reportaret autem commodum, si contractus esset validus; quandoquidem obligaret sibi Cajum coactum metu ad contrahendum: ergo contractus non est validus.

Secundo, quia contractus sine consensu est jure naturæ nullus; atqui posito metu deest consensus: nam in Reg. *Nihil consensui*, *ff. de regul. Jur.* dicitur, *Nihil consensui tam contrarium est, quam vis atque metus*; Et c. *Cum locum de sponsal.* dicitur: *Cum locum non habeat consensus, ubi metus, vel coactio intercedit*. Contractus itaque meticulosus est nullus.

Tertio, acquisita per hujusmodi metum gravem in foro conscientiæ restituenda sunt, antequam per judicis sententiam rescindatur contractus; ut communiter docent apud Less. c. 17. n. 1., ergo signum est

est dominium non transferri; & consequenter contractum esse invalidum.

Quarto, si metu injuste incusso adigaris ad promittendum latroni centum, certe latro non potest ea accipere, & consequenter nec tu teneris solvere: ergo signum est, promissionem illam jure naturæ esse nullam.

Quinto, quia votum simplex extortum per metum gravem, juxta communem opinionem, & Ecclesiæ praxim est irritum, nec tamen irritatur jure positivo; nam textus, qui in contrarium adducitur c. 1. *de his*, *quæ vi*, ex Panorm., Sylvest., & aliis non loquitur de voto simplici, sed de professione Religiosa: ergo est irritum jure naturali.

Demum, quia sponsalia metu contracta sunt nulla, ut communius docent cum Magistro in 4. dist. 29., & tamen ex Less. c. 17. n. 47. Conink, Palao, Henr. non irritantur jure positivo; unde jure naturæ sponsalia, & omnes contractus meticulosi sunt irriti.

IV. Secunda sententia cum Vasq. 1. 2. d. 21. Azor., Bonac., Dian. p. 3. tr. 5. ref. 20. docet, contractus onerosos esse jure naturæ validos, etiamsi metu gravi ad illos extorquendos sint initi, non vero lucrativos, ut sunt donatio, promissio, testamentum, legatum, precarium, commodatum. Ratio est, quia ad valorem contractus non solum requiritur consensus, qui absolute metu non tollitur, sed etiam justus titulus; atqui in contractibus lucrativis, si adsit metus, abest justus titulus; etenim donatio v.g. non est vera donatio, si fiat coacte; cum debeat ex affectu liberali prodire; unde majus voluntarium requiritur in contractibus lucrativis, quam in onerosis, quia liberaliter disponere de rebus suis, & ad id cogi metu, invicem pugnant; ergo contractus lucrativi metu extorti jure naturæ sunt irriti.

Confirmatur, quia non alio ex capite restituenda sunt, quæ usurarie accipiuntur, nisi quia donentur invite, & coacte; ergo ratio inviti destruit naturam donationis.

V. Communior tamen, & verior sententia docet cum Sanch. *l.* 4. d. 8. Less. c. 17. n. 42. Conink, Pal., Laym., Henriq., omnes omnino contractus metu extortos esse validos, quamvis ad arbitrium metum passi rescindi possint, si sint rescindibiles. Probatur primo a pari: Communiter docent ex *c. majores de Baptismo*, Sacramenta metu recepta esse valida, (excepto matrimonio, quod jure positivo irritatur) ergo etiam sunt validi contractus metu extorti. Secundo, quia communissime docent contra Rebell. 2. p. l. 1. q. 5., metum levem non irritare contractum; immo nec in foro externo admittitur actio, aut exceptio metus levis, ex lege *Vani timoris*, *ff. de reg. juris*; & tamen etiam per metum levem fit injuria contrahenti, & datur onus restitutionis; Quare nec metus gravis irritabit contractum jure naturæ, quamvis contineat injustitiam, & trahat onus restitutionis. Tertio a priori, quia ad valorem contractus duo requiruntur, nimirum consensus, & titulus legitimus, videlicet dati, & accepti, donati, & promissi &c., atqui metus non tollit consensum voluntarium sufficientem ad valorem contractus, quod nemo negat; nec tollit legitimum titulum, ver. gr. donationis; quia donatio, quamvis sit coacta, adhuc vera, & voluntaria donatio est, & quidem liberalis, nec onerosa; nam coactio non opponitur liberalitati, sed libertati; ergo habentur ea, quæ ad valorem contractus requiruntur. In tantum quæ usurarie accipiuntur restituenda sunt, nec valide sunt donata, quia ea non traduntur titulo donationis, sed in pretium mutui; quod tamen non est dignum pretio; & ideo invalide dantur deficiente justo titulo.

Neque dicas, non haberi in casu nostro titulum justum, cum donatio extorta metu injuste incusso sit donatio continens injustitiam. Nam contra est, quia licet donatio ista injustitiam contineat ex parte incutientis metum, adhuc ipsa est titulus justus, & legitimus, quo dominium transferatur, cum sit titulus, cui jus non resistit ipsum annullando. Et per hæc patet ad rationes pro secunda sententia.

VI. Ad rationes pro prima sententia respondetur: Ad primam, cum consensus metu extortus sit simpliciter voluntarius, non est mirum, quod metum passus jure naturæ teneatur stare contractui irrescinbili, ut est Matrimonium, & Professio Religiosa, quamvis jure positivo rationabiliter hæc sint irrita: Si vero contractus sit rescindibilis, nullum incommodum sentit metum passus ex validitate contractus, quia ad sui arbitrium potest illum rescindere. Præterquamquod incutiens metum tenetur semper damnum compensare. Quia tamen opposita sententia docens hujusmodi contractus esse jure naturæ irritos, suam habet probabilitatem tam ab intrinseco, quam ab extrinseco, ideo poterit etiam passus metum huic sententiæ se accommodare, & nolle stare contractui metu extorto, tanquam invalido.

VII. Ad secundam negatur minor. Metus dicitur contrarius consensui, quia minuit voluntarium, ac liberum, non quia tollit simpliciter liberum consensum.

VIII. Ad tertiam, falsum est non transferri dominium per contractus metu extortos, posito quod sint validi: Dominium tamen, quod transfertur, est debile, eo quod metum incutiens ratione injuriæ irrogatæ teneatur rem ad pristinum statum reducere, & damna compensare. Hinc in l. *Metum*, *ff. de eo, quod metus causa* dicitur a metum passo haberi actio in rem, eo quod res sit in bonis suis; non quia revera habeat ille ejus rei dominium post contractum, sed quia perinde se habeat, ac si haberet ejus rei dominium, per hoc quod habeat actionem in personam, & in rem, & debeat ab incutiente metum injuste ea res restitui.

IX. Ad quartam dicendum, latronem non posse accipere centum promissa per metum injustum, quia tenetur ea restituere ob injuriam irrogatam; hinc metum passus quamvis ratione promissionis vero animo factæ, & non fictæ ad redimendam vexationem teneatur ea solvere; at quia potest damnum sibi compensare ob injuriam sibi irrogatam, potest non solvere.

Neque dicas, quod debeat prius solvere, & postea per judicem repetere, aut si id commode non possit, per occultam compensationem; Sicut facere debet, si promissioni addidisset juramentum. Nam si teneretur prius solvere, ac deinde repetere, non compensaretur sibi quodcunque damnum injuste irrogatum per metum, quia hoc ipsum solvere, & repetere aliquid incommodum est, quod non compensaretur. Quod si talis promissio sit jurata; cum juramentum servandum sit, quoties sine culpa servari potest, & nulla habeatur culpa, si solvantur centum promissa latroni, ideo vi juramenti præstiti obligatur jurans ad ea solvenda; ita tamen, ut possit ea statim repetere, aut per occultam compensationem damnum sibi injuste illatum reparare. Idem-

quæ dicas, si cum juramento promittantur usuræ mutuanti, quippe quæ ex titulo mutui non debentur.

Neque urgeas, quod promittens latroni centum teneretur simul, & non teneretur ea solvere; teneretur ratione promissionis validæ; non teneretur, quia potest sibi damnum per injuriam illatum compensare. Nam teneri ex uno capite ad aliquid præstandum, & ex alio deobligari non pugnant; ut notat Pal. t. 1. tr. 2. d. 1. puncto 8.; Nam si quis ex contractu Emptionis v. g. debeat Petro centum, & Petrus ex alio contractu, puta Locationis, debeat eidem pariter centum, poterit ille ex titulo emptionis obligari ad solvendum centum, & ex titulo locationis deobligari, & sic simpliciter non teneri, donec sibi satisfiat.

X. Ad quintam, votum simplex metu extortum jure naturæ validum est, sed ut notat Franc. de Lugo q. 10. n. 64. ex Sanch. l. 4. Summæ c. 3. n. 12. & l. 4. de Matrim. disp. 14. contra Suar. l. 1. de Voto c. 8. est irritum jure positivo; non quidem scripto, sed tradito, seu ex Ecclesiæ traditione, & consuetudine habente vim legis; Sicut etiam dicitur de matrimonio fidelis cum infideli metu extorto.

XI. Ad ultimam, Sponsalia metu extorta jure naturæ sunt etiam valida; sunt tamen vel irritanda ad arbitrium metum passi, ut docent Less. c. 17. n. 47. Conink., Henriq., Pal., vel irrita Jure canonico, ex c. *Ex literis*, *de Despons. Impub.*, ut putat Sanchez l. 4. d. 19., vel indirecte irrita, quatenus irritatur matrimonium metu extortum, ad quod tendunt Sponsalia.

ARTICULUS II.

Utrum Contractus metu injusto extorti sint jure positivo irriti; an solum irritandi?

I. Plurimum ad praxim refert hujus quæstionis resolutio; etenim si sunt irriti jure positivo, sequitur, quod renuncians beneficium adhuc ad Horas teneatur: quod ex sponsalibus non oriatur impedimentum publicæ honestatis: quod vi talis testamenti succedat hæres ab intestato &c.; secus vero, si solum sint irritandi.

II. Communius docent nonnullos duntaxat hujusmodi contractus esse jure positivo irritos; tres videlicet jure civili, ac tres alios jure canonico.

III. Absolutio a censuris metu extorta est irrita. Sed quid de dispensatione in lege?

IV. Num metum incutiens teneatur Contractui irrito jure positivo stare ad arbitrium metum passi?

I. Plurimum interest hujus quæstionis resolutio, ut notat Sanch. l. 4. d. 8.; nam si v. g. renunciatio beneficii metu extorta jure positivo sit irrita, sequitur, quod renuncians teneatur adhuc ad Officii recitationem, perinde ac si non renunciasset; possetque ad titulum beneficii sacros Ordines suscipere; Secus tamen, si solum sit irritanda. Pariter si sponsalia metu facta sint irrita, non oritur ex illis impedimentum publicæ honestatis; quod tamen oritur, si sint solum rescindenda; Et si testamentum metu extortum sit irritum, succedit hæres ab intestato; aliter succedet hæres in eo institutus; quamvis hic teneatur damnum compensare.

II. Variant itaque in hoc Doctores: Aliqui cum Soto, Palatios, Molina d. 326., docent, universim hujusmodi contractus esse jure positivo irritos; quod variis textibus probant. Alii cum Basilio apud Dia. p. 3. tr. 5. resol. 118. & 119. putant, solum contractus lucrativos esse irritos jure positivo, non vero onerosos, præter alienationem rerum Ecclesiasticarum. Alii demum communius, & probabilius docent cum Sanch. loc. laud., Bonac., Pal., Becan. Led. universim esse solum irritandos; aliquos tamen in particulari esse irritos: quod probant tum ex c. *Ad audientiam*, *De his*, *quæ vi*; ubi dicuntur quæ metu fiunt carere robore firmitatis, quatenus scilicet possunt, & debent rescindi; tum ex *leg. fin. de his, quæ vi*; ubi habetur, *Donationes*, *venditiones*, *quæ per potentiam extortæ sunt*, *præcipimus infirmari*: Ex quo sequitur, tam contractus onerosos, ut sunt *venditiones*, quam lucrativos, ut sunt *donationes*, esse validos, & juris remedio infirmandos, seu irritandos.

Porro contractus, qui jure positivo irritantur ipso facto, si sint metu extorti, sunt plurimi, quamvis Glossa in c. *Abbas*, *De his quæ vi* solum sex enumeret illis verbis:

Tutor, *Judicium*, *Dos*, *Sacrum*, *Copula*, *Votum*.
Hæc sex vi facta de jure scias fore nulla.

quorum tres, videlicet Auctoritas, vel assignatio Tutoris, seu Curatoris, Jurisdictio data, vel prorogata, & Promissio, ac solutio dotis irritantur jure civili: Tres alii, videlicet Promissio, vel traditio rerum Ecclesiasticarum, Matrimonium, ejusque promissio (quin liget juramentum additum huic contractui per metum facto) Votum simplex, & solemne, irritantur jure Ecclesiastico.

III. Præterea irrita est Absolutio a censuris, vel illarum revocatio metu gravi extorta, *ex Cap. unico*, *De his*, *quæ vi in 6.*: Pariter Testes adhibiti in Testamento, si sint coacti, non ferunt validum testimonium, *ex lege Qui Testamenti*. Est etiam irrita Promissio, vel obligatio facta ab eo, qui in carcere detinetur, facta in gratiam ejus, qui illum detinet injuste, *ex l. Qui in carcere*. Denique Suar. l. 6. de leg. cap. 21. putat Dispensationem in lege metu extortam esse invalidam, quia absonum videtur, quod iniquus subditus ex injusta violentia commodum reportet. Verum quia de hac irritatione non constat, dicendum potius esse validam, subditum autem peccare non solum contra justitiam, sed etiam contra legem, in qua putat sibi dispensatum, si eam non servet; quia præsumere debet consensum superioris esse tantum permissivum, non concessivum.

IV. In his autem contractibus jure positivo nullis, An metum incutiens teneatur contractui stare ad arbitrium metum passi? variant Doctores. Affirmant Henriq., Navarr., Rebel., quia solum in favorem metum passi irritantur. Negat probabilius Sanchez l. 4. d. 15. cum aliis, quandoquidem ratione delicti tantum tenetur resarcire damnum, & pro foro externo poterit in pœnam cogi ad standum contractui; pro foro etiam interno non tenetur, cum contractus irritus non obliget.

A R-

ARTICULUS III.

Utrum Metu etiam levi extorta restituenda sint in foro Coscientiæ?

I. Videntur non esse restituenda, quod multis rationibus suadetur.
II. Saltem in contractibus onerosis, in quibus minor libertas requiritur, quam in lucrativis.
III. Verius restituenda universim sunt in foro Conscientiæ, & contractus metu levi ad extorquendum illum celebratus ad arbitrium metum passi rescindendus est.
IV. Metus levis tollit perfectam libertatem injuste, & in materia gravi; ideo mortaliter peccat, & ad restitutionem sub mortali tenetur, qui hujusmodi metum incutit injuste ad contractum extorquendum; irrogat quippe deliberate injuriam gravem.
V. Forum externum ad lites vitandas denegat actionem patienti metum levem; non secus ac in deceptione intra dimidium justi pretii.
VI. Matrimonium, & Professio Religiosa metu levi, vel reverentiali extorta probabilius jure naturæ valida sunt: sed damnum compensandum.
VII. Quæ sunt jure Ecclesiastico irrita, si metus gravis sit injustus, probabilius sunt valida, si sit justus.

Quamvis in tractatu de Justitia & Jure ex professo quæstionem hanc instituerimus, non est tamen hic prætermittenda, cum ordo doctrinæ illam expostulet.

I. PRima itaque sententia cum Medina, Palatios, Basil., & aliis docet extorta metu gravi restituenda esse in foro Conscientiæ; secus vero, si metus sit levis; Quorum sententiam probabilem putat Diana p. 3. tract. 5. ref. 117., inferens proinde, quod Confessarius possit deobligare pœnitentem a restitutione facienda, si metum levem injustum incusserit; Quamvis possit etiam sequendo sententiam oppositam communiorem tribuere pœnitenti facultatem recuperandi, si quid dederit per metum levem injustum. Ratio hujus sententiæ est primo, quia violentia, ac injuria levis pro nihilo reputatur. Secundo, quia metus levis facile superari potest, imo & debet; cum imprudenter agat, qui eo ducitur. Tertio, quia forum internum conformatur externo, quoties hoc non nititur falsæ præsumptioni: Sed forum externum cognito metu levi non obligat ad restitutionem; ergo nec internum: Aliter forum externum inique denegaret patienti metum levem actiones recuperandi, quæ injuste sibi sunt ablata. Quarto, quia non minor libertas requiritur in matrimonio, quam in aliis contractibus; atqui matrimonium metu levi contractum non irritatur in foro conscientiæ; ergo nec alii contractus; unde nec debent restitui extorta per contractus levi metu initos.

II. Secunda sententia putat cum Azor. tom. 1. cap. 11. Lopez, Tabiena, in solis contractibus lucrativis restituenda esse, quæ metu levi sunt extorta, puta in donationibus, eleemosynis, &c. quia major libertas in his contractibus requiritur, quam in onerosis, in quibus habetur utrinque commodum, & incommodum.

III. Communior tamen, & verior sententia indiscriminatim docet cum Less. c. 17. n. 46. Sanch. lib. 4. d. 9. Soto, Navar., Molina disp. 267. extorta per metum etiam levem injuste incussum ad contractum incundum, si intercessit culpa gravis, in foro conscientiæ esse restituenda, & hujusmodi contractus in eodem foro esse rescindendos ad arbitrium metum passi, si sint dissolubiles. Ratio est, quia extorquens metu levi injusto contractum injuriam irrogat, & injuste operatur: ergo tenetur in conscientia illam resarcire quantum potest; sed non resarciret ad æqualitatem, nisi restitueret sic extorta, & rescinderet ad arbitrium metum passi contractum; ergo.

Confirmatur, quia quod per injuriam comparatum est, non reducit rem ad æqualitatem, nisi restituatur; ergo quæ sic sunt extorta, obnoxia sunt restitutioni, quæ ratio æque militat pro contractibus operosis, ac pro lucrativis contra secundam sententiam.

IV. Ad primam rationem pro prima sententia in contrarium respondetur, etiam metum levem non cadentem in virum constantem tollere libertatem perfectam, & quidem injuste in casu nostro; ergo justitia postulat, ut damnum injuste illatum compensetur. Nonne si quis advertenter furetur materiam levem, tenetur in conscientia sub veniali illam restituere? quia tamen in casu nostro materia est gravis, sub mortali tenetur incutiens metum injustum levem ad damnum compensandum, atque adeo ad rescindendum contractum. Ex duplici tantum capite potest quis non teneri sub gravi ad reparandum damnum injuste, & culpabiliter illatum, ut communiter Doctores docent, vel ratione parvitatis materiæ, vel ratione indeliberationis. Neutra excusatio militat in casu nostro; ergo datur obligatio gravis reparandi damnum, etiamsi injuria lata fuerit levis; (dummodo tamen processerit ex gravi culpa) quandoquidem injuria levis, si pariat damnum grave, injustitiam continet graviter culpabilem, ut accidit, si quis v. g. leviter percutiat aliquem, prævidendo, quod ex tali percussione grave damnum sit emersurum; atqui injuria levis orta ex metu levi facile parit damnum grave, cum sæpissime homines, præsertim plebeji, & rudes ab ea turbentur, & inducantur ad contrahendum cum proprio detrimento; ergo.

Ad secundam: Quamvis metus levis superari facile possit; at sæpissime accidit, quod in contractibus non superetur in multitudine plebis: ergo qui injuste posuit contrahentem in periculo proximo damni gravis incutiendo metum levem, tenetur ad restitutionem, atque adeo ad rescindendum contractum.

V. Ad tertiam: Forum externum non concedit actionem patienti metum levem ad vitandas lites, quæ facile suborirentur; & idcirco deprehenso tali metu non cogit per sententiam Judicis ad restitutionem; at non proinde deobligat a restitutione pro foro interno facienda. Eodem modo fur, si non sit plene convictus, non cogitur pro foro externo ad restitutionem, tenetur tamen pro interno: Sicut etiam jus civile denegat actionem in deceptione intra dimidium justi pretii, ad lites vitandas; at non proinde contractum involventem hujusmodi deceptionem approbat, aut deobligat a restitutione pro foro interno.

VI. Ad quartam: Multi docent cum Navarr., Rodriq., Veracrux, Matrimonium metu levi injuste extor-

extortum in foro conscientiæ, & jure naturæ non valere: quorum sententiam probabilem putant Less. cap. 17. num. 47. Ledes. Sanch. lib. 4. d. 17. Equidem probabilius censeo cum eodem Sanch. esse validum jure naturæ, ut sunt cæteri contractus; at non proinde est rescindendum, ut cæteri contractus, quia natura sua est indissolubile; unde solum compensandum est damnum injuste illatum; Jure ecclesiastico irritatur solum Matrimonium metu gravi injusto celebratum, ut colligitur ex cap. primo, & penultimo, *de his quæ vi*; quia sicut forum externum non attendit ad metum levem, ad lites vitandas, ita lex Ecclesiastica pro foro interno non irritat Matrimonium metu levis contractum ad vitandos scrupulos.

Quod diximus de Matrimonio, dicas de Professione Religiosa. Navarr. enim, Pontius, & alii apud Dianam p. 3. tract. 2. res. 92. putant esse invalidam, si solo metu reverentiali, atque adeo levi emittatur, quia voluntarium militem vult Deus, & nullatenus coactum. Communius tamen cum Sanch., & Laym. lib. 3. tr. 4. c. 6. docent, esse validam, & jure Ecclesiastico solum irritari Professionem metu gravi injusto emissam.

VII. Quod si metus gravis sit juste illatus, etiamsi ad extorquendum sive Matrimonium, sive Professionem, communius docent ea valere, cum Sanch. Less., Laym., Palao contra Covarr. & alios putantes esse invalida, eo quod libertas sit valde imminuta; Necnon contra Bonac. de Matrimonio q. 3. punct. 3. & Sot. putantes esse valida, si metus gravis sit a lege incussus ad Matrimonium, vel Professionem extorquendam; secus vero, si sit incussus a judice, vel aliquo privato; quia scilicet si quis delictum commisit, cui per legem sit annexa obligatio profitendi in Religione, vel contrahendi Matrimonium, ad ea tenetur voluntarie, eo quod voluntarie commisit culpam, ad quam sequitur ea obligatio: Secus vero si a voluntate Judicis, aut alterius ad id adigatur, quia nemo potest ad ea adigere, cum debeant esse omnino voluntaria.

Nos tamen cum communiori apud Sanch. lib. 4. de Matrim. disp. 13. Less. cap. 17. nu. 40. Laym. Palaum, dicimus, matrimonium, & professionem valere, a quocumque incutiatur metus gravis justus; nam si v. g. Titius minetur tibi justam accusationem, nisi ducas uxorem, vel professionem emittas, hujusmodi matrimonium, vel professio non possunt dici revera coacta, cum nemo ad id cogat, sed coactio provenit a proprio delicto, a quo provenit metus accusationis comminatæ: Sicut enim non dicitur coacte matrimonium contrahere, qui virginem violavit, & cogitur eam ducere, vel dotare, *ex cap. 2. De adulter.*; Nec qui post sponsalia per censuram cogitur ad matrimonium contrahendum, *ex cap. ex literis de sponsalibus*; Nec dicitur coacte profiteri Monachus, quando ob simoniam compellitur ad ingrediendum Ordinem strictiorem, ex *cap. de Regular. de Simonia*, quia in his casibus metus non incutitur ab extrinseco, sed supponitur ortus a lege, vel ex natura delicti: Ita in casu nostro coactio non est a comminante justam accusationem, sed a proprio delicto, ad quod consequitur, quod juste possis accusationem illam subire, nisi velis illam declinare contrahendo matrimonium, aut ingrediendo Religionem.

ARTICULUS ULTIMUS.

Resolvuntur plurimæ difficultates ex præjacta doctrina.

I. Filius renuncians coacte timore reverentiali hæreditatem paternam potest illam sibi occulte compensare, relaxato per Episcopum juramento.

II. Non tenetur in conscientia filius, aut uxor de suo solvere debitum patris, aut conjugis, si metu reverentiali id promiserint iis moribundis: Nec tenentur fidejubere, si similiter ad fidejubendum se obligarint.

III. Si pars debiti a creditore remittatur, eo quod desperet aliter se illud recuperaturum, potest hic uti occulta compensatione.

IV. Preces importunæ æquiparantur metui reverentiali; tenetur proinde deflorator virginis ad restitutionem, si illam importunis precibus induxit ad consentiendum quasi coacte.

V. Qui similiter legatum impedit, pariter ad restitutionem tenetur. Idemque dicas de donationibus inter patrem, & filium, & inter conjuges: & facultas superioris data similiter subdito ad expendendum pariter est nulla.

VI. Non tenetur tamen ad restitutionem, qui incusso metu justo accusandi, ad quod non tenetur, aliquid extorquet, ne accuset.

VII. Idque verum videtur, etiamsi non haberet animum accusandi.

I. EX dictis sequitur primo, quod renunciatio hæreditatis paternæ facta a filio metu reverentiali, absque minis, licet in foro externo non rescindatur, nec detur actio adversus patrem, eo quod metus sit levis; in foro tamen interno juxta sententiam communiorem adductam sit a patre rescindenda, ac damnum filio resarciendum; ita ut possit hic occulte illud sibi compensare, relaxato prius per Episcopum juramento, si adfuerit, ut notat Sanch. lib. 4. de matrim. disp. 9. Ratio est, quia pater sua auctoritate filii libertatem veluti oppressam tenens obligatur ex justitia in dispositione hæreditatis a filio facienda illam laxare, ut pro arbitrio disponat; quod si non præstet, injuriam, & violentiam, licet levem, infert; & ideo ad restitutionem tenetur.

Ubi duo notanda: Primum est ex Ostiensi cap. *Verum de jurejurando*, juramentum ab Episcopo non relaxari pro foro externo, si metus fuerit levis, sed solum pro foro conscientiæ: Alterum est, ad metum reverentialem injustum non sufficere, quod filius cum verecundia, ac reverentia debita patri renunciet; neque sufficere, quod si pater non peteret renunciationem, ea non fieret; sed requiri, quod omnia repugnante voluntate, & quasi coacte fiant, eo quod non audeat filius præ timore, ac reverentia contradicere, quamvis nullum aliud malum sibi timeat.

II. Sequitur II. ex Sanch. loco laudato, quod si filius metu reverentiali inducatur ad promittendam de suo solutionem alicujus debiti parentum, qui in articulo mortis constituti id petant a filio, probabiliter non teneatur hic deinde solvere; quia metu, & quasi coacte, ne parentes in eo articulo contristaret, inductus est ad promittendum. Et eodem modo mulier, quæ ex solo metu reverentiali ad vitanda jurgia cum marito, ejusque indignationem, pro

pro eo fidejussit, aliter non fidejussura, non tenetur in conscientia solvere, dummodo relaxationem juramenti ab Episcopo prius obtineat.

III. Sequitur III., si debitori remittatur pars debiti, eo quod creditor desperet se aliter debitum recuperaturum, teneri illum in conscientia partem debiti sibi remissam restituere, ac posse creditorem uti occulta compensatione. Ita Sylvest., D. Antonin., Navarr., Sanch. lib. 4. dist. 9. n. 17., qui bene advertit, hoc intelligendum esse, quando intervenit aliqua culpa, aut fraus debitoris, quia minatur v. gr. se aliter nihil debiti soluturum, vel quia fingit inopiam. Ratio illationis est, quia hæc remissio est mixta involuntario. Ubi notandum cum Meroll. n. 387., remissionem partis debiti esse nullam, non solum quando extorquetur metu injuste incusso, sed etiam quando ea oritur ex metu probabiliter concepto a creditore, (esto nemo illum incutiat) quia v. g. timet, sibi aliquod malum injuste inferendum, nisi remittat. Ratio est eadem; quia etiam in hoc casu donatio, seu condonatio est mixta involuntario, & voluntate omnino repugnante, & quasi coacta, ob timorem mali concepti sibi injuste irrogandi.

IV. Sequitur IV., quod diximus de metu reverentiali, dicendum esse de precibus importunis, quæ metui saltem levi, & coactioni æquiparantur, ut constat ex sacris Bibliis. Nam Judic. 16. dicitur fortissimus Sampson importunis uxoris precibus coactus detexisse veritatem; unde preces importunæ causant involuntarium. Et ideo D. Anton., Sylvest., Bannes, Corduba, Guttier. probabiliter etiam docent, quod quando quis precibus importunis, atque adeo involuntarie trahitur ad ludendum, tunc lucrans teneatur eidem restituere, quod lucratus est; (quamvis hoc communiter negetur cum Navarr., & Henriq. apud Meroll. num. 400., quia in ludo non servaretur æqualitas). Docent etiam ad restitutionem teneri defloratorem virginis, si illam precibus importunis induxit ad consentiendum.

Verum Sanchez lib. 4. d. 10. notat, preces importunas non æquivalere metui, nec causare involuntarium mixtum, per hoc præcise, quod iis non interpositis actus non fieret; sæpe enim aliquis importune rogatus facit aliquid aliter non facturus, & tamen libentissimo animo id facit. Quare tunc metui æquivalent, quando fit aliquid vi precum importunarum, omnino reluctante voluntate, & quasi coacte ad importunitatem vehementem repellendam, ut diximus de metu levi.

V. Ex quibus fit primo, impedientem legatum precibus importunis, quæ metui levi injusto æquiparentur, ad restitutionem teneri, ut notat Guttier. cum Sanch. loco citato. Fit secundo, facultatem obtentam a superiore hujusmodi precibus importunis aliquid expendendi non excusare Religiosum a vitio proprietatis. Fit tertio, quod licet donatio inter conjuges confirmetur morte Donatoris, ex *cap. finali, de donationibus inter virum, & uxorem*, non tamen si nimia importunitate fit extorta. Idemque dicas de donatione inter patrem, & filiumfamilias: unde hæredes donatoris in tali hypothesi possunt occulta compensatione uti. Utrum autem quæ blanditiis, & byssinis verbis extorta sunt, pariter restituenda sint? dicemus inferius, cum de concupiscentia minuente voluntarium.

VI. Sequitur ultimo, quod qui potest aliquem juste accusare, non teneatur ad restitutionem, si incusso metu accusationis aliquid ab eo extorqueat, ne accuset. Ratio est, quia metus hic est justus; unde cum non privetur hic jure accusandi, potest juste accipere aliquid, quod proportionem habeat cum tali jure. Id tamen est verum, si posset hic licite accusare, & non teneatur; nam si teneatur, & obliget se ad non accusandum, contractus hic esset nullus; non secus ac si judex aliquid accipiat, cum onere ferendi sententiam injustam, aut meretrix cum obligatione dandi copiam sui corporis; quia nemo potest obligari ad aliquid illicitum; unde restitui debet, quod acceptum est, & contractus rescindendus; quamvis patrato scelere probabilius nemo teneatur restituere id, quod pro eo patrando accepit; Etenim quamvis scelus non sit pretio æstimabile, nihilominus qui scelus perpetrat, exponit se periculo jacturæ sui honoris, famæ, vel bonorum externorum, aut etiam læsionis in propria persona, & quidem in gratiam alterius; poterit ergo retinere patrato scelere, quod accepit, ut huic se periculo exponeret.

Dubitatur, An possit sibi retinere, quod quis accipit, ne accuset juste, prout potest, & non debet, si timorem incutiat accusationis, absque animo tamen accusandi?

Negant Bonacina de Contractibus d. 1. q. 1. puncto 1. & Molina, quia dolus dans causam contractui irritat illum. Sed probabilius affirmant Sanchez lib. 4. d. 9. Lessius c. 17. n. 42. & alii, quia licet dolus dederit causam contractui, ac proinde donatio illa videatur irrita; at hujusmodi dolus non est injustus; cum juste possit hic minari accusationem, sive animum habeat accusandi, sive non; ergo donatio non erit irrita, cum solus dolus injustus dans causam contractui illum irritet.

QUÆSTIO VII.

Utrum Juramentum confirmet Contractus metu irritos, aut obligationem implendi Contractus inducat?

Quæstionem hanc seorsim instituimus, quoniam multa scitu digna continet, quæ passim quidem, sed implexe nimis a Doctoribus traduntur. Et primo præmittimus præmittenda. Secundo inquirimus, An universim juramentum vim habeat confirmandi contractus, qui secluso juramento sunt irriti? Tertio, An juramentum confirmet etiam contractus metu invalidos, aut saltem obligationem inducat eos implendi? Demum, Quisnam possit juramenta hæc relaxare.

ARTICULUS I.

Prænotantur Prænotanda.

I. Distinguendum inter Contractus metu irritos jure naturali, jure positivo, & irritandos.

II. Juramentum de se solum habet vim obligandi ad servandum illud, quando Contractui adjicitur; & solum jure positivo habet confirmare Contractus cæteroqui irritos.

III. In

III. In multis differt juramentum non confirmans (ut juramentum de usuris solvendis) a juramento confirmante contractus.

IV. Illud quippe nullum jus confert, potestque a Prælato relaxari, nec confert actionem pro foro externo, nec per illud hæredes obligantur: Secus vero juramentum confirmans, quod a Prælato relaxari potest, ubi fuerit in contractu læsio.

I. ADvertendum primo: Contractus metu irritos alios esse irritos jure naturali, ut sunt contractus usurarii: Alios irritos jure positivo, ut alienatio fundi dotalis, renunciatio futuræ successionis, &c.: Alios demum esse validos, sed irritandos, ut contractus metu gravi injusto extorti, juxta superius dicta.

II. Advertendum II. Juramento natura sua solum inesse vim obligandi ad veritatem rei juratæ servandam, quando adjicitur contractui; unde si contractui usurario adjiciatur juramentum solvendi usuras, solum ex eo consurgit obligatio eas solvendi, quin tribuat alteri Jus ad usuras; quia scilicet juramentum ita adjicitur, ut non confirmet contractum. Aliquando tamen juramentum ita adjicitur, ut etiam confirmet contractum: Quod tamen non habet jure naturali, sed solum positivo, sive canonico, sive civili. Quare si alienatio v. gr. fundi dotalis juramento firmetur, non solum consurgit in jurante obligatio alienandi fundum dotalem, sed etiam tribuendi Jus ad talem fundum, perinde ac si talis alienatio non esset jure ullo irrita: Ea quippe est vis juramenti confirmantis contractum, ut hunc reddat firmum, & irrevocabilem, etiamsi, præciso juramento, esset ipso jure irritus.

Advertendum III., Juramentum non confirmans contractum (quale est v. gr. juramentum solvendi usuras) in multis discriminari a Juramento confirmante contractum, (quale esset v. gr. juramentum additum alienationi fundi dotalis), ut videre est apud Molin. disp. 105., & Sanchez lib. 3. c. 11.

III. Et primo quidem Juramentum non confirmans contractum solum inducit obligationem relate ad Deum servandi veritatem rei juratæ, quin det robur ullum contractui: Contra vero juramentum confirmans contractum, quia dat robur eidem, & reddit illum firmum, & irrevocabilem, præter obligationem erga Deum, inducit etiam obligationem erga alterum contrahentem; cum detur illi Jus ex contractu, perinde ac si esset validus.

IV. Secundo, Juramentum non confirmans contractum potest licite a Prælato relaxari, cum ex eo nullum Jus acquiratur homini; unde eo relaxato potest contractui contraveniri; eo quod de se nullam induxerit obligationem. Quod si non petatur relaxatio, satisfiet juramento, si solvatur res, prout juratum est; etiamsi deinde statim repetatur; cum non sit ullatenus translatum ejus dominium: Contra vero juramentum confirmans contractum non potest a Prælato relaxari; quia cum reddat contractum firmum, acquiritur vi talis contractus Jus ab altero contrahente; nec potest Prælatus Juri alterius præjudicare; immo ne Pontifex quidem, nisi ob bonum commune, & ex causa urgentissima. Unde fit, quod non liceat amplius contractui contravenire; nec facta solutione potest amplius repeti, quod solutum est. Quando tamen accideret, quod in contractu, qui firmatus sit juramento, fuerit læsio, poterit a Prælato peti relaxatio Juramenti, non ad finem contraveniendi contractui, qui jam est firmus, sed ad finem contendendi in Judicio absque perjurio, ut contractus rescindatur, ratione illius læsionis.

Tertio, si contractus Juramento non firmetur, non datur actio in foro externo adversus jurantem: Secus vero si firmetur; quia tunc acquisitum est jus ab altero. Denique Juramenti non confirmantis contractum obligatio non transit ad hæredes jurantis, cum Juramentum inducat obligationem solum personalem: Contra vero transit ad hæredes obligatio, quando Juramentum contractum confirmat; quatenus obligatio adimplendi contractum descendit ex contractus firmitate.

ARTICULUS II.

Utrum Juramentum universim confirmet Contractus jure positivo irritos?

I. Quinam Contractus juramento firmentur?

II. Probabilius omnes de se validi, sed jure positivo irriti.

III. Contractus hujusmodi jure positivo circumscripto juramento irriti neque obligationem naturalem continent eos implendi, neque eos non revocandi; At juramento superaddito accedit iis obligatio etiam civilis.

IV. Potest jus civile tollere a contractibus obligationem naturalem eos implendi, dum illos irritat; Et potest jus positivum efficere, ut hujusmodi contractus, quamvis irriti, si juramentum accedit, utramque contineant obligationem, & naturalem, & civilem.

I. NOnnulli Juristæ, quorum sententiam probabilem putat Suar. l. 2. de Juramento c. 29. docent Juramentum habere vim confirmandi contractus, qui possunt beneficio restitutionis in integrum rescindi; non vero contractus ipso jure irritos. Azor. tom. 1. lib. 11. cap. 5. putat, solum contractus jure civili irritos firmari juramento, non vero irritos jure canonico: Suar. loco laudato, Less. c. 17. n. 56., & alii tenent, firmari juramento contractus non omnino jure positivo irritos, qualis est alienatio v. gr. fundi dotalis, sed quibus inest quidem obligatio naturalis, deest tamen obligatio civilis; ut est v. g. promissio nuda. Ratio hujus opinionis est; quia quando Juramentum accedit promissioni omnino irritæ, non potest tribuere parti ullum jus, ut constat in Juramento solvendi usuras: ergo ut tribuat parti Jus, debet supponere promissionem validam trahentem obligationem naturalem servandi promissum; ita ut vi juramenti adjiciatur eidem obligatio civilis; unde possit promissarius agere in Judicio adversus promittentem.

II. Communior, & probabilior sententia docet cum Sanch. l. 3. c. 12. Molina d. 156. Guttier., Covarr., & aliis, contractus omnes secundum se validos, sed jure positivo irritos, ex quibus nulla oritur obligatio neque naturalis, neque civilis, juramento circumscripto, hoc superaddito universim confirmari, ac tribuere parti jus, perinde ac si contractus non essent jure positivo irriti. Ratio est,

quia

quia ex multis textibus apud Meroll. d. 1. c. 3. n. 428. habetur, juramento confirmari multos hujusmodi contractus irritos jure positivo; quales sunt v. gr. alienatio fundi dotalis, contractus minorum absque curatoris auctoritate, & decreto Judicis, si sint circa immobilia; renunciatio futuræ successionis, & similes.

III. Neque dici potest cum Suar., & Less. in his contractibus præsupponi aliquam obligationem naturalem, videlicet non revocandi illos, quamvis non contineant naturalem obligationem illos servandi, & vi Juramenti accedere obligationem civilem. Nam contra est, quia cum dicti contractus jure positivo sint irriti, inintelligibile est, quod non contineant obligationem naturalem eos implendi, & contineant naturalem obligationem eos non revocandi: hoc enim efficit irritatio juris positivi, quo promissio in iis contenta, quæ de se obligationem naturalem ferret, nullam pariat obligationem; ergo tam promissio implendi, quam non revocandi (quæ illi est accessoria) irrita est; & consequenter contractus jure positivo omnino irriti juramento firmantur.

IV. Neque obstat, quod pro sua sententia Suar., & Less. adducunt. Nam juramentum potest tribuere contractui utramque obligationem, naturalem, & civilem, posito quod jure positivo ille sit irritus. Etenim de se præscindendo ab ea irritatione, contractus retineret obligationem naturalem; unde potest jus positivum velle, quod accedente juramento habeat tam obligationem naturalem, (perinde ac si non esset irritus) quam civilem.

ARTICULUS III.

Utrum Juramentum confirmet contractus metu invalidos, aut saltem obligationem inducat eos implendi?

I. *Potest injusto metu extorqueri utrumque, videlicet & contractus, & juramentum; potestque extorqueri alterutrum.*

II. *Juramentum metu injusto emissum contractus meticulosos non confirmat.*

III. *Renunciatio legitimæ, aut hæreditatis metu reverentiali, atque adeo levi facta solum pro foro externo juramento firmatur.*

IV. *Contractus sponte initus, & jure positivo nullus, juramento per metum extorto non confirmatur.*

V. *Obligat tamen hujusmodi juramentum ad contractum implendum, nisi relaxetur.*

VI. *Ideo votum simplex metu extortum non obligat, quia irritatur jure positivo; at simile juramentum non irritatur.*

VII. *Si contractus, qui metu extorquetur, a lege irritetur ob bonum publicum, juramentum illi sponte superadditum non obligat, nec indiget relaxatione: Secus vero si a lege irritatur ob utilitatem privatam. In neutro tamen casu contractum confirmat.*

VIII. *Si lex non solum irritet, sed etiam prohibeat contractum, juramentum illi superadditum nullatenus obligat.*

IX. *Juramentum adjectum sponsalibus, aut matrimonio gravi metu extortis, non obligat; Nec si apponatur constitutioni procuratoris ad matrimonium: Secus vero si apponatur constitutioni dotis, & arrharum.*

X. *Nec obligat juramentum hujusmodi adjectum professioni Religiosæ. Sed probabilius obligat, si apponatur voto ingrediendi Religionem.*

XI. *Ut juramentum confirmet contractus jure positivo irritos, tres conditiones requiruntur; Unde non confirmantur contractus in præjudicium tertii, aut qui ob publicam utilitatem irritantur.*

I. Difficultas procedere potest, Primo, si tam Juramentum, quam contractus extorqueantur metu injusto. Secundo, si Juramentum sponte emittatur, contractus tamen metu injusto extorqueatur. Tertio, si metu injusto extorqueatur Juramentum, contractus tamen sponte ineatur, quamvis Jure positivo sit irritus, ut est alienatio fundi dotalis.

II. Dico I. Juramentum, sive metu injusto emissum, sive sponte præstitum, non confirmat contractus metu injusto, sive gravi, sive levi extortos; sive irritos, sive irritandos; sive irritentur a lege primario propter bonum publicum, sive primario propter utilitatem privatam; atque adeo ex tali juramento nullum robur, aut firmitatem contractus meticulosi acquirunt, nec ullum jus tribuitur incutienti metum injustum ad contractum extorquendum.

Probatur, quia vis confirmandi contractum non inest juramento jure naturali, sed jure positivo, ut prænotavimus articulo primo; atqui non est verisimile, jus positivum velle favere extorquenti injuste contractum; ergo juramentum, sive metu, sive sponte emissum non confirmat contractus metu extortos.

Confirmatur, quia, ut notat Guttier. de Juramento p. 1. c. 40., & alii passim, inter conditiones a jure requisitas, ut juramentum confirmet contractus, una est, quod non reperiatur turpitudo ex parte creditoris, in cujus favorem juratur; & hac de causa non firmatur juramento contractus usurarius, nec promissio facta latroni mortem comminanti: atqui in casu nostro habetur ex parte creditoris turpitudo, vel injustitia; ergo contractus metu extorti juramento non firmantur. Idque communius Doctores docent cum Suar. l. 2. de Juramento c. 27. Less. c. 17. n. 56.; Molina d. 150. Notatque Sanchez l. 3. c. 12., id verum esse, etiamsi metus injuste incussus sit a tertio, & non ab altero contrahente id ignorante. Nam adhuc in hoc casu adest turpitudo, seu injustitia, quæ contractum extorquet, redditque illum irritum, aut irritandum.

III. Dices: Ex capite, *Quamvis pactum*, *De pactis in sexto*, Renunciatio legitimæ, seu hæreditatis paternæ metu facta, accedente juramento, confirmatur, & fit valida: ergo universim contractus metu extorti ipso jure irriti firmantur juramento.

Respondeo, ibi sermonem esse de metu reverentiali, non de metu gravi, ut notat Meroll. n. 483., quia tamen metus reverentialis est metus levis, ut supra ostendimus, & forum externum non attendit ad levem metum, ideo decernit renunciationem illam metu levi extortam juramento firmari, ita ut in foro externo tribuat Jus: Quia tamen pro foro interno etiam contractus metu levi injusto extortus rescindendus est ad arbitrium metum passi, & damnum illatum compensandum est ab incutiente metum injustum, juxta superius dicta, ideo pro foro interno juramentum non confirmat renunciationem hujusmodi metu injusto levi extortam.

Dixi in conclusione, Contractus metu extortos non firma-

firmari juramento, etiamsi primario irritentur a Jure ob privatam utilitatem, ut est renunciatio hæreditatis; quicquid in contrarium videatur sentire Sanch. l. 4. de matr. disp. 20. n. 13. docens, non juramento firmari solum contractus meticulosos, qui primario ob publicam utilitatem interdicuntur, ut est matrimonium metu extortum: Etenim ratio conclusionis æque militat pro utrisque contractibus. Tunc autem, ut notat Suar. l. 2. de Juramento c. 26. Lex dicitur primario respicere publicam utilitatem, quando materia proxima, & immediata illius respicit publicum bonum, ut sunt leges, quæ de rebus publicis disponunt, v. gr. ne arma, equi, frumentum, pecunia a Regno extrahantur: Contra vero dicitur primario respicere utilitatem privatam, quando materia proxima legis est bonum privatum alicujus, vel aliquorum civium; ut sunt leges irritantes contractus Minorum, aut Mulierum: In dubio tamen, num lex irritans contractus respiciat primario publicam, an privatam utilitatem? inclinandum est in favorem boni communis, ex eodem Suario. Communiter tamen docent cum Sanch. l. c., legem irritantem matrimonium meticulosum respicere bonum commune primario, quia alioqui male servaretur pax inter conjuges, & in Republica, nec apte soboles educaretur; & ideo docent, matrimonium metu extortum juramento non firmari; Secus vero renunciationem legitimæ, aut hæreditatis paternæ, necnon renunciationem electionis metu factam, ex cap. *Ad aures*, *de iis*, *quæ vi*, quia lex irritans in iis casibus respicit utilitatem privatam. Equidem tamen cum communiori censeo, nullum omnino contractum meticulosum firmari juramento in foro conscientiæ; Esto pro foro externo, quando metus est levis, videantur aliqui contractus firmari, cum non possit Jus positivum ad metum levem attendere.

IV. Dico secundo, Juramentum metu injusto extortum ad firmandum contractum sponte initum, jure tamen positivo irritum, (puta alienationem fundi dotalis) illum non confirmat. Ita communiter.

Ratio est, quia ex dictis articulo primo, Juramentum non confirmat contractus irritos ex natura ipsius juramenti, sed illos confirmat ex lege positiva; atqui nullum jus positivum reperitur, quo dicantur contractus invalidi firmari juramento, quod metu extorqueatur: Immo oppositum habetur in c. *Quamvis pactum de Pactis in sexto*, & c. 2. *De Jurejur. in sexto*, & alibi, cum decernatur alienationem fundi dotalis, contractus minorum, & renunciationem legitimæ, secluso juramento, esse irrita, accedente autem juramento esse servanda, nisi vi, & dolo juramentum præstitum sit. Accedit, quod in hoc etiam casu reperitur turpitudo ex parte creditoris, in cujus favorem juratur; ergo juramentum metu extortum non potest contractum confirmare.

V. Dubitatur tamen ulterius, An hujusmodi Juramentum contractui superadditum obliget ad implendum contractum, indigeatque relaxatione, ut contractui contraveniatur, esto contractum non confirmet; eo modo, quo dicitur de juramento addito contractui usurario?

Dico itaque III. Juramentum in casu secundæ conclusionis (si scilicet metu injusto extorqueatur ad confirmandum contractum jure positivo irritum) quamvis contractum non confirmet, obligat tamen ad illum implendum, indigetque relaxatione, ut possit contractui contraveniri; non secus ac juramentum additum contractui usurario. Ita Suar. l. 2. de juramento c. 11. Less. Sanch. l. 4. d. 20. contra Azor. t. 1. l. 11. c. 7. Panormitanum, & alios. Ratio est, quia tale juramentum non est irritum jure naturali, cum metus non tollat simpliciter voluntarium; neque jure positivo, cum nullum jus positivum adducatur irritans hujusmodi juramentum; & quæ adducuntur, facile a Doctoribus evacuantur; ergo obligat, indigetque relaxatione; Quamvis pro foro exteriori non possit ab Episcopo ea relaxatio concedi, quando metus est levis, ut supra diximus, sed solum concedi tunc possit pro foro interno.

Confirmatur, quia in c. *Cum pactum*, *de pactis in sexto*, & in cap. *Cum contingat*, *de Jurejur.* decernitur juramenta in alienatione fundi dotalis, & in contractibus minorum alias irritis servanda esse; additurque ea causalis, *quia scilicet servari possunt sine dispendio salutis æternæ*: atqui hoc idem militat in casu nostro; ergo etiam in casu nostro obligat juramentum, indigetque relaxatione. In eo tamen casu probabiliter non obligaret, nec relaxatione indigeret, quando scilicet contractus, cui juramentum adjicitur, a lege irritatur; & interdicitur primario ob bonum commune, & publicam utilitatem, ut mox explicabimus in ultima conclusione.

VI. Dices: Votum metu extortum non obligat, cum Deus ipsum non acceptet: ergo nec juramentum. Respondeo nego consequentiam; nam ex dictis q. 6. a. 1. hujusmodi votum simplex jure naturæ est validum, (quicquid alii in contrarium doceant) irritatur tamen jure positivo, si minus scripto, saltem tradito, & ex Ecclesiæ consuetudine, ut diximus cum Sanchez. Contra vero Juramentum metu extortum jure positivo non irritatur; ergo obligat.

VII. Dico ultimo: Juramentum sponte præstitum superadditum contractui metu extorto, qui a lege primario irritatur ob publicam utilitatem, non obligat, nec indiget relaxatione: Secus vero, si contractus irritetur primario in utilitatem privatam: Esto in neutro casu contractum confirmet. Ita Sanch. l. 3. c. 9. Suar. l. 2. de Juramento c. 26. Meroll. disp. 1. c. 3. n. 486., & alii contra Sylvest. Guttier. Roselli putantes universim obligare, & contra Rodriq., Covarr., Ostiens. putantes nunquam obligare.

Probatur prima pars conclusionis; quia ut notat Sanch. l. 3. c. 10. n. 38. Juramentum in præjudicium tertii non obligat ex Cap. *Quamvis pactum*, *de pactis in sexto*, & ex Cap. *Cum contingat*, *de Jurejurando*, cum nequeat jurans alteri detrimentum afferre: ergo a fortiori juramentum non obligat, quando vergit in præjudicium boni communis contra legem civilem disponentem aliquid in ejus favorem; ut est lex irritans contractum metu extortum ob publicam utilitatem; nequit enim juramentum esse vinculum iniquitatis, & obligare ad id in præjudicium alterius, & a fortiori in præjudicium boni communis vergit, & ideo tale juramentum non indiget relaxatione.

Confirmatur, quia nemo potest cedere juri communitatis, quamvis cedere possit juri proprio, ex lege *Juris Gentium ff. de Pactis*; ergo nemo potest pacisci adversus bonum communitatis; ergo juramentum additum contractui, qui bono communitatis adversatur, obligare non potest. Hinc communiter

niter docent, juramentum deferendi extra Regnum pecuniam, arma, frumentum, equos, aut alias res prohibitas non obligare, quia obligaret ad legi contraveniendum.

Neque dicas, leges irritantes contractus primario in utilitatem publicam non prohibere, ne fiant hujusmodi contractus, aut ne impleantur, sed solum tollere a contrahentibus obligationem eos implendi; ergo juramentum obligare potest ad eos implendos, quin sit vinculum iniquitatis.

Nam contra est: Etenim eo ipso ac lex irritat contractus primario in utilitatem publicam, indicat illos bono publico adversari, cui privatus cedere non potest; ergo juramentum obligans ad implendos hujusmodi contractus obligaret ad ponendum, quod bono publico adversatur; atque adeo vinculum esset iniquitatis: Non alia de causa in cap. *Diligenti de foro competenti* deciditur pactum juratum, quo Clericus renunciat privilegio fori, esse irritum, ac nullatenus obligare, nisi quia privilegium fori est privilegium commune in favorem totius status Clericalis, cui privatus cedere non potest; ergo pariter quando in bonum commune irritantur, atque interdicuntur aliqui contractus, juramentum illis adjectum est irritum.

Probatur nunc secunda pars conclusionis: quia universim juramentum in favorem alicujus emissum semper servandum est, quando sine dispendio salutis æternæ, hoc est sine culpa, adimpleri potest, etiamsi metu, & per injuriam extorqueatur, ex c. *Debitor de jurejur.* atqui in casu potest sine culpa adimpleri; ergo obligat. Probatur minor, quia quando lex irritat contractum, qui respicit utilitatem privatam, non obligat subditum ad renunciandum favori suo, saltem quando adhibetur juramentum; neque vult laqueum illi injicere obligando ad culpam, ne contractum irritum impleat; sed solum vult illi privilegium concedere, ne vi contractus obligetur; ergo citra culpam impleri potest contractus jure positivo irritus primario ob privatam utilitatem.

VIII. Cæterum, si ex verbis legis contractum irritantis erueretur, legem etiam obligare, ne contractus ineatur, aut impleatur, profecto juramentum illi additum in eo casu obligare non posset. Negandum tamen cum Panorm., Guttier., Imola contra Bartolum, & Baldum, legem obligare ad culpam, ne contractus impleatur, si prohibitio dirigatur in actum, non in personam; puta si dicatur, ne res minoris alienentur absque Judicis decreto: Nam in tali casu prohibitio solum intendit conferre privilegium privato, ne eo contractu obligetur; non vero ligamen, ne possit suo favori renunciare, & contractum exequi.

IX. Ex dictis sequitur I. Juramentum adjectum Sponsalibus, aut Matrimonio metu gravi extortis non obligare, nec indigere relaxatione. Ita Sanch. l. 4. d. 21. Azor. Sà, Rodr. contra Henriq. l. 11. c. 9. Sot., Ledes. Ratio est, quia isti contractus ob publicam utilitatem, ut diximus, irritantur; ex iis enim oriuntur rixæ inter Conjuges, & mala prolis educatio in Reipublicæ detrimentum. Idem docent Sanch., & Guttier. de juramento apposito constitutioni procuratoris ad matrimonium gravi metu extortæ, quia talis consensus, quo constituitur procurator, censetur permanere, & esse consensus, quo perficitur matrimonium.

Sequitur II. cum Sanch. l. c. contra Ostiensem, juramentum adjectum contractui gravi metu extorto constitutionis dotis, & arrharum obligare; quia talis consensus jure positivo irritatur ob utilitatem privatam, non publicam.

X. Sequitur III. Juramentum adjectum Religiosæ professioni gravi metu extortæ non obligare; quia professio metu extorta irritatur principaliter ob bonum commune, non secus ac Matrimonium. Utrum autem idem dicendum sit de juramento adjecto simplici voto Religionis metu extorto? negant Soto, & Palatios, sed videtur affirmandum cum Suar., & Rodr. Sanch., quia sicuti se habent sponsalia ad matrimonium, ita votum ingrediendi Religionem ad professionem; ergo sicut juramentum neque in contractu Matrimonii, neque Sponsalium obligat; ita pariter nec in professione Religiosa, nec in voto simplici ingrediendi Religionem.

Neque dicas disparitatem esse, quia qui contraxit sponsalia, tenetur ad matrimonium, contra vero qui vovit ingredi Religionem, non tenetur ad profitendum. Disparitas enim hæc non obstat, quia votum ingrediendi Religionem inducit saltem necessitatem aliquam moralem profitendi.

XI. Quæres hic, Quænam sint conditiones, quæ requiruntur, ut juramentum confirmet contractus jure positivo irritos?

Respondeo, requiri primo, quod possit juramentum absque culpa servari. Secundo, quod non sit turpitudo in eo, in cujus favorem juratur, neque formaliter, ut si ille injuste contractum extorserit, neque materialiter, puta si tertius injuste contractum extorsit in gratiam alterius contrahentis id ignorantis. Tertio quod juramentum formaliter, vel æquivalenter contineat promissionem non revocandi contractum: nam juramentum pure assertorium, & non obligans in futurum, cum solum ferat obligationem non adducendi Deum in testem falsi, non potest contractum confirmare, ut constat.

Ex quibus conditionibus fit primo, non confirmari juramento contractus, qui primario ad publicam utilitatem irritantur, quia absque peccato tale juramentum servari nequit, ut ostendimus ex Suarez, & docet Sanchez l. 3. c. 12. n. 43. Secundo, nec firmari juramento contractum, qui est in præjudicium tertii, quia pariter esset juramentum rei iniquæ, puta si fundus dotalis alienatus cum juramento debebat ratione fideicommissi ad filios pervenire.

ARTICULUS ULTIMUS.

Quisnam Prælatus possit Juramenta Contractibus adjecta relaxare?

I. In præjudicium Tertii solus Pontifex, & quidem ob causam urgentissimam, potest juramentum relaxare.

II. Relaxare illud potest Episcopus, quoties ex parte Creditoris est turpitudo. Immo etiam Vicarius Generalis, & Judex Ecclesiasticus, sed solum pro foro externo. Quid de Regularibus Privilegiariis, & aliis?

III. Num facultas data vi Jubilæi, aut Privilegiariis, ad dispensandum in Votis se extendat ad relaxanda juramenta, ac vota jurata?

IV. Privilegium concessum in Privilegiis Societatis Jesu relaxandi juramenta est solum relate ad Nostros.

V. Quænam causa requiratur ad Juramenta relaxanda? In dubio, num causa sit sufficiens, recurrendum ad Pontificem.

VI. Quandonam debeat premitti citatio Partis?

VII. Quomodo possit Princeps Secularis indirecte juramenta isthæc relaxare? Directe certe non potest; cum id pertineat ad potestatem Spiritualem.

I. Dico primo cum communissima, neminem præter Pontificem posse juramenta in præjudicium tertii relaxare, imo ne Pontificem quidem citra causam urgentissimam. Ratio est, quia Pontifex non est Dominus rerum temporalium personarum privatarum, nisi quatenus expedit de iis disponere in bonum animarum. Potest quidem quilibet juramentum, ac votum Deo præstitum propria auctoritate commutare in evidenter melius, & probabiliter ex Sanchez, & aliis, etiam in evidenter æquale: At juramentum præstitum homini non potest in melius commutari; Sicuti nec quod præcipitur a superiore. Ratio disparitatis est, quia, cum per juramentum, & votum offeratur Deo aliquid ipsi gratum, quo gratius est id, quod exhibetur, eo acceptius est Deo: Contra vero homini creditori, aut superiori dari debet id, quod requirunt, nec licitum est offerre aliquid melius ipsis invitis, ex leg. *Mutuum. ff. Si certum petatur*. Præterea ex Dei benignitate præsumitur, quod contentus sit bono præstantiori, quoties obligatio offerendi illi aliquid oritur ex propria voluntate voventis, aut jurantis: At id non præsumitur ab homine creditore, etiamsi obligatio dandi aliquid oriatur ex voluntate ipsiusmet jurantis; quia homines sæpe afficiuntur bono determinato, unde non licet ipsis invitis dare aliquid præstantius.

II. Dico II. Quoties est turpitudo ex parte creditoris, juramentum additum contractui relaxari potest ab Episcopo; ut accidit, quando quis jurat, se soluturum usuras; aut quando metu gravi extorquetur juramentum, aut contractus, cui juramentum adjicitur; sive metus incutiatur ab altero contrahente, sive a tertio. Ita etiam communiter. Ratio est, quia per hujusmodi juramentum nullum jus acquiritur alteri, sed solum ob reverentiam debitam Numini invocato in testem illud servandum est; ergo Episcopus vicem Dei gerens sicut potest data sufficienti causa dispensare in votis, ita potest hæc juramenta relaxare. Episcopus autem satis est quod sit confirmatus, etiamsi non sit adhuc consecratus, quia potestas relaxandi juramenta non est Ordinis, sed Jurisdictionis: At non est satis, quod solum sit electus, quia a tempore confirmationis est vere Prælatus, & potest jurisdictionem exercere, ut docent communiter. Præterea relaxare possunt hæc juramenta Abbates exempti habentes jurisdictionem quasi Episcopalem in suo territorio: necnon Capitulum Sede vacante, quo tempore Jurisdictione Episcopali potitur. Pariter Judex Ecclesiasticus loci, in quo initus est contractus, quia ratione contractus sortiti sunt in eo loco forum contrahentes. Potest etiam Vicarius Generalis Episcopi, cum habeat exercitium Jurisdictionis Episcopalis, & cognitionem causarum, ex c. 2. *De Officio Vicarii in 6.*: Causa autem decidi non potest sine juramenti relaxatione; ergo potest Vicarius relaxare juramentum, tamquam quid accessorium ad causam coram ipso agitatam, ex cap. *Prudentiam de Officio Delegati*. Verum tam Vicarius Generalis Episcopi, quam Judex Ecclesiasticus loci possunt solum pro foro externo relaxare juramenta, quatenus quid accessorium ad causam ab iis cognoscendam: pro solo tamen foro conscientiæ non possunt; ut notat Sanch. l. 3. c. 21. Poterit demum relaxare juramenta & Legatus Pontificis in Provincia suæ Legationis, cum sit Judex Ordinarius, & Cardinales in suis titulis, cum habeant ibi Episcopalem Jurisdictionem. Archiepiscopus relaxare non potest juramenta subditorum Episcopis suffraganeis, nisi quando ad Tribunal Archiepiscopi appelletur, quia tunc est Judex Ordinarius; Sicut etiam probabiliter ex Avila, Henriquez, contra Suarez, & Sanchez, cum visitat Diœcesim Suffraganeorum: Probabiliter etiam potest Archiepiscopus relaxare juramenta Episcoporum suffraganeorum, ex Henriquez, Avila, Sayro, quia probabiliter sunt illi immediate subjecti, sicut proprii subditi; potestque Archiepiscopus ante Pallii susceptionem jurisdictionem hanc exercere.

Confessarius jure suo, aut etiam Parochus relaxare juramenta non potest, ut nec dispensare in votis, nec leges ferre, aut excommunicare, aut indulgentias largiri, quia hæc omnia requirunt jurisdictionem in foro externo. Regulares privilegiarii possunt relaxare juramenta sine præjudicio tertii personis ejusdem Ordinis, non vero aliis Pœnitentibus, ex concessione Clementis VII., quæ habetur in nostris Privilegiis verbo *Confessarius* §. 6.

III. Utrum autem facultas delegata aut vi Jubilæi, aut vi privilegiorum ad dispensandum in votis se extendat ad relaxanda juramenta, ac vota jurata? affirmant probabiliter Sanch. l. 4. c. 53. Suar. & alii contra Less., Bonacinam, Sà, Navarr. Equidem hac in re distinguendum censui in Opusculo de Jubilæo q. 12. a. 1., videlicet quod nomine voti possit venire etiam juramentum, quando datur in privilegiis facultas commutandi vota: At quando alicui particulari datur facultas commutandi vota, nomine votorum non veniunt juramenta. Ratio disparitatis est, quia privilegia latam habent interpretationem, & ideo nomine voti venit etiam juramentum, quatenus eadem est obligatio passiva hominis erga Deum tam per votum, quam per juramentum; esto non sit eadem obligatio activa, quia vinculum voti habetur per hoc, quod aliquid Deo promittatur; Vinculum vero juramenti habetur per hoc, quod Deus in testem adducatur veritatis, seu promissionis assertæ. At quando datur alicui facultas commutandi vota, tunc ista facultas non habet rationem privilegii, seu legis privatæ relate ad aliquam Communitatem, sed habet rationem dispensationis, quæ cum sit vulnus legis, strictam habet interpretationem, & ideo nomine voti tunc non venit juramentum, nec votum juratum.

Illud notandum, quod quamvis Sanchez loco laudato admittat facultatem dispensandi in votis concessam Regularibus privilegiariis extendi ad relaxanda juramenta, & vota jurata Deo emissa intuitu pietatis; Negat tamen extendi ad relaxanda juramenta adjecta contractui, in quo sit turpitudo ex parte creditoris, puta ad juramentum factum homini solvendi usuras, aut extortum metu; quia quamvis per hujusmodi juramenta nullum homini, cui fiunt, jus comparetur; at cum non fiant intuitu pietatis, nec Deo, nullam voti rationem induunt. Quod etiam docet Suar. l. 6. de Voto c. 14.

& l.

& l. 2. de Juramento c. 14. contra Ledes. Rodr. apud eundem Sanchez.

IV. Addunt etiam Suar.& Sanch. probabilius esse, quod privilegium commutandi vota jurata, quod habent Regulares Privilegiarii, neque se extendat ad juramenta relaxanda quomodocunque adjecta contractui, quia nomine Votorum Juratorum censentur venire vota, quæ solent juramento confirmari, atque adeo quæ intuitu pietatis, & soli Deo fiunt, quod non competit juramentis, quæ contractui adjiciuntur: Et ideo noster Pater Thyrsus Gonzalez Generalis Societatis literis encyclicis, ne nostri in hoc errarent, advertit, Privilegium Nobis concessum relaxandi juramenta esse solum relate ad Nostros.

V. Quæres hic, quænam causa requiratur ad Juramenti hujus relaxationem?

Respondeo, rationabilem causam requiri; non secus ac in dispensatione Votorum: quia obligatio Voti, ac juramenti est de jure divino naturali; unde invalide tolleretur sine causa sufficienti. Est autem causa sufficiens, Primo, si adsit turpitudo ex parte creditoris, quia scilicet injuste recipitur, quod ex juramenti obligatione solvitur; ut quando relaxatur juramentum solvendi usuras. Secundo, si contractus, aut Juramentum fuerit metu injusto extortum: Ubi nota, quod si nolit jurans uti remedio relaxationis, poterit a Judice Ecclesiastico petere, ut creditorem compellat ad remittendum hujusmodi juramentum; & quia materia hæc est spiritualis, poterit Judex Ecclesiasticus etiam laicos ad id compellere, ex cap. 1. *de Juramento*. Tertio, si dolus in contrarium inciderit, puta si quis deceptus sit in pretio rei emptæ cum juramento non contraveniendi contractui, ut fuse explicat Sanchez l. 3. c. 21. Si tamen dolus dederit causam contractui, juramentum non indiget relaxatione. Quarto, in pœnam ingratitudinis donatarii potest relaxari juramentum additum donationi de illa non revocanda, ut notat Molina d. 221.& Sanch. quia Donatarius ob ingratitudinem indignum se reddidit, cui juramentum servetur: Quando tamen dubium est, an possit Episcopus juramentum aliquod relaxare, ad Pontificem non videtur esse reccurrendum, quia stat in possessione potestas, quæ de se competit Episcopo, donec constet, quod per reservationem ei sit a Pontifice limitata. Et eodem modo, ut notat Sanchez l. 4. Summæ cap. 40. n. 80. si dubitetur, an votum sit reservatum, judicandum est in partem benigniorem, ut reservatum non censeatur: Sicut in aliis casibus reservatis contingit, quando de eorum reservatione ambigitur.

VI. Præterea dubitatur a Doctoribus, an ad obtinendam juramenti relaxationem debeat præmitti citatio partis, seu ejus, cui juramentum est præstitum? Ad quod dicendum dupliciter peti posse relaxationem, Primo, ut tollatur omnis obligatio juramenti, & contractus evanescat. Secundo, ad finem tantum agendi in judicio contra creditorem. In primo casu præmitti debet citatio partis; aliter relaxatio erit nulla, ut communiter docent apud Sanch. loc. cit. ex lege finali cap. *de legibus*, si tamen relaxatio petatur pro utroque foro; nam si pro solo foro conscientiæ petatur, non requiritur ulla partis citatio. In secundo casu probabilius est non requiri hujusmodi citationem, tum quia contradictio partis non potest impedire hanc relaxationem jure permissam, unde frustra pars citaretur; tum etiam quia dum relaxatur juramentum, non agitur directe de partis præjudicio, sed solum de excludendo jurantis perjurio, intentando litem.

VII. Dubitatur demum, an possit Magistratus etiam sæcularis relaxare hæc juramenta?

Respondeo, communiter Doctores docere primo, quod Magistratus sæcularis possit laicos cogere ad condonandam obligationem juramenti, quando constat esse metu, aut injuria extortam, aut quando res juramento promissa restituenda est. Secundo posse principem sæcularem indirecte juramenta relaxare in materia sibi subjecta, puta, in casu Jurisconsulti *leg. ult. ff. ad mancipium*: si quis enim juret, se non interfuturum Collegio Universitatis, potest Princeps sæcularis illum cogere, ut muneri decurionis, aut magistratus satisfaciat, (cum materia hæc sit Principi subjecta) & sic obligare, ut Collegio intersit. Tertio potest ex natura contractus, cui accessit juramentum, interpretari quomodo intelligendum sit juramentum præstitum. Quarto, quamvis non possit judicialiter cognoscere de nullitate relaxationis concessæ a Judice Ecclesiastico, poterit tamen summarie extrajudicialiter, & sine figura judicii de ea cognoscere, quatenus repellere potest Actorem, cui concessa est relaxatio juramenti, si evidenter constet nulliter, & subreptitie illam obtinuisse. Quinto potest, ut notat Sanch. l. 3. c. 22. indirecte etiam juramentum relaxare in sua radice circa materiam sibi subjectam, statuendo legem, qua reddatur aliquis inhabilis ad acceptandum quicquid ratione alicujus contractus jurati illi dandum esset: Sicut potest indirecte irritare Matrimonium Princeps sæcularis secundum se, (nisi hanc potestatem sibi Pontifex reservasset, ut docet Sanch. lib. 7. disp. 3. ex D. Thom. Soto, Vitoria, Ledesma, & aliis) ferendo scilicet novam legem de conditionibus ad contractum matrimonialem essentialiter requisitis; sic enim potestas sæcularis non attingit spirituale directe, sed solum indirecte, cum directe feratur solum ad id, quod intra limites suæ potestatis continetur. Sexto potest Princeps sæcularis nomine sui subditi, in cujus favorem est juramentum, condonare juramenti obligationem, quando res promissa est mere temporalis, dummodo subditus teneatur condonare, & inique renuat: sic enim supplet defectum subditi; Eo modo, quo nomine subditi renuentis, supplendo ejus consensum, vendit v. g. ejus domum ad solvendum creditoribus. Denique relaxare directe juramenta non potest, cum sit hoc proprium potestatis spiritualis; vinculum enim juramenti procul dubio est spirituale, ortum ex virtute Religionis; ergo ad potestatem spiritualem spectat, ad quam cura Religionis præcipue demandata est a Christo Domino.

QUÆSTIO VIII.

De Concupiſcentia minuente, vel augente Voluntarium.

BReviſſime duo hic inquirimus. Primo quidem, Utrum concupiſcentia partis inferioris minuat, aut etiam omnino tollat rationem voluntarii; unde tranſgreſſio legis aliquando vacet culpa, ſaltem gravi, ratione concupiſcentiæ, ſeu paſſionis appetitus ſenſitivi animum perturbantis, & libertatem adimentis? Secundo, utrum blanditiis, ac blandis verbis extorta reſtituenda ſint in foro conſcientiæ; eo modo, quo diximus de precibus importunis minuentibus voluntarium?

ARTICULUS I.

Utrum Concupiſcentia minuat, aut etiam quandoque tollat Voluntarium?

I. Sex Paſſiones ſpectant ad partem concupiſcibilem appetitus ſenſitivi, quinque vero ad Iraſcibilem.
II. Concupiſcentia conſequens auget voluntarium, necnon meritum, & culpam: Antecedens vero aliquando libertatem interimit.
III. Sæpe vero culpam, & meritum minuit.
IV. Si voluntarium non ſumatur pro libero, ſed pro eo, quod procedit ab intrinſeco principio cognoſcente ſingula, concupiſcentia auget voluntarium.
V. Impulſus concupiſcentiæ eſt quidem voluntati extrinſecus, ſed impetus ab eo impulſu procedens eſt illi intrinſecus.
VI. Validi ſunt contractus (& quidem etiam Matrimonium, & Profeſſio Religioſa) ſi paſſione impellente fiant, v. g. ſperando hæreditatem, aut Prælaturam, dummodo libertas, quæ ſic minuitur, non interimatur.

I. SUpponendum, paſſiones appetitus ſenſitivi undecim communiter recenſeri: ſex videlicet ad partem concupiſcibilem ſpectantes, nempe amorem, odium, deſiderium, fugam, gaudium, & triſtitiam; & quinque ad iraſcibilem, videlicet ſpem, deſperationem, audaciam, timorem, & iram. Paſſiones iſtæ, ſeu actus appetitus ſenſitivi veniunt hic nomine concupiſcentiæ, quam D. Th. 1. 2. quæſt. 77. art. 6. dividit in antecedentem, & conſequentem. Antecedens dicitur, quæ naturaliter exurgens antecedit omnem deliberationem, & actum voluntatis, unde nec meriti capax eſt, nec demeriti. Conſequens dicitur, quæ conſequitur actum voluntatis; & ab eo excitatur, ut promptius ad ſuum objectum tendat, v. g. ſi quis iram excitet ad crudelius puniendum, aut ad acrius pugnandum. Hanc concupiſcentiam conſequentem non minuere, ſed potius augere voluntarium, nemo eſt, qui dubitet; cum ex voluntate deliberata procedat, tamquam incitamentum deinde voluntatis, unde ex ea augetur vel bonitas moralis, vel malitia actus; Etenim quo majori concupiſcentia, ac libidine quis peccat, eo magis peccat: Quare ſi quis excitet in ſe vini v. g. deſiderium, ut poſſit immoderatius libere, magis peccat bibendo: Sicut ex oppoſito, ſi quis excitet in ſe commiſerationis actum, ut largiorem ſtipem eroget, magis meretur ſtipem erogando. De concupiſcentia itaque antecedente procedit difficultas, num voluntarium minuat? Vaſq. 1. 2. d. 28. c. 2. cum Lorca putat minuere; Nav. vero, Val. Salas in 1. 2. d. 3. & alii apud eundem Vaſq. putant, aliquatenus augere, quia facit, ut majori conatu, ac impetu in objectum concupitum voluntas tendat.

II. Dico equidem I. Concupiſcentia, ſeu actus appetitus ſenſitivi tendens in delectabile, ſi antecedat voluntatis actum, aliquando interimit omnino libertatem.

Probatur, quia paſſio appetitus ſenſitivi aliquando ita mentem perturbat, ut non ſinat proponi voluntati objectum cum indifferentia, ſeu cum omnibus rationibus tam convenientiæ, quam diſconvenientiæ, ſed ſolum cum determinatione ad eam partem, ad quam paſſio trahit; ergo libertatem interimit. Hinc actus primo primi dicuntur carere libertate; Ebrii pariter, & amentes non libere operantur per hoc, quod ſenſus internos habeant perturbatos, unde turbatur etiam intellectus, qui in ſuis operationibus pendet in hac vita a phantaſmatibus; & quia ab intellectu ſic turbato objectum non proponitur voluntati cum indifferentia, ideo hæc non libere operatur, ut notat D. Th. 1. 2. q. 6. a. 7. Hoc autem accidit etiam, quando paſſio eſt vehementiſſima; unde fit, quod ira dicatur eſſe furor, ſeu dementia brevis, & amor dementare, atque obcæcare.

III. Dico II. Quando concupiſcentia antecedens non eſt vehementiſſima, minuit tantum voluntarium, prout voluntarium confunditur cum libero; atque adeo diminuta libertate diminuitur bonitas, & malitia moralis actus.

Probatur, quia libertas oritur ex intellectu proponente objectum cum indifferentia; paſſio autem appetitus ſenſitivi trahit intellectum ad perpendenda potius motiva inclinantia voluntatem ad eam partem, ad quam inclinat ipſe appetitus, quam ad perpendenda motiva retrahentia; idque propter naturalem ſympathiam potentiarum inferiorum, ac ſuperiorum; unde dicimus unumquemque judicare juxta proprium affectum, & hominem paſſionibus correptum non eſſe idoneum ad recte judicandum; ergo concupiſcentia antecedens minuit libertatem, & conſequenter etiam malitiam peccati, & meritum virtutis. Hinc eſt, ut notat Vaſq. Pal. Salas, Val. facilius diſpenſationem in votis concedi, quando emiſſa fuerunt paſſione prævalente, quia non cenſentur perfecte libera, & minus puniri peccata, quæ ex aliqua paſſione fiunt, utpote leviora, quam quæ ex malitia.

IV. Dico III. Si voluntarium non ſumatur pro libero, ſed pro eo, quod fit a principio intrinſeco cognoſcente ſingula, augetur illud potius, quam minuatur per concupiſcentiam. Ratio eſt, quia concupiſcentia, ſeu actus appetitus ſenſitivi efficit, ut voluntas majori impetu feratur in objectum concupitum,

pitum, cum voluntas propter naturalem sympathiam, quam habet cum appetitu sensitivo, aliquatenus ab eo trahatur: unde Apostolus sentiebat in membris suis aliam legem repugnantem legi mentis; quia sine lucta, ac nisu nequit voluntas inclinationi appetitus sensitivi resistere. Hinc est, quod correpti passione vindictæ, vel victoriæ acrius ulciscuntur, aut pugnant, & æstuantes libidine vehementius feruntur in turpia, nisi pars superior repugnet inferiori voluntatem allicienti, ac per sympathiam aliquatenus pertrahenti.

V. Dices cum Vasquez, Voluntarium est, quod procedit ab intrinseco principio cognoscente singula, sed quod fit impellente concupiscentia, minus fit ab intrinseco, ergo minus est voluntarium. Probatur minor, quia appetitus sensitivus, qui residet in corde, & aliquatenus pertrahit voluntatem, (juxta illud, *Trahit sua quemque voluptas*) est extrinsecus voluntati residenti in anima; ergo quod fit a voluntate concurrente passione, minus fit ab intrinseco.

Respondeo, nego minorem; Ad probationem, quamvis impulsus concupiscentiæ sit voluntati extrinsecus, at ipse major impetus, & conatus voluntatis procedens ab impulsu appetitus sensitivi est ipsi voluntati intrinsecus; unde actus magis procedit a principio intrinseco, quando fit passione impellente, atque adeo est magis voluntarius.

Hinc sequitur, validos esse contractus, qui passione impellente fiunt, quando non interimitur ab ea totaliter libertas, sed solum minuitur. Unde valida est v. g. professio Religiosa, ut notat Nav. si fiat ob spem consequendi Prælaturam, quia concupiscentia ista non tollit voluntarium liberum, quamvis aliquatenus illud minuat: Et eodem modo validum est matrimonium, ut notat Sanch. l. 1. d. 13. si quis contrahat cum Berta cum spe acquirendi legatum, aut hæreditatem.

ARTICULUS II.

Utrum restituenda sint in foro conscientiæ, quæ blandis verbis extorquentur.

I. *Videntur blanditiæ, seu concupiscentia ita minuere voluntarium, ut minuunt preces importunæ, ac metus levis. Et ideo in foro conscientiæ restituenda videntur, quæ blandis verbis extorquentur.*

II. *Sed verius voluntarium augent; cum voluntas, amore duce, majori impetu operetur: nec irrogatur injuria per blanditias, sicut per metum levem, & preces importunas; unde non videntur trahere onus restitutionis.*

III. *Validum est testamentum factum in favorem uxoris blando sermone illum exorquentis, cum actus non sit mixtus involuntario, quamvis non sit perfecte liber.*

IV. *Excæcat quidem amor, sed si libertatem non interimit, contractus est validus. nullum trahens onus restituendi.*

I. Cajet. 2. 2. q. 32. ar. 7. Medina, Armilla affirmant, quia sicut preces importunæ, ac metus levis minuunt voluntarium, ita & blanditiæ, ac amor, seu concupiscentia; ergo sicut extorta metu levi injusto, aut precibus importunis in foro conscientiæ restituenda sunt, juxta dicta q. 6. ita & quæ blandis verbis, ac amore duce extorquentur; præsertim quia amor excæcat, non secus ac ebrietas.

II. Negandum tamen cum Soto, Molina d. 94. Bonac. Sanch. l. 4. d. 11. & aliis communius. Ratio est, quia, ut notat D. Th. 1. 2. q. 6. art. 7. concupiscentia, & amor non solum non efficiunt involuntarium, sed potius augent voluntarium: cum sint causa, quod voluntas majori conatu operetur: Nihil enim magis voluntarie fit, ut habet D. Th. loco laudato, quam quod amore efficitur: ergo cum habeatur sufficiens libertas ad contrahendum, non est cur restituendum sit; quod blandis verbis extorquetur. In tantum quæ metu levi injuste incusso extorquentur, aut etiam precibus importunis, restituenda sunt, juxta superius dicta, quia iis habetur involuntarium secundum quid, seu voluntarium mixtum involuntario, & quidem per injuriam, ac violentiam injustam: injuste enim precibus importunis quis suo modo cogitur ad dandum, quod dare nollet: At in casu nostro nulla vis, nulla injuria, nullum involuntarium, etiamsi libertas aliquatenus sit diminuta per concupiscentiam; ergo non datur onus restitutionis.

III. Hinc sequitur primo ex Sanch. lib. 4. de Matrim. disp. 11. n. 2. Molina disp. 94. Salonio, meretrices ad restitutionem non teneri, si blandis, & amatoriis verbis donationem aliquam ultra stipendium debitum extorqueant; dummodo non extorqueant fraudibus, dicendo v. g. se esse virgines, a magnatibus concupitas &c. quæ tamen non concordant cum veritate. Advertunt tamen Sanchez, Soto, Guttier. quod non committeretur fraus a meretrice, si falso diceret alicui se perdite illum adamare, quia nemo ignorat, hanc esse muliercularum cantilenam.

IV. Sequitur II. ex eodem, validum esse testamentum, quod maritus blando sermone uxoris ductus in ejus favorem confecit; cum blanditiæ non reddant actum mixtum involuntario, licet libertatem coarctent. Hinc l. finali *c. si quis alteri testa. probi.* dicitur: *Judicium uxoris prostremum in se provocare maritali sermone non est criminosum*: id est, ut Juristæ docent apud eundem Sanch. n. 2. non vitiatur testamentum, quod vir blanditiis uxoris ductus in ipsius favorem confecit; Etenim blanditiæ non cogunt reddendo actum secundum quid involuntarium, prout redditur a metu.

Ad rationem in contrarium patet ex dictis. Concupiscentia excæcat quidem mentem, ita ut actus non fiat juxta rationem, ac dictamen prudentiæ. Quando tamen libertatem sufficientem ad peccandum, & contrahendum relinquit, (quod fere semper accidit) tunc non reddit actum involuntarium, unde non est cur reddat obnoxia restitutioni, quæ blandis verbis extorta sunt.

QUÆSTIO ULTIMA.

De actibus humanis, quoad eorum Moralitatem.

PLurima hac in re inquirunt Scholastici: Nos pauca primoribus labris delibabimus, ne Theologus Moralis in iis, quæ ad moralitatem spectant, prorsus jejunet. Solum itaque inquiremus, Primo, in quonam consistat Bonitas, vel Malitia moralis nostrorum Actuum? Secundo, unde ea desumatur, ab objecto ne, an a fine? mittendo reliqua huc spectantia ad Scholasticam Theologiam.

ARTICULUS I.

In quonam consistat Bonitas, & Malitia Moralis?

I. Quotupliciter sumitur Morale?
II. Num bonitas moralis actuum humanorum consistat in conformitate cum recta ratione, an cum natura rationali?
III. Videtur fundamentaliter, & remote consistere in hac secunda conformitate; formaliter, & proxime in prima.
IV. Si dictamen rationis sit erroneum, non errat voluntas illi se accommodando.

I. MOrale dicitur, quod ad mores hominum spectat; proinde opponitur Naturali, spectatque proprie ad substantiam liberam, ac per se primo, & formaliter ad actus internos libere procedentes ex judicio indifferenti, cum plena deliberatione; secundario vero, & per analogiam ascribitur tam actibus externis, qui ab actibus liberis internis imperantur, quam aliis rebus, quæ circa actus liberos versantur: unde dicitur Scientia moralis, quæ de moribus differit, & Moralis virtus, quæ mores hominum moderatur: eo modo, quo sanitas v. g. per se primo dicitur de animali, & secundario, ac per analogiam de colore, pharmaco, cibo, pulsu, quæ habitudinem habent ad animalis sanitatem.

II. Difficultas est, num bonitas moralis consistat formaliter in conformitate cum recta ratione, & moralis malitia in privatione talis conformitatis, an vero in conformitate, aut difformitate cum natura rationali? Priorem sententiam docent Azor. tom. 1. l. 1. c. 1. Filliuc. & alii ex D. Th. 1. 2. q. 18. a. 5. putantes, rectam rationem esse regulam nostrorum actuum; & quia quod conformatur cum regula, dicitur rectum, & bonum, ideo actus humani dicuntur boni moraliter, quatenus cum recta ratione conformantur. Posteriorem sententiam docent Suar. dist. 10. Metaphys. sect. 2. Vasq. 1. 2. d. 58. c. 2. & Laymann l. 1. tract. 2. c. 7. quia illud dicitur moraliter bonum, quod decet naturam rationalem, illud vero moraliter malum, quod eamdem dedecet.

III. In hac quæstione mere speculativa utraque sententia facile conciliari potest, si dicamus regulam actuum humanorum, per conformitatem ad quam actus dicuntur moraliter boni, & per difformitatem mali, esse duplicem, alteram Fundamentalem, & remotam, & hæc est natura rationalis, quæ, qua talis, exigit actus rectæ rationi conformes: alteram Formalem, & proximam; & hæc est recta ratio, qua judicamus hoc potius, quam illud convenire naturæ rationali: Quia tamen recta ratio, seu dictamen conscientiæ secundum se repræsentat, & ostendit legem æternam Dei, quæ est objectum talis dictaminis, idcirco sicut recta ratio est prima regula formalis, & proxima honestatis, seu actuum humanorum, ita lex æterna Dei est prima Regula objectiva honestatis.

IV. Quare tunc voluntas dicitur bene moraliter operari, quando sequitur dictamen rationis ostendentis objectum esse conveniens naturæ rationali, & legi æternæ Dei, aut quando refugit ab objecto, quod a recta ratione ostenditur naturæ rationali, ac legi æternæ disconveniens. Cum enim voluntas nostra sit potentia cæca, quæ ductum rationis facem præferentis sequitur, non potest aliter errare, nisi avertendo se ab eo, quod per rationem ostenditur naturæ rationali, ac legi æternæ conforme, aut prosequendo, quod ostenditur eidem difforme. Quamvis autem possit aliquando intellectus decipi, & putare conforme naturæ rationali, quod revera est difforme; Voluntas tamen nunquam errat, nec male moraliter operatur, si dictamen rationis, etiamsi erroneum, sequatur: nam regula formalis, & proxima actuum voluntatis, per conformitatem ad quam actus dicuntur boni moraliter, non potest esse ipsum objectum conveniens, aut disconveniens naturæ rationali, quia relate ad illud non potest exercere libertatem, nisi in quantum proponitur per rationem cum judicio indifferenti; sed debet esse ipsa recta ratio, seu rationis dictamen, cui se conformando voluntas bene, ac recte operatur, suæ regulæ semet adaptando. Quare optime D. Th. 1. 2. q. 16. a. 3. dixit, Rationem esse regulam humanarum actionum, ubi locutus est de regula proxima nobis manifestante objectum conveniens, aut disconveniens naturæ rationali, quæ est regula remota, & fundamentalis.

ARTICULUS II.

Utrum a fine, an ab objecto desumatur bonitas, aut malitia moralis actuum humanorum?

I. Inquiritur, an elargitio v. g. eleemosynæ ob inanem gloriam sit bona moraliter ratione objecti boni, an moraliter mala ratione finis pravi?
II. Actus exterior bonitatem, aut malitiam desumit ab objecto, non a fine.
III. Actus interior illam desumit a fine, etiam tamquam ab objecto.
IV. Universim tamen actus humani, tam interni, quam externi, bonitatem moralem desumunt ab objecto solum formali, malitiam vero etiam ab objecto materiali.
V. Ideo malitia moralis trahitur etiam ab objecto materiali, quia bonum ex integra causa, malum ex singulis defectibus.
VI. Num circumstantia tribuens actui bonitatem, vel mali-

malitiam moralem transeat in rationem objecti, ita ut se habeat tanquam objectum volitum?
VII. Alia huc spectantia alibi a nobis discutiuntur.

I. DIximus in quonam consistat essentia moralitatis, seu bonitas, vel malitia moralis: Inquirimus nunc, unde ea sumatur, ab objectione ipsius actus, an a fine operantis? v. g. elargitio eleemosynæ facta ob finem inanis gloriæ undenam sumit speciem suam, ac moralitatem, ab objectione, quod est subventio pauperis, quod certe est conforme naturæ rationali, an vero a fine operantis, qui est inanis gloria, quæ naturæ rationali est difformis? Nam si ab objecto species moralitatis desumatur, talis elargitio dicenda est moraliter bona; si a fine, dicenda est moraliter mala. Qua in re paucis expediemus, quæ in Scholastica Theologia fuse disceptantur.

II. Prima sententia Medinæ 1. 2. q. 18. a. 2. cum Recentioribus Thomistis docet ex Divo Thoma, actum humanum desumere speciem moralitatis a suo objecto. Et ratio est, quia actus exterior sumit bonitatem, vel malitiam suam ab objecto, non a fine operantis; ergo etiam actus interior, atque adeo omnes actus humani. Antecedens constat, quia elargitio eleemosynæ v. g. facta ob amorem Dei non habet bonitatem charitatis, sed solius misericordiæ, quia ejus objectum est solum sublevatio pauperis; Eodem modo, si quis occidat ad furandum, actus exterior habet solum malitiam homicidii, quæ est ejus objectum, non vero furti, quod est finis operantis. Consequentia itaque probatur, quia actus exterior, & interior sunt unus actus in genere moris vel malus, vel bonus; Exempli gratia elargiri eleemosynam, & velle illam elargiri sunt ejusdem speciei moralis, & habent eandem bonitatem; sicut occidere, & velle occidere habent eandem malitiam; ergo si actus exterior bonitatem suam, vel malitiam habet unice ab objecto, etiam actus interior.

Neque obstat, quod erogans eleemosynam ob finem inanis gloriæ ponat actum moraliter malum ob finem malum, quamvis objectum videatur bonum. Nam relate ad intentionem, finis intentionis est objectum illius, unde hic actus est malus propter suum objectum malum; relate vero ad electionem medii, objectum talis electionis est ipsum medium, quod dat illi speciem moralem; cum ergo eleemosynæ erogatio sit electio medii, quod est consentaneum naturæ rationali, idcirco hæc moraliter est bona, & solum per denominationem extrinsecam a fine operantis dicitur moraliter mala.

III. Secunda sententia cum Vasquez 1. 2. dist. 51. c. 5. Azor., Cajet. 1. 2. qu. 18. art. 6. docet, actum internum, sive sit intentio finis, sive electio mediorum, sumere suam speciem moralem a fine, tanquam ab objecto; actum vero exteriorem nullatenus a fine, sed solum ab objecto. Ratio est, quia intentio voluntatis fertur in finem, tanquam in objectum suum: ergo ab illo suam bonitatem, vel malitiam desumit: electio autem medii fertur in medium, quatenus est utile ad finem, atque adeo amatur in ordine ad finem, qui proinde est objectum ipsius electionis; ergo etiam electio medii, quatenus actus interior est, sumit suam bonitatem, & malitiam a fine, tanquam ab objecto: Contra vero actio exterior de se non dicit ordinem ad finem operationis, sed ad objectum suum; ergo ab illo sumit speciem. Hinc elargitio eleemosynæ exterior de se est bona, etiamsi fiat ob inanem gloriam, quia ejus objectum est bonum: Contra vero actus interior est malus, & quatenus intendit inanem gloriam, & quatenus eligit tale medium ad talem finem; quia finis, qui est objectum tam intentionis, quam electionis, est malus, & ideo hujusmodi actus elargiendi eleemosynam ob talem finem magis est malus, quam bonus: Eo modo, quo Aristoteles dixit 5. Ethicor. 2., quod qui furatur, ut committat adulterium, per se loquendo magis sit adulter, quam fur.

IV. Dico equidem cum Francisco Lugo 1. 2. c. 8. qu. 2.; Medina, & aliis Thomistis ex D. Thoma 1. 2. qu. 12. art. 2. & 6., universim actus humanos tam internos quam externos sumere moralem speciem ab objecto suo; cum hoc tamen discrimine, quod bonitatem moralem desumant ab objecto solum formali, malitiam vero moralem desumant etiam ab objecto materiali.

Probatur, & quidem quod actus interior, sive sit intentio, sive electio, sumat suam bonitatem, vel malitiam ab objecto, constat, quia finis est objectum talium actuum; ergo si desumunt moralitatem a fine, desumunt etiam a suo objecto. Propterea Oseæ 9. dicitur: *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.* Quare erogatio eleemosynæ ob amorem Dei est actus charitatis, non misericordiæ; quia & finis intentus est complacere Deo, quod intenditur a charitate, & electio talis medii habet pro fine, atque adeo pro objecto formali pariter complacere Deo; subventio autem pauperis, quatenus est electio medii ad talem finem, est solum objectum materiale, non formale; & ideo hic actus non dicitur misericordiæ, nec habet meritum proprium talis virtutis, sed solius charitatis, ut mox ostendemus.

Probatur nunc secunda pars conclusionis, quod scilicet actus exterior sumat etiam a suo objecto moralitatem: Nam actus externus per se non respicit finem operantis; cum finis sit illi extrinsecus, & contingens; non potest autem aliquod suam essentiam desumere ab aliquo sibi extrinseco, quod contingenter accidit; ergo actus exterior non desumit suam moralem essentiam a fine, sed solum ab objecto. Hinc actus exterior occisionis ordinatæ ad furtum habet solam malitiam homicidii, non furti, & erogatio externa eleemosynæ ordinatæ ad amorem Dei habet propriam bonitatem misericordiæ, & solum per denominationem extrinsecam dicitur esse actus charitatis.

V. Probatur demum tertia pars, quod scilicet actus humani bonitatem moralem desumant solum ab objecto formali, malitiam vero etiam ab objecto materiali: Nam actus virtutis debet esse amor honestatis propter ipsam; unde est, quod erogans pauperi eleemosynam, ut illum inducat ad patrandum homicidium, non dicitur esse misericors, quia subventionem pauperis non habet pro objecto formali, sed solum materiali; ergo actus non contrahit moralem bonitatem, nisi ab objecto suo formali, seu a fine: Contra vero malitia contrahitur etiam ab objecto materiali, quia ex Dionys. de Divin. nomin. c. 4. *Bonum ex integra causa, malum ex singulis defectibus*; hinc qui pauperi negat eleemosynam, ut illum inducat ad patrandum homicidium, est simul immisericors, & homicida, & ex Aristotele loco laudato, qui vult furari pro-

propter adulterium est simul fur, & adulter, quamvis sit magis adulter, quam fur, quia objectum formale præstat materiali.

Hinc patet quid dicendum rationibus pro utraque illa sententia adductis. Quamvis enim actus interior, & exterior sint unum, & idem in genere moris, quia tamen sunt actus physice diversi, diversimode attingentes suum objectum, ideo diversimode contrahunt bonitatem, ac malitiam moralem; Actus enim internus, quia essentialiter, & primario respicit finem, qui est ejus objectum, essentialiter desumit ab illo suam moralitatem; Actus vero exterior, qui per accidens respicit finem actus interni, a quo imperatur, accidentaliter, & secundario contrahit ab illo moralitatem.

Secunda sententia verum habet, quod actus humani universim desumant ab objecto suam moralitatem; sed distinguere oportet inter objectum formale, & materiale actus, cum illud solum bonitatem tribuat; hoc vero etiam malitiam.

VI. Infertur denique, quid dicendum ad quæstionem illam; Num circumstantia tribuens actui bonitatem, vel malitiam moralem transeat in naturam objecti, reddatque actum in ea specie morali, in qua est objectum illius? dicendum enim cum Vasquez 1. 2. dist. 53., & Azor. circumstantiam solius operationis externæ tribuentem actui voluntatis speciem moralem transire in rationem objecti, quatenus est volita simul cum actu externo, & dicit specialem conformitatem, aut difformitatem cum natura rationali: v. g. qui vult occidere hominem in loco sacro, homicidium simul, & sacrilegium committit, quia circumstantia illa loci sacri transit in rationem objecti voliti: Similiter qui vult iter agere ad adulterandum, ab hac circumstantia volita, tamquam ab objecto desumit illa itineratio malitiam adulterii: & qui erogat stipem ob inanem gloriam, ab hac circumstantia, tamquam ab objecto volito illa erogatio eleemosynæ contrahit malitiam inanis gloriæ.

VII. Esset hic ulterius inquirendum, in quonam differant circumstantiæ variantes speciem moralem actus a circumstantiis solum aggravantibus actum intra eamdem speciem? Sicut etiam quomodo actus morales numerice multiplicentur? & alia id generis, de quibus commodius in tractatu de Sacramento Pœnitentiæ, & plura etiam hac de re discutiuntur in expositione Thesis XXV. ab Alexand. VII. confixæ, quæ habet; *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens; commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam*. Sicut etiam in Scholastico Tractatu de actibus humanis ex professo inquirimus, Num sit possibilis actus moralis indifferens sive in specie, sive in individuo? Necnon in expositione thesium 8. & 9. ab Innoc. XI. proscriptarum, in quibus dicitur: *Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui. Et opus conjugii ob solam voluptatem exercitum penitus caret culpa, ac defectu veniali*. Inquirimus pariter ibidem, utrum possit actus virtutis supernaturalis, puta attritio constitutiva Sacramenti Pœnitentiæ, imperari ab actu leviter malo, v. gr. ab actu inanis gloriæ, ut proinde hujusmodi actus supernaturalis sit intrinsece bonus moraliter, ac meritorius, extrinsece vero sit malus, ac demeritorius, per hoc quod imperetur ab actu illo venialiter malo. Sit itaque hujus Opusculi

(Sed ob ubi Æternitatis!)

F I N I S.

INDEX RERUM NOTABILIUM.

Primus numerus Quæstionem indicat, Alter Articulum, Tertius Numerum marginalem.

A

ACcusare volens Reum, prout licite potest, si quid ab hoc accipiat, ne accuset, num teneatur restituere? 6. 4. 6. Et quid, si accusare teneatur, & non accuset? ibid. Quid si nolens accusare dicat, se velle accusare, ut aliquid extorqueat? ibid.

Actus externi, & actus interni undenam desumant bonitatem, aut malitiam moralem? 9. 2. 2.

Amenti quando possit ministrari Eucharistia? 1. 1. 4.

Amor obcæcat, sed si libertatem non interimit, non reddit contractus invalidos; Nec restituenda sunt quæ blandis verbis extorquentur, & amore duce donantur. 8. 2. 4.

Attritio quamvis ex metu procedat, non tamen est positive involuntaria secundum quid. 4. 1. 5.

B

BAptismi susceptio num possit omitti ad mortem declinandam? 4. 4. 3.

Baptizare tenemur Infantem etiam cum vitæ discrimine, si periclitetur. 4. 4. 5.

Beneficiarius inculpabiliter omittens horas recitare non tenetur ad fructuum restitutionem. 3. 3. 8.

Beneficii collatio per errorem facta quandonam sit invalida? 5. 3. 3.

Beneficii posterioris collatio, non facta mentione de priori, valida est, si fiat ab Episcopo, secus vero si fiat a Pontifice. 5. 3. 4.

Blandis verbis extorta num sint restituenda? 8. 2. 1.

Bonitas, & malitia moralis in quonam consistant? 9. 1. 2. Unde ea desumatur, a fine, an ab objecto? 9. 2. 2.

C

CArnibus vesci hominum mortuorum in extrema necessitate num possimus, aut etiam debeamus? 4. 5. 11.

Carthusianus num possit cum vitæ discrimine a carnibus abstinere? 4. 3. 9.

Causa finalis in contractibus in quo differat ab impulsiva? 5. 1. 3.

Celebrare sine vestibus sacris quandonam liceat? 4. 3. 4.

Christifidelibus num liceat metu mortis remigare in Triremibus Turcarum vexantium Christianos? 4. 5. 10.

Clericum percutiens ex ignorantia crassa num Canonis excommunicationem incurrat? 3. 8. 5.

Coactio actum externum reddit simpliciter involuntarium, non vero actum internum. 4. 1. 1.

Coactum in actibus humanis magis late patet, quam involuntarium, quamvis simpliciter hoc magis late pateat, quam illud. 4. 1. 2.

Comedere carnes diebus vetitis quandonam sit illicitum, etiam cum vitæ discrimine? 4. 3. 3.

Concupiscentiæ nomine veniunt passiones appetitus sensitivi. 8. 1. 1. Concupiscentia consequens auget voluntarium, & culpam. Antecedens Concupiscentia aliquando libertatem interimit. 8. 1. 1. ac sæpe culpam minuit. 8. 1. 3.

Confessarius quomodo se gerat cum Pœnitente, qui per metum levem injustum aliquid dedit? 6. 3. 1.

Consensus interpretativus non semper in gravitate culpæ æquipollet formali. 3. 3. 7.

Contractus bonæ fidei quinam sint, & in quo differant a contractibus stricti juris? 5. 1. 5.

Contractus cum errore concomitante, seu incidente in contractu num sit validus ob interpretativum consensum? 5. 1. 2.

Contractus jure positivo irriti sunt sex, celebri versiculo comprehensi. 6. 2. 1.

Contractus metu injusto extorti num sint irriti, an irritandi? variant Doctores. Plurimum autem id interest ad praxim. 6. 2. 1.

Contractus per dolum celebrati probabilius jure positivo non sunt invalidi, sed solum ad arbitrium passi metum rescindendi (si sunt rescindibiles) quando dolus, & error circa accidentalia provenit ab altero contrahente. 5. 4. 4. Quia tamen opposita sententia est etiam probabilis; plura inde ad praxim deducuntur. 5. 4. 6.

Contractus per metum levem extorti num possint ad arbitrium metum passi rescindi? 6. 3. 3. Num juramento confirmentur? 7. 3. 2.

Contractus respicientes primario bonum publicum quinam sint? Et quinam respiciunt primario utilitatem privatam? 7. 3. 3. Juramentum superadditum contractui a lege irrito propter utilitatem publicam non obligat. 7. 3. 7. Matrimonium, & Sponsalia respiciunt publicam utilitatem. 7. 3. 9. Idem dicendum de professione Religiosa. Sed dubitatur, an similiter votum ingrediendi Religionem? 7. 3. 10.

D

DEbitor, qui minatur se nihil soluturum, si pars debiti non condonetur, non potest hanc retinere. 6. 4. 3.

Delectatio morosa indirecte volita num vacet lethali culpa? 2. 3. 1. Quid si ea non repellatur positive? 2. 3. 4.

Delectatio morosa quomodo differat a desiderio. 2. 1. 1. In re venerea an detur materiæ parvitas? 2. 2. 4. An ea vacet lethali culpa in Sponsis, in Viduis, in Conjugibus ab altero absentibus? 2. 2. 5. Quid, si sit de copula in hypothesi, quod esset licita? ibid. Quid si delectatio morosa sit de alio objecto, quod probibeatur jure positivo, aut naturali? 2. 2. 7.

Desideria inefficacia etiam conditionata de morte alterius ob emolumentum temporale graviter lædunt charitatem. 2. 4. 5.
Desiderium de objecto pravo sub conditione tollente malitiam, num vacet culpa gravi? 2. 4. 2.
Deus sub conceptu Legislatoris ignorari invincibiliter non potest ab eo, qui potest peccare. 3. 6. 4. *Sub conceptu tamen Numinis colendi solum per aliquod tempus potest sic ignorari*. 3. 6. 5.
Dispensatio in lege metu extorta num sit valida? 6. 2. 3.
Dispensatio in Votis facilius concedenda, quando emissa sunt passione prævalente. 8. 1. 3.
Donatio inter Conjuges, aut inter Patrem, & Filium, si fiat precibus importunis, num sit valida? 6. 4. 5.
Donatio metu extorta num sit valida? 6. 2. 3.
Dos pro Virginibus constituta restituenda est ab ea, quæ fingit se Virginem esse. 5. 3. 9. *Cui tamen restituenda sit? ambigitur*. ibid.
Duellum committere volentes num liceat Famulis metu mortis comitari? 4. 5. 9.

E

Eleemosyna data pauperi ficto quandonam sit valida, & non restituenda? 5. 2. 8., & 5. 3. 1.
Error antecedens, etiam vincibilis, circa substantiam irritat contractum. 5. 2. 2.
Error circa contractus in dubio, num sit antecedens, an concomitans, quid resolvendum? 5. 5. 5.
Error in contractu (sicut etiam in voto) si sit circa qualitates substantiales, contractum irritat, perinde ac si sit circa substantiam. 5. 2. 7. *Non tamen in Matrimonio, aut in professione Religiosa*. 5. 2. 9.
Error invincibilis circa fidem est possibilis. 3. 6. 1.
Erroris divisio multiplex, 5. 1. 2.
Error Personæ, sicut in Matrimonio, ita in contractibus lucrativis est circa substantiam. 5. 3. 1.
Error qualitatis quandonam in contractibus redundat in substantiam? 7. 1. 4.
Error quicumque circa accidentalia non reddit contractum jure naturæ irritum. 5. 2. 6.
Error, qui sit circa causam finalem, irritat Votum simplex, & Sponsalia; non tamen Professionem Religiosam, & Matrimonium. 5. 3. 7. *Irritat etiam talis error donationes, & stipis largitionem*. 5. 3. 8.
Error, seu dolus circa accidentalia, quamvis det causam Contractui, jure positivo hunc non irritat; esto debeat ad æqualitatem reduci. 5. 4. 1.
Eucharistiam Peccatori occulto clam petenti num liceat metu mortis ministrare? 4. 4. 6.
Excommunicatio num incurratur, si prava voluntas retractetur, antequam effectus sequatur? 1. 4. 7. *Illam probabiliter non incurrit, qui volens occidere Titium Clericum inimicum, post adhibitam debitam diligentiam, ne alius occidatur, inculpabiliter occidit Cajum etiam Clericum amicum*. 3. 3. 1.; *Tenetur tamen ad restitutionem, qui volens comburere agrum Inimici, cumburit agrum Amici*. 3. 3. 2.
Excommunicatus vitandus num possit celebrare, & Sacramenta ministrare ad mortem declinandam? 4. 3. 5.

F

Fides explicita Trinitatis, & Incarnationis utrum necessaria sit necessitate medii? 3. 6. 6.
Filius promittens metu reverentiali Parenti moribundo solvere de suo ejus debita, num ad id teneatur? 6. 4. 2.
Fornicationem Deus non potest præcipere, illamque non præcepit, dum Oseæ dixit, ut acciperet sibi Mulierem fornicariam. 4. 5. 6.
Forum externum ad lites minuendas multa dissimulat, quæ dissimulari non possunt pro foro interno. 6. 3. 5. & 7. 3. 3.

H

Homicidium casuale quandonam trahit irregularitatem? 3. 2. 5.
Homicidium inadvertenter causatum a dante operam rei illicitæ non trahit onus restitutionis. 3. 5. 5.

I

Ignorantia multiplex est. 3. 1. 3. *Ignorantia consequens minuit peccati gravitatem*. 3. 1. 6. *Concomitans invincibilis probabilius excusat a culpa*. 3. 2. 2. *Affectus annexus ignorantiæ concomitanti qualiter sit peccaminosus*. 3. 2. 3. *Qui cum ignorantia concomitante occidit Clericum, probabiliter neque excommunicationem, neque irregularitatem incurrit*. 3. 2. 4. *Quid si volens occidere Clericum A, occidat Clericum B?* 3. 3. 1.
Ignorantia affectata quandonam scientiæ æquiparetur? 3. 8. 3.
Ignorantia sive invincibilis, sive leviter culpabilis excusat a pœna per legem imposita; Sicut etiam inadvertentia, & oblivio. 3. 3. 3. *Quod verum est etiam relate ad pœnam privationis petendi debitum*. 2. 3. 6.
Ignorantia invincibilis explicatur. 3. 5. 1. *Ea dari potest Juris Divini positivi, & Misteriorum Fidei*. 3. 6. 1. *Nec non aliquorum præceptorum naturalium*. 3. 6. 2., *& tunc excusat a peccato*. 3. 6. 3.
Ignorantia Invincibilis solius pœnæ per legem impositæ num excuset ab ea incurrenda? 3. 4. 1.
Ignorantia reservationis peccati num excuset a reservatione incurrenda? 3. 3. 4.
Ignorantia vincibilis legum humanarum quandonam peccatum minuat? 4. 7. 1. *Num possit a mortali excusare, quamvis sit graviter vincibilis?* 4. 7. 5. *Et num hæc excuset a pœna per legem imposita*: 3. 8. 1.
Ignorantia vincibilis quandonam est speciale peccatum clavibus subjiciendum? 3. 4. 9.
Infantem conculcare sine Baptismo moriturum ad mortem evadendam non est licitum. 4. 5. 7.
Innocentem conculcare ad mortem evadendam a persequente est licitum; Sicut etiam dirigere tormenta bellica adversus Turres hostium, in quibus detinentur aliqui Innocentes. 4. 5. 7.
Intentio habitualis cur sufficiat in Sacramentis suscipiendis, non vero in administrandis. 1. 2. 4.
Irregularitas ex delicto probabiliter non incurritur ab ignorante invincibiliter hujusmodi pœnam. 3. 4. 3.
Juramentum, aut Votum, in dubio, an sit reservatum, censendum non esse reservatum. 7. 4. 5.
Juramentum metu extortum obligat; Secus vero consimile votum, cum hoc irritetur jure positivo, non illud. 7. 3. 6.
Juramentum non confirmat contractus jure naturali, sed jure positivo. 7. 1. 2. *Quid intersit inter juramentum confirmans contractum, & juramentum non confirmans?* ib. *Quosnam contractus possit Juramen-*

mentum confirmare? 7. 2. 2. De conditionibus requisitis, ut juramentum contractus confirmet. 7. 3. 11.
Juramentum non confirmat contractus extortos injusto metu, etiam levi. 7. 3. 2. Quid de juramento meticuloso relate ad contractus sponte initos? 7. 3. 4.
Juramentum superadditum contractui, qui à lege irritatur propter bonum publicum, non obligat. 7.3.7.
Juramentum præstitum homini non potest propria authoritate in evidenter melius commutari; esto possit sic commutari juramentum, ac votum Deo præstitum. 7. 4. 1.
Juramentum a quonam Prælato relaxari possit? 7.4.1.
Juramenti, quod homini præstitum sit, relaxationem num debeat præire citatio Partis? 7. 4. 6.
Juramentum de solvendis usuris, aut de dando centum Latroni, servandum est, nisi relaxetur; Quamvis possint deinde ea statim repeti. 6. 1. 8.
Jus positivum potest contractus validare solum quoad eorum effectum, non quoad constitutiva. 4. 5. 3. Non videtur jus positivum convalidasse contractus cum errore concomitante celebratos. 4. 5. 4.

L

Legatum impediens precibus importunis num teneatur ad restitutionem? 6. 4. 5.
Legens libros Hæreticorum hæresim continentes, aut de Religione tractantes ex Ignorantia affectata, num incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ? 3. 8. 4.
Lex humana cur non obligat cum eo rigore, quo Lex Divina, esto Deus sit clementissimus? 3. 5. 5.
Lex humana quandonam obligat etiam cum vitæ discrimine? 4. 3. 3.
Lex imponens Transgressoribus pœnam Capitis, num obliget cum vitæ jactura? 4. 3. 10.
Lex naturalis non semper obligat cum vitæ discrimine. 4. 5. 3.
Lex vetans aliquem contractum non obligat, ne talis contractus impleatur, si verba legis dirigantur ad actum; secus vero si ad Personam. 7. 3. 8.
Libertas in quo consistat? 1. 1. 2.
Libertas in causa non sufficit ad peccandum hic, & nunc. 3. 5. 3.
Liberum sæpe confunditur cum Voluntario. 1. 1. 3.
Ludens, qui precibus importunis cogit alium ad ludendum, num teneatur restituere, quod lucratus est. 6. 4. 4.

M

Magistratus Sæcularis num possit juramenta saltem indirecte aliquando relaxare? 7. 4. 7.
Matrimonium celebratum cum impedimentis impedientibus, puta cum Voto Castitatis, num liceat ob metum mortis consummare? 4. 3. 7.
Matrimonium cum errore circa qualitates est validum, nisi qualitas apponatur ut conditio. 5. 2.6. Sic etiam Sacramenti administratio. ibid.
Matrimonium metu levi contractum probabilius est validum. Si tamen metu gravi injusto celebretur, jure Ecclesiastico irritatur. 6. 3. 6.
Matrimonium metu extortum quandonam sit validum? 6. 1. 2.
Meticulosa donatio, aut promissio verius est valida jure naturæ, quamvis incutiens injustum metum non possit retinere, quæ sic donata sunt. 4. 1. 8.
Metu mortis occidens Clericum, licet peccet, nihilominus excommunicationem Canonis non incurrit. 4. 3. 8.
Metus aliquando reddit actum involuntarium secundum quid positive; aliquando negative tantum. 4. 1. 4.
Metus gravis ad extorquendum contractum injuste incussus, num reddat contractum irritum, an irritandum? 6. 1. 3.
Metus gravis non est causa justa, ut simuletur Sacramentorum administratio: Solum potest vi talis metus contractus matrimonialis simulari. 4. 3. 6.
Metus gravis quandonam excuset a transgressione legis divinæ positivæ? 4. 4. 1.
Metus gravis justus non irritat matrimonium, nec professionem Religiosam. 6. 3. 7.
Metus juste incussus non invalidat contractum. Imo nec metus injustus, si non incutiatur ad contractum ineundum. 6. 1. 1.
Metui levi æquiparantur preces importunæ. 4. 2. 6.
Metus reverentialis, qui obstat libertati contractus, ac reddit illum rescindendum, quinam sit? 6.4.1.
Metus reverentialis, seclusis minis, num cadat in Virum constantem? 4. 2. 4.
Metus secundum se non invalidat contractus, dummodo in hoc detur justus titulus. 4. 1. 7.
Metus, ut sit cadens in constantem Virum, duo requirit. 4. 1. 9.
Morale quid sit. 9. 1. 1.

O

Occidere invasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, num liceat Invaso, qui sciat illum ad Inferos detrudendum, & an ad id teneatur? 4. 5. 21.
Omissioni liberæ competit ratio voluntarii. 1. 1. 3.

P

Passiones appetitus undecim recensentur. 8. 1. 1.
Peccandi venialiter consuetudo quandonam ferat contemptum legis? 2. 1. 5.
Peccare non licet metu gehennæ, ut si quis esset occidendus, dum est in mortali, putetque se ad gehennam detrudendum. 4. 5. 5.
Peccati effectus num clavibus subjiciendus sit? 1.4.1.
Peccato alterius cooperari materialiter quandonam liceat? 4. 5. 8. Ensem vendere volenti alium occidere, aut scalam deferre volenti ascendere per fenestras ad facinus patrandum, num liceat ad mortem evadendam? ibidem.
Peccatum commissum scienter num sit ejusdem speciei cum peccato commisso ex ignorantia vincibili? 3. 9. 2. In quonam casu Ignorantia invincibilis est spaciale peccatum in Confessione explicandum? 3. 9. 4.
Peccatum de se mortale num possit per accidens esse veniale ex defectu plenæ advertentiæ? 2. 1. 2.
Peccatum de se veniale num ratione consuetudinis evadat mortale? 2. 1. 5.
Peccatum pure Philosophicum est impossibile. 3. 6. 4.
Peccatum sit ne duplex, an unum, si quis v. gr. culpabiliter omittat inquirere de præcepto jejunii, & deinde non jejunet? 3. 5. 4.
Periculum physice proximum peccandi permitti potest metu mortis, dummodo fiat moraliter remotum. 4. 5. 4.
Pontifex num possit relaxare juramentum in præjudicium Tertii? 7. 4. 1.

Pœna privationis petendi debitum cum ignorantia invincibili, sive juris, sive facti, sive etiam solius pœnæ, non incurritur. 3. 4. 3.
Præcepta naturalia affirmativa num obligent cum vitæ discrimine? 4. 5. 3.
Preces importunæ quandonam metui æquiparentur, itaut minuant voluntarium? 6. 4. 4.
Professio Religiosa (sicut est Matrimonium) valida est, quamvis impellente passione fiat. 8. 1. 5.
Professio Religiosa, si fiat metu reverentiali, probabilius est valida solum jure positivo, si metu gravi injusto fiat. 6. 3. 6.

R

Religiosus, qui precibus importunis obtinet facultatem expendendi, num excusetur a vitio proprietatis? 6. 4. 5.
Regula humanarum actionum quænam sit? 9. 1. 4.
Regulares Privilegiarii non possunt relaxare Juramenta Pœnitentibus, sed solum Personis proprii Ordinis, si ea non sint in præjudicium Tertii. 7. 4. 2.
Relaxare juramenta quinam possit? 7. 4. 1. *Quænam causa sit sufficiens, ut licite relaxatio isthæc peti possit?* 7. 4. 5.
Renunciatio hæreditatis Paternæ metu reverentiali facta num sit irritanda? 6. 4. 1.
Reservatio peccati ignorata num incurratur? 3. 3. 4.
Restitutionis onus subit, qui volens comburere domum Inimici comburit domum Amici: Esto probabiliter excommunicationem, & irregularitatem non incurrat, qui volens occidere Clericum Inimicum occidit Clericum Amicum; dummodo debita diligentia adhibeatur, ne alia persona occidatur. 3. 3. 2.
Restitutio num facienda ab eo, qui suo malo exemplo alios inducit ad furandum? 1. 3. 3. *Et num facienda sit a Confessario, qui culpabiliter omittit monere Pœnitentem de onere restitutionis?* 1. 3. 4.
Restituenda sunt sub gravi quæ per metum levem injustum graviter culpabilem extorta sunt. 6. 3. 4.

S

Sacramenta in materia dubia conficere num liceat ad mortem declinandam? 4. 4. 6.
Sigillum naturale violare quandonam licet? 5. 4. 4.
Sponsalia metu extorta num sint irrita, an irritanda? 6. 1. 10.
Sponsalia, sicut & votum simplex, irritantur, si fiant cum errore circa causam finalem; non tamen Matrimonium, & Professio Religiosa. 5. 3. 7.; & 5. 4. 3.

T

Testamentum blanditiis ab Uxore extortum in sui favorem est validum. 8. 2. 3.
Titulus legitimus præter consensum requiritur ad valorem contractus. 6. 1. 4.

V

Voluntarium quid sit, & Quotuplex. 1. 1. 1. *Voluntarium indirecte num requirat expressam voluntatem effectus?* 1. 3. 1. *Et utrum effectus prævisus in sua causa dicatur indirecte voluntarius, si non detur obligatio vitandi totam causam?* 1. 3. 2.
Voluntarium indirectum, & in causa sufficit ad culpam contrahendam, non vero ad contractum ineundum. 5. 2. 3. *Voluntatis quippe actus comparatur ad culpam, tanquam actus cum suo objecto; & ad contractum comparatur ut principium ad suum effectum.* 5. 2. 4. *Hinc ad contractus, & ad Sacramentum conficiendum requiritur intentio saltem virtualis.* 5. 2. 5.
Voluntas non errat sequendo dictamen rationis erroneum. 9. 1. 4.
Vitam propagare Carnium esu Carthusianus non tenetur. 4. 3. 9.
Voti nomine, quod dispensari possit, num etiam veniant juramenta, ac vota jurata? 7. 4. 3. *Quid intersit inter juramentum, & votum?* ibid.
Votum emissum ex ignorantia alicujus circumstantiæ, tunc errore deprehenso non obligat, quando ex vi volitionis vovendi, non vero ex vi actuum, vel habituum voventis ea cognita non fuisset emissum. 5. 3. 6.
Votum non servans ad mortem declinandam num sit Sacrilegus? 4. 3. 8.
Votum num obliget cessante causa, ob quam nuncupatum est? 5. 3. 5.
Votum pœnale inculpabiliter violans non tenetur ad pœnam: Sicut nec si cum ignorantia voti, aut pœnæ leviter culpabili illud violet. 3. 3. 7., & 3. 4. 4.
Votum simplex emissum cum errore circa causam finalem est irritum; ut etiam Sponsalia: Non tamen Professio Religiosa, & Matrimonium. 5. 3. 7.
Votum simplex metu extortum irritatur jure positivo, non quidem scripto, sed tradito. 6. 1. 9.
Usuræ restituendæ, quia non dantur titulo donationis, sed in pretium mutui, quod non est dignum pretio. 6. 1. 4.
Uxor promittens Conjugi moribundo soluturam se de propriis dotibus ejus debita, num ad id teneatur? 6. 4. 2.

F I N I S.

Ad majorem Dei gloriam, ac Deiparæ sine labe Conceptæ.

P. DOMINICI VIVA

SOCIETATIS JESU

OPUSCULA THEOLOGICO-MORALIA.

OPUSCULUM SECUNDUM

DE CONSCIENTIA DUBIA, ET SCRUPULOSA.

INDEX QUÆSTIONUM,

Quæ in hoc secundo Opuſculo continentur.

DE CONSCIENTIA DUBIA, & SCRUPULOSA:

QUÆSTIO PRIMA.

An, & quale peccatum ſit cum conſcientia dubia operari? 3

ART. I. *Quid, & quotuplex ſit Conſcientia?* ibid.
II. *Quid, & quotuplex ſit Conſcientia dubia?* 5
III. *An cum conſcientia dubia liceat operari?* 6
IV. *An peccet, qui cum conſcientia perplexa operatur?* 8
V. *Quale peccatum ſit cum conſcientia practice dubia operari?* 9
Ult. *Utrum dubium dicatur poſitivum, an negativum, quando utrinque ſunt æquales rationes circa factum?* 10

QUÆSTIO II.

An in dubio prævaleat poſſeſſio in materia juſtitiæ? 12

ART. I. *Num ſit melior conditio Poſſidentis rem bona fide in dubio ſuperveniente, an ſit aliena?* ibid.
II. *Plurima inferuntur.* 14
III. *Nonnullæ aliæ difficultates hac in re enodantur.* 16
IV. *An res, quæ dubia fide cœpit poſſideri, reſtituenda ſit?* 19
V. *Multa ad praxim ſpectantia deducuntur.* 20
VI. *Utrum prævaleat poſſeſſio cooperantis ad damnum in dubio, an ex propria cooperatione damnum ſequutum ſit?* 22
Ult. *Plurimæ celebres quæſtiones ex dictis reſolvuntur.* 24

QUÆSTIO III.

Utrum in dubio prævaleat poſſeſſio etiam in materia aliarum virtutum a Juſtitia? 28

ART. I. *An in omni materia potior ſit in dubio conditio Poſſidentis?* ibid.
II. *Traduntur regulæ ad dignoſcendum, pro qua parte ſtet in dubiis poſſeſſio.* 31

QUÆSTIO IV.

De Conſcientia dubia in materia Legis, aut Præcepti? 33

ART. I. *Num teneamur obedire in dubio, an extet Lex?* ibid.
II. *Enodantur nonnulla ad Epichejam ſpectantia.* 34
III. *Teneamurne obedire in dubio, an res præcepta ſit licita?* 36
IV. *An etiam Religioſus obedire teneatur, in dubio, an res præcepta poteſtatem præcipientis excedat?* 38
V. *An teneatur ſubditus obedire, ſi etiam ſuperior dubitet de honeſtate rei præceptæ?* 40
VI. *Teneamurne obedire, ſi probabile ſit, rem præceptam eſſe illicitam?* 42

VII. *An teneatur subditus obedire, quando dubium est de legitima potestate Superioris?* 44
Ult. *Expediuntur, quæ supersunt in eadem materia.* 45

QUÆSTIO V.

De Conscientia dubia in materia Dispensationum, & Privilegiorum. 47

ART. I. *Strictene, an late in dubio interpretanda sit dispensatio, & potestas dispensandi?* ib.
II. *In dubio, Num dispensatio sit valida, quid decidendum?* 48
III. *Habendane si irrita dispensatio, si deprehendatur, Prælatum non potuisse dispensare?* 49
Ult. *Quomodo Privilegium in dubio interpretandum sit, strictene, an ample?* 51

QUÆSTIO VI.

De Conscientia dubia in materia Voti, aut Juramenti. 53

ART. I. *Utrum in dubio voti, juramenti, & promissionis detur obligatio ea adimplendi?* ibid.
II. *Utrum teneatur vovens ponere unam partem rei promissæ, si non potest alteram, in dubio, num utramque voverit copulative, an divisive?* 55
III. *Utrum in dubio, an votum ante pubertatem emissum sit, possit Parens illud irritare?* 57

QUÆSTIO VII.

De Conscientia dubia in materia Sacramentorum, & Censurarum. 59

ART. I. *De dubiis ad Sacramenta pertinentibus.* ibid.
II. *De dubiis ad Censuras, & Irregularitatem spectantibus.* 62

QUÆSTIO ULTIMA.

De Conscientia Scrupulosa. 64

ART. I. *Quid, & quos actus involvat scrupulus?* ibid.
II. *An licite operemur cum conscientia scrupulosa?* 65
III. *De causis, & remediis scrupulorum.* 66

OPU-

OPUSCULUM SECUNDUM

De Conſcientia Dubia, & Scrupuloſa.

UT plurima paucis perpendantur ad univerſam Theologiam Moralem ſpectantia, explanabimus, quæ ad Conſcientiam dubiam pertinent; ubi ſummatim delibabimus, quæ de conſcientia ſcrupuloſa paſſim Doctores diſputant. Omittimus tamen de Conſcientia univerſim agere; ne in quæſtionibus de probabili, in quibus nunc ingenia deſudant, ut fere accidit, hæreamus. Poſt definitionem itaque conſcientiæ quæremus, Primo, qualiter peccetur operando cum dubia conſcientia? Deinde, num in dubio prævaleat poſſeſſio in materia juſtitiæ? Tertio, num etiam in materia aliarum virtutum melior ſit in dubio conditio poſſidentis? Quod deinceps in materia præcipuarum virtutum in particulari examinabimus, inquirentes præſertim, quid licitum ſit in dubio legis? Quid in dubio Diſpenſationis, ac Privilegii? Quid in dubio Voti? Quid in dubiis ad Sacramenta ſpectantibus? Quid in dubietate circa Cenſuras, & Irregularitatem? Ac demum inquiremus quæ ſpectant ad Conſcientiam Scrupuloſam: In quibus omnibus uberrima diſceptandi ſeges exundat.

QUÆSTIO PRIMA.

An, & quale peccatum ſit cum Conſcientia dubia operari?

PRæmittimus quæ ad definitionem, ac diviſionem tum Conſcientiæ univerſim, tum etiam conſcientiæ dubiæ in ſpecie pertinent; ut deinde ad duplex quæſitum propoſitum deſcendamus.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex ſit conſcientia.

I. Conſcientia eſt actus intellectus dictans quid faciendum, & quid fugiendum ſit; & ideo eſt proxima regula humanarum operationum.

II. In quo differt a Syntbereſi?

III. Triplex eſt conſcientiæ actus: ſed præcipuus, ſitne aliquid faciendum, necne?

IV. In quinque membra conſcientia dividitur, in Rectam, Erroneam, Probabilem, Dubiam, & Scrupuloſam.

V. Quid ſit conſcientia ſpeculativa; quid practica? Et quomodo circa idem ſæpe diſcordent?

VI. Quomodo poſſit conſcientia tutior dici minus probabilis, imo & improbabilis, præ conſcientia minus tuta?

I. SI nominis etymologiam ſpectemus, Conſcientia eſt, quaſi *Cordis ſcientia*; quod indicavit Horatius, dicens, *Hic murus aheneus eſto, Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa*. Definitur tamen a Sanch. l. 1. cap. 9. quod ſit Judicium, quo aliquid bonum, aut malum eſſe judicamus, ſeu eſt Actus intellectus practici dictantis aliquid hic, & nunc eſſe faciendum, utpote bonum, ac honeſtum, aut eſſe fugiendum, utpote malum, ac inhoneſtum. Unde quamvis lex ſive naturalis, ſive divina, ſive humana ſit regula remota noſtrarum operationum

proxima tamen regula, ac veluti primæ regulæ buccina est dictamen rationis, seu judicium conscientiæ, proponens voluntati objectum, vel tanquam honestum, & prosequendum, vel tanquam turpe, & fugiendum; cum enim voluntas sit potentia cæca, ut libere operetur, indiget hoc prævio rationis judicio repræsentante honestatem, aut inhonestatem operationis; & ideo hujusmodi dictamen dicitur proxima regula humanarum operationum. Ex quo fit, operantem contra illud semper peccare; per hoc enim, quod operetur contra proximam regulam humanæ actionis, operatur contra legem æternam Dei, cujus illa est præco.

II. Differt conscientia a synteresi, quod hæc versatur circa prima principia practica, v. g. Quod tibi non vis, alteri ne feceris, Perjurium est inhonestum &c. Conscientia vero est circa conclusiones particulares, dictans v. gr. perjurium hic, & nunc esse illicitum: Sicut enim in speculabilibus, præter habitum, qui dicitur Intellectus, qui est habitus primorum principiorum, ver. gr. Non potest idem esse, & non esse, datur habitus, qui dicitur Scientia, quæ versatur circa conclusiones ex primis principiis deductas; ita in agibilibus, seu in intellectu practico, præter synteresim, datur conscientia, quæ versatur circa conclusiones practicas, per reflexionem ad principia illa universalia, quæ spectant ad synteresim.

III. Triplex est conscientiæ actus ex D. Th. 1. 2. qu. 79. art. 13. Primus, quo judicamus aliquid fecisse, aut non fecisse, juxta illud Eccles. 7. *Scit conscientia tua, quia & tu crebro maledixisti aliis;* hinc si spectemus talem actum, conscientia dicitur testificari, ut ad Rom. 9. *Testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu Sancto:* Unde illud effatum, *Conscientia mille testes*. Secundus est, judicare, recte ne, an secus aliquid fecerimus? qui actus, cum accuset, aut excuset, redarguat, remordeat, dici potest conscientiæ examinatio. Tertius est judicare, sit ne aliquid faciendum, necne? Secundum quem actum dicitur conscientia ligare, vel instigare, cum non possit citra culpam voluntas adversus hoc dictamen divertere; in quo sensu dicitur ad Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*: Seu, quod non est secundum dictamen conscientiæ, sive ex credulitate, quod liceat, est peccatum; ut exponit Glossa communiter a Sanctis Patribus recepta. De hoc ultimo conscientiæ actu præsentes quæstiones instituuntur.

IV. Porro juxta hanc acceptionem communiter in quinque membra dividitur Conscientia, videlicet in Rectam, seu Certam, Erroneam, Probabilem, seu Opinativam, Dubiam, atque Scrupulosam. Et ratio divisionis est, quia judicium practicum dictans hic, & nunc esse aliquid faciendum, aut omittendum, deductum per modum conclusionis ex primis principiis synthereseos, vel est certum, vel errat, vel opinatur, vel dubitat, vel scrupulis angitur, quia scilicet assentitur uni parti cum formidine, & anxietate orta ex levibus causis, non ex ulla ratione probabili: Scrupulosi enim ibi trepidant timore, ubi non est timor. Merolla cum aliis ad conscientiam dubiam reducit suspicantem, per quam intellectus in alteram contradictionis partem inclinat, sed neutri assentitur: Conscientia vero temeraria ad certam videtur reduci, si sit conformis objecto: ad erroneam vero, si difformis: Ad dubiam etiam reducitur conscientia perplexa; quando scilicet intellectus apprehendit utramque partem contradictionis esse peccatum.

V. Subdividitur conscientia in Speculativam, & Practicam. Speculativa dicitur, quando dictat, seu judicat aliquid secundum se spectatum, & præscindendo a circumstantiis esse licitum, vel illicitum, v. gr. si dicat, depositum esse restituendum domino. Practica vero dicitur, quæ dictat aliquid spectatis omnibus circumstantiis esse licitum, aut non, v. gr. gladium non esse restituendum domino furioso. Nos de hujusmodi conscientia practica in presenti agimus, quæ simpliciter, & complete practica est: Nam quæ dictat honestam, vel inhonestam esse aliquam operationem ut sic, v. gr. mendacium esse turpe, licet possit etiam dici practica, tamen non est complete talis, & ideo dici solet speculativa; quæ vero complete est practica, dici solet vel practice practica, vel practica absolute; & hæc est proxima regula humanorum actuum. Dicitur etiam conscientia speculativa, quæ judicat de valore actus, videlicet de valore Contractus, sacramenti &c., v. gr. quæ dicit Absolutionem datam moribundo cum signis dubiis conficere validum Sacramentum; Practica autem dicitur, quæ dictat hujusmodi absolutionem hic, & nunc in casu necessitatis licite conferri posse. Ex quibus constat, conscientiam speculativam sæpe a practica discordare; ut si speculativa dictet illicitum esse rapere rem alienam, quia scilicet consideratur objectum depuratum a circumstantiis; practica vero dictet, licitum esse mihi hic, & nunc rapere rem alienam, quia scilicet extreme illa indigeo; nam quod in communi reputatur illicitum, ut est occidere Innocentem, potest ex aliqua circumstantia non solum esse licitum, sed etiam præceptum, ut fuit Abrahæ præcepta occisio filii innocentis.

Subdividitur etiam conscientia in Permittentem, & Obligantem. Illa dictat, sine peccato poni posse, aut omitti operationem, v. gr. ambulationem; Ista obligat ad operationem aliquam ponendam, aut omittendam; unde conscientia obligans iterum subdividitur in Præcipientem, & Prohibentem.

VI. Rursus Conscientia alia dicitur Tuta, seu tutior, alia minus tuta. Est autem conscientia tuta, quæ nullatenus est exposita periculo peccandi, ne materialiter quidem, ut quæ dictat, contritionem esse adhibendam in Sacramento Pœnitentiæ, vel restituendam esse rem, quæ possidetur, in dubio, an sit aliena. Minus tuta est, quæ est exposita periculo peccandi materialiter, v. gr. quæ dictat, Attritionem licite adhiberi in Sacramento Pœnitentiæ; & posse licite retineri rem possessam in dubio, an sit aliena. Ex quo patet, conscientiam tutam posse habere minorem probabilitatem, quam habeat minus tuta, imo posse esse simpliciter improbabilem: Contra vero conscientiam minus tutam posse esse probabiliorem præ tutiori, immo posse esse moraliter certam, ut est conscientia, quæ dictat, licite adhiberi in Sacramento Pœnitentiæ attritionem supernaturalem; Quod maxime notandum, ut apte explicetur prima propositio damnata ab Innoc. XI., ubi dicitur: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore:* per hoc enim quod illicitum sit sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, non sit, quod sit illicitum sequi opinionem probabilissimam, seu moraliter certam, (ut est v. gr. opinio de licite adhibenda attritione

in

in Sacramento Pœnitentiæ, aut de licite conferenda absolutione cum jurisdictione probabili) relicta tutiore opposita; qualis est de adhibenda contritione ex necessitate, & de illicita absolutione absque certa jurisdictione directa; Etenim moraliter certum est, aut saltem probabilissimum, quod habens jurisdictionem probabilem directam habeat certam reflexam; quatenus incredibile est, nolle Ecclesiam benignissimam parentem supplere defectum jurisdictionis, si forte abesset in eo, qui absolvit cum jurisdictione probabili, hoc exigente bono communi: Sicut in omnium sententia posito errore communi, & titulo colorato suppletur jurisdictio, si abesset, propter bonum commune, ex leg. *Barbarius de Off. Prætor.* Quod autem liceat sequi opinionem probabilissimam, relicta tutiori, constat ex Prop. 3. damnata ab Alex. VIII., quæ dicit: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.*

Demum Conscientia Recta vel est evidens evidentia sive morali, sive physica, sive metaphysica; vel est obscura, (ut si certa sit ex fide divina) vel invincibiliter erronea, vel erronea vincibiliter, & culpabiliter; vel est, ut diximus, temeraria, quæ scilicet levibus nititur fundamentis.

ARTICULUS II.

Quid, & quotuplex sit Conscientia dubia?

I. In quo differant Scientia, Error, Opinio, Dubium, Suspicio, & Scrupulus?
II. Suspensio judicii in quonam sensu vocetur conscientia dubia?
III. Videtur esse infidelis, non solum qui in fide est dubius formaliter, sed etiam qui objective, suspendendo deliberate omnem assensum.
IV. Explicatur multiplex conscientiæ dubiæ divisio.
V. In dubio facti quid præsumendum?
VI. Conscientia, quæ est actus intellectus, dicitur bona, vel mala, solum per denominationem ab actu voluntatis, qui ab ea dirigitur.

I. Differunt in re nostra, quatenus conscientiam dividunt, ut notat Navarr. in cap. *Si quis de Pœnit.*, Scientia, Error, Opinio, Dubium, Suspicio, & Scrupulus: Scientia enim est judicium certum saltem moraliter de rebus agendis, ortum aut ex principiis certis, aut ex effectibus, vel aliis signis demonstrativis, unde non sit prudentis tunc dubitare: in moralibus enim sciri factum dicitur, quando de eo non dubitatur, ut colligitur ex leg. 2. *de aqua pluvia arcenda*. Unde in cap. *In præsentia de sponsal.* dicitur constare de morte conjugis, quando unicus testis adfuerit: Error est judicium de rebus agendis difforme suo objecto. Opinio est assensus uni parti cum formidine de opposito; nititur enim mediis probabilibus, vel auctoritate alicujus fide digni: Quia tamen saltem radicaliter formidat de parte opposita, ideo opinio aliquid dubii participare censetur, & vocari solet dubium positivum. Dubium vero absolute dictum, seu dubium negativum est potius suspensio assensus, & dissensus; quia intellectus post rationes utrinque perpensas neutri parti assentitur, & in neutram inclinat, sed manet omnino anceps, ac suspensus. Suspicio est pariter suspensio judicii, sed cum inclinatione intellectus ad alteram partem; & per hoc differt a dubio, ut notant Sanch., & Palaus. Scrupulus judicio certo, vel opinativo addit formidinem quandam de parte opposita omnino tenuem, ortam aut ex levibus fundamentis, aut ex magnis in specie, sed parum æstimandis; ut si quis certo, aut probabiliter judicans subjecisse clavibus peccata sua, & suæ obligationi satisfecisse, adhuc anxius est, & suspicatur, aut formidat ex levibus motivis, quod non satisfecerit.

II. Ex dictis constat, dubium presse sumptum esse potius privationem conscientiæ, quam conscientiam; cum conscientia sit judicium practicum intellectus de honestate, vel inhonestate operationis, & dubium sit suspensio cujuscumque judicii, tam affirmativi, quam negativi; communiter tamen hanc judicii suspensionem conscientiam dubiam appellant; quia quamvis intellectus in tali dubio hæreat anceps circa operationis honestatem, vel inhonestatem, adhuc reflexe solet judicare, se esse in tali dubio, ac suspensione judicii directi; quare hujusmodi judicium reflexum appellari optime potest conscientia, & quidem dubia, non formaliter, sed objective, quatenus hujusmodi judicium, quod in se est certum, fertur in illam dubietatem, seu suspensionem judicii directi, tanquam in suum objectum.

III. Disputant Doctores, an regulariter in ordine ad praxim eosdem effectus habeat conscientia formaliter dubia, quæ omne judicium suspendat, & dubia objective, quæ scilicet reflexe judicet se in dubio versari? Negant Sanch. l. 2. c. 7. Vasq. Filliuc., putantes, quod solum objective dubius in fide sit infidelis, & hæreticus; non vero dubius formaliter: Si enim proposita fidei propositione intellectus judicet, rem illam non esse certam, procul dubio est hæreticus; at si perpensis hic inde rationibus, suspensus hæreat, non videtur dicendus stricte hæreticus, & hæreticorum pœnas incurrere. Sed oppositum docet Suar. disp. 19. de fid. sect. 4. putans etiam esse proprie hæreticum, qui deliberate, & pertinaciter dubitat de rebus fidei, suspendendo omnem assensum, atque adeo hæreticorum pœnas incurrere.

IV. Triplex est Conscientiæ Dubiæ divisio celebris, videlicet in Positivam, & Negativam, in Speculativam, & Practicam, in Dubiam dubietate juris, & dubietate facti. Positive dubia habetur, quando utrinque sunt rationes probabiles, & utrique parti contradictionis potest intellectus probabiliter adhærere; ut quando ita adhæret opinando uni parti, ut formidet de altera. Conscientia vero dubia negative, de qua in præsenti, est suspensio judicii relate ad operationis honestatem, vel ob defectum rationum, seu mediorum assentiendi, (sicut quando dubitamus, utrum astra sint paria?) vel ob mediorum utrinque æqualitatem; ut si duo testentur, conjugem esse mortuum, & duo alii ejusdem auctoritatis testentur esse superstitem. An autem tale dubium, utpote facti, dici etiam possit positivum, ita ut ex imperio voluntatis possit intellectus alterutri parti probabiliter assentiri, examinabimus in calce hujus quæstionis, annuentibus communiter Doctoribus contra Garz., Joan. Sancium, & alios.

Conscientia speculative dubia, & practice dubia est, quam articulo superiore explicavimus; videlicet, quod speculativa contingit, cum quis abstracte a circumstantiis dubitat, sit ne aliqua operatio licita, nec ne? v. g. An res, quam possidet, sit aliena, ac restituenda? Practica vero, quando in ipso exercitio operis dubitatur licitum ne sit hic, & nunc opera-

operari? v. gr. Num licite retineri possit res, quæ possidetur cum dubio, an sit aliena?

Demum conscientia dubia dubietate juris habetur, quando dubitatur, num detur aliqua lex, seu obligatio? v. gr. si dubitetur, an votum cum semiplena deliberatione obliget? an reservatio casuum extendatur ad impuberes? Nec non quando dubitatur de valore actus, v. grat. An valeat Baptismus in nomine Jesu Christi collatus? An matrimonium cum talibus circumstantiis sit validum? An tale bellum sit justum &c.? Quare dubium juris aliud est speculativum, quo non ambigitur, num sit licita aliqua operatio, sed num sit legitima, & valida, v. g. an hoc bellum sit justum? Aliud est practicum, quando scilicet quæritur, num aliqua operatio sit licita? ita tamen, ut si quæratur in communi, v. gr. num liceat pingere die festo? tale dubium juris practicum confundatur cum speculativo, eo quod remotum sit a praxi; Si vero in particulari respiciat praxim, quærendo, v. g. num mihi liceat hic, & nunc pingere die festo? tale dubium juris, utpote practice practicum, potest absolute dici practicum.

Dubium facti habetur, si de aliquo facto dubitetur, v. g. An tempore delicti excesseris pubertatem? An votum sit emissum? Sit ne Clericus, quem percussisti &c.? Sicut enim datur ignorantia juris, & facti, ita pariter datur de utroque dubium. Ex dubio autem facti sæpe nascitur dubium juris, v. gr. dubitans, an votum emiserit, mox dubitat, an illo teneatur? Sicut etiam ex dubio speculativo statim oritur practicum, v. g. dubitans, an Baptismus, vel matrimonium fuerit validum? mox dubitat, An possit iterare Baptismum? An sit sibi licitus usus matrimonii?

V. Ubi notandum, quæstionem facti potius esse in rigore speculativam, quam practicam, quia per eam non tam quæritur, an aliqua operatio liceat, sed an facta sit? Circa quod regula generalis est, quod factum in dubio non præsumitur, sed demonstrari debet, ex *leg. 2. de probationibus*, ubi dicitur, *Ei incumbit probatio, qui dicit aliquod factum, non qui negat*. Quæ tamen regula limitanda est, videlicet, nisi præsumptio potius sit pro affirmante factum aliquod fuisse; ut constat ex alia regula, quam habet Glossa in prædictam regulam, videlicet, *Factum in dubio præsumi, quoties illud de jure faciendum erat*; v. g. in dubio, an habueris animum obligandi te, dum matrimonium contraxisti? præsumitur, quod habueris, quia ad id tenebaris; æquum enim est præsumere unumquemque obligationi suæ satisfecisse, prout oportebat; quia scilicet delictum, & defectus non præsumitur, sed demonstrari debet, juxta illud: *Nemo præsumitur malus, sed probandus*. Quare si constet, v. g. alienationem factam esse, in dubio præsumendum, omnem solemnitatem necessariam adfuisse: Similiter si constet, votum esse emissum, præsumitur deliberatio sufficiens, si de ea negative dubitetur; quia naturæ consonum est, ut homo deliberate agat; Secus vero, si dubium sit positivum, seu sit ratio probabilis, quod non adfuerit deliberatio sufficiens.

VI. Explicandum superest, quomodo conscientia dicatur bona, vel mala; quæ sunt proprietates voluntatis; cum ipsa universim sit actus intellectus, vel suspensio judicii, ut est conscientia formaliter dubia: Ad quod dico, conscientiam stricte sumptam non posse dici bonam, vel malam; sed rectam, vel erroneam: dici tamen potest bona, vel mala in latiore significatione per denominationem ab actu voluntatis, qui dirigitur a conscientia. Unde fit, ut qui dicitur esse in mala conscientia, tunc maxime habeat conscientiam rectam; ideo enim est in mala conscientia, quia contra conscientiam rectam operatur.

ARTICULUS III.

An cum Conscientia dubia liceat operari?

I. Licitum est sæpe cum conscientia speculative dubia operari.
II. Non tamen cum conscientia practice dubia.
III. Per se loquendo peccat, qui cum dubio speculativo sequitur partem minus tutam.
IV. Num possit petere, aut reddere debitum, qui secundas nuptias contraxit, dubitans de morte prioris conjugis?
V. Quibus de causis deponi practice potest dubium speculativum?
VI. Quale peccatum committat, qui cum conscientia practice dubia operatur, non advertens, num operatio sit graviter, an leviter mala?

I. DIco primo cum communi, licere sæpe operari cum conscientia speculative dubia. Probatur, quia regula proxima nostrarum operationum non est nisi dictamen practicum, ut diximus; Cognitio vero speculativa non est regula, quam debeamus operando sequi; ergo licebit nullam hujus rationem habere in operando, & contra illam agere. Quod confirmatur, & explicatur variis exemplis; nam dubitans v. gr. num res, quam possidet bona fide, sit sua, non tenetur restituere; Dubius, an lex lata sit, non tenetur illam servare; Et ex August. licitum est militibus dubiis de justitia belli pugnare ad Principis imperium. Mulier item dubia de valore matrimonii tenetur reddere debitum, ex Cap. *Dominus de secund. nupt.*, & probabilius potest etiam petere, si post diligentiam maneat dubia, ut docet Bress. lib. 4. cap. 12. & Sanchez mox laudandus.

II. Dico secundo, illicitum est cum conscientia practice dubia operari. Ita etiam communiter apud eundem Bresserum c. 2. cum Suar. p. 2. disp. 12. Ratio est, quia qui operatur cum hujusmodi dubio practice practico, manifeste se exponit periculo peccandi, atque adeo peccat. Eccli. enim 3. dicitur, *Qui amat periculum, peribit in illo*.

Confirmatur, quia ex Apostolo ad Rom. 14. *Quod non est ex fide*, (h. e. ex conscientia dictante operationem esse licitam) *peccatum est*. Non solum igitur quod est contra fidem, hoc est contra conscientiam, sed etiam quod non est ex fide, hoc est ex conscientia, & credulitate quod res sit licita, est peccatum. Ratio radicalis est, quia cum dubitatur de honestate operationis, statim consurgit conscientia reflexa dictans, non esse cum tali dubio operandum, ne exponamur periculo peccandi. Sicut econtra, quando dubitatur positive, hoc est cum probabili opinione, quod operatio liceat, non peccat operans cum tali dubio, quia posita opinione probabili statim consurgit conscientia certa reflexa, dictans, licitam esse operationem prudenter, & probabiliter existimatam honestam; qui autem prudenter operatur:

tur, licite operatur: grave enim esset cum Jansenistis velle obligare ad sequendam solum conscientiam certam; Et propterea damnata fuit ab Alex. VIII. prop. 3. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*, relicta scilicet tutiore. Qui enim operatur juxta probabilissimam opinionem, operatur cum periculo solum remoto, non proximo, peccandi duntaxat materialiter.

Confirmatur secundo, quia eodem præcepto, quo quis aliquid omittere obligatur, indivisim obligatur illud omittere, etiamsi dubitet, an tali præcepto illud prohibeatur. Sicut enim rationabiliter lex amicitiæ humanæ fert, ut abstineas non solum ab iis, quibus certo, sed etiam quibus dubie, & fortassis Amicus offenditur; ita idem potiori jure exigit lex Amicitiæ divinæ, quoties scilicet urgens causa, vel incommodum non excusat, unde dubium practicum practice deponatur.

III. Dico III. Dubitans speculative de malitia materiali alicujus actus, v. g. an aliquis contractus sit usurarius, an res possessa sit aliena, debet etiam dubitare practice per se loquendo, an sibi liceat talis contractus, an liceat rem cum tali dubio possessam retinere; atque adeo peccat, si cum tali dubio partem minus tutam sequatur, nisi probabilis aliqua ratio subsit deponendi practice dubium speculativum, seu formandi judicium practicum certum de honestate operationis.

Probatur, quia sicut advertens, aliquem actum esse materialiter malum, & displicere Deo, advertit etiam, se peccare formaliter illum ponendo; ita etiam dubitans speculative, an aliquis actus sit materialiter malus, debet per se loquendo dubitare practice, an formaliter peccet illum ponendo; Etenim re existente dubia, non est danda sententia certa, ex cap. *Grave* 11. quæst. 3., atqui operans cum dubio practico citra controversiam peccat: ergo dubitans speculative, per se loquendo, peccat non sequendo partem tutiorem, nisi illud dubium ex probabili ratione practice deponat.

IV. Confirmatur, quia ex dubio speculativo per se oritur practicum; ergo non est licitum, per se loquendo, unum ab altero discordare, sed solum discordare potest per accidens; si scilicet rationabilis causa subsit formandi conscientiam practice certam, sub ea dubitatione speculativa. Quare dubitans v. g. speculative, an aliquis actus sit materialiter fornicarius, debet practice dubitare, an liceat; unde, per se loquendo, non potest illum ponere sine formali peccato. Hinc in c. *Dominus de secundis nuptiis* dicitur, quod dubitans de vita prioris conjugis, adeoque de nullitate secundi matrimonii non possit debitum petere a conjuge posteriore; quia copula illa forte est illicita: Poterit tamen reddere non dubitanti de valore matrimonii; quia scilicet cum dubio speculativo, an talis redditio debiti sit fornicaria, formatur judicium practicum certum, quod sit licita, & debita ex ratione hac efficaci, videlicet quod qui bona fide contraxit, possidet conjugem tanquam suum; unde non est illo spoliandus propter dubium alteri superveniens. Imo Sanch. lib. 2. disp. 41. docet, quod conjux dubitans de validitate matrimonii, si bona fide contraxerit, & post adhibitam diligentiam non possit dubium deponere, non solum possit reddere, sed etiam petere debitum, propter eandem rationem, qua practice deponi potest dubium speculativum, videlicet quia possidet matrimonium bona fide contractum, nec est a sua possessione deturbandus ob dubium speculativum superveniens, quod depelli non potest: Sicut enim possidens rem bona fide, si præmisso diligenti examine, non potest dubium vincere, non solum potest rem retinere, sed etiam potest ea uti; ita possidens bona fide matrimonium, si non possit vincere dubium superveniens, non solum potest debitum reddere, sed etiam petere. Hinc Textus citatus debet intelligi de eo, qui mala fide contraxit, vel contraxit dubia fide, quia scilicet non adhibuit diligentiam debitam ad veritatem assequendam, & ad dubium deponendum, antequam matrimonium contraheret.

V. Rogabis, quænam sint universim sufficientia motiva practica, seu causæ efficaces deponendi practice dubium speculativum?

Respondeo ante omnia præmittendam esse diligentem inquisitionem veritatis; quia non facienti quod in se est, imputatur temeritas, error, & culpa, quæ contingit, aut contingere potest, dum se exponit tali periculo. Adhibita autem sufficienti inquisitione veritatis, prout exigit, juxta judicium prudentum, materia, tempus, & locus, Prima causa deponendi practice dubium speculativum est Auctoritas Doctorum, aut alicujus periti, quia posita opinione probabili quilibet prudenter operatur.

Secunda causa est urgens necessitas operandi ad vitandum non leve detrimentum, aut incommodum. Ita Salas, Suar., Sanchez contra Becan. & Garziam. Ratio est, quia lex, seu præceptum, quod sine gravi incommodo servari non potest, non obligat, nisi certo constet de illo; Nam, ut loquitur Salas, non debemus debito incerto satisfacere solutione certa. Unde Corduba, Gordonus, & idem Salas inferunt, licitum esse ei, qui post diligentem inquisitionem veritatis dubitat, an sit excommunicatus, celebrare, & actus Ordinis exercere, ad grave damnum evitandum: Similiter dubitans de irregularitate se gerit tanquam non irregularem; (nisi irregularitas imposita sit etiam in dubio delicti, ut incurritur in dubio homicidii ex Cap. *Significasti*) & Beneficiarius in dubio Juris, utrum scilicet ob tenuitatem beneficii teneatur Horas recitare? ad illas non tenetur; quia sine certitudine legis obligantis subire non debet hoc magnum incommodum; Secus vero si dubium sit facti, an scilicet hoc Beneficium sit tenue? Quia in tali dubio stat in possessione Beneficium, & in dubio melior est conditio possidentis, ut infra explicabimus.

An autem dubium speculativum deponi practice possit, præcise ne privemur libertate operandi, quando obligatio non est certa? Affirmant Suar. & Sanchez apud Bresserum c. 6. Negant verius Vasquez, & alii, quia lex dubia videtur obligare, quando sine notabili incommodo servari potest, ne exponamur periculo materialis peccati; non est autem notabile incommodum privari ea libertate operandi; nisi tamen id passim contingat, ut in Scrupulosis.

Tertia causa aliquando est Defectus alterius medii, quo possit dubitans certificari; Quod contingit in dubio facti. Sic ex c. *Laudabilem De frigidis*, triennii tempus conceditur, ut dubitans de valore matrimonii propter naturam frigidam possit experimento de hoc certificari; cum non sit aliud sufficiens medium ad dubium depellendum.

Ultima, & potissima justa causa deponendi practi-

e dubium speculativum est Possessio, præsertim in materia justitiæ; quamvis enim in dubio practico tutior pars eligenda sit; at in dubio speculativo melior est conditio Possidentis: Etenim ratione dubii æquale est jus in utroque, ratione vero possessionis jus bona fide rem possidentis fit majus, & ideo hic alteri præferendus: Unde habetur justa causa deponendi practice dubium speculativum.

VI. Quæri potest hic, mortaliter necne peccet, qui cum conscientia practice dubia operatur, advertens quidem esse peccatum sic operari, sed non advertens, num operatio sit graviter mala, an leviter. Vasquez, Sanchez, Azor., Bonac. disp. 1. qu. 4. putant hunc peccare mortaliter, quia se exponit periculo peccandi graviter. Negant id Navarr., Valen., Regin., quia cum in objecto non reluceat materia gravis, non videtur graviter peccare.

Equidem probabilius puto cum utroque Sanchez, Palao, Laym., doctiores facilius peccare mortaliter præ rudioribus, ob majorem illorum advertentiam ad obligationem examinandi gravitatem culpæ. Rudes vero, & pueros facilius peccare leviter, quia non facile iis relucet talis obligatio examinandi culpæ gravitatem; ne se exponant periculo peccandi graviter.

ARTICULUS IV.

An peccet, qui cum Conscientia perplexa operatur?

I. *Quid sit, & num dari possit Conscientia perplexa?*
II. *Operans cum Conscientia perplexa vincibili, & culpabili peccat, quamcumque partem contradictionis ponat.*
III. *Secus vero, si talis conscientia sit invincibilis, & putetur æque grave esse peccatum in utraque parte.*
IV. *Quid si Ægrotus perplexe putaret esse gravius peccatum elicere actum amoris Dei, juxta præceptum Superioris, quam illum omittere in articulo mortis?*
V. *Peccati gravitas unde mensuranda sit?*

I. AGimus hic de Conscientia perplexa, utpote quæ reducitur ad dubiam, quatenus utraque hæc conscientia de neutra parte contradictionis certitudinem habet, quod licita sit, & honesta: Perplexa tamen non suspendit judicium, sed positive judicat, utramque partem contradictionis esse inhonestam, & illicitam; ut si excommunicatus putet, tam peccare die festo audiendo Missam, quam non audiendo; vel si quis putet, tam peccare omittendo Sacrum ad assistendum ægroto, quam relinquendo ægrotum ad audiendum Sacrum. Nonnulli cum Granado putant, pertinere ad suavem Dei providentiam non relinquere hominem cum tali perplexitate: Sed communiter id negant: Sicut enim potest aliquis in carcere detentus existimare, quod peccet non audiendo Sacrum; cum re vera non peccet; quia peccatum non consistit in actu intellectus judicantis se peccare, sed in actu libero voluntatis nolentis audire Sacrum præceptum: ita potest a Deo relinqui homo in ea perplexitate, ut putet se peccare, sequendo alterutram partem, ad quam potest libere se determinare; cum revera non peccet, quod sæpe accidit scrupulosis.

Notandum præterea, conscientiam perplexam, sicut etiam quamcumque conscientiam erroneam, aliam esse vincibilem, aliam invincibilem, & inculpabilem. Dicitur vincibilis, & sæpe culpabilis, illud judicium erroneum imprudens, ac falsum, quod vinci ac superari commode potest adhibendo diligentiam debitam ad indagandam veritatem: v. gr. si quis dubitans de aliqua lege, aut obligatione audiendi v. gr. hodie sacrum interroget imperitum, qui respondeat, hujusmodi obligationem non dari; Conscientia hæc erronea est vincibilis: Quod si advertatur ad obligationem, quam homo habet adhibendi majorem diligentiam ad indagandam veritatem, erit vincibilis simul, & culpabilis; Si vero ad id non advertitur, vincibilis erit, sed inculpabilis: Contra vero, si interroget peritos, qui dicant falso, non dari talem obligationem, conscientia hæc est invincibilis, & inculpabilis.

II. His explicatis dico primo. Operans cum conscientia perplexa vincibili orta ex ignorantia culpabili peccat, quamcumque partem contradictionis sequatur, ver. grat. qui putat, se peccare, tam mentiendo ad servandam vitam innocentis, quam non mentiendo, ex quo sequitur homicidium, peccat, sive mentiatur, sive non mentiatur. Ratio est, quia tenetur, ut supponimus, errorem, & ignorantiam hanc depellere, & applicare intellectum ad rem certius intelligendam; ergo si ante hanc debitam diligentiam operatur, peccat, sive mentiatur, sive non; ita tamen, ut si putet, gravius esse peccatum mentiri, quam non mentiri, duplex peccatum committat, alterum, quia non adhibet debitam diligentiam ad deponendum errorem, antequam operetur, alterum, quia ex duobus malis eligit majus: Si vero putet æque peccare mentiendo, ac non mentiendo, solum peccat, quia non adhibet debitam diligentiam, non vero quia mentitur, aut non mentitur, cum non habeat libertatem ad utramque partem omittendam; Peccatum enim debet esse liberum, tum quia implicat aliquem absolute necessitari ad peccandum: Tum etiam quia secundum prudens judicium repugnat, ut quis hic & nunc peccet, si faciat hic & nunc quantum potest, ne peccet; Lex enim divina, & jugum Christi esset intolerabile, si miser aliquis ad eas angustias redigi posset, ut necessario peccet quicquid agat, vel omittat. Quare esto satis esset ad meritum libertas ista physica ad hanc potius partem se determinandi, quam ad alteram utramque honestam, ut nonnulli docent cum de Merito Christi, quibus equidem non subscribo; non est tamen satis ad demeritum, & ad peccandum, quia ad peccandum requiritur libertas moralis, ita ut non solum possit creatura rationalis non peccare hoc, vel illo peccato in specie, sed ita ut possit simpliciter non peccare; aliter divina lex esset iniqua.

III. Dico secundo. Qui operatur cum conscientia perplexa invincibili, non peccat, qualemcumque partem contradictionis ponat, v. gr. sive mentiatur, sive non; dummodo tamen putet, æque grave esse peccatum contra veracitatem mentiri, ac peccatum contra charitatem fateri veritatem, ex qua sequatur e. gr. homicidium. Ratio est, quia neque peccat contra obligationem deponendi perplexitatem, cum supponamus perplexitatem hanc esse invincibilem; Neque peccat mentiendo, aut non

men-

mentiendo, quia non potest alterutram partem effugere; peccatum autem debet esse operatio libera simpliciter, ut ostendimus; ergo nullatenus peccat, sive mentiatur, sive non. Si vero putet, gravius esse peccatum mentiri, v. g. quam fateri veritatem, ex qua sequeretur homicidium, tunc mentiendo peccaret ea gravitate peccati, quantus reputatur excessus gravitatis peccati in mentiendo, quam in fuga mendacii trahente homicidium. Ratio est, quia ex duobus malis, quorum alterum est inevitabile, debet minus eligi, ex cap. *Duo mala* dist. 3.: Et ita communiter docent cum Suar. de Poenit. disp. 3. sect. 10.

IV. Oppones: Hinc sequeretur, quod Ægrotus v. g. perplexus putans, esse gravius peccatum elicere actum Dei amoris intensissimum contra praeceptum superioris praecipientis illi ut quiescat, ne sibi mortem acceleret, quam omittere hujusmodi amorem, ad quem putat obligari in articulo mortis, peccaret in eliciendo amorem Dei intensissimum super omnia, & volendo servare legem omnem divinam; Sicut etiam peccaret non odio habendo Deum, quando invincibiliter putaret, se ad id teneri. Sequela est absurda; ergo & id unde sequitur.

Respondeo cum Bretsero, & Amico apud Bard., si sermo sit de amore Dei minus perfecto, certe peccaturum, qui sic amaret Deum cum conscientia dictante, esse gravius peccatum elicere hujusmodi actum contra praeceptum superioris, quam illum omittere in periculo mortis: Hujusmodi autem amor non esset perfectus per hoc praecise, quia componeretur cum peccato, hoc est cum transgressione praecepti superioris, atque adeo cum odio Dei virtuali; Si vero sermo sit de amore Dei perfectissimo super omnia, dicendum, hujusmodi casum, & perplexitatem esse impossibilem; quia impossibilis est ignorantia invincibilis, qua homo putet esse malum diligere Deum super omnia, & velle legem omnem divinam servare; necnon esse bonum Deum odisse. Ratio radicalis est, quia darentur in intellectu duo judicia incompossibilia, & aperte opposita, videlicet ex una parte daretur dictamen, seu judicium evidens, quod amare Deum perfectissime, & super omnia sit bonum; ex altera parte daretur aliud dictamen oppositum, quod ponere amorem Dei sit peccatum, & malum. Praeterea darentur in voluntate duo actus oppositi; nam quia amaret Deum super omnia, vellet servare totam legem divinam; quia vero contra praeceptum superioris obligans in conscientia vellet ponere amorem Dei, nollet servare totam legem divinam; qui duo actus in voluntate sunt pariter incompossibiles. Unde nec est possibilis ista perplexitas, nec est possibilis conscientia erronea dictans esse peccatum ponere amorem Dei perfectissimum, aut non odisse Deum: Contra vero potest dari conscientia tam recta, quam erronea dictans, non esse ponendum hic, & nunc amorem Dei minus perfectum contra obedientiam superiori debitam, quia hujusmodi conscientia non involveret duo judicia incompossibilia; quandoquidem alterum dictaret legi Dei per tale dictamen intimatae obediendum esse; alterum vero, quod non sit eliciendus vi talis legis amor Dei positivus, & imperfectus; quae duo non opponuntur.

V. Notanda denique hic duo sunt. Primum est, quod licet peccati gravitas mensuranda sit a praestantia praecepti, aut virtutis, cui opponitur, & caeteris paribus praeceptum Divinum praestet humano, Naturale positivo, Negativum affirmativo; aliquando tamen potest peccatum aliquod esse minus grave, quamvis sit contra praeceptum, seu virtutem praestantiorem. Ratio est, quia peccati gravitas non solum mensuranda est a virtute, cui opponitur, sed etiam a circumstantiis, videlicet a commodo, vel incommodo, quod trahitur, a certitudine majori, vel minori mali, quod timetur, & a probabilitate majore, vel minore obligationis, ut notant Palaus, & Becan. Hinc in casu extremae necessitatis praestat Sacerdotem ministrare Sacramentum Poenitentiae in mortali, si non vacat conteri, quam relinquere moribundum sine absolutione; quamvis, ut notat Vasquez, illud opponatur virtuti praestantiori Religionis, hoc vero virtuti misericordiae erga proximum, quae est virtus minus praestans: Sic praefertur praeceptum servandi vitam, honorem, divitias proprias, vel alienas praecepto divino adimplendi votum, confitendi integre, communicandi in Paschate: & Christus D. non repellendo a sacra Coena proditorem Judam exemplo suo docuit, licere nobis potius Eucharistiam ministrare peccatori occulto publice illam petenti, quam illum infamare repellendo a Sacra Synaxi.

Alterum notandum est, quod voluntas eligens minus malum prae majore, quando alterutrum vitari non potest, peccare etiam possit, si non eligat minus in quantum minus est, sed in quantum malum est; tunc enim voluntas ferretur in objectum quatenus malum, non quatenus excludens majus malum, & sic peccaret. Sicut communiter docent de consulente minus malum; puta si quis det consilium Petro, ut potius alapam infligat suo inimico, quam vulnus lethale; certe hic peccaret, si intenderet minus malum ut malum est; secus vero si illud intenderet praecise ad avertendum malum majus, quod aliter averti non posset.

ARTICULUS V.

Quale peccatum sit cum Conscientia practice dubia operari?

I. *Qui cum Conscientia practice dubia operatur, ejus speciei peccatum committit, cujus est id, de quo dubitat.*

II. *Ejusdem pariter speciei est peccatum contra conscientiam rectam, & contra erroneam circa idem objectum.*

III. *Non est duplex peccatum, violare verum praeceptum, & contra Conscientiam erroneam circa idem operari.*

IV. *Poenae tamen latae contra praeceptum violantes non incurruntur ab eo, qui contra Conscientiam practice dubiam, aut erroneam circa illud operatur.*

V. *Quaenam ignorantia vincibilis sit speciale peccatum?*

I. Dicendum cum communi apud Sanchez l. 1. cap. 10. ad eam peccati speciem reduci operationem elicitam contra dubium practicum, in qua est peccatum, de quo dubitatur; v. gr. qui dubitans, an operatio ponenda sit furtum, vel adulterium, illam ponit, peccat peccato furti, vel adulterii. Sicuti, si dubitans, an verbum otiosum sit veniale, illud proferat, peccabit venialiter; mortaliter autem, si dubitet, an sit mortale.

tale. Ratio est, quia operans cum dubio practico ideo peccat, ut supra ostendimus, quia exponit se periculo peccandi; atqui exponit se periculo ejus peccati, de quo dubitat; ergo ea specie peccati peccat.

Confirmatur ex Sanchez, quia eodem præcepto, quo tenemur vitare aliquid, tenemur vitare id, de quo practice dubitamus, an eo præcepto prohibeatur: ergo ejusdem speciei peccatum est operari cum conscientia prohibente certa, ac cum practice dubia.

II. Idemque communiter docent Doctores de conscientia erronea apud Dian. part. 3. tract. 4. res. 141. contra Adrian. & Medin. videlicet ejusdem speciei esse peccatum contra conscientiam rectam, & contra conscientiam erroneam, quæ versatur circa idem objectum; v. g. ejusdem speciei est violatio jejunii præcepti, & jejunii, quod ex conscientia erronea putatur præceptum. Unde in Confessione bene explicat peccatum suum, qui dicit, Fregi jejunium præceptum, si pluries comederit eo die, quo falso putabat, præcipi jejunium, ut communiter docent contra Nav. & Valent. apud Merollam cap. 4. dub. 3. Ratio est, tum quia vere præcipitur jejunium a lege naturali ei, qui putat, illud præcipi præcepto Ecclesiastico; cum lex naturalis præcipiat nobis juxta ultimum conscientiæ dictamen operari; tum etiam quia eodem præcepto, quo tenemur vitare aliquid, tenemur pariter vitare id, quod putamus (etiamsi falso) prohiberi. Objectum enim non movet voluntatem, nisi prout proponitur ab intellectu, ita ut si ab intellectu proponatur aliquod objectum ut malum, & prohibitum, (v. g. eleemosynam erogare) quamvis revera non sit tale, voluntas illud amplectens eo ipso convincatur velle malum illud, & peccare; unde procul dubio peccat, qui stipem erogat, putans illam prohiberi: Sicut ex opposito, si intellectus repræsentet ut bonum moraliter, & honestum, v. g. mendacium ad salvandam vitam innocentis, voluntas illud amplectens dicitur velle bonum, & elicere actum meritorium mentiendo. Ratio a priori est, quia regula immediata humanarum operationum est ultimum dictamen rationis, seu conscientia; Unde fit, ut voluntas ab illa deflectens peccet, etiamsi cum lege Divina sibi per conscientiam non repræsentata concordet.

III. Oppones cum Ang. apud Meroll. cap. 1. dub. 3. Qui falso putans hodie præcipi jejunium comedit carnes, tantum peccat contra conscientiam erroneam; qui vero violat verum præceptum jejunii, peccat tum contra præceptum, tum contra conscientiam erroneam: ergo ille unum, hic duplex peccatum committit; atque adeo peccare contra conscientiam est speciale peccatum aperiendum in Confessione; cum tale peccatum sit contra speciale præceptum.

Respondeo, unicum ab utroque peccatum committi contra præceptum jejunii, & contra virtutem abstinentiæ; quia, ut diximus, vere præcipitur jejunium ei, qui falso putat jejunium præcipi, unde virtus abstinentiæ eodem modo obligat utrumque sub gravi; cum non obliget virtus, nisi medio dictamine conscientiæ, quod in utroque est idem. Hinc fit, quod agere contra conscientiam non sit peccatum speciale contra speciale præceptum, aut virtutem, sed contineat generalem quandam rationem peccati, quæ determinatur ad talem rationem peccati ex tali materia præcepta, quæ per conscientiam proponitur; quia conscientia, sive recta, sive erronea non fert aliam obligationem præter obligationem præcepti, aut virtutis, quam proponit.

IV. Notandum tamen, quod quamvis eadem specie peccati peccet, qui transgreditur legem veram, ac qui putatam, sive operetur contra conscientiam erroneam, sive cum conscientia practice dubia; nihilominus non incurrit easdem pœnas humanas; eo quod Legislator humanus non imponat pœnas, nisi pro transgressione legis veræ. Unde qui celebrat, v. g. aut putans cum conscientia erronea, se esse excommunicatum, aut practice dubitans, num celebrare possit cum excommunicatione putata, eodem modo peccat, ac si celebraret cum excommunicatione vera; & in utroque casu satis exponet in Confessione peccatum suum, dicendo, celebravi cum excommunicatione: Non incurrit tamen irregularitatem, si vere non sit excommunicatus; Sicut non incurrit excommunicationem, qui percutit laicum existimatum Clericum, quamvis ratione affectus interni committat Sacrilegium. An autem incurrat excommunicationem, qui volens percutere Titium Clericum percutit Cajum etiam Clericum putatum Titium? variant Doctores apud Dian. part. 9. tr. 4. resol. 31.

V. Dubium est, an habens conscientiam erroneam, aut dubiam vincibilem, si adversus illam operetur, duplex peccatum committat, alterum, quod omittat inquirere veritatem, prout debet, ne se exponat periculo peccati; alterum vero ejus speciei, in qua est peccatum, de quo dubitat: v. g. qui putat, aut dubitat ex ignorantia vincibili, an mentiri sit grave peccatum, si mentitur, unum ne, an duplex peccatum committit?

Respondeo cum Maldero, & Tannero apud Dian. part. 3. tract. 4. res. 141. ignorantiam vincibilem non esse speciale peccatum; atque adeo in casu adducto unum duntaxat peccatum committitur, satisque in Confessione exponit, dicendo, Mentitus sum credens, aut dubitans, me graviter in eo peccare. Ratio est, quia eodem præcepto, quo quis obligatur non exponere se periculo peccandi graviter, obligatur adhibere diligentiam ad inquirendam veritatem in dubio practico, num peccet; ergo non deponere ignorantiam illam vincibilem non est speciale peccatum, sed adversatur eidem virtuti, ac præcepto, quo obligamur v. g. ad non mentiendum. Neque obstat, quod mendacium de se sit peccatum leve, & in casu adducto mentiri ex ignorantia vincibili sit peccatum grave. Nam per accidens mendacium potest esse mendacium grave: sicut est v. g. mendacium graviter damnificativum. Itaque tunc solum ignorantia vincibilis est distinctum, & speciale peccatum, quando ignorat quis, quæ cæteroqui scire tenetur, etiamsi non exponat se hic, & nunc periculo proximo peccandi. Talis est ignorantia Mysteriorum Fidei, ignorantia præceptorum Decalogi, & eorum, quæ ad proprium munus rite obeundum quilibet scire debet; ut si Confessarius ignoret, quæ ad Confessiones rite excipiendas discere debuit.

ARTI-

ARTICULUS ULTIMUS.

Utrum dubium dicatur positivum, an negativum, quando utrinque sunt æquales rationes circa factum?

I. Videntur rationes æquales circa factum se elidere, ac parere dubium negativum.
II. Non tamen rationes æquales circa jus, utpote disparatæ, & ideo in hoc casu dubium esse positivum.
III. Sed probabiliter etiam rationes æquales circa factum pariunt dubium positivum, ut dicitur de duobus horologiis dantibus mediæ noctis signum diversum.
IV. Post contractum bona fide matrimonium, si æque sit probabile, priorem Conjugem esse mortuum, ac esse superstitem, dubium dicitur esse positivum, & ideo possunt ambo petere, & reddere debitum, ut graves Doctores docent.
V. Cur Judex, stante æquali probabilitate, sive circa jus, sive circa factum, teneatur rem dividere; Privatus vero, vel Confessarius possit uni parti revera probabili se accommodare.
VI. Num in dubio proprietatis licite possit hæreditas præoccupari?
VII. Cum probabile definiatur esse, quod plerumque contingit, quomodo poterit utraque pars contradictionis esse æque probabilis?

I. IN calce hujus quæstionis ad multa decidenda in materia de conscientia dubia, quærimus, Utrum quando circa factum aliquod utrinque sunt rationes, resultet dubium proprie dictum, scilicet negativum, & suspensionis, an vero positivum proprium opinionis; ut liceat utramque partem contradictionis sequi, tanquam probabilem? Verbi gratia, si tres fide digni testentur, aliquam legem esse abrogatam, tres vero alii ejusdem auctoritatis dicant, non esse abrogatam, debet ne dici, quod sit probabile, legem illam esse abrogatam, & consequenter non obligare? an vero dicendum est, legem obligare, quia in dubio de ejus abrogatione melior esse debet conditio legis possidentis?

Garzias, & Jo: Sanch. disp. 43. docent, hujusmodi dubium esse mere negativum; unde putant in casu adducto legem obligare: Sicut etiam, si quatuor v. g. fide digni testentur, Testatorem reliquisse tibi hæreditatem, quatuor vero æque fide digni testentur, reliquisse hæreditatem Cajo, non poteris illam tibi usurpare, ductus opinione probabili, sed debes ad summum dividere, si neuter possideat: Et eodem modo, si quatuor testentur uxori, maritum in bello obiisse, quatuor vero alii esse superstitem, non potest uxor ad secundas nuptias transire, ut constat ex c. *Inquisit. De sent. excomm.* Et ratio a priori est, quia opinio debet esse assensus prudens nixus motivo inclinanti suo pondere in assensum; atqui quando utrinque rationes sunt æquales circa factum, assensus non potest inclinari in alteram partem pondere motivorum; Sicuti lanx inclinari nequit, si utrinque pondera sint æqualia: ergo in casu nostro assensus non erit prudens, & probabilis, & consequenter dubium non erit positivum, sed negativum.

II. Neque dicas, quod idem contingere deberet, si utrinque essent æquales rationes circa jus. Nam contra est, quia circa jus possunt esse utrinque rationes diversi generis, quæ invicem non se eligant, & sic potest utraque opinio circa jus esse æque probabilis; V. gr. potest esse probabilis opinio, quod Sacramentum pœnitentiæ possit esse validum, & informe ex hac ratione, quia ex Tridentino satis est ad validitatem hujus Sacramenti dolor de peccato ex motivo turpitudinis; & simul potest esse probabilis opinio opposita, quod non sit possibile hujusmodi Sacramentum validum, & informe, ex hac alia ratione, quia ex eodem Tridentino dolor constitutivus hujus Sacramenti debet esse dispositio ad gratiam; quæ duæ rationes, cum sint diversi generis, & veluti disparatæ, non se infringunt, nec minuunt utramque probabilitatem: Contra vero in quæstione circa factum, cum sint ejusdem generis rationes, & conjecturæ, se mutuo elidunt, & ideo, quamvis probabile sit, e. gr. Titium vivere, si quatuor fide digni id testentur; non est tamen probabile, sed dubium, an vivat, si quatuor alii testentur mortuum esse; imo erit simpliciter improbabile, quod vivat, si in contrarium mille affirment, mortuum esse.

III. His tamen non obstantibus, Fagund., Bonac., Villalobos, Trull. Pal., aliique apud Boss. de conscientia dubia n. 228. putant, in adducto casu dubium esse positivum, quamvis sit circa factum, & utramque partem esse probabilem; Non secus ac diversitas horologiorum circa signum mediæ noctis reddit utramque partem probabilem; ita ut probabile sit juxta signum unius horologii esse elapsam mediam noctem, v. gr. post Sabbatum, atque adeo licitum esse comedere carnes; & simul probabile sit juxta signum alterius horologii, mediam noctem non esse elapsam, unde liceat ulterius comedere, ac deinde mane Eucharistiam sumere, ut docent Sanch. Palaus, Fagund., Joan. Lug., Trullenk., Bonac. Quidquid contradicant Merolla, & Salas apud Dian. part. 4. tract. 3. res. 19., putantes, diversitatem horologiorum reddere utramque operationem tantum speculative probabilem, sed practice, non secus ac in dubio negativo, standum esse pro parte possidente, sive sit libertas, sive præceptum; quia in pari causa melior est conditio possidentis.

IV. Confirmatur; quia Azor., Nav., Bresserus, & alii docent, Conjugem habentem utrinque judicium probabile de valore, aut nullitate matrimonii posse licite petere, ac reddere debitum post contractum bona fide matrimonium, & tamen hujusmodi dubium est circa factum: ergo dubium circa factum est positivum, non negativum, quando utrinque sunt rationes æquales. Hinc tamen non sequitur, quod possit ad secundas nuptias transire, qui habet opinionem utrinque probabilem de vita, aut morte primi Conjugis; etenim cum stet in possessione prius matrimonium, non satis est probabilitas, sed requiritur certitudo moralis de morte primi Conjugis, ut licite ad secundas nuptias fieri transitus possit. Nemo enim spoliare potest alterum re, quam possidet bona fide, ductus opinione probabili, quod sit sua; cum ad id requiratur certitudo moralis. Quare si licitum est sequi opinionem probabilem circa jus, quando utrinque sunt rationes, & Doctores æquales; (quod non vacat hic examinare, negantibus id probabilioristis contra pro-

babilitas) licebit pariter sequi opinionem probabilem circa factum, si utrinque sit æqua probabilitas; non enim apparet , cur auctoritates Doctorum se mutuo elidant , quando quæstio est circa jus , & non pariter quando quæstio est circa factum.

V. Objicies : Judex potest ad arbitrium adjudicare rem alteri parti, quando utrinque sunt rationes æque probabiles circa jus, non tamen quando sunt æquales rationes circa factum ; ergo signum est , quod in primo casu dubium sit positivum , in secundo negativum.

Respondeo antecedens a multis doceri cum Salas , Sanch. apud Bossium, n. 205. Equidem cum communiori nego antecedens : Existimo enim in utroque casu Judicem debere rem dividere: Contra vero privatum posse juxta opinionem probabilem , vel circa jus , vel circa factum , rem a nemine possessam sibi integre usurpare , ut notat idem Bossius num. 1854. contra Conink. : Sicut communius docent , Judicem in foro externo teneri rem dividere , quando rationes sunt pro utraque parte æquales ; Confessarium vero pro foro interno posse in favorem Pœnitentis sequi opinionem probabilem, relicta opposita æque probabili , imo etiam probabiliori favente alteri ; Et ratio disparitatis est , quia Judex in foro externo debet judicare inter partes juxta merita causæ ; at in foro interno Confessarius , utpote Judex inter hominem , & Deum , satis est , ut sequatur opinionem probabilem , ut non peccet . Unde nil mirum , quod in his casibus aliud esse possit judicium in foro interno, ac in externo.

VI. Idque satis constat ex praxi contendentium præoccupare res in dubio positivo proprietatis. Et ratio ulterior est ; quia quilibet sequi potest opinionem communiter reputatam probabilem, etiamsi opposita suam habeat probabilitatem : ergo qui probabiliter credit hæreditatem v. g. ad se pertinere , potest illam licite præoccupare, ac retinere, donec moraliter constet esse alienam ; Neque hic dicitur esse possessor dubiæ , sed bonæ fidei , posito quod probabiliter credat rem esse suam . Et quamvis probabiliter etiam credat rem esse alienam , potest suæ potius , quam alienæ indemnitati consulere , nec debet cogi ad vitandum damnum alienum , cum periculo damni proprii.

Quod autem quilibet possit universim licite sequi opinionem communiter reputatam probabilem, etiam in concursu probabilioris , nedum æque probabilis , ex eo docent Probabilistæ , quia licite quilibet submittit se judicio Doctoris probi , ac viri periti , etiam in conflictu aliorum aliter sentientium , dummodo non reddatur illa prior opinio omnino improbabilis ex excessu probabilitatis contrariæ ; aliter homines essent perplexissimi in suis operationibus , si majorem probabilitatem deberent semper inquirere.

VII. Dices ex Pallav. Probabile definitur a Philosopho , Quod plerumque contingit ; implicat autem , quod plerumque vera sit utraque pars contradictionis : ergo implicat , ut utraque pars sit æque probabilis ; & consequenter , quando æquales sunt utrinque rationes , dubium non erit positivum, sed negativum.

Argumentum probat , quod neque circa jus , neque circa factum possit dari æqualis probabilitas in utraque parte contradictionis . Quare Probabilistæ respondent , utramque contradictionis partem esse probabilem , si plerumque contingat ex suo motivo esse veram : v. g. si plerumque contingat , tam Titium , quam Paulum dicere verum , & Titius dicat , Cæsarem esse mortuum , Paulus vero dicat , non esse mortuum , erit probabile , quod Cæsar sit mortuus ex eo motivo , quod Titius id asserens plerumque sit veridicus ; & simul erit probabile , quod Cæsar non sit mortuus ex illo alio motivo, quod Paulus id asserens plerumque sit veridicus ; Quia tamen voluntas potest licite inclinare intellectum ad credendum , quod a viro veridico affirmatur , ideo potest intellectus ad arbitrium voluntatis uni potius parti dare assensum , quam alteri . Sicut potest voluntas eligere bonum A relicto bono B æquali , imo etiam meliore.

Q U Æ S T I O II.

An in dubio prævaleat Possessio in materia Justitiæ?

DIximus articulo 3. quæstionis primæ , deponi posse practice dubium speculativum ratione possessionis , videlicet si posito dubio speculativo, num res, quam bona fide possides , sit tua , an aliena, consurgat dubium practicum , an tenearis illam restituere ; poteris hoc dubium practicum deponere , ex illo principio juris , quod in dubio melior sit conditio Possidentis , & sic rem illam poteris licite retinere . Quæritur nunc , an hoc principium juris sit universim verum in materia justitiæ ? Deinde in sequenti quæstione, An etiam verum sit in materia aliarum virtutum a justitia ? Primo itaque hic inquirendum, an sit melior conditio Possidentis rem bona fide in dubio superveniente , an sit aliena ? Secundo , An etiam id verum sit, si quis incipiat rem dubia fide possidere? Tertio, An prævaleat possessio in cooperante ad damnum, in dubio, an ex propria cooperatione damnum sit sequutum?

A R T I C U L U S I.

Num sit melior Conditio Possidentis rem bona fide in dubio superveniente , an sit aliena?

I. Trifariam res possideri potest , bona , mala , ac dubia fide.

II. In quonam istæ possessiones differant?

III. Num ad aliquam restitutionem teneatur possidens rem bona fide , si superveniat dubium, quod ea sit aliena , quin possit dubium deponi ?

IV. Alii volunt integre restituendam esse : Alii pro ratione dubii partialiter : Sed dicendum posse adæquate retineri.

V. Sic

V. Sic deciditur in foro externo; unde etiam in interno.

VI. Dubium si superveniat bonæ fidei Possessori, bonam fidem non interrumpit, si deponi non potest.

VII. Non datur tamen obligatio inquirendi verum dominum, nisi adsint graves, & probabiles rationes dubitandi.

VIII. Quid si probabilius sit, rem possessam esse alienam? aut si probabile sit esse alienam, & non detur probabilitas, quod sit Possidentis?

I. SUppono, tripliciter posse rem aliquam possideri, videlicet bona, mala, ac dubia fide. Dicitur Possessor malæ fidei, qui retinet rem alienam, credens se nullum justum titulum habere illam retinendi, vel quia illam furatus est, vel quia a fure accepit, vel quia quod bona fide accepit, advertens postea esse rem alienam, potens restituere illam adhuc retinet, vel quia ignorat rem illam esse alienam, sed ignorantia crassa, aut affectata, quæ non excusat a culpa gravi. Contra vero Possessor bonæ fidei dicitur, qui bonam fidem, seu credulitatem habet, quod res, quam possidet, non sit aliena. Demum dicitur possessor dubiæ fidei, cui nec constat, rem esse suam, nec constat esse alienam.

II. Differt Possessor malæ a Possessore bonæ fidei, quod ille, cum teneatur ad restitutionem, non solum ratione rei acceptæ, sed etiam ratione injustæ acceptionis, nullo unquam tempore potest in rebus mobilibus usucapere, aut in immobilibus præscribere, ex cap. *Possessor De reg. jur. in 6.* Possessor vero bonæ fidei potest usucapere in rebus mobilibus post triennium, & præscribere in immobilibus post spatium decem, vel viginti, aut triginta &c. annorum, juxta varium genus rerum præscriptibilium, ita ut si post tale tempus compareat verus dominus, ille non teneatur restituere. Demum possessor dubiæ fidei, si cum dubia fide rem accepit, comparatur possessori malæ fidei: Si vero postquam rem alienam bona fide possederit, incipiat dubitare, an sit aliena, & post debitam diligentiam non possit dubium deponere, comparatur possessori bonæ fidei, itaut dubium superveniens bonæ fidei possessionem non interrumpat; ut docet Medin. de restitut. q. 17., Covarruv. & alii contra Adrian. & Sotum. Etenim in c. *Si virgo 34. q. 1.* dicitur: In jure prædiorum tamdiu unusquisque possessor bonæ fidei dicitur, quamdiu possidere se ignorat alienum; qui autem dubitat, jam ignorat, rem esse alienam; ergo non interrumpit possessionem bonæ fidei.

III. His explicatis, Quærendum, an ad aliquam restitutionem teneatur, qui bona fide rem possidet, si superveniat dubium, quod sit aliena? In sequenti examinabimus, quid si dubia fide rem cœperit possidere? ut sic appareat, quomodo in materia justitiæ melior sit conditio possidentis in dubio.

Fingamus itaque Sortem bona fide possidere agrum vel titulo gratuito, nempe donatione, legato, hæreditate, vel titulo oneroso, nempe emptione, permutatione &c. ac deinde supervenire dubium, an ager sit alienus. Certum est in hoc casu teneri ex justitia Sortem inquirere veritatem, ne se exponat periculo committendi injustitiam, & retinendi agrum alienum; si tamen facta morali diligentia adhuc dubium perseveret, quæritur, an ratione possessionis possit integre agrum sibi retinere?

IV. Prima sententia cum Adriano docet, agrum nullatenus retineri posse, atque adeo in materia justitiæ non esse meliorem in dubio conditionem possidentis. Ratio hujus sententiæ est, tum quia in dubiis tutior pars eligenda est, ex c. *Ad audientiam De homicidio;* tum etiam quia dubitans speculative, an ager sit alienus, dubitare debet etiam practice, an furtum committatur illum retinendo: Operans autem cum dubio practico, an furtum committat, vere peccatum furti committit, ut supra ostendimus: ergo restituere agrum debet aut domino, aut si hic ignoretur, pauperibus, qui loco incerti domini succedunt.

Secunda sententia cum Soto, Aragon., Cordubà docet, Agrum pro ratione dubii dividendum cum eo, de quo dubitatur, an sit verus dominus, vel si hic ignoretur, cum pauperibus, quia posito æquali dubio videtur æquale esse jus utriusque partis.

Tertia communissima, & probabilissima sententia, quam nos sequimur, docet, posse integre agrum a Sorte retineri. Ratio est, tum quia possessio censetur sufficiens titulus deponendi practice conscientiam dubiam, & honestandi retentionem agri: tum etiam quia licet in tali dubio sit æqualis conditio, seu æquale jus utriusque, quoad dominium, seu proprietatem rei, non est tamen æqualitas quoad possessionem; nam possidens præter jus dubium proprietatis commune utrique, habet jus certum possessionis legitimæ inchoatæ; unde retinere potest agrum, tanquam suum, quia nemo absque injustitia spoliari potest re bona fide possessa, donec constet, rem illam esse alterius; ut patet ex Reg. 65. in 6. *In pari delicto, & causa melior est conditio Possidentis*, & Reg. 128. *In pari causa possessor potior haberi debet*. Et Reg. 11. *Cum sunt partium jura obscura, Reo potius favendum est, quam Actori*; Possidens autem est reus, alter est Actor. Ex quibus desumptum est axioma illud, In dubio melior est conditio possidentis, nempe relate ad retinendam rem, de qua dubitatur.

V. Confirmatur, quia in foro externo Sortes non esset a Judice spoliandus agro bona fide possesso propter dubium superveniens, ut constat tum ex citatis juribus, tum quia possessio facit præsumptionem dominii, & transfert in adversarium onus probandi, quod res sit sua, quin possessor debeat probare esse suam; Unde spoliari ea non debet a Judice, donec fortioribus rationibus, ac præsumptionibus constet, rem possessam esse alienam: ergo idem servandum in foro interno: Etenim idem judicium debet esse pro foro externo, ac pro interno, quoties externum non nititur falsa præsumptione, ut communiter docent cum Sanc. l. 1. disp. 5. Palao t. 1. disp. 3. p. 6. Salas tract. 8. n. 166. & aliis.

Ex quibus apparet, nihil obstare fundamenta primæ sententiæ; quia Sortes possidens bona fide agrum, cum dubio illo speculativo, habet etiam judicium practicum verum, ac certum, quod retinere sibi possit agrum: Axioma autem illud, In dubio tutior pars eligenda, intelligendum est, quoties dubium est practicum, non speculativum, ut est in casu nostro.

Neque obstat fundamentum secundæ sententiæ, quia possidens præter jus dubium dominii habet jus certum possessionis, quatenus jura, & ratio ipsa naturalis dictat, propter bonum quietis, & pa-

cis

cis publicæ concedendum esse dominium rei possidenti illam bona fide, donec constet esse alienam.

VI. Dices: Quamvis possessio bonæ fidei tribuat jus retinendi rem possessam, at dubium superveniens interrumpit bonæ fidei possessionem; nam bona fides requirit, ut possidens existimet, rem esse suam, quod existimare non potest, qui dubitat, an sit aliena; cessante autem possessione bonæ fidei, & cessante jure certo, quod tribuit hujusmodi possessio, non remanet nisi jus dubium, quod est æquale utrique parti: Ergo res est dividenda.

Respondeo, dubium impedire quidem bonæ fidei possessionem, quando possessio incipit cum tali dubio, quia injuste rem tibi usurpas, quam non magis existimas ad te, quam ad alium pertinere; quod si dubium possessioni bonæ fidei superveniat, illam non interrumpit, quia ad continuationem talis possessionis solum requiritur, quod ignoretur, rem esse alienam, ut expresse deciditur in cap. *Si virgo* supra laudato. Et ratio est, quia, dum non constat, rem esse alienam, præsumitur, quod sit possidentis.

VII. Confirmatur, quia dubitans, an res sit aliena, non dubitat, quod legitime illam possideat, posito quod cœperit sine ullo dubio possidere: Ergo non dubitat, quod possit rem illam retinere, tanquam suam ob meliorem in dubio conditionem possidentis: Ergo adhuc perseverat bona fides, & præscriptio inchoata. Debet tamen interim possidens moralem, & humanam diligentiam adhibere ad inveniendum verum dominum; si tamen graves, & probabiles sint rationes dubitandi, an res sit aliena; aliter ad nihil tenetur, ut notat Tamb. l. 1. c. 3. §. 7. Verbo *Restitutio*; quia sicut Superior non debet, & forte non potest ex levibus conjecturis moveri ad inquirendum contra subditum; ita a fortiori nemo tenetur ex levibus conjecturis moveri ad inquirendum contra se ipsum.

VIII. Dubium tamen est, An saltem aliquid restituere teneatur Sortes, si magis inclinet in eam partem, quod ager, quem bona fide possidet, sit alienus, quam quod sit suus. Sanchez l. 2. de Matrim. disp. 41. apud Bonac. q. 1. punct. 2. affirmat; additque, quod juxta majorem, vel minorem hujusmodi inclinationem teneatur plus, vel minus restituere. Nam quamvis in pari causa melior sit conditio Possidentis; At quando Possidens magis inclinat in eam partem, quod res sit aliena, non est par causa, adeoque ratione istius inæqualitatis, & majoris inclinationis tenetur aliquod restituere illi, cujus rem esse putat. Vasquez tamen, Salas, & alii apud eundem Sanchez lib. 1. Summæ cap. 10., (ubi, ut notat Bonacina, priorem illam sententiam retractat) negant restitutionem ullam faciendam esse; tum quia possessio certa prævalet rationibus in contrarium probabilibus non fundantibus assensum certum; etenim jus possessionis est certum, & rationes illæ non fundant jus proprietatis certum, sed dubium: tum etiam quia, ut notat Vasquez, in foro externo hic non obligaretur ad restitutionem ullam: Ergo neque in foro interno, cum idem debeat esse judicium utriusque fori, quando externum non nititur in falsa præsumptione.

Hinc deducit Diana part. 2. tract. 1. resol. 9., dubitantem, an voverit, etiamsi magis inclinet in partem affirmativam, ad nullam voti partem teneri.

Ex quo etiam infertur contra Sanchez, & Bardi, idem dicendum, si possidens bona fide ita dubitet, an res sit aliena, ut sine morali certitudine aliquatenus probabiliter judicet, esse alienam, & nullum probabile judicium habeat, quod sit sua; videtur enim posse in hoc casu adhuc integre rem retinere tanquam suam. Ratio est, quia adhuc stante hac levi probabilitate, (quæ non pariat moralem certitudinem aliquam, prout solet parere) ignoratur, an res sit aliena; qui autem caret scientia, & notitia moraliter certa, dicitur ignorare, etiamsi habeat notitiam aliquam probabilem, ut declarat Bartolus in leg. *Admonendi ff. de jurejur.* Ergo non debet per solam hanc probabilitatem, quod res sit aliena, illa spoliari; quandoquidem possessio bonæ fidei parit jus certum, quod prævalere debet juri probabili, & non moraliter certo alterius. Quia tamen regulariter, quando probabile est rem esse alienam, & nulla relucet ratio quod sit tua, tunc habetur moralis certitudo, (quæ solet in rebus humanis haberi) quod res illa ad alium spectet, idcirco regulariter in tali casu juxta sententiam laudatam Sanchez, & Bardi videtur ea res restituenda. Hinc in tractatu de Pœnitentia disp. 4. q. 3. n. 9. cum Communiori sustinemus, subjiciendum esse clavibus peccatum positive dubium, sumptum pro peccato, quod probabiliter est commissum, quin detur ulla probabilitas in oppositum: Ad eum modum quo si probabile est legem esse latam, votum esse emissum, Petrum esse tuum parentem, quin detur probabilitas ulla in oppositum, adhuc ea lege, & voto obligamur, & Petro tanquam parenti debetur obsequium; quia hujusmodi solida probabilitas, excludens omnem probabilitatem in oppositum, est quædam evidentia moralis respectiva, seu respectu operantis sufficiens ad illum obligandum; Non secus ac Rustici tenentur credere mysteria a Parocho proposita ob similem evidentiam respectivam.

ARTICULUS II.

Plurima inferuntur.

I. *Hinc fit, Judicem in pari probabilitate debere rem adjudicare possidenti illam bona fide.*

II. *Si a neutro res possideatur, dividenda pro ratione dubii.*

III. *Non potes rem a possidente tollere per hoc, quod probabiliter illa sit tua; Nec licitum est in hoc casu occultam compensationem facere: At in nonnullis casibus videtur id licere; quando scilicet datur titulus certus, propter quem probabiliter est debita res ab alio possessa.*

IV. *Potest licite emi, aut dono accipi res a possidente illam bona fide, quamvis superveniat dubium, quod sit aliena.*

I. EX præjacto principio, quod in materia justitiæ melior sit in dubio conditio possidentis, sequitur primo, Judicem in pari dubio proprietatis debere rem adjudicare Possidenti illam bona fide, prævalente jure possessionis, ut notat Sanchez l. 4. disp. 41. Nec solum in dubio negativo, sed etiam in positivo, seu cum adest æqua probabilitas pro utraque parte, quia possidenti assistit præter jus probabile proprietatis jus certum possessionis, atque adeo fortius jus; ergo huic res adjudicanda; cum damnata sit ab Innoc. XI. prop. 3. dicens: *Probabiliter existimo, posse judicem judicare juxta opinionem minus probabilem.*

II. Se-

II. Sequitur II., quod si neuter possideat, dividenda sit res a Judice juxta proportionem dubii: & si res sit individua, vel sortibus applicanda est uni parti; vel uni danda est res, & alteri portio æstimationis rei. Privatus vero, si dubium sit positivum, potest juxta opinionem probabilem, quod res sit sua, illam sibi usurpare, ut diximus articulo ultimo quæstionis præcedentis; si vero dubium sit negativum, debet etiam pro foro interno, ut Judex in externo, rem dividere pro ratione dubii, quia, cum possessio neutri faveat, æquale est jus, & conditio utriusque, ut notant Lessius, Sanchez lib. 2. disp. 41. Vasquez, Arriag. apud Boss. n. 1851.

Non est itaque audiendus Ledesma, quod si res sit individua, possit a Judice applicari, cui maluerit; sicut potest Episcopus eligere ad Beneficium, quem maluerit ex duobus æque dignis. Refellitur enim a Sanchez loco citato, quia justitia postulat, ut, si æque jus assistit utrique parti, æque res dividatur inter utramque, vel uni res, alteri dimidium æstimationis rei conferatur: ergo ad id tenetur Judex, qui est minister Justitiæ. Neque obstat paritas de beneficio; nam nemo habet jus ad beneficium; & justitia distributiva hoc dictat, ut integrum uni ex duobus æque dignis conferatur; cum non possint fructus beneficii dividi absque Pontificis consensu, nec possit dividi officium, propter quod datur jus ad fructus, seu beneficium.

III. Sequitur III., non posse te tollere, & tibi usurpare rem bona fide possessam a Titio per hoc, quod probabiliter sit tua. Ita communiter cum Sanchez l. 2. disput. 41. & 44. contra nonnullos apud Dian. part. 7. tract. 10. resol. 34. & part. 9. tract. 9. res. 44. Ratio est, quia sine injustitia non potest quis spoliare alium re bona fide, & juste possessa, nisi certo constet, quod res illa sit sua; quandoquidem jus certum, quod habet possidens rem bona fide, non potest tolli nisi ab habente jus certum proprietatis; qui autem opinatur, quod res sit sua, non habet jus certum, sed probabile proprietatis: ergo peccat contra justitiam, rem illam accipiendo. Hinc est, quod opinans, matrimonium esse invalidum, tenetur reddere debitum conjugi bona fide petenti. Hinc etiam est, quod non possit fieri compensatio occulta, ut communiter Doctores docent, per solam probabilitatem crediti, sed requiratur certitudo moralis, quia est commune axioma, quod a non liquido ad liquidum non detur compensatio.

Non negaverim in pluribus casibus Doctores primæ notæ permittere, quod ex probabili ratione liceat spoliare possidentem re bona fide possessa: Ita ut a Cardinali de Lugo disp. 16. de Just. sect. 5. redarguatur incohærentiæ communis sententia, dum negat in genere id licitum esse; Et postea hoc idem concedit in pluribus casibus particularibus; concedunt quippe Doctores, infamatum, cui fama non restituitur, posse facere occultam compensationem in pecunia, propter probabilem opinionem, quod ad id teneatur infamans: concedunt 2., quod si alicui relinquatur legatum in testamento minus solemni, licet non possit in foro fori legatum repetere, possit tamen occultam facere compensationem; quia probabile est, tale legatum esse validum de jure naturæ; quamvis probabile etiam sit, non esse validum, ut propterea in foro fori hæres non astringatur ad solutionem. Concedunt pariter tertio, quod hæres ab intestato possit uti occulta compensatione contra eum, qui bona defuncti possidet ex simili testamento minus solemni; quia hoc probabiliter est invalidum. Concedunt quarto, quod qui sponsalia contraxit, possit ea dissolvere, si probabiliter detur causa sufficiens, quamvis agatur de spolianda sponsa jure suo.

Equidem cum Puente Hurtado in propositionem 37. damnatam ab Innoc. XI., admitto in his casibus suam probabilitatem; quia scilicet datur titulus certus, propter quem probabiliter est debita res ab alio possessa: e. g. certa est obligatio restitutionis famæ in infamante, & solum probabile est, quod debeat illa compensari pecunia, si non possit aliter restitui: Certum similiter est legatum relictum in testamento minus solemni, & solum probabile est, hujusmodi Legatum jure naturæ esse validum. Et idem dicas in similibus casibus, in quibus probabiliter Doctores docent posse fieri occultam compensationem debiti probabilis. Neque obstat, quod debitum incertum compensetur solutione certa, quia satis est probabilitas ad licite operandum: Sicuti quando Judex ex ratione non evidenti, sed probabiliori adjudicat rem Titio, poterit hic certe exigere rem sibi adjudicatam. Nego tamen cum communi apud eundem Hurtadum, posse propter rationem probabilem universim alium spoliari re, quam possidet bona fide. Ratio est, quia daretur ansa furtis, turbaretur pax publica; ac demum quia cum tenuis probabilitas non satis sit ad licite operandum, ex prop. 3. damnata ab Innoc. XI., in his casibus daretur solum probabilitas tenuis, quod possis alium spoliare re, quam possidet, per hoc quod res illa probabiliter sit tua, ut communiter Doctores docent.

In eo casu hoc permitterem, quando scilicet Titius v. g. possessor agri illum præoccupavit in dubio, an sibi, vel tibi deberetur. Ratio est, quia in hoc casu possessio, cum non sit bonæ fidei, non debet Titio suffragari; quare poteris per occultam compensationem agrum pro ratione dubii inter te, & Titium dividere, perinde ac si a nemine possideretur, si non facile poteris id per Judicem obtinere.

Confirmatur ex Spinula, & Francisco Lugo, quia in foro externo in hoc casu Judex deberet rem dividere pro ratione dubii, quamvis Titius illam possideat: ergo etiam in foro interno. Hinc etiam deduci potest, quare in iis casibus particularibus liceat spoliare aliquem re, quam possidet, ex probabili ratione, quod debeatur: v. g. infamatus, cui fama non restituitur, potest illam sibi compensare in pecunia ex probabili ratione, quod infamans ad id teneatur. Nam sicut potest Judex in foro externo juxta probabilem hanc opinionem damnare Infamantem ad compensandam in pecunia famam, quam restituere non potest, ita licitum itemerit hujusmodi sententiam sequi in foro interno.

IV. Sequitur quarto, quod si noveris, rem aliquam possideri bona fide a Titio, dubites tamen, an res illa sit alterius, possis illam emere, aut dono accipere a Titio. Ratio est, quia sicut Titius bona fide possidens potest rem illam retinere, ac vendere, ita poteris tu illam emere, quamvis dubites speculative, an sit alterius; dummodo diligentiam prius adhibueris in inquirendo vero domino: Etenim ratione possessionis bonæ fidei res illa facta est Titii, & dubium superveniens sicut non interrumpit possessionem bonæ fidei, sic nec tollit domi-

dominium a Titio. Hinc Sanchez l. 2. diſp. 41. n. 28. ex Molina docet, quod ſi quis ſibi perſuadeat, mancipia Guineæ communiter injuſte ad ſervitutem redigi, non poſſit juſte illa emere, aut dono accipere ab aſportantibus. Verum ſi a Paulo, qui id ignorans bona fide emit ab aſportantibus, poſſideantur, & præmiſſa diligentia non conſtet, injuſte eſſe captum tale mancipium, poteris juſte illud a Paulo emere, quia ſuccedis in jure, quod Paulus habebat; hic autem juſte poſſidebat, quia cœpit bona fide poſſidere, & in dubio melior eſt conditio Poſſidentis. Neque dicas, poſſeſſionem eſſe pro mancipii libertate. Nam licet hoc verum ſit reſpectu aſportantium, non tamen reſpectu Pauli, qui emit bona fide.

ARTICULUS III.

Nonnullæ aliæ difficultates hac in re enodantur.

I. *Si nequeat dubium deponi, adhuc poteſt hujuſmodi bonæ fidei Poſſeſſor rem illam diſtrahere, & conſumere. At comparente Domino quid reſtituendum?*

II. *An, ſi vendatur res bona fide empta a fure, quin poſſit deponi dubium ſuperveniens, quod ſit aliena, comparente Domino, qui nequeat ab Emptore recuperare rem ſuam, ſolvendum illi ſit pretium acceptum?*

III. *In quibus caſibus pretium dicitur ſuccedere loco rei?*

IV. *Diſpar eſt ratio inter venditionem rei furtivæ bona fide emptæ, & inter permutationem cum alia re; Venditio quippe claudicare poteſt, permutatio non item.*

V. *Diſpar etiam eſt ratio, ſi res hæc furtiva bona fide empta ſit, & ſi bona fide dono ſit accepta.*

VI. *Si deprehendatur, rem hanc eſſe furtivam, & Dominus non poſſit reperiri, num poſſit ea retineri, an vero dari debeat pauperibus?*

VII. *Verius ad reſtitutionem tenetur, qui ſuborto dubio, an res poſſeſſa ſit aliena, omiſit culpabiliter veritatem inquirere.*

VIII. *Quid intereſt inter reſtitutionem faciendam a Poſſeſſore bonæ fidei, & malæ?*

IX. *Num res furtiva bona fide empta, deprehenſo Domino, poſſit reddi furi ad pretium recuperandum?*

X. *Cur pro foro externo reſtitui debeat Domino, & non etiam pro interno?*

I. EX eodem præjacto principio, quod in dubio melior ſit conditio Poſſidentis in materia juſtitiæ, ſequitur pariter deciſio illius quæſtionis; An, permanente dubio, quod res ſit aliena, poſſit bonæ fidei Poſſeſſor non ſolum rem illam retinere, ſed etiam diſtrahere, ac uti. Negat Corduba, tum quia exponitur periculo diſtrahendi rem alienam, tum etiam, quia in lege *Alienationis de verbor. ſign.* dicitur, quod dubitans præſcribere non poſſit; ergo nec alienare.

Sed communiter cum Leſſ. cap. 14. Sanch. lib. 2. diſp. 41. &c., docent, ante præmiſſam diligentiam ad verum Dominum inquirendum alienari non poſſe; aliter fruſtra verus Dominus inquireretur; imo nec poteris ea uti, ſi uſu deterior reddatur; Quod ſi uſu non conſumatur, ut equus, ſervus &c. poteris interim uti, paratus ſolvere Domino pretium illius uſus deductis alimentorum expenſis; nam in hoc Dominus non eſset rationabiliter invitus. At ſi poſt adhibitam ſufficientem diligentiam adhuc dubium perſeveret, poteris rem alienare, & conſumere. Ratio eſt; quia jus poſſeſſionis certum, utpote favorabile, ad omnia hæc ſe extendit; aliter inutilis eſſet poſseſſio, & onerosa potius, quam favorabilis Poſseſsori, qui non eſset Dominus, ſed cuſtos, & depoſitarius, ſi deberet rem intactam conſervare. Nota tamen, quod ſi vendas rem, quam tali dubio poſſides, monere debes emptorem de dubio, quando probabile eſt, Dominum compariturum; vendis enim rem vitioſam expoſitam periculo, ut comparenti Domino reddenda ſit; Unde vel emptor non emet, vel emet minoris. Quod ſi non moneas, teneberis ad damnum ſecutum, quia fraudulenter vitium tacuiſti: At ſi non ſit moralis ſpes; quod dominus compareat, non teneris monere de dubio, quia tunc emptor non exponitur morali periculo. Ita Sanch. loc. cit. Merolla c. 1. n. 13. Franc. Lug. quæſt. 6.

Ad primam rationem in contrarium Cordubæ reſpondeo, non alienari in hoc caſu rem alienam, ſed propriam, ratione bonæ fidei. Quod ſi deinde dominus appareat, repetatque rem ſuam ab emptore, tenetur venditor reſtituere emptori id, in quo factus eſt locupletior, non vero integrum pretium, ut probabilius docent Sanch. Mol. Leſs. Dian. part. 4. tract. 3. reſ. 35. contra Salas, Vaſq., Sayrum, quia venditor eſt poſseſsor bonæ, non dubiæ fidei.

Ad ſecundam reſpondeo, valde probabile eſse, quod poſſit præſcribere, & continuare præſcriptionem, qui poſt diligentiam adhibitam adhuc dubitat, an res bona fide poſseſsa ſit aliena, ut docent Leſs. c. 6. n. 11. Azor., Fagund., Mol. diſp. 63. ex cit. cap. *Si virgo*, ſed eſto præſcribere non poſſit, adhuc poteſt alienare, quia, ut notat Sanch. illa lex ſolum aſserit, eum, qui non poteſt alienare, non poſse præſcribere, non e converſo.

II. Sequitur pariter celebris illius quæſtionis deciſio, An Titius poſseſsor bonæ fidei, qui v. g. emit rem alienam, puta equum a fure, credens eſſe ipſius, ſi aut perſiſtens in eadem bona fide, aut dubitans quidem, & poſt diligentiam adhibitam non poteſt dubium deponere, vendat equum, ac deinde appareat verus Dominus, qui recuperare non poſſit ab emptore equum ſuum, teneatur illi pretium equi reſtituere?

Affirmant Med. Sayr. Salonius, quia ſcilicet, ſi Titius penes ſe equum haberet, deberet illum Domino comparenti reſtituere, cum res clamet ad Dominum: ergo ſi vendat equum, debet pretium equi reſtituere Domino non potenti recuperare equum ſuum; quia ſcilicet pretium ſuccedit loco rei venditæ, ex lege *Si rem, & pretium ff. De petitione Hæredit.*

Confirmatur primo, quia per venditionem equi alieni non transfertur dominium equi in emptorem, ut conſtat ex leg. *Ex empto ff. de actionibus empti;* Venditor enim non poteſt transferre Dominium, quod nunquam habuit, ut eſt Dominium equi alieni; ergo neque acquirit dominium pretii, cum contractus ſit nullus; ergo pretium reſtituendum eſt vero Domino pro equo, quem hic recuperare non poteſt.

Con-

Confirmatur secundo, quia Titius emens bona fide equum alienum, ac deinde illum vendens, jacturam fecit pretii soluti per emptionem; (siquidem, si appareret tunc Dominus, posset sibi equum accipere, etiamsi Titius recuperare non posset pretium solutum) ergo, dum deinde vendit eundem equum, acquirendo pretium illius, factus est ditior; sed possessor bonæ fidei tenetur restituere id, in quo factus est ditior: ergo tenetur Titius tale pretium restituere. Hinc putat Ledesma, quod, si Titius deprehendat hujusmodi equum a se venditum fuisse alienum, & Dominus non compareat, teneatur pretium illud restituere Pauperibus.

Sed communis, & verior sententia cum Vasquez Mol. disp. 378. Bonac. Dian. p. 3. tract. 5. ref. 42. Less. Lug., aliisque apud Sanch. l. 2. c. 23. docet, Titium bona fide vendentem equum alienum, quem prius bona etiam fide emerat, non teneri pretium restituere Domino comparenti, nec aliunde valenti equum suum recuperare. Ratio est, quia omnis obligatio restituendi oritur ex duplici radice, scilicet ex re accepta, vel ex injusta acceptione; sub qua intelligitur quævis actio, vel omissio injuste, & per injuriam nocens proximo. In casu autem nostro Titius venditor non tenetur restituere pretium ex injusta acceptione, ut patet; neque ratione rei acceptæ, cum neque habeat apud se equum alienum; neque ex eo factus sit ditior, cum ex venditione habuerit solum pretium, quod prius solverat emendo equum illum: ergo nullatenus tenetur pretium restituere. Nisi forte carius vendidisset, quam emerat; tunc enim excessum hunc, in quo factus esset ditior solum ex re aliena, & non ex propria ulla industria, tenetur procul dubio restituere: Sicut etiamsi equum hunc non vendidisset, sed donasset, & in remunerationem acceperit aliquid, quod excedat valorem equi, teneretur hunc excessum restituere, ut docent Doctores laudati.

Confirmatur primo, quia licet per venditionem equi alieni bona fide factam Dominium equi non transeat in emptorem, ut patet ex lege, & ratione ab Adversariis adducta; at contractus hic venditionis est validus in hoc, quod vendens acquirat Dominium pretii accepti; idque verum est, etiamsi venditor sit fur, & mala fide vendat equum, dummodo emptor emat bona fide, ex l. *Qui res ff. de furtis*, & ex l. *Si pecunia Cod. de rei vindicatione*, ut fuse explicant Mol., & Sanch. loc. cit.; Ergo non tenetur venditor equi pretium restituere ratione rei acceptæ, seu ex eo, quod non comparaverit dominium pretii accepti.

III. Confirmatur secundo, quia, ut iidem Doctores notant, pretium non succedit loco rei universim, sed solum in judiciis, quæ Jurisperiti vocant universalia, seu universales actiones, ut sunt hæreditas, dos, fideicommissum generale &c., quia in his judiciis universalibus unius juris petitione censentur plura peti simul, ut constat ex leg. *Si rem, & pret. ff. de petit. hæredit.* Quod etiam verum est in judiciis generalibus, in quibus petitur aliquid generaliter, ut est judicium tutelæ, negotiorum gestorum &c. ex leg. *pro Socio ff. pro Socio*; in his enim casibus, si res aliqua, v. g. hæreditas vendatur, pretium succedit loco rei venditæ. At in judiciis, quæ vocantur particularia, vel singularia, quia scilicet sunt de re singulari, vel ex singulari contractu petita, ut in commodato, deposito, mandato &c. falsum est, pretium succedere in omnibus loco rei, ut constat ex juribus citatis in prima confirmatione, ubi dicitur venditor rei alienæ acquirere dominium pretii, & non transferre dominium rei venditæ, quod non eveniret, si pretium succederet loco rei.

Et per hæc patet ad rationem adversariorum in contrarium adductam, & ad primam Confirmationem. Ad secundam confirmationem nego antecedens. Emens enim a fure rem furtivam non dicitur facere jacturam pretii, cum possit statim servare se indemnem, recuperando pecuniam suam; habet quippe jus ad rescissionem contractus, & consequenter habet jus si minus ad pretium, saltem ad pretium per sententiam Judicis recuperandum. Et quamvis teneatur comparenti Domino rem restituere sine pretio, id provenit, quia res semper clamat ad Dominum. Quare si rem furtivam bona fide emptam deinde vendat bona fide, pretium, quod retrahit, facit suum, & cum sit æquale pretio, quod solverat in emptione, non dicitur factus esse ditior.

IV. Notandum tamen cum Salonio controv. 2., & Sanchez loc. cit. non esse idem dicendum, si hujusmodi equus vendatur, & si permutetur. Nam si ille vendatur bona fide, v. grat. centum a Titio, qui prius illum emerat bona fide pariter centum aureis, non tenetur, ut diximus, restituere hujusmodi pretium: Contra vero si hujusmodi equum emptum bona fide centum permutet bona fide cum torque v. g. comparente Domino tenetur permutationem rescindere, & equum Domino reddere. Quod si non possit rescindere permutationem, quia v. g. equus periit, tenetur acceptam torquem dare Domino equi. Disparitas inter venditionem, & permutationem est, quia in venditione potest esse claudicatio; nam licet emptor semper faciat pretium esse venditoris, quando ignorat rem venditam esse alienam; venditor tamen non semper facit rem esse emptoris, quando scilicet res est aliena, ut constat ex dictis: Contra vero in permutatione non datur claudicatio, sed utriusque rei, vel neutrius Dominium transferri debet, ex l. 1. *ff. de rerum permutatione*. Quare in casu nostro, cum emptor non acquirat Dominium equi alieni, neque Titius permutans illum cum torque acquirit Dominium torquis; atque adeo tenetur illam restituere vero Domino ex titulo rei acceptæ, quamvis non sit factus ditior.

V. Notandum secundo, quod, si Titius non emisset bona fide equum alienum, sed illum dono accepisset bona fide a fure, & deinde vendidisset, tenetur pretium restituere Domino equi comparenti. Ita communiter cum Vasqu., Sanch., Laym., Dian. p. 4. tr. 3. ref. 35. Ratio est, quia possessor bonæ fidei tenetur restituere vel rem extantem, vel si non extet, id, in quo factus est ditior ex illa: In casu, Titius donatarius bonæ fidei factus est ditior pretio illo retracto ex venditione equi dono accepti. Ergo tenetur tale pretium restituere.

VI. Illud superest enodandum, An possessor bonæ fidei, qui post dubium superveniens reperit, rem esse alienam, & non potest Dominum invenire, teneatur illam dare pauperibus? Quod est universim quærere, an restitui debeant Pauperibus non solum debita incerta orta ex injusta acceptione, seu ex delicto, sed etiam ex re accepta, seu ex licito contractu, v. gr. mutuo, deposito, & similibus?

Communiter affirmant cum Divo Thom. 2. 2. qu. 62. art.

62. art. 5. Mol. d. 746. Vasq., Sayro, Fagund. Ratio est, quia id præcipitur vel jure naturali, ut censent Nav. Cajet., Fagund. l. 7. in Decal. cap. 21., quatenus jus naturale dictare videtur, quod, si res Domino suo restitui non potest, expendatur in bonum animæ ipsius, in pauperum utilitatem, ac levamen; cum talis ejusdem Domini præsumatur voluntas; Vel saltem id præcipitur jure positivo. Et quidem de debitis incertis ortis ex delicto constat debere pauperibus erogari ex cap. *Non sane* 14. *quæst.* 5., & ex aliis Textibus: De debitis autem ortis ex contractu, vel ratione rei acceptæ, probatur, quia etsi de his non constet expresse in jure Canonico, id tamen habet Ecclesiæ consuetudo, quæ vim legis habet, ut in pias causas expendantur.

Non negaverim, Petrum Navarrum l. 4. de rest. cap. 1. docere, bona incerta ex licito contractu, vel ratione rei acceptæ possessa licite posse retineri; quod probabile existimant Lug. disp. 6. sect. 12. Less. cap. 14. num. 38. Bauny, Malderus, & alii: tum quia neque jure naturali id præcipitur; aliter non posset Pontifex de iis, nisi in utilitatem pauperum disponere, nec posset compositionem ullam facere, quod est contra praxim Ecclesiæ; præterquamquod verus Dominus sæpe est incapax utilitatis spiritualis, quia v. gr. jam est damnatus: Neque præcipitur jure positivo restitutio talium debitorum, quia consuetudo Ecclesiæ, quod in opus pium expendantur, non videtur obligatoria ad modum legis: Imo videtur esse conforme voluntati Domini ignoti, quod retineantur res a possessore bonæ fidei, quia sic posset illas recuperare, si compareret; quod evenire non posset, si datæ essent pauperibus.

Verum quamvis opinio ista videatur probabilis, non est recedendum tamen in praxi a communi, tanquam magis pia, & usu ipso timoratorum approbata, ut notat Lessius, Trullenk, & Bossius; præsertim quia si rationes adductæ perpendantur, nihil evincunt; nam consuetudo piorum hominum erogandi pauperibus debita incerta orta ex re accepta, non solum habere videtur vim legis positivæ, sed etiam arguere legem naturalem id dictantem. Neque obstat, quod Pontifex non posset compositionem facere, si jure naturali hujusmodi debita deberentur pauperibus. Nam hujusmodi compositio ordinatur ad opera pia Ecclesiæ magis utilia; Et quamvis aliquando Dominus sit incapax utilitatis spiritualis, quæ ab ipsis eleemosynis intenditur, satis est, quod ut plurimum non sit incapax: Sicuti quia ut plurimum verus Dominus remanet ignotus, ideo non rationabiliter præsumitur, quod Dominus nolit ea pauperibus erogari propter spem illam remotissimam recuperandi rem suam, si ipse compareat: Aliter propter hujusmodi præsumptam voluntatem Domini possent etiam retineri a fure debita incerta orta ex delicto.

VII. Est tamen etiam notandum, quod si possessor bonæ fidei post dubium superveniens, an res sit aliena, neglexit veritatem investigare culpabiliter, ita ut per omissionem diligentiæ debitæ factus sit impotens ad cognoscendum verum Dominum, tenetur tanquam possessor malæ fidei restituere, vel illi, de quo dubitat, an sit verus Dominus, vel eo incognito, pauperibus, si minus totam rem, saltem partem illius pro ratione dubii, & majoris, vel minoris probabilitatis, & spei, quæ esset de inveniendo vero Domino, si fuisset præmissa diligentia debita. Ita communiter cum Sanchez cap. 21. Joanne Lug., Salas, Molina; quicquid in contrarium sentiant Bonac., Pal., Rebell., & alii apud Dian. p. 4. tract. 3. res. 29. putantes, ad nihil teneri, quia possessio, ut supponitur, cœpit bona fide, & non constat, num per omissionem debitæ diligentiæ alteri damnum intulerit; unde cum in dubio melior sit conditio possidentis, ab omni restitutione videtur excusandus: Non secus ac qui dubitat, an sua actione, vel omissione fuerit alteri causa damni; quod multi probabiliter docent apud Dianam loc. cit. res. 28.

Hæc tamen ratio nihil videtur evincere; quia licet possessio cœperit bona fide; suborto tamen dubio, an res sit aliena, jam cœpit mala fide illam possidere, dum neglecta fuit diligentia debita; & ideo in dubio an alteri damnum intulerit per omissionem diligentiæ debitæ, non habet suffragium a possessione, utpote malæ fidei. Et per hæc patet disparitas ad exemplum adductum: tunc enim deobligatur a restitutione, qui dubitat, an sua actione, vel omissione fuerit alteri causa damni, quando favet illi legitima possessio rei restituendæ, quod non habetur in casu nostro.

VIII. Notandum denique, illud esse discrimen inter restitutionem faciendam a possessore malæ fidei, & a possessore bonæ fidei, quod ille teneatur servare Dominum indemnem; & ideo debet restituere rem, si extet, vel ejus pretium, necnon omne damnum inde sequutum, seu interesse, sive ordinarium, sive extraordinarium, & lucrum, quod Domino cessavit, & fructus rei tam naturales, quam mixtos, tam perceptos, quam non perceptos, si diligens Dominus esset illos percepturus, deductis expensis solum necessariis. Contra vero possessor bonæ fidei ita debet restituere, ut reddat se omnino indemnem; quare solum restituere debet rem, si extet, & ejus fructus, si pariter exstent, tam naturales, quam mixtos, detractis expensis etiam non necessariis; quod si res seu fructus non extent, debet reddere id, quo ex re bona fide possessa factus est ditior.

IX. Quæritur etiam, an possessor bonæ fidei, qui a fure emerat rem furtivam, si suborto dubio deprehendat, rem illam esse furtivam, possit reddere furi ad recuperandum pretium, an teneatur reddere illam domino, cum jactura pretii?

Molina, Azor., & alii putant, debere domino restitui, quia res clamat ad dominum: propterea si hujusmodi emptor non possit pretium suum recuperare a fure, suo infortunio imputet; non secus ac si res casu periret: Vasq. tamen, Rebell., Lug., & alii apud Tamb. c. 3. §. 2. probabiliter putant, posse reddi furi, quando non potest aliter pretium recuperari. Ratio est, quia possessor bonæ fidei, cum nullam commiserit culpam, non videtur damnandus ad subeundum hoc damnum. Quare satis est, si reponat rem in eo statu, in quo erat, reddendo eam furi, a quo pretium recuperet; non enim tenetur cum suo gravi incommodo illam in meliori statu reponere. Imo Tambur. §. 3. cum Lug., Dian. contra Less. Vasq., Turrian., Mol. & alios communius apud Dicast. lib. 2. tract. 2. disp. 5. dub. 4. putat, idem dicendum de possessore malæ fidei, quia sicut qui injuste accepit rem ab aliquo, tenetur solum tollere injustam acceptionem; ita qui injuste emit, tenetur solum tollere injustam emptio-

emptionem. Quod si quis rem furtivam dono accepit a fure, tenetur reddere domino, non furi, quia nullam jacturam pretii facit, si res reddatur domino, ad quem clamat.

X. Oppones primo, si dominus equi apud judicem petat equum suum, judex in foro externo cogeret hunc emptorem ad reddendum equum domino, non furi. Ergo etiam in foro conscientiæ hic emptor ad id tenebitur.

Confirmatur, si dominus equi illum tanquam suum accipiat, cum nulli faciat injuriam, non poterit a possessore etiam bonæ fidei impediri: Ergo hic tenetur reddere equum domino, etiamsi pretium sit amissurus.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam; Judex præsumit mala fide emptum esse equum, & ne detur ansa fraudibus, juste punit emptorem amissione pretii; aliter quilibet posset impune emere res furtivas, certus quod pretium sit recuperaturus apud judicem, si forte dominus appareat. At in foro interno nemo tenetur cum suo notabili detrimento rem alienam in meliori statu reponere, quam repererat.

Ad Confirmationem negatur consequentia; disparitas est, quia ex jure domini nemo potest aliquem juste impedire, ne sibi usurpet rem suam. At nemo tenetur positive reponere, aut conservare in meliori statu, ac repererat rem alienam cum suo gravi incommodo.

Neque urgeas, dicendo, quod si possum reddere furi equum ad recuperandum pretium, & servare me indemnem, potero pariter alteri eundem vendere. Nam contra est, quia talis venditio esset injusta, si non detegeretur alteri vitium hoc rei venditæ; unde non esset licita. Præterquamquod equus non reponeretur in eodem statu, in quo erat, sed in novo periculo, quod non sit deventurus ad dominum suum.

Oppones secundo: Non potest reddi gladius furioso domino, qui illo abusurus sit in damnum alterius, quia sic cooperaretur debitor peccato furiosi: Ergo non potest ab emptore reddi equus furi cum damno domini, quia pariter ille cooperaretur ad damnum domini.

Respondeo, negando paritatem: Primo: quia nullum damnum patitur, qui non reddit gladium domino furioso; unde si huic gladium reddat, non excusatur a peccato, dum materialiter cooperatur damno alterius: Contra vero talis emptor si non reddat equum furi, patitur jacturam pretii, & ideo excusatur a peccato, dum damno domini cooperatur materialiter. Secundo cooperatio ad peccatum est proxima, si reddatur gladius domino furioso: Unde Less. cap. 16. dub. 4. cum Tambur. l. 8. tr. 4. c. 1. §. 3. docet, non solum peccari contra charitatem per redditionem talis gladii, ut putat Mol., sed etiam contra justitiam, quia reddens gladium furioso est veluti complex delicti, nec se habet negative tantum, perinde ac si non defenderet innocentem; in quo casu peccatum esset solum contra charitatem: Contra vero, si emptor reddat equum furi, solum remote cooperatur materialiter ad peccatum furis: cooperatio autem remota ad peccatum ex multis capitibus excusari potest; & præsertim in casu nostro excusatio est manifesta, videlicet propter æquale damnum, quod hic aliter pateretur. Tertio: Cooperatio ad peccatum furiosi est cooperatio ad peccatum gravius, (utpote contra vitam innocentis) quam sit cooperatio cum peccato furis: Ergo nil mirum, quod illa requirat majorem causam, ut excuset a culpa cooperantem materialiter cum illo.

ARTICULUS IV.

An res, quæ dubia fide cœpit possideri, restituenda sit?

I. Peccat contra justitiam, qui rem accipit in dubio, an vendens, vel donans possideat illam bona fide?

II. Si dubium deinde deponi nequit, nonnulli docent, posse ab emente, vel donatario res integre retineri.

III. Verius restituenda saltem pro ratione dubii.

IV. Cur non dicatur hic esse possessor bonæ fidei?

V. Restitutio facienda est cum fructibus rei, tanquam a possessore malæ fidei, non solum a tempore, quo dominus deprehenditur, sed etiam ab initio possessionis.

I. Certe peccat contra justitiam accipiens rem, dubitans, an sit furtiva, vel aliena; aut dubitans, an bona fide possideatur a vendente, vel donante. Ratio est, quia lege justitiæ quilibet tenetur non exponere se periculo injustitiæ; cui certe se exponit, qui retinet rem illam cum tali dubio; subest enim periculum injustitiæ contra verum dominum, si vere sit aliena; atque adeo ea contrectatur domino rationabiliter invito. Ita communiter cum Less. cap. 14. n. 24. Sanch. lib. 2. c. 23. Si tamen sic dubitans rem acceperit, tenetur diligenter veritatem investigare, & verum dominum invenire, ne huic damnum, & injuriam inferat. Quod si facta morali inquisitione veritas inveniri non possit, procedit præsens quæstio, Utrum res ista saltem pro qualitate dubii restitui debeat, aut dari pauperibus; an vero suffragetur huic possessio, etiamsi sit dubiæ fidei.

II. Gordonus l. 5. qu. 5. & a fortiori Jo. Med., juxta ea, quæ docet de Rest. qu. 20. putant, hunc posse sibi integre rem possessam retinere, etiamsi dubia fide cœperit illam possidere, stante nunc æquali dubio, quod sit aliena. Primo, quia non videtur, quare non debeat esse melior conditio primi occupantis, stante æquali dubio de proprietate rei. Secundo, quia stante æquali dubio semper est melior conditio possidentis, juxta regulas juris. Neque dicas, meliorem esse conditionem possidentis bona fide, non vero mala fide; Qui autem dubia fid cœpit possidere, comparatur possidenti mala fide. Nam contra est, quia dubia fides non differt a bona fide, si illa non oriatur ex culpabili negligentia, & ignorantia, ut docent Vasquez, Panorm., & alii apud Sanch. lib. 2. cap. 23.; nam is dicitur habere bonam fidem, qui ignorat, seu non habet scientiam, quod res sit aliena, ut supra diximus, ex cap. *Si virgo*: Qui autem dubia fide possidet, non habet scientiam, quod res sit aliena: ergo habet bonam fidem sufficientem juxta jus canonicum ad præscriptionem non solum continuandam, sed etiam inchoandam: Etenim ad id requiritur bona fides, non positive, sed privative, hoc est non mala fides: sed qui dubiam habet fidem, non habet malam fidem: ergo habet bonam fidem privative sufficientem, ut illi faveat possessio.

III. Secunda sententia communior, & tenenda cum Mol. disp. 36. Sanch. loc. cit. Lug. disp. 17., sect. 4. & aliis docet, eum, qui dubia fide cœpit possidere, ad restitutionem teneri, saltem pro ratione dubii, si facta investigatione veritatis, adhuc perseveret dubium, an res sit aliena, vel furtiva. Ratio est, quia hujusmodi possessio dubiæ fidei nullatenus suffragatur possidenti; atque adeo adjudicanda res, perinde ac si esset vacans, & a nemine possideretur; sed si esset vacans, & dubitaretur cujusnam esset, dividenda esset pro ratione dubii, ut diximus articulo superiore: ergo etiam in casu præsenti. Major probatur, quod scilicet hujusmodi possessio non faciat melioris conditionis possidentem; nam possessio, ut suffragetur possidenti, debet esse legitima, & justa, quæ communiter definitur apud Mol. disp. 12., quod sit *Rei corporalis detentio corporis, animi, jurisque adminiculo*; & sensus est, quod res possideri debet etiam animi adminiculo, hoc est bona fide, & animo habendi rem tanquam suam, eo quod existimet suam: Qui autem dubia fide rem occupat animo faciendi illam suam, cum dubitet, an sit aliena, non possidet animi adminiculo; imo nec adminiculo juris, cum jus non concedat rem occupanti illam cum dubio: Ergo hujusmodi possessio non suffragatur possidenti.

IV. Confirmatur, quia hujusmodi possidens nec habet bonam fidem speculative, quia non habet judicium probabile, quod res illa sit sua; nec habet bonam fidem practice, quia non habet prudens, & probabile judicium, quod possit illam sibi usurpare sub eo dubio; ergo hujusmodi possessio nullatenus suffragatur possidenti, & ideo non est satis ad præscriptionem inchoandam, ut communiter docent apud Mol. disp. 6. ex c. *Finali de præscript.*, licet satis sit ad continuandam præscriptionem, ex cap. *Si Virgo*, ut explicat Less. lib. 2. num. 11. & Fagund. lib. 2. cap. 15. Disparitatis ratio est, quia qui incipit rem possidere cum dubio, an sit sua, accipit illam practice mala fide; cum conscientia dictet, illicitum, & injustum esse rem sibi usurpare sub eo dubio: Contra vero qui possidens bona fide deinde dubitat, an res sit sua, habet practice bonam fidem, cum conscientia dictet, posse retineri rem bona fide possessam, si consurgat dubium, an sit aliena, eo quod possessio in dubio suffragetur bona fide possidenti: Nil ergo mirum, quod possessio dubiæ fidei non sufficiat ad præscriptionem inchoandam, quia tunc æquivalet possessioni malæ fidei; Sufficiet tamen ad præscriptionem continuandam, quia tunc æquivalet possessioni bonæ fidei. Quare ad præscriptionem inchoandam non sufficit bona fides privative, videlicet non mala fides, sed requiritur bona fides positive, ut communiter docent contra Vasquez, relatum a Bossio numer. 1894.; quia bona fides privative, quando quis incipit rem possidere, est practice mala fides, cum conscientia dictet, injustum esse rem illam tanquam propriam occupare in dubio, an sit aliena.

Et per hæc patet ad rationes in contrarium; non enim est melior conditio primo occupantis rem dubia fide, quia revera injuste occupat; nec est melior conditio sic illam possidentis, eo quod non legitime, & juste possideat, sed injuste, & sine animi, jurisque adminiculo.

Unde fit, quod incipiens rem possidere dubia fide, si deinde reperiat, rem esse alienam, teneatur illam restituere, tanquam possessor malæ fidei, atque adeo cum fructibus perceptis, & quos percepisset dominus, si rem habuisset: idque non solum a tempore, quo deprehendit rem esse alienam, ut putat Gordonus, sed ab initio possessionis, ut communiter docent cum Lugo sect. 4. & Mol. disp. 723. Ratio est, quia ab initio possessionis possedit rem mala fide; etenim, ut ostendimus, dubia fides in initio possessionis est practice mala fides.

ARTICULUS V.

Multa ad praxim spectantia deducuntur.

I. Qui occupat rem aliquam, dubitans, quod sit aliena, sed animo inquirendi verum dominum, si non reperiat, poterit illam sibi retinere.

II. Quod si dominus reperiatur, tenetur illam restituere, tanquam possessor bonæ fidei, restituendo tamen etiam fructus non extantes, si consumpserit, quamvis non sit factus ditior.

III. Si dubium sit positivum, seu si probabile sit, rem esse tuam, & simul probabile, quod sit aliena, poteris illam occupare, & deprehenso domino, illam prorsus tanquam possessor bonæ fidei restituere.

IV. Qui rem emit animo inquirendi dominum, poterit hoc pretium, & expensas rationabiles repetere.

V. Qui a possessore bonæ fidei rem emit, dubitans, quod sit aliena, potest illam sibi integre retinere, si dominus non reperiatur; si quidem dubium hoc supervenit possessioni bonæ fidei.

VI. Quid præstandum a Confessariis erga Pœnitentes, qui res emunt ab iis, de quibus vehemens datur suspicio, quod eas furati sint?

VII. Num possint emi fragmenta non levis momenti vestium a sartoribus?

I. Ex doctrina hactenus hac in re tradita infertur primo, quod si quis sine culpa præoccupasset rem vacantem, vel emisset rem aliquam, dubitans, an sit furtiva, v. gr. quia id fecisset animo inquirendi dominum, & dubium esset solum in genere, an sit alterius, non vero in specie, an sit Petri, unde dominus esset omnino incertus, tunc probabile est, non dari obligationem restituendi rem illam pauperibus pro ratione dubii, sed posse integram retineri, cum animo tamen reddendi eam, si forte dominus compareat; sicut plures Doctores ajunt de Inventore alicujus rei, qui post sufficientem diligentiam non potuit agnoscere dominum rei inventæ, ut diximus articulo superiore. Ratio illationis est, quia hujusmodi possessio, cum vacet culpa, æquivalet possessioni bonæ fidei.

II. Infertur secundo, quod si quis cum dubio, an res sit aliena, vel furtiva, incipiat illam possidere sine culpa, videlicet animo inquirendi dominum, tunc deprehenso domino non teneatur restituere tanquam possessor malæ fidei, ut putavit Rebellus lib. 2. quæst. 5., sed solum tanquam possessor bonæ fidei; unde non tenetur pretium rei restituere, si res sine sua culpa periisset, nec fructus non perceptos, quos dominus percepisset; ad quæ tenetur possessor malæ fidei. Ratio est ex Sanch. c.

13. n. 174., quia non tenetur hic ex injuſta acceptione, cum non peccaverit ſic uſurpando rem illam. Tenetur tamen fructus conſumptos reſtituere, etiamſi ex iis non ſit factus ditior, quia tenebatur eos ſervare, quouſque verum dominum deprehenderet; atque adeo in hoc diſconvenit a Poſſeſſore bonæ fidei, qui nec tenetur reſtituere rem, nec fructus, ſi non extant, nec ex iis factus eſt ditior.

An autem hic teneatur diligentiam moralem adhibere, ut interim res fructum afferat, atque adeo ſi id negligat, teneatur domino reſtituere fructus, qui propter hanc negligentiam percepti non ſunt? Affirmat Lug. diſp. 17. ſect. 4. ſed probabilius negat Boſſ. n. 1904., quia per uſurpationem rei is duntaxat contraxit obligationem inveniendi dominum, & ex hoc gratiæ illi debentur, quin rationabiliter dominus potuerit ab illo exigere, quod interim rem frugiferam non haberet apud ſe otioſam.

III. Infertur tertio, quod ſi quis rem occupet, dubitans non negative, ſed poſitive, num ſit aliena, vel furtiva, ſeu habens pro utraque parte probabile judicium, deprehenſo domino, teneatur ſolum tanquam poſſeſſor bonæ fidei reſtituere. Ratio eſt, quia ſic uſurpando rem nullatenus peccavit, ut docent communius Probabiliſtæ contra Conink. de Sacr. diſp. 34. n. 93. Qui enim probabiliter credit, rem eſſe ſuam, poteſt juxta hoc probabile judicium ſpeculativum formare judicium probabile practicum, quod liceat ſibi illam uſurpare. Nunc autem ex judicio ſpeculativo non ſequitur practicum, (verbi gratia ex probabilitate, quod conjux ſit mortuus, non ſequitur licitum eſſe ad ſecundas nuptias tranſire) quando ſtat in poſſeſſione præceptum, aut quando alter bona fide rem poſſidet, aut quando aliter ſequitur grave damnum, vel periculum fruſtrationis Sacramenti, vel quid ſimile; quæ non habentur in caſu noſtro: Et quamvis non poſſit Judex, juxta probabilem ſententiam, quod res ſit Titii, illam integre adjudicare Titio, ſi æque probabile eſt, quod res ſit Caji, quia tenetur juxta merita cauſæ judicare, poterit tamen privatus, & Confeſſarius in foro interno id efficere, nixi ratione probabili.

IV. Infertur quarto, quod ſi dubitans, an res ſit furtiva, emat illam animo inveniendi dominum, qui aliter facile rem ſuam eſſet amiſſurus, in tali caſu ita debeat rem, & fructus reſtituere domino, ut poſſit ab illo expenſas repetere. Ratio eſt, tum quia cum utiliter geſſerit negotium domini, æquum non eſt, ut damnetur in amiſſione pretii, tum etiam quia non rem, ſed ejus cuſtodiam accepit. Ita communiter cum Lugo diſp. 17. Palao, Diana par. 4. tract. 3. reſol. 3. Quod ſi dominus non compareat, res quæ pro ratione dubii reſtituenda erat domino, juxta communiorem opinionem reſtitui debet pauperibus, vel juxta probabilem opinionem, de qua diximus, poterit ab ipſomet poſſidente retineri. Ubi notandum, conſtare debere domino, quod talis emptor intenderit utiliter ejus negotium agere, ut teneatur pretium ſolutum compenſare. Imo ſi pretium ſolutum eſſet, aut excedens valorem rei, aut æquale, tenebitur duntaxat ad id, quod prudentis judicio unuſquiſque ſolveret ad rem ſuam e tali periculo recuperandam, ut notat Franciſcus Lugo quæſt. 8. Ipſe vero emptor, ſi bona fide rem emit æquali, aut etiam majori pretio, quam valet, poterit in conſcientia integrum pretium ſolutum petere, cum non debeat pœnam, & damnum pati, ubi nulla culpa præceſſit, ut notant Vaſquez, & Leſſius contra Lugo, qui putat, non poſſe integrum pretium ſolutum petere, ſi valorem rei excedat, eo quod non videatur obligatus dominus ad redimendam rem ſuam pretium exceſſivum ſolvere, quamvis ex errore emptoris ſolutum: Quod tunc verum eſt, quando conſtat, non ſolum cum errore, ſed etiam imprudenter ſolutum eſſe pretium excedens.

V. Infertur quinto, quod ſi quis vel dono, vel titulo hæreditario accepit, vel emit rem a poſſeſſore bonæ fidei dubitans, an res illa ſit aliena, vel furtiva, & facta diligentia non poſſit dubium vincere, poterit rem illam accipere, & integre retinere. Ratio eſt, quia hic ſuccedit in jure illius, qui bona fide rem poſſidebat, & cujus conditio in dubio erat melior; unde ſicut ſi tale dubium nunc ſuboriretur in illo, ad nullam reſtitutionem teneretur, quia non redderet illum malæ fidei poſſeſſorem, poſito quod cœperit poſſidere bona fide; ita ſi dubium ſuboriatur in iſto, qui nunc incipit rem poſſidere, neque redditur malæ fidei poſſeſſor, eo quod ad illius poſſeſſionem ſuccedat, ut diximus articulo primo, ex Sanch. l. 2. diſp. 41. & Mol. diſp. 36. & diſp. 723.: Qui proinde docent, quod licet emi non poſſint Mancipia ab aſportantibus, in dubio, quod injuſte ad ſervitutem redacta ſint, quia poſſeſſio ſtat pro libertate Mancipiorum; At ſi bona fide Titius emit illa ab aſportantibus, poterit Cajus deinde licite illa emere a Titio, ſi facta diligentia non conſtet eſſe facta injuſte; quia Cajus ſecundus emptor ſuccedit in jure Titii primi emptoris, qui bona fide illa poſſidebat: Et quamvis poſſeſſio ſtet pro libertate mancipiorum reſpectu aſportantium, non tamen reſpectu Titii, qui bona fide emit, nec reſpectu ejus, qui emendo illa a Titio ſucceſſit in jure illius.

VI. Infertur ſexto, quod ſi rumor ſit, aut vehemens ſuſpicio, Cajum multa vendere furtiva, quamvis non detur ratio dubitandi, an hæc res in particulari, quam vult vendere, ſit furto ſublata, non poteris rem illam emere, donec tibi conſtiterit, non eſſe furtivam. Ita Sanch. l. c. Mol. diſp. 35. Franc. Lug. quæſt. 8. Ratio eſt, quia aliter ſubitur periculum emendi rem alienam ortum ex illa ſuſpicione vehementi. Quare ſi emas rem aliquam cum tali dubia fide, teneris partem illius pro qualitate dubii provenientis ex rumore reſtituere. Quod tamen limitat Palaus tr. 1. diſp. 3. punct. 3., ut ſolum procedat, quando rationes efficaces convincerent venditorem vendere rem furtivam, non vero quando ſunt ſolum dubiæ; tunc enim debemus deponere dubium, & judicare illum rite vendere, quia in dubiis nemo creditur commiſiſſe delictum, & nemo præſumitur malus, niſi probetur, ex leg. *Jur.*, & ex leg. *Merito ff. de Socio.*

Hinc Molina diſp. 723. colligit, an cogendi ſint a Confeſſario ad reſtitutionem pœnitentes, qui emerunt res aliquas a mancipiis, & a filiis familias, & ab aliis ſuſpectis perſonis, quando non ſunt veriſimiles conjecturæ, id, quod vendunt, eſſe ipſorum, aut eſſe de voluntate dominorum? Reſpondetque attenta qualitate Perſonæ, quoad ſimplicitatem, & quoad perſpicacitatem ingenii definiendum eſſe, num ea emerit, vel acceperit bona fide & cum ignorantia invincibili excuſante a culpa Theologica: etenim ſi Pœnitens bona fide ea emit, vel

vel accepit, tanquam possessor bonæ fidei, potest retinere, si facta inquisitione veritatis non constet, res esse furtivas: Quod si ex ignorantia crassa, & culpabili præsumatur, id factum esse a Pœnitente, qui non sit admodum timoratæ conscientiæ, nec admodum rudis, ut de hoc non dubitarit, tunc certe obligandus est ad restitutionem pro dubii qualitate; quia cœpit rem possidere dubia fide.

VII. Infertur ultimo resolutio frequentissimi casus, an liceat emere a sartoribus fragmenta vestium, de quibus probabiliter dubitatur, quod sint furtiva? Idemque quæritur de Serico, Lana, & similibus, quæ vendi solent a textoribus clanculum, & a mulieribus, quæ alienum sericum, aut lanam texunt, solentque dominos fraudare, ponendo in loco humido telas sericas vel immittendo in iis mel, ut Institori reddant sericum in debito pondere.

Sanchez lib. 1. consil. c. 7. dub. 1. docet, fragmenta vestium modica, quæ a dominis haberi solent pro derelictis, emi posse; sicut possunt sine onere restitutionis colligi botri, qui post vindemiam reperiuntur in vinea, & habentur pro derelictis: Contra vero fragmenta magni valoris non posse nos emere ab officialibus, & famulis sartorum, nisi moraliter constet, quod non sint furtiva; quia hujusmodi famuli solent justum pretium a magistris habere, unde non possunt ea fragmenta in compensationem aliquam retinere: Posse tamen ea nos emere ab ipsis magistris, seu sartoribus immediate, putat Sanchez; quia illis communiter non solvitur justum pretium pro labore, ut proinde possint ea fragmenta in compensationem retinere; Additque ita etiam sibi respondisse doctum magistrum a se consultum.

Huic tamen doctrinæ non acquiescunt Rebell. p. 2. lib. 14. quæst. 3. & alii apud Dianam p. 4. tr. 4. res. 176. Fundatur enim in falso supposito, quod scilicet non soleat justum pretium solvi sartoribus a dominis. Fatetur Sanch. loc. cit., multos sartores timoratæ conscientiæ id sibi affirmasse; quod si verum esset, certe doctrina laudata haberet suum fundamentum; id tamen falsum esse, ex eo constare poterit, quod damnata sit ab Innoc. XI. Propositio 37. dicens, *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt*. Hujusmodi enim famuli (& eadem est ratio de sartoribus, & aliis similibus) non facile excusantur a furto, quando nulla vi, aut fraude coacti fuerunt ad serviendum; quia, ut notat Soto lib. 5. qu. 3. art. 3., si stipendium, seu pretium sine vi, aut fraude constitutum attingit infimum pretium justum, non datur locus compensationi: Si vero non attingit, aut id non clare constat, (ut plerumque evenit) tunc a peccato furti non excusantur, juxta illud Apostoli, *Quod non est ex fide, peccatum est*; aut afferunt id clare constare, & advertant oportet, illud servitium non esse dignum majori pretio, per hoc præcise, quod præstetur majori fidelitate, benevolentia, ac diligentia, qua ex vi contractus famulus servire teneatur; quia hinc gratitudo tantum debetur, non vero aliquid pretio æstimabile dandum ex justitia, quando sub justo pretio, licet infimo, contraxerunt. Adde, quod famulus, dum init contractum de serviendo v. g. pro decem carolenis, (quod pretium deinde putat esse minus justo infimo) vel præsto habet alios dominos, cum quibus contrahat pro pretio majori, vel non habet: Non potest dicere, quod habeat, quia contraheret potius cum illis; Si vero non habet, jam pretium famulatus justum decrescit ex paucitate conductorum; sicut decrescit pretium mercium ultronearum ex paucitate emptorum: atque adeo raro accidit constare famulis, pretium conventum esse minus justo infimo.

Dices: Sartores non solent convenire cum dominis, sed post servitium, idcirco dicunt acquiescere pretio oblato, v. g. decem aureorum, cum mereantur duodecim, quia præoccuparunt fragmenta vestium, quibus compensent pretium justum, quod alioqui non possent extorquere.

Sed contra est, quia universim non videtur adesse hic rationabilis timor, quod nolint domini pretium justum saltem infimum solvere, ut possint proinde sartores anticipatam facere compensationem, atque adeo dum passim usurpant sibi fragmenta, furtive usurpant, unde non licet ea emere, donec constet, quod non sint furtiva. Adde, quod facientes hujusmodi anticipatam compensationem, ne subsint periculo non recuperandi pretium justum, raro restituunt, quod surripuerunt, ubi vere justum pretium acceperint. Præsertim quia de pretio justo infimo, ad quod dumtaxat tenetur dominus, contenti non sunt, sed compensationem facere sibi volunt, usque ad pretium summum proprio arbitrio statuendum; contra rationem autem est, & contra justitiam, quod dominus teneatur talem pretii taxam subire invitus.

Non negaverim tamen cum Diana, probabilem esse doctrinam Sanchez, si alicubi sartores rationabiliter crederent justum pretium sibi denegandum, unde possent anticipato compensare, retinendo fragmenta: Et absolute censeo, a sartoribus, quos constat esse timoratæ conscientiæ, posse hujusmodi fragmenta emi. Ratio est, quia ut plurimum bona fide ea possident, atque adeo possunt ab illis emi; sicut supra diximus in calce articuli secundi, posse Æthiopes emi ab iis, qui bona fide ab asportantibus emerunt, non vero ab ipsis asportantibus, de quibus prudenter dubitatur, quod injuste in servitutem illos redegerint. Vide, quæ fusius hac in re habentur in expositione illius thesis 37. ab Innoc. XI. proscriptæ.

ARTICULUS VI.

Utrum prævaleat possessio cooperantis ad damnum in dubio, an ex propria cooperatione damnum sequutum sit?

I. *Exponitur status quæsiti.*
II. *Non leves rationes stant pro parte negativa.*
III. *Validiores tamen pro sententia affirmativa.*
IV. *Putant alii, restitutionem fieri posse partialiter pro quantitate dubii.*
V. *Quoties dubium est vel de consilio dato, vel de damno secuto, non videtur consulens ad restitutionem obligandus.*
VI. *Si tamen constet de consilio, & de damno, & solum dubitetur, an consilium influxerit, datur onus restitutionis, nisi validæ conjecturæ suadeant, consilium non influxisse in damnum.*
VII. *Sin dubium dumtaxat sit, num consilium influxerit ad citius exequendum delictum, non tamen*

quoad substantiam delicti, probabile est, non dari onus restitutionis, nisi relate ad excessum damni a consilio causati.

VIII. Ratione dubii, an consilium influxerit in damnum, nunquam restitutio facienda est partialiter; siquidem, si dubium sit negativum, integra restitutio facienda est; si vero sit positivum, nulla.

I. POnamus, Titium dedisse consilium, vel mandatum ut fieret homicidium, aut associasse, vel aliter adjuvisse homicidam, & deinde facta diligenti inquisitione dubitare, an ex tali consilio, mandato, aut auxilio homicidium secutum sit? Quæritur, an ad restitutionem teneatur? sicuti, si aliquem vulnerarit, & dubitet, num ex eo vulnere, aut aliunde ille sit mortuus?

II. Prima sententia negat cum Navarro, Henriquez, Rebello, Sà, Lessio c. 13. n. 36. & aliis apud Dianam part. 4. tract. 3. resol. 28. Fundamentum est primo, quia in dubiis, præsertim in materia justitiæ, melior est conditio possidentis, ex lege, *si ob turpem causam, ff. de Condit. ob turp. causam*; qui autem dubitat, an suo consilio, aut actione injusta fuerit causa damni nati, possidet suam libertatem, & pecuniam, qua non est spoliandus, nisi moraliter constet a se damnum fuisse efficaciter irrogatum; Tenetur quidem consiliator, aut palpo ad restitutionem, si probabiliter existimare posset ex hujusmodi causis secutam esse injustam acceptionem, ut docet D. Thomas 2. 2. qu. 61. art. 7.; at in dubiis præsumendum est, secutum esse solum ex prava voluntate nocentis; atque adeo consiliator, aut palpo ad restitutionem in dubio non tenetur. Probatur secundo, quia obligatio ad restituendum est odiosa; odia autem sunt restringenda, non extendenda, ex cap. *Odia de regulis juris in sexto*; ergo in dubio adducto non datur onus restitutionis. Tertio, quia in pari causa reus absolvitur in foro externo, ex *cap. ult. de adulteriis*: ergo etiam in foro interno. Quarto, quia in hoc dubio non valet arguere ab irregularitate ad restitutionem, quia datur speciale jus statuens, quod in dubio homicidii homo in utroque foro habendus sit tanquam irregularis. Demum est ratio a priori ex Palao disp. 3. p. 4., quia æquum non est quempiam obligare ad certam satisfactionem exhibendam, quando non est certum, quod damnum intulerit; sicuti non est æquum dare alicui pœnam certam pro delicto incerto; quia exponere se periculo puniendi innocentem est iniquum, non minus quam punire innocentem.

III. Secunda tamen sententia longe communior, & probabilior cum Sanchez lib. 2. disp. 4. Molina disp. 376. Arriaga disp. 26. Fagundez lib. 2. decalogi cap. 10., & eodem Lessio apertius explicante mentem suam cap. 27. n. 13. docet, hujusmodi consulentem, aut adjuvantem ad restitutionem teneri, quoties non constat suum consilium nullatenus ad actionem injustam concurrisse. Probatur primo ex Lessio, quia in dubio nemo præsumitur delictum commissurus, ex lege *Merito ff. pro socio*: ergo non debet præsumi, quod homicida, vel fur fuisset delictum commissurus, nisi tuum consilium, aut adjutorium extaret: ergo in dubio consiliator tenetur restituere. Probatur secundo a Joanne Lugo, quia in hoc dubio possessio non stat pro consulente, sed contra consulentem; Constat quippe, ut supponimus, de consilio dato, vel de injusta cooperatione apta de se ad damnum causandum; constat pariter de damno secuto: ergo consulens, aut adjuvans censendus est damnum causasse, nisi constet oppositum, ut docet Baldus in leg. *Data opera* Cod. *Qui accusare non possunt*; aliique Juristæ.

Confirmatur primo, quia pro illo stat possessio, pro quo stat præsumptio, ut explicabimus quæstione sequenti; pro illa autem parte stat præsumptio, quæ onus probandi transferre potest in alteram partem; atqui in casu nostro onus probandi, quod consilium non influxerit in damnum, transfertur in consulentem; ita ut succumbere debeat, si non probaverit, ut communiter docent Juristæ, cum Farinac., & Baldo, apud Sanch. loc. cit. ergo præsumptio, & possessio non stant pro consulente, sed contra ipsum.

Confirmatur secundo, quia in foro externo propter rationes adductas consulens damnaretur ad restitutionem principali inhabili ad restituendum, quod nemo negat. Ergo etiam in foro interno; siquidem idem est in utroque foro judicium, quoties forum externum non nititur in præsumptione falsa, seu quoties in foro conscientiæ non constat, quod veritas præsumptioni juris sit contraria.

IV. Tertia sententia est Molinæ disp. 736. & Dianæ part. 4. tract. 3. res. 28. putantium hujusmodi consulentem, aut adjuvantem non teneri ad integram restitutionem, sed ad partem pro quantitate dubii; sicut ille, qui emit rem, dubitans, an esset vendentis, & furtiva, & post moralem diligentiam non potest dubium vincere, tenetur dumtaxat partem restituere pro quantitate dubii, ut ostendit idem Mol. disp. 723., & tenet Sanch. l. 2. disp. 21. n. 23. His positis,

V. Dico primo: Si dubium est, an datum sit consilium, vel si constat de consilio, & dubitatur, an damnum aliquod secutum sit, nullatenus tenetur hujusmodi consulens ad restitutionem. Ita communiter apud Sanch. lib. 1. c. 10. Ratio est, quia in hoc utroque casu possessio stat pro libertate, seu pro consulente; quia in dubio nemo præsumitur deliquisse, nec damnum secutum præsumendum est: Quare nisi detur fortior præsumptio pro delicto, seu pro consilio dato, ac pro damno secuto, non habebitur præsumptio contra consule tem, ita ut hic cogatur restituere.

VI. Dico secundo: Si constet de consilio dato, & de damno sequuto, dubitetur tamen, an consilium influxerit in damnum, tunc, si morales conjecturæ, & rationes validæ suadeant alterum sine tuo consilio adhuc nociturum, (v. gr. quia erat hostis capitalis, & omnia jam paraverat ad damnum inferendum) probabile est consulentem ad nullam restitutionem obligari. Ita Palaus tract. 1. disp. 3. punct. 4., uterque Sanch., & alii apud Joan. Lugo, quæst. 9.

Ratio est, quia istæ validæ conjecturæ, & rationes elidunt præsumptionem in contrarium; præsumptio enim habetur ex communiter contingentibus, non contingit autem communiter, quod hujusmodi consilium influat, quando sunt validæ rationes pro non influxu; adeoque non habetur præsumptio pro delicto contra consulentem. Quare solum remanet dubium, an consilium fuerit causa efficax damni; in dubio autem standum pro indemnitate consulentis, seu pro possidente pecuniam, & libertatem suam; cum non sit æquum obligare

aliquem

aliquem ad certam restitutionem, quando non est certum quod ille damnum intulerit. Quod optime confirmatur rationibus pro prima sententia adductis.

Neque dicas, posse hunc damnari ad restitutionem pro quantitate dubii, juxta tertiam sententiam Molinæ, cum dubium oriatur post actionem injustam certo positam.

Nam contra est, quia quando constat de consilio injusto dato, & dubitatur, an sit damnum sequutum, conveniunt Doctores, ut diximus in prima conclusione, nullatenus dari obligationem restitutionis, ne partialis quidem. Ergo neque in hoc secundo casu, si scilicet constet tum de consilio, tum de damno sequuto, & dentur rationes validæ, quod consilium non influxerit; cum eadem sit ratio utrobique.

Putat quidem Henriq. l. 14. c. 16. sufficere quod homicida dicat se independenter a consilio damnum intulisse, ut illi sit credendum. Sanch. tamen, & Palaus merito contradicunt, nisi esset ita fide dignus, aut tales conjecturæ concurrerent, ut prudenter illi fides adhibeatur.

Dico tertio: Si constet de consilio dato, ac de damno sequuto, & negative dubitetur, an consilium influxerit, datur obligatio integre restituendi; Hoc efficaciter probatur argumentis adductis pro secunda sententia; præsertim quia in foro externo obligaretur consulens ad restitutionem; ergo etiam in foro interno; idem quippe est utriusque fori judicium, quoties non constat quod veritas præsumptioni juris sit contraria.

VII. Dico ultimo: Si certo constet, furem, vel homicidam quoad substantiam delicti non fuisse permotum a consilio, & solum dubitetur, aut etiam constet, quod consilium influxerit ad citius, vel expeditius exequendum delictum, probabile est, consulentem ad restitutionem non teneri. Ita D. Th. 2. 2. q. 62. art. 7. Less. c. 16. n. 6. Laym. Dian. p. 3. tr. 5. res. 84. contra Vasq. Sot. Mol. disp. 736. Ratio est, quia consulens non fuit causa efficax, ut damnum absolute, & quoad substantiam inferatur; siquidem alter etiam sine consilio erat damnum illaturus, & secundum moralem æstimationem parvi refert, seu etiam nihil ad illationem damni, quod prima potius, quam secunda diei hora, v. g. patretur delictum, si sine dubio patrandum erat. Explicat hoc exemplo doctrinam istam Joseph de Augustino: Si segetes v. g. inimici tui conflagrarent sine spe auxilii, & tu ex odio flammas adderes, ut citius comburantur, peccares certe, sed non tenereris ad restitutionem, quia non inferres novum damnum notabile: Ita prorsus in casu nostro. Et propterea Laym. Lug. Dicast. apud Tambur. lib. 8. tr. 4. c. 2. §. 2. excusant etiam ab irregularitate consulentem homicidium, si suo consilio concurrat tantum ad modum, non ad substantiam delicti; eo quod alter jam erat determinatus ad ponendum homicidium.

Dices: De facto consulens fuit causa damni eo modo, quo factum est; ergo de facto ad restitutionem tenetur.

Confirmatur, si duo æque furentur, aut alium occidant, æque ad restitutionem tenentur, quamvis alter sine altero esset illaturus damnum: ergo pariter consulens ad restitutionem tenetur, si aliquatenus ad damnum concurrat, quamvis alter etiam sine tali consilio esset damnum irrogaturus. Respondeo non sufficere ad obligationem restitutionis inducendam, quod ad damnum concurratur tantum quoad modum, si substantia damni erat inferenda, quia talis concursus revera damnum notabile non causat. Si tamen suasio fuisset causa damni majoris, quam esset alioqui inferendum, dabitur certe obligatio restituendi excessum damni.

Ad confirmationem, nego consequentiam; quando æque duo concurrunt ad damnum inferendum, non est major ratio, cur unus, & non alter ad restitutionem teneatur, & iniquum est utrumque eximere ab obligatione; At in casu nostro, cum suasio supponat substantiam damni inferendam, & tantum concurrat ad modum, qui in morali æstimatione non est graviter damnificativus, non debet consulens ad restitutionem obligari.

VIII. Ex quibus colliges, amplectendam esse secundam sententiam, quod scilicet teneatur ad restitutionem consulens, & adjuvans in casu, quo certus sit de consilio dato, aut de injusta cooperatione, necnon de damno sequuto, incertus tamen negative sit, num suo consilio, aut cooperatione damnum intulerit: Contra vero si dubium sit positivum, an consilium influxerit, seu probabile sit propter validas rationes, quod non influxerit, amplectendam primam sententiam, quod ad restitutionem non teneatur: In neutro tamen casu amplectenda videtur tertia sententia, quod scilicet ad partialem restitutionem teneatur; quia si dubium sit negativum, stat in possessione præceptum restituendi ortum ex consilio dato, & ideo totaliter restituendum; Si vero dubium sit positivum, stat in possessione libertas; & ideo ne partialiter quidem restituendum. In casu autem adducto a Molina de emente rem cum dubio, an sit aliena, neque est in possessione libertas, neque præceptum restituendi, & ideo pro ratione dubii facienda est partialis restitutio, quæ omnia æque militant pro utroque foro.

ARTICULUS ULTIMUS.

Plurimæ celebres quæstiones ex dictis resolvuntur.

I. Non datur onus restitutionis, si dubitetur, an ex propria culpa perierit res deposita, vel commodata, aut locata?

II. Quænam culpa juridice requiratur pro foro externo, & quænam theologica pro foro interno, ut detur hac in re onus restitutionis.

III. Probabiliter culpa interne gravis, sed externe levis, a qua damnum causatur, non fert obligationem restituendi: Sicut nec trahit irregularitatem, censuram, aut reservationem.

IV. Quid si tam debitor, quam creditor dubitent, an debito satisfactum sit? Num iterata solutio saltem partialis facienda erit.

V. Si Solus debitor dubitet, integra iterata solutio facienda est.

VI. Probabiliter etiam integre iterato solvendum est debitum, si non solum debitor, sed etiam creditor negative dubitent de priori solutione.

VII. Quod si dubium sit positivum, probabile est quod ad iteratam solutionem debitor non obligetur.

VIII. Quomodo solutio probabilis coæquetur debito certo?

IX. Qui homicidium suasit, dubitat tamen, an consilium

lium ad homicidam pervenerit, aut an homicidium secutum sit, probabiliter irregularitatem non incurrit.

X. *Incurritur tamen, si solum dubitetur negative, an ex tali consilio secutum sit homicidium: Imo probabiliter incurritur, etiamsi tale dubium sit positivum.*

XI. *Num ad restitutionem teneatur, qui suo suffragio cooperatus est ad damnum alterius, etiamsi circumscripto tali suffragio idem damnum secuturum fuisset?*

XII. *Si Suffragia fuerint secreta, omnes tenentur in solidum; Si vero publica, ii dumtaxat, qui sententiam injustam irrevocabiliter concluserunt.*

I. INfertur itaque ex hactenus dictis resolutio celebris illius quæstionis, An depositarius, & commodatarius ad restitutionem obligentur, si dubitent, an res deposita, vel commodata propria culpa perierit? Quidam apud Dian. part. 4. tr. 4. ref. 30. putant teneri, quia verus Dominus in eo dubio non est privandus re sua, vel valore æquivalente: Quod speciali titulo dicendum esse de commodatario, putat Merolla, quia in dubio, an res perierit culpa commodatarii, potius pati debet damnum commodatarius, qui beneficium accepit, quam Dominus, qui contulit.

Sed communiter cum Less. Rebell. Jo: Lug. qu. 4. negant; quia cum delictum non præsumatur, nisi sufficienter probetur, tam depositarius, quam commodatarius in eo dubio sunt in possessione innocentiæ suæ, ut habetur leg. *Merito ff. de Socio.* Tunc ad restitutionem tenerentur, quando certo constaret, aliquid culpabiliter omisisse, vel commisisse, unde facile posset res perire, & solum dubium esset, an ex culpabili omissione, vel actione orta fuisset rei destructio: Præsumendum enim esset contra depositarium, & commodatarium; sicuti præsumendum est contra consulentem, si constet de consilio injusto, & dubitetur, an influxerit in damnum sequutum.

II. Verum tamen est, quod in foro exteriori, si solum perierit res deposita, & incolumes maneant res depositarii, præsumitur dolus, & delictum, ex cap. *Abbas de deposito*, donec probetur, depositarium non potuisse servare cum rebus suis etiam res depositas, quamvis viliores; v. g. ab incendio, vel naufragio, aut incursione Latronum. Præterea in foro externo ut Judex condemnet depositarium ad restitutionem, probari debet, ortam esse rei destructionem ex culpa juridica lata ab ipso commissa, quia talis contractus est in bonum deponentis: Ut vero damnet commodatarium, satis est, si probetur, ortam esse rei destructionem ex culpa juridica levissima, quia talis contractus est in bonum ipsiusmet commodatarii: ut demum Judex damnet locatarium, seu conductorem, satis est, si probetur, destructionem rei ortam esse ex culpa juridica levi, quia talis contractus est in bonum utriusque, videlicet locantis, & locatarii. Ratio horum omnium est, quia in his casibus forum externum præsumit dolum, & culpam Theologicam: In foro autem interno nulla datur obligatio restitutionis, etiam posita culpa juridica latissima, si nulla adsit culpa Theologica gravis, v. g. si ex oblivione, & inadvertentia inculpabili, aut leviter tantum culpabili omissa sit debita diligentia. Ita communius cum Less. c. 7. n. 43. Henriquez, & aliis contra Nav. Mol. disp. 293., Azor. tom. 3. l. 7. c. 7. Ratio est, quia in foro interno nulla debet dari pœna gravis, qualis est obligatio restituendi rem notabilem, ubi non præcessit in eodem foro culpa gravis. In eo autem differunt in foro conscientiæ contractus Commodati, Depositi, & Locati, quod voluntarie committere culpam levissimam juridicam in contractu commodati, qui est in bonum accipientis, sit peccatum mortale: At in contractu depositi, qui est in bonum deponentis, non committitur peccatum mortale, nisi per voluntariam culpam juridicam latam: Et in contractu locati, vel pignoris, qui est in bonum utriusque, committitur peccatum mortale per voluntariam culpam juridicam levem; non tamen per levissimam.

III. Dubitatur hic, An culpa contra justitiam interne gravis, sed externe levis pariat in foro conscientiæ obligationem restitutionis? V. gr. si quis ab Avaro furetur carolenum eo animo, ut præ dolore pereat, aut Judex ex odio gravi damnet reum peccando venialiter in adhibenda diligentia, ne injuste ille damnetur; aut si quis ponat venenum in loco remoto a convictu hominum, eo tamen animo, ut si forte inimicus illud sumat, moriatur? Lug. disp. 8. sect. 6., aliique putant, dari in hoc casu obligationem restitutionis, quia damnum sequitur ex actione injusta graviter peccaminosa.

Sed probabiliter negat Lessius cap. 9. n. 113. Sanchez, & alii apud Tambur. l. 8. tr. 3. cap. 2. Ratio est, quia sola actio interna contra justitiam gravis nullam parit obligationem restitutionis, nec trahit irregularitatem; ut si quis cupiat occisionem inimici: ergo neque actio interne gravis, seu mortaliter peccaminosa, si externe sit levis, seu quæ de se, & ut plurimum conjungitur cum culpa solum veniali, ut in casibus adductis. Probatur consequentia, quia non datur obligatio restitutionis, nisi quando actio externa de se est causa damni gravis, non vero quando per accidens; aliter etiam quando quis fortuito aliquem occidit, teneretur ad restitutionem: Actio autem damnificativa externe levis non est per se causa damni gravis, ut patet: ergo si per accidens inducat damnum grave, non datur obligatio restitutionis: propterea consequenter putat Tambur., quod sequuto homicidio ex tali culpa, nec incurratur irregularitas, aut censura, aut reservatio; Quamvis posset superior expresse talem casum sibi reservare, etiam sub censura, & imponere pro illo irregularitatem, cum peccatum mortale sufficienter transeat in actionem externam.

Confirmatur ex Less. l. c., quia intentio prava non facit, quod opus sit injustum, si de se non sit tale; unde si Judex juste damnet reum, non tamen ex affectu justitiæ, sed ex odio personæ, ista intentio prava non reddit occisionem injustam: Sed hujusmodi actiones externæ de se non damnificativæ graviter non sunt de se graviter injustæ: Ergo ex intentione prava interna non evadunt injustæ graviter; atqui quoties actio externa non est graviter injusta, non parit obligationem restitutionis sub gravi: Ergo, ut supra.

IV. Infertur II. resolutio alterius gravis quæstionis, An scilicet teneatur integre restituere certus de debito, in dubio, an satisfecerit? Laym. l. 1. tr. 1. cap. 5. cum Dian. part. 4. tr. 4. ref. 32. probabile reputat, quod in hoc casu, si etiam creditor dubi-

dubitet de ſolutione, detur tantum obligatio reſtituendi partem debiti pro quantitate dubii; quia ſcilicet æquitas non patitur, ut debitor ſine culpa ſua magno periculo ſubjiciatur ſolvendi bis integrum debitum, creditor vero, qui pariter dubitat, an credito ſit ſatisfactum, nullo periculo ſit expoſitus. Imo Tannerus apud eundem Dian. putat debitorem ad nihil teneri, quando tam ipſe, quam creditor dubitant de ſolutione, ſed meliorem eſſe conditionem debitoris pecuniam ſuam poſſidentis; quia cum non ſit major ratio, cur debitor potius ſequi debeat partem tutiorem iterum ſolvendo, quam teneatur creditor ſequi partem tutiorem nihil iterum accipiendo, ſtandum pro debitore poſſidente pecuniam, & libertatem ſuam magis, quam pro creditore.

V. Dico equidem primo cum communi apud Sanch. lib. 1. cap. 10., & Suar. tom. 2. de Relig. lib. 2. c. 33., certum eſſe, quod ſi ſolus debitor dubitet, an debito ſatisfecerit, teneatur iterum integre ſatisfacere. Ratio eſt, quia in hoc dubio ſtat in poſſeſſione obligatio certo contracta, cui non ſatisfit per ſolutionem dubiam: Sic qui certo læſit famam alterius, & dubitat, an ſatisfecerit, tenetur iterum ſatisfacere: Præterea qui certo obligatur ad recitationem horarum, ad auditionem miſſæ &c. in dubio an ſatisfecerit, tenetur in omnium ſententia iterum recitare, & audire, eo quod ſtet in poſſeſſione præceptum: ergo a fortiori id verum eſt in materia juſtitiæ; non ſolum quia eſt in poſſeſſione obligatio, ſed etiam quia cum juſtitia reſpiciat æqualitatem, & debito certo non æquetur ſolutio dubia, contra juſtitiam eſt, quod immunis ſit ab obligatione ſatisfaciendi, qui dubitat, an ſatisfecerit.

Dices, ſatis eſſe, quod ſolvat partialiter pro ratione dubii, nec requiri, quod integre iterum ſatisfiat; quandoquidem neque ponitur æqualitas, ſi poſito certo debito duplex ponatur ſolutio, altera dubia, altera certa. Verum quidem eſt, quod dubitans, an miſſam audierit, an jejunaverit, non ſatisfaciat, ſi partem miſſæ audiat, quia hæc non poſſunt apte dividi, & dubio commenſurari; Secus vero, quæ debentur ex juſtitia.

Sed contra eſt, quia ſicut in foro externo ex lege, *Titiæ textores ff. de legatis*; ita in foro interno dubia ſolutio habetur pro nulla: Et ratio eſt, quia ſicut quando eſt in poſſeſſione libertas, dubium de debito non trahit obligationem ſolvendi partem debiti dubii; ita quando eſt in poſſeſſione debitum, ſi ſuperveniat dubium de ſolutione, non deobligat a ſolvendo integre; in utroque enim caſu poſſeſſio fert jus certum, contra quod nihil operatur dubium ſuperveniens, ut mox iterum explicabimus.

VI. Dico ſecundo contra Laym., & Tannerum; Non ſolum quando ſolus debitor dubitat de ſolutione, ſed etiam quando de ea dubitat creditor, probabilius eſt, integram ſolutionem eſse iterum faciendam. Ratio deducitur ex iiſdem principiis pro prima concluſione adductis; quia ſcilicet poſſeſſio ſtat pro obligatione, & poſseſsio dat jus certum, contra quod nihil operatur dubium ſuperveniens. Quare ſicut ſi Petrus bona fide poſsideat aliquid, & tam ipſe, quam tu incipiatis dubitare, num res illa, quam poſsidet, ſit ſua, an tua, non poteris illam tibi uſurpare, ne partialiter quidem; ita ſi debitum tuum ſit certum, & ſtes in poſseſsione, quamvis tam tu, quam creditor dubitetis de ſolutione facta, integre tamen teneris iterum ſolvere: hoc enim juſtitia poſtulat, ut ſicut quando poſsides tu, non noceat tibi dubium, an res ſit aliena, eo quod aliter dominià rerum non eſsent firma, & omnia ſcrupulis eſsent obnoxia; ita quando poſsidet debitum, non noceat creditori dubium, an ſatisfeceris.

VII. Dico ultimo: Si debitum eſt certum, & dubitatur poſitive de ſolutione, ſeu adeſt ratio probabilis, & prudens judicium, quod ſatisfeceris, probabilius non teneris iterum ſatisfacere; Sicut non teneris iterum horas recitare, jejunare, miſſam audire &c., ſi probabile ſit, quod ſatisfeceris, aut ſi certo ſatisfeceris ſecundum opinionem probabilem de validitate actus, puta ſi recitaveris horas cum attentione tantum externa, quæ probabiliter ſatis eſt in recitatione horarum. Ita Laym., Boſs. contra Lug. d. 16. §. 3., qui probabilem etiam putat ſententiam oppoſitam, quod ſcilicet in debito ex juſtitia non ſatis ſit probabilitas, quod ſatisfeceris, eo quod non videatur ſervari æqualitas, dando pro re certa rem incertam, & probabilem; & quia talis videtur eſse intentio contrahentium, ut pro mercibus certis recipiant pecuniam certam, non ſolutionem probabilem; Quod pariter docet Coninch. de Sacr. diſp. 7. n. 68.

Ratio concluſionis a priori eſt, quia in moralibus (cum ſæpe certitudo haberi non poſsit, nec in talibus conſcientias nimis gravari oporteat) ad licite operandum ſatis eſt univerſim opinio probabilis; adeoque qui prudenter putat, ſe obligationi ſive ex juſtitia, ſive ex alia virtute ſatisfeciſse, non tenetur iterum ſatisfacere.

VIII. Ad rationem in contrarium adductam a Lugo, nego non ſervari æqualitatem, dum pro debito certo datur ſolutio probabilis, aut pro merce certa pecunia probabilis; tum quia in moralibus probabilitas æquivalet certitudini; tum etiam quia uterque contrahentium æque in hoc gravatur, quod univerſim ſuæ obligationi ex juſtitia per ſolutionem probabilem ſatisfaciat.

Dices; Si res poſsideatur a Petro, & probabile ſit, quod ſit tua, non poteris illam tibi uſurpare, ut diximus articulo primo; ergo ſi ſtet in poſseſſione obligatio, & probabile ſit, quod ſatisfeceris, neque eris immunis ab obligatione ſatisfaciendi; hoc enim æquitas poſtulat, ut ſicut poſsidenti rem bona fide non obſtat probabilitas, quod res non ſit ſua, ita quando ſtat debitum in poſseſsione, non obſtet probabilitas, quod illi ſit ſatisfactum.

Reſpondeo nego conſequentiam; diſparitas eſt, quia in primo caſu poſsidetur res; in ſecundo jus ad rem ab alio poſseſsam. Quando poſsidetur res ab aliquo, non ſatis eſt probabilitas, ſed requiritur certitudo, quod res ſit tua, ut poſsis illam tibi uſurpare, propter rationes adductas in eodem articulo primo, quia ſcilicet daretur aliter anſa furtis, turbaretur pax publica &c. & propterea damnata eſt ab Innoc. XI. prop. 37., quod ſcilicet Famuli poſsint occulte aliquid ab heris ſubripere, propter probabilitatem, quam habent, quod ſalarium non ſit juſtum: At quando creditor poſsidet creditum, tunc ſolum poſsidet jus ad rem a debitore poſseſsam; ergo ut iterum debitor teneatur ſolvere, & ſpoliari re poſseſsa, requiritur certitudo debiti: Quando autem probabile eſt, quod ſatisfecerit, non habetur certitudo debiti; unde

per probabilem satisfactionem satisfit debito certo.

IX. Infertur tertio, quid dicendum, Utrum irregularitatem incurrat, qui suasit homicidium, & dubitat, an ex suo consilio illud sequutum sit?

Dicendum enim primo cum Sanchez lib. 1. cap. 12.; quod si non constet aut de consilio, aut de homicidio sequuto, irregularitas non incurratur. Ratio est, quia stat in possessione innocentia, & immunitas ab irregularitate. Neque obstat, quod in cap. *Significasti* imponatur irregularitas pro homicidio, etiam in dubio facti; Nam ibi non est sermo, quando dubium est, an posita sit actio injusta, aut an secutum sit homicidium, sed solum quando certo constat de actione injusta posita, & de homicidio secuto, & solum dubitatur, an homicidium secutum sit ex illa actione injusta: Adeoque in dubio de consilio, aut de homicidio secuto, cum stet in possessione libertas, & innocentia, non incurritur irregularitas.

X. Dicendum secundo cum Lug. q. 9. Sayro, Joa. Sanch., probabiliter incurri irregularitatem, si constet de homicidio secuto post consilium datum; idque non solum si negative, sed etiam si positive dubitetur, an homicidium sequutum sit ex tuo consilio; Quod incurratur irregularitas, si hujusmodi dubium sit negativum, constat ex cap. laudato *Significasti*; quod probabiliter incurratur, si hujusmodi dubium sit positivum, seu si rationes validæ ostendant, consilium non influxisse in homicidium; (in quo casu ad restitutionem ex dictis non obligaris) ratio est, quia in cap. *Significasti*, imponitur irregularitas universim in dubio facti homicidii; nec est ratio, cur ista pœna limitanda sit solum ad dubium facti negativum, & non extendatur etiam ad dubium positivum; cum in utroque casu præsupponatur culpa gravis, cui imponi possit irregularitas, & lex loquatur indefinite.

XI. Infertur demum decisio illius quæstionis, An teneatur ad restitutionem, qui suo suffragio cooperatur ad damnum alterius, v. g. ad sententiam injustam, ad amittendum Officium, Beneficium, Cathedram, vel ad impositionem gabellæ injustæ &c., quando etiam secluso tali suffragio ferretur sententia injusta ex eo, quod reliqua suffragia satis sint ad sententiam ferendam?

Respondeo, quod si sententia injusta a prioribus suffragiis publicis sit conclusa, & tuum superveniens non possit illam impedire, quamvis pecces contra justitiam addendo tuum suffragium injustum, tamen probabiliter non teneris ad restitutionem, ut docet Laym., Less. l. 2. cap. 13. dub. 3., & alii apud Dian. part. 1. tract. 3. resol. 16. & 30.: Sicuti, ut diximus, non tenetur ad restitutionem qui ex odio addit flammas segetibus alienis omnino conflagrandis. Ratio est, quia in priori ad tuam cooperationem præsupponitur jam determinata causa damni; atque adeo tua cooperatio est omnino inefficax. Quod si suffragia priora essent revocabilia, procul dubio ad restitutionem tenereris; Sicut etiam si suffragium tuum esset ex primis, quamvis certo scias ex sequentibus suffragiis iniquis sententiam injustam esse concludendam, ut communiter docent contra Salonium apud eundem Dianam. Etenim qui primus suffragium tulit, posuit efficacem causam damni, & positive contulit ad læsionem; Non secus ac si quis primus vulneret Petrum certo sciens, quod a sociis sit confodiendus; hic enim vere homicida est, & tenetur ad restitutionem.

XII. Si tamen suffragia fuerint secreta, & incertum tibi sit, Utrum tuum suffragium iniquum fuerit ex non necessariis ad concludendum ultimo loco datum? Prima sententia est Rebelli, Sayri, Henriquez, Gran. apud Lug. disp. 19. sect. 2., qui deobligant omnes a restituendo, quia singuli sunt in certa possessione suæ pecuniæ, quam non tenentur alteri tradere, nisi obligatio sit luce meridiana clarior; cum autem incertum sit, an suffragium cujuslibet fuerit ex primis, nemo certitudinem habet, quod damnum irrogaverit; atque adeo non tenetur ad restitutionem. Secunda sententia est Molinæ, & Lugo obligantium quidem omnes, non tamen ad totum in solidum, sed solum ad partem pro ratione dubii. Tertia demum, quam sequimur, est Navarr., Bonac. disp. 1. quæst. 2. p. 8. apud Tamb. 1. lib. cap. 3. §. 7. verbo *suffragium*, existimantium, omnes, qui suffragium tulerunt, teneri ad restitutionem in solidum. Ratio ex dictis est, tum quia possessio stat pro damno, quod constat illatum esse, tum etiam quia in foro externo judicaretur contra singulos: Ergo etiam in foro interno, cum externum non nitatur in tali casu in falsa præsumptione; Ac demum, quia omnes conflant unam causam adæquatam: Sicuti si centum trahant navim, quamvis nonaginta sufficerent, omnes tamen illam trahunt; & ideo omnes ad restitutionem tenentur in solidum.

Dices: Adulter non tenetur alere filium adulteræ in dubio, num ille sit filius suus, an sui patris: Imo neque tenetur ad medietatem alimentorum, per hoc præcise, quia in dubiis melior est conditio Possidentis; ergo neque in casu nostro.

Respondeo nego consequentiam: Nam in primo casu possessio stat pro libertate, cum dubitetur, an ullum damnum sit secutum ex adulterio: in secundo vero casu possessio stat pro delicto; certum enim est, quod damnum secutum sit, & solum dubitatur a quibusnam suffragiis sit secutum: ut si duo jaciant suam sagittam ad occidendum Petrum, quamvis neuter sciat, an a sua sagitta sit occisus, uterque tamen ad restitutionem tenetur in solidum.

QUÆSTIO III.

Utrum in dubio prævaleat poſſeſſio etiam in materia aliarum virtutum a Juſtitia?

OStendimus hactenus, in materia Juſtitiæ meliorem eſſe ſemper in dubio conditionem poſſidentis, adeo ut bona fide poſſidens rem, aut jus aliquod non poſſit ab iis deturbari per dubium ſuperveniens, neque in foro interno, neque in externo. Inquirendum nunc, an etiam in materia aliarum virtutum hoc axioma habeat locum, & quænam regulæ haberi poſſint ad dignoſcendum, num poſſeſſio hic, & nunc ſtet pro libertate, an pro obligatione: In ſequentibus vero quæſtionibus oſtendendum in particulari percurrendo materias præſtantiores, quomodo ex hoc principio, & ex hujuſmodi regulis dubia omnia reſolvenda ſint.

ARTICULUS I.

An in omni materia potior ſit in dubio conditio Poſſidentis?

I. Probabilioriſtæ validis ratiocinationibus docent, ſolum in materia juſtitiæ, non vero aliarum virtutum meliorem eſſe in dubio conditionem Poſſidentis; atque adeo in dubio tutiorem partem eſſe eligendam.

II. Alii putant, meliorem eſſe conditionem Poſſidentis ſolum pro foro externo, ſed tutiorem partem eligendam pro foro interno.

III. Alii vero docent, ſolum relate ad præcepta negativa tutiorem partem eligendam eſſe in dubio; relate vero ad affirmativa meliorem eſſe conditionem Poſſidentis.

IV. Verius tamen, tam in materia juſtitiæ, quam aliarum virtutum, pro utroque foro melior in dubio eſt conditio poſſidentis.

V. In materia juſtitiæ hoc axioma eſt verum, non quia poſſidetur pecunia, ſed quia poſſidet aut libertas, aut obligatio. Quare idem etiam dicendum univerſim.

VI. Qui cum tali dubio operatur, ſolum ſe exponit periculo peccandi materialiter, non vero formaliter propter dictamen reflexum.

VII. Non opponuntur duo illa principia, In dubio melior eſt conditio poſſidentis, &, In dubio tutior pars eligenda eſt.

VIII. Cur irregularitas incurratur etiam in dubio homicidii?

IX. Satisfit aliis Probabilioriſtarum objectionibus.

I. HÆc eſt potiſſima difficultas in hac materia, ex cujus reſolutione innumeræ quæſtiones dependent; ex iis enim, quæ pro rigidiore ſententia hic adducuntur, deſumunt Probabilioriſtæ argumenta potiſſima ad concludendum, illicitum eſſe univerſim ſequi opinionem minus probabilem in conflictu probabilioris.

Prima itaque ſententia rigidiſſima, quam ſequitur Vaſquez p. 2. diſp. 65. cap. 3. & diſp. 66. cap. 1. Azorius lib. 11. cap. 55., & alii apud Sanchez lib. 1. cap. 10. docet, in materia aliarum virtutum a juſtitia, (v. g. ſi ambigas, an excommunicationem contraxeris, an votum emiſeris, an Horas recitaveris &c.) non eſſe meliorem in dubio conditionem poſſidentis, ſed ſequendum eſſe, quod tutius eſt. Ratio eſt primo, quia aliter dubitans de homicidio non eſſet irregularis, cum in eo poſſideat libertas, & immunitas ab irregularitate. Sequela autem eſt contra caput *Significaſti*, & caput *Ad audientiam de homicidio.* Ergo falſum id, unde ſequitur.

Secundo, quia in cap. *Juvenis de ſponſalibus* decernit Pontifex, juvenem, qui cum puella nondum ſeptenni contraxerat, ac violare tentaverat, & poſtea ejus conſobrinam duxerat in uxorem, debere ab hoc matrimonio, tanquam irrito, ſeparari ob impedimentum publicæ honeſtatis: quod tamen impedimentum erat dubium, cum incertum eſſet, an priora ſponſalia fuiſſent valida: Et Pontifex iis verbis rationem reddit: *Quia in his, quæ dubia ſunt, quod certius æſtimamus tenere debemus.* Neque dicas, poſſeſſionem, & præſumptionem fuiſſe pro valore ſponſalium, & pro impedimento. Nam ſponſalia fuerunt contracta ante ſeptennium, quando non præſumitur uſus rationis; unde præſumebantur potius invalida. Pariter Pontifex in cap. *Illud de Clerico excommunicato* definit, Sacerdotem dubitantem de ſua excommunicatione eſſe deponendum, ſi ante abſolutionem celebraverit; & rationem reddit: *Quia in dubio tutior pars eſt eligenda*: Ubi advertunt Doctores, Pontificem ſupponere hoc axioma, tanquam indubitatum, nec per illud novam legem ſtatuere, quod talis Sacerdos ſit deponendus; Aliter ſi non ſupponeretur veritas illius axiomatis, Sacerdos non eſſet deponendus, eo quod contra nullam legem præviam deliquiſſet.

Tertia ratio eſt, quia niſi eſſet univerſim verum, quod in dubiis tutior pars eſt eligenda, ſequeretur, quod in quocumque dubio ſtandum eſſet pro libertate poſſidente; id tamen eſt contra jura allegata: ergo.

Quarto a priori, quia non non ſolum tenemur vitare, quod certo eſt illicitum, ſed etiam quod dubium eſt, an ſit illicitum, ne exponamur periculo peccati, & per conſequens peccemus: quandoquidem qui amat periculum, peribit in illo: ergo quandocumque dubitamus, an aliquid ſit illicitum, ſive ſtet in poſſeſſione libertas, ſive præceptum, nunquam poteſt eſſe melior conditio libertatis, ſed ſemper tenemur ſequi, quod tutius eſt. Et ratio ulterior, quam ingenioſe promovet P. Thyrſus Gonzalez, eſt, quia in dubio nunquam poſſidet libertas; nam quando dubitatur, an ſit v. g. emiſſum votum peregrinandi, dubitatur, an libere, & licite poſſit omitti peregrinatio, ſicut poterat, antequam dubium ſuperveniret: quando autem ſic dubitatur, ceſſat poſſeſſio libertatis, & conſurgit dubium, num detur libertas: ergo in dubio extra materiam juſtitiæ nunquam libertas poſſidet: Contra vero ſi quis poſſideat bona fi-

na fide in materia justitiæ, v. g. pecuniam, consurgente dubio, an sit restituenda, licet cesset possessio libertatis retinendi pecuniam; at non cessat possessio pecuniæ, quæ tradit jus certum, & ideo potest pecunia retineri.

Confirmatur, quia inter duo mala minus est eligendum: Ergo a fortiori in dubio, an aliquid sit illicitum, eligendum, quod tutius est, ne malum, & illicitum præ licito, & bono eligamus.

II. Secunda sententia Armillæ, Panormit. Sylv. Nav. & aliorum apud eundem Sanch. docet, in dubiis extra materiam justitiæ, tutiorem partem esse eligendam in foro interno, sed meliorem esse conditionem possidentis pro foro externo. Ratio discriminis est, quia in foro interno nemo potest sine culpa committere id, de quo dubitat, an sit illicitum, cum nemo possit se exponere periculo peccandi; at judici in foro externo convenit potius absolvere nocentem, quam condemnare innocentem, ex leg. *Absente* ff. *De pœn.* Neque obstat, quod forum internum & externum pariformiter judicare debeant, ubi externum non nititur falsa præsumptione. Nam, ut notat Valerus, utriusque fori idem judicium est, quando forum externum obligat, non vero quando deobligat; quia tunc forum internum, ne exponat se periculo peccandi, attendere debet, quod tutius est; forum vero externum attendit quod est favorabilius, ex *Reg Jur. in 6.* quæ habet: *Cum jura partium sunt obscura, favendum est potius Reo, quam Actori.*

III. Tertia est Garziæ de Benef. part. 7. cap. 2. putantis, etiam in foro interno meliorem esse in dubiis conditionem possidentis, relate tamen ad præcepta affirmativa dumtaxat; sed tutiorem partem eligendam esse relate ad præcepta negativa. V.g. in dubio, an tenearis audire Sacrum, non obligaris: secus vero in dubio, an tenearis abstinere a carnibus; aut a petendo debito in dubio de valore matrimonii. Ratio videtur esse, quia, ut quis obligetur ad non agendum, satis est, si dubitet, an sibi liceat id facere, necne; quilibet enim tenetur abstinere ab eo, de quo dubitat, an sit illicitum, ne exponat se periculo peccandi: Contra vero, ut quis obligetur ad aliquid positive faciendum, debet obligatio, utpote onerosa, constare; Quod si de ea non constet, militabit regula 65. jur. in 6. *In pari delicto, vel causa, melior est conditio possidentis.* Hinc infert Garz. non solum in dubio homicidii, sed etiam in dubio cujusvis facti, ob quod incurritur irregularitas, debere quemlibet se gerere, tanquam irregularem; idque propter periculum errandi contra salutem animæ; ut dicitur in cap. *Significasti*: ubi non inducitur jus novum, sed ex hac generali regula declaratur obligatio præexistens. Infert secundo, quod sicut in præceptis, ita pariter in votis datur obligatio abstinendi ab opere in dubio de Voto emisso, si hoc sit negativum, verbi grat. de non nubendo; Non datur vero obligatio ponendi opus in dubio de voto, si hoc sit affirmativum, v. g. de danda eleemosyna.

IV. Postrema communior, & probabilior sententia indiscriminatim docet cum Suar. de Cens. disp. 4. sect. 5. Sanc. l. 2. disp. 41. Laym. Fag. Pal. Filliuc. Bonac. Navar. & aliis, regulam illam, In dubio melior est conditio possidentis, habere locum in materia non solum justitiæ, sed etiam aliarum virtutum, tam pro foro exteriori, quam pro interiori, adeo ut semper liceat deponere practice dubium speculativum, quoties præsupponitur possessio libertatis, si dubium post debitam diligentiam præmissam vinci non potest. Probatur, quia possessio est titulus universalis, & communis omnibus virtutibus; (sicut obedientia, quæ est pars potentialis justitiæ, transcendit omnes virtutes) Etenim juxta communem usum loquendi in materia omnium virtutum dicitur voluntas possidere suam libertatem, donec præcepto, vel voto v.g. obligetur: ergo prævalere debet possessio in materia omnium virtutum. Probatur consequentia, quia non aliunde in materia justitiæ melior est conditio possidentis, nisi quia possidens præter jus dubium proprietatis, in quo par est alteri, habet etiam jus certum possessionis, in quo alterum excedit; atqui etiam in materia aliarum virtutum, præter jus dubium obligationis, vel deobligationis utriusque partis potest dari in altera tantum parte certa possessio, vel (ne fiat lis in vocabulo) quasi possessio libertatis, vel obligationis, in qua una pars alteram excedat; ergo etiam in materia aliarum virtutum melior est conditio possidentis.

V. Neque dicas, ideo in materia justitiæ prævalere possessionem; quia pecunia rigorose possidetur, etiam in dubio proprietatis rei: Libertas vero, superveniente dubio, nec possidetur possessione rigorosa, (quæ definitur, *Rei corporalis detentio, corporis, animi, jurisque adminiculo, h. e. animo habendi illam ut suam, & jure non reluctante*) nec possessione minus rigorosa, ut dicuntur v. g. Beati Deum possidere quandoquidem dubium superveniens deturbat libertatem a sua possessione; dubitare enim v. g. an voveris jejunium, est dubitare, an perseveret libertas comedendi: ergo in materia aliarum virtutum a justitia suborto dubio libertas ipsa est dubia, & consequenter non datur ullum jus certum prævalens ratione possessionis.

Nam contra est, quia in materia justitiæ non dicitur prævalere possessio pecuniæ, sed possessio libertatis, vel obligationis; non secus ac in aliis virtutibus. Constat hoc evidenter; nam si quis possideat legitime pecuniam, & dubitet, an satisfecerit debito certo, non dicitur habere ullum jus, eo quod pecuniam possideat; immo dicitur possidere debitum, seu obligatio satisfaciendi, non vero libertas: Ergo quia similis possessio libertatis, vel obligationis habetur in materia aliarum virtutum, ideo in quovis dubio melior est conditio possidentis. Quare universim tunc dicitur possidere libertas, tam in materia justitiæ, quam in aliis virtutibus, quando immediate ante dubium subortum certa erat moralis libertas: Contra vero tunc dicitur possidere obligatio, quando ante dubium subortum obligatio erat certa: Atqui in omni materia melior est conditio obligationis, si illa sit in possessione: Ergo a pari melior erit conditio libertatis, si illa possideat.

Confirmatur primo impugnando secundam sententiam. Idem est judicium fori interni, ac externi, sive forum externum obliget, sive deobliget, quoties forum externum non nititur in præsumptione falsa, ut fuse ostendit Sanch. lib. 1. c. 10. Nam sicut irrationabiliter forum externum deobligaret sine causa, ita pariter internum: Atqui forum externum neminem cogit, si dubia sit obligatio in quavis materia, sed judicat pro libertatis possessione, quia favorabilior est causa Rei, quam Actoris: ergo etiam id haberi debet in foro interno.

VI. Neque obstat, quod exponeret se periculo pec-

peccandi, qui verbi gratia, dubitans, an voverit jejunium, nollet jejunare. Nam ab omnibus admittendum, quod fine peccato formali poffit quis in dubio fpeculativo operari, quoties poteft tale dubium practice deponere: quod oftendimus ex eo, quia fi quis verbi gratia, adhibeat attritionem in Sacramento Pœnitentiæ, juxta probabiliffimam opinionem, (efto non tutiorem) non peccat, quamvis exponat Sacramentum periculo remotiffimo fruftrationis: Etenim ex dictamine reflexo confcientiæ, quod liceat fequi opinionem probabiliffimam (qualis eft opinio de fufficientia attritionis in Sacramento) poteft deponi practice dubium fpeculativum: Ita dicimus in cafu noftro, videlicet ex dictamine confcientiæ reflexo, quod melior fit in dubio conditio poffidentis, & quod in pari caufa favendum potius Reo, quam Actori, poffe deponi practice dubium illud fpeculativum, an voveris jejunium, & an comeftio fit illicita; unde fine ullo peccato formali poteris in tali dubio fpeculativo comedere.

Confirmatur fecundo impugnando tertiam fententiam Garziæ. Ideo enim in præceptis affirmativis non tenetur quis operari, nifi conftet de obligatione ponendi opus; quia tunc valet regula adducta, *Cum jura partium funt obfcura, favendum eft potius Reo, quam Actori*: & illa alia: *In dubio melior eft conditio poffidentis*. Nam qui eft in poffeffione libertatis non audiendi Sacrum verbi gratia, non eft obligandus ad audiendum, nifi conftet de obligatione; Atqui hoc etiam militat in præceptis negativis; qui enim verbi gratia, eft in poffeffione, quod non abftineat ab efu carnium, non videtur privandus hac libertate, nifi conftet de obligatione; ergo idem omnino dicendum in utrifque præceptis.

Neque obftat, quod dubitans, an teneatur abftinere ab efu carnium, fi comedat, exponat fe periculo peccandi. Nam jam explicavimus, quod fine ullo peccato formali exponeret fe periculo peccati tantum materialis, propter dictamen confcientiæ reflexum, quo practice deponeret dubium fpeculativum. Adde, quod fi poffeffio in aliis virtutibus non prævalet, ne homo fe exponat periculo peccandi, nec prævalere deberet in materia juftitiæ. Sequela non admittitur; ergo nec id, unde fequitur. Probatur autem fequela, quia ficut qui dubitat, an voverit verbi gratia, tenetur per adverfarios votum adimplere, ne fe exponat periculo violandi votum; ita qui dubitat, an res, quam poffidet, fit aliena, tenetur illam reftituere, ne fe exponat periculo retinendi rem alienam, quod eft intrinfece malum; non fecus ac tranfgredi votum: ergo fi poffeffio prævalet in materia juftitiæ, debet etiam in materia aliarum virtutum prævalere.

VII. Ad rationes in contrarium pro prima fententia ut plane fatisfiat, notandum ex Jo: Sancio difp. 42. quod illæ duæ regulæ juris; *In dubio melior eft conditio poffidentis*, &, *In dubio tutior pars eligenda eft*, non fint contrariæ, fed una alteram explicet. Nam qui favet poffidenti, fequitur partem tutiorem, cum omnia jura velint, in dubio favendum effe poffeffioni; qui autem fequitur fententiam omni jure probatam, fequitur quod tutius eft. Quare ficut quando quis certus de debito dubitat de folutione, per hoc quod iterum folvat, ita favet debito poffidenti, ut fequatur partem tutiorem; Eodem prorfus modo quando quis dubitat de debito, per hoc quod non folvat, ita favet libertati poffidenti, ut fequatur etiam partem tutiorem; cum tutius fit favere poffidenti, quam illi non favere. Præterea Sanch. loco citato, Fagund. Palaus, Salas apud Boff. n. 1203. putant, axioma illud, *In dubiis tutior pars eligenda eft*, intelligendum effe ex confilio, & perfectione, non ex præcepto; nifi in cafibus in jure expreffis; ut in irregularitate orta ex dubio homicidii. Demum Leff. Azor. Suar. de Cenf. difp. 4. fect. 5. Sanch. lib. 2. difp. 41. explicant hoc axioma dicendo, verum effe in dubio practico, non in fpeculativo; Nam fi quis fpeculative dubitet, exemp. grat. an conficiatur Sacramentum Pœnitentiæ cum fola Attritione, non eatenus tenetur contritionem adhibere, & tutiorem partem fequi; fecus vero, fi practice dubitaret, an liceat attritionem adhibere, tunc enim deberet tutiorem partem fequi.

VIII. Ad primam rationem in contrarium directe refpondet Arriag. 1. 2. difp. 25. & Jo: Sanch. Pontificem decreviffe, quod irregularitatem incurrerit Presbyter, qui alium vulneravit, & dubium erat, utrum ex vulnere, an ex infirmitate fupervenient mortuus effet; quia in tali cafu poffeffio ftabat pro delicto, ac pro præcepto, cum conftaret de vulnere, & de morte fequuta, juxta dicta quæftione præcedenti. Facilius vero refpondet Suar., Fag., Sanchez, Pal., id decreviffe Pontificem ex illa regula, In dubiis tutior pars eft eligenda, non tanquam neceffaria in omnibus materiis, fed tanquam optimo confilio, cui proinde innixus decrevit, in dubio homicidii incurri irregularitatem propter fpecialem irreverentiam, quam habet homicidium ad facros Ordines. Unde non concluditur, in aliis fimilibus dubiis five facti, five juris pariter incurri irregularitatem.

IX. Ad fecundam ex cap. *Juvenis*, Pontifex non dixit, amplectendam effe partem tutiorem; nam tutius effet ftare pro valore matrimonii, ex cap. *Licet de Teftib.* fed dixit, quod certius æftimamus, tenere debemus; & quia certius exiftimavit, valida fuiffe priora fponfalia, tum quia puella erat feptennio proxima, tum quia nixa erat ad copulam, unde malitia videbatur ætatem fupplere, ideo decrevit, fequens matrimonium fuiffe nullum propter impedimentum publicæ honeftatis, ortum ex prioribus fponfalibus confobrinæ. Quare hujufmodi impedimentum erat Pontifici moraliter certum, non dubium, ut colligit Gloffa apud Sanch. loc. cit.

Ad id, quod additur ex cap. *de Clerico miniftrante* refpondent Avila, Sanch. Pal. Epifcopum illum fe immifcuiffe divinis, antequam diligentiam adhiberet ad inveftigandum, an excommunicationem incurrerit; & ideo deponendus fuit; quia in dubio ifto practico tenebatur partem tutiorem eligere. Hinc Pontifex non tulit novam legem, fed id decrevit ex axiomate receptiffimo, quod in dubio practico teneamur eligere, quod tutius eft. Refpondent alii cum Alterio, conftitiffe per famam de illius excommunicatione; unde quia dubium in eo Sacerdote oriebatur ex ignorantia craffa, & culpabili, merito fuit punitus.

Ad tertiam dicimus, non folum in dubio practico, fed in eo etiam dubio fpeculativo, in quo ita expreffum eft in jure, tutiorem partem effe eligendam.

Ad

Ad ultimam, ostendimus, quomodo deposito practice dubio speculativo per dictamen conscientiæ reflexum certum, & indubitatum sine ullo peccato formali exponi possit quilibet periculo peccati materialis; Et quomodo in dubio superveniente possessio libertatis certa prævaleat, nec deturbetur per dubium speculativum de licita operatione.

Neque dicas, quod dubitans speculative debeat etiam dubitare practice, an licite operetur. Nam ex dubio speculativo non oritur practicum, ut supra diximus, nisi in illis duobus casibus, videlicet quando nulla est adhibita diligentia ad expellendum dubium speculativum, & quando nulla subest causa non dubitandi practice; justa autem causa in casu nostro est possessio libertatis.

Ad confirmationem, ex duobus malis minus eligendum; aliter argueretur affectus ad malum; & ideo in dubio practico, an aliquid sit illicitum, ab eo abstinendum; non tamen in dubio speculativo practice deposito, in quo nullum periculum subest peccati formalis.

ARTICULUS II.

Traduntur regulæ ad dignoscendum pro qua parte stet in dubiis possessio.

I. Regulæ, quæ traduntur, non facile in singulis casibus rite applicantur.
II. Prima regula, eaque facillima est inspicere, num tempore præcedat libertas, an obligatio? Et quæ præcedit, illa dicitur possidere, eique favendum, ut liquet exemplificando in multis casibus.
III. In plurimis tamen aliis casibus variant Doctores, utra præcedat?
IV. Altera regula est, possessionem pro ea parte stare, pro qua stat juris, seu fori externi præsumptio.
V. Juris autem præsumptio est quædam conjectura probabilis, quæ desumitur ex communiter contingentibus. Quod si præsumptio ipsa sit probabilis, habetur pro nulla, eo quod ferret probabilitatem probabilitatis, atque adeo tenuem probabilitatem.
VI. Plura in hanc rem animadvertuntur.

I. DEsudant Doctores in assignanda generali regula ad dignoscendum pro libertate ne, an pro obligatione stet possessio, cui proinde in dubiis faveatur; in multis enim casibus regulæ non facile aptari possunt, unde oritur varietas opinionum.

II. Prima regula, eaque facillima est ex Arriag. t. 2. disp. 25. n. 58.. Si prius tempore sit libertas, quam obligatio, illa possidet, illique in dubio favendum: Secus vero, si tempore præcedat obligatio; V. g. quia die Jovis prius tempore est libertas comedendi carnes, quam obligatio abstinendi die Veneris, in dubio, an sit elapsa media nox, possidet libertas, & poteris carnes comedere: Contra vero, quia die Saturni prius tempore est obligatio abstinendi a carnibus, quam libertas comedendi die Dominico, ideo in dubio, an sit elapsa media mox, possidet obligatio, nec poteris licite carnes comedere.

Hinc sequitur primo, quod, quando debitum est dubium, non teneris solvere, quia præcedit libertas: quando vero debitum est certum, & solutio dubia, teneris solvere, quia præcedit obligatio. Sequitur secundo, quod si dubites, an compleveris annum vigesimum primum, non teneris ad jejunium; teneris vero, si dubites, an attigeris sexagesimum. Tertio si dubites, an jurisdictio expiraverit, poteris absolvere; secus vero si dubites, an habueris jurisdictionem. Quarto si dubites, an habueris facultatem absolvendi ab aliquo reservato, non poteris absolvere, quia præcedit obligatio; contra vero, si data tibi facultate audiendi confessiones, dubites, an aliquod peccatum sit reservatum, poteris ab illo absolvere, quia præcedit libertas. Quinto si dubites, an beneficium sit pingue, probabiliter ex Caramuele non teneris ad horas, quia præcedit libertas; si vero dubites, an evaserit tenue, certe ad horas teneris, quia præcedit obligatio.

III. Hæc tamen regula, utut verissima, non facile tamen universim est applicabilis. Hinc variæ sunt Doctorum opiniones in multis casibus. Et primo, si dubites, an dispensatio obtenta in impedimento matrimonii sit valida, putat Molin. quod non possis matrimonium contrahere; quia videtur præcedere obligatio: Alii tamen apud Dian. part. 4. tract. 3. resol. 45. censent, quod possis; quia in dubio semper judicandum est pro valore actus, ex leg. *Quoties ff. de rebus dubiis*, unde videtur præcedere libertas; quandoquidem prius est certitudo dispensationis, deinde dubium de ejus validitate.

Secundo, si Miles dubitet de justitia Belli, Suar., Dian., & alii apud Tambur. lib. 1. cap. 3. §. 7. putant, quod possit pugnare, quia Princeps est in possessione præcipiendi, & Miles in possessione libere serviendi in Militia, etiamsi non sit vassallus; unde videtur præcedere libertas; Vasquez tamen, & Lug. negant, quia videtur stare in possessione lex non pugnandi contra Justitiam, & non exponendi se periculo occidendi alios injuste.

Tertio, si dubitetur, an censura lata fuerit valida? an a legitimo superiore &c.? Quarto si dubitetur, an votum sit emissum ante septennium? Quinto si dubites, an vota Filii sint emissa ante ætatem requisitam, (scilicet personalia ante pubertatem, & realia ante annum vigesimum quintum) unde dubitas, an possint a Patre irritari? Sexto, si dubites, an comestio facta fuerit ante mediam noctem, atque adeo an possis mane communicare? Septimo in dubio, an legitime interrogeris a Judice, atque adeo an tenearis sine æquivocatione respondere? Octavo, in dubio an Gabella sit justa, & consequenter an tenearis illam solvere? Nono, si dubites, an consilium datum homicidæ influxerit in occisionem Clerici, atque adeo an tenearis ad restitutionem, & an excommunicationem incurreris? Decimo, in dubio, an professio Religiosa fuerit valida? Undecimo, si ædificium corruat sub Artifice, ægrotus pereat sub Medico, causa perdatur sub Advocato, Depositum, Locatum, Commodatum apud te pereat, & dubitetur, an ex gravi culpa Artificis, Medici &c. ea acciderint? In his, & similibus innumeris casibus videndis apud Tambur. loc. cit. multi Doctores primæ notæ putant esse in possessione, ac præcedere libertatem, & consequenter illi favendum: Alii vero præcedere, & esse in possessione obligationem, & pro

pro illa standum. Quare, ut facilius ista enodentur, alia regula a Doctoribus assignatur; unde appareat, pro qua parte stet possessio.

IV. Secunda itaque regula ex Sanch. cap. 10. Bonac., Pal., Filliuc., est, possessionem in dubio pro illa esse parte, pro qua stat juris, seu fori externi præsumptio. Quare si præsumptio fori externi faveat libertati, nulla datur obligatio; secus vero si faveat obligationi. Ratio est, quia jura non præsumunt absque causa, sed ex probabili conjectura, atque adeo, ubi certa est juris præsumptio pro aliqua parte, illa pars reputari debet vera, donec probetur oppositum ab altera parte, cui incumbit onus probandi, ut ostendit Menoch. lib. 1. de præsumpt. quæst. 4., & Molin. disp. *106*. Hinc infert Jo: Lugo, quod si adjecta matrimonio conditione impossibili dubitetur de consensu adjicientis illam, standum sit in utroque foro præsumptioni fori externi, quod favore Matrimonii conditionem illam habet pro non adjecta, ut ostendit Sanch. lib. 5. disp. 3. Similiter, quoties est dubia Testatoris voluntas, standum juris præsumptioni. Quare cum jus præsumat, legatum v. gr. non compensari cum alio debito Testatoris erga Legatarium, poterit is tuta conscientia legatum sibi relictum accipere, & præterea creditum suum recuperare.

Notandum tamen, quod quamvis hæc regula sit certissima, difficile tamen est assignare ulterius generalem regulam ad dignoscendum, pro qua parte stet juris præsumptio. Nam si dicas, pro ea parte stare juris præsumptionem, atque adeo possessionem, quæ alteri transfert onus probandi oppositum; verum quidem dicitur; sed rursus assignanda esset regula ad dignoscendum, utra pars possit alteri transferre onus probandi oppositum, quæ quia vix potest assignari, ideo in singulis materiis examinare oportet, pro qua parte stet præsumptio, ac possessio, pro libertate ne, an pro obligatione? quod sequentibus quæstionibus præstabimus.

V. Dico interim, Juris, seu fori externi præsumptionem esse verisimilitudinem quandam sufficientem ad rem aliquam credendam; seu esse conjecturam probabilem, quæ præseferat veritatem, donec oppositum probet Advocatus, in quem ejus probationis onus transfertur. Et universim hæc probabilis conjectura desumi solet ex communiter contingentibus. Quando autem hujusmodi præsumptio pro hac, vel illa parte est dubia, (ut non raro contingit) tunc judicandum est, ac si nulla præsumptio subesset: Sicut, quando dubium est de legitima possessione, non censetur dari possessio; quia tunc utriusque partis par est causa, ut notat Salas 1. 2. tract. 8. disp. 1. sect. 23., & Palaus tract. 1. disp. 3. punct. *6*.

VI. Sequitur ex dictis primo, possessionem non semper in dubio favere possidenti, nisi certum sit, possessionem esse legitimam; & jus commune, aut aliam juris præsumptionem non esse contra possidentem, ut notat Mascardus: Præsumitur tamen esse legitima, donec probetur oppositum.

Sequitur secundo, quod si pro utraque parte, videlicet pro libertate, & pro obligatione sint præsumptiones æquales, itaut nequeat formari judicium certum, pro qua parte stet possessio, tunc adjudicandum erit, ac si pro neutra parte haberetur præsumptio, sed esset merum dubium, ut notat Palaus tract. 1. disp. 3. p. *6*. Ratio est, quia pro utraque parte par est causa; sicuti in æquali dubio de possessione asserit Salas loc. cit.; Si vero efficaciores, & validiores præsumptiones pro una parte sint, quam pro altera, pro illa judicandum, quia validior vincit minus validam; sicut præsumptio vehemens vincit gravem, & violenta vincit vehementem, ut docent communiter Juristæ apud Menochium lib. 1. qu. 30. & Portellus p. 1. casu 37. Hæc tamen validior præsumptio debet parere pro foro interno moralem certitudinem, ut possit alter spoliari re, quam possidet, cum non sit ad id satis mera probabilitas.

Sequitur ultimo, in dubio facti possessionem stare pro parte negante factum. Ratio est, quia nunquam factum præsumitur; imo præsumitur non fuisse, ut communiter docent Jurisperiti ex leg. *prima Cod. de probationibus*; ubi statuitur, quod qui factum affirmat, subeat onus probandi illud; nam, cum facta sint suapte natura incerta, eorum probatio dicitur dubia, adeoque probanda. Ubi notandum, spectare ad dubium facti non solum ipsam substantiam operationis, sed etiam quæ ad operationis modum, aut conditionem spectant. Quare non solum est dubium facti, si dubitetur v. gr. an sit secuta mors, an sit emissum votum &c. sed etiam si dubitetur, an veneno, vel gladio quis sit occisus, an compleverit septennium, aut habuerit usum rationis Titius, dum votum emisit &c.

Regula tamen prædicta, quod scilicet factum non præsumitur, patitur suas limitationes. Nam primo quando factum de jure erat faciendum, illud præsumitur, v. gr. si constet, votum esse emissum, aut matrimonium celebratum, & dubitetur, an cum sufficienti deliberatione, tunc licet deliberatio sit quid facti, præsumitur tamen intervenisse. Secundo, quæ communiter fieri solent, præsumuntur facta, dum non probatur oppositum: v. gr. si constet, factum esse Testamentum, & dubitetur, an fuerit de eo rogatus Notarius, præsumitur rogatus, quia hoc consuevit fieri. Tertio, si concurrant causæ præsumendi factum principale, v. gr. testamentum, tunc etiam factum minus principale præsumi debet; accessorium enim sequitur principale, ut ostendit Mascard. concl. 732. ex multis canonibus. Et hæc sunt principia quædam universalia, quæ ad hanc materiam de conscientia dubia spectant. Ut autem facile ex his principiis conclusiones, & casus particulares deduci possint, operæ pretium est per præcipuas materias discurrere, circa quas conscientia dubia versari potest. Sit ergo

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De conſcientia dubia in materia legis, aut præcepti.

EX triplici capite hujuſmodi conſcientia dubia poteſt oriri. Primo ex parte præcepti, dubitando, an ſit impoſitum? an uſu receptum? an abrogatum conſuetudine, aut diſpenſatione? Secundo ex parte rei præceptæ, dubitando, an ſit licita? an excedat poteſtatem præcipientis, eo quod ſit præter regulam, aut contra Superioris Prælati præceptum? Tertio ex parte Prælati præcipientis, ſi dubitetur, an Superior ſit legitimus? vel an ſit hujus Subditi Superior? De ſingulis ſeorſim agendum, examinando pariter, quando habeat locum uſus Epichejæ?

ARTICULUS I.

Num teneamur obedire in dubio, an extet Lex?

I. Probabilius negandum contra Probabilioriſtas: Sicut etiam in dubio voti, juramenti, & ſimilium.

II. Hinc reſolvitur quid dicendum in dubio, an lex aliquem caſum comprehendat? An ea ſit promulgata? An acceptata, vel uſu recepta, aut derogata? Et ſi dubitetur, An detur excuſatio ſufficiens?

III. In dubio, an ſufficienter excuſeris, ſæpe habere poteſt locum epicheja, quatenus prævalet lex naturalis non exponendi ſe periculo gravis damni.

IV. Quod ſi de hoc gravi periculo pariter dubitetur, obligabit lex, quippe quæ eſt in poſſeſſione.

I. AFfirmant abſolute Vaſquez 1. 2. diſp. 64. c. 3. Azor. 1. 1. tract. 2. c. 19. qu. 10., Barboſ., & alii ob rationes Probabilioriſtarum adductas articulo primo ſuperioris quæſtionis. Sed communius, & probabilius Doctores negant, ullam obligationem conſurgere, quoties dubitatur, an lex ſive naturalis, ſive Divina poſitiva, ſive humana, vel præceptum, aut conſuetudo legitime introducta extent; ſi, facta diligenti inquiſitione ad veritatem inveſtigandam, adhuc dubium perſeveret. Idemque docent contra Cordub., Sayr., Turrian., Lorcam, & alios apud Dian. p. 4. tr. 3. reſ. 10., in dubio voti, ac juramenti, nec non in dubio Juris de excommunicatione, & irregularitate. Ratio eſt, quia in dubio melior eſt conditio Poſſidentis in quavis materia, ſive juſtitiæ, ſive aliarum virtutum, ut oſtendimus in quæſtione antecedente; in his autem caſibus poſſeſſio eſt pro libertate, cum quilibet ſit ſuarum actionum dominus, & libere in illis procedere poſſit, quoties non conſtat, ſe eſſe ligatum.

Confirmatur, quia nemo obligatur lege, quæ non ſit ſufficienter propoſita, & promulgata, ut communiter conceditur; Quoties autem facta morali diligentia non conſtat, an detur aliqua lex, toties non eſt ſufficienter propoſita, & promulgata; ergo hujuſmodi lex non obligat. Adde ex Sanchez, quod in tali dubio forum externum non judicat, dubitantem eſſe ligatum, neque illum condemnat.

Neque obſtat, quod tutior pars eligenda ſit, ne dubitans exponat ſe periculo peccandi. Quandoquidem in his caſibus nullum imminet periculum peccati formalis; ut ſupra oſtendimus.

II. Sequitur hinc plurium quæſtionum reſolutio. Et primo, quid dicendum, ſi conſtet de lege, & dubitetur de illius ſenſu, an ſcilicet talem caſum comprehendat? Secundo, num obliget Lex, ſi dubitetur, an ſit promulgata? Tertio, ſi dubitetur, an ſit acceptata, vel uſu recepta, vel derogata, aut diſpenſata? Quarto, ſi dubitetur, an detur excuſatio ſufficiens ab ejus obſervatione?

Ad primam enim reſpondetur, caſum illum non comprehendi, quia tunc perinde eſt, ac dubitare de lege, an impoſita ſit pro tali caſu, ut notat Sanchez lib. 11. diſp. 41. num. 33.; Prius tamen conſulendus eſt, ſi fieri commode poteſt, Legiſlator, aut Superior, ut legem exponat.

Ad ſecundam reſpondetur negative, ut probabiliter docent Palaus, & Dian. 1. p. tr. 10. reſ. 3. Ratio eſt, quia lex ſine promulgatione non obligat, ut habetur §. *Illis autem*, *Inſtit. de contrahenda emptione*: Ergo, cum dubitatur de promulgatione, non poſſidet lex in quantum potens obligare, atque adeo non obligat.

Ad tertiam reſpondetur affirmative cum Sanch., Filliuc., Laym. contra Nav., Azor., Palaum, Salas, Rebell. apud Dian. loc. cit. reſ. 1. & 2. quia vere poſſidet lex, quando dubitatur, an ſit acceptata, vel abrogata: Habet enim pro ſe juris præſumptionem, & alleganti non eſſe receptam incumbit onus probandi; & quouſque non probet, tenetur ad legis obſervantiam.

Dices, ſicut non obligat lex non promulgata, ita non obligat lex non acceptata: Ergo, ſicut non obligat lex in dubio, an ſit promulgata, ut conceſſimus, ita neque in dubio, an ſit acceptata.

Reſpondetur, nego conſequentiam. Diſparitas eſt; quia promulgatio legis non præſumitur, cum non detur in legiſlatore obligatio promulgandi legem ſuam; poteſt enim nolle, quod obliget ſaltem per aliquod tempus: Contra vero acceptatio legis præſumitur, quia datur obligatio acceptandi legem juſtam: Damnata enim eſt ab Alex. VII. prop. 28., quæ habet: *Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem a Principe promulgatam:* Hinc communius docent, legem ante promulgationem non obligare; ſecus vero ante acceptationem. Quamvis verum ſit, quod, ſi non acceptetur, etiamſi ſine cauſa, & cum culpa populi, non obliget, quia legiſlator humanus non præſumitur, quod velit obligare populum lege, quæ ſupponitur ardua, dum non acceptatur. A fortiori lex obligat, ſi dubitetur, an ſit abrogata, vel diſpenſata: Aperte enim conſtat, in hoc caſu legem poſſidere.

Ad quartam: Cenſet Salas 1. 2. tract. 8. diſp. 1. ſect. 35. apud Dian. p. 4. tr. 3. reſ. 22., legem non obli-

obligare, si dubium sit, an detur excusatio sufficiens ab ejus observatione, quando hæc est incommoda, & molesta; tum quia in pœnalibus sequi debemus benigniorem interpretationem; tum etiam quia non præsumitur, quod velit legislator humanus obligare cum tanto onere. Sed communiter docent, legem obligare, quia lex possidet: Sicut enim in dubio, an legem impleveris, teneris illam implere, quia lex possidet, & obligationi certæ non satisfit per solutionem dubiam; ita pariter in dubio, an sufficienter excuseris, teneris lege, quæ est in possessione.

Hinc fit, Beneficiarium dubitantem de beneficii tenuitate teneri ad horas, quia obligatio universalis est certa, excusatio est dubia; Ita Vasquez, Bardi disp. *6.* c. *6.* contra Salas, & Cordub.

III. Non negaverim tamen, quod si lex sit nimis molesta, in dubio, an sufficienter excuseris, possit aliquando habere locum epikeja, hoc est legis emendatio, seu benigna interpretatio; V. g. si dubitas, an jejunium, vel recitatio horarum sint graviter nocitura tuæ valetudini, nec potes commode ad superiorem recurrere pro dispensatione, ut debes, tunc benigne poteris mentem legislatoris interpretari, quod scilicet nolit te ad jejunium, aut recitationem Horarum obligare cum periculo gravis damni, juxta doctrinam Salas loc. cit. Ratio est, quia sicut periculum v. g. ne incidas in latrones, excusat, ne domo exeas ad audiendum Sacrum; & tale periculum, seu dubium est certa excusatio; ita dubium, ne per jejunium incidas in grave damnum, excusat a te jejunio, & tale dubium est certa pariter excusatio. Unde in tali casu, quo locum habet epikeja, dicendum, quod habeas sufficientem excusationem, si certum sit periculum subeundi grave damnum. Ratio a priori est, quia in hoc dubio possessio non est pro lege Ecclesiastica de jejunio, sed pro lege naturæ, quæ dictat, Nemini licere exponere se periculo vitæ, aut gravis nocumenti corporalis.

IV. Quod si de hoc ipso dubitetur, num scilicet periculum gravis damni sit remotum, an proximum; unde dubites, an sufficienter ex tali periculo excuseris ab obligatione v. g. jejunii; Tunc, si non patet aditus ad superiorem, non esse locum epikejæ, docent communius Doctores cum D. Th. 1. 2. q. *96.* art. *6.* Suar. Vasq. Sanch. Palao, Bonac. apud Bard. disp. 4. c. 10. contra Henriq. & Sylv. Ratio est, quia in tali dubio possidet lex.

ARTICULUS II.

Enodantur nonnulla ad Epichejam spectantia.

I. Licitum probabiliter est uti Epicheja, etiam quando habetur probabile duntaxat judicium, quod nolit superior in tali casu obligare.

II. Num lex debeat cessare contrarie, an sufficiat, quod solum cesset negative, ut licitus sit usus epichejæ? Ubi num finis legis adæquatus debeat pariter cessare contrarie, ut cesset lex obligare?

III. Lex naturalis solum capax est simplicis interpretationis, non vero epichejæ presse dictæ.

IV. Quænam conditiones requiruntur, ut locum habeat epicheja?

V. Divina lex capax est epichejæ presse dictæ, non quidem relate ad divinam mentem, sed relate ad verba legis, casum particularem non comprehendentis.

I. Dubitatur primo, Sitne licitus usus epichejæ, si solum probabiliter judicetur, noluisse legislatorem in tali casu obligare, an vero requiratur certitudo?

Vasq. in 1. 2. disp. *176.* cap. 3. negat, usum epichejæ licere, nisi certo constet, nolle superiorem pro tali casu obligare; Etenim cum lex possideat, ob solum judicium probabile non est deferenda: Sicut non potes Titium spoliare re, quam possidet, ob solam probabilitatem, quod res illa sit sua.

Equidem censeo cum Suar. lib. *6.* de Leg. cap. 8. licitum esse uti epicheja, etiamsi probabiliter tantum voluntatem superioris benignam interpretemur, dummodo superior conveniri nequeat: At non esse licitum ea uti, si pateat aditus ad superiorem. Ratio primæ partis est, quia universim in rebus moralibus judicium probabile sufficiens est ad operationem cohonestandam: Aliter grave onus esset in actibus humanis semper requirere cognitionem evidentem; quæ raro admodum haberi potest. Ratio secundæ partis est, quia, si patet aditus ad superiorem, dissentaneum videtur rectæ rationi, verba legis rejicere ob solas conjecturas, quando voluntatem, & mentem superioris exploratam habere possumus. Ita communiter cum Suarez, loco cit. Filliuc. & aliis: Quamvis probabiliter Palaus putet tom. 1. disp. 5. punct. 3. §. 2. satis esse opinionem probabilem sine recursu ad superiorem; Sicut quando probabile est dari sufficientem excusationem a jejunio e. g. & quando probabile est, nos non obligari voto, aut alia lege naturali, possumus juxta probabilem opinionem operari absque recursu ad superiorem.

Ad rationem in contrarium adductam a Vasquez respondetur, legem non possidere pro tali casu, quo probabiliter judicatur, legislatorem noluisse obligare. Etenim, si probabile est, superiorem nolle pro aliquo casu obligare, probabile est etiam, quod pro tali casu non obliget lex a superiore lata; adeoque lex non possidet.

Instabis, si probabile sit, quod res præcepta sit illicita, vel excedat potestatem præcipientis, adhuc tenemur obedire, dummodo non constet, quod res illicita præcipiatur; Et ratio est, quia superior est in possessione præcipiendi; ergo pariter si probabile sit, quod nolit superior obligare.

Respondeo antecedens esse inferius discutiendum; Sed, eo transmisso, nego consequentiam. Disparitas est, quia in eo casu possidet vis præceptiva superioris, & habetur in eo voluntas præcipiendi; unde standum pro validitate præcepti, donec constet, rem præceptam esse illicitam: At in casu nostro non possidet voluntas præcipiendi pro tali casu, si probabile est, Legislatorem nolle talem casum comprehendere, atque adeo lex non possidet.

II. Dubitatur secundo, An, ut sit licitus usus Epichejæ, Lex debeat cessare contrarie, an satis sit, quod cesset tantum negative. Dicitur cessare contrarie, quando legem observando in casu particulari peccatur contra aliam legem præstantiorem; ut si quis reddat gladium furioso, vel si quis ut audiat Missam, relinquat moribundum: Dicitur vero cessare tantum negative, si legem observando non peccatur; ut si quis valde defatigatus, ita ut jejunare

non

non teneatur, adhuc velit jejunare. Hoc posito: Si dicatur, quod lex debeat cessare contrarie, ut liceat usus epichejæ, sequeretur, quod usus epichejæ esset præceptus, non permissus; quod nemo dixerit: Si vero dicatur sufficere, quod cesset negative, multa absurda sequerentur, quæ congerunt Auctores ostendentes, quod cessante tantum negative fine legis in casu particulari, non eatenus cessare debeat legis obligatio pro eodem casu. Nam primo sequeretur, præcepta Ecclesiastica cessante negative fine talium præceptorum non obligare; unde viri perfecti non tenerentur jejunare, quia in ipsis cessat finis hujus legis, qui est macerare carnem, & passiones deordinatas attemperare: Possent etiam viri eximiæ sanctitatis Moniales alloqui, & Monasteria ingredi; quia in iis cessat finis prohibitionis, ne scilicet Moniales a consuetis exercitiis spiritualibus perturbentur, adjuvarentur enim potius in progressu ad virtutes: Sic possent legi libri prohibiti, quoties in aliquo casu cessat finis, qui universim est, ne pervertantur legentes. Deinde posset etiam in lege naturali dari exemptio, si ejus finis cessaret, unde posset esse licita simplex fornicatio, si cessaret omnino periculum malæ educationis in prole.

Respondeo, nonnullos apud Suar. lib. *6.* de leg. cap. 1. admittere, quod cesset obligatio legis in casu particulari, quo cessat adæquatus finis illius solum negative; Sicut cessat obligatio correctionis fraternæ, si hic & nunc non speratur fructus: Conantur tamen ostendere, hinc non sequi absurda adducta, quia in iis casibus non cessat finis legis adæquatus, v. g. fornicatio non prohibetur præcise, ne male educetur proles; aliter non essent prohibitæ delectationes morosæ in re venerea, & alia peccata contra naturam: Quare prohibetur etiam fornicatio, ne animum a cœlestibus avocemus: & permittitur conjugium, quia onera matrimonii revocant animum ad cœlestia, a quibus delectationes carnales avocant: Sic lectio librorum prohibitorum interdicitur etiam in odium auctoris, & ne passim hujusmodi libri occurrant in manibus eorum, qui facile decipi possunt; unde raro cessat finis adæquatus, atque adeo raro juxta hanc sententiam hujusmodi libri legi possunt, aut retineri. Communior tamen sententia docet, tunc cessare legis obligationem, quando ejus adæquatus finis vel cessat negative in universali, vel contrarie in casu particulari; Unde lex Tridentini v. g. præcipiens, quod matrimonio præmittantur denunciationes, ut, si adsint impedimenta, manifestentur, obligat etiam in casu particulari, quo certum est, nulla adesse impedimenta, quia ejus finis adæquatus non cessat in universali. Sed quidquid sit de hac quæstione,

Ad dubium propositum dico, ad usum epichejæ licitum non requiri, ut cesset lex contrarie, seu ut ejus observatio sit peccatum, (ut accidit quando quis ex epicheja omittit audire Sacrum, ne deserat moribundum) aliter usus epichejæ semper esset præceptus, non permissus. Quare sufficit, ut sit valde difficile, & arduum in casu aliquo particulari legem servare; talis enim lex corrigenda est, utpote quæ non debet ad res nimis arduas obligare; dedecet enim prudentem legislatorem non solum iniqua præcipere, sed etiam inhumana, ac ardua, quæ ad publicum bonum non spectant. Id tamen intelligendum, quando res præcepta non est lege naturali vetita, ac intrinsece mala, ut est simplex fornicatio, perjurium &c. nam ad hæc vitanda semper, & in omni casu obligamur, & cum quolibet incommodo.

III. Dubitatur ultimo, an possit aliquando admitti epichejæ usus etiam in lege naturali?

Suar. Vasq. Arriag. Amic. disp. 4. de Leg. sect. 4. negant, legem naturalem capacem esse epichejæ; munus enim epichejæ est corrigere, & emendare in casu particulari legem deficientem; Lex autem naturalis nunquam deficit, nec corrigi potest, unde non est capax epichejæ: Sicut nec datur dispensatio proprie dicta in lege naturali, eo quod lex naturalis sit immutabilis. Oppositum tamen sentiunt Corduba, Salas, Nav. Quemadmodum enim lex positiva est capax epichejæ, quia in casu particulari potest deficere, puta lex de audiendo Sacro; cum enim ea non excipiat expresse casum, quo aliquis sine magna difficultate non posset adire Ecclesiam ad Sacrum audiendum; ideo in tali casu lex ista corrigitur ab epicheja; Ita pariter deficere potest, & per epichejam corrigi lex naturalis in casu particulari: v. gr. lex naturalis de reddendo deposito, quia non excipit expresse casum, quo reddendus sit gladius domino furioso, ideo per epichejam in eo casu emendatur, nec datur obligatio restitutionis; Sicut etiam lex vetans homicidium non obligat, quando occisio fit a ministris justitiæ, vel ad justam defensionem; & lex naturalis de servando juramento, aut voto in multis pariter casibus non obligat.

Dico equidem cum Bardi disp. 4. cap. 3. legem naturalem esse quidem capacem simplicis interpretationis; non tamen epichejæ rigorose dictæ.

Primum ostendunt exempla adducta; lex enim v. g. naturalis de non occidendo, quamvis videatur universalis, & omnes casus comprehendere, explicanda tamen est juxta internum rationis dictamen, quod pariter est lex naturalis; atque adeo in aliquibus circumstantiis non obligat. Secundum vero probatur, quia epicheja, ut constat ex D. Th. 1. 2. q. 46. art. *6.* est correctio legis universali deficientis in casu particulari; lex autem naturalis universalis, v. g. de non occidendo, non deficit in casu particulari, quo occisio facienda est a ministris justitiæ; cum id ipsum lex naturalis dictet: Ergo non est capax epichejæ stricte dictæ: Contra vero lex positiva, v. g. de audiendo Sacro, capax est epichejæ, quia talis lex, utpote universalis, deficit in casu particulari, quo relinquendus sit moribundus; nec a lege positiva, sed a lege naturali præcipitur omissio Sacri, ne moribundus deseratur.

IV. Nota demum, quatuor conditiones requiri, ut liceat usus epichejæ, seu benignæ interpretationis legis. Prima, quod casus non excipiatur, eo quod sit hic, & nunc illicitus; Unde qui omittit Sacrum, ne deserat v. g. moribundum, non dicitur uti epicheja, hoc est benigna legis interpretatione; nam omittendum tunc est Sacrum ex necessitate legis naturalis, non ex benigna interpretatione legis positivæ. Secunda, ut non excludatur casus ab ipsa lege: Sic non dicitur benigne interpretari legem naturalem minister justitiæ damnans reum ad mortem, quia lex ipsa naturalis de non occidendo excipit hunc casum, & ideo non requiritur benigna interpretatio mentis legislatoris. Tertia, ut lex universalis comprehendat verbis suis, secundum sui speciem, casum hunc particularem; aliter non

esset opus hic & nunc interpretatione. Quarta, quod tales circumstantiæ concurrant, ut casus in particulari prudenter existimetur non comprehensus secundum mentem legislatoris; atque adeo si legislator adesset, utique illum excluderet: Sic enim epicheja rigorem legis prudenter mitigat, & in medio posita inter jus, & rigorem juris, inter virtutes recensetur.

V. Ex dictis sequitur, quid dicendum ad quæstionem, an lex divina positiva capax sit epichejæ. Negant enim Vasq. in 1. 2. disp. 186. & Merolla, quia epicheja videtur habere locum in casu particulari, quo deficit lex universalis, eo quod legislator non potuit omnes casus particulares prævidere; lex autem divina non potest sic deficere; ergo non videtur capax epichejæ. Dicendum tamen cum Mæratio de Leg. disp. 6. sect. 2. & Bard. loco citato esse capacem epichejæ stricte dictæ: v. g. lex divina de integritate materiali Confessionis, & lex de præmittenda Confessione mortalium Communioni, ex epicheja non obligant; quando imminet grave damnum. Ratio est, quia lex divina positiva universalis deficit in casu particulari, non quia Deus talem casum non prævidit, ut legislator humanus, sed quia erat incongruum infinitos casus particulares in sua lege exprimere. Quare potest lex divina pati correctionem non relate ad Divinam mentem, sed relate ad verba legis, quippe quæ ex Arist. 5. Ethic. 5. ferri debet de universali: Quod Vasquez ipse loc. cit. admittit dicens; Quamvis lex divina positiva, si solum literam attendas, in casu singulari errare, & ita emendari posse videatur; comparata tamen cum mente auctoris non errat, quia talis casus menti illius recte occurrit, etiamsi illum expresse excipere noluerit.

ARTICULUS III.

Teneamurne obedire in dubio, an res præcepta sit licita?

I. *Quod non teneamur, videtur solide a gravibus Auctoribus suaderi.*
II. *Sed communius docent, obediendum esse.*
III. *Nec videtur negandum, si præceptum facile impleri potest.*
IV. *Rationes in contrarium evacuantur.*
V. *Hinc multa ad praxim inferuntur.*
VI. *Triplex certitudo requiritur, ut subditus non teneatur obedire.*
VII. *Probabile videtur, quod in tali dubio subditus non teneatur obedire, si res præcepta sit nimis molesta, & ardua.*
VIII. *Ex quo plura etiam ad praxim deducuntur.*
IX. *Immo cum gravi alterius præjudicio non solum non teneris, sed nec poteris obedire.*
X. *In multis casibus potest superior licite præcipere, quin subditus obtemperare teneatur.*
XI. *Id tamen per accidens contingit, puta ex opinione utinque probabili &c.*

I. PRima sententia docet, non esse obediendum superiori in tali dubio, cum Vasq. Salas, Adrian. Ratio est, quia præceptum superioris non potest facere licitum, quod alioqui est illicitum: Atqui & illicitum est, & intrinsece malum, facere quod dubitas, an sit licitum; Ergo non potest illud, accedente præcepto superioris, reddi licitum, atque adeo obediendum non est. Neque enim potest conscientia dubia deponi ob solum superioris præceptum, quia subditus non videt ratione præcepti specialem honestatem in re præcepta.

Confirmatur primo, quia Prælatus non est in possessione præcipiendi res illicitas: ergo cum dubitatur, an res præcepta sit illicita, dubitatur pariter, an possit illam superior præcipere; atque adeo subditus repugnans tali præcepto non spoliat superiorem possessione præcipiendi rem illam, unde non est cur teneatur, aut possit obedire.

Confirmatur secundo. Si quid a te petat Titius, & dubites, an debeas, non teneris dare; ergo si quid præcipiat superior, & dubites, an sit licitum, quia consequenter dubitas etiam, an debeas obedire, ideo non teneris.

Confirmatur ultimo. Major est obligatio voti, quam præcepti Superioris; In dubio autem, an res Deo promissa sit licita, votum non obligat, nec juramentum: ergo nec præceptum. Et ratio a priori est, quia quando concurrunt duo præcepta incompossibilia, prævalet præstantius: In casu autem nostro cum præcepto superioris concurrit præceptum juris naturalis, ne exponamur periculo faciendi, quod est illicitum; ergo hoc prævalet; atque adeo obedire non tenemur, nec possumus.

II. Secunda sententia communior cum Molina, Azor. Valent. Sanch. lib. 6. cap. 3. asserit, obediendum esse, quamvis subditus dubitet, an res præcepta sit illicita, vel excedat potestatem præcipientis. Ratio est, quia Aug. in cap. *Quid culpatur* 23. qu. 1. docet, Regi quamvis iniquo bellum indicenti subditum posse, atque adeo teneri obedire, dum non constet de injustitia belli. Hæc sunt verba Aug. contra Faust. cap. 75. *Vir justus, si sub Rege homine etiam sacrilego militet, recte potest illo jubente bellare, si quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est; vel utrum sit, certum non est; ita ut fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.*

Probatur secundo, quia superior, quatenus superior, habet præcipiendi possessionem, & subditus obligationem obediendi: ergo in dubio melior est conditio superioris, quem non potest subditus spoliare hac possessione, dum non constat, illicitum esse præceptum, aut excedens ejus potestatem. Neque obstat ratio in contrarium adducta, quod scilicet superior non sit in possessione præcipiendi res illicitas: Ratione enim sui muneris est in possessione præcipiendi quæcumque sibi licita videntur, dum non constat de turpitudine, quamvis tibi videantur illicita: qua possessione non potest subditus illum spoliare; unde dum dubitat de honestate præcepti, non ex suo, sed ex superioris judicio honestatem præcepti, ejusque obligationem mensurare debet.

Confirmatur, quia ille dicitur possidere, pro quo datur præsumptio juris, ita ut in alterum transferatur onus probandi suam exceptionem; sed præceptum superioris in dubio præsumitur justum, ut ostendit ex prædicto cap. *Quid culpatur* Covar. & alii; ergo superior habet jus, & possessionem præcipiendi quæcumque non constiterint illicita; unde in dubio præsumendum est esse licita, quin culpa ulla committatur in obediendo. Et ratio a priori est, quia cum dubio speculativo nullum committitur peccatum, quoties ratio aliqua urget ad formandum judi-

judicium practicum contrarium; hæc autem ratio est possessio præcipiendi, quæ reperitur in superiore, & præponderat possessioni libertatis subditi, ut ostendimus.

III. Dico equidem primo cum hac secunda sententia; Quoties præceptum facile impleri potest, obediendum est, etiam in dubio de ejus honestate.

Probatur, quia nulla est ratio excusans a subjectione, & obedientia debita superiori; dubium enim de honestate præcepti non excusat, quousque non probetur turpitudo, quia subdito incumbit onus probandi turpitudinem præcepti, ut diximus; nec superior tenetur probare, præceptum esse licitum, & honestum; cum hoc semper in jure præsumatur. Quare, ut notat Palaus tract. 1. disp. 3. p. 13. Superiores non tenentur rationem reddere subditis eorum, quæ præcipiunt, nec subditi possunt judicium certum superioris suo dubio anteponere.

Confirmatur, quia conjux dubitans de nullitate matrimonii tenetur alteri petenti reddere debitum præcise per hoc, quod ille sit in possessione petendi: Ergo etiam subditus dubitans, an res præcepta sit illicita, tenetur obedire, ne spoliet superiorem possessione præcipiendi, antequam certus omnino sit de malitia rei præceptæ.

IV. Ad primam rationem in contrarium respondeo, verum quidem esse, quod præceptum superioris non possit per se reddere licitum, quod alias erat illicitum; adeoque nequeat facere, ut licite obedias, si practice dubites, an sit licita obedientia: potest tamen præceptum superioris per accidens reddere licitum, quod alias erat illicitum, quatenus stante præcepto habetur ratio efficax, & consequenter obligatio deponendi conscientiam illam speculative dubiam, & existimandi licitum esse practice, quod speculative videbatur illicitum, ut recte docet Sanchez loco citat., Salas, Molin. disput. 113.

Ad primam confirmationem; Ex eo quod superior sit in possessione præcipiendi res licitas, fit, quod præsumatur licitum quodcumque a subdito non ostenditur illicitum: non est autem illicitum id, de quo speculative tantum dubitatur, an sit illicitum, si adsit ratio efficax deponendi practice dubium speculativum, qualis est auctoritas superioris præcipientis.

Ad secundam, concesso antecedente, negatur consequentia; nam Titius non est in possessione petendi res tuas, tanquam sibi debitas: Contra vero superior est in possessione petendi a te obedientiam, tanquam debitam præcepto suo, ut diximus de conjuge.

Ad tertiam dispar est ratio de voto, ac de præcepto; nam cum superioris sit gubernare subditos in rebus dubiis, ejus præceptum subditos reddit securos; quod non præstat votum, aut juramentum. Ratio demum a priori in argumento adducta tunc probaret, ut notat Sanchez loc. cit. quando pugnaret præceptum juris naturalis cum præcepto superioris: in casu autem nostro non pugnat; quia præceptum naturale solum vetat, ne exponamur periculo transgressionis formalis, non vero materialis; quando autem deponitur practice propter authoritatem superioris dubium speculativum, non habetur periculum nisi peccati tantum materialis: ergo præceptum naturale non pugnat cum præcepto superioris; Præsertim quia hic est veluti interpres voluntatis divinæ in dubiis; cum sit Dei vicarius, ut bene inquit Sotus mem. 3. quæst. 2. de tegendo secreto.

V. Sequitur hinc primo, ægrotos v. gr. teneri parere superiori præcipienti, ne jejunent, ne recitent horas &c. etiamsi dubitent, an ratione ægritudinis excusentur; quia præceptum superioris in eo casu legitime interpretatur, ægrotum legis obligatione non teneri: Contra vero cessante præcepto non licet subditis speculative dubitantibus de rei honestate illam exequi per hoc præcise, quod noverint superiorem censere rem illam esse licitam, nisi forte ea esset scientia superioris, ut ea ducti subditi prudenter judicarent esse probabilem honestatem talis objecti. Ratio est, quia secluso præcepto, aut doctrina superioris reddente probabilem suam opinionem, non habetur sufficiens causa deponendi practice dubium speculativum, ex eo præcise quod superior ita sentiat. Quare, ut notat Sanchez, si superior uni subdito præcipiat, quod abstineat a jejunio, propter ægritudinem, de qua dubitatur, an sufficienter excuset, non licet alteri subdito eadem ægritudine laboranti non jejunare: Sicuti non potest confessiones audire, qui dubitat de sua sufficientia; potest tamen, si accedat præceptum superioris: Et Miles dubitans de injustitia belli potest pugnare, si sit subditus, & ei præcipiatur; Secus vero, si non sit subditus, nec habeat probabilem opinionem de belli justitia, ut communiter docent contra Salas, Vasqu., Nav. apud Meroll. n. 327.

Sequitur secundo, ut Subditus teneatur parere, non esse opus, quod illi constet, rem præceptam esse licitam, sed satis esse, quod non constet evidenter oppositum. Ita expresse docet D. Augustinus in verbis laudatis contra Faustum, & Valentia disp. 7. qu. 2., qui bene subdit, evidens in præsenti fore, non quod soli subdito forsan ex passione tale videtur, sed quod piorum, ac peritorum judicio evidens judicabitur.

VI. Sequitur ultimo ex Sanch. loc. cit., quod, ut subditus non teneatur obedire, triplex certitudo requiratur. Prima, quod res præcepta aut sit illicita, aut excedat potestatem superioris. Secunda, quod superior non possit in ea re dispensare. Tertia, quod si possit dispensare, non habeat sufficientem causam dispensandi.

VII. Dico secundo, quoties præceptum est de re nimis molesta, ac difficili, v. gr. de longa peregrinatione, abstinentia, &c., in dubio de honestate præcepti probabilius est, subditum non teneri obedire, donec re maturius perpensa constet, eam esse licitam. Ita Sanchez lib. 6. cap. 3. Arriag. 1. 2. disp. 26. Sal., Sayr., Jo. Lug. quæst. 13.; & hanc opinionem tutam esse in praxi fatetur Palaus tract. 1. disp. 3. punct. 13., quamvis oppositam putet esse probabilem propter rationem in superiori conclusione adductam; cum molestia, & onus non efficiant, quominus superior sit in possessione.

Probatur, quia tanta rei præceptæ difficultas simul cum dubio de potestate imperandi videtur præponderare possessioni superioris, & favere potius libertati subditi, qui non debet onus grave certo subire, dum dubitat, an sibi possit imponi. Unde solvitur argumentum pro contraria sententia.

VIII. Hinc sequitur, probabilius non teneri obedire subditum in dubio, an res præcepta sit licita, vel excedat potestatem præcipientis, quando ex obe-

obedientia timetur grave damnum vel proprium, vel alienum honoris, vitæ, aut fortunarum; v. gr. si superior interroget de tuo delicto, vel alterius, & dubites, an juridice interroget. Ita Lessius cap. 31. num. 10. Ratio est eadem; Et confirmatur, quia Ecclesiæ præcepta certa sæpe non obligant cum gravi incommodo; ergo a fortiori præcepta dubia.

Præterea obedientia debita superiori non tollit jus, & possessionem tuam in bonis fortunæ, honoris, & vitæ: ergo in rebus magni momenti non suffragatur superiori ista possessio propter obedientiam, de qua dubitas, an debeatur; nam possessio subditi in rebus arduis certa prævalere debet juri, seu possessioni superioris dubiæ.

IX. Unde fit, quod si præceptum vergat in grave damnum alterius, non solum non tenearis, sed nec possis obedire: Secus vero, si in damnum tuum cedat; tunc enim, quia potes cedere juri proprio, poteris obedire, licet non tenearis; cum autem non sis dominus juris alieni, non poteris in grave damnum alterius obedire; non enim est æquum ad conservandum jus dubium superioris, lædere jus certum alterius. Et ratio ulterior est, quia quilibet habet jus justitiæ, ne lædatur in bonis suis, absque titulo manifesto; quando autem dubitatur, an superior habeat jus præcipiendi, non habetur hic titulus manifestus: ergo sine injustitia non poteris obedire.

X. Objicies ex Joanne Sanchez. Superior dubitans, an res præcepta excedat potestatem suam, potest juste illam præcipere, etiamsi vergat in damnum tuum, aut alterius; ergo subditus tenetur pariter obedire. Consequentia sequitur, quia jus præcipiendi, & debitum obediendi sunt correlativa. Antecedens probatur, quia superior, quando est in possessione præcipiendi, non debet ea spoliari propter dubium superveniens: Sicut conjux, qui bona fide matrimonium contraxit, & deinde dubitat de ejus validitate, si post diligentem inquisitionem adhuc dubium perseveret, potest petere debitum, & alter tenetur reddere, ut fert communis opinio.

Respondet primo Palaus, transmisso antecedente, negari consequentiam; quia possessio subditi in bonis fortunæ, honoris, & vitæ prævalet possessioni superioris circa materiam dubiam. Nec est mirum, quod licet jus præcipiendi, & debitum obediendi sint correlativa, possit tamen aliquando superior præcipere; quin teneatur subditus obedire. Nam ex Navar., Rodr., Filliuc. tr. 40. n. 336. juste judex interrogat reum ex semiplena probatione propter commune bonum, ne delicta remaneant impunita; nihilominus potest etiam juste reus negare veritatem in causa non solum capitis, sed etiam sanguinis, & ubi pœna triremium, exilii, vel confiscationis bonorum imponenda sit, adhibendo videlicet æquivocationes. Præterea potest judex reo capitis damnato præcipere, ne fugiat a carcere; reus tamen parere non tenetur. Præcipere etiam potest reo, ut compareat, quin ille teneatur comparere: Præcipere demum potest, ut reus fame pereat; reus autem oblatum cibum non solum comedere potest, sed etiam tenetur; ut docent multi apud Joann. Sanch. disp. 10. n. 9.

XI. Respondeo tamen secundo cum Joan. Lug. qu. 15. nego antecedens; nam præceptum, & obedientia sunt correlativa; Unde, ubi obedientia non est debita, per se loquendo, non datur jus præcipiendi: Sicut, per se loquendo, non datur jus exigendi, quod non debetur; aliter daretur bellum utrinque justum: Esto id possit contingere per accidens, si scilicet ex errore, aut probabili opinione putet v. gr. Princeps posse juste gabellam imponere, quam probabiliter etiam, vel ex errore subditus putet, se non debere, utpote injustam. Quare in casibus adductis, ubi reus non tenetur obedire, nec judex, per se loquendo, poterit præcipere, & consequenter neque poterit superior imperare, quæ vergunt in grave damnum subditi, aut alterius, quando subditus dubitat, an hujusmodi præceptum excedat potestatem superioris; cum subditus propter rationes adductas obedire non teneatur. Contra justitiam enim est, quod superior velit prævalere jus suum dubium præcipiendi juri alieno, & possessioni certæ, quam quilibet habet bonorum suorum; Tunc enim in dubiis judicandum potius pro superiore, quam pro subdito, quando sunt cætera paria, videlicet quando dubitatur, an sit attendenda ad talem usum potestas superioris, & contrahenda libertas subditi, an vero extendenda libertas subditi, & contrahenda potestas superioris, juxta dicta in prima Conclusione: At in casu nostro non sunt cætera paria, quia ex obedientia provenit grave damnum subdito, vel alteri; ex omissione vero obedientiæ nullum, aut pene nullum damnum obvenit superiori. Unde, per se loquendo, præcipere non potest superior, quando subditus non tenetur parere, & solum per accidens id contingere potest ex errore, aut ex opinione utrinque probabili; quod contingit in casibus adductis, in quibus ob opinionem utrinque probabilem potest judex præcipere, aut Rex aliquando gabellam imponere, &c. quin teneatur reus obedire, aut subditus gabellam solvere &c.

Ad probationem antecedentis, ideo verum est, quod conjux in eo casu possit petere, & alter teneatur reddere debitum, quia in dubiis standum pro valore actus, posita autem validitate matrimonii, non est dubium, quod sicut conjux bona fide possidens matrimonium possit petere, ita alter teneatur reddere, quamvis dubitet de valore matrimonii: At in casu nostro, quamvis verum sit, quod alter sit superior, alter subditus, non proinde sequitur, quod in casu determinato, in quo dubitatur, an præceptum excedat potestatem superioris, habeat ille jus præcipiendi; quando scilicet ex obedientia grave damnum sequitur alicui, propter rationes adductas.

ARTICULUS IV.

An etiam Religiosus obedire teneatur in dubio, an res præcepta potestatem Præcipientis excedat?

I. *Religiosus, utpote subditus voluntarius, videtur in hoc dubio non teneri ad obediendum, licet alii teneantur.*

II. *Plurima favent huic libertati Religiosi.*

III. *Sed communior sententia fert, Religiosum etiam in tali dubio ad obtemperandum teneri: esto forte non teneatur, qui solum emisit votum simplex obedientiæ extra statum Religiosum.*

IV. *Objecta diluuntur.*

V. Num

V. Num Moniales in tali dubio obedire teneantur Abbatissæ?

VI. Superiore præcipiente in Virtute Sanctæ Obedientiæ, in dubio negativo, num materia sit gravis, & capax talis præcepti, tenetur subditus sub mortali obedire; quicquid sit, si dubium sit positivum.

I. PAlaus tr. 1. disp. 3. punct. 11. putat probabile, quod Religiosus universim in tali dubio obedire non teneatur; esto teneantur alii. Idem docet Suar. de Relig. tom. 3. lib. 10. cap. 3. Ratio est, quia Religiosus est solum subditus ratione votorum statum Religiosum constituentium; unde nequit Prælatus aliud præcipere, nisi ea, ad quæ Religiosus voluit per votum se adstringere: Ergo in dubio, an res præcepta excedat potestatem superioris, non tenetur Religiosus obedire; nam juxta communem opinionem, Nemo tenetur ad id, de quo dubitat, an sub voto emisso comprehendatur; sicut nemo tenetur ad id, de quo dubitat, an votum emiserit.

Neque dicas primo, Religiosum per Vota statum Religionis constituentia tradere se gubernandum superiori, ratione cujus traditionis Superior, ac Religio jus habent, & dominium in Religiosum; unde fit, ut in casu dubio melior sit conditio Superioris possidentis suam potestatem.

Nam contra est, quia hujusmodi possessio ortum habet ab ipsa voluntate Religiosi; atque adeo solum extendi debet ad ea, ad quæ Religiosus voluit se obligare; non potest autem præsumi, quod voluntas Religiosi se extenderit ad casum dubium; ergo in casu dubio non tenetur obedire.

Neque dicas secundo, jurisdictionem Superioris in Religiosum non tradi per vota ipsius Religiosi, sed immediate a Pontifice positis votis, in quibus ea radicatur; ergo in casu dubio non debet superior sua potestate spoliari.

Nam contra est, quia Prælati Regulares hanc jurisdictionem non habent a Pontifice, nisi relate ad id, ad quod voluit Religiosus per vota se obligare; adeoque jurisdictionem non habent relate ad res dubias, relate ad quas non est verisimile, quod Religiosus voluerit se obligare.

II. Confirmatur, quia universim actus præsumitur ita gestus, ut sit quamminime onerosus agenti, ut ostendit Menoch. lib. 6. præsumpt. 9. ergo votum obedientiæ solemne præsumi non debet, quod extendatur ad casus dubios, adeoque neque jurisdictio a Pontifice collata Prælatis regularibus ad eos casus extenditur; cum Pontifex ad ea solum jurisdictionem contulerit, ad quæ voluit vovens se extendere.

Confirmatur secundo, quia, ut advertit Suar. l. c., illud est discrimen inter legem, & votum, quod obligatio legis, cum oriatur ex voluntate legislatoris, ex hujus intentione metienda est: Contra vero, cum obligatio voti oriatur ex voluntate voventis, debet se extendere juxta voventis intentionem. Quare sicut præsumitur, quod voluntas superioris se extendat quantum potest, videlicet ad obligandum etiam in casu, quo dubitat subditus; ita præsumitur, quod voluntas voventis sit restricta quantum potest, nec voluerit se obligare ad casus dubios: Ergo cum præceptum Prælati regularis, & jurisdictio promanet, ac radicetur in votis Religiosorum, idcirco non potest se extendere ad obligandum in casu dubio, relate ad quem noluit se Religiosus obligare. Hinc idem Suar. docet, non esse improbabile, quod Abbatissa non possit vi voti obedientiæ a Monialibus emissi illas obligare ad aliquid faciendum in casu dubio.

III. Communis tamen sententia apud Sanchez l. 6. cap. 3. docet, etiam Religiosum teneri obedire in dubio, an res præcepta præcipientis potestatem excedat. Etenim rationes a Doctoribus adductæ articulo antecedente probant universim tam pro Religiosis, quam pro aliis; imo magis pro Religiosis, qui cum perfectius teneantur obedire, non debent præceptum superioris examinare. Quamvis autem prærequiratur Religiosi voluntas, & votum ad eum statum suscipiendum, eo tamen suscepto, Prælatus habet jus præcipiendi non solum ratione voti, sed etiam ratione traditionis, & jurisdictionis a Pontifice collatæ, cujus possessio prævalere debet in dubio negativo: Aliter obedientia Religiosa esset imperfectissima, si cuilibet liceret eximere se ab illa, quoties non constat de justitia præcepti.

Argumenta adducta ad summum probant, illum, qui votum simplex obedientiæ extra Religionem emisit, non teneri in dubio parere; quod probabile censet Suar. l. c., quia in tali casu superior nullum habet jus jurisdictionis, cujus possessio prævaleat: At per vota solemnia confertur a Pontifice Superiori verum jus jurisdictionis, ratione cujus potest obligare subditum, ut etiam in dubio pareat.

Confirmatur; quia quamvis obligatio conjugum oriatur ex ipsorum voluntate, tamen quia posita voluntate contrahendi matrimonium statim consurgit ea obligatio, ideo, si deinde alter dubitet de validitate matrimonii, adhuc tenetur debitum reddere, si petatur ab altero bona fide possidente jus suum: ergo pariter, quamvis obligatio Religiosorum oriatur ex ipsorum voto, tamen quia positis votis statim consurgit jurisdictio in superiore, ideo, si deinde hic, & nunc a subdito dubitetur aut de validitate Professionis, aut de justitia præcepti, tenetur obedire, ne spoliet superiorem jure obligandi, quod possidet bona fide.

IV. Ad rationem itaque in contrarium negatur antecedens. Religiosus enim non est subditus solum ratione votorum, sed etiam ratione traditionis, & jurisdictionis a Papa manantis. Hinc Prælatus potest ea omnia præcipere, quæ ad institutum Religionis se extendunt; in dubio autem, an aliquid intra Religionis institutum contineatur, superioris judicium, & possessio præferenda est, juxta dicta ex cap. *Quid culpatur* 23. quæst. 1. jus enim naturale dictat, superiorum regimen debere subditos dirigere in arduis, & obscuris; Sicut jus divinum præscripsit Deuteronomii 17., ut in arduis, & ambiguis judiciis starent Sacerdotum decreto. Et de facto in debitis dubiis quilibet stare debet sententiæ judicis habentis jurisdictionem: Ergo etiam in dubio, an debeat parere hic, & nunc, Religiosus stare debet judicio sui superioris jurisdictionem habentis.

Confirmationes adductæ pro sententia contraria procedunt de voto simplici, non vero de votis constituentibus statum religiosum cum potestate dominativa, & jurisdictionis in Prælatis ad imperandum ea, quæ tali statui videantur consentanea. Abbatissa autem ideo probabiliter non potest aliquid præ-

præcipere in casu dubio, quia probabile est ex eodem Suar., & Sanch. lib. 6. cap. 1. eam non habere in Moniales potestatem jurisdictionis spiritualis; unde nec potest excommunicare, & censuras ferre, sed habet tantum potestatem œconomicam, & civilem, qualem habet mater familias in filios, & civilis magistratus in cives; & qualem olim habebant Abbates in Eremitas, qui simplici voto obedientiæ se illis obstringebant.

V. Adde tamen ex Bossio num. 1806. probabile etiam esse, quod simplici voto obedientiæ astricti teneantur etiam in dubio obedire, non secus ac astricti votis solemnibus: Unde quamvis verum esset, quod Abbatissa non possit præcipere in virtute sanctæ obedientiæ ex defectu jurisdictionis spiritualis, adhuc tamen Moniales etiam in casu dubio tenentur obedire Abbatissæ ex voto obedientiæ, ut docet idem Suar., & Bresserus, quia vovens alteri obedientiam vult ab illo regi vice Dei, præsertim in rebus dubiis, in quibus est necessaria directio, & gubernatio, & in ordine ad quas superiores censentur a Deo peculiarem gratiam recipere. Et confirmatur, quia alioqui magna confusio inter Moniales oriretur, si quælibet prætextu proprii dubii posset Abbatissæ obedientiam negare.

Ex dictis infert Sanchez, quod si superior præcipiat aliquid in virtute obedientiæ sub mortali, & dubitetur, num materia sit gravis, adeoque capax gravis obligationis, teneatur subditus sub mortali obedire; quia dum non constat de materiæ levitate, standum judicio superioris: Si tamen probabile sit, materiam esse levem, an teneatur sub mortali obedire? dubium est articulo sexto examinandum, ubi universim quæremus, an teneamur obedire, si probabile sit, rem præceptam esse extra præcipientis potestatem?

ARTICULUS V.

An teneatur subditus obedire, si etiam superior dubitet de honestate rei præceptæ?

I. Pro utraque parte stant Doctores primæ notæ, & rationes non leves.

II. Tenetur Subditus obedire, si certus sit de honestate rei præceptæ, esto Superior dubitet.

III. Non potest tamen obedire, si uterque dubitet, & superior ante præmissam diligentiam præcipiat.

IV. Hinc resolvitur quæstio illa celebris, Num Conjux teneatur debitum reddere illicite petenti.

V. Si utroque dubitante de honestate rei, superior debitam diligentiam præmiserit, ante quam præciperet, probabilius tenetur subditus obedire, saltem si res præcepta non sit nimis ardua.

I. SI contingat, non solum subditum, sed etiam superiorem dubitare, an res præcepta liceat, vel excedat superioris potestatem, idque ipsi subdito innotescat, Sanchez, Sal., Rodr., Bannes putant, subditum non teneri parere; Tota enim ratio, cur subditus in dubio teneatur obedire, est, quia superior petit sibi debitum ratione possessionis, ne scilicet in dubio privetur possessione certa; At quando etiam superior dubitat de honestate rei præceptæ, vel an sit intra limites suæ potestatis, non petit debitum, nec ei favet possessio, cum hęc sit solum ad ea præcipienda, quæ superior arbitratur licita, & intra suam potestatem contineri; ergo subditus non tenetur, imo nec potest obedire dubitans, an liceat res præcepta.

Palaus tamen tract. 1. disp. 3. punct. 13. docet, teneri subditum obedire, si dubium superioris perseveret post adhibitam ab eo diligentem veritatis inquisitionem. Ratio est, quia Prælatus tunc legitime præcipit, quando habet præcipiendi potestatem, ac possessionem: etiamsi dubium aliquod suboriatur, dummodo illud vincere non possit: Sicut quilibet potest de rebus, quas possidet, disponere, si dubium superveniens post adhibitam diligentiam adhuc perseveret. Quod confirmatur, quia Conjux bona fide possidens matrimonium, si deinde dubitet de ejus valore, & facta veritatis pervestigatione, dubium perseveret, potest petere, & alter tenetur reddere, ut communiter Doctores docent; ergo a pari in casu nostro. Ut autem difficultati huic fiat satis, considerare oportet multiplex dubium, quod in superiore simul, & subdito esse potest.

II. Dico primo, si superior dubitet, subditus vero certus omnino sit, rem præceptam esse licitam, & intra superioris potestatem contineri, tenetur hic obedire. Ita Sanchez, Pal. Covarr. & alii. Ratio est, quia in ea re vere debetur obedientia superiori, quamvis ipse per errorem aut putet sibi non deberi, aut dubitet, an debeatur. Quod constat a pari; nam si quis ex errore putet, rem aliquam a me possessam non esse suam, adeoque non sibi deberi, illamque petat sibi reddi, tanquam suam, quamvis peccet petendo, equidem tamen teneor illam reddere, sciens esse suam. Ergo quamvis in casu adducto male petat obedientiam superior dubitans, an sibi debeatur, subditus tamen sciens illam deberi tenetur obedire; Pariformiter si alter conjux dubitans de valore matrimonii petat debitum ab altero, qui de validitate non dubitat, hic tenetur reddere male petenti, eo quod ex errore tantum ille dubitet.

III. Dico secundo: Si superior simul, & subditus dubitant, & superior ante præmissam debitam veritatis investigationem tulit præceptum, subditus non tenetur, imo nec potest obedire, si dubitet de honestate rei præceptæ. Ita Pal. loc. cit. Ratio est: quia in tali casu superior non potest præcipere, Ergo subditus non potest vi præcepti deponere practice dubium speculativum de honestate rei præceptæ; atqui quoties dubium speculativum de honestate rei præceptæ non potest ob motivum aliquod sufficiens practice deponi, tunc peccat, ut supra ostendimus, qui cum tali dubio operatur: Ergo subditus non potest obedire. Quod autem Superior non posset in tali casu præcipere, constat; quia Superior examinare debet rei, quam præcipit, honestatem, ne subeat periculum præcipiendi, quæ non licent, adeoque, quousque non constat de honestate rei præceptæ, nec est præmissa debita diligentia, non potest ferri præceptum, temere enim ferretur.

Neque obstat, inquit Sanchez, quod Augustinus in c. *Quid culpatur* citato dicat, iniquitatem præcipientis in præcipiendo non impedire in subdito obligationem obediendi. Nam intelligendum hoc est, quando iniquitas præcipienti, se tenet ex parte modi, ut si Rex præcipiat bellum justum ex odio, aut animo vindictæ, non velo si se teneat ex parte ipsius præcepti quoad substantiam, ut accidit, si præcipiat Rex, quæ præcipere non potest; quan-

quando autem dubitat de honestate rei præceptæ, præcipit, quod præcipere non potest, cum non sit in possessione præcipiendi (ut loquitur Palaus) temere: Ergo subditus nec tenetur, nec potest obedire. Quod tamen non militat, si superior facta diligentia dubium vincere non potest; tunc enim legitime præcipit, ut Conjux legitime petit debitum, si non possit dubium vincere de valore matrimonii, quod possidet.

IV. Hac eadem doctrina, & distinctione resolvitur quæstio illa celebris, An scilicet Conjux licite reddat debitum illicite petenti. Respondent enim communiter Doctores cum Martino Perez disp. 50. sect. 5. Sanch. l. 9. disp. 6. petitionem debiti dupliciter posse esse illicitam, primo, propter circumstantiam aliquam se tenentem ex parte Personæ, ut si quis petat debitum ob pravum finem, animo fornicario, aut cum voto castitatis: Secundo, propter circumstantiam aliquam se tenentem ex parte actus, ut cum petitur debitum in loco publico, aut cum periculo impediendi prolem. Quando petitio debiti est illicita primo modo, potest, & tenetur alter debitum reddere, quia per accidens est, quod petitio illa debiti, & ipse actus sit illicitus; propterea reddens debitum, quantum est ex se, tantum cooperatur actui licito, atque adeo tenetur reddere debitum; Si vero petitio sit illicita secundo modo, Conjux non potest reddere, cum non possit concurrere ad actum de se malum.

Confirmatur, quia si creditor v. g. petat a te pecuniam suam, teneris illam solvere, quamvis scias, illum habere votum non repetendi, aut ea abusurum ad fornicandum. Ad summum tunc teneris præmittere correctionem fraternam ex lege charitatis, vel differre solutionem, si possis sic impedire peccatum proximi sine magno incommodo; quia tenemur impedire damnum spirituale proximi, etiam cum aliquo ipsius detrimento temporali; sicut tenemur differre redditionem gladii Domino furioso; nec fit illi injuria, cum salubriter ejus negotium agatur: ergo pariter si conjux astrictus v. g. voto castitatis illicite petat debitum, quamvis peccet petendo, quia tamen per votum non amisit jus petendi, ideo tenetur alter debitum reddere, (saltem post præmissam fraternam correctionem, aut si non potest commode differre debiti redditionem) quia in tali casu non cooperatur peccato illius formaliter; sed solum cooperatur actui, qui quantum est ex se licitus est reddenti, & solum est illicitus petenti, cum ex sua malitia male petat. Propter eandem rationem licitum est necessitate urgente petere Sacramentum Pœnitentiæ a Confessario, quem scio esse in mortali, ac petere mutuum ab usurario; quia petitur, quod licite potest ab iis exerceri, si scilicet Confessarius præmittat actum contritionis, & usurarius non exigat usuras.

Dices. Conjux astrictus voto castitatis petendo debitum petit actum sacrilegum: ergo non potest alter licite reddere, quia cooperaretur sacrilegio, sicut non potest reddi debitum Conjugi petenti cum periculo mortis fœtus, ne ponatur cooperatio ad injustitiam.

Confirmatur: Si Titius habens votum jejunandi petat a me carnes, non possum illas administrare, quamvis petitio sit illicita tantum ea circumstantia Personæ habentis votum: Ergo si alter Conjux habeat votum Castitatis, & petat debitum, non potest illi reddi, quamvis petitio eodem modo sit illicita ex circumstantia Personæ.

Confirmatur secundo: Si quis suum gladium apud me depositum petat ad occidendum injuste alterum, non possum illi reddere gladium suum: Ergo neque possum licite reddere debitum illicite petenti.

Respondeo, verum quidem est, quod talis actus sit sacrilegus, sed est sacrilegus ex parte petentis, non ex parte reddentis; Sicut Christi Crucifixio sacrilega fuit ex parte Crucifigentium, non ex parte Crucifixi, neque ex parte Dei permittentis crucifixionem: Quando actus est illicitus non ex circumstantia Personæ, sed ex circumstantia se tenente ex parte ipsius actus, tunc est simpliciter illicitus; & idcirco nec peti, nec reddi potest debitum, v. g. in loco publico. Propter eandem rationem non licet petere ab excommunicato vitando extra necessitatem extremam Sacramentum Pœnitentiæ, quia tale Sacramentum ex defectu jurisdictionis in Absolvente est nullum, atque adeo illicite petitur; Nec licet ministrare carnes die Veneris, quia comestio carnium est illicita, non ex circumstantia Personæ, sed ex temporis circumstantia.

Ad primam confirmationem concedo antecedens, nego consequentiam. Disparitas est, quia in primo casu Titius nullum habet Jus petendi a me carnes, unde carnium administratio non cohonestatur ab obligatione illas administrandi; sicut cohonestatur redditio debiti ab obligatione reddendi: quare ad summum ex charitate deberem præmittere, ut diximus, fraternam correctionem, aut differre debiti solutionem, si non oriantur inde discordiæ.

Ad secundam confirmationem nego consequentiam. In primo enim casu reddendo gladium injuriam irrogarem innocenti, quem vult iste occidere, & ideo teneor non reddere ex jure, quod habet innocens, ne concurram ad sui occisionem. Contra vero in secundo casu Conjux reddendo debitum nulli facit injuriam, & ideo simpliciter tenetur reddere, sicut debet reddi gladius Domino, si habens votum non petendi adhuc sacrilege illum petat.

Instabis; bonum spirituale est majus bono corporali; sed propter bonum corporale alterius non licet aliquando reddere debitum, verbi gratia, si reddendo sequeretur grave damnum petenti, vel proli; ergo a fortiori non licet reddere petenti, qui habeat votum non petendi, propter bonum animæ illius, cujus peccatum cavetur non reddendo.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam. Ratio est primo, quia in casu nostro negando debitum non cavetur peccatum petentis, sed solum impeditur actus externus, qui, ut communius Theologi docent, nullam malitiam addit peccato interno: Tunc Conjux teneretur debitum negare, quando non reddendo impediret etiam peccatum internum. Secundo ex Bonac. & Sanchez, in tantum non potest reddi debitum cum periculo corporali vel petentis, vel prolis, in quantum nemo habet dominium morale in corpus suum, aut alterius; unde sicut non potest Conjux petere cum periculo proprio corporis; ita nec alter tenetur reddere: Contra vero homo supra animam suam habet dominium morale, eo quod Deus relinquerit animam in manu consilii hominis; & ideo tene-

tur Conjux reddere debitum petenti illicite cum damno spirituali animæ illius, cujus dominium morale ille habet; quamvis non posset reddere cum periculo gravis damni corporis, cujus morale dominium non habet.

V. Dico ultimo, si superior, & subditus maneant dubii de honestate rei præceptæ, etiam post præmissam veritatis inquisitionem, tunc probabilius est, subditum teneri obedire, dummodo res præcepta non sit valde onerosa. Ita Palaus. Ratio est, quia in tali dubio prævalet possessio superioris, & favet exemplum matrimonii; nam, ut docet Sanchez lib. 2. disp. 41. si uterque Conjux dubitet de valore matrimonii bona fide contracti, neuter potest debitum petere, quousque debita diligentia præmittatur; Si tamen post diligentiam adhuc dubium perseveret, potest uterque petere, & alter tenetur reddere: Unde idem dicendum in casu nostro, quoties res præcepta non est valde molesta, juxta dicta articulo tertio.

ARTICULUS VI.

Teneamur ne obedire, si probabile sit, Rem præceptam esse illicitam?

I. *Valde probabile videtur, quod non teneatur obtemperare subditus, præsertim si res præcepta sit ardua, & sit locus Epicheiæ.*

II. *Communior tamen sententia fert, quod subditus obedire teneatur, etiamsi probabiliter judicet, rem præceptam esse supra superioris potestatem, nisi habeat locum Epicheja.*

III. *Num possint Gabellæ, & Tributa fraudari in dubio positivo de earum injustitia? An etiam in dubio negativo?*

I. HActenus examinavimus quid dicendum in dubio negativo, inquirimus nunc, an etiam in dubio positivo possessio faveat superiori; ita ut teneamur obedire, etiamsi probabile sit, rem præceptam excedere potestatem præcipientis?

Non dari obligationem obediendi, sustinent Lessius cap. 41. n. 76. Joan. Sanchez disp. 33. Palaus tract. 1. disp. 2. p. 5. Ledesma apud Dianam p. 4. tr. 4. resol. 31., & Tambur. Ratio est, quia quilibet potest conformare se probabili sententiæ, nec tenetur contra propriam opinionem operari accommodando se opinioni superioris; atque adeo, si reputet, probabile esse, rem præceptam esse extra potestatem superioris, obedire non tenetur. Secundo, quia Confessarius in foro pœnitentiæ est superior, & Judex, & tamen pœnitens non tenetur illius opinionem sequi, seu illius præcepto obedire contra propriam opinionem.

Confirmatur primo, quia nec votum, aut juramentum, nec lex naturalis, aut Divina, aut Ecclesiastica obligant, quoties probabile est, rem aliquam sub materia voti, aut præcepti non contineri: v. grat. lex Divina præcipiens Confessionem materialiter integram non obligat ad confitendum peccatum, quod probabiliter non est mortale, vel est confessum: Ergo neque præceptum superioris obligat, quando probabiliter res præcepta sub ejus potestate non continetur.

Confirmatur secundo, quia Vasquez, Corduba, Lessius cap. 33. num. 67. Sanchez libro 6. cap. 3. probabiliter tenent, posse subditum fraudare tributum, quod probabiliter existimatur injustum: Ergo pariter præceptum, quod probabiliter est de re illicita, probabile est, quod non obliget, quamvis possit juste imponi; etenim ratione utriusque opinionis probabilis uterque sine peccato operatur, superior præcipiendo, subditus non-obediendo. Sicuti multi docent posse in casu sanguinis Judicem licite interrogare Reum de crimine semiplene probato, & tormentis cogere ad illud fatendum; quamvis Reus juxta probabilem opinionem non teneatur fateri; ut diximus articulo tertio.

Neque dicas primo, superiorem habere jus, & esse in possessione præcipiendi non solum res licitas, & juxta limites suæ potestatis, sed etiam res probabiliter tales, seu quas subditus evidenter non cognoscit illicitas, aut ultra ejus potestatem, ut ostendimus in eodem articulo tertio. Nam hoc verum est, ut notat Joan. Sanchez, si subditus tantum dubitet negative, quia solum in his dubiis melior est conditio Possidentis, cum non debeat jus dubium subditi prævalere juri certo superioris; At in dubio positivo, quando probabile est, rem esse illicitam, non datur obligatio obediendi, quia potest quilibet probabilem opinionem sequi; unde, ut loquitur Palaus, superior habet jus præcipiendi, quod est certo, & indubitabiliter licitum: Quod vero sub opinione licitum est, etiam sub opinione jus habet præcipiendi.

Neque dicas secundo, subditum teneri ad exequendum quodcumque potest sine peccato exequi; in casu autem nostro potest sine peccato obedire, sequendo opinionem superioris, ergo tenetur. Nam Joan. Sanchez respondet, subditum teneri exequi quodcumque sine peccato absolute poni potest, non vero quodcumque potest solum probabiliter poni sine peccato, cum possit sequi sententiam oppositam docentem pariter probabiliter, non posse mandatum superioris impleri sine peccato.

Neque dicas tertio, hinc multa scandala oriri, ac obedientiam pene corruere. Nam nullum scandalum, seu species mali habetur, quando quis operatur suffultus opinione probabili: Quare vel ratio probabilis, qua nititur subditus, est nota, & nullum sequitur scandalum ex inobedientia; vel non est nota, & sufficit, quod subditus declaret se ea ratione duci ad non obediendum, ne det occasionem suspicandi, quod superioris præceptum contemnat.

Neque dicas ultimo, inferri injuriam superiori, si spolietur jure ad præcipiendum quodcumque non est evidenter illicitum, quamvis subdito probabiliter appareat illicitum; sicut infertur injuria Domino, si spolietur re juste possessa, per hoc quod probabiliter reputes esse tuam; & sicut infertur injuria Conjugi, si spolietur jure ad petendum, seu si debitum non reddatur per hoc, quod probabiliter reputetur invalidum matrimonium. Nam Joan. Sanch. respondet, tunc inferri injuriam superiori, quando spoliatur jure, quod certo possidet, non vero quando per opinionem probabilem, quod non possi-

possideat, spoliatur jure probabiliter tantum possesso. Non est eadem ratio de possidente juste rem aliquam, quæ non potest ab illo auferri, per hoc quod probabiliter sit tua. Nam qui rem juste possidet, habet jus certum possessionis, quod vinci non potest per jus probabile, quod res illa sit tua: at in casu superior non habet jus certum possessionis relate ad præcipiendum rem hanc, sed solum probabile: ergo nulla illi injuria irrogatur, si vincatur ab opinione probabili subditi, quod tale jus non detur, eo quod probabiliter sit illicita res præcepta. Sicut nulla injuria irrogatur Petro, si quis ex opinione probabili usurpet sibi rem ab eo non possessam, quamvis probabiliter Petrus putet esse suam, v. g. quia sibi legatam. Idem dicas de Conjuge, qui habet jus certum petendi debitum, quoties bona fide possidet matrimonium, nec constat esse nullum.

II. His tamen non obstantibus, communior, & verior sententia docet, subditum teneri ad obtemperandum præcepto superioris, etiam in dubio positivo de honestate præcepti. Ita Vasq., Sanch. l. 6. c. 3. Reginald., Azor., Laym., Sal., & alii cum Suar. l. 6. de leg. c. 8. dicente, hanc esse communem doctrinam, & in praxi necessariam. Quod etiam docuit Dian. part. 1. tr. 13. ref. 9. licet deinde sententiam mutaverit. Rationes enim adductæ articulo tertio æque militare videntur pro dubio positivo, ac pro negativo. Nam primo Aug. in cap. illo *Quid culpatur* videtur docere, subditum bellare posse, ac teneri, quandocumque Rex bellum indicit, si non constet de belli injustitia: & D. Bern. l. de dispens., & præc. ait: *Quicquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, ac si præcipiat Deus.*

Secundo, subditus tenetur ponere quicquid præcipitur, si potest sine peccato poni: Certum autem est, quod citra culpam possit poni res bona fide a superiore præcepta, si tantum probabilis sit ejus inhonestas; quandoquidem probabile est etiam illam esse honestam, prout superior autumat; unde potest subditus huic opinioni se conformare, & sic sine peccato obedire. Et ratio ulterior est, quia jus præcipiendi in superiore non debet dependere ab opinione subditi. Quis enim dixerit ea tantum posse superiorem præcipere, quæ non ipse, sed subditus putat esse licita, ac præcipi posse? Si autem datur jus præcipiendi in superiore, tenetur consequenter subditus obedire: Quamvis aliquando possit vi Epichejæ benigne interpretari mentem superioris, quod noluerit pro tali casu obligare. Neque juvat evasio Joan. Sanch. dicentis, superiorem præcipere posse quæcumque potest subditus sine peccato exequi absolute, non vero probabiliter. Nam, ut diximus, absolute potest sine peccato subditus obedire, sequendo probabilem opinionem superioris.

Confirmatur, tum quia in foro externo simul, & interno standum est sententiæ Judicis, quamvis contra illam sit ratio probabilis; tum etiam quia Conjux tenetur reddere debitum bona fide petenti, quamvis probabilis sit nullitas matrimonii: tum demum, quia qui possidet bona fide rem aliquam, non potest ea spoliari, quamvis habeas opinionem probabilem, quod res illa sit tua: Ergo Superior bona fide possidens jus præcipiendi quodcumque reputat intra limites suæ potestatis contineri, non potest ea spoliari per opinionem probabilem, quod res præcepta sit illicita: Spoliaretur autem hic, & nunc tali jure, nisi daretur debitum obediendi; cum jus præcipiendi, & debitum obediendi sint correlativa.

Neque obstat, quod relate ad talem rem præceptam non videatur superior possidere jus præcipiendi, nec habere jus certum, sed tantum probabile. Nam hoc probaret, neque in dubio negativo de honestate rei præceptæ obediendum esse, quia relate ad illam non possideret jus præcipiendi, sed haberet jus dubium. Quare licet subditus opinans de honestate præcepti opinetur indirecte de jure præcipiendi; nihilominus quia superior est in possessione præcipiendi quæcumque licite poni possunt, & subditus potest licite exequi rem præceptam, quantumcumque opinetur esse illicitam, idcirco juri præcipiendi rem hanc respondere debet debitum obediendi.

Ad primam rationem in contrarium respondeo, posse quidem subditum se conformare universim opinioni probabili, teneri tamen conformare se opinioni probabili Superioris, quando præcipit rem probabiliter honestam, & intra limites suæ potestatis; hoc enim conforme est tum juri naturali dictanti in ambiguis, & obscuris debere subditos a Superioribus dirigi; tum juri Divino positivo, ut dictum est articulo tertio.

Ad secundam respondeo, Confessarium non esse superiorem simpliciter, nec habere jus præcipiendi in omnibus Pœnitenti, sed solum relate ad peccata commissa; quare Pœnitens sequendo opinionem probabilem non peccat, quia non potest Confessarius illi præcipere, ut suæ se conformet opinioni: Contra tamen superior præcipiendo rem, quæ sine peccato poni potest, indirecte præcipit, ut suæ se conformet opinioni subditus, qui utpote subditus in omnibus parere tenetur.

Ad primam confirmationem. Quando res probabiliter non est sub materia voti, aut juramenti, probabiliter non est debita ex voto: At si probabiliter res præcepta non est sub potestate præcipientis, adhuc poni debet, quia superior non debet spoliari possessione juris præcipiendi quodcumque citra culpam poni potest; quamvis detur opinio probabilis, quod res præcepta præcipi non possit: Sicut possidens rem bona fide non potest ea spoliari propter opinionem probabilem, quod ea res sit tua.

III. Ad secundam confirmationem, disparitas est, quia nemo spoliari potest bonis fortunæ, aut vitæ per opinionem probabilem, quod spoliari possit. Quare nisi certo constet, quod tributum sit justum, non tenetur subditus solvere. Neque enim satis est, quod Princeps habeat jus imponendi tributum, quod reputat justum, ut subditus teneatur reputare justum, & debitum quodcumque ab illo bona fide imponitur; cum enim ex una parte Princeps sit in possessione imponendi tributum justum, & ex altera subditus sit in possessione pecuniæ suæ, sicut sine culpa Princeps imponit tributum a se reputatum justum, ita sine culpa non solvit subditus, si reputet injustum; cum enim agatur de utriusque interesse, semper esse debet melior conditio possidentis: Quod usque adeo verum est, ut Molin. disp. 724., & alii apud Dian. p. 4. tract. 3. ref. 39. putent, etiam in dubio negativo de justitia tributi fraudari posse, quia etiam in his dubiis melior est conditio possidentis, & gabellæ no-

væ semper præsumuntur injustæ, donec constet de justitia. Unde in cap. *Pervenit De censib.* dicit Pontifex, prius cognosci debere justitiam census, quam solvat; (quamvis, ut notat idem Molina, teneris consulere peritos, & veritatem inquirere ad dubium deponendum, ne fraudes Principem tributo debito) At in casu nostro per hoc præcise, quod superior sit in possessione præcipiendi quodcumque reputat intra limites suæ jurisdictionis contineri, habet consequenter potestatem obligandi subditum, & spoliandi illum libertate, quam possidet, ut ostendimus. Et disparitas ulterior est, quia leges ordinantur in bonum subditorum; unde expedit, quod in dubiis prævaleat judicium superioris; at tributum facile in bonum privatum Principis derivat; unde, quousque constet de ejus justitia, non debet solvi; Et pariformiter respondendum ad instantiam de judice reum interrogante in causa sanguinis. Ubi adde, quod diximus articulo 3., videlicet in dubio etiam negativo non dari onus parendi, si inde grave damnum sequatur. Quod accideret, si reus in causa sanguinis responderet, quando dubitatur, an legitime interrogetur.

ARTICULUS VII.

An teneatur subditus obedire, quando dubium est de legitima potestate Superioris?

I. Si Superior non sit in possessione Prælationis, potest subditus in tali dubio non obedire, sive positive dubitet, sive etiam negative.

II. Secus vero, si sit in tali possessione.

III. Superior in hoc casu punire potest subditos inobedientes, quamvis isti forte coram Deo non peccent, sequendo opinionem oppositam.

IV. Miles subditus pugnare tenetur, prout præcipitur a Principe pacifice possidente suum Principatum, etiamsi detur ratio probabilis de belli injustitia. Miles tamen non subditus pugnare non potest, si non datur ratio probabilis de belli justitia, sed probabiliter bellum est injustum. Quod si tantum negative dubitet, bellare potest.

V. Reus, & Testis, si dubitent de legitima Judicis interrogatione, & ex sincera responsione grave damnum timeant, poterunt æquivocatione uti ad respondendum. Secus vero si non immineat grave damnum.

I. Vasquez 1. 2. disp. 72. c. 6. & Salas docent, non teneri subditum obedire, sive positive, sive negative dubitetur de legitima superioris potestate, v.g. an sit electus, confirmatus, & an sit hujus subditi superior, quia non potest esse in subdito debitum obediendi, nisi certo constet esse in superiore jus præcipiendi.

Censeo equidem cum Merolla c. 3. Jo. Lugo q. 18. ex Sanch. l. 6. c. 3. distinguendum. Nam vel superior reperitur in possessione Prælationis, vel non: Si non; vera est sententia Vasquez, & Salas, quod subditus obedire non teneatur, quia, cum superiori non faveat possessio, standum est pro possessione libertatis subditi. Quod verum est, sive dubium sit negativum, sive positivum: Sicut enim nemo spoliari potest re bona fide possessa per opinionem probabilem, quod sit aliena; ita subditus nequit spoliari libertate, quam possidet, per probabilem rationem, quod alter sit superior, habeatque jus præcipiendi.

II. Si vero sit in possessione Prælationis suæ superior, subditus tenetur, sive negative, sive positive dubitet de legitimitate superioris. Ratio ex dictis est, quia sicut nemo spoliari potest re bona fide possessa propter dubium sive negativum, sive etiam positivum, quod sit aliena; ita superior non potest spoliari jure præcipiendi, quod possidet bona fide, per hoc quod dubitetur, an legitime possideatur. Eo pacto, quo diximus, conjugem bona fide possidentem suum matrimonium posse petere, & alterum teneri ad reddendum debitum, quamvis hic dubitet de validitate matrimonii: Ubi ex opposito, antequam matrimonium stet in possessione, si alter conjux dubitet negative de matrimonii validitate, nec petere potest, nec reddere; Si vero dubitet positive, uterque potest petere, ac reddere, sequendo opinionem probabilem de ejus validitate; Neuter tamen tenetur reddere, cum possit sequi opinionem probabilem de invaliditate. Ideo pariter diximus, in dubio tam negativo, quam positivo de honestate rei præceptæ obediendum esse superiori, quia hic est in possessione præcipiendi, quodcumque sine peccato poni potest a subdito; quo jure spoliari non debet propter dubium, aut rationem probabilem, quod res præcepta sit illicita; atqui, quando superior est in possessione suæ prælationis, stat pariter in possessione juris præcipiendi: Ergo neque spoliari potest propter dubium, aut rationem probabilem, quod non sit legitima ejus potestas.

Dices ex Less. Nemo tenetur lege, de qua dubitatur, an sit lex, etiamsi stet in quasi possessione, per hoc quod tanquam lex fuerit observata: Ergo nemo tenetur præcepto Superioris, si dubitetur, an sit legitimus superior, etiamsi stet in possessione superioritatis.

Respondeo concesso antecedente, nego consequentiam: lex enim nunquam possidet, nisi quando certo constat fuisse latam. Et ratio est, quia illud dicitur esse in possessione, pro quo stat præsumptio, & quod transfert alteri onus probandi oppositum: atqui quantumcunque lex fuerit observata, in dubio, an sit vera lex, debet ipse legislator probare, quod legem tulerit: Ergo lex nunquam possidet. Contra vero superior potest bene esse in pacifica possessione, ita ut nolenti obedire transferatur onus probandi illegitimitatem: Ergo paritas nulla est.

Ad rationem contrariæ sententiæ supra adductam dicendum, superiorem in dubio de legitima potestate habere dubium jus præcipiendi, si non stet in possessione prælatio: Contra vero, si hæc stet in possessione, habere jus certum ad præcipiendum, donec constet de illegitimitate. Sicut conjux possidens bona fide matrimonium, in dubio etiam positivo de valore matrimonii, habet jus certum petendi, & consequenter alter habet debitum reddendi, donec constet de invaliditate.

III. Ex dictis sequitur primo, ut notat Bossius contra Joann. Sanchez, & Dianam, posse a superiore puniri subditos, si non obediant, etiamsi ipsi coram Deo non peccent, eo quod contrariam sententiam reputent probabilem. Superior enim utitur jure suo in præcipiendo, & puniendo, & in foro externo merito subditi reputandi sunt inobedientes, ob rationes allatas. Quemadmodum judices in civilibus, ac criminalibus damnant eos, qui juxta sententiam, quam sequitur judex, rei sunt, etiamsi ob probabilitatem sententiæ oppositæ immunes ipsi sint a formali peccato. Et juste Princeps punit fraudantes vectigalia, etiamsi ob probabilem rationem reputentur injusta, & sic sine formali

pec-

peccato fraudentur. Alia tamen est ratio de Pœnitente, quem in foro interno Confessarius debet absolvere, utpote absolutionis capacem, etiamsi in restituendo v. g. sequatur opinionem probabilem, quam non sequitur Confessarius; etenim in iis duntaxat, quæ ad Confessarium spectant, non tenetur hic conformare se opinioni pœnitentis, v. g. si putet Confessarius, non posse ab aliquo casu absolvere, non tenetur conformare se opinioni pœnitentis putantis absolvi posse.

IV. Sequitur secundo, quod Principe bellum indicente teneantur subditi pugnare, etiamsi positive dubitent de belli injustitia, aut de legitimitate Principis pacifice possidentis suum Principatum. Sufficiens enim ratio ad deponendum practice dubium speculativum est præceptum talis superioris, ut supra ostendimus. Milites verò non subditi pugnare non possunt, si probabiliter bellum sit injustum, & nulla probabilis ratio sit pro belli justitia: Si vero tantum negative dubitent, bellare possunt, quia præsumere possunt, Principem Christianum indicentem bellum expendisse jam justitiam illius. Ita Doctores communius cum Mol. disp. 113. Jo: Lug. q. 19. Palao, contra Vasq. in 1. 2. disp. 66. cap. 9. & alios, putantes, ne subditum quidem pugnare posse, si dubitet de belli injustitia.

V. Sequitur tertio, quod, si quis dubitet de legitima judicis interrogatione, teneatur ad mentem interrogantis respondere, quoties ex responsione non sequitur grave damnum, quia judex est in potestate suæ jurisdictionis, atque adeo imponendi præceptum; unde in dubio, pro illo est decidendum. Si vero grave damnum immineat vel contra ipsum reum, vel contra aliam personam, tam testis, quam reus, ut notat Bardi disp. 4. cap. 2. §. 10. poterunt uti æquivocatione, aut aliter veritatem celare, sive dubitent, an judex legitime interroget, sive an sit legitimus judex, idque propter rationes adductas articulo 3. Nam cum sit reus in possessione propriæ vitæ, honoris, famæ, &c. dum non constat, judicem procedere juris ordine servato, reus non tenetur se, nec testis reum exponere discrimini vitæ, aut honoris.

ARTICULUS ULTIMUS.

Expediuntur, quæ supersunt in eadem materia.

I. Si dubitetur, num aliquod statutum habeat rationem legis obligantis, an meræ directionis; dicendum esse directionem. At si dubitetur, num lex lata contineat præceptum, an consilium; dicendum eam continere præceptum.

II. Si dubitetur, num lex lata obliget sub gravi, quia non constat de gravitate materiæ; dicendum obligare sub gravi; secus vero si dubitetur de intentione legislatoris, num velit sub gravi obligare?

III. In lege canonica verbum præceptivum indicat universim obligationem gravem; non tamen in lege civili.

IV. Non obligat lex in dubio, an ratione ætatis, vel temporis urgeat: Unde pueri non tenentur abstinere à carnibus diebus vetitis in dubio, an septennium expleverint.

V. Num possit mane communicare qui dubitat, num post mediam noctem biberit.

VI. Si jejunium naturale esset conditio requisita, ut possit quis communicare, in dubio, an talis conditio sit apposita, non potest communicare; Secus vero, si fractio jejunii naturalis supponatur esse impedimentum ad communionem.

VII. Num votum obliget in dubio, an ante septennium emissum sit?

I. QUæri potest primo; In dubio, num leges aliquæ sub præcepto, an sub consilio latæ sint, quid præsumendum?

Menochius, & Archidiacon. apud Bard. cap. 2. §. 6. putant, in dubio hoc legem obligare per modum præcepti; quia obligatio est effectus necessario consequens rationem legis: At Doctores primæ notæ apud Sanch. l. 6. c. 4. docent, in dubio habere rationem consilii; nam in regulis juris dicitur: *In obscuris minimum esse sequendum.*

Equidem cum eodem Bardi distinguendum puto; Si dubium sit, num dispositio, seu statutum aliquod sit vera lex, an simplex quædam directio, quæ rationem legis non habeat? tunc censendam esse meram directionem, non legem, & consequenter sub consilio, non sub præcepto latam fuisse; idque ob rationem adductam pro secunda sententia. Si vero constet, directionem illam esse veram legem, & dubitetur, præceptum ne, an suasionem contineat; dicendum, esse latam per modum præcepti; idque ob rationem pro prima sententia adductam, quia obligatio est effectus consequens rationem legis proprie dictæ.

Neque dicas, plurimas ordinationes esse veras leges, & ad culpam non obligare, ut sunt Constitutiones, & regulæ quarundam Religionum, præsertim Societatis Jesu; ergo falsum est, omnes leges esse obligatorias. Negatur enim consequentia. Illæ regulæ, cum sint veræ leges, etiam obligatoriæ sunt; quamvis autem ad nullam culpam obligetur in foro conscientiæ; obligant tamen ad luendam pœnam, si imponatur transgressoribus, itaut, si non luatur, tunc peccetur, ut videre est apud Suar. de legibus lib. 1. c. 14. & lib. 4. cap. 22.

II. Quæri potest 2. Num lex in conscientia obligans in dubio censenda sit obligare sub mortali, an sub veniali?

Respondeo, dubium hoc ex duplici capite oriri posse; vel ex eo, quod non appareat, an Legislator voluerit obligare sub mortali in materia gravi; vel ex eo, quod non appareat, num materia sit gravis, atque adeo capax gravis obligationis, ad quam intendit Legislator obligare. In hoc secundo dubio cohærenter ad hactenus dicta dicendum, obligare sub mortali. Ita Sanchez lib. 6. c. 4. Merolla disp. 4. c. 3. dub. 26. & alii: nam ex una parte constat, ut supponimus, Legislatorem velle sub gravi obligare, & solum dubitatur de capacitate materiæ; Ex alia parte possessio tota est pro superiore præcipiente, non pro subdito; siquidem præsumptio in hoc dubio est pro superiore, qui in foro externo transfert subdito onus probandi materiæ incapacitatem; cum præsumatur recte omnia perpendisse, & consequenter existimasse, materiam esse gravem, si minus secundum se, saltem in ordine ad gravem finem intentum.

Si vero dubitetur primo modo, videlicet de intentione Legislatoris, num voluerit sub gravi obligare? Salas, Valent. Laymann, Tolet. putant, teneri subditum sub mortali obedire, ne peccandi periculo se exponat. Equidem cum Sanch. lib. 6. cap. 5. Bonac.

5. Bonac. Dian. part. 2. tr. 10. ref. 30., censeo, hujusmodi obligationem sub mortali non dari; tum quia in obscuris minimum est sequendum ex Regulis Juris; tum etiam quia subditus est in possessione suæ libertatis; non secus ac quando dubitatur, sitne lata lex, ut diximus artic. 1. Notandum tamen, inquirendam prius esse diligenter veritatem juxta regulas, quæ proponi solent apud Sanch. loc. cit. ad dignoscendam mentem Legislatoris, advertendo scilicet ad materiam, ad verba præcipientia, ad communem aliorum existimationem, &c., aliter ex neglectu talis diligentiæ peccaret graviter subditus, exponendo se periculo transgrediendi legem.

III. Non displicet tamen opinio Nav. in Manual. c. 23. n. 54. docentis, quod, si apponatur verbum præceptivum in lege canonica, obligatio sit gravis, esto præcipi res illa potuerit sub veniali; probatque ex Clementina, *Exivi de Paradiso*, ubi dicitur, transgressio nonnullarum regularum S. Francisci esse mortalis, quia in iis apponitur verbum præcepti. Hoc tamen non accidit in lege civili, quia hæc solet præcipere, & prohibere actum solum sub pœna temporali; cum ea sufficiat ad continendos subditos: quamvis si constet, Legislatorem velle sub mortali obligare, sub mortali lex servanda sit.

IV. Quæri potest tertio: In dubio, an ratione ætatis, vel temporis lex aliqua urgeat, sitne servanda?

Communiter docent apud Sanch., & Dian. part. 4. tract. 3. ref. 31., nullam dari obligationem. Ratio est, quia, quoties lex aliqua ad sui observationem requirit aliquam conditionem, toties, nisi constet hujusmodi conditionem esse positam, lex non obligat: ergo, quando lex non obligat, nisi in tali ætate, vel elapso tali tempore, nisi constet de ætate, vel tempore elapso, lex non est servanda. Antecedens constat; nam lex non ligat alio modo, ac forma, nisi ea, quæ a Legislatore emanat, atque adeo, si Legislator non vult legem obligare ante impletam conditionem, lex non obligabit ea non posita. Ex quo

Sequitur primo, dubitantem, num vigesimum annum impleverit? ad jejunium Ecclesiasticum non teneri, ut communiter docent apud Dianam p. 4. tr. 3. ref. 21. contra Bresserum l. 4. c. 7. & Scildere tr. 5. nu. 34. putantes, legem jejunii esse certam, dubiam vero esse minorem ætatem, quæ est ratio excusans ex D. Thoma 2. 2. q. 147. art. 4., eo quod indigeat homo in hac ætate alimentis pro incremento: Et propter eandem rationem iidem Doctores docent, non posse ministrari carnes diebus vetitis, quando dubitatur de pueris, an compleverint septennium, atque adeo ratione utantur; quia scilicet lex vetans est certa, & excusatio est dubia. Sed contra est ex Sanchez l. 2. disp. 41., & Suario de censuris disp. 41. sect. 5., nam lex jejunii non incipit obligare ante vigesimum primum annum completum; ergo præcedit tempore libertas; atque adeo hæc est in possessione; idemque dicas in casu septennii.

Sequitur secundo, dubitantem, an post diem Jovis media nox elapsa sit, non teneri a carnibus abstinere: Secus vero, si dubitetur, an post diem Saturni elapsa sit media nox, atque adeo donec de media nocte non constet, urget præceptum.

V. Quæritur tamen hic, an possit mane communicare, qui dubitat, an post mediam noctem biberit, aut comederit. Non posse, docent Sanchez l. 2. disp. 41. Salas, Fagundez, Bonacina, Merolla apud Bardi disp. 6. cap. 11. p. 3., quia est in possessione præceptum, quod vetat communionem, si non sit servatum jejunium naturale, atque adeo constare debet de hac conditione requisita a præcepto: Sicuti enim, quando præcipitur, ne nocte Nativitatis celebretur nisi post mediam noctem, constare debet, quod media nox sit elapsa, & in dubio celebrari non potest; ita in dubio, an jejunium naturale sit servatum, non potest mane sumi sacra Synaxis.

Sed probabilior videtur opposita sententia Laymanni, Pasqualigi, Spinolæ, Bardi loco citato, quod possit communicare, quia possessio videtur potius stare pro libertate, quam pro præcepto; Nam sicuti, quando præcipitur, ne matrimonium contrahatur cum aliquo impedimento, dubitans de impedimento potest contrahere, ut docet Sanchez lib. 8. disput. 6., quia stat in possessione libertas contrahendi, donec constet de impedimento; ita quando præcipitur, ne quis mane communicet, si apposuerit impedimentum cibi, aut potus, dubitans de tali impedimento potest communicare; quia stat in possessione libertas communicandi, donec constet de impedimento apposito.

VI. Ad rationem contrariæ sententiæ respondendum; aliud esse quando præceptum requirit conditionem; aliud vero quando requirit, ne apponatur impedimentum; Si præceptum requirit conditionem, constare debet de illa, quia stat in possessione præceptum, donec constet de conditione purificata; & ideo dum præcipitur, ne celebretur, nisi post mediam noctem, constare debet de media nocte: Si vero præceptum requirit, ne impedimentum ponatur, non debet constare, quod non sit appositum impedimentum, sed satis est, si non constet esse appositum; quia semper stat in possessione libertas, donec constet de impedimento. Et ratio a priori est, quia pro eo stat possessio, pro quo stat præsumptio; pro eo autem stat præsumptio, qui transfert alteri onus probandi oppositum. Quando autem agitur de impedimento, alter probare debet, quod non sit positum: Contra vero, quando agitur de conditione, tu probare debes, quod sit posita; ergo, quando agitur de conditione, stat præsumptio, & possessio pro præcepto; secus vero stat pro libertate, quando agitur de impedimento. In casu nostro, præceptum, ne quis communicet non jejunus, in rigore non est præceptum, ne quis communicet, nisi posito jejunio, tanquam conditione; sed est præceptum, ne quis communicet, si apposuerit impedimentum cibi, aut potus: Sicut præceptum, ne quis contrahat matrimonium habens votum castitatis, in rigore non est præceptum, ne quis contrahat sub conditione, quod non voverit castitatem, sed est præceptum, ne contrahat, si apposuerit impedimentum voti; unde dubitans de voto, dummodo non constet de illo, potest contrahere: secus vero, si non constet v. grat. de proclamationibus præmissis, non potest licite contrahere, quia requiruntur, tanquam conditiones.

VII. Dices: Qui votum emisit, & dubitat, num ante septennium illud emiserit, ligatur voto, ut communius, & probabilius docent, quia in tali dubio stat in possessione ipsum votum; ergo qui comedit,

medit, & dubitat, num post mediam noctem, non potest communicare; quia pariter stat in possessione præceptum; Nam sicut tibi incumbit ostendere, quod ante septennium emiseris votum, ne illo obligeris; ita tibi incumbit ostendere, quod ante mediam noctem comederis, ut possis communicare.

Respondeo, Malderum, Joannem Lugo, Palaum, Dian. part. 3. tract. 9. res. 50. Sanchez lib. 4. c. 1. probabiliter docere, quod votum illud non obliget, quia toties possessio stat pro libertate, quoties in dubium vocatur aliquod ex constituentibus votum, ut accidit in casu nostro, in quo dubitatur de tempore septennii, atque adeo de usu rationis, qui pertinet ad constituendam voti obligationem. Sed omisso antecedente, nego consequentiam: Disparitas est, quia tempus per accidens se habet ad validitatem voti, ad quam per se solum facit usus rationis: Quare sicuti in foro externo, qui negat debitum v. g. ob exceptionem minoris ætatis, hanc probare debet; ita etiam qui negat debitum voti ob exceptionem ætatis, debet illam probare. At in casu nostro media nox per se facit ad præceptum: Unde nisi constet de illa, præsumendum pro libertate communicandi.

Advertit tamen Bardi, quod licet communicare possit, qui post diligens examen adhuc dubitat, an post mediam noctem biberit; non potest tamen communicare, qui ita somno captus fuit, ut elapsis quibusdam noctis horis nihil cogitans de media nocte biberit, & statim somnum ceperit: etenim cum non possit prudenter examinare, quandonam biberit, non posset prudenter asserere, quod talis potus certo positus non sit impedimentum ad communionem, atque adeo non debet se exponere periculo communicandi non jejunum. Temere enim in tali casu assereretur, potum illum fuisse ante mediam noctem positum, & non esse impedimentum ad sacram Synaxim sumendam; quod non evenit, quando spectatis omnibus prudenter dubitat, num ante, vel post mediam noctem biberit; non enim temere asserit, potum non esse impedimentum ad Communionem, quoties perpensis perpendendis dubium illud negativum perseverat; quod non accidit in casu adducto, in quo nequeunt rationes hinc inde pensitari.

QUÆSTIO V.

De Conscientia Dubia in materia Dispensationum, & Privilegiorum.

ILlud interest inter Dispensationem, & Privilegium, quod Privilegium sit veluti quædam privata lex, & sæpe præter jus, ut privilegium lucrandi indulgentias, absolvendi a reservatis, &c. Dispensatio vero sit contra jus, & veluti vulnus legis. Quando privilegium est contrarium juri, videtur confundi cum dispensatione, puta privilegium comedendi lacticinia in Quadragesima; Verum privilegium hujusmodi, si habet rationem privilegii, consistit in facultate permanente operandi contra legem, & confertur Communitati; sin autem habeat rationem dispensationis, confertur pro aliquo actu, & pro determinata persona. Hinc, si detur alicui ab Episcopo facultas comedendi ova in Quadragesima, hæc appellatur dispensatio; si vero detur hæc facultas alicui Communitati permanenter, hæc appellatur Privilegium. Discutiendum nunc de utroque, strictam ne, an latam habeant interpretationem in dubio?

ARTICULUS I.

Strictene, an late in dubio interpretanda sit Dispensatio, & Potestas dispensandi?

I. *Per se loquendo Dispensatio, tanquam vulnus legis, stricte interpretanda est in dubio: Nisi forte proprio motu Principis concedatur, aut sit inserta in corpore Juris citra præjudicium tertii.*

II. *Potestas vero dispensandi, sive ordinaria sit, sive delegata, universim in dubio latam habet interpretationem, nisi vergat in tertii præjudicium.*

III. *Quandonam potestas dispensandi delegata habet rationem Beneficii ample interpretandi; quando vero habet rationem Dispensationis interpretandæ stricte?*

I. DIco primo: Dispensatio, per se loquendo, in dubio strictam patitur interpretationem. Ita Sanchez lib. 8. d. 1. Meroll. d. 4. c. 6. *ex cap. 1. de Filiis Presbyterorum in 6.*, ubi assignatur ejus rei ratio, quia scilicet Dispensatio, utpote quæ a jure exorbitat, restringi debet, & cum sit vulnus legis, scelus est illud aperire, ac dilatare. Dixi, per se loquendo, aliquando enim admittit latam interpretationem, saltem intra naturalem verborum interpretationem. Et primo quidem quando motu proprio Principis conceditur, quia tunc se habet veluti Principis beneficium, de ejus liberalitate procedens, ex c. *Si motu De præbendis in 6.* Secundo, quando dispensatio est inserta in corpore Juris, quia tunc præsumitur motu proprio concessa, dummodo non tendat in præjudicium tertii; in hoc enim casu stricte est explicanda, ut videre est apud Doctores laudatos.

II. Dico secundo: Potestas dispensandi non solum ordinaria, quæ competit Episcopis, aliisque Prælatis respectu suorum subditorum, sed etiam delegata, per se loquendo, in dubio amplam habet interpretationem. De ordinaria non est dubium, quia id fert bonum commune, & rectum regimen ovium: De delegata est communis opinio apud Sanchez l. 8. d. 2., quia concessio talis Potestatis existimatur

purum

purum Principis beneficium, quod in dubio late interpretandum, & extendendum est, cum contineat favorem absque odii mixtione, juxta regulam 15. Juris in 6. Dixi, per se loquendo; nam si tendat in præjudicium tertii, est restringenda, quia in dubiis præsumendum est, quod Princeps voluerit quam minime lædere jus tertii. Quare, si Pontifex v. gr. concedat Episcopo potestatem legitimandi, talis potestas, utpote continens odium, & præjudicium aliis, in dubio coarctanda est.

III. Dico tertio: Si potestas dispensandi delegetur alicui, v. gr. Confessario in gratiam illius, & pro personis indeterminatis, in dubio ample est interpretanda: Si vero conferatur Confessario in gratiam personæ determinatæ, cum qua dispensandum sit, est interpretanda stricte; Non secus ac si alicui detur facultas, ut eligat sibi aliquem v. gr. Confessarium, qui secum dispenset in voto, in impedimentis matrimonii, in irregularitate. Ratio est, quia in primo casu potestas illa delegata cum tali generalitate est favorabilis, & utilis communitati, ac nemini nocens, proinde est purum beneficium, & ample interpretandum, ut notat Suar. lib. 6. de leg. cap. 10. Sanchez, Salas d. 20. s. 11. In secundo vero, cum respiciat personam determinatam, est quædam inchoata dispensatio, & se habet instar dispensationis, quæ singularem personam respicit, & ideo est odiosa, unde stricte est interpretanda.

ARTICULUS II.

In dubio, num dispensatio sit valida, quid decidendum?

I. Dubium hoc ex triplici capite oriri potest.
II. Si dubietas oriatur ex hoc, quod dubia sit superioris prælatio, dispensatio erit valida, si superior sit in possessione sui superioratus; secus vero si non sit in tali possessione.
III. Si vero dubitetur, an causa dispensationis fuerit sufficiens, valida dicenda est dispensatio, quoties de insufficientia causæ non constet.
IV. Num peccet superior dispensando, dubitans de causæ sufficientia?
V. Si dubitetur, num verba dispensationis hunc casum comprehendant, dicendum non comprehendere.
VI. Quid dicendum, si dubitetur, num dispensatio fuerit subreptitia; vel si dubitetur, num fuerit finalis, an impulsiva causa in memoriali tacita, aut falso expressa?
VII. Probabilius dicendum, causam esse finalem, atque adeo dispensationem esse subreptitiam.

I. EX triplici capite oriri potest dubium de dispensationis validitate. Primo, ex parte superioris, de quo dubitetur sitne legitimus, habensque facultatem dispensandi? Secundo, ex parte causæ, ob quam petitur dispensatio, si dubitetur, fueritne sufficiens? Tertio ex parte ipsius dispensationis, si dubitetur, an hunc casum comprehendat? Vel an fuerit subreptitia per hoc, quod non satis probetur veritas narratorum in supplicatione? Vel si dubitetur, num causa tacita, vel falso inter alias expressa sit finalis, quæ dispensationem vitiat; an sit tantum impulsiva, quæ non vitiat?

II. Dico primo: Si dubium ex primo capite oriatur, distinguendum. Nam si superior sit in possessione superioratus, dicendum est, dispensationem esse validam, quia superior nequit sua possessione spoliari, donec constet de opposito: Si vero superior non est in legitima possessione superioratus relate ad talem subditum, non licet ea dispensatione uti ob periculum transgrediendi legem; cum nullum habeatur morale principium deponendi practice tale dubium. Ita Sanchez lib. 4. d. 44. Et ratio ulterior est, quia in tali dubio stat in possessione præceptum, qua spoliari nequit per dubiam dispensationem.

III. Dico secundo, si dubium oriatur ex secundo capite, dicendum, dispensationem esse validam, quoties non constat de insufficientia causæ. Ita Sanch. l. c. Suar. & alii. Ratio est, quia subditus bona fide proponens causam, quam habet, superiori, prudenter remittere se potest judicio illius, qui posito quod dispenset, eo ipso censet, causam esse sufficientem.

IV. Si tamen petas, Peccetne superior, si dispenset dubitans de sufficientia causæ? distinguendum est: si dubitet superior, an existat causa, quæ proponitur, peccat dispensando, quia dispensatio requirit causam certam: Si vero dubitet, an causa certo existens sit sufficiens? docet Sanch. l. 4. d. 45. cum Sylv. Palatio, contra Jo. Med., quod licite dispenset; quia suave regimen Ecclesiæ id postulat; nimis enim onerosum esset superioribus, si causam evidenter sufficientem expectare deberent ad dispensandum; alioqui fere nunquam dispensarent. Equidem dicerem, neque requiri evidentiam de causæ sufficientia propter rationem adductam, neque sufficere dubium, quia stat in possessione lex, in qua superior nequit sine sufficienti, ac minime dubia causa dispensare: Satis tamen esse probabilitatem, licet cum formidine de causæ sufficientia; sic enim prudenter, & benigne procedet Superior.

V. Dico tertio. Quando ex tertio capite dubitatur, an verba dispensationis hunc casum comprehendant? dicendum non comprehendere. Ita Sanch. loc. c., & Meroll. Ratio est, quia dispensatio, cum sit odiosa, est restringenda. Quare, si Pontifex v. gr. dispenset cum aliquo in voto castitatis ad finem ineundi matrimonium, & dubium sit, an voluerit dispensare totaliter, dicendum, quod non totaliter sit dispensatum; unde posset quidem hic Matrimonium contrahere; at, si aliter contra castitatem peccaret, sacrilegium committeret. Quando vero ex eodem 3. capite dubitatur, an dispensatus tacuerit verum, vel falsum expresserit in sua petitione; tunc præsumptio erit pro valore dispensationis; quia jus non præsumit delictum, ex *l. merito ff. de Socio.*

VI. Quod si dispensatus verum aliquod tacuerit vel falsum expresserit, & dubitet, num illud fuerit causa finalis vitians dispensationem, an vero impulsiva, quæ dispensationem non reddit irritam, & subreptitiam? in tali casu causam censendam esse finalem, & dispensationem subreptitiam, docent Coninch. d. 33 dub. 6. de Sacrament. Barbosa, Gutierez, Villal., & alii apud Sanch. lib. 8. d. 21. Ratio est, tum quia, cum constet de impedimento, & dubia sit dispensatio, stat possessio pro impedimento, seu pro lege: tum etiam, quia Pontifex sub ea conditione dispensat, aut concepit v. gr. Ordinario loci, vel Confessario, ut dispenset, si scili-

cet preces veritate nitantur; quando autem est dubium, non nituntur veritate; Tum demum, quia universim a quocunque fiat dispensatio, quando dubitatur, num causa in dispensatione tacita, vel falso expressa sit finalis, an impulsiva, censenda est finalis, & dispensatio nulla, ut docet Baldus, Tiraquell. & alii cum Mol. d. 173.

Verum Sanchez, Palaus, Salas, Bonac., & alii apud Dian. p. 4. tr. 3. r. 64. putant, causam illam in dubio præsumendam esse impulsivam, & dispensationem validam; quia in dubio pro valore actus est præsumendum, ex cap. *Abbate de verb. signif.* & l. *Quoties* ff. *de rebus dubiis*, & per consequens possessio est pro validitate dispensationis; Nam is possidet, pro quo est præsumptio in foro externo, ut ostendit Meroll. d. 3. c. 3.

Ad primam rationem in contrarium respondet Sanchez, possessioni illi stanti pro impedimento, seu pro lege præponderare præsumptionem valoris actus; Nam præsumptio faciens actum valere est reliquis firmior, & validior, ut ostendit Menoch. de præsumpt. l. 6. præsumpt. 4. Ad secundam respondet, quod cum in eo dubio præsumatur pro valore dispensationis, prævalet ea pars, quod preces sint veræ. Ad tertiam, multis idem Sanchez ostendit, universim dispensationem in tali dubio esse validam, atque adeo eam causam præsumi impulsivam, non finalem, propter rationem adductam; quod scilicet in dubio præsumitur pro valore actus; non esset autem dispensatio valida, si ea causa præsumeretur finalis.

VII. Equidem tamen censeo cum Conink. de Sacr. disp. 33. cap. 6. n. 93. Merol. disp. 3. cap. 3. n. 178. Bardi d. 6. c. 5. §. 4. primam sententiam esse veriorem, atque adeo dispensationem esse subreptitiam. Ratio est, quia principium illud, in quo secunda sententia nititur, quod scilicet in dubio præsumitur pro valore actus, procedit tantum in favorabilibus, non in odiosis, & quando derogatur juri communi; Aliter nunquam contingeret, dispensationes in dubio præsumendas esse invalidas; posset enim quis dicere, in dubio præsumendum pro validitate actus dispensationis, quod tamen absonum communiter reputatur. Illud limitandum cum Bardi, quod si possessio stet pro dispensatione, & dubium superveniat, non impediat validitatem illius, ut si quis ex dispensatione contraxerit matrimonium, & deinde dubitet de validitate matrimonii.

ARTICULUS III.

Habendane sit irrita dispensatio, si deprehendatur Prælatum non potuisse dispensare?

I. *Si communi errore censebatur, Prælatum dispensantem esse superiorem, quamvis revera non esset, dispensatio erit valida.*

II. *Deficiente causa finali dispensationis, hæc est irrita.*

III. *In dubio, an dispensatio, aut potestas dispensandi ad talem casum se extenderet, vel an daretur causa sufficiens, si bona fide dispensatum fuit, valida est dispensatio, quamvis deinde deprehendatur oppositum.*

IV. *In dubio, an possit Episcopus dispensare, num recurrendum sit ad Pontificem?*

V. *Num licite Episcopus dispenset in legibus Pontificiis in casu urgentis necessitatis? An etiam in impedimentis matrimonii, & in irregularitate?*

I. Dico primo, si deprehendatur, Prælatum non potuisse dispensare, eo quod nec superior erat, nec communi errore talis habebatur, procul dubio irrita est dispensatio; Si vero deprehendatur, Prælatum non esse re vera superiorem, sed habuisse titulum, licet invalidum, communi errore existimatum validum, atque adeo si superior communi errore existimetur verus superior, ob illum titulum coloratum, tunc dispensatio est valida. Ratio est, quia ex lege *Barbarius* ff. de *Officio Prætoris*, propter bonum commune valida sunt gesta a superiore habente titulum coloratum, supplente in eo casu defectum jurisdictionis ipsa Ecclesia, vel Republica. Ita communiter. Si tamen superior careat titulo colorato, sed communi errore existimetur superior, probabile etiam est, dispensationem esse validam, ut ostendit Bardi in Bullam Cruciatæ p. 2. tr. 5. c. 1. §. 12., & Pontius contra Sanch. apud Dian. p. 3. tr. 4. res.122.; quia probabile etiam est, propter commune bonum gesta a tali superiore ab Ecclesia, vel Republica validari.

II. Dico secundo: Si deprehendatur, Prælatum non potuisse dispensare ex defectu causæ, vel quia tacita fuit vera causa finalis, aut expressa causa falsa, tunc dispensatio est omnino irrita. Ita Sanch. l. 4. c. 44. Ratio est, quia non spectat ad bonum Ecclesiæ supplere in his casibus defectum; atque adeo, cum superior non intendat dispensare, nisi juxta veritatem, quæ sibi proponitur, deficiente veritate, & causa finali, deficit pariter voluntas dispensandi in superiore; atque adeo validitas dispensationis.

III. Dico tertio. Quoties certa est potestas dispensantis, & solum dubium fuit, an ad talem casum extenderetur, vel an pro tali casu daretur causa sufficiens, tunc valida est dispensatio, etiamsi deprehendatur oppositum, videlicet quod potestas ad talem casum non se extenderet, vel quod non esset sufficiens causa ad dispensandum, dummodo bona fide processum sit: Ita probabiliter Sanchez loc. cit, & Sylv. contra Bonacin. apud Dian. p. 4. tr. 3. r. 44. Et ratio est, tum quia in his casibus dispensatio est a legitima potestate illius, qui absolute, & non conditionate dispensationem concessit, ejusque valor non pendet ab eventu futuro; tum etiam quia id exigit bonum Ecclesiæ regimen ad vitandos innumeros scrupulos, qui alias oriri possent.

Confirmatur, quia in dubio, an casus sit reservatus, non censetur reservatus; quod si post absolutionem deprehendatur reservatio, adhuc valida fuit absolutio, nec est opus recurrere iterum ad superiorem pro absolutione, ut docent Suar., Sanch., Meroll. apud Dian. p. 4. tr. 3. r. 4., & p. 9. tr. 4. r. 46. Pariter in dubio, an votum sit Pontifici reservatum, si Episcopus dispenset, (sicut potest in tali dubio) & deinde deprehendatur esse Pontifici reservatum, non est opus nova dispensatione, ut docent communiter cum Sanch. lib. 4. c. 40. n. 26. & 79. & Suar. tom. 2. de Relig. lib. 16. de voto c. 26.;

26. ergo pariter, si bona fide concedatur dispensatio in casu adducto, valida est dispensatio, etiam post detectam veritatem: nam in omnibus his casibus dispensatio est a legitima potestate dispensante absolute, & non conditionate. Et ratio a priori horum omnium est, quia, ut ostendimus articulo primo, potestas dispensandi in dubio latam habet interpretationem: ergo in his omnibus casibus adductis, in quibus potestas dispensandi ad hunc casum, vel ad hoc votum se extendat, (sicut etiam in dubio, an potestas absolvendi se extendat ad tale peccatum) dicendum, quod se extendat, atque adeo valida est dispensatio, seu absolutio, quin fieri possit, quod talis actus a principio validus tractu temporis fiat invalidus per hoc quod deprehendatur potestatem illam ad talem casum revera non se extendere; Expedit quippe ad suavem Ecclesiæ gubernationem, quod non reviviscat necessitas novæ dispensationis, aut absolutionis, quando error deprehenditur.

IV. Rogabis hic primo, an Episcopus possit in lege superioris dispensare in dubio, an casus egeat dispensatione? verbi gratia, Num possit Episcopus dispensare cum volentibus contrahere matrimonium, si dubitent, num conjuncti sint in quarto, aut in quinto gradu consanguinitatis, aut cum iis, qui dubitant, an per concubitum carnalem sit contracta affinitas? ita ut post dispensationem ab Episcopo factam, si deprehendatur, quod sint revera in quarto consanguinitatis gradu conjuncti, aut vere contracta sit affinitas, non sit amplius ad Pontificem recurrendum.

Respondeo, si dubium sit positivum, ita ut probabile sit, verbi gratia, consanguinitatem esse in quinto gradu, etiamsi probabile pariter sit esse in quarto gradu; communius docent Doctores, nullam esse petendam dispensationem ab Episcopo: cum liceat sequi opinionem probabilem absque culpa. Verum tamen est, quod si sic matrimonium contrahatur, & deinde deprehendatur, consanguinitatem esse in quarto gradu, matrimonium est irritum. Si vero dubium sit negativum, Laym. Palaus, Sa apud Dian. part. 4. tract. 3. resol. 46. probabiliter pariter docent, nulla opus esse dispensatione, quia præsumptio stat pro libertate, & nemo censeri debet lege astrictus, quousque de lege moraliter constet. Sed Bonacina, apud eundem Dianam putat, in dubio negativo recurrendum esse ad Pontificem; tum quia dispensandus non debet se exponere periculo faciendi contra legem superioris, in qua Episcopus dispensare non potest; tum etiam, quia ita praxis observat, quoties adhibita diligentia dubium remanet de necessitate dispensationis.

Equidem tamen cohærenter ad doctrinam traditam censeo cum Sa, Palao tract. 3. disput. 6. par. 5. & Sanch. lib. 8. disput. 6. quod si in hoc dubio negativo opus esset dispensatione, Episcopus posset dispensare, adeo ut si deinde deprehendatur, verbi gratia, consanguinitatem fuisse in quarto gradu, talis dispensatio data ab Episcopo sit sufficiens. Ratio est, non solum quia potestas dispensandi latam habet interpretationem, atque adeo se extendit etiam ad eos casus, in quibus dubitatur, an opus sit dispensatione; sed etiam quia Episcopus potest dispensare in casibus frequentioribus, ut communiter Doctores docent agentes de dispensatione cum Salas disp. 20. §. 3.; Hoc enim expedit ad bonum, ac suave regimen Ecclesiæ; dubia autem de necessitate dispensationis sunt frequentia; ergo in tali casu potest Episcopus dispensare.

Confirmatur, quia casus dubius non censetur reservatus Summo Pontifici, sed tantum certus; ut communiter docent Doctores agentes de casibus, & de votis reservatis Pontifici: Ergo sicut potest valide Episcopus absolvere peccatum Pontifici reservatum, in dubio, an sit commissum, & dispensare in voto Pontifici reservato, si dubitetur, an sit emissum; ita pariter poterit dispensare in impedimentis, verbi gratia, Matrimonii, & irregularitate, in dubio, an sit contracta: Praxis autem petendi dispensationem in his dubiis a Pontifice est ad cautelam, ut, si forte deprehendatur impedimentum, non sit deinde recurrendum ad Pontificem: Verum juxta hanc sententiam potest etiam ad cautelam peti in his dubiis dispensatio.

V. Rogabis secundo hac occasione, an Episcopus dispensare possit in legibus Pontificis non solum in casibus dubiis, sed etiam in casu urgentis necessitatis, in quo facile non potest Pontifex adiri, verbi gratia, in lege de impedimentis matrimonii dirimentibus, vel de irregularitate, vel de reservatione voti, & similium.

Respondeo primo, si vera est sententia multorum docentium cum Cajetano, Henriquez, Pontio apud Dianam, part. 3. tract. 5. resol. 23. apud Bossium, num. 1264. Episcopos, utpote Pastores ordinarios, ex vi sui muneris, & juxta jus antiquum, & primævum Ecclesiæ, posse in sua Dioecesi, quæ potest Pontifex in toto Orbe, nisi expresse a Pontifice aliquid iis prohibeatur, & eorum jurisdictio limitetur; sicut quilibet Confessarius potest æque, ac Pontifex absolvere ab omnibus peccatis, nisi per Pontificem, aut Episcopum casus aliqui reserventur; consequenter sequitur, posse Episcopum in irregularitate, & in impedimentis matrimonii dirimentibus dispensare, quoties nec expresse, nec tacite a Pontifice limitata sit quoad hæc Episcoporum jurisdictio; non videtur autem limitata pro casu urgentis necessitatis, quia contra bonum, & suave regimen Ecclesiæ limitaretur, ut diximus de potestate, quam habent Episcopi ad dispensandum in impedimentis Matrimonii, ac in irregularitate in casibus dubiis. Sed discurrendo juxta sententiam communiorem apud Sanch. lib. 2. d. 40. & lib. 7. d. 7. quæ docet, Episcopos non posse in lege Pontificis dispensare, nisi expresse, aut tacite iis facultas concedatur, eo quod inferior secundum se non possit in lege sui superioris dispensare; Joan. Sanchez d. 43. putat in casu urgentis necessitatis non posse Episcopus dispensare in impedimentis Matrimonii, licet occultis: Verbi gratia, si matrimonium sit publice celebratum cum aliquo impedimento occulto, & cum bona fide saltem unius contrahentis, & ex separatione timeretur scandalum, nec esset facilis recursus ad Papam; Vel si mox sit contrahendum matrimonium, & ex dilatione magnum scandalum, aut incommodum sequatur: Similiter docet non posse Episcopum in votis Pontifici reservatis dispensare in casu urgentis necessitatis, verbi gratia, si ex voto castitatis,

tis, aut Religionis immineret periculum incontinentiæ, vel scandali, vel gravis damni; Tertio, puta si qui tale votum emisit, velit ducere fœminam a se defloratam, &, si expectetur dispensatio, periculum esset mutationis voluntatis, aut alterius impedimenti ad matrimonium; unde puella manere deberet cum honoris jactura; Vel si esset periculum quod tali voto astrictus moreretur absque prolis legitimatione, & forte cum animæ periculo. Ratio ex Joan. Sanchez, est, quia ad epikejam solum spectat interpretari legem deficientem, & non comprehendentem talem casum; non vero dare jurisdictionem non habenti illam; ergo in his urgentibus casibus, ad quos lex Pontificis jam se extendit, non potest Episcopus vi Epikejæ habere jurisdictionem, atque adeo non potest dispensare.

Communius tamen cum Th. Sanchez, lib. 2. d. 40. & lib. 8. d. 5. Suarez de leg. d. 6. cap. 14. Vasq. Coninch. Less. cap. 4. num. 121. Palao, Salas apud Dian. par. 2. tract. 16. res 17. docent, posse Episcopum dispensare per Epikejam, hoc est ex pia, & rationabili interpretatione, seu præsumptione voluntatis Pontificis. Quandoquidem oppositum est contra commune bonum, & suave regimen Ecclesiæ, quod a Pontifice non est præsumendum; cum ei potestas a Christo Domino data sit in ædificationem, non in destructionem; unde reservatio pro bono charitatis in Ecclesiam invecta non debet contra charitatem vergere. Hinc licet in Bulla Cœnæ expresse dicatur, neminem posse ab iis casibus absolvere, nisi in mortis articulo, & cum cautione præstita de stando mandatis Ecclesiæ, ac de satisfaciendo parti læsæ; communiter tamen Doctores docent, quod si non possit adiri Pontifex ob impedimentum vel longum, vel perpetuum, possit ab iis casibus Episcopus absolvere ex præsumpta Pontificis voluntate; ergo a fortiori dispensare potest in legibus, in quibus non est tam rigida reservatio: Unde Bossius, nu. 1261. probabile putat, Epikejam habere locum etiam in decreto Tridentini præscribente assistentiam Parochi, & duorum testium ad valorem matrimonii: & num. 1274. contra Martinum Perez docet, posse etiam Episcopum in casu raro magnæ necessitatis dispensare in matrimonio rato, non consummato, illudque dissolvere. Quare ad fundamentum Joan. Sanch. respondetur, Epikejam non conferre jurisdictionem, sed emendare legem reservationis, in hoc quod non comprehendat talem casum; atque adeo vi sui muneris potest Episcopus dispensare (sicut potest absolvere a casibus Bullæ Cœnæ) in casu impedimenti perpetui; Vel dicendum, quod pro tali casu, si non habet locum Epikeja stricte sumpta, habeat saltem locum simplex interpretatio voluntatis Pontificis, de cujus voluntate præsumitur, quod velit Episcopis concedere facultatem dispensandi. Immo multi cum Valero, Boss. num. 1283. & aliis apud Sanchez, lib. 8. d. 9. probabiliter docent propter eandem rationem, quod possit dispensare etiam Parochus in casu urgentis necessitatis, si non possit Episcopus adiri. Quamvis enim Parochus nullam habeat jurisdictionem pro foro externo, ne voluntariam quidem, (ad quam spectat dispensatio tam in legibus, quam in votis) tamen ex rationabili voluntate Pontificis præsumitur, quod illi pro tali casu facultas dispensandi concedatur; cum id expediat ad bonum Animarum. Quamvis communior, & verior sententia facultatem hanc Parochis non concedat; sicut non conceditur Sacerdoti, deficiente Parocho, nec Laico, deficiente Sacerdote; esto multi concedant Laico potestatem absolvendi a Censuris moribundum, deficiente Clerico, ex præsumpta Pontificis voluntate.

ARTICULUS ULTIMUS.

Quomodo Privilegium in dubio interpretandum sit, stricte ne, an ample?

I. *Latam in dubio habent interpretationem Privilegia data motu proprio, aut inserta in corpore Juris; si tamen Tertio non præjudicent.*
II. *Pariter Privilegia Communitatibus, puta Religionibus, collata.*
III. *Presse tamen interpretandum, quod derogat juri communi, nisi sit Privilegium onerosum.*
IV. *Sicut etiam quod est in præjudicium Tertii.*
V. *Num Privilegium de non solvendis decimis intelligatur etiam ex prædiis acquirendis?*
VI. *Privilegium, quod derogat juri particulari alterius, non censetur illi derogare, nisi exprimatur.*
VII. *Num Privilegiorum confirmatio præsumatur facta ex certa scientia, an sub forma communi?*
VIII. *Num liceat uti Privilegio in dubio, quod revocatum sit?*
IX. *Possitne Episcopus in dubio Privilegia Regularium interpretari?*

I. Dicendum primo: Privilegium, si datum sit motu proprio a Principe, aut si sit inclusum in corpore Juris, late explicandum est, atque adeo in dubio standum est pro privilegiario. Prima pars probatur ex cap. *Si Motu Proprio de Præbendis in sexto*; ubi dicitur ex liberalitate procedere quicquid motu proprio datur; liberalitas autem, & beneficium Principis est late interpretandum, ex l. 1. c. *de Petitione bonorum public.*, & leg. *ultima ff. de Constit. Principum*. Secunda pars etiam probatur, quia privilegium inclusum in corpore Juris non est contrarium juri communi; cum sit illius pars. Ergo late interpretandum est, tanquam Principis beneficium: quoties tamen non est in præjudicium Tertii, cum non præsumatur privilegium in damnum, seu contra jus Tertii.

Hinc sequitur primo, quod in dubio, num privilegium sit reale transiens ad hæredes, an vero duntaxat personale? dicendum sit, esse reale, si motu proprio datum sit, aut inclusum sit in corpore Juris, & nulli inferat præjudicium, ut docet Suar. l. 8. de legibus c. 3. Pontius, & alii apud Dian. p. 4. tr. 3. res. 51.

II. Sequitur secundo, privilegia alicui communitati, puta Religionibus, data in perpetuum in dubio late interpretanda esse. Ratio est, quia talis constitutio, cum sit perpetua, se habet, ac si esset pars Juris, sive corpori Juris inserta. Ita Sanch. l. 8. c. 1.

III. Dicendum secundo, privilegium derogans juri communi datum ad instantiam partis, & non inclusum in jure communi in dubio stricte interpretandum est. Ratio est, quia derogatio juris communis est odiosa, & ideo stricte interpretanda, ut constat ex c. 1. *de Filiis Presbyterorum in sexto*, ubi dicitur, exorbitantia a jure communi veluti odiosa restringi. Hinc si dubitetur, an privilegium juri communi derogans, & datum ad instantiam partis sit reale, an personale; dicendum est, esse personale, dummodo non sit conventionale, & onerosum, seu non datum gratis, sed accepto pretio, vel alia re, quæ pretio æquipolleat; quia tunc præsumitur reale, ex leg. *Si pactum, ff. de Probationibus*.

IV. Dico tertio, privilegium si inferat præjudicium Tertio, in dubio stricte etiam interpretandum est. Constat hoc ex *l.* 2. §. *Ne quod in loco publico*, ubi dicitur: *Quotiescumque aliquod in publico fieri permittitur, ita oportet permitti, ut sine injuria cujuscumque fiat; & ita solet Princeps permittere.* Hinc sequitur primo, privilegium, quod est in damnum Tertii, non præsumi esse reale, ita ut ad hæredem transeat, sed personale.

V. Sequitur secundo, privilegium datum de non solvendis decimis alicui Tertio debitis præsumi tantum esse de non solvendis decimis ex prædiis acquisitis, non vero ex prædiis etiam acquirendis: Contra vero, si Papa, vel Episcopus, aut Princeps det privilegium non solvendi decimas ipsimet concedenti debitas, privilegium late interpretandum, ita ut se extendat ad decimas etiam super prædia in posterum obtinenda; ut habetur in cap. *Quia circa de Privilegiis*: Et probatur a pari, nam indultum, seu privilegium concessum Ecclesiis alicujus Civitatis intelligitur etiam concessum Ecclesiis construendis, ut docent Jurisperiti apud Manticam: Ergo etiam in casu nostro. Et ratio a priori est, quia, si privilegium non præjudicat Tertio, provenit ex liberalitate Principis, quæ late est interpretanda. Privilegium tamen, seu exemptio a solutione decimarum concessa Societati Jesu, licet sit in præjudicium Tertii, nempe Episcoporum, & Parochorum, extendit se ad prædia etiam futura, ut constat ex Bullis Pauli Tertii, Pii IV., & Gregorii XIII. apud Bardi, d. 6. cap. 4., idque ex speciali concessione Pontificis.

VI. Sequitur tertio, privilegium datum a Principe derogans privilegio alterius, quod juri communi est insertum, vel quod passim est usitatum, in dubio late interpretandum esse. Ratio est, quia hujusmodi privilegia inserta juri communi, aut passim usitata præsumuntur cognita Principi; ac proinde præsumitur velle illis derogare: Contra vero si privilegium a Principe concessum deroget privilegio alterius speciali, aut speciali statuto alicujus communitatis, non præsumitur in dubio, quod velit Princeps illi derogare; atque adeo stricte est interpretandum; ut constat ex c. 1. *de constitutionibus in sexto*, ubi dicitur: *Licet Romanus Pontifex (qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur; quia tamen locorum specialium, & personarum singularium consuetudines, & statuta, cum sint quid facti, & in facto consistant, potest probabiliter ignorare; ideo ipsis (dum tamen sint rationabilia) per constitutionem (nisi expresse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare.* Unde Menochius infert l. 6. præsumpt. 9. quod si Princeps det uni novum privilegium, non præsumatur velle derogare privilegio alterius antiquo, nisi illud expresserit, aut cognoverit.

Rogabis primo, num privilegiorum confirmatio præsumatur in dubio facta esse ex certa scientia, an solum sub forma communi? Expedit id nosse, nam si confirmatio privilegii sit sub forma speciali, seu ex certa scientia, utpote procedens ex examine, & perfecta notitia rei confirmandæ, ejusque circumstantiarum, plurimum prodest privilegiario; quandoquidem talis confirmatio æquivalet novæ concessioni. Unde si prior concessio fuit invalida, per talem confirmationem revalidatur: Et præterea in derogatione generali privilegiorum non intelligitur derogatum privilegiis ex certa scientia confirmatis, nisi id exprimatur.

Respondeo itaque cum Sanchez l. 7. c. 29. in hoc dubio præsumi semper privilegii confirmationem esse factam sub forma communi; nisi tamen tenor privilegii insertus sit confirmationi, & hæc dicatur fieri ex certa scientia. Ratio est, quia, cum præsumptio non sit pro privilegiario, sed contra ipsum circa novam concessionem, ideo confirmatio ex certa scientia probanda est, non præsumenda.

VII. Rogabis secundo, licitum ne sit uti privilegio, in dubio, an sit revocatum?

Respondeo cum communi apud Dia. p. 4. tr. 3. r. 51. universim esse licitum, quia, cum revocatio sit odiosa, in dubiis ea non præsumitur: Etenim ex leg. *Ab ea parte ff. de probationibus*, nemo prohibetur jure suo uti, nisi prohibitio probetur. Notandum tamen, quod si deinde deprehendatur privilegium illud fuisse jam revocatum, invalida sunt, quæ ex usu talis privilegii provenerunt, ut fuse explicabimus quæstione sequenti articulo tertio, numero nono: E. gr. si habens privilegium commutandi vota dubitet, an sit revocatum, nec possit tale dubium vincere, poterit vota commutare; Si tamen deinde constet privilegium illud esse revocatum, talis commutatio est invalida, & qui emisit votum, debet se gerere ac si non fuisset commutatum. Ad eum modum quo potest Dominus servum vendere, etiamsi superveniat dubium de ejus servitute, quod vinci non possit; ac si deinde detegatur, quod non esset servus, invalida censenda est ea venditio; Et eodem modo in laudato articulo quæstionis sequentis dicemus, quod possit Pater irritare vota Filiorum in dubio, an fuerint emissa ante, vel post pubertatem; at si deprehendatur deinde, quod fuerint post pubertatem emissa, illa votorum irritatio censenda est nulla.

VIII. Neque obstat quod communiter docent, videlicet, quod si Episcopus dispenset in votis in dubio, an ea sint reservata Pontifici, & deinde deprehendatur vere esse reservata, adhuc valida sit ea dispensatio: Et eodem modo si Confessarius absolvat in dubio, an aliquis casus sit reservatus, quin possit tale dubium vincere; & deinde deprehendat vere esse reservatum, valida erit absolutio Sacramentalis, & poenitens non tenetur peccatum illud iterum subjicere clavibus. Nam ideo talis dispensatio, & absolutio est valida etiam post detectam veritatem, quia Episcopo competit jure suo dispensare in votis, etiam in dubio, an sint reservata Pontifici, quia cum reservatio sit odiosa, non extenditur ad casus dubios; Et idem dicas de Con-

Confessario, qui pariter jure suo potest absolvere a peccatis, ac proinde potest etiam absolute absolvere etiam in dubio, an sint reservata, quando dubium vinci non potest: Et ideo si post absolutionem peccatum deprehendatur fuisse reservatum, non est iterum subjiciendum clavibus. At privilegiario, qui ex privilegio potest dispensare in votis, aut absolvere a censuris, vel peccatis reservatis, non competit de se, sed ex speciali concessione tale privilegium, propterea illud non se extendit ad casus dubios, unde detecta reservatione debet iterum conferri aut dispensatio in votis, aut absolutio a censuris vel peccatis reservatis.

Hinc rite advertit Scildere tr. 5. n. 58. quod privilegiarius possit quidem universim uti suo privilegio, in dubio an sit revocatum, ut habetur in ea lege laudata *Ab ea parte*, *ff. de Probationibus*; At non potest eo licite uti, si subsit periculum faciendi actum invalidum, qui cæteroqui deberet esse validus; nec detur necessitas subeundi tale periculum: Ut si quis habens privilegium absolvendi a reservatis citra necessitatem absolveret ab illis in dubio, an tale privilegium per legem universalem revocatum sit. Quamvis enim, quando dubium est, an privilegium sit revocatum a superiore per rescriptum, privilegiatus possit pergere in usu jurisdictionis sibi per privilegium collatæ, quia acta jurisdictionis valida sunt, donec habenti jurisdictionem revocatio illa sit intimata, ex l. *si forte ff. de Offic. Præsid.* Oppositum tamen contingit, quando dubium est, an privilegium per legem promulgatam revocatum sit. Et ratio ex Suar. l. 8. de leg. c. 40. est, quia lex promulgata sortitur effectum, & invalidat acta, licet non innotescant singulis: qui autem dubitat de tali lege, non procedit bona fide, si citra necessitatem absolvat, atque adeo non conferretur valide absolutio sacramentalis, si forte talis lex promulgata sit. Quare solum in casu gravis necessitatis licitum esset absolvere cum tali dubio jurisdictionis, & sub conditione, si detur jurisdictio: In quo casu pœnitens deinde teneretur iterum eadem peccata subjicere clavibus; ut communiter docent cum Naldo, esto probabiliter id neget Salas apud Dian. p. 4. tr. 3. res. 38.

IX. Rogabis ultimo, in dubio, num Privilegia hic, & nunc eximant Regulares ab Episcopi jurisdictione, spectatne ad Episcopum interpretari privilegia? ad eum modum, quo dum dubitatur, an delictum aliquod pertineat ad forum sæculare, vel Ecclesiasticum, pertinet ad Judicem Ecclesiasticum id decernere.

Respondeo negative cum Henr. Sanch. in opusc. l. 6. c. 9. Etenim Paulus III. ut habetur in Compendio nostrorum Privilegiorum §. 2. expresse sibi reservavit interpretationem privilegiorum nostræ Religionis, sive clara ea sint, sive dubia, & in hoc Privilegio reliquæ Religiones communicant. In tantum autem in dubio, an delictum pertineat ad forum sæculare, pertinet ad Judicem Ecclesiasticum id decernere, quia in terris non datur Tribunal majus Ecclesiastico. At in casu nostro potest, & debet recurri ad Pontificem, quia sibi hanc facultatem reservavit.

Neque urgeas, in dubio, num delictum pertineat ad forum Ecclesiasticum, poterit Episcopus absque recursu ad Pontificem id decernere; ergo etiam in casu nostro. Nam, concesso antecedente, negatur consequentia; lis enim inter ipsos Ecclesiasticos conveniens erat, quod dirimeretur ab Ecclesiæ capite, & ita Pontifex expresse decrevit: At lis inter Ecclesiasticos, & Sæculares rite potuit dirimi ab ipso Ecclesiastico, qui sit pars scilicet, & Judex; quamvis possit sæcularis appellari a decreto Episcopi ad Metropolitanum, vel ad Pontificem: Quod si lis sit inter Pontificem, & Regem, docent communiter, Christum Dominum decrevisse, quod Pontifex esset simul pars & legitimus Judex; gladius enim Laicalis sub Ecclesiastico gladio positus est a Christo Domino, ut Scripturæ, Concilia, PP. & communissimus Ecclesiæ sensus testatur, & habetur in cap. *Si Judex de sententia excommunicationis in 6.* Ecclesia enim est Christi Sponsa; Unde Ecclesiastici ejus Familiares immunes esse debent a Laicali jurisdictione.

QUÆSTIO VI.

De conscientia dubia in materia Voti, aut Juramenti.

QUoniam votum est privata lex, quam sibi vovens indicit, & voto affine est juramentum promissorium, idcirco postquam de Dubio in materia Legis, ac Præcepti, nec non Dispensationis in Lege, ac Privilegii egerimus, agendum de Dubio in materia Voti, ac Juramenti: Quæ in hoc differunt, quod Votum sit promissio Deo facta, Juramentum vero promissorium sit Invocatio Dei in Testem voluntatis præsentis de ponenda in posterum re, quæ promittitur: Ex utroque autem idem jus acquiritur in Deo, & eadem est obligatio passiva tam Voti, quam Juramenti; esto non sit eadem obligatio activa: Siquidem ratione voti obligamur ad ponendum, quod Deo promisimus; ratione vero Juramenti tenemur non invocare illum in testem falsi, ac proinde tenemur non solum habere animum ponendi, quod jurati promittimur, sed etiam tenemur suo tempore ponere id, quod promisimus Numine in testem invocato. Et quamvis ratione parvitatis materiæ possit aliquando peccari leviter in violatione voti, aut juramenti promissorii, semper tamen graviter peccatur, si desit voluntas ponendi, quod juratur; proscripta siquidem est ab Innoc. XI. thesis 24. quæ habet, *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam Deus velit, aut possit damnare hominem*. His positis, quæremus hic

primo:

primo: Utrum in dubio, an quis voverit, juraverit, promiserit, teneatur ea adimplere? Secundo, Utrum quando quis plura vovit, & deinde dubitat, num ea voverit divisive, & per modum plurium, obilgando se ad singula seorsim, an vero copulative, & per modum unius, censeatur ea vovisse copulative; ita ut una ex iis partibus reddita impossibili, vel illicita, ad nihil teneatur? Tertio, utrum in dubio, an votum emissum sit ante pubertatem, possit Pater illud irritare? Ex his autem tribus quæsitis descendet resolutio plurimarum quæstionum, quæ spectant ad conscientiam dubiam in materia Voti, Juramenti, & Promissionis.

ARTICULUS I.

Utrum in dubio Voti, Juramenti, & Promissionis detur obligatio ea adimplendi?

I. *Votum in dubio, etiam positivo, non obligat.*
II. *Secus vero, si detur pro voti emissione solida probabilitas citra probabilitatem in oppositum.*
III. *Certus de voto, sed dubius de voti quantitate, & qualitate ad quid tenetur?*
IV. *Dubitans, an habuerit animum se obligandi per votum, adhuc eo tenetur.*
V. *Voto tenetur, qui dubitat, num ante septennium illud emiserit.*
VI. *Non datur voti obligatio, si validæ dentur conjecturæ, quod ratione somni, ebrietatis, vel passionis non fuerit illud emissum cum plena deliberatione.*
VII. *Quid, si dubitetur a vovente de materiæ honestate?*
VIII. *Aut si materia licita dubitetur, an evaserit illicita?*

I. Ostendimus quæstione tertia, articulo primo, regulam illam Juris; *In dubio melior est conditio Possidentis*, non solum habere locum in materia justitiæ, sed etiam in materia aliarum virtutum; ex quo diserte deduximus quæstione quarta cum communiori adversus Vasquez, Azorium, & Recentiores Probabilioristas, neminem teneri lege, de qua dubitat, num sit lata: Et eodem modo diximus, discurrendum esse de voto, juramento, promissione, & similibus, quod scilicet, si post diligens examen adhuc dubium perseveret, an votum v. g. nuncupaverimus? illo non teneamur; quia scilicet est in possessione libertas, quin obstet alia illa regula juris, quod scilicet *In dubio tutior pars eligenda sit.*

Quod si dubium sit positivum, & probabile sit, votum esse emissum, probabile etiam non fuisse emissum, Sanch. lib. 2. disp. 41. de Matrim. num. 34. docuit, rem dividendam esse pro dubii qualitate: sed verius dicendum cum eodem Sanch. lib. 1. Summæ cap. 10. num. 36. & aliis apud Dianam p. 2. tr. 1. ref. 9. nullam in hoc casu dari obligationem: Sicuti communius docent apud eundem Dianam loco laudato ref. 9. quod possidens bona fide rem aliquam, quam probabiliter putat esse suam, & simul probabiliter putat esse alterius, possit integre illam sibi retinere, prævalente jure certo possessionis bonæ fidei juri probabili alterius.

II. Sed difficultas est, An voto tenearis, si probabile sit, te illud emisisse, & nullum probabile judicium habeas, quod non emiseris? Ad quod respondet Suar. lib. 4. de voto cap. 5. num. 5. cum Sanch. loco citato, Bonac. Palao, Franc. Lugo, votum impiendum esse, quia probabilitas ista parere solet moralem aliquam certitudinem, quantum satis est, ut dicatur possessio stare pro voto; Siquidem in humanis, ut loquitur Suarez, non est exigenda major certitudo; cum vix aliquid per infallibilem evidentiam cognoscamus; & ideo in calce articuli primi quæstionis secundæ diximus, quod si res, quam bona fide possides, probabiliter sit aliena, & non detur judicium probabile, quod sit tua, si talis probabilitas sit solida, quæ pariat moralem aliquam certitudinem, res illa restituenda sit; Et pariter in parte ultima Cursus Theologici de Pœnitentia, agentes de peccato dubio diximus, quod si probabile sit, te peccasse graviter, & nullum probabile judicium detur, quod non peccaveris, teneris tale peccatum clavibus subjicere; quia talis probabilitas, si sit solida, parit moralem aliquam certitudinem sufficientem, ut possessio stet pro lege, non pro libertate.

III. Hinc sequitur primo, quod si certus sis de voto emisso, dubius tamen de quantitate, aut qualitate voti, v. g. num voveris dare eleemosynam majorem, an minorem? num voveris castitatem absolutam, & perfectam, an solum conjugalem, ac temporalem? num voveris dare calicem argenteum solum secundum cuppam, an totum argenteum? nisi ex circumstantiis detur moralis cirtitudo, quod voveris quantitatem majorem, solum teneris ad minorem; eo quod in tali dubio stet in possessione libertas. Et ideo in Cap. *Ex parte De Censibus* Glossa docet, debere fieri pro vovente bonam interpretationem; quia scilicet, ut loquitur Abb. num. 3. præsumitur, quod vovens velit se minus gravare, quam possit.

IV. Quod si certus de voto dubites, an voluntatem habueris te obligandi per illud? adhuc voto teneris, quia scilicet possessio, & præsumptio stant pro voto; delictum quippe non præsumitur, nisi probetur, ex cap. *Absit* 11. qu. 2.; esset autem delictum, aliud ore, aliud mente profiteri. Præterquamquod ex communiter contingentibus habetur præsumptio; communiter autem contingit, quod vovens velit se obligare, ergo. Docet propterea Sanch. lib. 4. c. 1. num. 35. quod si quis protulerit verba, quæ de se pactum indicant, qualia sunt ista: *Domine, redde mihi sanitatem, & vivam caste*, ac deinde dubitet, an habuerit animum vovendi, & obligandi se sub gravi, præsumendum sit, quod voverit; quia votum est in possessione, & dubia est ex-

est excusatio. Quare censeo etiam contra Bardi hic §. 5. quod si certus de voto v. g. Castitatis, dubitet de qualitate voti, videlicet an voluerit emittere hoc votum Pontifici reservatum, adhuc præsumptio stet pro voto reservato; Siquidem communiter sic emittitur hujusmodi votum, atque adeo non poterit ab Episcopo commutari.

V. Sequitur secundo, Quid dicendum in dubio, an votum emiseris cum perfecta deliberatione ratione ætatis? Etenim, si septennio expleto votum emisisti, dicendum probabilius cum Sanch. lib. 4. cap. 1. n. 14. Palao tr. 1. disp. 3. p. 21. contra nonnullos apud Dianam p. 3. tr. *6.* ref. 50. possessionem stare pro voto, & dubiam esse excusationem. Hinc in Cap. *In præsentia de Probationibus* declaratur, valuisse votum, de quo dubitatur, an fuerit emissum in minori ætate.

VI. Sequitur tertio, quid decidendum, si dubitetur de perfecta deliberatione in voto ratione somni, ebrietatis, phrenesis? Sanch. loco laudato censet pariter, possessionem stare pro voto, & excusationem esse dubiam. Suarez tamen lib. 4. de Voto cap. *6.* cum Palao l. c. verius docet, universim præsumendam esse plenam deliberationem: Si tamen prudentes conjecturæ dubium inducant, quod superari non possit, tunc favendum libertati; cum dubitetur de plenitudine deliberationis, quæ est essentialiter requisita, ut votum obliget. Idemque prorsus dicendum, si dubietas de plena deliberatione in vovente oriatur ex subita aliqua passione timoris, vel iræ, aut alterius perturbationis. Notantque Sanch. & Palaus apud Franciscum Lugo q. 24. quod si voventem, aut jurantem, vel promittentem mox pœniteat talis voti post passionem sedatam, conjectura probabilis, ac prudens erit, quod tunc defuerit plena deliberatio ad votum requisita.

VII. Sequitur quarto resolutio alterius gravis difficultatis, Num scilicet voto teneatur, qui dubitat de honestate materiæ Deo promissæ per votum? Et quidem si dubium solum sit, an votum sit de meliori bono, seu an sit de re non bona, sed indifferenti; procul dubio votum, quod est in possessione, servandum est, cum nullum sit peccati periculum in observantia talis voti. At si dubitatur, num materia sit licita, necne? Suarez l. 4. de Voto cap. *6.* docet, non posse voventem a voti obligatione eximi absque superioris dispensatione. Sed dicendum verius cum Sanch. l. 4. cap. *6.* voventem non ligari voto. Immo censeo, nec posse juxta illud operari. Et ratio est, quia est in possessione lex, quæ votum antecedit, non exponendi se periculo peccandi. Quando lex superioris est certa, & dubium est de honestate rei præceptæ, possumus deponere practice hoc dubium, eo quod superior est in possessione præcipiendi, a qua citra injuriam non potest deturbari per dubium hoc superveniens; sicut conjugi non dubitanti de validitate matrimonii non potest debitum negari propter dubium alteri superveniens. At in casu nostro dispar est ratio, quia nulli fit injuria, si suborto dubio de honestate rei per votum promissæ, servetur lex naturalis de non exponendo se periculo peccandi. Hoc autem diserte docet idem Suarez loco laudato, quoties non potest adiri superior, a quo talis dubietas dissolvatur. Neque dicas, D. Thom. 2. 2. qu. 87. ar. *9.* ad 3. docere, quod in hoc casu possit Episcopus dispensare, atque adeo videtur velle, quod juramentum, seu votum obliget, etiamsi dubitetur, an res promissa sit illicita. Nam D. Th. in hoc dubio, in quo tam potest peccari violando votum, si res sit licita, quam adimplendo votum, si res sit illicita, recte docet, quod advertit Suarius, recurrendum esse ad superiorem, qui vices Dei gerens litem dirimat: At si recursus ad superiorem non pateat, aut citra hallucinationem prudenter dubitetur, quod res sit illicita, ea poni nec debet, nec potest, ne vovens exponatur periculo peccandi, si forte res sit illicita. Quod si dubium sit positivum, docet Sanchez l. c. fas esse utramque opinionem amplecti, etsi minus probabilem, dummodo probabilitas non sit tenuis.

VIII. Sequitur quinto, Idem dicendum si materia mutetur, & de licita dubitetur, an evaserit illicita, puta si quis voverit acrem corporis macerationem, quæ decursu temporis exponit voventem periculo vitæ, ita ut dubitetur, an ea liceat? Quamvis enim in tali casu sit in possessione votum, atque adeo videatur standum pro voto; nihilominus si dubitetur hic & nunc, an talis maceratio sit illicita, nec possit ad superiorem recurri, qui dubium dissolvat, nec detur ratio probabilis, quod ea sit licita, debet vovens ab ea abstinere, ne legem naturalem transgrediatur non exponendi se periculo peccandi, quæ votum antecedit.

ARTICULUS II.

Utrum teneatur vovens ponere unam partem rei promissæ, si non potest alteram, in dubio, num utramque voverit copulative, an divisive?

I. In dubio, num duplex materia promittatur divisive, an copulative, alii putant standum pro libertate; alii pro voto.
II. Regula observanda est, ut communis usus voventi utramque materiam inspiciatur.
III. Exemplis ea in bono lumine collocatur.
IV. Qui ingressum in Religionem vovit, num, & quando teneatur ad castitatem, si non possit ingredi Religionem?
V. Votum pœnale num, & quando ad pœnam obliget toties, quoties violatur?
VI. Votum ob duplicem finem emissum, si alter sit ineptus, non obligat.
VII. Probabilius est, quod si dubitatur, num duplex materia voti promissa sit per modum plurium, an per modum unius? dici debeat promissa per modum plurium; unde reddita altera parte inepta, ponenda sit pars apta.
VIII. Qui dubitat de tenuitate fructuum beneficii, tenetur horas recitare.

I. SÆpe contingit, quod aliqua pars rei per votum promissæ vel evadat impossibilis; (ut si quis voveat per mensem jejunare, & peregrinari, ac deinde jejunare tantum possit, non vero peregrinari) vel deprehendatur vana, indifferens, aut illicita. In hoc casu certum est, quod si vovens promiserit utramque partem divisive, ita scilicet, ut si non possit unam, teneatur ad alteram,

tunc

tunc reddita una impoſſibili, aut deprehenſa illicita, vel vana, ad alteram obligabitur: Secus vero, ſi promiſerit utramque copulative, & per modum unius; ut ſi quis voverit peregrinationem Lauretanam, nec poſſit niſi partem itineris aggredi, tunc certe ad hanc non tenetur. Difficultas eſt, an teneatur ad partem illam materiæ aptam, & poſſibilem, quando dubitatur, num utranque partem voverit diviſive, an copulative: e. gr. ſi vovens caſtitatem perpetuam, & ingreſſum in Religionem, dubitat, num copulative id voverit, adeo ut ſi non poſſit Religionem ingredi, ad caſtitatem extra Religionem noluerit ſe obligare; an vero voverit diviſive, itaut caſtitatem voverit independenter ab ingreſſu in Religionem: Quæritur, utrum in hoc dubio ſtandum ſit pro libertate, ita ut ad caſtitatem non teneatur, an vero pro voto, ita ut teneatur caſtitatem extra Religionem ſervare? Variant hac in re Doctores, aliis putantibus cum Sanchez lib. *9.* diſp. *36.* Suar. l. 2. de voto c. 2., Filliuc., Laym., quod poſſeſſio ſtet pro libertate, aliis quod ſtet pro voto, ut docuit idem Sanch. l. 4. ſum. c. *6.*, & c. 10., & l. 2. de matrim. diſp. 45. n. 35. Bonac. Trullench.

II. Regula hac in re obſervanda hæc eſt; ut quoties non conſtat de animo voventis, num diviſive, & per modum plurium, an copulative, & per modum unius partem aptam ſimul, & partem ineptam voverit, inſpiciatur natura, & conditio rei promiſſæ, & communis uſus voventium, & ita judicandum: Ex. gr. quia communis uſus vovendi jejunium quadrageſimale, vel recitationem horarum Canonicarum eſt, quod voveantur diviſive, & per modum plurium, ideo in dubio de intentione voventis, quando ſolum poteſt partem Quadrageſimæ jejunare, & ſolum poteſt recitare Matutinum, & Laudes, ad id obligabitur: Contra vero, quia communis uſus vovendi ædificationem alicujus Eccleſiæ, vel Monaſterii, aut jejunium, eſt, quod voveantur omnes partes per modum unius, & copulative, in dubio de intentione voventis, quando nequit niſi partem Eccleſiæ, aut Monaſterii propter ſupervenientem paupertatem ædificare, aut ſolum per aliquot horas, non per integrum diem jejunare, ad id non tenebitur.

III. Hinc fit primo, quod votum confitendi ob finem lucrandi Indulgentiam certo die, non obligat ad Confeſſionem, ſi non poſſit eo die Indulgentia acquiri, in dubio, an utrumque promiſſum ſit copulative, an diviſive; quia ſcilicet communis uſus vovendi utrumque eſt, quod voveatur copulative, & Confeſſio voveatur tanquam quid acceſſorium ad principale, quod eſt lucratio Indulgentiarum. Ita Suar., Palaus, Layman. apud Boſs. numer. 1641.

Fit ſecundo, quod vovens jejunare in pervigiliis Beatiſſimæ Virginis, ſi iis diebus jejunare non poſſit, in dubio de intentione voventis, non teneatur alio die ad jejunandum, nec teneatur vi voti iis diebus a carnibus abſtinere: & ſimiliter, ſi non poteſt a carnibus abſtinere, non teneatur ad unicam comeſtionem. Ratio horum omnium eſt, quia communis uſus vovendi hæc jejunia id fert, ut docent laudati Doctores: Pariformiter vovens jejunare ſingulis diebus Veneris, ſi incidat feſtum Nativitatis Domini in diem Veneris, in dubio, an voverit jejunium etiam pro eo die, ad illud non tenetur; quia pariter communis uſus vovendi tale jejunium eſt hujuſmodi; (eſto Fratres Minores obligentur ad jejunandum etiam pro tali die, qua id fert eorum regula; ut proinde ſi ad jejunandum ſingulis diebus Veneris voto ſe aſtringant, cenſeantur vovere juxta conſuetudinem ſuæ Religionis) & propter eandem rationem, ſi pervigilium Nativitatis Domini incidat in diem Veneris, poterit hujuſmodi vovens ſumere duplicatam collatiunculam ſerotinam juxta morem Eccleſiæ; quin tamen id poſſint Fratres Minores, propter propriam eorum conſuetudinem.

IV. Fit tertio, quid dicendum in eo caſu propoſito, quod aliquis voverit Religionem ingredi, atque adeo caſtitatem ſervare, in dubio, an copulative utrumque voverit? Cenſendum enim quod voverit copulative, quia hic eſt uſus vovendi utrumque; ac proinde, ſi non poſſit Religionem ingredi, non tenetur ad caſtitatem, ut docent Sanchez lib. 4. cap. 16. num. 114., & Dian. part. 4. tract. 3. reſ. 42. contra Navarr. Si tamen vovens utrumque diſerte expreſſerit, videlicet caſtitatem, & Religionem, cenſetur ea voviſſe diviſive, atque adeo debet caſtitatem ſervare, etiam extra Religionem.

V. Fit quarto, In dubio voti pœnalis, (ut ſi quis voverit recitare Roſarium, ſi amplius luſerit) num ſcilicet teneatur vovens toties Roſarium recitare, quoties luſerit, an vero pro prima vice tantum; quamvis varient Doctores, dicendum tamen cum Sanchez lib. 4. cap. 22., & aliis, quod ſi pœna ſit valde gravis, puta longa peregrinatio, plura jejunia, &c., ſolum obliget pro prima vice; Secus vero pro ſingulis vicibus: Deſcenditque reſolutio ex regula præjacta; quia ſcilicet hic eſt communis modus emittendi votum pœnale.

VI. Fit quinto, quid dicendum, ſi votum emittatur propter duplicem finem, alterum aptum, ſeu bonum, & poſsibilem, alterum ineptum, ſeu turpem, aut indifferentem, vel impoſsibilem, & dubitetur, num emiſſum ſit propter utrumque finem copulative, ut proinde votum nullatenus obliget, eo quod non poſsit obligare ratione finis inepti: E. gr. ſi quis voveat eleemoſynam & propter finem ſublevandi miſeriam pauperis, & propter finem inanis gloriæ, aut ad agendas Deo gratias propter occiſionem inimici in duello, aut ad Regnum temporale acquirendum, &c. certe ſi uterque finis copulative intendatur, votum eſt irritum; ſi vero intendatur diviſive, votum obligat propter finem aptum: Quando vero dubitatur, num copulative, vel diviſive uterque finis intendatur, tunc dicendum, quod intendatur diviſive, atque adeo votum obliget. Et ratio eſt, tum quia hic eſt communis modus vovendi in his materiis; tum etiam quia *Utile per inutile non vitiatur*, ex Reg. 39. Juris in ſexto.

VII. Venio nunc ad principale quæſitum: Quando ſcilicet non ſolum dubitatur, num copulative, vel diviſive duplex materia, altera apta, altera inepta promittatur, vel intendatur duplex hujuſmodi finis, ſed etiam dubitatur de natura, & conditione horum votorum, num ſcilicet communis modus vovendi ferat, ut diviſive, an ut copulative emittantur, & num altera pars ſit principalis, altera acceſſoria? Suarez lib. 2. de voto cap. 2. nu. 14. putat ſtandum pro libertate, quæ videtur poſsidere, atque adeo votum non eſſe obligatorium.

Equidem

Equidem tamen censeo cum Sanch. loco laudato standum pro voto; siquidem certum est votum esse emissum, & dubia est excusatio, quod scilicet non sit emissum per modum plurium, atque adeo vovens obligatur ad ponendam materiam aptam, relicta inepta. Hac de causa articulo superiore diximus in dubio, an votum emissum sit post, vel ante septennium, probabilius esse, quod votum obliget; quia votum est certum, & excusatio est dubia: Sic etiam in dubio, num ante legitimam ætatem professio Religiosa emissa sit? Et in dubio, num emissa fuerit ex metu gravi, an ex levi? standum pro voto Professionis, quia ea est certa, & excusatio est dubia, ut communius docent apud Dia. p. 4. tr. 3. ref. 49., & 55. Et ratio ulterior est, quia in casu dubii judicandum est pro valore actus, pro quo stat possessio, ex c. *Abbate de verborum signific.*, & l. *Quoties ff. de rebus dubiis*; & ideo in dubio, num dispensatio fuerit valida, an subreptitia, præsumitur valida in favorem actus, ex Sanch. l. 8. d. 21., & aliis, quia stat possessio pro ipsa, donec constet ejus causam defuisse: quare in casu nostro idem dicendum.

Neque obstat, quod in dubio voti standum sit pro libertate, quæ votum antecedit, & est in possessione. Nam in casu nostro non est dubium de voto relate ad partem aptam, sed solum est dubium de excusatione, quatenus est dubium, an sit promissa illa pars apta simul cum inepta per modum unius; unde dispar est ratio.

Ex quibus etiam resolvitur quæsitum illud, num dubitans de tenuitate fructuum beneficii teneatur horas recitare? dicendum enim cum Vasquez, Palao contra Salas apud Franc. Lugo, quod teneatur, quia beneficium, quod est in possessione, est certum, & excusatio est dubia.

ARTICULUS III.

Utrum in dubio an Votum ante pubertatem emissum sit, possit parens illud irritare?

I. Jure positivo competit Patri potestas dominativa in Filios impuberes, ratione cujus potest illorum vota irritare: Sicut Maritus vota Uxoris, & Dominus vota Servorum.

II. Etiam in dubio, an vota post pubertatem emissa sint, probabilius a Patre irritari possunt.

III. Facultas irritandi vota in Patre speculative tantum in hisce dubiis est dubia, sed est practice certa.

IV. Non est eadem ratio de dubio, num ante septennium votum emissum sit.

V. Nec de dubio, num contractus celebratus sit in minori ætate, ita ut possit rescindi.

VI. Etiam in dubio positivo, quod vota ante pubertatem emissa sint, irritari possunt a Patre.

VII. Necnon in dubio, an post pubertatem confirmata sint?

VIII. In dubio, num Filius votum reale emiserit de bonis Patris adimplendum, an de bonis propriis, præsumendum, quod de bonis propriis.

IX. Irritatio voti in dubio, an fuerit illud ante pubertatem emissum, est nulla, si deinde deprehendatur, quod fuerit emissum ante pubertatem.

X. Diluuntur objecta.

I. Supponendum hic, posse Patrem, & in ejus defectu Avum paternum, Tutorem, & in horum defectu Matrem, &c. irritare vota liberorum impuberum; nec solum posse irritare vota personalia ante pubertatem emissa, videlicet ante decimum quartum annum a maribus, & ante duodecimum a fœminis; sed etiam vota realia in minori ætate emissa, videlicet ante vigesimum quintum: ex jure enim positivo confertur Parenti dominativa isthæc potestas erga Filios; Cum enim expediens fuerit, Filios impuberes a Patre dirigi; idcirco vota illorum semper habent tacitam istam conditionem, si Pater non contradixerit. Pariter vota Religiosorum non Novitiorum irritare directe possunt Superiores; & Maritus vota Uxoris, saltem relate ad ea, quæ Mariti juri præjudicant; necnon Dominus vota Servorum. Immo vota Impuberum facta tempore pubertatis, & subjectionis, etiam post pubertatem irritari possunt a Patre ex rationabili causa; Et idem dicas de aliis habentibus dominativam potestatem erga alienam voluntatem. Difficultas hic est, utrum possit Parens vota Filiorum irritare in dubio, an emissa sint post pubertatem? Negant Salas, & alii apud Bardi, putantes possessionem in tali casu stare pro voto.

II. Sed communior, & verior sententia affirmat, quia Pater est in possessione libertatis irritandi vota Filiorum; ergo non debet á tali libertate deturbari per dubium alteri superveniens: Sicut Conjux potest libere debitum petere, quamvis alteri Conjugi superveniat dubium de validitate Matrimonii; quia scilicet in eo libertas petendi est in possessione.

III. Neque dicas primo cum Caramuele, Patrem esse in possessione libertatis irritandi vota solum emissa ante pubertatem; cum autem in casu nostro dubium sit, an votum ante pubertatem emissum sit, dubia erit potestas dominativa Patris relate ad hoc votum irritandum.

Nam contra est, quia sicut qui bona fide possidet rem aliquam, quamvis superveniat dubium, an ea sit aliena, non proinde non potest illam sibi retinere, nec dicitur ratione dubii supervenientis esse possessor dubiæ fidei: Similiter Conjux non dicitur habere dubiam facultatem petendi debitum per hoc, quod alter dubitet de validitate Matrimonii; ita in casu nostro potestas irritandi vota non erit dubia, sed practice certa, quamvis dubitetur, an votum post pubertatem emissum sit.

IV. Neque dicas secundo, in dubio, an votum emissum sit ante, vel post septennium, possessio probabilius stat pro voto, ut diximus articulo primo, quia certum est votum, & excusatio est dubia; ergo idem dicendum in casu nostro.

Nam responsio est facilis; in dubio enim, an septennio expleto votum emiseris, per votum superveniens non amplius possidet tua libertas, sed votum. At in casu nostro per dubium superveniens, quod votum emissum sit post pubertatem, non potest fieri præjudicium libertati Patris, quæ est in possessione: Sicut in exemplis adductis de possidente rem bona fide, tanquam suam, & de Conjuge possidente bona fide libertatem petendi debi-

debitum; In his enim casibus possessio, quæ speculative est dubia, practice est certa propter principium illud reflexum, quod in dubio melior sit conditio possidentis.

V. Neque dicas tertio, in dubio, an contractus celebratus sit in minori ætate, non potest rescindi beneficio restitutionis in integrum, ut docent communiter Jurisperiti, & Canonistæ; quia scilicet est in possessione contractus, non libertas; ergo idem in casu nostro.

Nam disparitas est liquida: contractus enim superveniens est certus, atque adeo in possessione; unde tibi incumbit probare minorem ætatem, si velis per restitutionem in integrum alteri præjudicium inferre. At in casu nostro Pater est in possessione suæ libertatis, a qua non deturbatur per dubium superveniens, cum nulli inferat præjudicium, si sua libertate utatur, ut constat etiam ex casibus adductis.

VI. Ex quibus fit primo, quod licet detur probabilitas, seu dubium positivum, quod vota fuerint emissa ante subjectionem, adhuc possit Parens (sive Avus, vel Tutor) vota personalia Filii, seu Pupilli impuberis, Curator vota realia puberis, Maritus vota Uxoris, & Dominus vota Servi irritare; quia prævalet in iis possessio certa facultatis ea irritandi, ut docent Sanch., Palaus, Dia. p. 4. tr. 3. res. 32.

VII. Fit secundo, ut notant iidem Doctores, quod vota isthæc irritari possint, etiamsi dubitetur, an ea sint confirmata post, vel ante tempus subjectionis; dum enim non constat ea post id temporis confirmata fuisse, prævalet potestas dominativa, quæ est in possessione.

VIII. Notandum tamen, quod si filius, servus, uxor, propria haberent bona, de quibus libere disponere possent, & dubitarent, num votum reale emiserint de propriis bonis adimplendum, an vero de bonis Patris, Domini, aut Mariti, dicendum cum Sanchez, & Palao præsumendum esse, quod de propriis bonis voluerint se obligare; tum quia hic est communis usus vovendi in his casibus: tum etiam quia standum semper pro valore actus, quoad ejus fieri potest.

IX. Difficultas demum est, Utrum si votum a patre irritatum, eo quod dubitaretur, an esset post tempus pubertatis emissum, deinde deprehendatur vere post id temporis emissum fuisse, teneatur filius illud adimplere? Videtur, quod non: Sicuti votum castitatis in dubio, num fuerit castitatis perfectæ, an castitatis conjugalis, atque adeo in dubio, an sit reservatum Pontifici, si ab Episcopo dispensetur, est simpliciter dispensatum, nec debet ad Pontificem recurri, si deinde deprehendatur, quod votum illud erat castitatis perfectæ Pontifici reservatum, ut docet Sanch. lib. 4. cap. 44. nu. 10. Et similiter si Confessarius absolute absolvat a peccato, in dubio, an sit reservatum, si deinde deprehendatur illud esse reservatum, non tenetur Pœnitens superiorem adire, ut iterato absolvatur: Sicut etiam si quis absolutus sit ad cautelam a censura, irregularitate, &c. ut notat Lugo disp. 16. de Pœnit. n. 83., & disp. 20. n. 22.

Dicendum nihilominus cum communi apud Sanch. eodem lib. 4. c. 32., quod si post voti irritationem factam ratione dubii deprehendatur veritas, videlicet quod votum post pubertatem fuerit emissum, aut legitime confirmatum, tunc obliget, perinde ac si non fuisset irritatum. Ratio est, quia actus potestatis dominativæ patris non se extendit ad irritanda vota filiorum post pubertatem: Sicuti si servus vendatur, quando dubium superveniens non impedit legitimam ejus possessionem, & deinde veritas deprehendatur, venditio est nulla: Universim enim actus dominii non se extendunt ad id, quod expresse non conceditur. Hinc articulo ultimo quæstionis præcedentis n. VIII. diximus, quod in dubio, an aliquod privilegium sit revocatum, quin possit tale dubium vinci, possit quidem Privilegiarius uti privilegio, eo quod non constet illud esse revocatum: Si tamen deinde deprehendatur esse revocatum, invalida sunt quæcunque ex usu talis Privilegii perseverant: v. g. si quis habeat privilegium dispensandi in votis, aut absolvendi a reservatis, in dubio, an sit revocatum, licite utitur suo privilegio; Quod si deprehendat hoc jam fuisse revocatum, irrita censenda est ea dispensatio, aut absolutio a reservatis; & ideo hæc tamquam indirecte absoluta iterum sunt clavibus subjicienda, prout ibidem diximus. Quamvis autem Privilegiarius in dubio revocati privilegii licite privilegio utatur, expedit tamen monere de hac sua dubietate illum, cum quo dispensat, aut quem absolvit, ut sibi consulat vel adeundo superiorem absolute, vel adeundo illum in hypothesi, quod privilegium deprehendatur esse revocatum.

X. Ad paritates propositas respondetur, quod Episcopus jure suo, & non ex Privilegio habet facultatem dispensandi in votis, & Confessarius absolvendi a peccatis; quando autem dispensatio in voto, & absolutio ab aliquo peccato est reservata Pontifici, cum reservatio sit odiosa, stricte est interpretanda, & ideo non extenditur ad casus dubios, nisi id exprimatur; (sicut olim reservabantur a Clemente VIII. casus Bullæ Cœnæ, etiam in dubio, num peccatum talem reservationem contraheret) ac proinde in casu dubio dispensatio, & absolutio conferuntur absolute, & ideo detecta veritate adhuc valida est dispensatio, & absolutio: At potestas dominativa non spectat ad patrem jure suo (sicut nec Privilegiario competit jure suo privilegium dispensandi in votis, aut absolvendi a reservatis) sed confertur illi jure positivo; cum autem jure positivo solum conferatur facultas irritandi vota post pubertatem filiorum, quamvis in dubio, an fuerint post pubertatem emissa, irritari licite possint, eo quod stet in possessione talis potestas; deprehensa tamen veritate irritatio est nulla: Sicut diximus, quod venditio servi sit irrita, si deprehendatur, quod non esset servus, etiamsi valida fuisset in dubio de servitute. Sic etiam superior, qui legitime possidet Prælaturam suam, quamvis de ea dubitetur, adhuc potest præcipere; sed si deprehendatur non esse legitimum superiorem, ejus præceptum non amplius obligat: Esto valida sint acta jurisdictionalia superioris, quoties ex errore communi cum titulo colorato superior tanquam legitimus habetur, ex leg. *Barbarius*.

Utrum autem dispensatio in voto, aut in lege bona fide obtenta a Prælato judicante bona fide causam esse justam, valida sit, si deinde constet cau-

causam non fuisse sufficientem? negat Salas apud Bossium n. 1681 sed probabilius affirmat Sanch. l. 7. disp. 17. & l. 4. summæ disp. 44. tum quia id fert recta Ecclesiæ gubernatio, ut scrupulis obvietur; tum etiam quia in hoc casu facultas dispensandi late est interpretanda, ut diximus q. 5. art. 3. Ubi pariter annotavimus, quod dispensatio etiam bona fide obtenta sit irrita ex defectu causæ, si tacita fuerit vera causa finalis, aut expressa fuerit falsa; subintelligitur quippe in qualibet dispensatione conditio illa, si preces in veritate nitantur.

QUÆSTIO VII.

De Conscientia Dubia in materia Sacramentorum, & Censurarum.

NOnnulla paucis hac in re disceptabimus, quæ passim occurrunt, cum ex hactenus dictis facilius plurimarum difficultatum ad Sacramenta, & Censuras spectantium descendat resolutio.

ARTICULUS I.

De dubiis ad Sacramenta pertinentibus.

I. Est graviter peccaminosus abusus apud Magnates alicubi receptus, quod obstetrices citra grave periculum mortis Infantes baptizent.
II. Non possunt sub conditione rebaptizari Infantes, de quibus prudens dubium non datur, quod obstetrix in iis baptizandis errarit.
III. Dubitans, an post mediam noctem biberit, num possit mane communicare?
IV. Num possit absolutio conferri, si dubitetur de jurisdictione, aut de casus reservatione?
V. An peccatum dubium subjiciendum sit clavibus? Remissive.
VI. Sacramentum extremæ unctionis num valide conferatur in dubio gravis ægritudinis, si revera ea non sit gravis.
VII. Quandonam iterari debet ordo Presbyteratus in dubio de valida ejus susceptione?
VIII. Num sponsalia dissolvi possint ab altero ex sponsis, cui innotescit defectus notabilis alterius sponsi, in dubio, an eo cognito adhuc sponsalia celebrata fuissent?
IX. Num possit petere, aut reddere debitum conjux dubitans de Matrimonii validitate?
X. Quid si uterque conjux dubitet?
XI. Aliter discurrendum de petente illicite debitum ratione voti castitatis, ac de petente illicite ratione dubii de valore conjugii.

I. AMbigitur primo, An licite rebaptizentur in Ecclesia sub conditione infantes omnes, qui domi ab obstetricibus baptizati sunt, ob dubium de invaliditate talis Baptismi?

Præmitto hic, invaluisse jam alicubi apud magnates abusum valde reprehensibilem, & graviter peccaminosum, quod infantes, statim ac in lucem editi sunt, nullo periculo mortis affulgente, ab obstetricibus baptizentur. Certum quippe est, obstetrices solum in extrema necessitate posse pueros baptizare, nec posse tale Sacramentum illas ministrare, etiam in necessitate, si possit commode Sacerdos, aut etiam Parochus advocari, qui puerum baptizet. Quod hic sit abusus graviter peccaminosus, docet Suar. disp. 31. sect. 4. & alii apud Dicastil. & Aversam. Et ratio est, quia sit contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi. Immo Suarius ibidem docet peccare mortaliter etiam Laicum, qui extra casum necessitatis de licentia Sacerdotis baptizaret; cum non possit Sacerdos alteri hanc facultatem dare, & invertere institutionem per se intentam a Christo Domino contra reverentiam Sacramento debitam.

Neque dici potest, quod cum sæpe differri debeant ceremoniæ in Ecclesia, & expectandus sit patrinus, obstetrix prævenire possit, ne forte infans sine baptismo decedat. Nam sicut citra injuriam Sacramenti, & citra sacrilegium non potest obstetrix statim egresso capite infantis illum baptizare, si non sit periculum mortis; ita a fortiori non potest citra hoc periculum baptizare infantem natum, cum minus periculi sit in infante nato, quod moriatur, quam in infante, dum nascitur. Quod si periculum aliquod immineat, cur non advocatur Parochus, si commode possit, vel Sacerdos, ad quos per se spectat hoc Sacramentum ministrare? Periculum illud remotum, quod infans moriatur, donec per aliquot dies Patrinus expectetur, non tribuit obstetrici facultatem baptizandi; quia tale periculum remotum non constituit infantem in gravi necessitate; aliter semper deberent obstetrices baptizare infantes, statim ac in lucem editi sunt; immo etiam antequam totaliter nascantur. Solum itaque id iis licet, quando datur dubium prudens, & rationabile, aut conjectura aliqua, quod infans mori possit, antequam a Parocho baptizetur.

II. Quando autem ab obstetricibus infantes sunt baptizati, putarunt nonnulli apud Dianam p. 5. tr. 3. res. 86. quod liceat universim eos in Ecclesia sub conditione rebaptizare; quia experientia notum est, plures obstetrices esse ignaras, alias ex turbatione potuisse facile errare, alias esse sortilegas, aut a diabolo deceptas, ut proinde rationabiliter dubitari possit de validitate Baptismi ab iis collati. Sed quamvis consuetudo isthæc ab aliqua Synodo approbata sit, ubi non ægre reperiri possunt ex hisce obstetricibus; At ubi obstetrix sit examinata, perita, pia, adeo ut nullum prudens dubium insurgat, quod invalide Baptismum contulerit, communiter Doctores docent, citra injuriam Sacramenti rebaptizari infantes sub conditione non posse. Si enim satis esset ad hoc Sacramentum sub conditione iterandum, quod errare potuerit obstetrix citra dubium prudens talis erroris, sequeretur, quod quilibet sic rebaptizari possit, quia pariter potuit Parochus errare. Quare si moraliter constet, quod obstetrix aut ex animi turbatione, aut aliunde non errarit, quando in necessitate baptismum contulit, tunc solum supplendæ erunt in Ecclesia ceremoniæ, quæ omitti non possunt, quin tunc Patrino opus sit,

sit, esto nullus fuerit patrinus in collatione illa privata Baptismi. Notandum tamen, quod si Baptismus in Ecclesia sub conditione conferatur, quando nullum dubium prudens datur de validitate Baptismi ab obstetrice collati, tunc non incurritur irregularitas; hæc enim solum imponitur propter iterationem baptismi absolutam; sacrilege tamen peccatur contra reverentiam Sacramento debitam: Sicut si baptizetur sub conditione is, de quo nullum prudens dubium datur, quod sit baptizatus a Parocho; aut si quis vellet hostiam certo moraliter consecratam iterum sub conditione consecrare; vel si quis absque prudenti dubio, quod non sit confirmatus, vellet sub conditione confirmari. Ubi etiam Doctores advertunt, majus dubium requiri ad iterandam sub conditione Confirmationem, quam Baptismum, quia hoc Sacramentum est præcise necessarium ad salutem, & sine quo in re suscepto reliqua Sacramenta valide suscipi non possunt.

III. Quod attinet ad Sacramentum Eucharistiæ, illud præsertim acriter disceptatur, num possit mane sacra Synaxis sumi ab eo, qui dubitat, num post, an vero ante mediam noctem biberit, vel comederit? Ad quod tamen supra articulo ultimo quæstionis quartæ fuse diximus, probabilius esse, quod possit, quia in tali dubio stat in possessione libertas communicandi, donec constet, impedimentum fuisse appositum per fractionem jejunii naturalis.

IV. Ambigitur deinde circa Sacramentum Pœnitentiæ, Num possit conferri absolutio a Confessario, qui dubitat de sua jurisdictione, vel de casu reservato?

Communior sententia fert primo, quod si dubitet, an jurisdictionem, aut approbationem requisitam obtinuerit, absolvere non possit, eo quod stet in possessione lex de non absolvendo, nisi obtenta facultate. Secundo, quod si dubium sit, an jurisdictio semel obtenta expirarit, & sic dubitans non possit veritatem assequi, absolvere possit, quia stat in possessione talis facultas. Tertio, si probabile sit quod jurisdictio sibi collata sit aut simpliciter, aut relate ad hunc casum, adhuc absolvere possit, cum possit conferri absolutio cum jurisdictione probabili, ut alias ostendimus; tum quia prima thesis ab Innoc. XI. proscripta loquitur solum de iis, quæ spectant ad valorem Sacramenti, videlicet de materia, & forma, quibus non licet uti juxta opinionem probabilem, omissa tutiore; tum etiam, quia est moraliter certum, quod suppleat Ecclesia parens pientissima jurisdictionem, si forte desit, quando quis juxta opinionem probabilem, atque adeo prudenter operatur; sicut supplet illam propter bonum commune, quando quis jurisdictionem exercet cum errore communi, & titulo colorato, ex l. *Barbarius de Officio Prætoris*; Immo etiamsi communis error stet sine titulo colorato, ut probabiliter docent nonnulli apud Busemb. & Dian. p. 3. tr. 4. ref. 122. Quarto, quamvis non possit a reservatis absolvere, qui habens hoc privilegium absolvendi a reservatis dubitat, an sit revocatum, nisi forte in casu necessitatis, & sub conditione, si non sit revocatum, juxta dicta quæstione quinta, articulo ultimo, n. 7.; nihilominus qui fruitur jurisdictione, & dubitat, num ad hunc casum se extendat, absolvere potest, quia stat in hoc dubio possessio jurisdictionis: & ideo universim in dubio reservationis peccati reservatio non incurritur, nisi forte superior expresse velit, quod etiam in dubio incurratur, (ut olim etiam in dubio reservabantur casus Bullæ Cœnæ) in quo casu debet peccatum mortale esse certum, & solum dubietas debet cadere, num tale peccatum reservationem contraxerit; etenim peccatum, de quo dubitatur, num fuerit mortale, an veniale, non cadit sub reservationem.

Hinc percussio Clerici reservatur Episcopo, si sit levis, non quidem si sit peccatum leve, sed si cum culpa certe gravi percussio esset levis prudentum judicio, comparata cum enormi, videlicet si fiat pugno, aut lapide non relinquente vestigium, nec notabilem injuriam, aut magnum scandalum pariat: Si tamen dubitetur, num percussio sit levis, an gravis, docent Molina, & Bonac. apud Bardi, quod sit Papæ reservata, ex *Extravag. Perlectis*.

Ambigitur tertio, si Episcopus Confessario Monialium, aut Prælatus Religionis Confessario Conventus tribuat facultatem absolvendi a reservatis per mensem, elapso mense, poteritne a reservatis intra illum mensem patratis absolvere, si dubitetur, an intentio Superioris fuerit, quod jurisdictio solum duret pro illo mense, an vero quod jurisdictio cadat supra peccata eo mense commissa? Ad quod dicendum quod si Confessarius sit ordinarius, etiam post mensem possit absolvere a reservatis eo mense commissis; Secus vero si Confessarius sit extraordinarius. Ita idem Bardi hic §. 8. Et ratio disparitatis est, quia Confessario ordinario de se competit facultas absolvendi ab omnibus peccatis, & solum non potest absolvere a reservatis; cum autem reservatio sit odiosa, in dicto dubio non incurritur, quia stat in possessione facultas absolvendi. Contra vero relate ad Confessarium extraordinarium, cui tribuitur facultas absolvendi a reservatis pro eo mense; cum enim dubium sit, an facultas hæc extendatur ad absolvendum post mensem a peccatis eo mense perpetratis, dubia erit talis jurisdictio; cum jurisdictione autem dubia absolvere non licet, ut modo diximus. Præterquamquod sicut pro foro interno Judex non potest elapso tempore sui officii judicare de delictis eo tempore commissis, ita pro foro externo secundum se non potest Confessarius extraordinarius elapso tempore suæ jurisdictionis absolvere a peccatis commissis antequam jurisdictio expiraret; nisi forte res non sit integra: nam si incepta est eo mense Confessio, poterit elapso mense absolutio impendi.

V. Omittimus hic inquirere, num teneamur subjicere clavibus peccatum, de quo dubitatur, an fuerit commissum? fuse quippe de hoc agimus in cursu Theologico de Sacramento Pœnitentiæ disp. 4. q. 3., ubi etiam discutitur, num peccatum confessum ut dubium debeat iterum subjici clavibus, si deprehendatur certo commissum fuisse?

VI. Ambigitur quarto, num valide collatum sit Sacramentum extremæ unctionis, in dubio, an ægrotus esset in discrimine vitæ, & deinde deprehendatur, non fuisse in tali discrimine.

Ex hujus dubii resolutione descendit, num possit deinde iterum inungi, si perseveret eadem ægritudo, & evadat periculosa. Et sane, si probabile

bile judicium non possit efformari, quod ægrotus sit in discrimine vitæ, ex Laym. & Palao nequit illi hoc Sacramentum ministrari, quia videtur aliqualiter injuria Sacramento irrogari. Quicquid in contrarium dicat Chapeavilla de minist. unct. cap. 5. q. 11. putans, posse etiam in dubio ægritudinis periculosæ illud ministrari sub conditione, videlicet si sit capax; ita enim videtur non exponi periculo frustrationis Sacramentum, & simul adjuvari ægrotus, si forte sit capax. Huic secundæ sententiæ adhærerem, si non posset expectando tantisper dubium vinci, quousque probabiliter de alterutro judicari possit. Quamvis enim Sacramentum hoc non sit præcise necessarium, nihilominus est valde utile ægroto; unde non est eo privandus in tali dubio: Et sicut non irrogatur injuria Sacramento Baptismi, si conferatur sub conditione cum aqua dubia, quando alia haberi non possit; ita neque irrogatur huic Sacramento injuria, si conferatur sub conditione in tali dubio, si vinci non possit. Immo licite confertur ægroto, sub conditione, quod vivat, in dubio, an jam expirarit.

Quando autem probabiliter judicatur, quod ægrotus sensibus destitutus sit in discrimine vitæ, absolute potest sacro Oleo inungi; At si mox advertatur, citra ullum vitæ periculum ægrotasse, Coninch apud Bardi docet, invalide fuisse collatum ob subjecti incapacitatem; ut proinde possit iterato inungi, si ægritudo ingravescat, & in vitæ discrimen ipsum adducat. Palaus tamen, & Amicus docent, valide esse collatum, quia videtur Christus Dominus in institutione hujus Sacramenti accommodasse se humanæ imbecillitati, ut voluerit valide conferri, quoties prudenter ægritudo existimetur periculosa. Sed contra est, quia sicut invalide confertur hoc Sacramentum Petro mortuo, quamvis probabiliter existimetur, nondum expirasse; (& idem dicas de materia, & forma inepta, si probabiliter judicetur apta ad Sacramentum constituendum) ita etiam invalide confertur Petro leviter ægroto, quamvis probabiliter ægritudo existimetur periculosa, eo quod utrobique desit subjectum capax. Prior itaque opinio videtur probabilior, & ideo ubi eadem ægritudo evadat gravis, poterit in casu adducto Sacra unctio iterari.

VII. Ambigitur quinto, Utrum debeat ordo Presbyteratus iterum sub conditione conferri ordinato, qui dubitat, an valide illum susceperit?

Ad hoc dicendum, quod si dubium sit prudens, & rationabile, procul dubio debeat sic iterari, ne Sacrificia, absolutiones, & aliæ Sacerdotis functiones periculo frustrationis exponantur. Hac de causa minus dubium sufficit, ut Ordo Presbyteratus iteretur, quam alii Ordines; sicut diximus minus dubium sufficere, ut iterari debeat sub conditione Baptismus, quam Confirmatio. Notandum tamen, quod sæpissime Ordinati irrationabiliter dubitant; in quo casu debent deponere conscientiam dubiam, & nullatenus audiri; ut quando dubitant, an intentio actualis virtualiter perseverarit usque ad Ordinis susceptionem? Vel num altero tantum, an utroque digito cuppam Calicis, vel Hostiam tetigerint? Vel num Episcopus semidormiens, ac sine intentione Ordines contulerit? Quod si rationabile sit dubium, sive juris (videlicet num satis fuerit contactus moralis instrumentorum, vel traditio instrumenti facta ab Episcopo per suum ministrum, &c.) sive facti, videlicet an re vera physice instrumenta tetigerit, vel an immediate Episcopus ea instrumenta tradiderit ordinando, certe iterari debet sub conditione Sacramentum: Secreto tamen, ut notat Aversa de Sacr. Ord. qu. 2. art. 13. ad vitandum scandalum.

VIII. Ambigitur sexto, Num possit sponsus dissolvere sponsalia, si de novo appareat defectus aliquis in sponsa, & illa dubitet, an cum tali defectu adhuc sponsalia contraxisset?

Supponendum hic, sponsos resilire posse a sponsalibus, si de novo in altero consurgat, aut innotescat defectus notabilis, cum quo certo noluissent contrahere: puta si alter laboret morbo contagioso, aut ita evadat, vel deprehendatur pauper, ut hæc censeatur justa causa resiliendi a promissione. Si tamen sponsus ignorans tempore contractus talem defectum, ita fuisset erga sponsam affectus, ut etiam cognito tali defectu voluisset contrahere, non poterit hac de causa resilire, ut docent Molina, Sanch., Bonac. . Difficultas nunc est, si dubitet sponsus, num cum tali defectu superveniente, aut de novo cognito voluisset contrahere, an resilire possit? Ex una parte videtur possessio stare pro libertate, cum non constet de firmitate consensus requisita. Ex altera videtur stare pro promissione, cum hæc sit certa, & excusatio sit dubia. Dicendum tamen censeo cum eodem Sanch. lib. 1. disp. 65. quod in tali dubio, si prudentis arbitrio qualitas, & quantitas defectus existimetur notabilis, præsumptio stet pro libertate; Secus vero pro firmitate sponsalium præsumendum sit; ex communiter quippe contingentibus fortissima habetur præsumptio, ut notant Doctores apud Sanch. lib. 4. cap. 1.

IX. Ambigitur septimo, Num possit petere, aut reddere debitum conjux, dubitans de matrimonii validitate?

Communiter docent contra nonnullos apud Merollam disp. 3. cap. 3. corol. 12. teneri sic dubitantem ad reddendum debitum, quia dubium non potest præjudicium inferre alteri conjugi bona fide possidenti jus ad petendum. Docent pariter communius, quod si post præmissam diligentiam ad veritatem inquirendam dubium superari non possit, licitum sit etiam debitum petere, eo quod stet in possessione contractus bona fide celebratus. Quod si ante contractum dubitarit conjux, debitamque diligentiam non præmiserit, in tali casu & peccavit contrahendo, & peccaret petendo debitum. Immo puto cum Bardi, quod in tali casu peccaret etiam reddendo debitum in primo bimestri; Etenim quamvis alter conjux, qui bona fide matrimonium contraxit, licite possit petere debitum pro tali tempore, quod ab Ecclesia permittitur conjugibus, ut possint deliberare, num velint Religionem ingredi, & conjugium in melius commutare; non tamen habet jus obligans alterum ad reddendum; unde si hic non redderet, juri illius non contrairet, atque adeo peccaret, si redderet; quia exponeret se periculo fornicandi, si forte matrimonium esset invalidum. Itaque conjuges comparantur possidenti rem aliquam, qui si possideat illam bona fide, poterit ea ad arbitrium uti, quamvis superveniat dubium, quod ea sit aliena, quin possit superari: Si vero rem illam dubia fide possideat, peccat contra justitiam eam retinendo,

com-

comparaturque possidenti rem mala fide, ut diximus q. 2. ar. 2.

X. Difficultas ulterior est, quando uterque conjux dubitat de matrimonii validitate, num scilicet possit uterque saltem reddere debitum, si minus petere? Sicut enim conjugi habenti votum castitatis reddendum est debitum, si petat, quamvis illicite, & sacrilege illud petat; ita videtur in casu reddendum esse debitum petenti, quamvis illicite peteretur.

Sed dicendum, non solum illicite peti, si dubium non superveniat possidenti conjugium bona fide, quin possit vinci, idque ob rationem adductam, quia scilicet sic dubitans exponeret se periculo fornicandi; sed nec posse ab altero reddi, donec diligentia præmittatur ad inquirendam veritatem. Ita Sanch. l. 2. disp. 41. Vasq. Bonac. & alii apud Dian. p. 4. tr. 3. ref. 15. Et ratio est, quia petens debitum in tali dubio non habet jus petendi, cum non possideatur bona, sed dubia fide matrimonium; Quare non fit præjudicium alterius juri, si debitum non reddatur; Et ex altera partes reddens debitum exponeretur periculo fornicandi, & ideo reddere non potest. Non est autem eadem ratio in casu adducto de conjuge petente debitum illicite, eo quod voverit castitatem; (cui profecto citra injustitiam denegari non potest, si correctio fraterna præmittenda non suffragetur) Etenim habens tale votum non amisit jus petendi debitum, cum non destruatur per votum contractus matrimonialis; & ideo non potest illi citra injustitiam debitum denegari. At qui dubia fide matrimonium possidet, caret jure petendi, unde non est illi reddendum; Sic etiam qui vovit non petere a Titio depositum suum, quamvis illicite peteret, adhuc habet jus petendi, eo quod votum non abstulerit a vovente dominium sui depositi: At si tam vovens, quam Titius dubitaret, num depositum illud sit voventis, an alterius, non poterit Titius illi depositum restituere, quia exponeret se periculo committendi injustitiam adversus alterum, in dubio, an res deposita sit illius, quin unquam vovens bona fide rem illam possederit.

ARTICULUS II.

De Dubiis ad Censuras, & Irregularitatem spectantibus.

I. In dubio Censuræ melior est conditio sive libertatis, si ea stet in possessione; sive censuræ, si ea possideat.

II. Idem dicendum in dubio irregularitatis, excepta ea, quæ oritur ex homicidio; hæc etenim etiam in dubio homicidii incurritur, dummodo constet de culpa mortali, & de causa apposita de se ad homicidium sufficiente.

III. In dubio mutilationis irregularitas non incurritur.

IV. In dubio, num homicidium fuerit voluntarium, an casuale, præsumitur casuale, ut proinde si delictum sit occultum, irregularitas possit ab Episcopo dispensari.

V. Si dubitetur, Num causa apposita sit ad homicidium patrandum; irregularitas non incurritur; secus vero, si dubitetur, An causa apposita fuerit de sufficiens?

VI. Probabilis est nonnullorum opinio, quod irregularitas non contrahatur, si posita causa dubitetur de homicidio secuto: Sed verior, & probabilior est sententia opposita, quod contrahatur. Unde irregularis est, qui procuravit abortum in dubio num fœtus esset animatus.

VII. Excommunicatio tamen in hoc dubio non incurritur; Ubi discutitur opinio Bonacinæ, quod scilicet talis excommunicatio absolvi possit a Pœnitentiario, aut alio habente privilegium absolvendi a Censuris omnibus Episcopo reservatis.

VIII. Si dubitetur, an consilium, vel mandatum influxerit in homicidium, irregularitas incurritur; esto vera esset opinio, quæ communius rejicitur, quod non detur in tali dubio onus restitutionis. At si dubitetur, num consilium datum sit? irregularitas non incurritur.

IX. Præter irregularitatem, in dubio homicidii non incurruntur aliæ pœnæ, nempe privatio beneficiorum, & inhabilitas ad illa, quippe quæ solum imponuntur propter homicidium certo patratum.

X. Si dubitetur, quinam Miles ex toto exercitu ad homicidium concurrerit in bello injusto? omnes Milites sunt irregulares. Secus vero in bello justo.

I. Ambigitur primo, Utrum dubitans, an excommunicationem incurrerit, debeat se gerere tanquam excommunicatum?

Nonnulli cum Sylvestro, Corduba, Vasq. p. 2. disp. 65. affirmant, putantes in hoc dubio tutiorem partem esse eligendam: Sayrus vero, & Azor. putant, id verum esse in dubio facti, ex variis canonibus id decernentibus, non vero in dubio juris, in quo stat possessio pro libertate. Sed dicendum cum Sanchez lib. 1. c. 10. Laym. Bonac. & aliis communius, tam in dubio juris possessionem stare pro libertate, quam in dubio facti. Etenim Sacri Canones solum decernunt, quod in dubio homicidii irregularitas incurratur. Quare qui post debitam diligentiam adhuc hæsitat, v. g. An sit lata excommunicatio contra Sacrilegos, quod est dubium Juris, seu An commiserit Sacrilegium, quod est dubium facti, non tenetur se gerere ut excommunicatum, eo quod in dubiis melior sit conditio possidentis, & in hoc casu stat in possessione libertas. Idemque dicas, si dubitetur, an sit completa conditio, sub qua lata est excommunicatio? Vel si dubitetur, An superior, qui non est in possessione ferendi censuras, potestatem habeat illas ferendi? Ac similiter, si dubitetur, Num verba legis imponant censuram latam, an ferendam? tunc præsumitur pro libertate, quod solum imponant censuram ferendam; Unde dubitans non debet se gerere ut illa innodatum. Quæ tamen omnia verum habent, etiamsi dubium sit positivum, & utrinque dentur rationes probabiles, non tamen, si ratio valide probabilis stet pro parte affirmativa, & nulla detur ratio pro negativa: tunc enim (prout diximus articulo primo quæstionis sextæ numero secundo) habetur sufficiens certitudo moralis, quod censuram incurrerit; atque adeo se gerere debet tanquam ea innodatum.

Op-

Oppositum tamen dicendum, quoties non est in possessione libertas, sed excommunicatio. Quare debes te gerere ut excommunicatum, si dubites, An fueris absolutus ab excommunicatione? seu An censura lata fuerit justa, & servato ordine juris? aut Num detur sufficiens excusatio? Quæ omnia constant ex illa regula juris, quam in quæstione secunda discussimus, quod scilicet universim in dubio melior sit conditio possidentis, idque non solum in materia justitiæ, sed etiam in quacumque alia materia cujuscumque virtutis.

II. Ambigitur secundo, Num in dubio præsumenda sit irregularitas?

Ad quod pariter respondendum, juxta modo dicta in dubio excommunicationis. Quando enim stat in possessione libertas, nec in dubio Juris, nec in dubio facti irregularitas est præsumenda: Quod si stet in possessione lex, seu irregularitas certo contracta, in dubio gerere te debes ut irregularem; Ex iisdem quippe principiis evincitur, idem dicendum esse tam de censura, quam de irregularitate. Excipitur dumtaxat irregularitas imposita pro casu homicidii; Ea quippe incurritur, ex cap. *Ad audientiam de Homicidio*, & ex cap. *Significasti*, etiam in dubio homicidii, videlicet si certo peccatum mortale commissum sit, intendendo cum plena deliberatione homicidium, & simul certo sit apposita causa de se sufficiens ad hominem occidendum, & deinde dubitetur, Num ille mortuus sit ex tali causa apposita, an aliunde? Et ratio, cur ea debeant esse certa, est, quia si non detur certitudo de mortali commisso, daretur pœna certa pro delicto non certo, quod est absonum; & si non sit certo apposita causa de se sufficiens ad hominem occidendum, dubitatur de substantia delicti, quod præsumi non debet; & ideo irregularitas non incurritur. Propter reverentiam autem Sacrificio, & Sacris functionibus debitam id specialiter statutum est, ut etiam in tali dubio homicidii irregularitas incurratur.

III. Hinc fit primo, quod dubitans, An hominem mutilaverit, irregularitatem non incurrat, quia hæc solum est imposita in dubio homicidii. Propterea licet irregularitas incurratur etiam propter mutilationem injustam, quando hæc est certa, non tamen quando est dubia; Odia quippe restringenda sunt, non amplianda.

IV. Fit secundo, quod cum ista irregularitas imposita sit in dubio homicidii voluntarii, ut constat ex textibus laudatis, si dubitetur, num homicidium commissum fuerit casuale, an voluntarium, præsumendum pro libertate, quod scilicet fuerit casuale, ut docent Fagund., & Bardi disp. *6.* c. *6.* atque adeo irregularitatem contractam ob tale homicidium, si sit occultum, posse ab Episcopo dispensari, juxta facultatem a Tridentino Episcopis traditam sess. 34. c. *6.*, quod scilicet dispensare possint in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta irregularitate proveniente ex homicidio voluntario, & aliis ad forum contentiosum deductis.

V. Fit tertio, quod si dubitetur, An causa apposita ad abortum fœtus animati, vel ad aliud homicidium committendum, fuerit de se sufficiens, adhuc irregularitas contrahatur, si homicidium sit secutum; quia in adductis textibus hujusmodi est casus, ob quem deciditur irregularitatem incurri: Contra vero ea non incurritur, si dubitetur, an revera fuerit apposita talis causa de se sufficiens. Ratio est, quia, ut diximus, in tali casu dubitatur de substantia delicti; (cum dubitetur de substantia causæ applicatæ) & in hoc dubio melior est conditio libertatis, quæ est in possessione. At in priori casu non dubitatur de substantia causæ applicatæ, sed de qualitate illius, nempe de sufficientia ad homicidium causandum; unde stat in possessione homicidium, quod in tali dubio trahit irregularitatem.

VI. Fit quarto, quod si certo constet, causam sufficientem fuisse applicatam, dubitetur tamen, an homicidium sit secutum, probabiliter irregularitas non contrahatur, ut nonnulli docent apud Dian. p. 4. tr. 2. res. *16.*, cum enim non constet de corpore delicti, videtur stare in possessione libertas. Propterea, si dubitetur, An posito abortu, fœtus fuerit animatus, irregularitas non incurritur, ut probabiliter docent Bardi, Præpositus, Machadus, & Dian. p. 7. tr. 5. res. 24 quia scilicet casus adductus in laudatis textibus, in quibus decernitur irregularitas in dubio homicidii, supponit substantiam delicti. Probabilior tamen, & communior est sententia opposita Sanch. l. 1. c. 12. n. 43. Avilæ, Mol. & aliorum apud eundem Dian.; quia quamvis non constet de homicidio, adhuc datur dubium de illo, & in dubio talis delicti irregularitas incurritur. Ex quo fit, quod si abortus procuretur, & accidat post quadragesimum diem, quando solet animari fœtus masculus, sed dubitetur, an fœtus sit fœmineus (qui solet octogesimo circiter die animari) præsumendum sit, quod fœtus sit masculus, atque adeo irregularitas incurratur, prout hæc posterior, & probabilior sententia docet, & prout servat Sacra Pœnitentiaria. Quod pariter innui in expositione duarum illarum thesium de irregularitate ab Innoc. XI. proscriptarum; nempe 34. & 35. quarum prior dicit, licitum esse procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur: Posterior vero vult, animam rationalem infundi in fœtum, dum paritur, & ideo in nullo abortu homicidium committi.

VII. Ubi notandum latam fuisse a Sixto V. Excommunicationem adversus procurantes abortum, quam deinde Gregor. XIV. voluit incurri solum a procurantibus abortum fœtus animati, & effectu secuto, quæ a Confessario approbato specialiter deputato ab Ordinario possit absolvi. Hæc tamen excommunicatio non incurritur in dubio facti, sicut incurritur irregularitas, quia solum de irregularitate id decernunt Canones laudati, non de excommunicatione. Circa quam Bonacina apud Dian. p. 7. tr. 5. resol. 13 quærit, num Pœnitentiarius Ecclesiæ Metropolitanæ privilegium habens absolvendi a censuris Episcopo reservatis, possit ab hac censura absolvere, citra specialem deputationem ad hunc casum? Requiri hanc specialem deputationem putant Trullench, Novarius, & alii cum eodem Diana, quia id videntur sonare verba Bullæ: contra vero sufficere generalem facultatem absolvendi ab omnibus censuris Episcopo reservatis autumat Bonac. laudatus, dicens id usu receptum esse, quamvis non leve dubium de hoc haberet, dum munus Pœnitentiarii obibat. Equidem de hoc rogatus quid sentirem dixi, quod si verba Bullæ requirentia spe-

specialem deputationem referrentur ad casum, & significarent deputationem Personæ debere esse ad hunc specialem casum, procul dubio non satis esset illud privilegium generale absolvendi ab omnibus censuris. At cum possit illa specialis deputatio referri ad Confessarium, ita ut sensus sit, Confessarium specialiter deputatum posse ab hac censura absolvere, cum revera Pœnitentiarius sit Persona specialiter deputata ad absolvendum ab omnibus reservatis Episcopo, ideo puto, probabilem esse Bonacinæ sententiam, quod possit Pœnitentiarius ab ea absolvere, tanquam Persona specialiter deputata ad absolvendum generatim ab omnibus Episcopo reservatis; præsertim, quia, teste eodem Bonacina, id usu receptum est, & favores universim ampliandi sunt.

VIII. Fit quinto, quod in dubio, an fœtus fuerit animatus, atque adeo patratum sit homicidium, quando procuratus fuit abortus, licet irregularitas incurratur, non contrahantur tamen aliæ pœnæ huic delicto impositæ, nempe privatio beneficiorum, & inhabilitas ad ea obtinenda, ut docent communiter cum Suar. Vasq. Sanch. apud Dianam p. 7. tr. 5. ref. 25. Et ratio est, quia in dubio homicidii solum irregularitas in jure imponitur; quare aliæ pœnæ, nisi delictum sit certum, non incurruntur, ut diximus de excommunicatione adversus procurantes abortum fœtus animati.

IX. Fit sexto, quod si dubitetur, an consilium datum influxerit in homicidium, irregularitas hæc incurratur; esto vera esset nonnullorum sententia quam merito rejicit Sanchez lib. 2. q. 41. n. 17., quod scilicet consulens non teneatur ad restitutionem, quando dubium est, an secluso consilio adhuc homicidium perpetratum fuisset. Et ratio discriminis est ex eodem Sanchez lib. 1. summæ c. 10. n. 44. quia obligatio restitutionis oritur ex sola violatione justitiæ, irregularitas vero potest ex alio delicto contrahi: propterea quamvis in hoc casu non daretur onus restituendi, adhuc dicendum, quod irregularitas contrahatur juxta dispositionem Sacrorum Canonum: Si tamen dubitetur, num consilium, vel mandatum datum sit, etiam secuto homicidio, irregularitas non incurritur, quia scilicet pro delicto dubio non imponitur pœna certa.

X. Fit septimo, quod si plures in rixa concurrerint ad aliquem occidendum, quamvis dubium sit, quinam illum vulnerarit, & an quilibet sua assistentia animosiores reddiderit percussores, adhuc omnes sint irregulares, quia de quolibet dubitatur, num homicidium commiserit, ut notat Suar. Avila, Koninch. apud Boss. n. 1341. Unde sequitur, in bello injusto, si unus tantum occidatur, omnes milites, necnon custodientes sarcinas esse irregulares, quia aliquo modo ad homicidium concurrerunt: Contra vero in bello justo ab eo duntaxat milite irregularitas ex defectu lenitatis contrahitur, de quo constat, quod alium occiderit; Secus vero si id sit in dubio. Ita Sanch. Henriq. Bardi §. 9. contra Avilam, & Bonac. Et ratio est, quia in Sacris Canonibus irregularitatis pœna imponitur in dubio homicidii; nomine autem homicidii venit antonomastice culpabilis, & injusta occisio hominis, quæ non habetur in bello justo; & ideo in tali dubio de hominis occisione in bello justo irregularitas ex defectu lenitatis non incurritur; Nec ea incurritur, si quis alium occidat inculpabiliter in sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ; Nec illam incurrit Clericus, aut Dux, qui in bello justo milites adhortatur ad fortiter pugnandum; sed solum qui in bello justo aliquem propria manu occidit: Sicut etiam qui in Judicio ad Rei occisionem concurrit, ut publicus justitiæ minister, sive ad causæ probationem, aut executionem.

QUÆSTIO ULTIMA.

De Conscientia Scrupulosa.

EXaminabimus primo de conscientia Scrupulosa in genere, Quid sit, & quos actus involvat? deinde An liceat operari non deposito scrupulo? Tertio quænam sint causæ, & remedia Scrupulorum?

ARTICULUS I.

Quid sit, & quos actus involvat Scrupulus?

I. Scrupulus procedit ex levibus motivis.

II. Debent autem motiva esse in se levia, adeo ut possit Scrupulosus ad eorum levitatem advertere.

III. Scrupulus non solum habetur per judicium dictans ex levibus motivis dari obligationem in conscientia, sed etiam per apprehensionem simplicem trahentem judicii suspensionem, & animi angustias.

IV. Quænam sint hominis scrupulosi indicia?

V. Scrupulus principaliter ad intellectum spectat; sed trahit in voluntate timorem, animique perturbationem, ac tristitiam.

I. SCrupulus dictus a Scrupo, qui est lapillus in calce latens, & dolorem in pede causans, per metaphoram significat animi molestiam, & anxietatem ex apprehensione, aut existimatione non prudenti, sed futili orta ex levibus motivis, quod aliquid sit peccatum.

Dico nunc primo, posse scrupulum rite definiri, dicendo, quod sit quidam animi motus ex levibus motivis procedens, per quem ad aliquid secundum conscientiam obligari apprehendimus, vel judicamus. Per primas particulas, quod scilicet sit motus animi, convenit cum omnibus conscientiæ actibus. Per secundas, videlicet, ex levibus motivis, secernitur a conscientia recta, & certa, necnon

a pro-

a probabili, & opinativa, quæ solidis motivis nituntur: Per ultimas particulas distinguitur a conscientia erronea, quæ dictat aliquam obligationem in conscientia ex motivis gravibus apparentibus; nam si ex motivis levibus procedit, tunc conscientia erronea confunditur cum scrupulosa: Per easdem etiam particulas distinguitur a motibus animi ad conscientiam non spectantibus, nec repræsentantibus, aut judicantibus aliquam obligationem secundum forum animæ; nam si ex levibus motivis quis v. g. apprehendat, vel judicet, Petrum esse mortuum, talis animi motus, utpote non pertinens immediate ad obligationem, secundum conscientiam, non potest rite scrupulus appellari.

II. Objicies; Vel scrupulus procedit ex motivis, quæ in rei veritate sint levia, quamvis apprehendantur esse gravia; vel quæ sint levia secundum apprehensionem: Si primum, contra est, quia conscientia est practice vera, & prudens, quamvis speculative sit falsa; atque adeo talis cònscientia non est scrupulosa, sed erronea; ut si quis ignorans Titium esse improbum, & mendacem, apprehendat ex ejus auctoritate, obligari graviter ad jejunandum, vel ad contrahendum matrimonium &c. Si dicatur secundum, quod scilicet motiva apprehendi debeant ut levia, tunc non poterit haberi scrupulus; quia intellectus apprehendens debilitatem rationum statim agnoscet apprehensionem illam esse vanam, atque adeo nullatenus ex iis consurgere obligationem in conscientia.

Respondeo, motiva levia, ex quibus gignitur Scrupulus, debere in se ipsis esse levia, ita ut possint a scrupuloso existimari levia, si ejus intellectus scrupulis oppressus non impediretur a perpendenda levitate motivorum; tale autem impedimentum posset a scrupuloso tolli, si vellet scrupulis resistere, sæpe tamen tædio affectus animo dejicitur.

III. Ex dictis sequitur primo, consistere posse scrupulum tum in prima, tum in secunda intellectus operatione, quandoquidem ex consensu Doctorum explicatur & per apprehensionem trahentem judicii suspensionem, & per existimationem. Et ratio est, quia sæpe scrupulosi nullum judicium proferunt; sed retinere solent intellectum hinc inde suspensum, & titubantem, ita ut ex tali vacillatione oriantur in voluntate timores, angustiæ, & tristitiæ: Ergo scrupulus non solum habetur per judicium dictans ex levibus motivis dari obligationem in conscientia, quod, ut diximus, vocatur conscientia scrupulosa; sed etiam per simplicem apprehensionem talium motivorum.

IV. Sequitur secundo, illum appellandum esse scrupulosum, qui frequenter hujusmodi molestias patitur, sive in eadem, sive in diversis materiis; non tamen qui raro scrupulis laborat; denominatio enim ista, uti & similes, desumi debet ab actibus frequentibus, non a raro evenientibus; aliter omnes deberent dici scrupulosi, cum nemo sit, qui aliquando scrupulis non laboret: Indicia autem hominis scrupulosi sunt sæpe alios interrogare in rebus manifestis, sæpe hærere cum suspensione judicii; Præterea contra Sapientium, immo sui etiam judicium, sententis nullum in aliqua actione esse, aut fuisse peccatum, adhuc timere, ne forte peccet, aut peccaverit, & similia apud Filliucium tr. 21. 1. 4. & Laym. l. 1. tr. 1. c. 6. & Boss. n. 2056.

V. Dico secundo. Quamvis scrupulus principaliter ad intellectum pertineat juxta traditam definitionem, trahit tamen secum actus voluntatis, nempe timorem, & tristitiam. Ita communiter, & constat tum ex Corduba, & D. Antonino, & aliis, qui explicantes scupuli naturam dicunt, esse vacillationem quamdam cum formidine, hoc est timore, ad voluntatem pertinente; tum ex ipsa experientia; posita enim apprehensione, vel existimatione peccati orta ex levibus motivis, sæpe suboritur in voluntate timor, seu animi perturbatio, ac tristitia, quæ minuit animi vigorem in operando; hujusmodi autem perturbatio quo major est, eo minus certum, & clarum trahit judicium de honestate operationis, atque adeo minorem promptitudinem ad operandum.

ARTICULUS II.

An licite operemur cum conscientia Scrupulosa?

I. Illicitum videtur, non deposito scrupulo operari.
II. Verius tamen id licet.
III. Immo non raro ad id tenentur Scrupulosi.
IV. Occurritur Objectis.

I. PRima opinio cum Rodriquez in Summa c. 53., & Lopez docet, illicitum esse agere contra conscientiam scrupulosam, non secus ac contra conscientiam dubiam, aut erroneam, atque adeo deponendum esse prius scrupulum, ut licite operemur. Ratio est primo, quia agere contra conscientiam erroneam est peccatum, ut docent omnes, & Nos ostendimus quæstione prima; sed conscientia scrupulosa est pariter erronea, si quidem peccatum reputet, v. g. festucam pedibus premere, oculos tollere, &c. ergo nisi prius deponatur, illicitum est contra scrupulum operari. Secundo quia ad honestam operationem requiritur consensus, si minus, saltem probabilis de operationis honestate; atqui perseverante scrupulo hujusmodi judicium practicum aut tollitur, aut impeditur, cum intellectus potius propendeat in oppositum; ergo ut supra. Tertio, quia in cap. *Inquisitioni de sententia excommunicationis*, Conjugi petenti, an abstinere deberet ab usu matrimonii, eo quod haberet scrupulum de ejus validitate, respondetur per hæc verba. *Conscientia levis, & temerariæ credulitatis explosa, licite potest non solum reddere, sed exigere debitum conjugale*: ergo censuit Pontifex, scrupulum prius esse deponendum, quod etiam habetur in cap. *Per sua de Simonia* apud Jo: Lugo.

II. Secunda tamen sententia communior, & verior cum Sanch. l. 1. c. 10. n. 80. Palao d. 4. par. p. Laym. Vasqu. Salas, Bonac. Regin. Navarro, Sayro, Jo: Lugo absolute affirmat licitum esse contra conscientiam scrupulosam etiam non depositam operari. Nititur hæc sententia contrario fundamento, quo superior: Nam ad honestam operationem sufficit judicium probabile directum, & remotum de honestate operis, ad quod sequatur judicium pra-

practice practicum reflexum, & proximum, quod liceat talem operationem ponere; (sive hujusmodi judicium debeat esse certum, ut docet Suar. de cens. d. 40. s. 5. & alii communius, sive saltem probabile, ut docet Sanch. l. 1. c. 9. n. 19. Vasq. 1. 2. d. 62. Salas, Franc. Lugo de conscientia probabili cap. 1.) atqui cum scrupulo possunt stare hujusmodi judicia; ergo non deposito scrupulo potest haberi honesta operatio. Probatur minor, quia scrupulus procedit ex levibus motivis: ergo non potest impedire judicium probabile remotum de honestate operationis, saltem per extrinseca principia nixa auctoritati aliorum; (nam si hujusmodi judicium tolleret, non esset scrupulus, sed dubium) & consequenter nec impedit judicium proximum practice practicum, quod hic, & nunc liceat operari: Si enim potest intellectus judicare duas oppositas opiniones ambas esse probabiles, puta, quod elapsa sit media nox, juxta unum horologium, & quod non sit elapsa juxta aliud, a fortiori poterit judicare, probabile esse, saltem ob extrinseca motiva, quod homicidium, v. g. factum ad defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ non sit inhonestum, & simul habere apparentiam, & apprehensionem inhonestatis de tali homicidio propter levia motiva, quæ animo scrupulosi occurrunt; Posito autem illo priori judicio remoto probabili de honestate talis operationis, statim consurgere potest judicium practice practicum, quod hic, & nunc ea liceat.

III. Adde ex Sanch. l. c. Valentia, Sayr. Jo: Lugo, aliquando etiam teneri hominem adversus scrupulum agere, nimirum quoties scrupulosus ex scrupulorum anxietate grave damnum valetudinis pateretur, vel se inutilem redderet ad præstandum munus suum, vel a confessione, communione, aut aliis actionibus obligatoriis retraheretur. Quamvis autem aliquando non adsit talis obligatio; expedit tamen sæpe scrupulosis adversus scrupulos operari; aliter in tædium rerum spiritualium incident, ac orationibus, aliisque piis operationibus abstinebunt.

IV. Ad primam rationem in contrarium respondetur, ideo non licere adversus conscientiam erroneam operari, quia per illam præcluditur omnino assensus probabilis de honestate operationis, quod in scrupulo non contingit.

Ad secundam, ostensa est falsitas minoris.

Ad tertiam, Glossa ibi dicit, explodendam esse conscientiam illam temerariæ credulitatis, quæ aut dubium erat, aut error, non vero scrupulus. Quare Thom. Sanch. l. c. putat, DD. pro 1. sententia adductos nunquam locutos esse de vero scrupulo, qui quamvis vigeat, non tollit assensum partis contrariæ; sed locutos esse de formidine, quæ tollat alterius partis assensum determinatum; ut proinde non sit scrupulus, sed dubium, quo non deposito procul dubio inhonesta, & illicita sequitur operatio.

ARTICULUS III.

De Causis, & Remediis Scrupulorum.

I. Causæ intrinsecæ Scrupulorum corporales sunt plurimæ.
II. Nec non extrinsecæ.
III. Pariter plurimæ sunt hujus morbi causæ intrinsecæ spirituales.
IV. Aliæque extrinsecæ.
V. Remedia adversus scrupulos naturalia recensentur.
VI. Alia remedia moralia adhibenda sunt.
VII. Nec non supernaturalia.

I. UT opportuno morbo remedia adhibeantur, oportet causas illius penetrare; effectus enim non cessat, nisi causa tollatur. Sunt autem scrupulorum causæ ex D. Antonino p. 1. tit. 3. c. 10., aliæ intrinsecæ, aliæ extrinsecæ, aliæ corporales, aliæ spirituales. Primo autem sunt causæ intrinsecæ corporales scrupulorum frigida complexio; nam sicut metus causat frigiditatem, ex Philosopho 2. de partibus animalium 4. ita frigiditas metum fovet, utpote quæ cor constringit, impeditque, ne spiritus ad alias corporis partes libere transmittat, sicut ad animositatem requiritur: Quapropter dum menti occurrunt scrupuli, frigiditas complexionis efficit, ut homo nimius sit in timore, præsertim quia deficit vigor ad timorem expellendum. Est pariter causa intrinsece corporalis scrupulorum melancholia, quia cum terræ naturam participet, frigida est, redditque hominem formidolosum, ut docet Aristoteles in Problematibus sect. 10. quamvis per accidens ipsa atra bilis possit calefieri, ut sæpe lapis, ferrum, & similia, quæ terrea sunt, per accidens calefiunt, plusquam carbo ignitus, ut loquitur Philosophus. Adde ex eodem Philosopho, & D. Th. melancholicos moveri sæpe phantasmatibus; etenim cum terrestrem habeant naturam, in iis magis, quam in aliis, phantasmatum impressiones formantur, & radicantur; unde cum vividius repræsententur scrupulorum phantasmata, intensius cruciant, concurrente ad hoc timiditate orta ex frigida complexione. Sunt demum ejusmodi causæ debilitas capitis, læsio imaginativæ, & similes ægritudines, quas curare oportet, ut scrupuli evanescant.

II. Secundo, Causæ corporales extrinsecæ scrupulorum sunt, Tum continua cum scrupulosis familiaritas, ex eorum enim consortio facile scrupulorum phantasmata excitantur, & radicantur intensius; Tum lectio librorum, qui conscientiæ casus resolvunt, quin illos enucleent, ita ut omnem dubitationem, ac formidinem tollant; Tum vitæ asperitas, quæ nimiis corporum afflictationibus, ac jejuniis temperamentum capitis lædit, unde oritur melancholia, ac tristitia, quæ scrupulos fovent.

III. Tertio, Causæ hujus morbi intrinsecæ spirituales sunt, Tum ignorantia, ex qua irrationabiles scrupuli frequenter insurgunt; quamvis enim aliquando viri etiam docti eodem morbo laborent, hoc tamen est per accidens, & ex aliis causis; siquidem sapientia per se confert ad vanas formidines futilium rationum depellendas: Tum superbia, superbus enim nimis proprio fidens judicio, & nolens alieno consilio se submittere, negligit ad Deum recurrere orationibus, aliisque piis operationibus, quibus Deus moveatur ad ejus intellectum illustrandum; præsertim quia sæpe Deus superbos his culicibus punire solet, ut propriam vilitatem agnoscant: Tum etiam inordinatus suimet amor, qui solet etiam hac pœna puniri; quia inordinate se diligens culpas leves negligit vitare, & ad Deum, ut debet, confugere negligit, superbiamque fovet.

IV. Quar-

IV. Quarto demum sunt causæ spirituales extrinsecæ dæmon, ac Deus; dæmon quidem indirecte concurrens ad actum intellectus, & voluntatis, nimirum commovendo humores, & phantasmata, ut D. Antoninus notat, & obtenebrando intellectum vi humoris melancholici, quo impeditur, ne ad ea se applicet, quibus scrupulorum formidinem depellat: eo autem fine dæmon scrupulos fovet, ut homo in tædium incidat vitæ spiritualis, & eam deserat, aut remisse per illam incedat. Deus vero scrupulos etiam directe ingerere potest, vel in pœnam defectuum, ac delictorum, vel ut homo a prædictis abstineat, vel ut in tolerandis iis angustiis varias operationes meritorias exerceat.

V. Inspectis causis scrupulorum, facile est remedia opportuna adhibere, tum impediendo, ne insurgant, tum obsistendo, si insurrexerint. Sunt autem hujusmodi remedia universim in triplici genere; quædam enim sunt naturalia; quædam moralia; quædam supernaturalia.

Incipiendo a naturalibus. Primum est, causas scrupulorum naturales auferre. Unde si scrupulus ex austeritate vitæ procedat, illa ex Ascetici Patris consilio minuatur; si vero ex melancholia procedat, recreatione, lætitia, & cibo, aut pharmaco apto illa tollatur: Nimia etiam cum scrupulosis familiaritas fugiatur, si hæc sit fomentum scrupulorum. Secundum est scrupulum vix exortum statim prudenti ratione repellere, alioque cogitationem divertere; aliter vires ad cruciandum accipiet, si diutius animo hæreat, adhibitis hinc inde rationibus. Quapropter ex Cajet., Laym. Filliuc. expedit, scrupulosum negotiis vacare, ne scrupulis vacandi tempus suppetat. Tertium est, ut scrupulosus adversus vanas apprehensiones, ac timores culpæ audacter operetur; licitum enim est, consultum, & aliquando necessarium contra scrupulum agere.

VI. Circa remedia moralia, Primum sit, dubium semper in meliorem partem interpretari: si enim in dubiis favendum est possidenti suam libertatem, a fortiori in scrupulis, qui ex levi fundamento oriuntur; non debet enim scrupulosus ex levi fundamento grave onus sentire.

Secundum est acquiescere opinioni probabili vel confessarii, vel alterius viri docti, aut superioris, etiamsi dubitetur, num sit scrupulus, an vero habeatur prudens ratio dubitandi; nam, ut notat Bonac. hoc ipsum dubitare, an hic, & nunc habeatur scrupulus, præbet scrupulosis rationabilem causam opinandi, quod revera sit scrupulus.

Tertium est uti regulis a DD. traditis ad curandum hunc morbum; quarum prima est, scrupulosum credere aut experientiæ, aut auctoritati aliorum, se esse scrupulosum, atque adeo posse licite uti regulis, quæ pro scrupulis traduntur. Secundo, deponere statim conscientiam scrupulosam ex consilio Confessarii, aut alterius viri docti, ac probi, pro certo habendo se non peccaturum, quamvis Doctor erret; unde scrupulosus non debet plures super eadem re consulere, ne assuescat ad vanos timores fovendos, sed statim acquiescere debet post responsum ab ejusmodi viro acceptum. Tertio, ut confessiones non repetat, postquam probabiliter satisfecit suæ obligationi in prima confessione: Quamvis enim in illa confessione aliqua tacuerit, adhuc non tenetur cum onere, seu periculo hærendi semper in iisdem anxietatibus confessionis integritatem materialem procurare; cum ab illa minores aliquando difficultates excusent, ut notat Conin. 3. p. d. 7. n. 68., & Laym. l. 1. tr. 1. c. 6. Quare Confessarius nullatenus permittere debet Confessionis repetitionem, quando constat in prima Confessione mediocrem diligentiam esse adhibitam; quia probabiliter, imo certo moraliter præsumere debet, scrupulosum præcepto Confessionis satisfecisse: Ita Sà, Sanch., Bonac., Palaus, monentes Confessarium non debere audire nec scrupulosos, nec peccata dubia scrupulosorum, aut quæ hic dubitat, an alias confessus sit, vel an ea bene intellexerit Confessarius, sed solum quæ ille jurare potest certo commisisse, certo esse mortalia, ac certo nunquam subjecisse clavibus. Et ratio est, tum quia credulitas scrupulosi satis æquivalet in hac parte certitudini morali reliquorum; tum etiam quia prudenter timetur nunquam fore, ut scrupulosus acquiescat, si ejus importunitati Confessarius consentiat. Immo Confessarius non solum in Confessione, sed neque extra Confessionem permittere debet, ut scrupulosus suos scrupulos in particulari aperiat causa capiendi consilium, sed debet illum reprehendere, ostendendo ejus inobedientiam, ac solum regulas universales tradere, quibus scrupulosus suo Marte utatur ad scrupulos pellendos.

Quartum est, scrupulosum sæpe operari adversus scrupulum; v. g. si dubitet, an peccet expuendo? sæpe expuat, ut scrupulum vincat, & contemnat. Juvat etiam sæpe operari juxta sententiam probabilem viri alicujus docti, ac probi, seu Confessarii, quamvis minus tutam, contemnendo formidinem, ne peccet in eo casu saltem materialiter; quia licite, & honeste operatur, etiamsi subsit periculum remotum transgrediendi legem materialiter. Quis enim dubitet v. g. conjugem licite petere debitum, si probabilissimum sit matrimonium esse contractum, etiamsi subeatur periculum remotum de nullitate matrimonii, atque adeo de fornicatione materiali?

Quintum demum, ut scrupulosus nunquam judicet actionem aliquam esse mortaliter peccaminosam, aut se mortali peccato consensisse, nisi primo aspectu id certo, & sine formidine cognoscat, vel interdum nisi jurare possit se mortaliter peccasse; (quando scilicet nimia est scrupulorum vexatio) Quamvis enim sic operando aliquando efficiat actionem aliquam illicitam, id tamen non est culpæ tribuendum; cum procedat ex recta intentione, ne gravibus anxietatibus crucietur, quæ corporis, & animi ruinam machinantur; nullo modo ea facturus, si putaret culpam ibi subesse. Ita Villalob., & Palaus apud Jo: Lugo.

Sextum demum, ut scrupulosus habeat pro morali certitudine suam credulitatem. Quare si credit, quod consecraverit, quod confessus sit, quod horas recitaverit cum attentione debita, ne repetat; nam levius fundamentum satis est, ut possit ipse credere, se satisfecisse obligationibus suis, quam requiratur in aliis non scrupulosis: Immo si dubitet, an ea præstiterit, credat se præstitisse. Videatur Filliucius tr. 21. a n. 179.

Circa remedia demum supernaturalia: Primum sit per proprias, & alienas preces ad Deum cum

humilitate, ac fiducia jugiter confugere: quia, ut notat D. Auguſtinus apud Reginal. lib. 2. num. 109., Deus propitius eſt timentibus, & orantibus illum; Quod innuere voluit D. Jacobus, dicens: *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter*. Secundum eſt ſollicite cavere venialia, nedum mortalia; nonnulli enim anxii ſunt circa peccatorum præteritorum confeſſionem, quin curent tollere præſentia. Tertium, præparare ſe ad divinam gratiam, & illuſtrationes; quod maxime fit frequentando amoris, & contritionis actus; ac puritatem mentis, & corporis cuſtodiendo, necnon legendo, ac meditando ſacras literas, orando, ac humiliter ſubjiciendo intellectum, nedum voluntatem Confeſſario, quem prudentem, doctum, ac probum elegerit: Sed hac in re diutius immorari nec opus eſt, nec vacat. Eſto igitur hujus Opuſculi,

(Sed ob ubi Æternitatis!)

F I N I S.

AD OPUSCULUM SECUNDUM
DE CONSCIENTIA DUBIA, & SCRUPULOSA

INTER

OPUSCULA THEOLOGICO-MORALIA

MANTISSA,

SEU QUÆSTIO FACTI,

Utrum Theologorum S. J. propriæ ſint iſtæ ſententiæ duæ:

I. Ex duabus opinionibus probabilibus poſſumus ſequi minus tutam.

II. Ex duabus opinionibus probabilibus licitum eſt amplecti minus probabilem.

AUCTORE
STEPHANO DE CHAMPS
EJUSDEM SOCIETATIS PRESBYTERO.

Editio IV. novis adnotationibus ab Auctore Supplementi La-Croixiani illuſtrata.

EDITORIS PRÆFATIO.

QUæstionem *Facti* P. Stephani de Champs heic recudimus. Quis porro fuerit, quantusque vir P. de Champs, non vacat fusius persequi. Consule sis præfationem in novam editionem præclarissimi *de hæresi Janseniana* voluminis. Enimvero cur huic *Vivæ* Opusculo *quæstionem facti* addere visum fuerit, paucis exequar. Notum est, quantas nostris hisce temporibus in Italia tragœdias excitarit Quæstio alias in Galliis præsertim celeberrima *de probabilitate opinionum in praxi sequenda*; quotque hujusce disquisitionis occasione libelli prodierint calumniarum, ac mendaciorum pleni in Societatem Jesu. Atque his quidem ab Jesuitis pluribus responsum abunde est. Ut enim *Ghezii*, *Lecchii*, *Bovii*, *Gagnæ*, *Richelmii*, & cujusdam Anonymi mihi amicissimi lucubrationes mittam, ipsis hisce Remondinianis typis, quibus nunc exprimitur opus hoc nostrum, P. *Philiberti Ballæ* egregiæ sane, atque invictæ epistolæ sunt excusæ. At ut hosce Scriptores, eorumque libros magni faciam, ad depellendas tamen ab Jesuitis *Laxitatis* criminationes nihil unquam prodituram gravius, efficaciusque *quæstione facti* judicavi semper, eoque firmius nunc censeo, quod non Wendrokio tantum, ejusque propugnatoribus Jansenianis infensum maxime opus hoc esse video, sed & ceteris Catholicis, quibus alia certe de caussa, quam quæ ad id Jansenianæ factionis sectatores illos impulit, eamdem in Jesuitas movere machinam placuit, Vincentio Baronio, Natali Alexandro, historico Probabilismi, & Eusebio Eranisti. Qui quidem quum plura in hanc *facti* quæstionem scripserint, ut ne eorum declamationibus incautus quispiam in errorem abducatur, notata ab his loca opportunis animadversionibus illustrabimus, ac defendemus. Tum in eamdem rem Scriptores quosdam a P. de Champs prætermissos, eosque ut plurimum anno *1659.*, quo libellus primam lucem aspexit, recentiores suis locis addemus. Sed hæc hactenus.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

Quæstionis status explicatur.

CAPUT II.

Quædam observanda circa authores, quorum testimonia deinceps recitabuntur.

CAPUT III.

Sententias illas tuentur Episcopi ex Veteribus plurimi, ex recentioribus omnes plane, qui abhinc annos centum controversiam istam in Theologicis lucubrationibus suis attigisse dicuntur.

CAPUT IV.

Priorem sententiam veteres Theologi Parisienses solemni decreto approbant: utramque omnes omnino Doctores Sorbonici, qui hoc sæculo de Theologicis rebus commentarios ediderunt, ex professo examinant, atque defendunt.

CAPUT V.

Utramque sententiam veteres Thomistæ quamplurimi, recentiores vero fere omnes incredibili consensu propugnant.

CAPUT VI.

Pari consensu doctissimi ex aliis Religiosis Ordinibus Theologi easdem omnino opiniones tuentur.

CAPUT VII.

Plurimi ex omnibus Orbis Christiani nationibus clarissimi Doctores easdem sententias tenent.

CAPUT VIII.

Concluditur, sententias illas, quamvis a doctissimis quibusque Societatis Jesu Theologis defendantur, non esse tamen eorum proprias: imo Societati Jesu propemodum singulare fuisse, easdem opiniones tum variis modis temperare, tum etiam penitus oppugnare.

APPENDIX.

De Duobus Ordinis Sancti Dominici Theologis, quorum alter favet, alter bellum indicit communi doctrinæ.

QUÆ.

QUÆSTIO FACTI.

Utrum Theologorum Societatis Jesu propriæ sint istæ sententiæ duæ.

PRIMA.

Ex duabus opinionibus possumus sequi minus tutam.

SECUNDA.

Ex duabus opinionibus probabilibus licitum est amplecti minus probabilem.

CAPUT PRIMUM.

Quæstionis status explicatur.

,, UTrum veræ sint istæ senten-
,, tiæ, an falsæ, non disputo:
,, hoc unum quæro, sint ne Theo-
,, logorum Societatis Jesu pro-
,, priæ. Dudum est enim, quod
,, id Montaltius, aliique Scri-
,, ptores larvati, quam impor-
,, tune, tam falso illis expro-
,, brant. Quod ut accurate di-
,, sceptetur, quæstionis status brevi, & enucleata
,, singularum vocum, quibus illæ sententiæ ab au-
,, thoribus suis concipi solent explicatione, decla-
,, randus est.

,, Notandum primo, sermonem esse de opinio-
,, ne, quæ a dubio ea re discrepat, quod dubium
,, neutram in partem inclinet, adeoque ancipitem
,, ac veluti suspensum animum teneat: opinio vero
,, determinatum alicujus partis assensum includat,
,, sed cum alterius formidine conjunctum, ut ait
,, S. Thomas 1. p. quæst. 79. art. 9. ad 4. Certum
,, est autem, eum, qui aliquid agit proprie, &
,, stricte loquendo dubitans, sit ne peccatum, an
,, non, vere peccare. Quod recentiores fere omnes
,, post Suarez *tract.* 3. *in* 1. 2. *disp.* 12. *sect.* 5. *n.*
,, 2. probant, tum ex illa juris regula: *In dubiis*
,, *tutior pars est eligenda:* tum hac ratione, *qui*
,, *operatur cum tali dubio, exponit se periculo pec-*
,, *candi*.

,, Notandum secundo, quæstionem esse de opi-
,, nionibus, quæ sint vere probabiles. Duæ vero
,, conditiones ad conciliandam alicui opinioni pro-
,, babilitatem requiruntur. Prima est, ut nihil
,, contra eam, sive pro opposita sit convincens.
,, Quamobrem præclare Suarez annotat loco citato
,, sect. 6. num. 2. ad opinionis alicujus probabili-
,, tatem necessarium esse, *ut non repugnet, aut*
,, *veritatibus ab Ecclesia receptis, aut evidenti ra-*
,, *tioni: Neque etiam temere contradicat communi,*
,, *& receptæ doctrinæ Doctorum*. Altera conditio
,, est, ut firmo aliquo fundamento nitatur. Du-
,, plex est autem hujusmodi fundamentum: nempe
,, solida ratio, & authoritas digna fide, *quæ in re*
,, *Morali*, inquit Suarez ibidem, *multum habet*
,, *ponderis*. Quæ omnia Suari assentiuntur omnes
,, Societatis nostræ Theologi, qui vel strictim quæ-
,, stionem istam libarunt.

,, Notandum tertio, probabiliorem opinionem
,, eam esse, quæ duas illas conditiones modo ex-
,, plicatas perfectius possidet: tutiorem vero, quæ
,, nos ab omni peccati specie, ac veluti umbra
,, longius removet. Quamobrem inter opiniones
,, duas, quarum altera affirmat, altera negat,
,, peccatum esse aliquid agere, semper affirmans
,, est tutior; cum hominem se illi accomodantem,
,, & ab opere, quod damnat abstinentem, nulli
,, plane, ac ne *materialiter* quidem peccandi peri-
,, culo exponat: at non semper est probabilior;
,, cum debilioribus quandoque fundamentis nitatur.
,, Pridem istud animadvertit S. Antoninus 1. part.
,, tit. 3. cap. 10. §. 10. nam explicatis opinionibus

„ Sancti Thomæ negantis, & Sancti Bonaventuræ „ affirmantis *post lapsum in mortale teneri aliquem* „ *statim confiteri sub præcepto, habita copia Con*„ *fessoris*; significat postremam esse tutiorem, al„ teram vero probabiliorem: *Beati Thomæ opinio*, „ inquit, *communius tenetur*, *quæ tamen minus tu*„ *ta videtur*.

„ Notandum quarto, hic agi de præcepto, non „ de consilio: sive an liceat, non vero an melius „ sit sequi opinionem minus tutam, & minus pro„ babilem. Fatentur enim omnes melius esse per „ se loquendo, sequi tutiorem partem; vel si am„ bæ sint æque tutæ, probabiliorem. Quo spectat „ illud S. Antonini loco citato: *eligere viam tutio*„ *rem consilii est*.

„ Notandum quinto, duplicis generis opiniones „ esse. Aliæ enim versantur circa jus solum, ac „ præceptum quærendo præcise: *Utrum aliquid sit* „ *prohibitum, aut præceptum, necne*; sive an sit „ *obligatio aliquid faciendi, aut non faciendi*. Aliæ „ spectant conditiones rerum, vel facta quædam: „ *cujusmodi sunt in Theologia*, inquit Suarez loco „ citato num. 8., *an Sacramenta hoc modo facta* „ *teneant, nec ne: in Medicina, an hoc pharma*„ *cum sit utile, vel perniciosum: in Jure Civili*, „ *an iste hæres sit, vel non &c.* Non hic autem de „ secundo opinionum genere disputatur, nam, ut „ ait Suarez num. 10., *quando opiniones versantur* „ *circa res ipsas, an sint talis naturæ, vel conditio*„ *nis, sæpe tenetur homo præferre opinionem certam* „ *probabili, & probabiliorem minus probabili, quan*„ *do scilicet ex justitia, vel charitate tenetur vita*„ *re damnum, vel incommodum, quod in re ipsa* „ *subest, vel periculum ejus*. Quam Suaris opinio„ nem, & in temperanda plurimorum Theologo„ rum de probabilitate sententia moderationem, ap„ probant doctissimi quique Societatis nostræ Theo„ logi, atque inde cum alia multa, tum præcipue „ ista duo colligunt. Primum est, *cum de Sacra*„ *mentis quæritur, utrum hoc, vel illo modo ad*„ *ministrata, aut suscepta valida sint, vel gratiam* „ *conferant, nec ne; per se loquendo tutiorem opi*„ *nionem semper in praxi sequendam esse*. Secundum „ est, *judicem teneri sententiam ferre juxta opinio*„ *nem probabiliorem*. Ita docent Vasquez, Valen„ tia, Sanchez, Becanus, aliique magno numero „ Societatis nostræ Scriptores, quorum nomina su„ premo capite appellabo.

„ His animadversis, intelligi facile potest, quid „ sibi velint eæ sententiæ, de quibus lis est, atque „ contentio. Agunt enim de opinionibus proprie „ dictis, quæ & vere probabiles sint, & circa jus „ solum, ac præceptum versentur, hoc unum præ„ cise quærendo, *utrum aliquid sit prohibitum, aut* „ *præceptum, nec ne*; *sive an sit obligatio aliquid* „ *faciendi, aut non faciendi*. Ac prima quidem sen„ tentia docet, ex duabus ejusmodi opinionibus „ contrariis licitum esse in praxi minus tutam se„ qui. Secunda idem statuit de minus probabili. „ Qua in assertione postrema supponitur, opinio„ nem illam minus probabilem, non esse magis tu„ tam; alias enim ne in dubium quidem vocare„ tur, an licitum sit eam amplecti. Siquidem hoc „ ipso, quo diceretur esse tutior, magis ab omni „ peccati specie nos removeret; adeoque non modo „ licitum esset, sed etiam laudabile ad illam sic, „ tanquam ad normam actiones suas exigere. „ Quamobrem ex recentiorum omnium confessione „ posterior hæc sententia priorem includit; nec ul„ lus ex iis docet licitum esse ex duabus opinioni„ bus vere probabilibus amplecti minus probabi„ lem, qui non supponat eamdem esse minus tu„ tam.

„ De his sententiis sic explicatis quæritur, sint „ ne Thologorum Societatis Jesu propriæ. Quod si„ ne insigni falsitate, & calumnia dici non posse, „ manifeste demonstrabo, cum plurimorum utrius„ que opinionis defensorum testimonia protulero. „ Sed antequam ea describam, pauca quædam eru„ ditum lectorem admonitum velim.

CAPUT II.

Quædam observanda circa authores, quorum testimonia deinceps recitabuntur.

„ OBservandum primo, veteres quidem Theolo„ gos cum plures allegaturum me; in iis ta„ men appellandis maxime laboraturum, qui ab „ hinc annis centum floruerunt. Nam cum hoc u„ num disputem, sint ne Theologorum Societatis „ Jesu propriæ istæ sententiæ; eorum præcipue te„ stimonia proferenda mihi sunt, qui ex quo Scri„ ptorum nostrorum celebrari nomen cœpit libris „ editis illas defenderunt. Neque vero deerit, qui „ antiquiores utriusque opinionis patronos accura„ tius colligat, demonstretque magnam veterum „ Theologorum partem, qui contrarium docere vi„ deri possent, nihil omnino istis sententiis adver„ sari.

„ Quamquam & istud ex iis, quæ jam annotavi „ intelligi facile potest. Nam primo plerique lo„ quuntur non de opinione, sed de dubio, ut de „ *D. Thoma, & aliis* Sanctus Antoninus observat „ loco paullo mox recitando. Secundo agunt alii de „ opinione, quæ sit *contra manifestum testimonium* „ *Scripturæ, & determinationem Ecclesiæ*, ac proin„ de quæ non sit probabilis, ut ibidem Sanctus An„ toninus admonet. Tertio sunt qui de consilio, „ non de præcepto loquuntur, ut notat Silvester „ verbis cap. 5. describendis. Quarto agunt alii de „ judicibus tantum, & de factis ad aliena jura per„ tinentibus: ut Dominicus Soto, qui eo ipso lo„ co, quem Wendrokius citat, nimirum lib. 3. de „ justitia, & jure qu. 6. art. 5. sic mentem suam „ exprimit: *In practicis, quæ aliena jura respiciunt*, „ *nefas est judici infirmiorem opinionem sectari*. Ea„ dem mens est Panormitani, & Navarri: nam in „ externo quidem, & contentioso foro docent, *se*„ *quendam esse opinionem illam, quæ meliori, &* „ *subtiliori ratione nititur*; sed in foro conscientiæ, „ *& ad effectum non peccandi* aliter fieri posse dis„ sertissime asserunt, ut ex producendis eorum te„ stimoniis constabit. Quinto loquuntur nonnulli „ de Sacramentis, & de mediis ad salutem necessa„ riis, atque hanc esse S. Augustini mentem lib. 1. „ de Bapt. c. 3. (quem unum ex Patribus locum „ contra posteriorem sententiam Wendrokius oppo„ nit) ex ipsis ejus verbis manifeste demonstrant „ Granado in 1. 2. Tract. 12. disp. 4. sect. 4. n. „ 46. Bresserus lib. 3. de Conscientia c. 9. & Mat„ thias Hanzeur tom. 2. Epitomes Sancti Augustini „ ad eum locum. Loquitur enim S. Doctor de ho„ mine, quemadmodum ipse Wendrokius admonet, „ qui *jam fatetur se certum esse, Baptismum in Ec*„ *clesia Catholica recte suscipi, sed dubitat, an recte apud*

„ *Donatistas suscipiatur*: de illo autem sic pronun- „ ciat: *Si dubium haberet non illic recte accipi, quod in* „ *Ecclesia Catholica recte accipi certum haberet,* „ *graviter peccaret in rebus ad salutem animæ per-* „ *tinentibus, vel eo solo, quod certis incerta præ-* „ *poneret*. Quibus ex verbis etiam colligit Vasquez „ in 1. 2. disp. 63. cap. 2. num. 8. & post illum „ Salas ibidem tract. 8. disp. unica sect. 10. num. „ 9. *Augustinum non loqui quando sunt diversæ* „ *opiniones, sed quando de una parte dubius est* „ *qui operatur, de altera autem certus*.

„ Observandum secundo, Theologos omnes, qui „ ab annis fere centum de his rebus scripserunt, „ tanto consensu utriusque sententiæ patrocinium „ suscepisse, ut authores a me deinceps alle- „ gandi, quorum plerique accuratissime eorum „ omnium nomina percensent, qui Controver- „ siam istam agitarunt, unum duntaxat ex re- „ centioribus Theologis non Jesuitis Antonium „ Perez Benedictinum appellent, qui ab aliis ut- „ cumque dissentiat, & admissa priori opinione, „ posteriorem impugnet. Cui se non ita pridem „ nuperus quidam, planeque ignotus scriptor sub „ ementito Candidi Philaleti nomine (1) dicitur „ adjunxisse. Ex tanta porro utriusque opinionis „ defensorum multitudine eos duntaxat appellabo, „ quorum & opera nactus sum, & adeo perspicuam „ super hac re sententiam esse cognovi, ut de il- „ la dubitare nemo possit.

„ Neque vero tales illi sunt, ut eos fastidire „ Montaltius possit, & caussari, præter Suarem, „ Vasquem, Valentiam, & alios Jesuitas aliquot „ mediocriter eruditos his opinionibus, ignobiles „ tantum, & nullius nominis Casuistas adhæsisse. „ Producam enim doctissimos Episcopos clarissima „ Sorbonæ lumina, præstantissimos S. Thomæ „ interpretes ac discipulos, præcipua Religioso- „ rum Ordinum decora, celeberrimus Sacræ Theo- „ logiæ in nobilissimis Academiis Professores: „ verbo dicam, Theologos appellabo, ex quibus „ plerique tantæ pietatis, ac doctrinæ laude flo- „ ruerunt (quemadmodum ex ipsorum elogiis obi- „ ter delibandis constabit) ut illustriores nullos „ Gallia, Hispania, Italia, Belgium, Europa „ tota hisce annis centum viderit. Tam eximiis „ Theologis aliquos adjungam, qui etsi nobis mi- „ nus noti sint, apud suos tamen plurimum autho- „ ritatis habent, ac famæ.

„ Observandum tertio, posteriorem sententiam „ (quam & priorem continere supra monuimus) „ ab omnibus fere Theologis recentioribus, quos „ producam, non strictim tantum, & obiter li- „ batam fuisse, sed ex professo diligenter, & uber- „ rime pertractatam. Nam plerique & in ipsa dis- „ putationis fronte Controversiæ statum inscri- „ bunt, & contrariæ opinionis fundamenta omnia „ proponunt, eaque, postquam pluribus argu- „ mentis mentem suam comprobarunt, accurate „ confutant. Sic plane, ut nihil omnino quod „ alicujus momenti sit, ac ponderis, contra hanc „ sententiam a Wendrokio, aut alio quolibet „ proferri possit, quod non sit pridem a numero- „ so clarissimorum Theologorum agmine luculen- „ ter, ac copiose refutatum.

„ Præter authores illos, qui pluribus, & data „ opera quæstionem istam examinant, aliquos „ producam, qui ex occasione tantum, differte „ tamen, & conceptis verbis eamdem opinionem „ docent. Quosdam etiam adjungam, qui de fi- „ nitima tantum quæstione pronunciant; sed quam „ vel ipse Montaltius nihil admodum a nostra di- „ screpare fatebitur: *videlicet utrum Confessarius* „ *debeat absolvere pœnitentem, qui non probabilio-* „ *rem, sed probabilem duntaxat opinionem sequitur*.

C A P U T III.

Sententias illas tuentur Episcopi ex veteribus plurimi, ex recentioribus omnes plane, qui ab hinc annos centum Controversiam istam in Theologicis lucubrationibus suis attigisse dicuntur.

„ SI ex Sanctorum Patrum testimoniis pro „ utraque sententia argumentari liberet, „ plurima proferrem præclara, & insignia, atque „ illud in primis S. Leonis Papæ, quod ad deci- „ dendam *probabilitatis* quæstionem *optimum* esse „ merito affirmat S. Antoninus in Summa 1. par. „ tit. 3. cap. 10. §. 10. sub finem. Sic enim loquitur „ Sanctissimus Papa epistola 92. ad Rusticum Nar- „ bonensem Episcopum, ante caput 1. *in iis, quæ* „ *vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus se-* „ *quendum, quod nec præceptis Evangelicis con-* „ *trarium, nec decretis Sanctorum Patrum inveni-* „ *tur adversum*. Quibus ex verbis Petrus Cornejo „ clarissimus Theologus, *& vere dignus Ecclesiæ* „ *Dei Doctor* a Paulo V. nuncupatus, ita argu- „ mentatur in 1. 2. Tract. 8. disp. 3. dub. 6. Quæ- „ libet opinio simpliciter probabilis, etsi minus „ tuta, ac minus probabilis sit, *nec præceptis Evan-* „ *gelicis contraria, nec decretis Sanctorum Patrum* „ *invenitur adversa*; ergo licitum est eam sequi. „ Possem ex pluribus Sanctorum Patrum testimo- „ niis simillima argumenta contexere; sed cum „ professos tantum, & apertos sententiarum illa- „ rum defensores producere statuerim, veniendum „ est ad Theologos, ante quorum ætatem non est „ ista Controversia clare, ac perspicue disceptata.

„ Plurimum favet utrique opinioni, quod ex „ Alberto Magno (2) Ratisponensi Episcopo S.

---

(1) Vide, quæ ad caput VIII. adnotabimus.

(2) „ Similia ex Alberto Magno profert Joannes Nider Dominicanus in *consolatorio p.* 3. *cap.* „ 11. Ut clarissimo huic testimonio tenebras offun- „ deret P. Concina, in *historia Probabilismi* T. „ 1. *p.* 401. ait, Niderum hæc ex Alberto cita- „ re, non ut ostenderet, posse quempiam tuta „ conscientia unius doctoris opinionem sequi, sed „ ut controversiam nescio quam de decimis diri- „ meret. Idipsum Eusebius Eranistes, seu verius „ P. Patuzzius *epist.* XIII. *p.* 63. P. Sanvitali obji- „ cit. Verum non heic quæritur, quam ob rem „ Niderus Alberti Magni testimonio usus sit; il- „ lud quæritur, quid Alberti verba significent; „ nec ullus qui quidem latina intelligat, his „ verbis adfirmabit uti potuisse Albertum, nisi a „ Probabilioristarum rigore admodum abfuisset. „ Præterea si Niderus ea recitat in controversia „ de decimis, Antoninus illis utitur in ea, quæ „ de actionis honestate agit, disputatione -

,, Antoninus ibidem recitat his verbis: *Ex responsis, quæ videntur data ab Alberto Magno, habetur, quod Frater simplex, vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicujus Doctoris magni opinionem sequatur.*

,, Non absimilis est ea Petri Paludani Patriarchæ Hierosolymitani sententia, quæ a S. Antonino probatur eodem loci, & apud ipsum Paludanum in 4. dist. 17. q. 2. art. 1. habetur in hæc verba: *Si Confessor dubitaret, utrum illud, de quo alius* (qui confitetur) *non pœniteret, esset mortale: & ille sibi diceret, quod de consilio peritorum illud faceret, de quibus ex vita, & scientia probabile est, quod non consulerent, nisi bene, potest se illorum juditio conformare.*

,, Accedit ipse Antoninus Archiepiscopus Florentinus, qui priorem sententiam manifeste docet eodem loco: *Eligere tutiorem*, inquit, *consilii est, non præcepti: alias oporteret multos ingredi Religionem, in qua tutius vivitur, quam in sæculo: non ergo de necessitate oportet tutiorem eligere, quando etiam alia via potest eligi tuta.* Quæ Sancti Doctoris verba futili, & ludicra cavillatione eludere Wendrokius nititur (1) pag. 107. cum ait: *Quod Sanctus Antoninus inter vias tutas non necessario sequendam tutiorem asserit, nihil ad rem pertinet: verum est enim id in tutis, non in probabilibus, idest dubiis: cum enim dubitatur, an liceat, vel non liceat, nullo modo tuta est sententia, quæ id affirmat licere, cum id ipsum sit, de quo dubitatur. Tuta, & licita via idem prorsus est, nec tutum esse potest, de quo dubitatur an sit licitum. Valet ergo Antonini ratio in rebus tutis, & certissime licitis, quale Conjugium, ac Religiosa vita; de quibus, licet hæc sit tutior, tam certum tamen est conjugium esse licitum, quam religiosam vitam. At hoc ad ea transferre, de quibus dubitatur, an licita, idest tuta sint, manifesta est sensus communis, & Antonini sensus depravatio.*

,, Ego vero contendo, vel hoc uno exemplo manifeste demonstrari posse quanta sit in corrumpendis, depravandisque Sanctorum Patrum testimoniis Wendrokii temeritas, & audacia. Constat enim ex reliqua S. Antonini disputatione, de iis maxime sermonem esse, de quibus quæritur: utrum sint peccata, necne; vel utrum sint licita, an non. Mox enim istud sibi proponit: Dicitur Ecclesiastici 3. *qui amat periculum in eo peribit; hinc est, quod B. Thomas, & alii dicunt, quod ille, qui agit id, de quo est dubium, utrum sit mortale, an non, peccat mortaliter, quia periculo se exponit mortalis. Cum ergo in aliqua materia Morali sint variæ, & contrariæ opiniones, ille, qui adhæret opinioni latioris viæ, videtur se exponere periculo mortalis; cum posset illa opinio esse falsa, & contraria vera.* Audis quæstionem esse de contrariis opinionibus, quarum altera affirmat altera negat aliquid esse peccatum mortale. Quid vero S. Antoninus super ea pronunciat? *Sed ad hoc respondetur, quod utique ille, qui agit scienter id, de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione mortaliter peccat, etiamsi illud in se non esset mortale, sumendo proprie, ac stricte dubitationem, videlicet prout rationes sunt æque ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam, quam ad alteram. Sed si dubitet leviter quis, & per modum scrupuli, sicut dubitat, seu formidat habens opinionem de aliquo: quia ita inhæret ipsi sententiæ, quod tamen formidat de opposito: sic agendo contra tale dubium non peccat.* (2) Cujus responsionis suæ rationem hanc profert: quod ,, ta-

---

,, Huic ergo quæstioni aptari illa posse sensit Beatus Florentinorum Archiepiscopus. Verum Concina *Appar. ad Theol. Christ. T. 2. lib. 3. p.* 410. duo objicit testimonia Alberti Magni, in quibus ab illo Probabilismum rejectum fuisse contendit. Nam quum Albertus *Tract.* 1. *de hom. quæst.* lxx. *art.* 2. *Tom.* XVIII. *oper. pag.* 325. hanc sibi decidendam proposuisset quæstiunculam: *præterea quæritur hic de regula quorumdam dicentium, quod si aliquis est dubius de aliquo, an sit mortale peccatum, & facit illud peccatum, peccat mortaliter propter contemptum: Ponamus enim, quod dubitet, & habeat rationes probabiles ad oppositum, sed tamen non sufficientes; tunc enim non videtur contemnere, eo quod sequitur magis probabile*, respondet: *dicendum, quod duplex est dubitans; idest dubitans supponens aliquid magis esse quam non esse: & de tali intelligitur regula. Et est dubitans nihil supponens: & hoc non est verum.* At quid hæc ad rem? De dubiis agit Albertus Magnus; qui probabilem opinionem sequitur probabiliore relicta, non dubitat. At de opinionibus demus loqui Albertum: sic arguo. Peccat ex Alberto, qui aliquid agit *supponens* illud *magis esse, quam non esse peccatum*; contra non peccat, qui id perpetrat *nihil supponens* pro gravi peccato: atqui qui probabilem sequitur sententiam præ probabiliore, *nihil supponit* pro gravi peccato; non igitur peccat. Alterum, quod ibi reddit Concina, Alberti testimonium multo est in hanc rem imbecillius. Nam si Concinam ipsum audimus, docet Albertus in dubiis securiorem amplectendam esse partem, securiorem autem eam esse, non quæ *plures rationes* habet, seu magis probabiles, sed quæ securius removet a periculo peccandi; *sæpe enim ibi est timor periculi, ubi sunt plures rationes.* Igitur docuit Albertus damnatam ab Alexandro VIII. propositionem, nam quum *probabilissima* opinio *plures* quidem habeat *rationes*, non tamen semper remotior sit a periculo, fieri enim potest, ut quæ probabilissima est sententia, libertati faveat, non legi, *sæpe etiam ibi est timor periculi, ubi sunt plures rationes*, ne probabilissimam quidem opinionem licebit sequi, nisi quum tutior quoque fuerit. Sed revera nihil plus dicit Albertus, quam quod recepta regula fert: *in dubiis tutior pars est eligenda*; hæc autem a Probabilistis clarissime, & vere explicatur.

(1) ,, Eamdem, quam Wendrockius, ineunt viam Concina tum in *historia probabilismi* T. 1. *p.* 417., cum in *apparatu ad Theol. Christ.* T. 2. *pag.* 412., & Patuzzius T. 2. *epist.* XIII. *p.* 64. *& seqq.*

(2) ,, De Antonini mente fusius disputemus, ut Concinæ, & Patuzzii sophismata diluantur. Ajo primum loco, quem de Champs initio reci-

„ *talis non operatur in dubio mortalis, sed secundum opinionem probabilem*. Vox hic nulla, quæ non ostendat sermonem esse de eo, qui veretur quidem ne quod agit sit peccatum; putat tamen secundum opinionem probabilem peccatum non esse.

„ Huc etiam spectat quod habet Nicolaus Tudescus

„ tat, agere manifesto S. Doctorem de quæstionibus, quæ in disputationem cadunt. Concina quidem in *hist. Probab.* adfirmat, oppositum evidens esse: *non è egli evidente, che Sant' Antonino parla non di questioni dubbie, ma di due sentenze sicure al paragone?* Verum ne terreare lector hisce Concinianis oraculis. Adi mecum Antonini librum. *Solet*, inquit S. D. *solet autem impedire proportionem scrupulorum sententia aliquarum auctoritatum non bene intellectarum, & ideo declarandæ sunt, ut illa, quæ habetur* Extra de Sponf. *scilicet in dubiis tutior via est eligenda, propter quod scrupulosus eligit viam rigidiorem. Sed ad hoc respondetur, quod eligere viam tutiorem consilii est, non præcepti*. Age nunc, argumentum sic efformo. Hæc Antonini responsio, *sed ad hoc* &c. spectat regulam illam *in dubiis* &c., ejus enim explicandæ caussa datur: sed ea regula ad dubias quæstiones refertur, non ad sententias comparatione tutas; illam nempe probabilioristæ objiciunt Probabilistis; igitur & Antonini responsio de dubiis quæstionibus est intelligenda. Sed urget Concina: hæc sequuntur verba adlatam Antonini sententiam; *alias oporteret multos ingredi Religionem*. Ita est: igitur non de dubiis quæstionibus agit S. D.: quis enim sanus dubitare possit, num tutum sit in seculo permanere? Non intelligit nempe Concina, certa hac Regulæ illius exceptione ad id unice usum fuisse Antoninum, ut clarius ostenderet; Regulam ipsam *in dubiis* &c. suis esse finibus concludendam, & generatim esse falsam, non autem quod Religionis ingressus in illarum rerum esset classe, de quibus præcipue disputabat. At pergit S. Doctor: *non ergo de necessitate oportet tutiorem eligere, quando etiam alia via potest eligi* TUTA. Verum recolamus animo, Antonino sermonem esse de regula illa: *in dubiis* &c. Ait ergo *in dubiis* non de necessitate oportere tutiorem eligere, sed posse eligi *Tutam* viam; non vero de certo tutis sententiis, sed de altera altera tutiore id pronuntiat Antoninus. Ajo deinde, S. Antoninum aperte Probabilistis favere tum eo loco, tum alio, quem reddidit supra noster auctor. De primo, quem nuper expendebam, loco exploratius id mihi videtur, quam ut demonstrari oporteat. Nam etsi Probabilioristis detur, tutiorem esse suam sententiam, tuta tamen in dubiis est etiam Probabilistarum; sed in *dubiis* tuta via ex Antonino eligi potest, tutiore relicta; eligi ergo potest præ probabiliore solum probabilis sententia. Quod ad alterum Antonini locum adtinet, optime rem effecit Auctor noster, qui animadvertit, hanc a S. Archiepiscopo sententiæ suæ rationem adferri; *talis enim non operatur in dubio mortalis, sed secundum opinionem* PROBABILEM, non *magis probabilem*. Objicies tamen, ante hæc postrema verba legi isthæc apud Antoninum: *sic agendo contra tale dubium non peccatur, dum adhæret opinioni alicujus doctoris, & habet rationes probabiles pro ipsa* MAGIS, *quam pro opposita opinione*. At τὸ *magis* non heic *rationes probabiles* spectat (quod non animadvertit Concina) sed *opinionem*, ut sensus sit, hominem tuto adhærere opinioni habenti *rationes probabiles* in conflictu opinionis ejusmodi rationes nequaquam habentis, seu improbabilis, aut tenuiter probabilis. Id demonstro. 1. quia S. D. inde infert, ut vidimus, talem *non operari in dubio mortalis, sed secundum opinionem* PROBABILEM: dicere debuisset *magis probabilem*; si τὸ *magis* in superioribus ad *rationes probabiles* referretur. 2. quia S. D. ait in quarta regula: *Notandum, quod cum bona conscientia potest quis tenere unam partem alicujus opinionis, & secundum eam operari, concluso saltem scandalo, quæ scilicet pars habeat pro se notabiles doctores, dummodo* (nota) *talis opinio non sit contra auctoritatem* EXPRESSAM *sacræ scripturæ, nec contra determinationem Ecclesiæ Catholicæ, & quod etiam ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum*. Hoccine est *probabiliorem* sententiam præscribere amplectendam? Subdit quidem e vestigio S. D. *sed bonam sibi conscientiam & credulitatem formet de eo, quod credit tanquam de* PROBABILIORI *Parte*; sed nisi velis S. D. aut sibimet adversari, aut *subjectivum* Probabiliorismum admittere, dices, heic Antoninum loqui non de Probabiliorismo *directo*, sed de *reflexo*, seu de practico judicio, quo quis sibi persuadet, probabilius posse se hac vel illa in re probabilem sequi sententiam, quemadmodum infra Niderum explicabo. 3. quia ait S. D., se id magis in septima regula declaraturum: quid autem statuit in septima regula? audiamus. *Secundum Joannem de Tambaco* (floruit hic sub annum 1390., ac Dominicano Ordini nomen dedit, scripsitque *Speculum Patientiæ*, seu *Consolationem Theologiæ*, opus in quindecim libros tributum, atque anno 1493. Parisiis editum, Coloniæ deinde recusum an. 1502.) *septuplex doctrina per virtutem Epichejæ scrupulosæ conscientiæ proficua dari potest. Quarum prima est, inter duram, & benignam circa præcepta sententiam, quod benigna est potius ceteris paribus interpretatio facienda; quod etiam asserit Guillelmus. Hujus ratio est, quia præcepta Dei, & Ecclesiæ non sunt ad tollendam omnem spiritualem dulcedinem, quæ certe tollitur, quando nimis scrupulose, & timide præcepta interpretantur. Secunda doctrina secundum virtutem Epichejæ, quod Deus, nec Ecclesia per sua præcepta intendit obligare ad impossibile alicui... Non solum dicitur impossibile, quod absolute non est possibile, sed etiam videtur interpretandum secundum virtutem Epichejæ in lege nova, esse impossibile, quod vix est possibile, utpote nimiam habens difficultatem. Alias quomodo salvaretur illud, onus meum leve?* Salvari respondet Historicus Probabilismi T. 1. *pag.* 327. sola Gratia, & Caritate Jesu Christi, quæ suave reddit Evangelicum jugum; at

descus Abbas, & Archiepiscopus Panormitanus in caput Capellanus de feriis n. 6. *notandum*, inquit, *ex hac glossa sic intellecta, quod non peccat non servans jus præcepti, ubi sunt variæ opiniones, licet postea appareat contrariam opinionem fuisse veram, & aliam, quæ tenebatur, non subtiliter investigatam*. Hinc enim sequitur, cum variæ sunt Doctorum opiniones circa *jus præcepti*, tamdiu hominem posse *sine peccato* non servare præceptum eam sententiam amplectendo, quæ negat esse præceptum, quamdiu nec ipsa falsa, nec contraria appareat vera: quod perinde est, ac si diceret quamdiu est vere probabilis. Quamobrem illa Panormitani verba ad hanc sententiam confirmandam a Silvestro, aliisque nonnullis postea appellandis adhibentur.

„ Ex iis vero Episcopis, quos ab annis centum controversiam istam in Theologicis commentariis suis agitasse constat ex iis, qui diligenter, & accurate utriusque partis defensores percensent, nullus est omnino, qui utramque sententiam non amplectatur. Primus est, non ætate quidem, sed dignitate, & eruditionis fama Didacus Alvarez clarissimus ex Sancti Dominici familia Theologus, & Archiepiscopus Tranensis: copiose quæstionem hanc pertractat in commentariis ad 1. 2. summo studio sub finem vitæ expolitis, & Trani in ipso Archiepiscopali Palatio editis anno 1617. Sic enim disputationem 80. inscribit: *utrum ex duabus opinionibus probabilibus possit homo sequi opinionem probabilem pro libito suo, relicta opinione, quam judicat probabiliorem*. Atque ubi priorem Cajetani sententiam exposuit, hæc numer. 4. subjungit: *secunda sententia est præcedenti opposita asserentium, quod quilibet potest sequi opinionem, quam judicat probabilem. Tenet hanc sententiam Magister Medina, & alii doctissimi Thomistæ, quam probant his argumentis &c.* Tum num. 9. illi subscribit in hæc verba: *Prima conclusio, quando opiniones versantur circa res, potest sequi opinio practice probabilis, relicta probabiliori. Hanc sententiam probant argumenta facta pro sententia Ma-*

---

viderit ipse, quei id Antonino probari posset ad Epichejæ virtutem confugienti. Objicit Patuzzius (*T.* 2. *ep.* XIII. *p.* 65.), S. Doctorem summ. *p.* 2. *Tit.* 1. *c.* 11. §. 9. probare hanc sententiam: *omnes debent se ab hujus emptione* (de emptione sermo est jurium quorumdam apud Florentinos tunc temporis recepta) *abstinere, quia ex quo viri docti in hujus contraria sibi invicem sentiant, negari non potest, quin saltem dubium sit, talem emptionem licitam, vel illicitam; & juris regula dicit, quod in dubiis tutior via est eligenda: Extra de spons. cap. Juvenis: & ad idem facit dictum Augustini: tene certum, & dimitte incertum*. Verum si quid hæc probant, Tutior semper opinio tenebitur, relicta etiam probabilissima: deinde hæc revera nihil aliud efficiunt, quam Antonini temporibus peculiarem illam quæstionem sententiis adversantibus fuisse ita implicatam, ut vix dubium posset deponi; dubio autem permanente quis negat, illicite hominem operari? Sed audiamus in eodem capite differentem Antoninum §. 31. & sequentibus. *Quod autem volentes probare contractum esse illicitum, inducunt illud: in dubiis tutior via est eligenda: respondetur, hoc esse verum de honestate, & meriti majoritate, non de salutis necessitate quoad omnia dubia; alioquin oporteret omnes Religionem intrare, quum tutior via sit, quam in seculo permanere .... Item quum dicunt a quibusdam, quod exponere se periculo peccati mortalis est mortale secundum B. Thomam in 4., sed emere prædicta jura est exponere se periculo peccati mortalis, quia dubium est, utrum ibi sit mortale. Respondetur negando minorem. Non enim emere prædicta jura est exponere se periculo peccati mortalis simpliciter loquendo, sed bene cum ista conditione adjuncta, scilicet dubitando, ibi esse mortale, sumendo proprie dubium, cum scilicet non magis declinat ad unam partem, quam ad aliam secundum rationem; sed qui emit prædicta, potest non dubitare de hoc, sed opinari licitum esse, ex quo per Ecclesiam non est determinatum contrarium, & multi sapientes, & periti licitum asseverent*. Quam rectius sibi consuluisset Patuzzius, Antonini locum dissimulando ex secunda summæ parte! Num Probabilista etiam laxissimus aliter loqueretur? Urget historicus Probabilismi: S. Antoninus a PP. Vasquez, Sanchez, aliisque Probabilistis inter Antiprobabilistas disertis verbis refertur. Non negaverim. At Illustrissimus quoque de Velasco adversus Probabilioristas Niderum, Silvestrum, & Cajetanum citat, quos tamen pro probabilioristis stetisse contendit Historicus. Nimirum (quod sane haud injurium cetera doctis Theologis) Antonini verba non satis expenderint Vasquius, Sancius, & alii, aut ejus locos ex aliorum fide indicarint. Quid porro opus est, aliena hac de re judicia quærere? Exstant Antonini libri; exstant, quæ supra reddidimus, testimonia: ex his quid Antoninus senserit, colligere facile possumus. Stet igitur, Antoninum merito jure a P. de Champs Probabilistas inter fuisse recensum. Ceterum etsi S. D. Probabilioristarum sententiam fuisset amplexus, potuisset ab auctore nostro opponi Wendrockio. Quum enim Antoninus saltem minus tutam in conflictu tutioris amplecti non posse sententiam defenderit, (quod is solum neget, qui ne hilum quidem in hisce quæstionibus versatus sit,) poterat sane heic ab eo citari, qui probandum susceperat, neutram ex his propositionibus: I. *ex duabus opinionibus probabilius possumus sequi minus tutam*. II. *ex duabus opinionibus probabilibus licitum est amplecti minus probabilem*, esse Societatis propriam. Ut enim Dechamps Antoninum Wendrockio objiceret, satis erat, S. D. primæ adhæsisse sententiæ; neque oportebat præterea, alteram quoque ipsum propugnasse. Sed de S. Antonini mente pluribus disputavimus (*T.* 6. *Histor. Litter. Italiæ p.* 406. *seqq.*) & in ejusdem historiæ nuperrima apologia T. VIII. p. II. (epist. X. *p.* 166. *seqq.*) Hos Lector locos adeat, & mirabitur, esse etiamnum qui P. de Champs de Antonini sententia audeant litem movere.

„ *Magiftri Medinæ &c.*, deinde adverfariorum ob- „ jectionibus fuse, ac luculenter refpondet.

„ Eidem fententiæ obiter quidem, fed aperte pa- „ trocinatur Jofephus Angles, ex infigni apud Fran- „ cifcanos facræ Theologiæ profeffore, Bofanus in „ Sardinia Epifcopus. Nam in floribus Theologica- „ rum quæftionum (quod opus, cum ab aliis eru- „ ditiffimis viris, tum maxime ab Henrico Sedu- „ lio in commentariis ad vitam S. Francifci pluri- „ mum laudatur) fic habet quæftione de confeffio- „ ne diffic. 8. *Quando pœnitentis opinio eft probabi-* „ *lis, etfi facerdotis opinio probabilior fit, facerdos* „ *illi abfolutionem neque debet denegare, neque poteft.*

„ Bartholomæus Ledefma (qui, ut ait Alphon- „ fus Fernandez in notitia Scriptorum Prædicato- „ riæ familiæ, & Theologiam docuit *maxima au-* „ *ditorum admiratione*, & Guaxaguenfem Epifco- „ patum, ad quem poftea evectus eft, *fancte* ad- „ miniftravit) fimilem affertionem ponit in tra- „ ctatu de pœnitentiæ Sacramento difficult. 14. edi- „ tionis Salmanticenfis anni 1585. pag. 731. addit- „ que: *Hæc conclufio eft contra Adrianum quæft. 5.* „ *de Confeffione dub. 7. ubi dicit, quod quis tene-* „ *tur fequi tutiorem opinionem, & contrariam et-* „ *iam probabilem omittere: Sed nihilominus noftra* „ *conclufio eft veriffima.*

„ Quæ omnia illis affentitur Thomas Zerola E- „ pifcopus Minorenfis, cujus libros Clemens VIII. „ libenter *pervolvebat*, quemadmodum ipfe tefta- „ tur in epiftola dedicatoria ad Cinthium Cardi- „ nalem Aldobrandinum. Nam in praxi pœniten- „ tiæ cap. 22. q. 3. editionis Venetæ anno 1599. „ fol. 100. pag. 1. ait: *Dico fecundo, fi opinio pœ-* „ *nitentis eft probabilis, & confeffarii probabilior,* „ *quod tunc confeffarius, depofita fua opinione, pot-* „ *eft, & debet abfolvere pœnitentem, & eum re-* „ *linquere in fua opinione.*

„ Prolixiorem ea de re difputationem habet Joan- „ nes Malderus ex celeberrimo Lovanienfis Theo- „ logiæ profeffore Epifcopus Antuerpienfis, cujus „ *percellentem doctrinam*, fummafque virtutes ma- „ gnifice prædicat Valerius Andreas in Bibliotheca „ Belgica. Ex iis autem, quæ fuper hac quæftio- „ ne plurima differit in 1. 2. q. 19. difp. 86. af- „ fertionem hanc colligit: *licet aliquando fequi o-* „ *pinionem minus probabilem, relicta probabiliori,* „ *etiamfi probabilior fuerit tutior.* Et pluribus in- „ terpofitis: *Confeffarius tenetur abfolvere pœniten-* „ *tem habentem opinionem probabilem, fecundum* „ *quam ab eo opere proponit non abftinere, quod fecun-* „ *dum probabiliorem tenet effe illicitum. Sequitur &* „ *iftud ex dictis. Cum enim non habeat pœnitens* „ *propofitum peccandi, immerito ei negaretur ab-* „ *folutio, & ita tenent communiter Doctores.*

„ Non minus accurate quæftionem hanc exami- „ nat Martinus Bonacina, de quo Leo Allatius in „ Apibus urbanis hæc habet: *Epifcopus cum fe Ro-* „ *ma in Germaniam conferret, pie obiit: Vir laude* „ *dignus, qui cum bonarum litterarum ftudiis pie-* „ *tatem conjunxerat.* Tom. 2. difp. 2. q. 4. pun- „ cto 9. difputat, *utrum peccet qui fequitur opi-* „ *nionem probabilem, relicta tutiore, vel probabi-* „ *liore.* Sic autem mentem fuper ea re fuam ex- „ ponit: *Poffumus abfque peccato fequi opinionem* „ *probabilem, relicta probabiliore, & tutiore.* Quod „ ubi ratione, & authoritate probavit, contraria „ argumenta diluit.

„ Auguftinus Barbofa Ugentius Epifcopus (de „ quo Leo Allatius in Apibus urbanis: *Barbofæ* „ *omnes fere recentiores meminerunt, doctiffimum il-* „ *lum, & in Canonicis quæftionibus decidendis, ac* „ *rebus Ecclefiafticis verfatiffimum dicunt &c.*) ap- „ probat eamdem fententiam, & pro ea authores „ multos citat tom. 1. collectan. in lib. 2. decret. „ pag. 408. *Unde*, inquit, *opinionem probabilem* „ *in foro confcientiæ fequi poffe, relicta probabilio-* „ *ri, tenent Armilla &c.*

„ Tandem Joannes Caramuel (1) Epifcopus Mi- „ fiæ, in Theologia Morali fundamentali, Alexan- „ dro VII. nuncupata, num. 302. ait: *Illa fenten-* *tia*

„ (1) Hifce Epifcopis novem addendi funt. Pri- „ mus enim vero morum Sanctitate, & in Socie- „ tatem Jefu benevolentia cæteris præftans fit Bea- „ tus Gebennenfium Præful Francifcus Salefius. „ Probabiliftam fuiffe Sanctum Antiftitem negare „ vix poterit Veronenfis ille Presbyter Ballerinius, „ qui paucis ab hinc annis adverfus Vener. Patris „ Pauli Segneri priorem epiftolam, libellum edi- „ dit. Ut enim Probabiliftas doctrinarum nimium „ a Chriftianorum morum pietate alienarum au- „ thores effe Ballerinius oftendat, exemplum affert „ chorearum, quas a SS. Patribus mire reprehen- „ fas, ipfi admodum faciles vitio carere poffe affir- „ mant. Atqui id ipfum conceptis verbis tradit Sa- „ lefius *Philotheæ p. 1. cap. 23. & p. 3. c. 33. &* „ 34. atque adeo in Præfatione ad Tractatum *de* „ *amore Dei* de quibufdam queritur, a quibus ea „ de cauffa vituperatus fuerat, atque conviciis af- „ fectus. Vide etiam epiftolam 10. libri 3. Audi „ etiam quid in libro infcripto: *lo Spirito di San* „ *Francefco di Sales p. 4. c. 18. pag. 159.* Venetæ „ editionis an. 1731. referat Illuftriffimus ac Reve- „ rendiffimus Epifcopus Joannes Petrus Camus. „ Effendo certi Capitani, i di cui Soldati erano „ di guarnigione nella Diocefi di Belley in tempo „ di Quarefima andati a dimandar licenza per li „ loro Soldati di mangiar uova, e latticinj, il Ve- „ fcovo, che non foleva concedere quefta licenza, „ fe non che agl' Infermi, fi trovò molto imbro- „ gliato, e mandò fubito a dimandare il cafo al „ Santo di Sales, il quale gli rifpofe, che non fo- „ lo doveva concederla loro, ma ancora ampliar- „ la, ed in luogo d'uova dar loro licenza di man- „ giar carne di bue, ed in luogo di formaggio con- „ ceder loro di poter mangiare gli fteffi animali, „ del di cui latte è compofto. „ Væ Laymanno, „ fi quid ejufmodi in fuis libris conftituiffet! quam „ belle locum & hæc fententia habuiffet in duobus „ illis *de principe gulæ incomodo, ejufque remedio* „ Dialogis, quos clandeftinis typis, Verona ante „ aliquot annos protulit! Sed & illud ad Salefii „ mentem dignofcendam maxime facit, quod P. „ Richelmius *p.* 81. epiftolæ fuæ ad Ballerinium „ adnotabat, Beatum Epifcopum *l. 7. epiftolarum*, „ *ep.* 70. Jefuitæ Reginaldi Valerii *de prudentia* „ *Confeffariorum* librum Gebennenfis Diœcefeos fuæ „ Confeffariis plurimum commendaffe. Alia in „ hanc rem afferri poffent, fed ab his fuperfedere „ nunc

„ *tia hodie est omnium, posse hominem tuta conscien-*
„ *tia sequi opinionem minus probabilem*. Item:
„ *tenet communis sententia esse licitum, relicta opi-*
„ *nione probabiliore, & magis tuta, sequi minus*
„ *probabilem, & minus tutam*. (1)

„ Potuissem his Episcopis doctissimos Cardinales
„ duos adjungere, Franciscum Toletum (2) & Jo-
„ annem de Lugo, qui utrique opinioni manifeste
„ suffragantur; alter quidem *lib. 3. Instit. Sacer-*
„ *dot. cap. 2.* alter vero *disput. 23. de pœnit. sect.*
„ *2. §. 2.* Sed cum ambo in Societate Jesu perdiu
„ vixerint, timui, ne Adversarius eos Jesuitarum
„ potius, quam Cardinalium nomine censendos es-
„ se contenderet.

CAPUT IV.

Priorem sententiam veteres Theologi Parisienses solemni decreto approbant: utramque omnes omnino Doctores Sorbonici, qui hoc sæculo de Theologicis rebus commentarios ediderunt, ex professo examinant, atque defendunt.

„ Nihil ad priorem sententiam confirmandam il-
„ lustrius proferri potest, solemni illo Facul-
„ tatis

„ nunc libet. Ad alios a De-Champio prætermis-
„ sos Episcopos progredior.

„ Hispalensis Archiepiscopus Petrus Tapia olim
„ Dominicanus *T. 1. Hispal. edit. an. 1654. p. 77.*
„ *Opinio*, inquit, *etiam minus probabilis, & mi-*
„ *nus tuta, dum tamen sit probabilis practice, pot-*
„ *est eligi tuta conscientia, relicta probabiliori &*
„ *tutiori: ita Medina, Bannez, Ledesma, & alii*
„ *plures*. Tum n. 6. addit: *Vir doctus licite potest*
„ *contra propriam opinionem sequi, & aliis consu-*
„ *lere alienam*. Tandem quærit: *quid autem, si*
„ *alienam non judicet probabilem?* Respondet au-
„ tem, *posse deponere dictamen proprium, & adhæ-*
„ *rere alieno*. Qui isthæc legerit, mirabitur certe,
„ qua fronte Natalis Alexander Tapiam Antipro-
„ babilistis adcensuerit, ejusque exemplo veluti
„ triumphans calumniæ De-champium nostrum ar-
„ guerit, quod ad annum 1659. integro ferme sæ-
„ culo Dominicanos omnes Probabilistarum opinio-
„ nem amplexos fuisse scripserit. At norint omnes,
„ Natalem Alexandrum, quod Probabilistis intule-
„ rat damnum Tapiam ipsis eripiens, luculenter
„ sarciisse, qui acerrimum Probabilioristam Jesui-
„ tam Estrix inter Probabilismi defensores connu-
„ meravit. Vide tertiam Danielis ad Alexandrum
„ Epistolam.

„ Acacius de Velasco Dominicanus quoque fuit,
„ idemque Episcopus. Hic autem. T. 11. *verbo*
„ *Opinion probable resolut. 316. num. 7.* in hæc
„ verba, quæ ex hispanico autographo latine red-
„ do, mentem suam aperit. *Dico primo: commu-*
„ *nior, & receptior Doctorum opinio fert, licere, ac*
„ *tutum esse sequi opinionem probabilem, quæcum-*
„ *que ea sit, probabiliori relicta*. Tum hancce sen-
„ tentiam pluribus rationibus confirmat.

„ Eamdem sententiam amplectitur, *certamque*
„ vocat, atque *admodum communem* Illustriss. ac
„ Reverendiss. Alphonsus de Montegro in suo *Iti-*
„ *nerario aureo pro Indiarum Parochis lib. 1. Tract.*
„ *4. Sess. 20.*

„ Pro eodem stat Illustriss. Abelly, cujus librum
„ de *Christianæ Moralis Theologiæ principiis* Emi-
„ nentiss. Lambertinus, nunc Benedictus XIV., sæ-
„ pe in suis Institutionibus cum laude citat, in
„ eoque libro pro Probabilistis laudat Leonem ad
„ Rusticum Nerbonensem *epist. 92.* & Augustinum
„ in epistola ad Hieronymum 19. Porro Abellius
„ librum hunc scripsit post Alexandri VII. decre-
„ tum, quo veluti fulmine perculsos fuisse Proba-
„ bilistas jactat historicus Probabilismi.

„ A. 1677. Iprensis Episcopus renunciatus est Guil-
„ lelmus Henrick Generalis Commissarius Ordinis
„ Minorum. Hic autem in *summa Theologiæ p. 2.*
„ *Tract. 2. disp. 4. quæst. 3. §. 2.* Probabilismum
„ propugnat.

„ Post ipsum hoc Alexandri decretum Navaret-
„ tus Dominicanus Episcopus scripsit. Quid autem
„ de Probabilistarum opinione senserit, accipe *ex*
„ *Tomo 2. Tract. 5. Controv. 5. & 20.* Loquitur
„ ibi Navarettus de casibus quibusdam, qui ad Sa-
„ cras Missiones spectant, illudque quærit, *num*
„ *possimus opinionem probabilem sequi, probabilio-*
„ *re, ac tutiore relicta*. Respondet autem hispano
„ idiomate: *Ajo, id omnino fieri posse. Hæc opinio*
„ *receptissima est inter Doctores. Super hac re legi*
„ *potest noster Magister Serra*. D. Nicolaus Rodri-
„ guez de Fermosino, de quo vide Bibliothecam
„ doctissimi Viri Nicolai Antonii, Probabilismum
„ tuetur *ad text. in cap. Capellanus 4. de feriis*
„ *quæst. 4. Tom. 5.* Operum nuperrimæ Gebennen-
„ sis editionis an. 1741. *pag. 309.*

„ Tandem in Galliis prodiit opusculum *de opi-*
„ *nione probabili*, quod receptissima opinio, ne ipso
„ quidem dissentiente Joanne Gisbert Antiprobabi-
„ lista, Isaaco Haberto Vabrensi Episcopo tribuit.
„ Porro hic Author non solum pro Probabilistis
„ acerrime pugnat, sed postquam 25. Doctores pro
„ eorum sententia attulerat, in hæc verba loqui-
„ tur: *Castra Dei sunt hæc, nec virgulam timent,*
„ *adeoque sufficiunt ad tuendam Diœceseos tranquil-*
„ *litatem: ubi pluribus opus erit, justa prodibit*
„ *acies ex omnibus Ecclesiæ sæculis collecta, nubes*
„ *testium, agmen scriptorum numero, ac pondere*
„ *certantium christianum implebit*.

„ (1) Ait P. Concina *T. 2. App. ad Th. Christ.*
„ *p. 395.*, imposturam non ferendam hanc esse,
„ Episcopis, & Cardinalibus tribuere Probabilis-
„ mum, quum *nemo ex citatis Episcopis quidquam,*
„ *quatenus Episcopus, definierit in favorem Proba-*
„ *bilismi*. At *impostura non ferenda* Concinæ est
„ nobis id tribuentis, quod nusquam diximus. Ubi-
„ nam De-champs, ubinam alii dixere, hos Epi-
„ scopos *quidquam quatenus Episcopos definiisse in*
„ *favorem Probabilismi?* Locum ostendat, reddat
„ verba. Etsi tamen nihil ut Episcopi hac de re
„ definierint, ad Episcopatum tamen promotos il-
„ los fuisse non denegabit Concina, postquam Pro-
„ babilistica eorum scripta late divulgata fuerant;
„ neque illud inficiabitur, nihil ab eis sancitum,
„ quo priorem suam sententiam retractarint. Id
„ satis, ut Episcoporum suffragiis Probabilismus
„ dici possit comprobatus.

„ (2) Hunc tamen Historicus *Probabilismi* inter
„ Antiprobabilistas censet; sed si locum ab auctore
„ Nostro indicatum adieris, confidentiam historici
„ illius intelliges.

,, tatis Theologicæ Parisiensis decreto, quod extat
,, apud Dionysium Carthusianum in 4. Sent. dist.
,, 25. qu. 3. Sic incipit: " Quia nuper mota est
,, controversia inter aliquos Doctores super deci-
,, sione hujus Quæstionis, utrum in aliquo Mona-
,, sterio fœminarum recipere liceat aliquam fœmi-
,, nam ultra numerum personarum, quæ de bonis
,, Monasterii commode sine penuria possunt susten-
,, tari, & de persona recipienda, oblatis gratis spi-
,, ritualibus, exigere temporalia, instantiusque a
,, Nobis Magistris in Facultate Theologiæ Parisiis
,, congregatis quæsitum est, ut in ea re consilium
,, dare, & super ejusdem quæstionis determinatio-
,, ne quid sentimus, dicere vellemus. *Ad quam*
,, *quæstionem ita respondent:* In primis dicimus,
,, quod attento tenore Constitutionis Apostolicæ
,, fœlicis recordationis Papæ Bonifacii VIII. non
,, licet recipere aliquam fœminam in aliquo Mo-
,, nasterio non Mendicantium, ultra numerum per-
,, sonarum, quæ de bonis Monasterii sine penuria
,, sustentari possunt. Et illud dicimus non licere,
,, ubi non habetur de hoc consuetudo communis,
,, & diuturna, quam Papa scire, & tolerare veri-
,, similiter creditur, & per quam possit præfatæ
,, Constitutioni esse derogatum. *Tum quibusdam*
,, *interpositis istud subjungunt*: Dicimus ulterius,
,, quod ubi Monasterium ita tenue, quod fœmina,
,, quæ recipi petit, non posset de bonis ipsius Mo-
,, nasterii sustentari sine penuria, oblatis gratis spi-
,, ritualibus, & receptione personæ libere facta ad
,, spiritualia, si persona illa sic recepta habeat bo-
,, na temporalia, de quibus juxta consuetudinem
,, regionis potest disponere, & ea Monasterio con-
,, ferre, tunc potest ab ea aliquid peti solum pro
,, necessitate sui victus sine fraude, ut habeat Mo-
,, nasterium unde sibi providere possit: & hoc non
,, intelligendo de actione coactiva, ita quod eji-
,, ciatur, si non dederit, sed quod in omnibus ser-
,, vetur debitus modus, & recta intentio: & quod
,, hoc habeat locum ubi est consuetudo communis.
,, *Addunt nihilominus:* Tutius tamen est, quod ni-
,, hil petatur, vel exigatur, nec in hujusmodi Mo-
,, nasteriis ultra numerum earum, quæ sine penu-
,, ria sustentari possunt aliqua fęmina recipiatur,
,, & si aliqua petit recipi, dicatur ei, quod Mo-
,, nasterium non potest eam recipere, quia non ha-
,, bet unde ipsam valeat sustentare". Audis Theo-
,, logicam facultatem ita dirimere motam contro-
,, versiam inter aliquos Doctores, quorum videli-
,, cet alii affirmabant, negabant alii istud licere:
,, ut dicat primo, licere, ac sine peccato fieri pos-
,, se; Secundo tutius esse, si non fiat. Potuit ne
,, distinctius statuere, ex duabus opinionibus pro-
,, babilibus, quarum altera affirmat, altera negat
,, aliquid esse peccatum, licere minus tutam am-
,, plecti?

,, Posteriorem sententiam, quæ & istam comple-
,, ctitur, non obiter, & strictim, sed explicatam
,, pluribus & diligenter examinatam defendunt Do-
,, ctores Sorbonici plane omnes, qui hac ætate de
,, Theologicis rebus scripserunt. Philippus Gama-
,, chæus clarissimum Sorbonæ lumen in 1. 2. qu.
,, 19. cap. 2. pag. 153. (3) ita loquitur. *Prima*
,, *assertio est: non tenemur in foro conscientiæ, se-*
,, *qui probabiliorem partem; sed satis est, si abso-*
,, *lute sequamur probabilem, quæ peritis, & doctis*
,, *placeat, donec Ecclesia contrarium statuerit, aut*
,, *prima illa opinio e scholis Theologorum omnino*
,, *explosa fuerit*. Quam in rem citat Navarrum,
,, & Medinam. Tum alteram conclusionem ponit
,, in hæc verba: *Secunda propositio: Sacerdos sive*
,, *proprius, sive delegatus, potest contra suam ipsius*
,, *opinionem absolvere pœnitentes, quos videt esse in*
,, *opposita sententia, licet minus certa, ac tuta,*
,, *dummodo ea sit probabilis, habeatque aliquos au-*
,, *thores catholicos, ac peritos*. Pro qua conclusione
,, allegat Navarrum, & Dominicum Soto.

,, Andreas Duvalius, vir singulari pietate, & do-
,, ctrina, tractatu de humanis actibus quæst. 4. art.
,, 12. pag. 115. hæc habet: " Secunda conclusio:
,, Non tenemur in foro conscientiæ sequi probabi-
,, liorem partem: sed satis est, si absolute sequa-
,, mur probabilem, quæ peritis, & doctis placeat,
,, licet quibusdam similiter doctis displiceat. Quod
,, tamen sub hac restrictione intelligendum est,
,, donec scilicet Ecclesia contrarium non statuerit,
,, aut prima illa opinio e scholis explosa non fue-
,, rit". Quam assertionem suam, & authoritate,
,, & ratione probat, tum præcipue adversariorum
,, objectioni respondet.

,, Nicolaus Isambertus, qui summa ingenii, &
,, doctrinæ laude in Sorbona floruit, hanc ipsam
,, quæstionem uberius, & accuratius tractat in lib.
,, 2. dist. 9. art. 4. pag. 135. " Sit ista propositio,
,, inquit, quando circa honestatem, vel obligatio-
,, nem operis alicujus sunt utrinque opiniones pro-
,, babiles, quarum tamen altera est probabilior,
,, potest voluntas in operando sequi probabilem,
,, relicta probabiliori. *Postquam autem hanc asser-*
,, *tionem probavit authoritate* quamplurimorum, *ut*
,, *inquit*, Sancti Thomæ interpretum, *quærit art.*
,, *5. circa medium:* An hæc propositio tam habeat
,, locum in homine illiterato, ac rudi, qui nescit
,, rationes discutere, quam in homine litterato,
,, qui id novit: idest, an tam rudis, & illiteratus
,, homo possit operari ex sententia minus probabi-
,, li, relicta probabiliori, quam homo litteratus.
,, *Tum quæstionem ita solvit:* Respondetur affirma-
,, tive: & ratio est, quod non liceat alicui opera-
,, ri ex sententia probabili, relicta probabiliori,
,, quia est doctus, & novit utriusque partis ratio-
,, nes penetrare, & conferre ad invicem; sed quia
,, ad bene operandum moraliter satis est habere
,, moralem certitudinem de honestate actus, &
,, quod nullum extet præceptum sequendi opinio-
,, nem probabiliorem, relicta ea, quæ solum pro-
,, babilis est, ut fusius supra docuimus."

,, Doctoribus Sorbonicis adjungi debet Ludovicus
,, Bail Parisiensis, & ipse Academiæ Doctor Theo-
,, logus, qui etsi quæstionem hanc ex professo non
,, tractet, manifeste tamen sententiam istam am-
,, plectitur lib. de triplici examine part. 1. qu. 13.
,, pag. 207. tertiæ editionis. *Quamvis*, inquit,
,, *multi universaliter doceant securitatem sententiæ*
,, *minus probabilis præ probabiliori, limitanda ta-*
,, *men videtur hæc doctrina in materia præcepto-*
,, *rum, & extra materiam Sacramentorum*. Et quæ
,, 12. pag. 102. ait: *Ex communiori sententia pœ-*
,, *nitens non potest cogi a confessario ad ample-*
,, *ctendam suam opinionem probabilem, imo*

(3) Legendum pag. 155.

„ *& probabiliorem, si ea, quam sequitur, sit vere* „ *probabilis.* (1)

CAPUT V.

Utramque sententiam veteres Thomistæ quamplurimi, recentiores vero fere omnes incredibili consensu propugnant.

„ QUi Didacum Alvarem affirmantem audive- „ rit, posteriorem sententiam a *doctissimis* „ *Thomistis* doceri, Petrum vero Ledesmam affe- „ rentem, teneri eamdem *a multis Doctoribus*, *ac* „ *præcipue a discipulis S. Thomæ*, non poterit non „ suspicari naviter sibi Wendrokium imponere, „ cum ait pag. 76. 77. S. Thomam huic opinioni „ manifeste adversari. Certe quod opponit ex „ Quodlibet. 8. art. 13. pridem a S. Antonino „ par. 1. tit. 3. c. 10. §. 10. ex S. Doctoris men- „ te ita explicatum est, ut huic sententiæ faveat „ potius, quam repugnet. Nam primo hæc S. „ Thomæ verba: " Quando sunt duæ opiniones „ contrariæ de eodem, oportet alteram esse ve- „ ram, & alteram falsam: aut ergo ille, qui fa- „ cit contra opinionem Magistrorum, utpote ha- „ bendo plures præbendas, facit contra veram opi- „ nionem, & sic cum facit contra legem Dei non „ excusatur a peccato, quamvis non faciat contra „ conscientiam: *Sic interpretatur Sanctus Antoni-* „ *nus*: Hæc verba D. Thomæ non possunt intelli- „ gi, nisi de his, ubi manifeste patet ex Scriptu- „ ra, vel Ecclesiæ determinatione, quod sit contra „ legem Dei, & non de illis intelligit, ubi non „ apparet: alias sibi contradiceret in eodem li- „ bro, quod non esset credendum. *Secundo*, *quod* „ *S. Thomas subjungit in hæc verba:* Si in quan- „ dam dubitationem inducitur, & sic manente ta- „ li dubitatione plures præbendas habet, periculo „ se committit, & sic procul dubio peccat: *Sic a* „ *S. Antonino exponitur*: Quod B. Thomas, & a- „ lii dicunt, quod ille, qui agit id, de quo est „ dubium, utrum sit mortale, an non, peccat „ mortaliter, quia periculo se exponit mortalis, „ verum tantum est, sumendo proprie, & stricte „ dubitationem, videlicet prout rationes sunt æque „ ponderantes ad utramque partem, nec magis de- „ clinat quis ad unam, quam ad aliam. " Tertio, „ Sanctus Antoninus addit, non ita se rem habe- „ re, cum non est dubium proprie dictum, sed o- „ pinio probabilis. Unde colligitur postrema S. „ Thomæ verba huic sententiæ suffragari. *Aut ex* „ *contrariis opinionibus*, inquit, *in nullam dubita-* „ *tionem adducitur*, *& sic non committit se discri-* „ *mini*, *nec peccat*. Quia videlicet, ut animadver- „ tit Sanctus Antoninus, *talis non operatur in du-* „ *bio mortalis*, *sed secundum opinionem probabi-* „ *lem*. (2)

„ Nihilo magis huic opinioni adversatur alte- „ rum Sancti Thomæ testimonium, quod ex Quod- „ lib. 3. art. 10. Wendrockius objicit: *in his*, in- „ quit S. Doctor, *quæ pertinent ad fidem*, *& bo-* „ *nos mores nullus excusatur*, *si sequatur erroneam* „ *opinionem alicujus Magistri: in talibus enim igno-* „ *rantia non excusat: alioquin immunes a peccato* „ *fuissent qui secuti sunt oqinionem Arrii*, *& Ne-* „ *storii*. Et quibusdam interpositis: *Qui ergo as-* „ *sentit opinioni alicujus Magistri contra manife-* „ *stum Scripturæ testimonium*, *sive contra id*, *quod* „ *publice tenetur secundum Ecclesiæ authoritatem*, „ *non potest ab erroris vitio excusari*. Nihil istud „ sententiæ de qua agimus repugnare inde liquido „ constat, quod, ut jam inde ab initio animad- „ vertimus, & S. Antoninus ibidem admonet, non „ est probabilis opinio, quæ est *contra manifestum* „ *testimonium Scripturæ*, *vel determinationem Ec-* „ *clesiæ*. At illud præterea huic sententiæ suffra- „ gari, præclare ostendit Stephanus Spinola disp. „ 3. sect. 4. cum ex allatis S. Thomæ verbis ita „ argumentatur: *ergo in iis*, *quæ ad fidem*, *& bo-* „ *nos mores spectant*, *excusatur quis sequendo opi-* „ *nionem sui Doctoris*, *si non sit erronea*, *& contra* „ *manifestum Scripturæ testimonium*, *quod est idem*, „ *ac quando est probabilis*, *quia exceptio firmat re-* „ *gulam in non exceptis*, (3)

Sic

„ (1) Hisce Doctoribus Sorbonicis addit P. Da- „ niel *ep.* 3. *ad Natalem Alexandrum* D. de Metz, „ qui anno 1663. typis edidit *Clavim Theologiæ* „ *practicæ*. Hic ergo in Tractatu *de actibus huma-* „ *nis pag.* 130. Duvalii, Isamberti, & Gamachæi „ sententiam sequitur, sed ex Suario *Tract.* 3. *in* „ 1. 2. *disp.* 12. *Sect.* 5. veram probabilitatem a „ falsa scite distinguit.

„ (2) Heinc vides, quam vanum canat trium- „ phum Concina *T.* 2. *app. ad Th. Crist. p.* 407 „ quod ibidem dicat Angelicus: *ex conscientia au-* „ *tem obligatur aliquis ad peccatum*, *sive habeat* „ *certam fidem de contrario ejus quod agit*; *sive* „ *habeat opinionem cum aliqua dubitatione*. Ait in „ hæc S. Thomæ verba F. Daniel: *hæc sola do-* „ *ctrina ab imis convellit Probabilismum radicibus.* „ Cur? *quando enim Probabilista adhæret opinioni* „ *minus probabili*, *dubio procul habet opinionem de* „ *contrario cum aliqua dubitatione*. Minime gen- „ tium, Frater Daniel; somnia isthæc tua sunt: „ Probabilista non dubitat, quin tuto opinionem „ hanc vel illam sequi possit, ne ullum invenies, „ mi bone, sexcentos inter Probabilistas, qui pe- „ tita prius venia id tibi rotunde non negat. Et „ vero cum opinionum contrarietate stare posse „ dubitationis omnis defectum docet disertis verbis „ hoc ipso loco Angelicus: *aut*, inquit, *ex contra-* „ *riis opinionibus in nullam dubitationem adduci-* „ *tur*; sumit ergo S. D., posse quempiam non du- „ bitare, etsi contrarias inter eadem de re opinio- „ nes constitutum.

„ (3) Quid ergo (*T.* 2. *ep.* XIII. *p.* 59. *&* „ *seqq.* & *T.* III. *p.* 394.) declamat Patuzzius con- „ tra Thomam Sanchez, Filliuccium, Laiman- „ num, & Vivam, quasi hi recitatum S. Thomæ „ locum corrupissent? Filliuccius certe, & Lai- „ mannus locum indicant, non adferunt: porro S. „ Thomam ipso hoc in loco Probabilistis favere „ nemo non videt; potuerant ergo hi nulla fraude „ ad eum locum Lectores suos amandare. Sanchez „ vero ait quidem disertis verbis, docere ibi S. „ Doctorem, posse quempiam citra culpam sui Ma- „ gistri sententiam sequi in iis, quæ ad mores „ spectant; verum ne ipse quidem expressa Tho-

mæ

„ Sic explicatam S. Thomæ sententiam defendunt nobilissimi ejus discipuli. Nam, ut omittam Petrum Paludanum, S. Antoninum, Didacum Alvarem, & Bartholomæum Ledesmam, quos superius inter Episcopos appellavi, diserte primam opinionem docet Silvester Prieras in Summa, verbo *opinio*, num. 1. Postquam enim recitavit postremum S. Thomæ testimonium, continuo ita subjungit Panormitani verba: " sequens opinionem alicujus Doctoris non subtiliter investigatam, quæ postmodum apparet falsa, excusatur a peccato, quandiu non apparuerit falsa. *Tum utramque sententiam ita conciliat*: S. Thomas dicit, quod tales non excusantur in iis, quæ sunt manifeste, & clare determinata alicubi. *Et paullo post*: Panormitanus vero loquitur in obscuris. *Deinde contraria argumenta sic solvit*: Nec obstat, quod in dubiis tutior pars est eligenda, quia non est in dubio qui probabilibus rationibus flectitur ad unam partem; nec quod incertum dimittendum est, & certum tenendum; quia tenet iste certum sibi moraliter, cum in moralibus sufficiat certitudo ex probabilibus. *Quæ paullo distinctius explicat verbo* scrupulus *cum ait*: Objicit primo, quia in dubiis via tutior est eligenda. Sed dico secundum Doctores hoc esse consilium, non præceptum. *Et paullo post*: Secundo objicit, quia amans periculum, scilicet incedendo per viam laxiorem, incidit in illud. Sed dico, quod hoc intelligitur de eo, qui existens in dubio, ita quod non pendet ad unam partem magis quam ad aliam, operatur, secus de eo, qui probabiliter credit secundum judicium rationis sic esse faciendum. *Quamobrem verbo* confessio 2. n. 3. *ait*: Qui opinatur probabili ratione de aliquo, quod non sit mortale, non tenetur illud confiteri. " (1)

„ Idem docet Angelus de Clavasio (2) in Summa verbo *opinio*. Nam post allatam, explicatamque Panormitani sententiam, subdit: " Nec obstat prædictis illud cap. Juvenis de Sponf. ubi dicitur, quod in dubiis tutior pars est eligenda: & Eccli. 3. qui amat periculum peribit in eo; ergo videtur se exponere periculo, qui in diversitate opinionum non eligit tutiorem. Quia hoc verum esset, quando proprie dubium est: Sed quando est opinio, secus est, quia nec tunc sumus in dubio, nec consequenter se quis exponit periculo, quod bene notandum est. "

„ Joannes Viguerius, qui a Possevino *Theologus eximius*, ab Antonio Senensi *eruditionis præclaræ* fuisse dicitur cap. 15. §. 5. 2. ait: *In dubiis sequens opinionem (3) probabilem alicujus Magistri, cum Magister est Doctor, & approbatus, ut D. Thomas, qui absque ratione, & authoritate non consuevit loqui, est excusatus a peccato. Quod est valde notandum ad sedandos scrupulos timoratarum conscientiarum.*

„ Veteres Thomistæ, quorum testimonia hactenus recitavi, priorem sententiam apertissime omnes defendunt; posteriori non mediocriter plerique favent: at recentiores, quibus modo dandus est locus, tam admirabili consensu utriusque opinionis patrocinium susceperunt, ut ex iis qui post Bartholomæum Medinam, idest ab annis fere centum de hac controversia scripserunt, nullum plane viderim, vel ab authoribus hoc tractatu toto citatis appellatum legerim, qui vel in speciem contrarium docuerit. Ordior a Bartholomæo Medina, quem Antonius Senensis in Bibliotheca appellat *Theologum eximium, & consummatissimum*, testaturque *morum probitate, & religionis præstantia non minori, quam doctrina præditum fuisse*. In commentariis ad 1. 2. multo ante in lucem editis, quam ullus Theologus Societatis Jesu controversiam istam attigisset, qu. 19. art. 6. concl. 3. ita quæstionis statum proponit: *Ex hoc nascitur magna quæstio, utrum teneamur sequi opinionem probabiliorem, relicta probabili; an satis sit sequi opinionem probabilem*. Postquam autem contrariam Cajetani opinionem cum præcipuis ejus fundamentis protulit, sic ipse pronunciat: *Mihi videtur, quod si est opinio probabilis, licitum est eam sequi, licet opposita probabilior sit*. Quam in rem argumenta quatuor, & triplicem confirmationem adhibet: tum contrariæ sententiæ firmamenta sigillatim, & accurate dissolvit. (4)

L 2 Ludo-

„ mæ verba citare se adfirmat, ut Patuzzius indicat, sed potius verborum sensum reddit; porro genuinum esse quem Sanchez illis tribuit sensum, manifesto vides. Sed de mente S. Thomæ confer Terillum *qu.* XXVIII.

(1) Heic objicit Concina *p.* 420. *T.* 2. *app. ad Theolog. Christ.* nescio quem locum e summa Silvestri; sed unde ductum? ex verbo *Dubium*. Egregie. At nos non de dubiis agimus, sed de probabilibus. Audivimus autem Silvestrum ipsum dicentem, *non esse in dubio qui probabilibus*, non *probabilioribus*, *rationibus flectitur ad unam partem*.

„ (2) Angelus de Clavasio hinc expungendus; Ordinem enim Minorum professus est. Sed facile dantur hæc errata Scriptoribus. Quanto gravius illud Natalis Alexandri, qui Franciscum Bonæ-spei celebrem inter Carmelitas Bollandianorum impugnatorem in Jesuitarum castris collocavit! Audi nunc gravissimum alterum, quod a P. Concina admissum non sine admiratione comperi. Cui non notus Benedictinus Edmundus Martene? Hunc tamen Jesuitis adcenset præclarus Concina *T.* 2. *appar. ad Theolog. Christ. p.* 441.

„ (3) Rationabilem lego in Veneta Viguerii editione ann. 1584. Utrumlibet legas, vel ipso assentiente Mercoro Dominicano, probabilistarum numero Viguerius merito jure adcensendus est.

„ (4) Anno 1577. primo editi in Hispaniis fuere hi Commentarii Medinæ, tum Venetiis anno 1580., ac Bergomi anno 1586. recusi. Atqui non in his solum Medina Probabilismum tuetur, sed etiam *Instructione Confessariorum*, quam a se Italice redditam P. Petrus Gonzalez Veronæ edidit anno 1580. & Cardinali Alexandrino Dominicani Ordinis Protectori inscripsit non sine Medinæ authoris, ejusque doctrinæ summis laudibus. Quæ quidem instructio sæpius recusa fuit, ut Venetiis ann. 1582. Ferrariæ 1584. iterum Veronæ 1589. denuo Venetiis 1601. &c.

„ Ludovicus Lopez, cujus eximiam pietatem, „ & singularem eruditionem laudat Possevinus in „ apparatu, Medinæ sententiam amplectitur parte „ 1. Instructorii Conscientiæ cap. 20. concl. 2. e- „ ditionis Lugdunensis anni 1587. pag. 510. *Hæc „ conclusio elicitur ex Medina, & liquet ex ejus ra- „ tione, aut opinione, quam ibi tuetur, scilicet, „ quod Confessor pœnitenti probabilem opinionem „ Doctorum sectanti, negare absolutionem non pot- „ est, licet Confessor ipse contrariam opinionem pro- „ babiliorem esse censeat; quia cum pœnitens, eo „ quod probabilem opinionem sit amplexus, non „ peccarit, nulla subest ratio negandi ei absolutio- „ nem.*

„ Quæstionem illam de Confessario similiter sol- „ vunt nobiles Thomistæ, Francisci a Victoria di- „ scipuli, qui, ut admonet Bellarminus lib. de „ Scriptoribus Ecclesiasticis, sub ejus nomine „ Summam de Sacramentis ediderunt, quam ex „ illius scriptis collegerant. *Fuit autem Victoria*, „ ut ait Antonius Senensis in Bibliotheca, *vir nun- „ quam satis laudatus, & qui in Theologia talis, „ ac tantus extitit, ut illius præclarissimum lumen „ in Hispania etiam a viris clarissimis meruerit „ appellari*. Sic loquens inducitur in illa Summa „ de Confessione num. 177. editionis Antuerpiensis „ anni 1616. (1) pag. 102. *Respondeo, quod sive „ Confessor sit ejus proprius Sacerdos, sive non, te- „ netur pœnitentem absolvere in tali casu. Probatur „ aperte: talis pœnitens est in gratia, & Confessor „ habet probabilitatem, quod sit in gratia; quia „ scit esse probabilem ejus opinionem: ergo non de- „ bet ei negare absolutionem*.

„ Clarius, atque distinctius pro hac sententia „ loquitur Thomas Marcado, *vir eruditissimus, „ præcipue in Scholastica, & Morali Theologia*, ut „ ajunt Alphonsus Fernandez in notitia scriptorum „ Prædicatoriæ familiæ, & Augustinus d'Avila l. „ 2. hist. cap. 92. Nam in libro erudito de con- „ tractibus Hispanice scripto editionis secundæ Hi- „ spalensis anni 1587. quæ priori est auctior (2) „ lib. 2. c. 5. p. 29. hæc habet:

„ *Præterea ei, qui confi- „ tentem audit Mercatorem, „ possim etiam amice bonum „ consilium dare, quod ma- „ gnam ipsi libertatem, & „ authoritatem etiam sæpe „ afferet. Est autem illud: „ ut si opinionem unam se- „ quatur, eamque defendat, „ non ideo pœnitentem ex ea „ dirigat, si ex ea dirigi, & „ eam sequi nolit: modo ea, „ quam ille sequitur, sit pro- „ babilis, & suis rationibus, „ fundamentisque nixa sit. „ Satis est, si suadeat illi „ Confessarius id, quod sibi „ magis certum videtur, ma- „ gisque placet. Verum si pœ- „ nitenti non placeat, & id, „ quod facit, fieri possit, sit- „ que id a multis probatis „ authoribus approbatum: „ magnæ dementiæ, atque „ arrogantiæ foret pœniten- „ tem, nisi ab eo desistat, i- „ deo non absolvere, quia „ hoc ipse Confessarius im- „ probat. Cum uno in con- „ tractu pro una, & altera „ parte bonæ opiniones sunt „ inter doctos, liber est u- „ nusquisque ad sequendam „ eam, quam eliget. Idem „ prorsus dico, quando ex- „ tra Confessionem negotium „ Theologo proponitur. Si e- „ nim pro utraque parte sunt „ opiniones, & facere, ac se- „ qui utrumque sine pericu- „ lo fas est: etiamsi elegerit „ ipse unam ex iis magis „ probabilem, non potest ad „ eam adstringere eum, qui „ ipsum interrogat, sed tan- „ tum sententiam suam sim- „ pliciter exponere, admonen- „ do ipsum, quod contrarium „ faciendo non peccatur, quia „ multi sunt Doctores, qui „ licitum id credunt.*

Y aun al que oye de penitencia al mercader, le podria yo tambien de gracia dar un buen aviso, que le darà muchas vezes gran libertad, y aun authoridad. Y es que dado tenga una opinion, y la defienda no regle por ella el Penitente, si no quiere ser reglado, ni seguilla. Si la que sigue es probable, y tiene sus razones, y fundamentos. Basta aconsejarle lo que tiene por mas cierto, o mas le agrada. Pero si al Penitente le desgrada, y lo que haze se puede hazer, y lo aprueevan Muchos. Authores approbados: gran tochedad, y arrogancia seria porque el lo reprueva no absolverle, sino desiste dello. Aviendo en un contracto por una parte, y por otra opiniones buenas entre Doctos, cadauno es libre para seguir lo que escogiere. Lo mismo en substancia entiendo, quando fuera de confession se propone al Theologo un negocio. Que si por entrambas partes ay opiniones, y lo uno, y lo otro se puede haze y seguir sin peligro, dado que el aya escogido una dellas por Mas probable, no deve atar con ella al que pregunta, si no dezir de plano su parecer, avisandole que haziendo lo contrario no es pecado, porque ay muchos Doctores, que lo tienen por licito.

„ Amplectitur eamdem sententiam Joannes Paul- „ lus Nazarius, qui a Michaele Plodio, & Alphon- „ so Fernandez, *Theologus egregius*, ab aliis vero „ Dominicanis, qui Commentarios ejus in primam „ partem recensuerunt, *præstantissimus vir, doctri- „ næque Thomisticæ propugnator acerrimus appella- „ tur*. Sic habet in opusculis Theologicis, opusc. „ 2. de statu, & obligat. Religios. de voto obedien- „ tiæ dubit. 4. concl. 2. " Qui dubitat, nullum „ habet assensum, quo dirigi possit in agendo; qui „ autem opinatur rationes habet pro utraque par- „ te, ex quibus elicit assensum probabilem, a quo „ dirigi potest in operando: & ideo potest absque „ peccato in quam voluerit partem, sive illa sit „ magis probabilis, sive minus, declinare ".

„ Dominicus Bannes *Ordinis Prædicatorum Do- „ ctor, & Theologus illustris* (ut ait Aubertus „ Miræus in Biblioth.) ita loquitur in 1. 2. qu. „ 10. art. 1. dub. 3. concl. 4. editionis Duacensis „ anni 1615. pag. 252. col. 2. " Dicimus opinio- „ nes esse in duplici differentia. Quædam enim „ versantur circa actionem aliquam exercendam, „ ut, an aliquis contractus sit licitus, vel illici- „ tus. Quædam vero versantur circa res, an sci-

(1) Sed multo ante edita fuerat ea summa An- „ tuerpiæ, anno scilicet 1573. quo etiam anno Ve- „ netiis prodierat Joannis Antonii Bertani typis.

(2) Et Brixiæ typis Marchetti ann. 1591. iterum „ edita est. Ceterum Marcado anno 1568. librum „ suum absolverat, ut ex P. Alphonsi de Fontive- „ ras Vicarii Generalis testimonio, quod in fronte „ operis legitur, manifestum est.

,, scilicet aliquid ita sit, vel non sit, an hæc do-
,, mus sit propria, vel aliena. Dicimus ergo, quod
,, de opinionibus prioris generis verum est posse
,, hominem sequi probabilem opinionem, relicta
,, probabiliori. Ceterum de opinionibus secundi
,, generis non est universaliter verum, quod possit
,, homo sequi opinionem minus probabilem. Ma-
,, xime quando potest sequi aliquod periculum con-
,, tra honorem Dei, aut utilitatem proximi. "

,, Banni consentit Didacus Mugnus Cabezudo,
,, ut ætate, ita & doctrina illi suppar. Quærit enim
,, in addition. ad 3. part. quæst. 8. art. 5. dub. 3.
,, editionis Venetæ ann. 1612. pag. 279. *Utrum li-*
,, *ceat ministrare Sacramentum Pœnitentiæ cum ju-*
,, *risdictione tantum probabili;* cumque in negati-
,, vam partem inclinet, sic contraopponit: " To-
,, ta difficultas est de opinione probabili, quia in
,, moralibus licitum est sequi opinionem probabi-
,, lem, ut communiter dicitur. *Tum ita respondet:*
,, Ab illa regula generali posita in argumento est
,, quædam famosa exceptio, quod scilicet in his,
,, quæ pertinent ad necessitatem, & existentiam
,, Sacramentorum non licet sequi opinionem
,, probabilem, quando est possibile sequi sententiam
,, certam. "

,, Gregorius Martinez, *ingenui acumine, & per-*
,, *spicuitate cum maximis comparandus*, ut monet
,, Alphonsus Fernandez in notitia Scriptorum Præ-
,, dicatoriæ Familiæ, de hac quæstione diligenter,
,, & accurate disputat tom. 1. in 1. 2. ad q. 19.
,, art. 6. Sic enim habet pag. 1066. col. 2. edit.
,, Toletanæ anni 1622. " Prima conclusio: non
,, solum est licitum ex duabus opinionibus æquali-
,, ter probabilibus probabilitate practica, eligere
,, quamvis maluerit; sed etiam est licitum sequi
,, minus probabilem, relicta probabiliori. *Et paul-*
,, *lo post*: Secunda pars conclusionis est contra
,, Cajetanum, & Silvestrum. Est tamen commu-
,, nis, quam tenet Medina hic, & optimis ratio-
,, nibus probat: & modo probatur, Primo " &c.
,, Tum sex argumenta ad eam confirmandam con-
,, gerit.

,, Adstipulatur eidem sententiæ Petrus Ledesma
,, *eruditissimus Magister*, & publica annorum qua-
,, draginta Theologiæ professione nobilis, ut testa-
,, tur Alphonsus Fernandez in notitia Scriptorum
,, Prædicatoriæ Familiæ: Sic enim habet in sum-
,, ma Hispanice edita Salmantice 1608. part. 2.
,, tr. 8. cap. 22. ante duodecimam conclusionem:
,, *Huic difficultati responde-*
,, *tur esse probabilius, cum*
,, *divini perinde, naturalis-*
,, *que sit juris licere judici*
,, *sequi opinionem probabi-*
,, *lem, relicta probabiliore.*
,, *Hanc sententiam tenet Ma-*
,, *gister Medina, & Orella-*
,, *na, & multi alii Docto-*
,, *res, ac præcipue discipuli*
,, *S. Thomæ in 2. 2. expo-*
,, *nendo articulum 4. hujus*
,, *quæstionis 67.*

A esta difficultad se
responde, ser mas
probable estando en
derecho divino, y
natural, ser licito
que el Juez siga la
opinion probable de-
xando la mas proba-
ble. Esta sentencia
tiene el Maestro Me-
dina, y Orellana
y otros muchos Do-
ctores, particulare
los Discipulos de San
to Thomas en la 2
2. declarando el ar-
ticulo quarto de a
quella question *67.*

,, Adeo persuasum habuit hic author licitum es-
,, se probabilem opinionem sequi, relicta probabi-
,, liori, ut ad ipsos quoque judices, contra quam
,, appellati superius Societatis Jesu Theologi fa-
,, ciunt, illud extenderit.

,, Vincentius Candidus (1) Sacri Palatii Ma-
,, gister, tomo 1. disquisitionum Moral. disq. 3. de
,, absolutione art. 20. ita pronunciat: " Dico pri-
,, mo, Confessarius quicumque absolvere potest
,, pœnitentem sequentem opinionem probabilem,
,, relicta sua opinione probabiliori. *Tum num. 3.*
,, *proponit hoc dubium*: utrum liceat in qualibet
,, materia consulere opinionem probabilem, relicta
,, probabiliore. *Ad quod ita respondet*: Quicum-
,, que alius consultus extra confessionem, licite
,, potest probabilem opinionem in omni materia
,, amplecti, ac etiam aliis consulere, relicta pro-
,, babiliori. " Quod breviter & ratione, & autho-
,, ritate probat.

,, Fusissime omnium de hac quæstione agit Joan-
,, nes Ildephonsus Baptista Cæsar-Augustanus, in
,, iis ad 1. 2. Commentariis, quos ex formali præ-
,, cepto generalissimi Dominicanorum Capituli an-
,, no 1644. Romæ celebrati typis edidit. Nam disp.
,, 208. dub. 6. fragm. 1. postquam contrariæ sen-
,, tentiæ authores, & argumenta protulit num.
,, 549. ita loquitur: " Secunda sententia præce-
,, denti omnino opposita est, neminem teneri ad
,, sequendam in praxi opinionem probabiliorem,
,, seu conscientiam ex illa formatam; sed sufficere
,, ad securitatem conscientiæ, & ad hoc, quod
,, impune, & absque peccato operemur, sequi opi-
,, nionem, & conscientiam probabilem, relicta lon-
,, ge probabiliori. Sententiam hanc plures, maxi-
,, me ex junioribus, tenent, *&c.* " Pro qua autho-
,, res triginta quatuor, & argumenta septem pro-
,, ducit. Tum eam amplectitur fragm. 4. concl.
,, 5. *Quando*, inquit, *opiniones probabiles versan-*
,, *tur circa actiones exercendas, seu, quod idem*
,, *est, circa jus, potest homo sequi quamcumque opi-*
,, *nionem probabilem practice, &c.*

,, Stat etiam pro illa opinione Paullus de Blan-
,, chis in lib. Venetiis edito ann. 1630. cui titulus
,, est: *Disceptationes de difficilioribus materiis ca-*
,, *suum*. Sic enim loquitur pag. 182. *Si opinio*
,, *pœnitentis est probabilis apud doctos, & pruden-*
,, *tes in tali materia, tunc Sacerdos, sive Ordina-*
,, *rius, sive Delegatus, debet eum absolvere, licet*
,, *probabilior sit opposita sententia.*

,, Postremus, quod sciam ex Dominicanis (2)
,, qui Theologicos in D. Thomam Commentario,
,, edi-

---

(1) ,, Qui cum odore Sanctitatis obiit, ut no-
,, tat Abbas Jo: Baptista Pacichelli in *Schediasma-*
,, *te de Larvis cap. 6. pag. 90.*

(2) ,, His autem alios addere mihi licet. Pri-
,, mus est Thomas Villar in *summa Controv. in 1.*
,, *2. D. Thom. Tract. poster. de consc. 4. parte §.*
,, *6.* ubi quum quærat, utrum ex duabus opinio-
,, nibus quis probabilem, probabiliori relicta,
,, sequi possit, respondet: Partem affirmativam

„ edidit , fuit Joannes Baptiſta Hacquetus , cujus „ *Controverſorium Theologicum* in 1. 2. prodiit Ro- „ mæ ann. 1654. typis Jacobi Phæi, Chriſtianiſſi- „ mo Francorum Regi Ludovico Adeodato nuncu- „ patum , & R. P. Joannis Baptiſtæ de Marinis „ totius Ordinis generatis Miniſtri facultate mu- „ nitum . Quæſtionem hanc exquiſite diſceptat tra- „ ctatu de conſcientia , controverſia 14. cujus hæc „ inſcriptio : " Utrum liceat ſequi opinionem mi- „ nus probabilem , etiam relicta probabiliori , & „ magis tuta . *Sic autem controverſiam decidit* : „ Dico licitum eſſe ſequi in praxi opinionem mi- „ nus probabilem , & minus tutam , ſive propriam, „ ſive alienam , dummodo ſit ſimpliciter probabi- „ lis . *Et paullo poſt* : Eam ſententiam docent „ Medina , Bannes , Valentia , Salas , Arragon , „ & communius Doctores . " Tum accurate eam „ probat , & contrariis argumentis reſpondet .

C A P U T VI.

Pari conſenſu doctiſſimi ex aliis Religioſis Ordinibus Theologi eaſdem opiniones tuentur.

„ VIx ullus pro ſecunda ſententia Societatis Jeſu „ Theologus ſcripſerat, cum clariſſimi duo ex „ S. Auguſtini familia Doctores etiam ut *probabi-* „ *lio-*

„ teneo cum Medina , Lorca , Martinez , Corneio , „ Monteſinos , & pluribus aliis .

„ Alter eſt Fr. Barnabas Gallego *Tract. de con-* „ *ſec. Matrit. edit.* 1648. *de conſc. probabili dub.* „ 1. *ubi* ait : " ſecunda ſententia , quæ eſt lon- „ ge probabilior , mihi magis placet , & pro no- „ ſtra reſolutione habenda eſt , docet licitum eſſe „ in praxi ſequi opinionem minus probabilem , & „ minus tutam , dummodo ſit practice probabilis , „ relicta probabiliori , & tutiori . . . . . . Hæc „ igitur ſecunda ſententia communior eſt inter „ Thomiſtas . "

„ Accedat his Franciſcus Lopez de Teneda , & „ Johannes a S. Thoma , quorum ille *Tom.* 1. „ *controv. Theol. Mor. L.* 1. *Tract.* 2. *controv.* 7. „ *n.* 9. Quando , *inquit* , " utraque pars eſt ſecu- „ ra , & tuta , ut contingit , quando utraque pars „ eſt probabilis , bene poteſt ſequi opinio proba- „ bilis , probabiliori , & ſecuriori omiſſa ; " *alter* „ *in* 1. 2. Tomo 1. diſp. 12. art. 3. num. 5. edit. „ *Lugd. ann.* 1663. *p.* 518. ait : " Stante hac „ certitudine , ſeu probabilitate practica in qua- „ cumque materia licite procedi poteſt . . . . . . „ etiamſi oppoſita pars tutior,& probabilior appareat."

„ Audiendi nunc ſunt Thomiſtæ duo , quos „ Natalis Alexander Antiprobabiliſtas fuiſſe con- „ tendit , Dominicus , inquam , Gravina *lib.* 2. „ *de objecto revelationum* , & Martinus de Prado „ *T.* 1. *quæſt. Moral. tract.* 1. *quæſt.* 4. §. 3. *n.* „ 12. " Dico tertio , inter duas opiniones æque „ probabiles licet eligere minus tutam . Sequitur „ ex dictis quæſt. 3. concl. 1. Præterea probatur . „ Nam qui inter opiniones æque probabiles unam „ eligit in practica, habet certitudinem moralem , „ quod recte operatur : quia inquiſita veritate „ quantum potuit , ſi in re errat , invincibiliter igno- „ rat , & actus eſt formaliter bonus : ergo in re „ quamlibet tuto ſequi poteſt . " Hæc Martinus de „ Prado , qui ſaltem Tutioriſmo infenſus eſt , & iis „ principiis innititur , quæ Probabilioriſtis maxi- „ me diſplicent . Gravina autem affirmat : *Licitum* „ *eſſe tenere multoties opinionem probabilem , reli-* „ *cta probabiliori , quando vera eſſet probabilitas* . „ Quid porro effugium illud eſt , Martinum de „ Prado *multoties* dicere ? Numquid ii ſolum Pro- „ babiliſtæ , qui cum Candido in *omni materia* , „ aut cum Joanne a S. Thoma in *quacumque ma-* „ *teria* licere ajunt ſequi opinionem probabilem , „ probabiliore relicta ? Vix ullus Jeſuita Probabi- „ liſmum defenderet .

„ M. Vincentius Ferre , qui poſt Alexandri De- „ cretum ſcripſit , Probabiliſtarum numerum auget „ q. *de probabili num.* 156. Hunc R. P. hiſtori- „ cus *T.* 1. *p.* 92. *doctum* ſcriptorem appellat , quod „ Fratrem Marletta , qui peccatum Philoſophicum „ docuerat , e Thomiſtarum albo expunxerit , at *p.* „ 451. quod Fratri Mercoro exprobraverit Ferre , „ adulteratum ab ipſo titulum Quodlibeti octavi „ artic. 18. S. Thomæ , eum idem hiſtoricus ex iis „ præteriti ſæculi ſcholaſticis unum fuiſſe indigna- „ bundus pronunciat , qui tum celebres habebantur , „ quum ſtylo apprime barbaro plura volumina im- „ pleverant diſquiſitionibus fortaſſe ſubtilioribus „ quam ſolidis , proficuiſque : de quo tam diverſo „ ſuper eodem Theologo ejuſdem ſcriptoris judicio , „ viderint alii quid ſentiendum . Interea ego con- „ tendo M. Ferre perperam ab hiſtorico excuſari „ *p.* 441. quod Probabiliſmum docuerit , non ab- „ ſolute , ſed ſub conditionibus plane adnotatis . „ Nam hujus Theologi verba ab Hiſtorico allata „ relegens , non aliam ab eo conditionem depoſci „ video , quam quæ a pleriſque Jeſuitis requiritur , „ ut opinio certo probabilis ſit , non autem pro- „ babiliter probabilis .

„ M. Franciſcus Larraga in Promptuario Theo- „ logiæ Moralis Hiſpanice edito ann. 1705. atque „ ab eo anno ad ann. 1751. bis & tricies recuſo . „ Locum adfert , expenditque P. Balla *epiſt.* I. *p.* „ 72. *ſeqq. Remondinianæ editionis* . Patuzzius ut „ ſe ab hoc moleſtiſſimo Dominicani hominis tota „ late Hiſpania celeberrimi Probabiliſmo expediat , „ Epiſtolarum ſuarum T. V. epiſt. xl. *pag.* 445. *ſeqq.* „ etſi fatetur , librum Larragæ a ſe minime lectum , „ tamen qua eſt ad veritatem pernegandam auda- „ cia , Probabiliſmum inficiatur fuiſſe a ſuo illo „ Dominicano defenſum . Utinam vero lubens Lar- „ ragam Probabiliſtis conceſſiſſet ! Nam omnium „ id negans ludibrio objecit ſe ſe . Confer ejuſdem „ Ballæ ſextam epiſtolam , ubi ad infringendam ad- „ verſarii ſui temeritatem de Larragæ mente ite- „ rum diſputat accuratiſſime .

„ Prodiit etiam cura P. F. Joſephi Patin Domi- „ nicani , qui adhuc anno 1720. in vivis degebat , „ Ludovici Bancel ejuſdem ordinis ſui *Brevis Uni-* „ *verſæ Theologiæ tam Moralis* , *quam Scholaſticæ* „ *curſus* ; ubi *Tom.* V. Probabiliſmus docetur . Ver- „ ba reddit , atque examinat doctiſſimus P. Gravi- „ na in opere Antiprobabiliſtis formidando , ac „ Panhormi edito an. 1745. hoc titulo : *Tratte-* „ *nimenti apologetici del Probabiliſmo* (T. 3. *pag.* „ 281. *ſeqq.*) ubi & alios Dominicanos Probabiliſmi „ propugnatores a Terillo , atque Alphonſo Anto- „ nio de Saraſa , aliiſque citatos indicat . Hi ſatis „ ſint nobis .

„ *liorem*, & apud Theologos, *maxime ex discipulis S. Thomæ*, *communem* acriter propugnarunt. „ Michael Salonius, *vir doctrina*, *& vitæ sanctitate celebris*, ut ait Aubertus Miræus in Biblioth. „ anno 1592. Venetiis edidit *insignem volumen de justitia*, *& jure*, quod Antonius Possevinus asserit *a Theologis*, *qui sapiunt magnopere*, *nec immerito commendari*. Quo in opere de industria quæstionem hanc agitat controvers. 2. concl. „ 4. ad art. 4. qu. 63. S. Thomæ, docetque " quando sunt duæ opiniones probabiles ex parte juris, „ altera tamen probabilior, posse quemvis fidelem „ in suis privatis actionibus, dimissa probabiliori, „ eligere probabilem. *Quod pluribus argumentis ostendit*, *ac tandem sub finem admonet*, multos, „ ac gravissimos Doctores ita sentire, ac maxime „ ex discipulis D. Thomæ. *Unde sic argumentatur ad hominem ex adversariorum sententia:* Eligenda est opinio, ut volunt, probabilior: sed „ quod liceat amplecti probabilem (*dimissa probabiliori*) est opinio probabilior, cum habeat „ plures, ac gravissimos authores, & firmiora „ fundamenta, quam opposita, ut ex progressu „ hujus disputationis constat: ergo &c. "

„ Eodem fere tempore Petrus Arragonius, alterum Augustiniani in Hispania Ordinis sidus, edidit Commentaria in 2. 2. *præclara*, *& eruditissima*, ut vocat Elssius in Bibliotheca Augustiniana. Quærit autem dub. penult. ad art. 4. „ quæst. 63. *An sit licitum sequi opinionem probabilem, non obstante*, *quod contraria sit probabilior*. Atque ubi Cajetani sententiam proposuit „ cum omnibus ejus fundamentis, subdit: *his tamen non obstantibus dico*, *quod contraria sententia est longe probabilior*. Qua in assertione comprobanda, & contrariis argumentis dissolvendis „ multus est, atque copiosus.

„ Tam præclaris Ordinis sui Doctoribus consentit Ludovicus de Beja in variis responsionibus „ casuum Conscientiæ, qui coram Illustrissimo, „ ac Reverendissimo Cardinali Palæotto Archiepiscopo Bononiensi in Congregatione Clericorum „ propositi, & decisi fuerunt p. 2. Casu 6. editionis Olissipon. ann. 1610. fol. 164. col. 2. *Si altera* (pars) *etiam est probabilis*, *& propterea secura*, *& tuta*, *ac per consequens nullum habens periculum*, *illam sequi*, *relicta probabiliori*, *absque peccato possumus*; *nec semper tenemur tutiorem partem eligere*, *sed sufficit eligere tutam*.

„ Obiter quidem, sed perspicue illud ipsum asserit Basilius Pontius, quem miris elogiis exornat Elssius in Encomiastico Augustiniano, & de „ quo Aubertus Miræus sic loquitur: " Fuit Academiæ Salmantinensis haud exiguum suo ævo decus, in qua primam in Theologia Cathedram „ moderatus est, summa cum omnium laude, ac „ pene stupore *lib. 4. de Matrim. cap. 25. n. 9.* Cum „ sunt variæ opiniones, *inquit*, de observantia alicujus præcepti, non fit irreverentia Legislatori, „ neque transgressio censetur, quod operetur aliquis secundum opinionem probabilem minus tutam. " (1)

„ Conspirat in eandem sententiam Petrus Cornejo *præstantissimus* ex Carmelitarum Ordine Salmanticensis Academiæ Doctor, de cujus *stupendo ingenio*, *& multiplici doctrina* tum alia multa „ commemorat Joannes Sanctius d' Avila Episcopus „ Placentinus in ejus vita tom. 2. præfixa, tum „ id præcipue, quod Paulus v. Summus Pontifex „ *vere dignum Ecclesiæ Dei Doctorem appellavit*. „ Sic autem habet in 1. 2. tr. 8. disp. 3. dub. 6. „ ubi de industria, ac prolixe quæstionem istam „ tractat: *licitum est sequi in praxi opinionem minus probabilem*, *& minus tutam*, *sive propriam*, *sive alienam*, *dummodo sit simpliciter probabilis. Ita docent communiter recentiores*, *Medina &c.* „ Hanc conclusionem variis rationibus probat, & „ contrariæ sententiæ argumentis accurate respondet.

„ Tam insignem Ordinis sui Theologum sequitur Joannes Baptista de Lezana in Summa quæstionum regularium tom. 3. de opinione regularibus tenenda n. 5. pag. 458. " Dico secundo, „ regulariter loquendo posse religiosos, sive in operando, sive in consulendo aliis, uti opinione etiam minus probabili, & minus tuta, relicta tutiori, & probabiliori etiam propria. "

„ Sequitur & Urbanus ab Ascensione in Theologia Morali tract. 1. c. 11. his verbis: *Quis dubitet homini* (duas probabiles opiniones de eadem re sibi proponenti) *licere quam voluerit opinionem tenere*; *imo etiam probabili adhærere*, „ licet alienæ, relicta probabiliore etiam propria. (2)

„ Pluribus ex professo de hac Controversia disputat Petrus de Lorca egregius Complutensis Academiæ Doctor, & Ordinis Cisterciensis ex observantia Hispaniæ Generalis emeritus, cujus singularem eruditionem mirifice prædicant Dionysius Cuchus in ejus vita, & Carolus Visch in „ Bibliotheca Cisterciensi. Nam in commentariis „ ad 1. 2. Compluti editis anno 1609. disputationem 39. sic inscribit: *Utrum sit tutum operari secundum conscientiam*, *quæ innititur opinioni probabili*. Et membro 10. pag. 466. postquam „ explicuit opinionem negantem, subdit: *Est tamen hoc tempore receptum*, *posse assumi quamcumque opinionem probabilem*, *etiamsi non sit probabilior*, *& tutior*. *Quam doctrinam veram omnino censeo*. Tum luculenter eam probat, & „ ab adversariorum objectionibus defendit.

„ Pro more suo breviter, & accurate idem docet Petrus a S. Joseph Fuliensis, qui & in Bibliotheca Cisterciensi merito laudatur: lib. 1. „ de Legibus cap. 3. ait: *Resol. 4. ille non peccat*, „ *qui*

---

(1) „ Confer etiam Christianum Lupum in „ dissertatione *de opinione probabili*.

(2) „ Adde Franciscum Bonæ Spei in *Apologemate retorto contra Caramuelem dub. 7. num.* „ 287. *&* 298. & P. Andream Lao Saxoniæ Provincialem, & in Academia Patavina Sacrorum „ Bibliorum interpretem in 1. 2. S. Thomæ *de conscientia T. 4. disp. 3. dub. 18. p. 73.* Genuensis editionis anni 1656.

„ Cum primis vero Salmanticenses Probabilistis „ sunt ad censendi. Confer *Sacræ Theologiæ Moralis Medullam recentem ad mentem celeberrimorum* PP. *Salmanticensium* ab adm. R. P. F. Paulo Hieronymo a S. Helena *expositam Tr1.c.2.n.13.*

,, *qui sequitur opinionem probabilem, relicta probabiliori*. Quam & paucis probat, & variis ex ea deductis corollariis magis illustrat.

,, Sic etiam Carolus Malletus Taurinensis Patritius, & Monachus Cisterciensis tom. 1. Moralis Theologiæ Malleat. 8. tract. 4. pag. 91. docet, *licitum esse sequi opinionem minus probabilem etiam minus tutam*. Quod ubi ratione, & authoritate probavit, addit: *Ex duabus contradicentibus probabilibus opinionibus quisque in praxi sequi potest quam maluerit, etiamsi ipsi operanti minus probabilis videatur*.

,, Accedit Gregorius Sayrus Benedictinus, quem Pitseus lib. de illustribus Angliæ Scriptoribus *insignis eruditionis virum* appellat lib. 7. Clavis Regiæ cap. 4. num. 4. editionis tertiæ Venetæ anni 1610. pag. 16. postquam explicuit sententiam Medinæ affirmantis, *licitum esse in praxi opinionem probabilem sequi, relicta probabiliori*, varias ad eam confirmandam rationes profert, ac tandem ita concludit: *has igitur ob caussas, & rationes hæc Medinæ opinio mihi verior, & rectæ rationi conformior semper visa est: & quam tuta conscientia unusquisque in praxi sequi potest*. (1)

,, Patrocinantur eidem sententiæ doctissimi ex variis S. Francisci familiis Theologi. Quos inter non appellabo Josephum Angles, qui superius cum Episcopis sententiam dixit. Initium duco a Pelbarto de Themeswar *viro in sacra Scriptura egregie versato*, ut habet Vadingus in Bibliotheca tom. 1. Aurei Sacræ Theologiæ Rosarii, verbo *opinio* §.13. ait: " Sed non excusatur a peccato is, qui sequitur opinionem Doctorum, quæ postmodum apparet falsa. Respondetur secundum Panormitan. in cap. Capellanus de feriis, & in Angelica Summa, & Anton. quod excusatur, nec tenetur homo semper in diversitate opinionum eligere tutiorem; quia opinio est tuta, cum habet Doctorem pro se satis acceptum, & hoc sufficit ad salutem, cum tali voluntate, quod non adhæreret ei, si non crederet esse veram &c.

,, Henricus Villalupensis, Hispanice Villabolos, cujus eximiam eruditionem mire commendat Vadingus in Bibliotheca Ordinis Minorum, movet hanc quæstionem in Summa Theologiæ Moralis tract. 1. dub. 10. *Utrum liceat sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori*. Ubi vero negantem Cajetani sententiam retulit, de affirmante sic pronunciat: " Medina, Lessius, Vasquez, & alii contrarium docent, scilicet, licitum esse, relicta opinione magis probabili, minus probabilem sequi. Quam sententiam, altera probabiliorem esse existimo ". Cujus assertionis suæ rationes obiter proponit, & contraria argumenta dissolvit.

,, Idem asserit Laurentius Portel Lusitanus, quem & authores plurimi honorifice appellant, & Bibliotheca ordinis Minorum *virum pium, ac prudentem vocat*. Sic enim habet in dubiis regularibus, verbo *opinio eligenda* num. 3. edit. ultimæ Lugdun. anni 1640. (2) pag. 669. " Licitum est sequi, & operari secundum opinionem minus tutam, sed probabilem, & quam puto probabilem, licet credam oppositam esse tutiorem, & probabiliorem ". Quam in sententiam & authores multos citat, & quatuor argumenta producit.

,, Fusius hanc quæstionem tractat Joannes Pontius (cujus prolixum extat elogium apud Vadingum) in cursu Theologico disp. 24. q. 3. *de conscientia probabili* conclus. 2. *potest*, inquit, *quis facere quod apparet probabiliter licitum, licet magis probabile appareat, quod non sit licitum*. Addit hanc esse *legem communiorem*, eamque probat tribus argumentis, & duplici adversariorum objectioni respondet.

,, Petrus quoque Marchantius, vir magni apud Belgas nominis, atque, ut Valerius Andreas ait in Bibliotheca Belgica, *singulari eruditione, & eloquentia præditus*, uberrime de hac quæstione disputat in libro, cui titulus est: *Tribunal Sacramentale* Tract. 5. tit. 5. q. 6. Sic autem mentem suam exponit concl. 2. " Inter opiniones plures, quæ sunt probabiles, etiamsi aliqua probabilior appareat, licet quamcumque ex illis sequi, & eligere, *Et quæst. 7. concl.* 1. Inter opiniones vere probabiles per se, non tenetur homo sequi tutiorem.

,, Obiter idem affirmat Matthias Hauzeur tomo 2. Epitomis operum Sancti Augustini ad lib. 1. contra Donatistas cap. 5. Quærit enim " quo sensu sit certum peccatum præponere certis incerta, cum liceat aliquando uti sententia tantum probabili, relicta certa. *Respondet*, in mediis ad salutem necessariis nunquam licere uti incertis, relictis certis; in præceptis autem licere uti sententia probabili ".

,, Subscribunt eidem sententiæ doctissimi quique Cap-

,, (1) Sed inter Benedictinos maxime commemorandus Nicolaus Maria Monsia, qui sub annum 1694. Genuæ non tam suo, quam universæ illius Cassinensis Academiæ edidit adversus P. Thyrsum Gonzalez *Crisim de probabilitate*. Ex hoc autem libello, ut intelligas quid de Cardinale Aguirio in *historia Probabilismi* Conciniana tanto hiatu Jesuitis objecto sentiendum, lubet pauca exscribere, quæ p. 67. leguntur. " Neque putamus hanc nostram sententiam esse contra doctissimam mentem Eminentissimi Cardinalis de Aguirre. Nam idem Eminentissimus ibidem protestatur, se cognovisse hanc quæstionem esse gravissimam, eamque ex instituto minime resolvisse, sed potius excurrendo eam libasse, ut apparet ex Dissert. XIII. n. 84. in fine ". Concina supplementum meum legit, legit hæc, quæ in priore editione habebantur *pag.* 75 Adhuc tamen in Aguirii doctrina triumphat *Tom.* 2. *appar. ad Theolog. Christ. lib.* 3. *pag.* 436., & Benedictinos Probabilistis insultans objicit, hæc omnia belle dissimulans. Proh! hominis frontem! Sed ut ad Genuenses Benedictinos redeam, contra eorum librum prodiit an. 1695. Mediolani Doctoris Ferdinandi Innocentii Civalerii libellus sane miser, ut vel ex ipso titulo discas: " L' ossequio confederato con la ragione a difesa del fondamento della Teologia Morale, o sia del retto uso dell' opinione probabile del Reverendis. P. Tirso Gonzalez, discorso estemporaneo ec. "

,, (2) Prior editio Lugdunensis prodierat anno 1634.

„ Cappuccini Eligius Basseus (*multæ vir lectionis*, „ ut admonet Valerius Andreas) in floribus „ Theologiæ practicæ titulo *conscientiæ*, editionis „ Duacenæ anni 1637. (1) pag. 79. ait: " Confessarius interrogatus, vel alius quicumque in „ consiliis dandis, & responsionibus, potest juxta „ probabilem aliquorum Doctorum opinionem re„ spondere, prætermissa probabiliore, vel tutio„ re. "

Idem sentit Franciscus Longus a Coriolano, vir „ (ut ait Vadingus in Bibliotheca Ordinis Mino„ rum) *æque doctus*, *ac religiosus*. In tractatu de „ Casibus reservatis part. 1. sect. 2. art. 2. num. 2. „ ita loquitur: " Resolutorie dicimus, Confessa„ rium quemcumque absolvere posse pœnitentem „ sequentem opinionem probabilem, relicta sua „ opinione probabiliori. "

„ Ludovicus quoque Caspensis non ignobilis „ Theologus in Cursu Theologico tom. 1. tract. „ de conscientia disp. 3. sect. 2. pag. 377. hanc „ assertionem ponit: " licitum est operari juxta „ sententiam probabilem, quæ reipsa probabilis „ sit judicio operantis, relicta tutiori, & proba„ biliori sententia etiam ipsius operantis. "

„ Consentit Gesualdus (sive, ut habetur in Bi„ bliotheca Ordinis Minorum, Jesualdus) Panor„ mitanus tom. 1. Operum Moral. tract. 24. cap. „ 5. edit. Venetæ anni 1649. pag. 256. " Si diver„ sitas opinionum occurreret vel circa restitutio„ nem, vel circa alia, & pœnitens nollet satisfa„ cere, eo quod habeat opinionem probabilem ali„ quorum Doctorum dicentium, non esse obliga„ tum, licet Confessarius e contra teneret contra„ riam opinionem, quamvis probabiliorem: nihil„ ominus in hoc casu Confessarius potest, & debet „ talem pœnitentem absolvere. "

„ Accuratius, ac fusius quæstionem hanc exami„ nat Jacobus Raggius Genuensis, centuria 1. de „ Regimine Regularium, parte 2. dub. 46. editio„ nis secundæ Genuensis anni 1653. pag. 159. " „ Secunda sententia, *inquit*, est affirmativa, ad„ mittens, posse etiam in praxi adhærere opinioni „ probabili, probabiliori relicta. Ita Medina, & „ alii, ut ita dicam, infiniti ". Quam opinionem „ ait, esse *sequendam*, eamque quatuor argumen„ tis probat. (2)

„ Suppeditat nobis ejusdem sententiæ defensorem „ Ordo Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Re„ demptionis Captivorum, Leandrum de Sancto „ Sacramento, parte 5. quæst. Moral. Tract. 1. „ disp. 4. q. 10. *Ex duabus*, inquit, *opinionibus* „ *probabilibus, licitum est in praxi sequi quamlibet*, „ *etiam illam, quæ minus tuta videtur*.

„ Habemus & ex Ordine Sancti Hieronymi nobi„ lem utriusque sententiæ Patronum Hieronymum „ Garciam, qui in Summa Morali Hispanice scri„ pta, & Cæsar-Augustæ edita an. 1644. ita loqui„ tur Tract. 1. difficul. 5. dub. 2. num. 5.

„ *Quamvis optimum* „ *consilium sit, ut quan*„ *do duæ sunt opiniones* „ *æqualiter probabiles*, „ *sequamur tutiorem*, & „ *a fortiori quando con*„ *currit probabilis cum* „ *probabiliore: nihilomi*„ *nus tamen possumus* „ *valde tuta conscientia* „ *agere secundum opinio*„ *nem probabilem*, *pro*„ *babiliore relicta*. *Tam* „ *communis*, & *secura* „ *est ista conclusio*, *ut so*„ *lus Machado art. 3.* „ *num. 6. pro se alleget* „ 45. *recentes autho*„ *res*.	Aunque es muy buen consejo, que quando ay dos opiniones ygualmente provables se siga la mas segura, y a fortiori quando concurren provables con mas provable. Pero con todo esso puede uno muy bien tuta consciencia obrar segun la opinion provable, dexando la mas provable. Es esta conclusion tan commun y segura, que solo Machado art. 3. num. 6. trae en su favor 45. Autores modernos.

„ Plures eidem sententiæ adstipulatores ex Cle„ ricis Regularibus accedunt, Raphael Aversa a „ S. Severino Clericorum Regularium Minorum „ Præpositus Generalis, quam Miræus non imme„ rito appellat *Philosophum*, & *Theologum eximi*„ *um*, acriter illam defendit, & plures pro ea au„ thores citat in 1. 2. q. 28. sect. 18.

„ Idem facit Antoninus Diana tom. 1. tract. 13. „ resol. 1. quæ sic inscribitur: *An sit licitum reli*„ *cta opinione probabiliori*, & *magis tuta*, *sequi o*„ *pinionem probabilem minus tutam*. Nam pro af„ firmativa sententia præter authores 17. a San„ chez citatos, alios quindecim adjungit, & tri„ plici ratione eam confirmat.

„ Zacharias Pasqualigus Theatinus tomo De- cisio-

„ (1) Et quartæ Lugdunensis editionis multo „ auctioris an. 1653.

(2) Catalogum Franciscanorum Probabilista„ rum augent Mastrius in 2. *sentent. disp.* 5. *art.* „ 2. & *in Theologia Morali*, & Bruno Neusser in „ *Polyanthea Theologico-Morali-Canonica* Moguntiæ „ edita 1680. *disp.* 21. *q.* 12. *p.* 112., ubi post„ quam plures hactenus citatos Probabilistas re„ censuit, addit: " quibus ego subjungo a me le„ ctos ex nostris Ignatium Lupum disp. 13. artic. „ 2. Posnaniensem in decisionibus moralibus, Spo„ rer, Baronem, Delgadillo passim, Bosco parte „ 4., Boyvin, Marcum Borull, Bruodinum, Mau„ ritium Philippi Tract. 1. cap. 1. de consc., Si„ chen in Thesibus vere eruditis nuper Lovanii e„ ditis, & omnes Lectores Nostræ Provinciæ in „ Mss. " His accedunt Fr. Fulgentius a Trinitate „ in *Alphabeto Quodlibeto* Neapoli edito 1701. ver„ bo *Opinio*, & Felix Potestas in *Examine Ecclesia*„ *stico* T. 1. p. 1. c. 1. n. 59. Venetæ editionis „ 1706. Adde Franciscum Sabinum Bononiensem „ Ordinis Minorum strictioris Observantiæ Refor„ matorum S. Francisci. An. 1722. prodiit Vene„ tiis ex Balleoniano Typographio ejus *Lux Mora*„ *lis*: ibi autem *Tract.* 11. *de probabilitate* non „ solum Probabilismum tuetur, sed pro eo p. 18. „ citat auctores omnino tres & triginta, quorum „ hi sunt a Dechamps prætermissi P. Anacletus „ Reiffenstuel *Summ. Theolog. Moral. Tract.* 1. *dist.* „ 3. *a n.* 47. P. Cassianus a S. Elia in *Arbore O*„ *pinionum V. Opinio* §. 2. P. Franciscus Bordonus „ *Tom. 6. Propugnaculo Probabilitatis cap.* 6. & „ 22. P. Joannes Morandus *Tract.* 2. *q.* 25. *n.* 127. „ Agmen claudat P. F. Jeremias a Patavio, qui „ Pitanophili nomine adsciti Lugduni (Patavii „ scilicet) ann. 1747. egregium librum emisit in „ vulgus prænotatum *Probabilismus methodo ma*„ *thematica demonstratus*.

„ cisionum Moralium decis. 5. cujus hic titulus: „ *An possit eligi opinio minus probabilis, relicta* „ *probabiliori*; pro sententia affirmante citat au„ thores quadragintaquinque, eamque his verbis „ amplectitur: *Hanc sententiam certissimam puto*, „ *& existimo in materia Morali posse demonstrari*. „ Tum ad eam probandam rationes duas profert, „ ac tandem respondet quinque argumentis, quæ „ pro contraria proposuerat.

„ Adhæret eidem sententiæ Marcus Vidal ejus„ dem Instituti Clericus Regularis in opere, cui „ titulus est: *Arca Vitalis* titulo de opinione pro„ babili, inquisit. 5. num. 45. pag. 388. *Qui se*„ *quitur*, inquit, *& eligit opinionem minus proba*„ *bilem*, *& minus tutam*, *prudenter*, *& licite ope*„ *ratur*, *etiamsi opposita sit probabilior*, *& tutior*. „ Tum affirmat, *hanc conclusionem veram tradere* „ *Doctores communiter*, citatque 18. addens: *&* „ *alii plures*. Eam vero probat tribus argumentis, „ quæ & variis confirmationibus munit; tandem „ quatuor adversariorum objectiones dissolvit.

„ Andreas quoque Lanfranchus tom. Opuscul. „ Moral. Opuscul. 1. cap. 4. num. 16. hæc habet: „ *Licet in agendo sequi opinionem minus tutam*, „ *quæ sit probabilis*, *relicta probabiliore*. Quam as„ sertionem probat quinque argumentis, & gravis„ simorum Doctorum authoritate. (1)

„ Prolixe admodum de hac re disputat Joannes „ Angelus Bossius ex Clericis Regularibus Barnabi„ tis tomo Moral. Varior. part. 1. tit. 1. §. 17. „ ubi hanc sententiam multiplici ratione, & au„ thoritate confirmat. Tum in Appendice ad tit. „ 1. Candidi Philalethi argumenta dissolvit, ac de „ ista opinione ita pronunciat. n. 2377. “ Senten„ tia afferens in quæstione de sola honestate, vel „ turpitudine actionis, vel omissionis, licitum es„ se in praxi sequi opinionem probabilem, etiam „ minus tutam, relicta probabiliore, & tutiore, „ hodie videtur (ut supra in titulo num. 131. & „ 137. notavi) moraliter certa, cum nitatur va„ lidissimis fundamentis, & fortioribus, quam op„ posita. *Et paullo post*: Non solum hodierni tem„ poris Scriptores, Theologi, Summistæ, Canoni„ stæ, & Jurisperiti, & omnes publici Professores „ Theologiæ Moralis præfatam sententiam docent „ in publicis Academiis, & privatis Scholis; sed „ & apud omnes Confessarios sæculares, & Regu„ lares, apudque quoscumque doctos, & simul pro„ bos in toto orbe Christiano nihil magis decanta„ tum, quam licitum esse in operando sequi quam„ cumque opinionem probabilem, dummodo sit „ probabilis, etiam minus tutam, ubi non agitur „ de valore facti, vel de damno insequendo, sed „ de sola honestate operationis “.

„ Quæ duobus verbis expressit Homobonus de „ Bonis, ejusdem Ordinis Clericus Regularis, & in „ Metropolitana Ecclesia Bononiensi Pœnitentia„ rius, in Commentariis de examine Ecclesiastico „ tract. 12. cap. 4. qu. 17. resolut. 6. *Resolutum* „ *est*, inquit, *in foro conscientiæ probabilem opinio*„ *nem*, *relicta etiam probabiliori*, *nos amplecti* „ *posse*. (2)

„ Stephanus Spinola Congregationis Sommaschæ, „ non minus doctrina, quam generis claritate no„ bilis, super hac quæstione, aliisque finitimis e„ ruditissimum opusculum edidit Genuæ anno 1648. „ hac inscriptione: *de libera*, *& prudenti agibi*„ *lium electione in Moralibus*. Quo in opere jam inde

---

„ (1) Neque omittendi item ex Theatinis Pa„ tribus P. Antonius Naldi in *summa* quinque „ Cardinalibus dedicata quintæ Romanæ editionis „ an. 1635. verbo *Opinio*, P. Thomas del Bene in „ suis Tractatibns Moralibus Alexandro VII. in„ scriptis, & Reverendiss. P. Capisucco Sacri Pa„ latii Magistro adnuente editis Avenione a. 1658. „ *Tract.* 2. & P. Gualdi in volumine, quod sub e„ mentito Nicolai Reguleti nomine divulgavit. In „ eamdem Probabilistarum sententiam propendere „ eruditum P. Cajetanum del Pezzo in suis ad Fe„ licis Potestatis examen additamentis Neapoli an. „ 1742. excusis animadvertit ex eadem Clericorum „ Regularium familia doctus P. Gradonicus in I„ talica epistola Brixiæ an. 1750. edita *sopra tre* „ *punti concernenti la quistione del Probabilismo*, *e* „ *del Probabiliorismo pag.* 37. Quid? quod ne i„ psum quidem Ven. Cardinalem Thomasium ab „ ea abhorruisse opinione multa persuadent, quæ „ idem Gradonicus expendit p. 40. & seqq.

(2) Adde & ex Clericis Regularibus Minoribus „ P. Cajetanum Corazzam in Urbano Collegio *de* „ *propaganda fide* Sacræ Theologiæ Lectorem, su„ premæ Inquisitionis Qualificatorem, & Cleri Ur„ bis Examinatorem Apostolicum in *Tractatibus* „ *Theologicis-Moralibus de Conscientia* Venetiis an. „ 1735. excusis *Tract.* 1. *pag.* 63. Eruditissimos „ quoque non prætermittam ex Congregatione Ma„ tris Dei Scriptores Constantinum Roncagliam, & „ Joannem Dominicum Mansi. Et Roncaglia qui„ dem eo pluris faciendus, quod, ut ipsemet fa„ tetur, quum antea Probabilioristicæ sententiæ „ esset addictus, inter audiendas confessiones a„ gnovit, nihil ea minus aptum ad consulendum „ animarum saluti. Vide sis præclaram P. Bovii „ dissertationem. Illud ego animadverto, Proba„ bilioristas quoque homine Probabilista gloriari, „ qui ad eorum castra transfugerit, Aguirrio nem„ pe Cardinale; sed pluris habendam Roncagliæ a „ Probabilioristis defectionem, quam Aguirri a „ Probabilistis facile adsentietur non insanus quis„ que, qui noverit, hunc fateri (quod supra a „ Genuensibus Benedictinis adnotatum vidimus,) „ se controversiam hanc minus accurate perpen„ disse; illum vero nonnisi post diligens examen, „ & (quod gravius est) sacri Tribunalis expe„ rientia edoctum Probabiliorismum abjecisse. Hic „ ille Roncaglia est, qui elegantissimas doctissimi „ Segnerii de probabilitate epistolas frustra a Con„ cina petitas, nec umquam sine adgressoris dede„ core petendas Lucensibus typis evulgavit. Quod „ vero ad P. Johannem Dominicum Mansium ad„ tinet, omnigena litteratura celeberrimum Vi„ rum, quanto ille Probabilistas studio prosequa„ tur, cum ex ejus editis libris constat, tum „ maxime ex præclaris in Probabilismi de„ fensores meritis; quibus de caussis histori„ cum Probabilismi in se vehementer commo„ vit.

„ inde ab initio, sive in ipsa præfatione asserit, „ *opinionem hanc recentiorum omnium calculo, & „ universali pene populorum usu confirmatam esse.* „ Et disp. 3. sect. 4. eam sic exprimit: *Et licite, „ & sine peccato possumus in praxim deducere opi- „ nionem, quam putamus minus probabilem, etsi „ concurrat cum probabiliori.* Quam assertionem „ probat multiplici authoritate, & ratione. Tum „ sect. 5. 6. & 7. Candidi Philalethi argumentis „ accuratissime respondet.

„ Adstipulantur eidem sententiæ doctissimi viri „ ex variis Congregationibus Oratorii. Petrus Mo- „ rinus Congregationis Oratorii D. N. Jesu Christi „ Presbyter l. 8. de pœnit. cap. 4. postquam num. „ 16. 17. & 18. ex S. Augustino, S. Thoma, & „ Clemente tertio docuit in dubiis tutiorem par- „ tem esse eligendam: num. 19. ad hanc de opi- „ nione probabili quæstionem delabitur, & cum „ Suarez quibusdam in rebus necessarium esse opi- „ nionem probabiliorem minus probabili præferre, „ in aliis vero minime asserit his verbis, " Fran- „ ciscus Suarez tract. 3. ad 1. 2. disput. 12. sect. „ 6. num. 10. prudenter mihi videtur circumscri- „ bere casus, in quibus necesse est opinionem „ certam præferre probabili, & probabiliorem mi- „ nus probabili. Mihi enim videtur certum, & e- „ videns aliquando probabilia certis præferri pos- „ se. Quibus igitur indiciis, & argumentis hæc „ dignoscemus? Quando scilicet, inquit Suarez, „ ex justitia, vel charitate tenemur vitare da- „ mnum, quod in re ipsa subest, vel periculum „ ejus &c. "

„ Franciscus Merolla Congregationis Oratorii „ Neapolitani Presbyter tom. 1. Theolog. Moral. „ disp. 3. cap. 4. num. 24 " Tertia sententia, „ *inquit*, quæ videtur mihi verissima, docet lici- „ tum esse operari juxta aliorum opinionem pro- „ babilem, & minus tutam, relicta propria tutio- „ re, & quam probabiliorem esse sibi persuadet. " „ Citat pro ea authores vigintiquinque, additque, „ *& alii*: eandem probat tribus argumentis, & „ præcipuæ adversariorum objectioni respondet.

„ Petrus Paulus Guazzinus Congregationis Ora- „ torii Civitatis Castelli in tractatu morali lib. 2. „ cap. 26. num. 14. *Secundo dico, quod sequi opi- „ nionem minus probabilem, etiamsi minus tuta „ sit, non est illicitum.* Quod unica quidem ra- „ tione, sed gravissima authorum triginta autho- „ ritate probat.

„ Potest his adjungi Josephus de Januario Nea- „ politanus Congregationis Piorum Operariorum in „ Resolutionibus variis editis Neapoli 1649. resol. „ 61. num. 5. pag. 268. *Sequi probabilem opinio- „ nem*, inquit, *relicta probabiliori, tutissimum est „ in conscientia.* Citat authores septem, additque: „ *& alii apud istos.* (1)

CAPUT VII.

Plurimi ex omnibus Orbis Christiani nationibus clarissimi Doctores, easdem sententias tenent.

„ Multos utriusque opinionis celeberrimos de- „ fensores una nobis suppeditat Hispania. „ Martinus Aspilcueta Navarrus, qui merito *do- „ ctissimus, & piissimus* a Bellarmino appellatur de „ pœnit. dist. 5. n. 38. ita loquitur. " Respondeo „ secundo negando semper tutiorem partem eli- „ gendam esse; quoniam satis est eligere tutam, „ ut erudite, & utiliter declarat Antoninus, & „ facit glossa recepta, quæ secunda est, quam di- „ cit singularem Alexander. Quamquam verum est „ eum peccare mortaliter, qui facit aliquid dubi- „ tans, an sit peccatum mortale, nec ne juxta il- „ lud: Qui amat periculum peribit in eo. Sed a- „ liud est dubitare, an tale quid faciendum sit, „ aliud credere ratione probabili, & authoritate „ alicujus illustris Doctoris admonente, ut pulchre „ in loco præcitato declaravit Antoninus, & nos „ latius, & magis ad vivum disputabimus super „ illis verbis: Tene certum, & relinque incertum; „ & resolutius post hæc tradidimus in Manuali „ Confessorum. "

„ Primus locus, quem ex suis operibus Navar- „ rus hic citat, sumitur ex distinct. 7. de pœnit. „ num. 3. ubi sic habet: " Sexto infertur per „ hunc textum minime probari teneri nos, sed „ tantum consilio regulariter ad eligendum in re- „ bus agendis tutiorem partem, nisi aliud ad id „ nos urgeat præceptum. Infertur autem in hunc „ modum: Nam omnia jura, quæ habent, in re- „ bus agendis partem eligendam esse tutiorem, si- „ gnificant, ut partem illam eligamus, quæ ani- „ mæ utilitati est certior: at supra dictum est, „ consilium tantum esse, etiam in spiritualibus, „ ut certiora minus certis præeligamus; ergo con- „ silium tantum, & non præceptum fuerit tutio- „ rem partem eligere ". Locus alter petitur ex „ Manuali cap. 27. num. 288. ubi quæ de meliori „ opinione deligenda pluribus differuerat, ita re- „ stringit: " Quamvis in foro contentioso regula-

---

„ (1) Adsunt & ex aliis Religiosis ordinibus „ Probabilismi defensores. Nam illum tuetur P. „ Augustinus Michael Canonicus Regularis Colle- „ giatæ Ecclesiæ Understorffiensis in *Theologia Ca- „ nonico-Morali, seu perfecta, & practica instru- „ ctione Sacerdotis Curati* Augustæ Vindelicorum „ an. 1707. excusa. Præterea in *Theologia Mo- „ rali Universa* Venetis typis an. 1728. divulgata „ eidem adhæret sententiæ R. P. D. Leonardus „ Jansen Ordinis Præmonstratensis *Tract. de Con- „ scien. Casu* 111. num. xi., proque illa præter „ ceteros citat Salmanticenses in 1. 2. Tit. 11. „ dist. 7. dub. 2.

„ Addamus etiam Theologum Ordinis Servorum „ B. M. V., aut potius plures, ac primores ex eo „ ordine Patres. Nam in Thesibus Œniponti pro- „ pugnatis an. 1687. mense Majo a P. Pio Maria „ Wegschaider ejus Ordinis *sub præsidio R. ac „ Religiosi Patris Damiani Mariæ Frend* ejusdem „ Ordinis in Provincialibus Comitiis, hanc re- „ perio in Tractatu *de Actibus humanis.* n. 29. „ propositionem: " licitum est in operando sequi „ quamcumque sententiam Theologiæ probabilem, „ relicta probabiliore, & tutiori, si agatur de so- „ la licentia actus, secus si agatur de valore „ rei. "

„ riter prædicta observanda sint, in foro tamen „ conscientiæ ad effectum non peccandi sufficit e- „ ligere pro vera opinionem ejus, quem merito „ censemus idonea ad id scientia, & conscientia „ præditum. "

„ Tuetur illud ipsum Petrus Navarra, cujus „ summa est apud doctos authoritas, lib. 3. de „ restitutione cap. 1. num. 237. editionis Toleta- „ næ anni 1597. p. 140. *Juxta communiorem*, in- „ quit, *Theologorum sententiam sufficit ad securi-* „ *tatem conscientiæ opinioni probabili se conforma-* „ *re, etiamsi sit minus probabilis*.

„ Joannes Medina celeberrimus in Academia „ Complutensi Theologiæ Professor, Codice de re- „ bus restituendis, quæst. 22. de rebus per ludum „ acquisitis, editionis Ingolstadiensis ann. 1581. p. „ 148. quærit: " Quid agendum sit in casu, quo „ Doctores varia opinentur; *atque ubi affirmavit*, „ durante dubium hominem teneri ad illud, quod „ tutius esse cognoverit, *subdit*: Poterit tamen, „ dubio deposito, illi opinioni adhærere, quam vi- „ derit, aut audierit a Doctoribus fide dignis ap- „ probari, quibus se tute poterit conformare: & „ quia non video authoritatem, aut rationem con- „ venientem ad tenendum, esse de salutis necessi- „ tate præfatum lucrum restituendum, opinioni li- „ beranti potius, quam condemnanti arbitror ad- „ hærendum. "

„ Subscribit eidem opinioni Ludovicus Montesi- „ nus, quem Basilius Pontius l. 10. de Matrim. c. „ 15. num. 1. appellat *insignem Magistrum Com-* „ *plutensem, non minus moribus, quam doctrina*. „ Nam in commentariis ad 1. 2. disp. 29. qu. 5. „ §. 3. quærit: *Utrum licitum sit operari juxta o-* „ *pinionem minus probabilem, & minus tutam*. „ Quam quæstionem ita decidit num. 172. *Dicen-* „ *dum nobis est primo, vir litteratus licite opera-* „ *tur sequendo opinionem minus probabilem, &* „ *minus tutam. Jam hæc sententia est communis* „ *in scholis, & late probat Medina &c.* Quod ubi „ pluribus argumentis effecit, & adversariorum „ objectiones dissolvit, alteram conclusionem po- „ nit num. 177. *Dico secundo, etiam illiteratus, &* „ *indoctus licite potest sequi opinionem minus pro-* „ *babilem, & minus tutam*.

„ Plures pro ea sententia authores citat Joannes „ Sanchez Abulensis disp. 42. de Sacramentis num. „ 12. *licitum esse*, inquit, *sectari opinionem minus* „ *probabilem, relicta probabiliori, docent Merca-* „ *do &c.*

„ Prius idem fecerat Nicolaus Garcias tract. de „ benef. part. 11. cap. 5. num. 361. *potest*, inquit, „ *sequi opinio probabilis, relicta probabiliori, ut* „ *tenent Armilla, Bartholom. Medina &c. & recen-* „ *tiores communiter*.

„ De eadem quæstione ita pronunciat Hierony- „ mus de la Rua, Theologiæ in Schola Toletana „ olim professor tom. 2. Theologicarum Contro- „ versiarum, sexta Controvers. dub. 6. pag. 182. „ editionis Matritensis anni 1620. *Dico quinto*, „ *posse aliquem bene operari contra opinionem pro-* „ *babiliorem, & contra opinionem tutiorem, se-* „ *quendo tamen opinionem probabilem, & tutam*.

„ Concinnit Petrus de Ochagavia Salmantinæ „ Ecclesiæ Theologus in tractatu de Sacramentis, „ de Baptismo quæst. 11. num. 11. " Licet ope- „ rans, *inquit*, in aliis rebus satisfaciat suæ con- „ scientiæ, & obligationi, sequendo opinionem „ probabilem, etiamsi sit minus tuta, quia rigo- „ rosum, & intolerabile esset semper operari se- „ cundum opinionem probabiliorem, & tutiorem; „ non tamen in re tanti momenti, qualis est Ba- „ ptismus &c. "

„ Idem sentit Joannes Egidius Trullench S. „ Theologiæ in Academia Valentina Doctor, in o- „ pere Morali Venetiis edito anno 1643. tom. 2. „ lib. 8. cap. 1. dub. 6. num. 1. *Suppono*, inquit, „ *loquendo generaliter, & in communi, in Morali-* „ *bus licitum esse cuilibet sequi opinionem probabi-* „ *lem, & minus tutam, relicta probabiliore, &* „ *tutiore*. Quam in rem authores decem, & ratio- „ nes duas producit.

„ Simillimam assertionem ponit Josephus Roca- „ fal Valentinæ & ipse Academiæ Doctor Theolo- „ gus, in praxi Theologiæ Moralis 3. part. tract. „ de Conscientia l. 3. c. 6. n. 49. p. 359. *Quando* „ *sunt duæ opiniones inæqualiter probabiles, licite* „ *quis aget formando dictamen juxta opinionem* „ *minus probabilem, relicta probabiliori. Ita com-* „ *muniter Doctores &c.* Quod triplici ratione probat.

„ Sic etiam Joannes Guttierez l. 1. can. quæst. „ cap. 13. num. 23. *Quando*, inquit, *super aliquo* „ *puncto sunt diversæ sententiæ authorum, ambæ-* „ *que probabiles, poterit unusquisque suam conscien-* „ *tiam conformare cum qua voluerit earum*.

„ Docet quoque Joannes de Solorzano l. 3. de „ Indiarum jure cap. 2. num. 38. " Securos esse, „ qui opiniones duntaxat probabiles amplectuntur, „ etiamsi aliæ tutiores, & probabiliores existant, „ præsertim ubi non de facto, sed de jure dubio, „ & ejus interpretatione, aut intelligentia tracta- „ tur, de quo videnda sunt quæ late, & erudite „ tradunt Theologi recentiores post D. Thomam „ in 2. 2. quæst. 63. art. 4. & Quodlib. 8. artic. „ 3. D. Anton. 1. part. tit. 3. c. 10. circa finem &c.

„ Dissertissime eamdem sententiam tuetur Joan- „ nes Machado celeberrimus in utroque orbe Do- „ ctor, cum in Limensi primum Accademia, dein- „ de in Salmanticensi summa ingenii, & doctrinæ „ laude floruerit. Nam in opere hispanice edito, „ quod inscribitur *Perfectus Confessarius*, sic habet „ discursu practico art. 3.

„ *Dico communiorem* „ *esse, & magis rece-* „ *ptam a Doctoribus sen-* „ *tentiam, licere, & tu-* „ *tum esse in conscientia* „ *sequi minus probabi-* „ *lem opinionem, relicta* „ *probabiliore, sive sit* „ *ista propria, sive alio-* „ *rum, & quamvis mi-* „ *nus probabilis opinio* „ *quam sequetur, minus* „ *secura, aut magis se-* „ *cura sit, aut doctus,* „ *vel ignarus sit qui eam* „ *sequetur*. Pro qua sen- „ tentia authores citat „ quadraginta quinque. (1)	Digo que la mas com mun, y recibida de lo- Doctores ser licito, y se- guro en conciencia se- guir la opinion menos provable dexando la mas provable, o sea esta pro- pria menos segura, o de otros; Y aunque la opi- nion menos provable, que seguiere, sea mas segura, o menos segu- ra, o sea docto, o igno- rante el que la sueguie- re.

Non

„ (1) In eadem fuit sententia D. Franciscus „ Perez, qui anno 1697. Salmanticæ edidit *Lydium* „ *Lapidem recentis Antiprobabilismi*.

„ Non dissentiunt Itali Doctores, quos inter & „ rerum pro Apostolica Sede gestarum gloria, & „ ingenii, ac doctrinæ laude eminet Alexander Pesantius Romanus, qui in Commentariis Theologicis Paullo v. nuncupatis ad 1.2. quæst. 19. art. „ 6. disp. 2. num. 3. ita loquitur: " Dico, quoties opinio, quæ ait aliquid non esse peccatum, „ est communis apud Doctores, vel quamvis non „ sit tam communis, quam contraria, si est aliquorum peritorum, neque habetur pro improbabili, potest quivis doctus illam sequi. *Et* „ *Paullo post*: potest præterea aliis consilium dare „ secundum eamdem opionem. "

„ Ludovicus Carbo publicus in Gymnasio Perusino Theologiæ Professor, *Magnæ vir integritatis, ac doctrinæ*, teste Possevino, *& operibus* „ *multis, quæ summa cum laude in lucem emisit*, „ *eximius, atque præclarus*, ut ait Antoninus „ Rosatus in epistola ad Cinthium Aldobrandinum „ Cardinalem, in Summa tom. 1. part. 1. cap. „ 14. editionis Venetæ anni 1606. pag. 157. Controversiam hanc data opera examinat, ac de ea „ sic pronunciat: *licet sequi opinionem minus pro-* „ *babilem, relicta probabiliori*. Quod triplici ratione confirmat.

„ Brevissime illud ipsum affirmat Lelius Zecchus „ clarissimus Theologus in Summa Moralis Theologiæ, Clementi VIII. dicata ann. 1598. Sic „ enim habet tom. 1. de Regulis humanorum „ actuum c. 4. n. 7. *Quando omnes opiniones ha-* „ *bent graves authores, & probabiles rationes, pot-* „ *est licite quis eligere quamcumque vult*, (1)

„ Postremi sententiam dicent Belgæ Theologi, „ in quibus excellit Joannes Vigers, qui teste Valerio Andrea in Bibliotheca Belgica, *non minus* „ *vitæ probitate, quam doctrina emicuit, & scho-* „ *lam Theologicam Lovaniensem Professor Regius* „ *annis continuis viginti sex docendo, scribendo-* „ *que illustravit*. Copiosissime quæstionem hanc „ pertractat in 1. 2. q. 16. art. 6. dub. 6. Quid „ autem sentiat sic exponit: " Dico quarto, quando ex utraque parte sunt opiniones probabiles, „ quarum una est probabilior, & altera minus „ probabilis, possum in actionibus moralibus „ sequi minus probabilem modo vere, & absolute probabilis sit; non tantum quando minus „ probabilis tutior est, vel quando ab operante „ habetur uti probabilior, sed etiam quando est „ minus tuta, & habetur ab operante tamquam „ minus probabilis. "

„ Mens est eadem Guillelmi Merceri, quem & „ Aubertus Miræus in Bibliotheca asserit Theologiam Lovanii docuisse *primo in Abbatia Nobili* „ *S. Gertrudis annis octo, postea Regiis auspiciis* „ *in Scholis publicis totos viginti & octo annos*; „ & Valerius Andreas multis, planeque admirandis virtutibus præditum fuisse testatur. Sic enim „ habet in commentariis ad 3. partem S. Thomæ „ Lovanii editis anno 1630. pag. 382. " Si pœnitens adhæreat opinioni probabili, & contrariam „ probabiliorem Confessor judicet, debet Confessor „ eum absolvere. Ratio est, quia cum pœnitens „ operetur ex opinione probabili, est bene disposi- „ tus. "

„ Eidem quæstioni similiter respondet David a „ Mauden, cujus *eruditionem, & præclarissimum* „ opus in Decalogum mirifice commendat Michael Ophovius Episcopus Buscoducensis in iis „ litteris, quæ præfiguntur alteri ejusdem authoris „ volumini inscripto: *Speculum aureum vitæ Mo-* „ *ralis*. Sic autem loquitur discursu 2. in Decalog. „ pag. 1031. col. 2. *Confessarius potest, & tenetur* „ *sequi opinionem probabilem pœnitentis, relicta* „ *sua probabiliori*.

„ Franciscus Sylvius, qui teste Valerio Andrea „ Duacenam Theologiam *Professor Regius, atque* „ *ordinarius triginta, & eo amplius annos cum* „ *docendo, tum scribendo mirifice illustravit*; diligenter de hac quæstione disputat in 1. 2. ad q. „ 19. art. 5. quæst. 9. Mentem autem suam sic „ exponit conclus. 3. *Quando sunt duæ opiniones* „ *vere probabiles, licitum est relicta probabiliori* „ *sequi minus probabilem, sive hæc, quæ minus* „ *probabilis est sit tutior, sive non. Ita sentiunt* „ *Medina, Bannesius &c.* atque hanc assertionem „ suam triplici ratione confirmat.

„ Amplectitur eandem sententiam Gaugericus „ Hispanus natione Belga, professione Theologus „ Duacenus in additionibus ad Summulam Cajetani verbo " opinionis usus. Quando, *inquit*, „ duarum opinionum contrariarum utraque tamquam probabilis a Doctoribus admittitur, non „ necessario eligi debet tutior, & probabilior, sed „ potest alterutri earum quisque se conformare, „ dummodo sibi persuadeat, eam, quam amplectitur esse probabilem, eique assentiatur, tamquam sufficienter fundatæ, quamvis forte contrariam propter urgentiores rationes existimet „ esse veriorem. Ita Medina loco supra citato. „ Neque hoc contrarium est supradictis, videlicet „ quod in dubiis eligenda sit pars tutior, quia „ quando utraque pars est probabilis, & sufficienter fundata (sicut hic ponimus) neutra censetur esse dubia, sed habet utraque certitudinem „ moralem. "

His adjungi debet Richardus Hallus, natione „ quidem Anglus, sed diuturna commoratione „ Belga, ut constat ex Joanne Pitseo, qui & „ *multiplicem ejus eruditionem* commendat, tract. „ de conscientia lib. 2. cap. 9. ait: *Magnorum* „ *virorum authoritate fulti, statuimus satis esse* „ *sequi opinionem alicujus probabilem, ut ad eas* „ *latebras non confugiamus, quibus quidam inve-* „ *stigandam probabiliorem esse contendunt*.

C A-

(1) „ Adde Carolum de Baccio Presbyterum „ Capuanum in *Selectis Casuum Conscientiæ recon-* „ *ditorum* Neapoli editis 1652. p. 232. & Alphonsum de Liguoro in sua Theologia Morali non „ semel excusa. Neque dissentiunt Germani: Hos „ inter Jodochus Lorichius in Friburgensi Academia Theologiæ Professor in *Novo Thesauro utriusque Theologiæ* Friburgi in lucem emisso an. 1609. „ T. 2. verbo *Opinio*.

CAPUT VIII.

Concluditur, sententias illas, quamvis a doctissimis quibusque Soc. Jesu Theologis defendantur, non esse tamen eorum proprias: imo Societati Jesu propemodum singulare fuisse easdem opiniones tum variis modis temperare, tum etiam oppugnare.

„ TAm copiosa utriusque sententiæ defensorum multitudo, quæ altero tanto major evadet, cum authores omnes ab istis indicatos nactus fuero, adeo certum me ac securum victoriæ fecit, ut non dubitem palam, & aperte profiteri celeberrimos Societatis nostræ scriptores istis opinionibus adhæsisse. Sic docuit Franciscus Suarez, quem & Paulus Quintus Pontifex Maximus *Doctorem eximium*, & Alphonsus Castelbrancus Conimbricensis Episcopus *communem ætatis suæ Magistrum* appellavit. Nam *tract.* 3. *in* 1. 2. *disput.* 12. *sect.* 6. quod universe statuebat Medina, *licere uti opinione probabili, relicta etiam probabiliori*, fatetur in iis opinionibus esse verum, *quæ versantur circa jus ipsum, scilicet an hoc sit prohibitum, vel præceptum, nec ne*. Sic etiam Vasquez *in* 1. 2. *disp.* 62. *cap.* 4. *n.* 14. Valentia *in* 1. 2. *disp.* 2. *quæst.* 14. *pun.* 4. Tannerus *disp.* 2. *de actibus humanis q.* 4. *dub.* 4. Granado *in* 1. 2. *tract.* 12. *disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 23. Lessius *lib.* 2. *de justitia, & jure cap.* 29. *n.* 68. Becanus *in summa parte* 2. *cap.* 4. *qu.* 9. *num.* 15. Turrianus *in* 2. 2. *disput.* 13. *dub.* 3. *num.* 21. Salas *in* 1. 2. *tract.* 8. *disp. unica sect.* 6. Coninch. *tom.* 2. *de Sacrament. disp.* 34. *n.* 84. Oviedo *in* 1. 2. *tract.* 3. *Controv.* 3. *puncto* 2. Arriaga *in* 1. 2. *disp.* 24. *sect.* 1. Pallavicinus *in* 1. 2. *disp.* 9. *q.* 4. *art.* 4. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 3. *num.* 3. Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 9. *n.* 14. Azor. *lib.* 2. *institut. moral. cap.* 16. *q.* 3. Laymann *tract.* 1. *cap.* 5. §. 2. *num.* 7. Filliuccius *tract.* 20. *in Decalog. c.* 4. *num.* 128. Reginaldus *in praxi fori pœnit. lib.* 13. *cap.* 10. *sect.* 2. Gordonus *lib.* 1. *q.* 9. *num.* 33. *a* Castro Palao *parte* 1. *disp.* 2. *puncto* 2. Baldellus *lib.* 4. *disp.* 12. *num* 1. Bresserus *lib.* 3. *de conscientia cap.* 8. aliique complures.

„ Quamvis tam multi Societatis nostræ scriptores sententias illas amplexi sint, nego tamen eas esse ipsorum proprias. Quis enim tam inique sentiat, ut illis singulariter escribendum putet, quod ab aliis Ordinum omnium, ac Nationum Theologis, & doctrinæ fama clarissimis, & numero propemodum infinitis, incredibili, planeque admirando consensu propugnatum viderit? Accedit, quod plerique ex authoribus a me productis posteriorem sententiam, quæ & priorem continet, non modo defendunt, sed etiam in omnibus Europæ Scholis & Academiis doceri profitentur. Nam ex Gallia Isambertus exclamat: *ita communiter Doctores*. Ex Hispania vero Ludovicus Montesinus, Petrus Navarra, & Gregorius Martinez: *hæc sententia est communis in Scholis, hæc est communior Theologorum sententia, hæc est sententia communis*. Ex Italia Martinus Bonacina Episcopus, Jacobus Raggius, & Angelus Bossius: *ita communiter Theologi, iique, ut ita dicam infiniti, ita omnes publici professores Theologiæ*; denique ex Germania Joannes Caramuel Episcopus: *illa sententia hodie est omnium*.

„ Fatebitur forsan aliquis sententiam hanc in omnibus Orbis Christiani Academiis dominari; sed in eas a Societatis Nostræ Theologis introductam esse lamentabitur. Quod etsi a quibusdam iracunde, & atrociter expostulari soleat, caret tamen omni probabilitatis specie, ac calore; imo apertæ falsitatis convinci nullo negotio potest. Nam, ut omittam antiquiores Episcopos, & Doctores, qui primam opinionem manifeste tuentur, & isti non mediocriter favent; demonstratum est superius, Franciscum Victoriam, Bartholomæum Medinam, Ludovicum Lopez, Bartholomæum Ledesmam, aliosque doctissimos Thomistas, multo ante eam perspicue, & acriter defendisse, quam ab ullo nostrorum esset propugnata. Quamobrem Gabriel Vasquez, qui inter primos Societatis Jesu Scriptores eam sub finem superioris sæculi amplexus est, ait *in* 1. 2. *disp.* 62. *cap.* 4. *n.* 14. *in scholis multo ante communem fuisse*. Quod ab eo vere affirmari non dubitabit quisquis recordabitur Michaelem Salonium, & Petrum Navarram ante Vasquem scripsisse hanc esse *communem Theologorum sententiam*. Unde & Salonius eo loco; quem *cap.* 6. protuli contra adversæ opinionis defensores *hoc argumentum ad hominem*, ut appellant, deduxit. *Eligenda est opinio, ut volunt probabilior: sed quod liceat amplecti probabilem* (dimissa probabiliori) *est opinio probabilior; cum habeat plures, & gravissimos authores, & firmiora fundamenta, quam opposita, ut ex progressu hujus disputationis constat*; ergo &c.

„ Fracta est, opinor, procax, & inverecunda Montaltii calumnia: placet tamen ad eam magis, ac magis obterendam paucis demonstrare, adeo Societatis nostræ proprium non fuisse, tueri *ex duabus opinionibus probabilibus licitum esse minus tutam, & minus probabilem amplecti*; ut ipsi propemodum singulare fuerit, communem illam sententiam, quam in Theologorum scholis dominantem reperit, tum pluribus adhibitis temperamentis mollire, tum etiam penitus oppugnare. Ac primum quidem ostendi perfacile potest, si recorderis antequam libris editis quæstionem istam Scriptores nostri attingerent, Theologos communiter docuisse cum Bartholomæo Medina *in* 1. 2. *ad quæst.* 19. *art.* 7. *concl.* 3. & 4. hanc sententiam: *In omnibus negotiis, etiam magni momenti, & in maximam injuriam tertii, atque adeo & in materiis Sacramentorum, locum habere*. Quamobrem cum anno 1592. scribebat Salonius, plures authores pro hac sententia, quam pro opposita stare, de illa loquebatur, quatenus ipsos quoque Judices comprehendit. Sic enim habet in ea conclusione, quam verbis paullo ante citatis confirmat: *Quando sunt duæ opiniones ex parte Juris, altera tamen probabilior, potest Judex in judicando, & quivis fidelis in suis privatis actionibus, dimissa probabiliori, eligere probabilem*. Hinc est etiam quod Petrus Ledesma, qui eodem tempore florebat, cum eo loco, quem superius cap. 5. descripsi, opinio-

„ nem

„ nem illam Judicibus singulariter accomodat, ait: „ *Hanc sententiam tenet Magister Medina, & Orellana, & alii multi Doctores, præcipue discipuli S. Thomæ*. Constat igitur hunc fuisse communem Theologorum sensum ante annum 1592. „ Videndum est modo quam singulari, planeque „ admirando consensu Suarez, Vasquez, Sanchez, aliique Societatis nostræ Theologi, qui „ paullo post de his rebus scribere cœperunt, „ sententiam illam variis modis temperare, & „ plures ejus partes oppugnare conati sunt.

„ Primo falsam esse contenderunt *in materia Sacramentorum*. Suarez enim *tom. 3. in tertiam partem*, edito anno 1594. diserte id docet „ *disp. 16. sect. 2.* quod & repetit *tract. 3. in 1. 2. disp. 12. sect. 6.* cum ait: *in opinionibus de Sacramentis* locum habere quod dixerat: *sæpe ex justitia, vel charitate teneri hominem præferre opinionem certam probabili, & probabiliorem minus probabili*. Idem affirmat Vasquez „ in commentariis *ad* 1. 2. editis anno 1598. Sic „ enim habet *disp. 64. cap. 3. num. 1. Nunc de opinione probabili, considerata obligatione qua quis ex charitate debet indigenti providere remedium salutis per Sacramenta, dicendum est. In hoc autem casu existimo, neminem satisfacere huic obligationi charitatis, si sequatur opinionem probabilem, imo etiam probabiliorem minus tutam, cum potest tutam eligere, & sequi*. „ Idem sentiunt Sanchez (1) *lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 34.* Granado *in 1. 2. tract. 2. disp. 4. sect. 4. num. 36.* Salas *in 1. 2. tract. 8. disput. unica sect. 10.* Becanus *in Summa parte 2. cap. 4. quæst. 9. num. 10.* Filliucius *tract. 21. in Decalog. cap. 4. num. 138.* Laymann *tract. 1. cap. 5. §. 5.* Reginaldus *in praxi fori pœnit. lib. 13. cap. 10. sect. 1. num. 99.* „ Gordonus *lib. 9. qu. 9. num. 30.* Oviedo *in 1. 2. tract. 5. Controv. 3. puncto 4.* Amicus *in 1. 2. disp. 15. sect. 3. num. 59.* Arriaga *in 1. 2. tract. de humanis actibus disp. 24. sect. 4.* „ Palavicinus *in 1. 2. disp. 9. quæst. 4. art. 2. num. 5.* Bresserus *lib. 3. de conscientia cap. 9.* „ Emmanuel Mascarenhas *tract. 1. de Sacram. disp. 2. cap. 5.* Busembaum *lib. 1. tract. 1. c. 2. dub. 2. num. 6.* aliique permulti.

„ Secundo alteram ejusdem sententiæ partem, „ quæ Judices spectat, acerrime oppugnarunt. „ Suarez locis proxime citatis firmissima fundamenta ponit, ex quibus manifeste colligitur, „ quod *disp. 13. de char. sect. 6. num. 3.* docet in „ hæc verba: *In sententiis ferendis, sequenda est semper Judici probabilior pars*. Idem affirmant „ Vasquez *in 1. 2. disp. 64. cap. 2. num. 5.* Valentia *in 1. 2. disp. 5. quæst. 7. punct. 4.* Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 47.* Tannerus *in 2. 2. disp. 4. quæst. 4. dub. 6. num. 128.* Becanus *in Summa, parte 2. tract. 1. cap. 4. quæst. 9. num. 14.* Coninch. *de Sacrament. disp. 34. dub. 10. num. 91.* Granado *in 1. 2. Controv. 12. disp. 4. sect. 4. num. 39.* Salas *in 1. 2. tract. 8. disp. unica sect. 12. num. 116.* „ Filliucius *tract. 21. in Decalog. cap. 4. num. 144.* Laymann *tract. 1. cap. 5. §. 3. num. 16.* „ Reginaldus *in praxi fori pœnit. lib. 13. cap. 10. sect. 2. num. 99.* Gordonus *lib. 1. quæst. 9. n. 34.* Castro Palao *tom. 1. disp. 12. puncto 10. num. 2.* Amicus *in 1. 2. disp. 15. sect. 4. num. 81.* Baldellus *lib. 4. disp. 15. num. 8.* Bresserus *lib. 3. de conscientia cap. 14.* Fragosus *de Regimine Christianæ reipublicæ part. 2. lib. 4. disp. 10. num. 198.* Martinus Perez *de pœnit. disp. 33. sect. 4.* Palavicinus *in 1. 2. disp. 9. quæst. 4. art. 4.* aliique plurimi.

„ Tertio eandem opinionem respectu Medicorum falsam esse docuerunt. Nam de illis quoque Suarez agit cum tract. 3. in 1. 2. disp. 12. „ sect. 6. statuit, plerunque ex justitia, vel ex „ charitate *teneri hominem præferre opinionem certam probabili, & probabiliorem minus probabili*. Vasquez vero in 1. 2. disp. 64. cap. 4. „ num. 23. ait: *In hac re servare debet Medicus regulam, quam diximus a Ministro Sacramentorum servandam esse, ut non sequatur opinionem probabilem dumtaxat cum aliquo periculo in re, relicto eo, quod omnino certum est, & sine periculo; alioquin eum non satisfacturum præcepto, quo debet subvenire proximo*. Consentiunt Granado *in 1. 2. tract. 12. disp. 4. sect. 4. num. 41.* Salas *in 1. 2. tract. 8. disput. unica sect. 14. concl. 2.* Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 9. n. 41.* Laymann. *tract. 1. cap. 5. §. 3. num. 15.* „ Filliucius *tom. 2. tract. 21. cap. 4. num. 151.* „ Becanus *in Summa parte 2. tract. 1. cap. 4. quæst. 9. num. 14.* Reginaldus *in praxi fori pœnit. lib. 13. sect. 1. num. 99.* Gordonus *lib. 1. quæst. 9. num. 30. 34.* Bresserus *lib. 3. de Conscientia cap. 12. num. 125.* Busembaum *lib. 1. tract. 1. cap. 2. sub finem*, & alii multi.

„ Quarto eandem sententiam, qua parte Magistros, ac præceptores spectat, refutarunt: „ *Tenetur præceptor*, inquit Suarez *in 1. 2. tract. 3. disp. 12. sect. 6. num. 9. saniorem, & veriorem doctrinam docere: in quo potest per gradus peccare juxta materiæ qualitatem*. Quod ex generali principio jam sæpius indicato, ita Becanus deducit *in Summa parte 2. cap. 4. quæst. 9. num. 14. Tertio sequitur, præceptorem teneri docere sententias, quas credit esse probabiliores, & adhibere moralem diligentiam, ut veritatem assequatur: quia alioquin injuriam facit discipulis*. Idem asserit Filliucius *tract. 21. in Decalog. cap. 4. num. 148.* Baldellus *lib. 4. disp. 13. num. 2.* Bresserus *lib. 3. de Conscientia cap. 18. num. 170.* Gordonus *lib. 1. q. 9. num. 30.* „ Neque dissentit Sanchez, cum *lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 26.* post Salam ait, *Præceptores sæpe opinionem suam singularem tacere debere, ne cum aliorum scandalo ab opinione communiter recepta devient*. Nam continuo subjungit, eos „ peccare, quando absque ulla causa justa excusante, „ sententias illas docent, quas minus probabiles arbitrantur.

„ Vi-

(1) „ Vide elegantissimum P. Lecchi librum „ inscriptum *Avvertenze Teologiche*, quo loco „ P. Sanchez defendit a P. Concinæ accusatione.

„ Vides quam impense doctiſſimi quique Societatis noſtræ Scriptores , duce Suarez , communem illam de opinione minus tuta , & minus probabili ſententiam , quam in ſcholis regnantem invenerant , ea parte moderari ſtuduerint , quæ res ipſas , & damnum ex iis natum reſpicit . Supereſt modo , ut oſtendam , Societati Jeſu propemodum ſingulare fuiſſe eandem ſententiam , quatenus præciſe jus ipſum , ac præceptum ſpectat , penitus oppugnare . Neque vero mihi laborandum magnopere fuit, ut iſtud demonſtrem : ex ipſo Wendrokio cognoſci facile poteſt . Cum enim aliquem inter recentiores Theologum quæreret , ex quo jam parata ad hanc opinionem , ut a nobis explicata eſt , oppugnandam arma mutuaretur , unum reperit Paullum Comitolum , quem & appellat pag. 90. (ſed flagitioſe diſſimulat noſtrum fuiſſe) & ex quo verbatim deſcribit veterum Theologorum nomina , & loca , quæ pro contraria opinione ibidem percenſet . Certe ab annis „ octoginta tanto conſenſu in omnibus Theologorum ſcholis recepta eſt illa ſententia , ut qui ſuperius allegati ſunt authores tam multi (quorum plerique accuratiſſimum illorum Cathalogum texuerunt qui hanc Controverſiam attigere) duos tantum ex recentioribus Theologis apertos ejus impugnatores nominent : Paullum Comitolum (1) e Societate Jeſu , qui *lib.* 5. *reſponſ. Moral. quæſt.* 5. acriter , & generatim eam oppugnat , & Antonium Perez Benedictinum , qui in Laurea Salmantina , certam. 10. *dub.* 2. *cap.* 10. *num.* 55. multo remiſſius contra illam agit , docetque tunc tantum opinionem probabiliorem neceſſario præferendam eſſe , cum eſt longe probabilior . Fuit igitur Societati Jeſu proprium , ac ſingulare poſtremis hiſce temporibus Theologum ferre , qui & palam , & acriter , & generatim ſententiam iſtam , qua parte jus ipſum , ac præceptum reſpicit , oppugnaret .

(1) „ Ante Comitolum cenſendus fuerat Jeſuita Ferdinandus Rebellus T. 1. *de Juſtitia*, & *jure* an. 1608. Huic & Comitolo acceſſit ann. 1642. Andreas Blanchus ſub fictitio *Candidi Philalethis* nomine , ſub quo quis lateret , ignoravit *cap.* 11. de Champs . Ab anno vero 1659. „ quo auctor noſter ſcribebat , plures prodiere Societatis Scriptores , ne ipſo quidem Concina diffitente , qui Probabiliſmum acerrime impugnarunt , Gonzalez , Glizalda , Camargo, Gibert , Malatra , Bonet , Antoine , &c.

APPEN-

APPENDIX

De duobus Ordinis S. Dominici Theologis, quorum alter favet, alter bellum indicit communi doctrinæ.

,, CUm hæc dissertatio typis ederetur, jamque postremum caput sub prælo esset: commode in manus meas venerunt Dominicanorum libri duo; alter obsoletus, & præ nimia vetustate pene detritus, recentissimus alter, & nondum compactus. Uterque in hanc Controversiam multa differit, ex quibus pauca delibo.

,, Primus est, *Consolatorium timoratæ conscientiæ* ante annos ducentos conscriptum a Joanne Nider, quem Antonius Senensis in Bibliotheca, *Verum Speculum observantiæ regularis, & scientiarum omnium promptuarium uberrimum* appellat. Toto cap. 11. probat *authoritate antiquorum*, ac præcipue S. Thomæ, Villelmi Antissiodorensis, Ulrici, Monaldi, Humberti, & Villelmi glossatoris Raymundi: *Quod non semper oportet tutiorem opinionem eligere de necessitate salutis, sed sufficit tutam eligere*. Tum aliud caput sic inscribit: *Capitulum 12. probat idem authoritatibus magis modernorum Doctorum*. Et jam inde ab ipso initio ait; *Goffridus de fontibus dicit: quod si quis confitens non habet conscientiam de aliquo actu, quem confessor opinatur esse peccatum, puta, de Vitaliciis, & de multitudine Beneficiorum, & similibus; quando confitentis talis opinio non procedit ex protervia, sed ex probabili ratione, debet eum Confessor generaliter in forma Ecclesiæ absolvere*. Simillima profert testimonia Bernardi Claromontensis, Petri Paludani, & Joannis de Erdenberg, *Doctoris*, inquit, *nostri Ordinis satis antiqui*. Quæ omnia cap. 13. plurimis rationibus confirmat. (1)

,, Vix illum Joannis Nider librum percurreram, cum mihi oblatus est alter Julii Mercori Cremonensis de *praxi opinionum limitata*, qui recens prodiit Mantuæ cum honorifica approbatione Hieronymi Placentia Societatis Jesu Theologi. Non est mei instituti explorare quam firma sint ea argu-

---

,, (1) At, inquies, Niderus ipse in 9. præcept. c. 4. ait: *securiorem viam tenendam esse .... in dubiis enim securior via eligenda est*. Respondeo, Niderum de veris, ac propriis dubiis loqui, in quibus nemo Probabilistarum negat, tutiorem viam esse eligendam. Urges. Idem author *cap.* 11. affirmat, ubi in diversas partes abeant Scriptores, *cum bona conscientia posse quempiam tenere unam partem, dummodo bonam conscientiam seu fidem sibi formet de probabiliori parte*. Fateor. At non de probabiliori directa loquitur Nider, sed de reflexa. Pluribus ostendo. I. ait Nider: *Potest quis tenere unam partem alicujus opinionis, & secundum eam operari, saltem secluso scandalo*. At quei scandalo locus, si quispiam directe probabiliorem sequatur sententiam? II. Concedit Niderus, tum licere probabiliorem partem sequi, *præcipue ubi quis adhibet diligentiam quærendo, an liceat, nec invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat, quod sit illicitum*. Putabat igitur Niderus probabiliorem opinionem non tanti ponderis esse, ut omne prorsus argumentum tolleret, quo hoc, illudve minime licere probaretur. Cur enim addidisset verbum *præcipue*? Quamobrem videant quæso Ballerinius, historicus Probabilismi, & ceteri Probabilistarum osores, num ex ipsorum sententia locutus fuerit Niderus, quum ipsi velint ex probabilioris opinionis conflictu probabilem sententiam ita infirmari, ut prudentem virum in suas partes trahere haud possit. III. Audiatur ipse Nider cap. 13. *Inter contrarietatem opinionum eligens unam partem, tunc videtur Securus in conscientia, quando illa opinio non est evidenter contra Sacram Scripturam, vel determinationem Ecclesiæ*. (Numquid vero qui probabilem opinionem sequitur in eam sententiam abit, quæ sit evidenter contra Sacram Scripturam &c.? Imo vero ut probabilis opinio quæpiam sit, id ante omnia postulant Probabilistæ, ut ne scripturarum, aut Ecclesiæ authoritati adversetur) *modo sciat vel per se, vel per alium, cui credit probabiliter* (non probabilius) *rationes contrarias solvere, quas videt, aut sciat alios prudentes eas contemnere, & abjicere; sed contentus esse debet certitudine morali, & pro posse formare bonam conscientiam* (Vix Terillus clarius explicat reflexum conscientiæ dictamen) *in illa opinione, atque habere ita animum dispositum*, (utinam probabilistæ omnes ita animo comparati sint!) *ut paratus sit obedire Ecclesiæ, si contrarium determinaverit*. Neque vero mirum esse debet Niderum, qui temporibus illis florebat, quibus Scholastica de Probabilismo controversia nondum exorta fuerat, verbis quandoque abuti; id enim in ceteris omnibus argumentis usitatum videmus, ut plures minus castigate loquerentur, cum ante enatas super iis rebus disputationes scripsere. Ceterum si R. P. Historicus, aut alius quivis de Probabilistarum cętu Niderum pro se stare omnino velit, habeat sibi illum, per me licet, dummodo P. de Champs in eo Probabilistis abscribendo ita erraffe pronunciet, ut ejusdem erroris arguat Dominicanum, & Episcopum præclarissimum D. Acacium de Velasco, cui non secus ac P. de Champs Niderus visus est Probabilistis recentibus præivisse.

,, argumenta, quibus tota parte secunda probare
,, nititur ex duabus opinionibus contrariis probabi-
,, liorem, ac tutiorem in praxi sequendam esse.
,, Duo tantum obiter moneo. Primum est, eum
,, parte 2. art. 26. inter contrariæ opinionis patro-
,, nos appellare duos, aut tres recentiores Theo-
,, logos, quos nec vidi, nec ab authoribus supe-
,, rius productis citatos legi. Quamobrem facile
,, adducor, ut credam eos cum Dominico Soto,
,, quem & ipsis Mercorus adjungit, loqui tantum
,, de Judicibus, vel de factis ad aliena jura perti-
,, nentibus. Secundum est, eum part. 3. art. 7. in
,, communem sententiam relabi, ac docere sæ-
,, pius licitum esse sequi in praxi opinionem mi-
,, nus tutam, & minus probabilem: " Quando vi-
,, delicet, *inquit*, minus probabilis ex motivo in-
,, trinseco per motivum extrinsecum redditur certa
,, moraliter. Sit exemplum; pensatis rationibus in-
,, trinsecis, an sit licitum in die festo opus servile
,, per horam, pars negativa mihi videtur proba-
,, bilior, & affirmativa minus probabilis. Si postea
,, adverto, quod personæ Religiosæ, doctæ, & Dei
,, timorem habentes faciunt laborare suos famulos
,, per horam in die festo, extra casum necessitatis:
,, ex hoc exemplo, tamquam medio extrinseco pos-
,, sum sequi sententiam, quæ mihi minus probabi-
,, lis apparet ex motivo intrinseco. *Addit paullo*
,, *post*: Et quia plura sunt hujusmodi motiva ex-
,, trinseca, quæ operationes nostras moraliter pos-
,, sunt certificare, ut authoritas Doctorum, exem-
,, pla Majorum, præsumptiones, titulus possessio-
,, nis, consuetudo, tolerantia approbativa Superio-
,, rum in lege humana, regula ab inconvenienti
,, vitando, vel pro majori bono in his, quæ mala
,, sunt, quia prohibita, & similia; ideo sæpius po-
,, terit accidere casus, ut possit admitti in praxi
,, usus opinionis minus probabilis, quæ favet liber-
,, tati, relicta probabiliori opposita, quæ favet præ-
,, cepto. " Ex quibus patet eum a communi sen-
,, tentia nihil admodum discrepare. Quod & cla-
,, rius ostendit capite sequenti, cum pluribus pro-
,, bat, se cum Vasquez, Suarez, Sanchez, de Lu-
,, go, Laymanno, & Escobario plane consenti-
,, re. (1)

,, (1) De Mercoro consule eruditissimi P. Jose-
,, phi Mariæ Gravinæ Dialogos apologeticos supra
,, memoratos.

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

Primus numerus Quæstionem denotat: Secundus Articulum: Tertius Numerum marginalem.

A

Abortum procurans in dubio, an fœtus fuerit animatus, irregularitatem incurrit. 7. 2. 6. *Excommunicatio lata adversus procurantes abortum fœtus animati, effectu secuto, absolvi potest a Confessario ad id specialiter deputato ab Episcopo.* 7. 2. 7. *Sed num etiam a Pœnitentiario? ibid.*

Absolutio Sacramentalis valida est, si conferatur in dubio, an jurisdictio ad talem casum se extendat, etiamsi deinde deprehendatur, casum illum esse reservatum: At si conferatur in dubio, an facultas absolvendi a reservatis fuerit revocata, est invalida, si deprehendatur, quod vere fuerat revocata. 7. 1. 3.

Acceptatio legis præsumitur, non promulgatio, & ideo in dubio, num ea sit promulgata, non obligat; secus vero in dubio, an sit acceptata. 4. 1. 2.

Adulter num teneatur alere filium adulteræ, in dubio, an sit suus filius? 2. 7. 11.

Amor Dei num possit esse peccaminosus in eo, qui putat, se teneri ad illum omittendum ex præcepto superioris? 1. 4. 4.

B

Baptismus conferri non potest infanti ab obstetricibus citra grave periculum mortis. 7. 1. 1. *Nec potest sub conditione deinde rebaptizari infans, qui ab obstetrice citra prudens periculum erroris baptizatus est.* 7. 1. 2.

Beneficium in dubio de tenuitate fructuum, num obliget ad Horas? 3. 2. 2. & 6. 2. 8.

C

Censura in dubio, an lata fuerit a legitimo superiore, aut in dubio, an sit valida, num obliget? 3. 2. 3.

Censura nec in dubio juris incurritur, nec in dubio facti. 7. 2. 1. *In dubio tamen, an sit justa, an lata sit servato ordine juris, an detur excusatio sufficiens, debes te gerere tanquam ea innodatum. ibid. Secus vero, si dubitetur, an habeat potestatem ferendi censuras superior, qui non est in possessione suæ prælaturæ. ibid.*

Clerici percussio levis trahit excommunicationem, quæ ab Episcopo absolvi potest; at Papæ est reservata non solum si percussio sit gravis, sed etiam quando dubitatur, sit, necne gravis, an levis. 7. 1. 3.

Communicare mane num possit, qui dubitat, an comederit post mediam noctem? 4. 8. 5. & 6. 1. 3.

Conjux bona fide possidens matrimonium, posita æquali probabilitate circa mortem prioris conjugis, potest debitum petere, ac reddere. 1. 6. 4.

Conjux num, & quando teneatur debitum reddere illicite petenti? 4. 5. 4. & 7. 1. 11. *Num possit petere, ac reddere in dubio de matrimonii validitate?* 7. 1. 9. *Et quid, si uterque dubitet?* 7. 1. 10.

Conjux, qui transiit ad secundas nuptias, dubitans de morte prioris conjugis, num possit petere, aut reddere debitum? 1. 3. 4.

Conscientia quid, & quotuplex sit? 1. 1. 1. *In quo differat a SynthERESi?* 1. 1. 2. *Potest esse probabilior conscientia minus tuta, quam tutior.* 1. 1. 6.

Conscientia dubia quotuplex? 1. 2. 4. *Speculativa in quo differat a practica, & a practice practica? ibid. Cum conscientia speculative dubia licitum est operari, non vero cum practice dubia.* 1. 3. 1. *Quomodo dubium speculativum deponi possit practice?* 1. 3. 4.

Conscientia perplexa. V. Perplexitas.

Consilium in dubio an influxerit in homicidium, quid faciendum? 3. 2. 3. *Trahitne onus restitutionis, aut irregularitatem?* 7. 2. 8.

Cooperans ad damnum alienum, si dubitet, an ex tali sua cooperatione damnum sit secutum, num ad restitutionem teneatur? 2. 6. 2.

Culpa juridica levissima, lata, aut latissima in quibusnam contractibus denotet culpam gravem theologicam? 2. 7. 2.

Culpa theologica interne gravis, sed externe levis causans damnum grave, num trahat onus restitutionis? 2. 7. 3.

D

Dispensatio in dubio universim presse interpretanda. 5. 1. 1. *Secus vero potestas dispensandi, nisi tamen vergat in præjudicium tertii.* 5. 1. 2. *Potestas dispensandi alicui delegata in gratiam alicujus personæ determinatæ stricte est interpretanda, non tamen si delegetur in gratiam illiusmet, & pro personis indeterminatis.* 5. 1. 3.

Dispensatio num sit valida, in dubio de potestate dispensatis? 5. 2. 2. *Quid in dubio de sufficientia causæ?* 5. 2. 3. *Et quid in dubio, an verba dispensationis hunc casum comprehendant?* 5. 2. 5. *Quid demum, si dubitetur, num causa aut tacita, aut falso expressa fuerit finalis, an impulsiva?* 5. 2. 6. & 6. 2. 7.

Dispensatio, deficiente causa finali, est irrita. 5. 3. 2. *Si communi errore cum titulo colorato aliquis putatur esse superior, dispensatio est valida.* 5. 3. 1. *In dubio, an detur causa sufficiens, vel an dispensatio se extendat ad talem casum, si bona fide procedatur, dispensatio est valida, quamvis deinde oppositum deprehendatur.* 5. 3. 3. *Secus vero si deprehendatur, illum non fuisse superiorem.* 5. 3. 1.

Dispensatio ad contrahendum matrimonium, in dubio, an sit valida, quid faciendum? 3. 2. 3.

Dubia fide rem accipiens peccat contra justitiam. 2. 4. 1. *si tamen non possit dominus reperiri, ad quid tenetur?* 2. 4. 2.

Dubitans, num operatio sit graviter, an leviter mala, peccatne mortaliter, si cum tali dubio operetur? 1. 3. 6.

Dubitans, an suo suffragio cooperatus sit ad damnum alterius, num debeat restituere? 2. 7. 11.

Dubitans, an debito satisfecerit, num teneatur integre, an solum partialiter iterum satisfacere? 2. 7. 4. *Et quid si dubium sit positivum?* 2. 7. 7.

Dubitans positive, an res, quam occupat, sit aliena, comparente domino, restituere illam tenetur, tamquam possessor bonæ fidei. 2. 5. 3. *Quod si illam emisset animo inquirendi dominum, poterit pretium repetere.* 2. 5. 4. *Sed quid, si sit excessivum? ibid.*

In dubio, num ex propria cooperatione damnum sit secutum, quandonam datur onus compensandi tale damnum? 2. 6. 5.

In dubio, an consilium datum influxerit solum ad citius damnificandum, num detur aliqualis restituendi obligatio? 2. 6. 7.

In dubio aliarum virtutum a justitia, num tutior pars eligenda sit, an vero melior sit conditio possidentis? 3. 1. 1.

In dubio melior est conditio possidentis, & In dubio tutior pars eligenda est, sunt duo axiomata, quæ sibi invicem non adversantur. 3. 1. 7.

In dubio legis, voti, juramenti num ea obligent? 4. 1. 1. *Sicut etiam in dubio, an lex sit promulgata, acceptata, abrogata? Et in dubio, an detur excusatio sufficiens?* 4. 1. 2.

In dubio, an lex sit promulgata, cur non obliget? Et cur obliget in dubio, an sit acceptata? 4. 1. 2.

In dubio, an pro tali casu lex obliget, ea non dicitur esse in possessione; secus vero in dubio, an res præcepta sit illicita, aut excedat potestatem superioris? 4. 3. 1.

In dubio de honestate operis non obligat votum; obligat tamen præceptum superioris. 4. 3. 4. *Si tamen superior non præcipiat, sed opinetur solum, quod sit licitum opus, de quo subditus negative dubitat, an sit honestum, citra culpam nequit illud poni.* 4. 3. 5.

In dubio, num res præcepta in virtute obedientiæ sit gravis, an levis, leviterne, an graviter obligat? 4. 4. 5. *Et in dubio de legitima superioris potestate, an sit obediendum?* 4. 7. 1.

In dubio melior est conditio possidentis aliquid bona fide in materia justitiæ, ita ut possit integre res possessa retineri, si dubium superveniat. 2. 1. 4. *Hoc axioma etiam verum est in materia aliarum virtutum.* 3. 1. 4. *Quid si dubitans magis inclinet ad dicendum, quod res possessa sit aliena?* 2. 1. 8. *Et quid, si solum sit probabile, quod ea res sit aliena, sine ulla probabilitate, quod sit propria? ibid. Si res a neutro possideatur, est dividenda.* 2. 2. 2. *Quid si sit individua? ibid.*

In dubio, an res bona fide a Titio possessa sit alterius, poteris post adhibitam diligentiam illam emere, ac vendere. 2. 2. 4. *At comparente domino, quid restituendum?* 2. 3. 1.

In dubio, an possit Episcopus dispensare, num recurrendum sit ad Pontificem? 5. 3. 4.

In dubio, num delictum pertineat ad Forum Ecclesiasticum, an ad Seculare, Judex Ecclesiasticus id decernet. 5. 3. 9.

In dubio voti, vel juramenti, aut aliarum materiarum V. proprias materias.

Dubium aliud negativum, aliud positivum. 1. 2. 2. *Aliud formaliter, aliud objective dubium. ibid.*

Dubium est positivum, si pro utraque parte sint æquales rationes circa jus. 1. 2. 6. *Et probabiliter etiam circa factum; Ut duo horologia, quæ signum mediæ noctis dant diversum.*

Dubius in fide formaliter num sit infidelis? 1. 2. 3.

E

Emens rem furtivam animo inquirendi dominum, poteritne pretium ab hoc repetere, si compareat? 2. 5. 4.

Emens rem in dubio, an sit furtiva, ad quid tenetur? & an Confessarius debeat hunc ad restitutionem integram obligare? 2. 5. 6. *Emens rem a possessore bonæ fidei, sed dubitans, an sit aliena, poterit illam sibi retinere, donec dominus compareat.* 2. 5. 5. *Emens fragmenta vestium a sartoribus num ad restitutionem teneatur?* 2. 5. 7.

Emi non possunt res in dubio, an sint furtivæ; at possunt eædem emi ab eo, qui bona fide illas prius emerat. 2. 5. 5.

Epicheja quid sit? Et quandonam locum habeat, ut excuseris a legis obligatione? 4. 1. 3.

Epicheja licitum est uti, si solum probabile sit, nolle superiorem in tali casu obligare. 4. 1. 2.

Epichejæ presse dictæ non est capax lex naturalis, sed solum simplicis interpretationis. 4. 2. 3. *Lex vero divina capax est epichejæ solum relate ad verba legis, num scilicet talem casum comprehendant? Non vero relate ad mentem Dei.* 4. 2. 5.

Epicheja non habet locum, nisi quatuor adsint conditiones. 4. 2. 4. *Ejusque usus non requirit, quod finis legis cesset contrarie, sed satis est, quod cesset negative.* 4. 2. 2.

Episcopus num possit in dubio Regularium privilegia interpretari? 5. 3. 9.

Episcopus num possit in legibus Pontificiis dispensare in casu urgentis necessitatis? 5. 3. 5. *Et an etiam in impedimentis matrimonii, aut in irregularitate? ibid. In dubio, an possit Episcopus dispensare, num recurrendum sit ad Pontificem?* 5. 3. 4.

Excommunicatio propter abortum fœtus animati, effectu secuto, quæ absolvi potest a Confessario specialiter deputato ab Episcopo, num absolvi possit a Pœnitentiario, aut ab alio habente facultatem ab Episcopo absolvendi ab omnibus sibi reservatis? 7. 2. 7.

Extrema unctio, quæ ratione morbi probabiliter gravis confertur ægroto, num valide collata sit, itaut ingravescente ægritudine reiterari non possit, si deprehendatur, quod tunc morbus non fuisset gravis? 7. 1. 6.

F

Finis legis adæquatus satis est, quod universim solum cesset negative, ut cesset legis obligatio. 4. 2. 2. *Nec obligat lex in casu particulari, in quo finis legis cessat contrarie. ibid.*

Finis

Finis voti, si partialiter cessat, num cesset simpliciter voti obligatio? 6. 2. 6.
Fructus rei alienæ, quos dominus percepisset, quandonam restitui debeant? 2. 5. 2.
Furioso domino reddens gladium in damnum proximi, num peccet etiam contra justitiam? 2. 3. 1.

G

Gabella, in dubio, an sit justa, num sit solvenda? 3.2.3. *Et quid, si dubium sit positivum?* 4. 6. 3.

H

Hæreditas num possit præoccupari in dubio proprietatis? 1. 6. 6.
Hæreticus habendus est, tam qui dubitat in fide objective, quam qui formaliter, suspendendo deliberate omnem assensum. 1. 2. 3.
Homicidium, aut aliud damnum in dubio, an ex propria culpa acciderit, quid faciendum? 3. 2. 3.

I

Ignorantia vincibilis quandonam est peccatum speciale aperiendum in Confessione? 1. 5. 5.
Infantes non debent ab obstetricibus baptizari, si non sint in gravi mortis periculo. 7. 1. 1. *Nec possunt deinde hujusmodi infantes ab obstetricibus baptizati sub conditione rebaptizari, si non detur prudens motivum, quod istæ potuerint errare.* 7.1.2.
Inventor rei, cujus dominus reperiri non potest, teneturne illam dare pauperibus? 2. 5. 1.
Irregularitas num incurratur ab homicida, qui peccavit quidem graviter occidendo, culpa tamen, quæ interne fuit gravis, externe fuit levis? 2.7.3.
Irregularitas in dubio, an consilium datum influxerit ad homicidium, num incurratur? Et quid, si dubium sit positivum? 2. 7. 10.
Irregularitas in dubio non incurritur, nisi tantum in dubio homicidii. 7. 2. 2. *Non tamen in dubio mutilationis.* 7.2. 3. *In dubio, num homicidium fuerit voluntarium, an casuale, præsumitur casuale, ut proinde, si sit occultum, possit ab Episcopo irregularitas dispensari.* 7. 2. 4. *Irregularitas non incurritur in dubio, an fuerit apposita causa ad homicidium; secus vero, si dubitetur, an homicidium sit secutum a causa apposita.* 7. 2. 5. *Quid, si dubitetur de homicidio secuto, puta si dubitetur, an abortus procuratus fuerit fœtus animati?* 7. 2. 5. *Irregularitas non incurritur in dubio, an datum sit consilium; Secus vero, si dubitetur, an consilium datum influxerit in homicidium.* 7.2.7. *In bello injusto omnes sunt irregulares, si dubitetur, quinam miles ad homicidium influxerit, secus vero in bello justo.* 7.2.10.
Irregularitas quare incurratur, etiam in dubio homicidii? 3. 1. 8.
Irritatio votorum. V. Votum.
Jurisdictio probabilis satis est ad absolutionem sacramentalem conferendam. 1. 1. 6. *Quid, si jurisdictio sit dubia?* 6. 1. 4.
Jurisdictio relate ad absolvendum ab aliquo reservato, quandonam sufficiat ad licite absolvendum, si de illa dubitetur? 3. 2. 2. & 7. 1. 3.
Jurisdictio collata ad absolvendum a reservatis per mensem, num possit exerceri post illum mensem, relate ad reservata eo mense commissa? 7. 1. 4.
Judex, posita æquali probabilitate pro utraque parte, tenetur rem dividere; non tamen privatus, aut Confessarius. 1. 6. 5. & 2. 1. 1.

L

Lex in dubio, an ratione ætatis, vel temporis obliget, quid faciendum? 4. 8. 5.
Lex lata in dubio num obliget sub gravi, an sub levi, quid dicendum? 4. 8. 2. *Et quid si dubitetur de intentione Legislatoris, posita materiæ gravitate? ibid. Quid in dubio, num lex habeat rationem præcepti, an consilii?* 4. 8. 1. *Et quid si dubitetur num statutum aliquod habeat rationem legis obligantis, an meræ directionis? ibid.*
In Lege Canonica verbum præceptivum indicat obligationem gravem; secus vero in lege civili. 4. 8. 3.
Leges, quæ non obligant ad culpam, adhuc obligant saltem ad luendam pœnam, si imponatur; ut sunt regulæ plurium Religionum. 4. 8. 1.

M

Mancipia emi non possunt ab asportantibus in dubio, an injuste ad servitutem redacta sint. 1. 5. 5. *Poterunt tamen cum tali dubio emi ab eo, qui bona fide ab asportantibus emerat. ibid.*
Matrimonium num possit contrahi in dubio, an valida fuerit dispensatio obtenta pro aliquo impedimento? 3. 2. 3.
Miles dubitans de justitia belli num possit pugnare? 3. 2. 3.
Miles subditus pugnare tenetur in dubio de belli injustitia. 4. 3. 2.
Miles non subditus pugnare non potest, si non detur probabilitas de belli justitia: Subditus vero tenetur pugnare, etiam si detur ratio probabilis de belli injustitia. 4. 7. 4.
Moniales num teneantur Abbatissæ obedire in dubio, an res præcepta excedat ejus potestatem? 4. 7. 4.

O

Obedire num teneamur in dubio, an res præcepta sit licita? 4.3.1. *Ut subditus non teneatur obedire, triplex certitudo requiritur.* 4. 3. 6. *Probabiliter non tenetur subditus obedire in dubio, an opus præceptum sit illicitum, aut excedat potestatem præcipientis, quando illud est nimis arduum.* 4. 3. 7. *Immo si opus in tali dubio præceptum vergat in grave damnum alterius, non poterit subditus obtemperare.* 4. 3. 9. *Subditus aliquando non tenetur obedire, quamvis licite superior præcipiat.* 4. 3. 1. *Num Religiosus, utpote subditus voluntarius, obedire teneatur in dubio, an res præcepta*

cepta potestatem superioris excedat? 4. 4. 1. *Num pariter qui votum simplex emisit extra statum Religionis?* 4. 4. 5. *Num etiam Moniales? ibid.*

Obedire num teneatur subditus, quando tam ipse, quam superior dubitant de honestate rei præceptæ? 4. 5. 1. *Et quid, si probabiliter res præcepta sit illicita?* 4. 6. 1. *Quid in dubio de legitima superioris potestate?* 4. 7. 1.

Ordo Presbyteratus quandonam iterari debeat in dubio de ejus validitate? 7. 1. 7.

P

Peccatum ex conscientia dubia commissum ejusdem speciei est, ac illud, de quo dubitatur. 1. 5. 1. *Sicut etiam ejusdem speciei est peccatum contra conscientiam rectam, & contra erroneam circa idem objectum.* 1. 5. 2. *Peccatum non est duplex, si violetur verum præceptum, & si quid fiat contra conscientiam erroneam circa idem.* 1. 5. 3. *Quamvis pœnæ latæ contra præceptum verum violantes non incurrantur ab eo, qui adversus conscientiam erroneam operatur.* 1. 5. 4.

Peccatum minus citra culpam eligitur, inquantum minus est, non vero inquantum est malum. 1. 4. 5.

Peccatum ex ignorantia vincibili commissum universim non est diversum ab eo, de quo dubitatur. 1. 5. 5. *Quandonam ignorantia vincibilis est peccatum speciale clavibus subjiciendum? ibid.*

Peccatum dubium dubietate negativa, nedum positiva probabiliter non est clavibus subjiciendum; secus vero si pro peccato dubio veniat illud, quod probabiliter est commissum sine probabilitate in oppositum. 2. 1. 8., & 7. 1. 5.

Peccati gravitas non semper mensuratur a præstantia virtutis, cui opponitur.

Periculo peccandi materialiter quonam pacto possit aliquis se exponere citra peccatum formale? 3. 1. 5.

Perplexitas num dari possit? 1. 4. 2., *An operans cum conscientia perplexa peccet? ibid. An peccet eliciendo amorem Dei, qui putat, teneri ex præcepto superioris ad illum omittendum?* 1. 4. 4.

Pontifex est legitimus Judex in lite vertente inter ipsum, & Reges. 5. 3. 9.

Possessio in dubio aliquando non favet Possidenti. 3. 2. 6.

Possessio in dubio facti stat pro parte negante factum. 3. 2. 6. *Non tamen quando illud præsumitur. ibid.*

Possessio legitima quomodo definiatur a Juristis? 2. 4. 3.

Possessio quando dubitatur num stet pro libertate, an pro lege, inspiciendum utra tempore præcesserit. 3. 2. 2. *Inspiciendum etiam pro qua parte stet Juris, seu fori externi præsumptio.* 3. 2. 4.

Possessor bonæ fidei in quo differat a Possessore malæ fidei? 2. 1. 2.

Possidens rem cum dubio, an sit aliena, si cœpit rem illam possidere cum tali dubio, æquiparatur possidenti mala fide; si vero dubium superveniat, nec possit vinci, æquiparatur possidenti bona fide. 2. 4. 4. *Occupans tamen rem cum tali dubio, sed cum animo inquirendi Dominum, si hic non compareat, poterit illam sibi retinere; at si compareat, quid restituere tenetur?* 2. 5. 2.

Præscribere probabiliter potest, qui de re bona fide possessa dubitat, an sit aliena, quin dubium vincere possit? 2. 3. 1.

Præsumptio, quæ solum est probabilis, habetur pro nulla. 2. 2. 5.

Præsumptio Juris quid sit? & unde desumatur? 3. 2. 5.

Pretium in quibus casibus succedit loco rei? 2. 3. 3.

Privilegium in dubio late interpretandum, si non sit in præjudicium Tertii. 5. 3. 1. *Aut si non deroget Juri communi, quando non est onerosum.* 5. 3. 3.

Privilegium de non solvendis decimis ex fructibus prædiorum, num etiam intelligatur relate ad prædia acquirenda? 5. 3. 7.

Privilegio num liceat uti in dubio, an sit revocatum? Et quid, si deinde deprehendatur, quod sit revocatum? 5. 3. 8.

Privilegiorum cofirmatio num præsumatur facta ex certa scientia, an sub forma communi? 5. 3. 7.

Privilegia Regularium num possint Episcopi in dubio interpretari? 5. 3. 9.

Probabilem opinionem sequi possumus, etiam in concursu probabilioris. 1. 6. 6.

Probabilitas quomodo stare possit pro utraque parte, si probabile definitur, quod plerumque contingit. 1. 6. 7.

Probabilitas, quod res ab alio bona fide possessa sit tua, non facit, quod licite possis universim illam tibi usurpare. 2. 2. 3.

Probabilitas, quod res ab alio bona fide sit possessa, in nonnullis casibus permittit probabiliter, quod possis illam tibi usurpare, aut occulta compensatione uti, videlicet si titulus sit certus, & non mere probabilis. 2. 2. 3.

Probabiles rationes circa jus, si sint æquales pro utraque parte, pariunt dubium positivum; & probabiliter etiam h. m. dubium pariunt, si sint æquales circa factum. 1. 6. 3.

Probabilioristarum ratiocinationes, quibus suadere conantur in dubio extra materiam justitiæ tutiorem partem eligendam esse. 3. 1. 1.

R

Regulæ, quibus uti debet scrupulosus, ne scrupulis angatur. 8. 3. 5.

Regulæ traduntur ad dignoscendum, pro qua parte stet possessio, pro libertate ne, an pro lege? 3. 2. 1.

Religiosus, cum sit subditus voluntarius, num obedire teneatur in dubio, an res præcepta excedat potestatem Superioris? 4. 4. 3. *Num etiam, qui votum simplex obedientiæ extra statum Religionis emisit.* 4. 4. 3. *Num etiam Moniales? ibid.*

Restituere num teneatur qui dubitat, an ex proprio

prio suffragio injusta sententia conclusa sit? 2. 7. 11.

Restituere num iterum integre teneatur, qui dubitat, an suo debito satisfecerit? 2. 7. 4. Et quid si dubium sit positivum? 2. 7. 7.

Restituere num teneatur Depositarius, aut Commodatarius in dubio, an ex propria culpa res deposita, aut commodata perierit? 2. 7. 1.

Restituere num teneatur qui suborto dubio, quod res possessa sit aliena, omisit culpabiliter veritatem inquirere? 2. 3. 7.

Restituere num teneatur, qui dubitat etiam negative, an ex propria cooperatione damnum sit sequutum? 2. 7. 3. Et an si dubitet, num consilium datum influxerit solum ad citius damnificandum? 2. 6. 7. Si duo concurrant ad damnum inferendum, itaut adhuc damnum inferendum esset ab uno illorum, si alter deesset, quandonam uterque ad restitutionem obligabitur? ibid.

Restitui ne debeat Pauperibus res aliena a possessore bonæ fidei, quando Dominus reperiri non potest? 2. 3. 6.

Restituine possit furi ad pretium recuperandum res furtiva bona fide possessa, si Dominus compareat? 2. 3. 9.

Restitutio ex injusta acceptione pro foro interno non datur sine culpa Theologica. 2. 7. 2.

Restitutio aliter est facienda a vendente bona fide rem furtivam, Domino comparente; aliter vero a permutante illam. 2. 3. 4. Sicut etiam aliter ab emente illam bona fide, aliter a dono eandem accipiente. 2. 3. 5.

Restitutio diversimode facienda est a possessore rei alienæ bona fide, ac a possidente mala fide. 2. 3. 8.

Restitutionis onus num detur ex culpa Theologica contra Justitiam interne gravi, sed externe levi? 2. 7. 3.

Reus, ac Testis in dubio, an juridice interrogentur, num teneantur respondere? 3. 2. 3. & 4. 7. 5.

S

SArtores quandonam possint sibi retinere, ac vendere fragmenta vestium? 2. 5. 7.

Scrupulus quid sit; & quos actus involvat? 8. 1. 1. Haberi potest scrupulus non solum per judicium levibus motivis nixum, sed etiam per simplicem apprehensionem trahentem Judicii suspensionem, & animi angustias. 8. 1. 3. Principaliter est in intellectu, trahit tamen in voluntate timorem, ac animi perturbationem. 8. 1. 5.

Scrupulosi animi indicia quænam sint? 8. 1. 4.

Scrupulosus non solum licite potest, sed etiam aliquando tenetur non deposito scrupulo adversus illum operari. 8. 2. 2.

Scrupulorum causæ tam corporales, quam spirituales, tum intrinsecæ, tum extrinsecæ. 8. 3. 1.

Scrupulis occurrendum remediis naturalibus, moralibus, ac supernaturalibus. 8. 3. 5. Traduntur regulæ, quibus uti debet Scrupulosus, ne scrupulis angatur. ibid.

Sponsalia num possint rescindi ab altero ex Sponsis, cui defectus notabilis innotescit, in dubio, an eo cognito adhuc ea celebrata fuissent? 7. 1. 8.

Subditus. V. Obedire, & V. Religiosus Subditus.

Superior aliquando potest licite præcipere, etiamsi Subditus non teneatur obtemperare. 4. 3. 10. Potest etiam punire Subditos inobedientes, quamvis isti forte coram Deo non peccent. 4. 7. 3.

Superior peccat, si dispenset in dubio, an detur causa ad dispensandum: Sed quid in dubio, an causa, quæ datur, sit sufficiens? 5. 2. 4.

Superioris præceptum quomodo possit per accidens reddere licitum opus præceptum, quod de se est illicitum, per hoc quod dubitetur, an liceat? 4. 3. 3.

Synteresis in quo differat a conscientia? 1. 1. 2.

V

VEnditio rei furtivæ bona fide possessæ claudicat; Permutatio vero talis rei non claudicat; & ideo comparente Domino hujus rei furtivæ, venditio non est rescindenda; secus vero permutatio. 2. 3. 4. Sicut dispar est ratio inter emptorem rei furtivæ, & donatarium, quamvis ea res bona fide sit empta, aut dono accepta. 2. 3. 5.

Vendens rem bona fide possessam post dubium subortum, quod ea sit aliena, debet monere emptorem de tali dubio. 2. 3. 1.

Vendens rem alienam bona fide possessam, comparente Domino, qui non possit rem suam recuperare, num debeat illi pretium acceptum restituere? 2. 3. 2.

Vota Filii num possint a Patre irritari in dubio, an fuerint ante ætatem requisitam emissa? 2. 3. 3.

Vota irritandi potestas quibusnam competat, & quo jure? 6. 3. 1. Irritari potest a Patre votum etiam in dubio, an Filius illud post pubertatem emiserit. 6. 3. 2. Esto in dubio, an votum ante, vel post septennium quis emiserit, illo teneatur. 6. 3. 4. Irritatio, quæ licite fit a Patre in dubio, an Filius votum post pubertatem emiserit, si deinde deprehendatur, quod vere votum post pubertatem emissum sit, erit invalida. 6. 3. 7. Quamvis ex opposito dispensatio in voto, facta ab Episcopo dubitante, an votum illud sit Pontifici reservatum, aut absolutio a peccato collata a Confessario, in dubio an illud esset reservatum, retinent valorem suum, etiamsi deinde deprehendatur, quod votum illud esset Pontifici reservatum; aut deprehendatur, quod reservatum esset revera peccatum illud licite in eo dubio absolutum. 6. 3. 8. Quod si habens privilegium absolvendi a reservatis ab his absolvat (uti potest) in dubio, an privilegium istud revocatum fuerit, irrita erit absolutio, si deinde deprehendatur vere Privilegium fuisse revocatum. 6. 3. 9.

Votum in dubio, an fuerit emissum ante septennium, num obliget? 3. 2. 3. & 4. 8. 7.

Votum non obligat in dubio, an res promissa sit licita; contra vero præceptum obligat in dubio, an sit illicita res præcepta. 4. 3. 4.

Votum in dubio, an sit emissum, non obligat. Idemque dicas de juramento. 6. 1. 6. Obligat tamen, si detur solida probabilitas, quod sit emissum citra

tra ullam probabilitatem in oppositum. 6. 1. 2. *Sicut etiam, si dubium non sit de voto, sed de animo se obligandi*. 6. 1. 4. *Aut dubium solum sit, an fuerit emissum ante septennium*. 6. 1. 6. *Quid si vovens dubitet de materiæ honestate?* 6. 1. 6. *Aut si dubitet, num materia licita evaserit illicita, aut inepta?* 6. 1. 2. *In dubio, num duplex materia promissa sit copulative, & per modum unius, an vero divisive, & per modum plurium, assignatur regula ad id decidendum*. 6. 2. 2., & 6. 2. 7.

Votum jejunandi singulis diebus Veneris, an obliget in pervigilio Nativitatis Domini incidente in talem diem? 6. 2. 2.

Votum pœnale num obliget ad pœnam toties, quoties illud violatur? 6. 2. 5.

Vovens ingredi Religionem an teneatur ad castitatem, si illam ingredi non possit? 6. 2. 4.

F I N I S.

Ad majorem Dei gloriam, ac Deiparæ sine labe Conceptæ.

P. DOMINICI VIVA
SOCIETATIS JESU
OPUSCULA THEOLOGICO-MORALIA.
OPUSCULUM TERTIUM
DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS,
UBI
DE SIMONIA.

INDEX QUÆSTIONUM,

Quæ in hoc Tertio Opuſculo continentur.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS, Ubi plurima de SIMONIA.

QUÆSTIO PRIMA.

De Dotibus in Beneficiario requiſitis. 5

ART. I. *Quid, & quotuplex ſit Beneficium? Unde ejus inſtituto, & origo?* 6
II. *Utrum innodatus Cenſura incapax ſit Beneficii?* 7
III. *De irregularitate, & aliis impedimentis inhabilitantibus ad Beneficia.* 10
IV. *De Ætate, & Ordine in ſingulis Beneficiis requiſito.* 13
V. *De Scientia, & Probitate Beneficiarii.* 15

QUÆSTIO II.

In quoſnam uſus expendi poſſint fructus Beneficii? 16

ART. I. *An Beneficiarii ſint domini fructuum ad congruam ſuſtentationem neceſſariorum?* ibid.
II. *Quænam dicatur congrua Beneficiarii ſuſtentatio?* 18
III. *An Beneficiarius ſit dominus etiam fructuum, qui congruæ ſuſtentationi ſuperfluunt?* 20
IV. *Quandonam Beneficiarii, & quando Laici graviter obligentur ad eleemoſynam de ſuperfluis ſtatui?* 21
V. *Utrum etiam jure naturali obligentur Beneficiarii expendere ſuperflua in uſus pios?* 26
VI. *An etiam Beneficiarii Religioſi ſint domini omnium fructuum Beneficii?* 28

QUÆSTIO III.

De Oneribus Beneficiariorum, ac præſertim de Reſidentia. 30

ART. I. *An Paſtores jure divino ad Reſidentiam obligentur?* ibid.
II. *Quid diſpoſuerit Jus Canonicum in ordine ad Paſtorum reſidentiam?* 32
III. *De pœnis non Reſidentium.* 34
IV. *Quibuſnam reſtituendi fructus a non Reſidentibus?* 43
V. *An Beneficiarii non habentes curam animarum ad reſidentiam obligentur?* 44
VI. *De onere Beneficiariorum Horas recitandi.* 45
VII. *De Habitu, & Tonſura Beneficiariorum.* 48

QUÆSTIO IV.

De Jure patronatus, de Electione ad Beneficia, de Poſtulatione, Collatione, Inſtitutione, & Confirmatione. 50

ART. I. *Quid, & quotuplex ſit, & quid ferat Juſpatronatus?* ibid.
II. *Qualem debeat Patronus præſentare?* 51
III. *De Electione, Poſtulatione, Inſtitutione, Confirmatione, & aliis ad Beneficia ſpectantibus.* 53

QUÆSTIO V.

De Simonia ad rem Beneficiariam spectante.

Quid universim ea sit? Et per quid constituatur? 54

ART. I. *Quid sit Simonia?* ibid.
II. *Num donatio gratuita rei temporalis pro obtinendo spirituali Simoniam contineat?* 55
III. *An donatio conditionata rei temporalis pro spirituali, aut e converso, sit simoniaca?* 56
IV. *An contractus reciprocus, quo temporale datur pro spirituali, sit simoniacus?* 58

QUÆSTIO VI.

De multiplici Simonia, ac de ejus malitia. 61

ART. I. *De Simonia Mentali, Conventionali, & Reali.* ibid.
II. *De Simonia Juris naturalis, & Ecclesiastici.* 63
III. *Num Simonia non solum virtuti religionis, sed etiam justitiæ adversetur?* 65
IV. *Num detur in Simonia materiæ parvitas excusans a mortali?* 66

QUÆSTIO VII.

De Simoniæ materia, quæ sit aut spiritualis secundum se, aut spirituali annexa. 68

ART. I. *De Simoniæ materia, quæ sit secundum se spiritualis.* ibid.
II. *De Simoniæ materia, quæ sit temporale annexum spirituali.* 70

QUÆSTIO VIII.

De Simonia Juris naturalis in re Beneficiaria. 72

ART. I. *Sitne invendibile jure naturali Beneficium?* ibid.
II. *An possit jure naturali vendi Juspatronatus?* 73
III. *Possitne vendi, aut redimi Pensio citra Simoniam juris naturalis?* 74
IV. *Num vendi possint citra Simoniam Commendæ?* 75
V. *Quid de Judicatura temporali, & spirituali Episcoporum?* 76

QUÆSTIO IX.

De Simonia Juris Ecclesiastici in re Beneficiaria. 77

ART. I. *Quomodo omne pactum in re Beneficiaria jure Ecclesiastico prohibeatur, adeo ut imbibat Simoniam?* ibid.
II. *Quænam permutatio Beneficiorum sit Simoniaca?* ibid.
III. *Quandonam Beneficiorum resignatio sit Simoniaca?* 79
IV. *An transactio in re Beneficiaria sit a Simoniæ labe immunis?* 80
V. *An redemptio vexationis in re Beneficiaria sit Simoniaca?* 81
VI. *An sit licita emptio intercessionis pro Beneficio obtinendo?* 85

QUÆSTIO ULTIMA.

De Pœnis Simoniacorum. 86

ART. I. *Quandonam acta Simoniace sint invalida?* ibid.
II. *De onere restituendi pretium Simoniace acceptum.* 87
III. *De aliis pœnis Simoniacorum.* 90

OPU-

OPUSCULUM TERTIUM.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS,

Ubi plurima de Simonia.

TRactationem aggredimur innumeris tricis implexam, ac plurimis refertam quæstionibus, ad Scholasticam, ad Moralem, ad Canonisticam spectantibus; ut proinde si in iis omnibus pro merito immorandum esset in hujusce anni prælectionibus, oporteret immensum pelagus intra angustos sinus concludere. Quare ut in hac re suus doctrinæ, & eruditioni detur locus, missis levioribus, quæ apud Summistas facili negotio perquiri possunt, nonnullas ex præcipuis Quæstionibus Theologico-Morali simul, & Canonistica methodo, ac non pernici calamo discutiemus. Et primo quidem pervestigabimus dotes requisitas in Beneficiario. Deinde ad trutinam revocabimus, quæ spectant ad fructus Beneficii, inquirendo, Num Beneficiarii sint domini, an solum administratores talium fructuum, ita ut teneantur in pios usus erogare, quæ superfluunt congruæ sustentationi; Necnon quænam sit congrua Beneficiariorum sustentatio; Et quando Beneficiarii, quando vero Laici mortaliter peccent non elargiendo pauperibus stipem? Tertio loco agemus de oneribus Beneficiariorum, sed præsertim de onere residendi in loco Beneficii ad præstandum personaliter servitium Ecclesiæ debitum; id quippe multum ad praxim, & eruditionem confert. Quarto nonnulla speciatim scitu digna inquiremus de Jurepatronatus. Denique in spatiosum disceptandi campum ingrediemur, agendo fuse de Simonia, præsertim in Re Beneficiaria; in ea quippe multum Theologi desudant ad dignoscendum, quidnam solum speculative persæpe liceat citra labem Simoniæ, dum occasione rei spiritualis aliquid temporale erogatur, quin tamen id liceat practice. Sit itaque

QUÆSTIO PRIMA.

De dotibus in Beneficiario requisitis.

PErstringemus paucis, Quid, & quotuplex sit Beneficium? Unde ejus Institutio, & Origo? Deinde examinabimus dotes proprias Beneficiariorum: cum enim ex Sacris Canonibus, præsertim ex Cap. *Is cui de Præbendis in 6.* dignis, & benemeritis Beneficia Ecclesiastica conferenda sint, plura debent concurrere ad hanc dignitatem constituendam; Præsertim carentia Censuræ, Irregularitatis, & cujusvis alterius Canonici impedimenti, legitimus torus, conveniens ætas, habilitas corporis, morum probitas, scientia debita, Ordo,

seu

ſeu Clericatus, intentio perſeverandi in illo, & aſcendendi ad ſuperiorem, atque his affinia; ideo de ſingulis hic agendum: ac primo quidem, Num innodatus Cenſura ſit Beneficii capax? Deinde agemus de Irregularitate, & aliis impedimentis inhabilitantibus ad Beneficia; Tum de Ætate, & Ordine ſingulis Beneficiis proprio; Ac poſtremo de Scientia, & Probitate in Beneficiario requiſita.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex ſit Beneficium? Unde ejus Inſtitutio, & Origo.

I. *Beneficium quid ſit? Et an Prælatura Regularis ſit Beneficium?*
II. *Penſio Clericalis in quo differat a Beneficio, etiam in ratione perpetuitatis?*
III. *Quid in dubio num Beneficium ſit Regulare, an Seculare?*
IV. *Beneficia duplicia quænam ſint, & quænam ſimplicia?*
V. *Præſtimonia nunc temporis ſunt Beneficia preſſe dicta.*
VI. *Unde inſtitutio, & origo Beneficiorum promanarunt?*

I. BEneficium Eccleſiaſticum eſt jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiæ propter Officium Spirituale authoritate Eccleſiæ conſtitutum; ut colligitur ex cap. *Relatum de Præben.* Quare duo oportet in Beneficio conſiderare: Alterum eſt jus officii, ſeu poteſtas, ac obligatio exercendi functionem ſpiritualem, v. gr. miniſtrandi Sacramenta, recitandi Horas, celebrandi, &c. & hoc eſt omnino ſpirituale, nec dicitur Beneficium, niſi tantum fundamentaliter, eo quod ſit radix, & cauſa Beneficii. Alterum eſt jus percipiendi certos reditus ex bonis Eccleſiaſticis; & hoc eſt proprie Beneficium, quod præſertim in Canonicatibus dici ſolet Præbenda; quamvis aliquando minus proprie ſub nomine Beneficii utrumque ſignificari ſoleat, jus ſcilicet officii, & Præbendæ. Hinc ſequitur Epiſcopatum, v. g. non eſſe proprie Beneficium, ſed officium, ſeu poteſtatem exercendi munera Epiſcopalia, cui annectitur Beneficium tamquam ſtipendium Officii: Generalatum etiam, Provincialatum, & alia Regularium officia, ac dignitates neque eſſe in rigore Beneficia: Quicquid ſit, an pœnæ latæ in Extrav. *de Simon.* adverſus obtinentes ſimoniace Beneficia incurrantur etiam ab obtinentibus ſimoniace quodcumque hujuſmodi munus ſpiritualis regiminis, etiamſi carentis Præbenda. Quod communius affirmant cum Suar., Filliuc. contra Azor., & Bonac. apud Dian. par. 4. reſ. 156. Ex qua quæſtione pendet alia conſimilis, An incurrat excommunicationem, qui eſt mediator in ſimoniaca electione ad Prælaturam aliquam Religionis?

II. Quoniam autem penſio Clericalis (quæ eſt jus percipiendi fructus ex alieno Beneficio, cui annectitur onus recitationis officii B. V.) revera non eſt Beneficium, ex cap. *Quamvis* de *Præbendis* in 6. ut proinde excommunicatus, qui eſt incapax Beneficii, probabiliter non ſit incapax penſionis, ex Hurt., Avil., contra Conin., Suar., Vaſq., apud Dian. loc. cit. reſ. 55. ideo Doctores, ut diſtinguant jus Beneficii a jure Penſionis, docent, primum jus eſſe perpetuum, non vero ſecundum. Variant tamen in explicanda iſta perpetuitate, & dubium oritur, quia perpetuum in jure reputatur, quod ſine cauſa auferri non poteſt, ut notat Sanch. l. 7. cap. 29., cum autem neque jus beneficii, neque jus penſionis ſine cauſa auferri poſſit, ideo utrumque videtur eſſe perpetuum. Quare communius Canoniſtæ, & Theologi diſtinguunt duas perpetuitates in Beneficio: Prima eſt, qua Beneficium perpetuatur in perſona proviſa; & quamvis talis perpetuitas requiratur in Beneficio (unde Beneficia manualia, ſeu quæ ad nutum auferri poſſunt, ut quædam Capellaniæ ſic fundatæ, Vicariatus Epiſcopi, Superioratus Regulares, non ſunt ex Palao rigoroſe Beneficia, nec poteſt aliquis titulo talis Beneficii ſuſcipere ſacros Ordines) ea tamen convenit etiam Penſioni, quæ ſine cauſa auferri non poteſt. Secunda eſt, qua perpetuatur Beneficium in ſeipſo, quod mortuo Beneficiato exigit, ut alteri conferatur; & hoc ſoli Beneficio convenit; cum Penſio mortuo Penſionario non exigat alteri conferri; unde Penſio dicitur extingui, Beneficium vero vacare.

III. Porro multiplex eſt Beneficium; videlicet ſeculare, quod pro ſecularibus, Regulare, quod pro Regularibus inſtitutum eſt, ut ſunt quædam Parœciæ, Prioratus, & Canonicatus Regulares habentes Præbendam; unde ſine diſpenſatione Pontificis nec ſæculare Regulari, nec Beneficium regulare ſæculari conferri poteſt, ex cap. *Cum de Beneficio*, de Præbendis in 6. In dubio tamen præſumitur Beneficium eſſe ſæculare, niſi aliud probetur, vel e ſui prima inſtitutione, vel per poſſeſſionem pacificam quadraginta annorum, quo tempore completur legitima præſcriptio adverſus Eccleſiam.

IV. Dividuntur etiam Beneficia in duplicia, & ſimplicia. Dicuntur duplicia, quæ præeminentiam aliquam, adminiſtrationem, vel juriſdictionem habent; inter quæ alia dicuntur Majora, ut Papatus, Cardinalatus, Epiſcopatus; Alia Media, ut reliquæ Dignitates, Perſonatus, & officia; & alia dicuntur abſolute Duplicia, ut Beneficia Parochialia, ſeu Curata.

Dignitates dicuntur, quæ præeminentiam habent cum juriſdictione in foro externo, ut Archidiaconatus, Præpoſitura, Decanatus, & Abbatiæ, tam ſeculares, quam regulares; necnon Prioratus clauſtrales. Perſonatus vero dicuntur, quæ ſolum habent præeminentiam ſpiritualem ſine juriſdictione, & honorificum locum habent in Eccleſia, in proceſſionibus, &c., ut Cantoriæ, & ſimiles: Quamvis ex Sylveſtro in quibuſdam Eccleſiis Dignitates, & Beneficia Curata vocentur etiam Perſonatus. Dicuntur Officia, quæ adminiſtrationem tantum habent, ut eſt Officium Theſaurarii Eccleſiæ, ſeu Sacriſtæ, Primicerii, qui Diaconis præeſt, Archipresbyteri, qui Presbyterorum curam habet, illorum confeſſiones audiendo, Cuſtodis &c. de quibus omnibus ſtandum eſt conſuetudini loci. Demum Beneficia Curata dicuntur, quæ curam habent animarum, nec Dignitatem habent annexam, aut juriſdictionem in foro externo. Omnia autem hæc dicuntur Duplicia, quia præter onus recitandi horas omnibus Beneficiis commune, habent etiam

vel

vel jurisdictionem in foro externo circa Clericos, ut dignitates, vel præeminentiam sine jurisdictione, ut Personatus, vel administrationem, ut officia, vel curam animarum, ut Parochialia.

V. Simplicia dicuntur, quæ solum instituta sunt ad preces Deo persolvendas, & ad Altaris servitium, ut Canonicatus (etiam Ecclesiæ Cathedralis ex Nav., & Less.) Cappellaniæ auctoritate Episcopi, aut Papæ erectæ, & Præstimonia, quæ sunt Beneficia pro studiosis instituta, ut sua studia prosequi possint, quibus jam Pius V., ut notat Palaus, addidit pensum horarum Canonicarum, unde quicquid olim fuerint, nunc sunt rigorose Beneficia.

VI. Quod attinet ad Institutionem, & Originem Beneficiorum, notandum fundari ea nunc auctoritate Papæ, vel Episcopi, assignando reditus sufficientes ad sustentationem Beneficiarii: Ita tamen, ut qui vel fundum donat, in quo Ecclesia Beneficii ædificetur, vel Ecclesiam suis expensis ædificat, aut dirutam reædificat, vel dotem congruam assignat, evadat Patronus talis Beneficii, & jus habeat præsentandi personam ab Episcopo instituendam ad illud, ut constat ex cap. *Nobis de Jure patr.* Origo vero Beneficiorum ea fuit. Christiani vendere solebant prædia sua, eorumque pretia Apostolis offerre, ut per Diaconorum manus singulis distribuerentur, prout oportebat, ut constat ex Actibus Apostol. Deinde magis expedire visum fuit, ut ipsamet prædia Ecclesiis donarentur ad Ministrorum in commune viventium sustentationem: Cessante vero communi Clericorum vita, & charitate refrigescente, proventus Ecclesiastici in quatuor partes dividi cœperunt, ut habetur in Concilio Romano II. quarum prima erat pro mensa, seu pro Episcopi sustentatione, secunda ad Ecclesiæ fabricam deputata, tertia ad pauperes, & peregrinos erat distribuenda, quarta mensæ Capitulari relicta, ut Clericis, & Canonicis pro singulorum meritis dispensaretur; Ex qua portione tempore Sylvestri Papæ erecta sunt Beneficia. Quia vero successu temporis portio pauperibus debita confusa est cum portione Beneficiatorum, ideo hac in re instituitur quæstio, An Beneficiarii, (& eadem est ratio de Pensionariis) sint Domini fructuum Beneficii, an vero Administratores, & Usuarii tantum? ita ut reditus propriæ sustentationi superfluos erogare teneantur ad alendos pauperes? quod in secunda quæstione discutiemus.

A R T I C U L U S II.

Utrum innodatus Censura incapax sit Beneficii?

I. *Beneficium ante excommunicationem obtentum per illam non amittitur.*
II. *Num fructus Beneficii ante sententiam Judicis per excommunicationem amittantur?*
III. *Novi Beneficii incapax est excommunicatus; idque verum est etiam si quis suam censuram ignoraret.*
IV. *Esto novi Beneficii collatio facta fuerit ante excommunicationem, adhuc acceptatio est invalida.*
V. *Finis quippe legis attendendus magis, quam verba legis, qua de causa non raro lex pro uno casu disponens censetur disponere de aliis similibus.*
VI. *Non revalidatur per meram absolutionem collatio Beneficii facta tempore excommunicationis*
VII. *Excommunicatio minor illicitam reddit, non invalidam Beneficii collationem; sicut etiam Præsentationem, & Electionem.*
VIII. *Suspensus ab Officio non est incapax Beneficii; quamvis non possit illud valide aliis conferre.*
IX. *Collatio novi Beneficii facta Suspenso est irritanda, non irrita.*
X. *Interdictus non videtur esse novi Beneficii incapax.*
XI. *Excommunicatus num sicut incapax est novi Beneficii, ita incapax etiam sit Pensionis?*
XII. *Num etiam excommunicatus toleratus sit ad Beneficia inhabilis?*

I. Dico primo. Excommunicatus non privatur Beneficiis ante excommunicationem obtentis.

Probatur, quia talis pœna nullibi reperitur imposita; imo cum capit. *Pastoralis de Appellation.* dicatur posse Excommunicatus privari fructibus, & proventibus Ecclesiasticis, clare supponitur non privari Beneficio.

II. An autem per excommunicationem sine nova sententia privetur fructibus Beneficii? dubium est apud Doctores. Suar. disp. 13. de censur. sect. 2. & Tolet. affirmant, quia in laudato capit. *Pastoralis*, dicuntur proventus Ecclesiastici merito subtrahi illi, cui Ecclesiæ communio denegatur; Vasq. tamen de Beneficiis cap. 3. §. 8. dub. 4., Avila parte 2. cap. 6. & Navar. negant, quia ex verbis dicti canonis solum colligitur posse rationabiliter fructibus Beneficii excommunicatum privari, sicut potest puniri aliis pœnis ad arbitrium judicis, non vero quod iis ipso facto ante sententiam Judicis privetur.

Neque obstat, excommunicatum non posse cum fidelibus communicare, ac proinde nec percipere fructus Beneficii, eo quod ista perceptio requirat communicationem cum aliis. Hinc enim sequeretur, neque posse percipere fructus aliunde provenientes, & debitores non obligari ad solvendum creditori excommunicato, quia solutio debiti exigit communicationem; quod tamen esse falsum, merito docet Less. cap. 16. n. 79. contra Medin., & Sayr. putantes posse debitorem differre solutionem usque ad absolutionem excommunicati. Directe itaque dico, quod sicut non prohibetur excommunicato communicare in cæteris rebus necessariis cum famulis, & ministris, ita neque prohibetur in iis, quæ pertinent ad exigendos fructus debitos ex titulo justitiæ.

III. Dico secundo: Excommunicatus est incapax novi Beneficii obtinendi: Ita in capit. *Postulastis de Clerico excommunicato.*

Probatur, quia cum Beneficium detur propter officium Ecclesiasticum, par est, ut incapax sit Beneficii, qui per excommunicationem extra Ecclesiam, seu communicationem fidelium reperitur. Quod verum est, ut notat Con. disp. 14. dub. 2. etiamsi quis suam excommunicationem ignoret, vel quia putat eam non incurrisse, vel quia putat se absolutum esse. Ratio est, quia ignorantia quamvis excusare possit a peccato, & pœna illi consequente, non tamen reddit habilem ad aliquem actum, ad quem aliquis est inhabilis: v. gr. non valide contrahit matrimonium, qui ignorat suum impe-

impedimentum dirimens. Ita communiter contra Nav. putantem in casu nostro ignorantiam suffragari, eo quod inhabilitas ad Beneficium habeat potius rationem pœnæ in Excommunicato; unde ignorantia excusare potest a tali pœna: Ad eum modum quo ex Sanch. lib. 4. disp. 32. contra Laym. ignorantia irregularitatis, quæ incurritur ex delicto, excusat ab illa, quamvis ferat inhabilitatem ad Ordines; quia scilicet habet rationem pœnæ.

IV. Dubium est, an sicut est invalida collatio Beneficii tempore excommunicationis facta, (sicut etiam electio, aut præsentatio, ut docent communiter Doctores) ita pariter sit invalida acceptatio Beneficii, quando collatio facta fuit ante excommunicationem?

Tolet., & Vasq. dub. 6. de Excom. censent esse validam, quia in dicto cap. *Postulastis*, solum dicitur non posse Beneficium conferri excommunicato, non vero non posse ab illo acceptari; ergo, cum in pœnalibus stricta interpretatio facienda sit, sequitur acceptationem hanc esse invalidam.

Covarr. etiam cum Hurt. Con. disp. 14. de Excomm. dub. 9. probabilius putant esse invalidam, quia Pontifex vult inhabilitare excommunicatum ad Beneficii consecutionem tempore excommunicationis; cum autem non minus per validam collationis acceptationem, quam per ipsam collationem acquiratur jus ad Beneficium, sequitur eodem modo collationem, & acceptationem fore invalidam: Hac enim de causa Doctores communiter docent, non solum collationem Beneficii factam excommunicato esse invalidam, sed electionem, nominationem, & præsentationem ad ipsum, nec non resignationem, & permutationem Beneficii: quamvis in cap. *Postulastis* solum sermo fit de collatione.

V. Ratio ulterior est, quia finis legis, qui est anima legis, magis attendendus est, quam ipsa verba legis. Unde Doctores communiter contra Baldum docent, quod, si Lex prohibeat v. gr. extractionem frumenti, attento fine talis legis, implicite etiam censenda sit prohibita extractio farinæ, & panis; atque adeo contra legem peccat, qui farinam, aut panem extraheret; quamvis pœnam in ea lege taxatam non incurreret, eo quod pœnæ sint restringendæ: Sic lex prohibens v. gr. venditionem alicujus rei sub tali pœna obligat non solum vendentem, sed etiam ementem, quamvis emens pœnam a lege taxatam non incurrat; Et lex obligans eos, qui parochiale beneficium receperint, ut intra annum ad Sacerdotium promoveantur sub pœna privationis officii, & restitutionis fructuum, (ut habetur cap. *Commissa de Electione*) juxta communem Doctorum sententiam extenditur etiam ad eos, qui promoventur ad alia Beneficia, puta ad Canonicatum, vel dignitatem aliquam, ut scilicet intra annum ad Ordines talibus beneficiis annexos promoveantur; quamvis eam pœnam non incurrant, si isti hanc legem violent, ut docent Rebuffus, Adrianus, Quintanadvennas contra alios apud Sanch. loco citato. Sic etiam ex Suar. cap. 4. & Palao constitutio disponens de gradibus consanguinitatis censetur disponere de affinitate, ac de publica honestate. Et ratio est, ut notat Sanch. lib. 3. disp. 20. quia lex sæpe disponit de uno tantum casu frequentioris usus gratia, quin velit excludere casum omnino similem minus frequentem. Unde lex Pii V. prohibens Monialibus, ne a Monasteriis egrediantur, nisi causa incendii, lepræ, aut epidemiæ, extendi debet ad alios casus similes; puta invasionis hostium, ruinæ domus, inundationis, ut communius docent apud Meroll. cap. 9. quamvis Pontifex dicat, nulla alia occasione, vel prætextu exitum licere. Demum quamvis in Bulla Cœnæ dicatur, quod nemo possit ab iis casibus absolvere, nisi in articulo mortis, communiter tamen cum Suar. disp. 30. sect. 3. contra Sylvestr. docent, quod possit ab iis absolvere etiam Episcopus in casu legitimi impedimenti sive perpetui, sive temporalis cum onere debito; quia quod disponitur in cap. *Eos qui*, & alibi, circa excommunicationem contractam ob Clerici percussionem, (quæ fuit antiquissima omnium excommunicatio) censetur etiam dispositum de aliis censuris Pontifici reservatis etiam in Bulla Cœnæ; ad illius enim normam censentur factæ, eo quod eadem militet ratio in omnibus.

VI. Dubium ulterius est, Utrum collatio Beneficii facta tempore excommunicationis revalidetur post absolutionem, quin requiratur nova collatio, sed solum nova acceptatio Beneficii?

Affirmant nonnulli apud Sanch. lib. 8. disp. 7. & Con. loco citato; tum quia conferens Beneficium censetur in sua voluntate perseverare, donec illam revocet; tum etiam quia talis collatio ex parte conferentis fuit valida, & solum fuit invalida ratione impedimenti, seu incapacitatis in excommunicato; ergo hoc impedimento sublato erit absolute valida.

Communiter tamen negant, quia quod initio fuit invalidum, tractu temporis non convalescit. Sic v. gr. matrimonium invalidum ob impedimentum dirimens, non evadit validum sine novo consensu contrahentium, præciso per dispensationem ab illo impedimento.

Ad primam rationem in contrarium respondetur, non satis esse, quod perseveret in ea voluntate conferens beneficium, nisi illam manifestet signo externo tempore debito, ut patet in omnibus donationibus, promissionibus, & pactis humanis. Collatio autem præterita non est signum externum voluntatis præsentis requisitæ in conferrente ad valorem collationis.

Ad secundam respondetur, quod, quamvis collatio fuerit invalida ratione impedimenti, absolute tamen fuit invalida; unde non satis est tollere impedimentum, sed debet collatio renovari post sublatum impedimentum excommunicationis; Sicut matrimonium ratione impedimenti dirimentis invalidum, quia fuit absolute invalidum, debet renovari post obtentam dispensationem in illo impedimento.

VII. Dico tertio: Collatio Beneficii, sicut etiam præsentatio, electio &c. facta excommunicato excommunicatione minore est quidem illicita, sed non invalida.

Probatur ex cap. *Si celebrat de Clerico Excommunicato*, ubi dicitur talis collatio esse irritanda, ergo non est irrita. Ratio autem, cur sit illicita, est, quia cum excommunicatus excommunicatione minore privetur directe passiva Sacramentorum perceptione, privari etiam indirecte debet Beneficiorum acquisitione, quæ ex intentione Ecclesiæ conferuntur, ut Ordines Sacros Beneficiarius suscipiat, & Missam celebret. Non est tamen audiendus Jo. Sanch. disp. 23. sect. 15. docens cum Ugolino & Nav. hujus-

hujuſmodi collationem Beneficii eſſe ſimpliciter invalidam, quatenus ly *Irritandam* idem ſonat, ac eſſe irritam declarandam. Communiter enim cum Vaſq. dub. 6. de Excomm., Laym., Valent., Reginaldo n. 115. negant eſſe irritam, quia in odioſis interpretatio favorabilior facienda eſt; atqui ly *Irritandam* non ſolum ſignificat futuritionem declarationis invaliditatis, ſed etiam futuritionem irritationis: ergo juxta interpretationem favorabiliorem dicendum, quod ſit irritanda, non vero irrita declaranda. Imo nec eſt irritanda, ſi collatio Beneficii, ſeu Electio facta fuerit excommunicato excommunicatione minore ſine ſcientia ſuæ excommunicationis minoris, quia in laudato textu dicitur eſſe irritanda, ſi fiat ſcienter. Ubi notat Hurt. diffic. 1. num. 6. neque eſſe irritandam, ſi facta fuerit cum ignorantia culpabili, etiam craſſa talis excommunicationis, quia in Jure pœnali ignorantia culpabilis, etiam craſſa, non æquiparatur ſcientiæ. Quicquid ſit, an æquiparetur ſcientiæ ignorantia affectata, quam habet is, de quo dici poteſt illud Pſal. *Noluit intelligere, ut bene ageret;* quod negat Hurt. ſed communiter apud Leandr. de cenſ. quæſt. 21. affirmant ex cap. *Eos qui, de tempor. Ordinat. in 6.*

Sciendum itaque, univerſim pœnam Eccleſiaſticam, aut Cenſuram incurri etiam ab eo, qui per ignorantiam craſſam, & ſupinam tranſgreditur legem, cui talis pœna eſt impoſita, ut conſtat ex c. *Ut animarum de Conſtit. in 6.* ubi habetur, *Statutis Ordinariorum non ligari ignorantes, niſi ignorantia illorum ſit craſſa, vel ſupina.* Quando tamen ſtatutum, ut obliget ad pœnam, requirit ſcientiam (v. gr. ſi dicatur, Qui temerarius violator extiterit, vel qui ſcienter, conſulto, temere præſumpſerit) etiam ignorantia craſſa, & graviter culpabilis excuſat a pœna per legem impoſita. In caſu noſtro pœna hæc, quod electio ad beneficium ſit irrita, ſi fiat excommunicato excommunicatione minore, imponitur in textu cit. dummodo fiat ſcienter; ergo qui per ignorantiam craſſam, & ſupinam ſuæ excommunicationis minoris eligitur, valide eligitur; Secus vero, ſi per ignorantiam affectatam, quæ æquiparatur ſcientiæ, ut diximus contra Hurt.

VIII. Dico quarto. Suſpenſus ab officio eſt capax beneficii. Ita communiter apud Suar. diſp. 16. ſect. 7. contra nonnullos cum Avila part. 3. diſput. 2. dub. 10.

Ratio eſt, quia beneficium collatum ſuſpenſo ab officio nullo jure invalidatur; imo aliquando in jure ſupponitur eſſe validum; nam in cap. *Cum bene, de ætate, qualitate, & ordine præficiendorum*, dicitur eſſe irritanda collatio beneficii, quando ſuſpenſus, cui fuit collatum, perſeveravit in ſuſpenſione per triennium: ergo ſupponitur valide collatum.

Neque obſtant Canones ab Adverſariis adducti; in iis enim non eſt ſermo de receptione beneficii, ſed de collatione activa facta a ſuſpenſo; quæ quidem eſt invalida, quia ſuſpenſus ab officio ſuſpenditur etiam a juriſdictione; & conſequenter non poteſt valide beneficium conferre, ad quod requiritur actus juriſdictionis.

Oppones: Cui prohibita eſt functio aliqua, ei quoque prohibita cenſetur ſuſceptio ejus, quod ordinatur ad talem functionem; ſed beneficium ordinatur ad officium: ergo ſuſpenſus ab officio eſt incapax beneficii.

Reſpondetur cum Leſſ. nu. 116. hinc tantum inferri, collationem beneficii factam ſuſpenſis ab officio eſſe illicitam, & irritandam, ut colligitur ex cap. *Finali de Clerico miniſtrante*, non vero eſſe irritam ob incapacitatem beneficiarii ſuſpenſi.

IX. Dico quinto. Suſpenſus a beneficio poteſt novum beneficium acquirere. Hæc Concluſio procedit etiam quando ſuſpenſio eſt generalis, & privat fructibus omnium omnino beneficiorum; nam ſi privat ſolum fructibus alicujus beneficii particularis, non videtur dubium, quod ſic ſuſpenſus poſſit novum beneficium acquirere, ejuſque fructus percipere: Sicut habens duo beneficia, ſi privetur per ſuſpenſionem particularem fructibus unius tantum, poteſt licite percipere fructus alterius, ut habetur in cap. *Si Canonici de officio Ordinandorum in 6.*

Probatur itaque Concluſio ſic explicata, quia, ut advertit Suar. diſput. 27. ſect. 1. num. 26. in Jure Canonico præcipitur, ut collatio talis beneficii irritetur: ergo ſupponitur valida. Et ratio ulterior eſt, quia non ſunt incompoſſibilia hæc duo, Acquirere jus ad fructus beneficii, & privari per accidens ejus fructibus per ſuſpenſionem; ergo ſuſpenſus generaliter a beneficio, quamvis privetur fructibus cujuſcumque beneficii, adhuc poteſt acquirere novum beneficium, & jus ad fructus illius percipiendos, licet impeditum per ſuſpenſionem. Antecedens probatur, quia de facto qui habet beneficium, ſi ſuſpendatur ab illo, retinet jus beneficii, & ſimul privatur per accidens fructibus illius; habet enim jus impeditum, non autem extinctum: Non ſecus ac qui locat ex. grat. domum ſuam, habet jus utendi remotum, impeditum per locationem.

X. Dico ſexto. Interdictus probabiliter eſt capax beneficii.

Ita Leſſius c. 34. n. 116. quamvis oppoſitum putet probabilius. Et Palaus p. 3. tract. 13. p. 8. dicit, oppoſitum eſſe omnino certum tum ex cap. 1. *de Poſtulatione Prælatorum*, tum quia ille, qui ſua culpa intedictum perſonale incurrit, eſt inhabilis ad officia publice præſtanda; ergo etiam videtur inhabilis ad obtinendum Beneficium Eccleſiaſticum, quod datur propter Officium.

Ratio tamen noſtræ hujus Concluſionis hæc eſt, quia in nullo jure reperitur talis incapacitas; nam in cap. 1. cit. *de Poſtulat. Prælatorum* expreſſe dicitur, eſſe inhabilis ad Beneficia, non interdictus, ſed violator interdicti. Neque obſtat ratio in contrarium adducta; Primo, quia ex illa non evincitur incapacitas beneficii ſimplicis obligantis tantum ad recitandas horas, quas poteſt, & tenetur recitare interdictus, quin ratione talis beneficii officium ullum publice teneatur exercere; quod unice ratione interdicti prohibetur. Deinde ſicut diximus, ſuſpenſum ab officio non eſſe incapacem Beneficii, quamvis illi prohibeatur publice exercere officium, propter quod datur Beneficium, ita dicas de perſonaliter interdicto: Proinde eſſet ſolum irritanda, non vero irrita collatio Beneficii huic facta, ut deducitur ex cap. finali *de Cler. excommunicato miniſtrante*.

XI. Ex dictis infertur, juxta probabilem ſententiam, nullam cenſuram privare ipſo facto beneficiis ante obtentis; ſolam vero excommunicationem majorem reddere incapacem novi beneficii. An vero hujuſmodi excommunicatus ſit pariter incapax Penſionis? dubitant Doctores. Affirmat Sanchez

ex Nav. quia penſio eſt acceſſoria beneficio, atque adeo ſequitur naturam principalis; quare, cum excommunicatus ſit incapax beneficii, erit etiam incapax penſionis. Hurt. tamen diſp. 6. de Excomm. diffic. 2. negat; quod Avila etiam cenſet probabile cum Præpoſito apud Dian. p. 4. tr. 4. reſ. 55. tum propter generalem regulam prohibentem in pœnalibus largam interpretationem vocabuli, quod haberetur in caſu noſtro, ſi vox Beneficium extenderetur ad ſignificandam penſionem; quandoquidem nullo jure invalidatur expreſſe collatio penſionis facta excommunicato: tum etiam quia id eſt conformius Deciſioni factæ in caſu non diſſimili a Congregatione Cardinalium relatæ a Laym. lib. 1. tr. 5. p. 2. quæ definivit, incapacitatem homicidæ ad beneficia extendendam non eſſe ad penſionem. Quod tamen limitat Suar. diſp. 14. ſect. 1. niſi penſio extrahatur ab aliquo beneficio, & in titulum beneficii conferatur; tunc enim haberet rationem rigoroſi beneficii.

XII. Majus dubium eſt, An quando dicitur excommunicatus eſſe inhabilis ad beneficia, id verum etiam ſit de excommunicato tolerato? qui videlicet nec denunciatus ſpecialiter, & expreſſe ſit, nec ſit publicus percuſſor Clerici: his enim caſibus exceptis, licet excommunicati non poſſint ſe ingerere ad excommunicandum cum aliis, poſſunt tamen alii communicare cum illis, ut conſtat ex Extravag. *Ad vitanda ſcandala*; quamquam jure antiquo ex cap. *Cum ab homine de ſent. excom.* omnes omnino excommunicati vitandi erant, vel publice, vel occulte, prout vel publica, vel occulta erat eorum excommunicatio. Ratio autem dubitandi in re noſtra eſt, quia ex una parte excommunicatus toleratus, quamvis non poſſit ſe ingerere ad communicandum cum aliis, poteſt tamen aliis provocantibus ſe gerere ac ſi non eſſet excommunicatus; Sed, ſi non eſſet excommunicatus, valide reciperet beneficium ab aliis collatum; ergo etiam valide recipit, ſi ſit excommunicatus, dummodo non ſe ingerat: Ex alia vero parte Pontifex, & Concilium in dicta Extravag. nolunt per illam conceſſionem ullatenus favere excommunicatis toleratis; dicunt enim, *Per hoc tamen non intendimus excommunicatos in aliquo relevare*; ſed ſolum intendunt favere aliis fidelibus, ut vitentur ſcrupuli, & ſcandala in commercio cum illis. Quare, ſi excommunicatus toleratus habilitaretur ad beneficia favor maximus in illum redundaret.

Breviter hoc dubium pertractat Hurt. diſput. 6. diffic. 2. & quamvis fateatur, communem ſententiam apud Suarez, Sayr., Pal. diſp. 2. puncto 8. negare excommunicatis toleratis habilitatem ad beneficia obtinenda, ipſe tamen benigne concedit, ea ductus ratione, quia, quamvis hoc redundet etiam in favorem excommunicati, cui Pontifex non intendit favere directe, redundat tamen etiam in libertatem fidelium, ut poſſint ita ſe gerere cum illo, ac ſi non eſſet excommunicatus, & proinde poſſint illi beneficium conferre: Qui quidem favor libertatis intenditur directe fieri aliis fidelibus, quamvis indirecte redundet etiam in excommunicatum. Sic ſepultura eccleſiaſtica redundat in favorem ſepulti, & tamen, ut docent multi cum Suar. diſp. 14. ſect. 8. poſſunt fideles vitato ſcandalo ſepulturam Eccleſiaſticam dare excommunicato tolerato, quamvis huic non licuiſſet illam petere, dum viveret. Sic etiam Miſsa pro excommunicato tolerato redundat in ejus favorem; & tamen Sacerdos, vitato etiam ſcandalo, poteſt pro illo celebrare; quamvis non poſſit id petere toleratus, ut communiter docent apud Fagund. & Conin. diſp. 14. dubio 6. Sic demum, ſi partes conveniant, poteſt excommunicatus toleratus exercere actus juriſdictionis, ut cum communi docet Cornejus tom. 2. in 3. p. tract. 5. dub. 12.

Cenſeo tamen non eſſe a communi ſententia negativa recedendum, quia quamvis ex Extravagante laudata licitum ſit aliis beneficium conferre tolerato, perinde ac ſi non eſſet excommunicatus, ut ſcrupuli vitentur, non per hoc fit, validam eſſe collationem. Ratio eſt, quia favor ille libertatis fidelium eſt ſeparabilis ab hoc favore excommunicati; & ideo ex hoc, quod liceat aliis conferre beneficium tolerato, non debet inferri, quod valida ſit collatio. Ex quibus patet reſponſio ad reliqua exempla, in quibus favor aliorum fidelium non eſt ſeparabilis a favore tolerati; non enim pendet ab Eccleſia, quod fructus Sacrificii procedens ex inſtitutione Chriſti, ſi offeratur pro excommunicato, illi non proſit ex opere operato.

ARTICULUS III.

De Irregularitate, & aliis impedimentis inhabilitantibus ad Beneficia.

I. *Irregularis non privatur Beneficiis obtentis; & probabilius eſt incapax aliorum ratione conſuetudinis habentis vim legis.*
II. *Hæretici, eorumque fautores, &c. Beneficii ſunt incapaces.*
III. *Intruſus ad Beneficium inhabilis eſt ad idem obtinendum.*
IV. *Similiter Simoniacus, etiamſi ipſo ignorante, ſuo nomine commiſſa ſit ſimonia; qui pariter inhabilis eſt ad alia obtinenda.*
V. *Uxoratus in quo caſu capax eſt Beneficii?*
VI. *Quandonam poſſit Epiſcopus in hac inhabilitate diſpenſare?*
VII. *Quid de Irregulari ratione Bigamiæ?*
VIII. *Num poſſit aliquando Epiſcopus in hac irregularitate diſpenſare?*
IX. *Cur poſſit Epiſcopus abſolvere a Cenſuris non expreſſe reſervatis Pontifici, non poſſit vero diſpenſare in Irregularitate non expreſſe reſervata?*
X. *Cur etiam poſſit in Votis non expreſſe reſervatis diſpenſare?*
XI. *Commentitium eſt, poſſe Epiſcopum pro ſua urbe quicquid poteſt Pontifex pro toto Orbe.*

I. Circa Irregularitatem dicendum, Irregulares non ſolum non privari ipſo facto Beneficiis ante irregularitatem obtentis, ſed probabiliter neque eſſe incapaces novi Beneficii, ut notat Suarez diſp. 40. ſect. 2. Conink., Hurt. Quamvis oppoſita ſententia ſit communior, & probabilior.

Prima pars concluſionis eſt communis apud Doctores, teſte Filliuc. tract. 19. cap. 3., & deducitur ex cap. *Fraternitatis de Sententia Excommun.*, ubi diſponitur, irregularem ex delicto eſſe privandum Beneficio: ergo ſupponitur non eſſe privatum ipſo facto. Unde ſequitur poſſe Irregularem percipere fructus Beneficii, donec illo privetur. Imo, ſi irregularitas non ſit contracta ex delicto, ſed ex defectu,

ctu; & Beneficium non requirat actus prohibitos Irregulari, neque erit privandus Beneficio, ut notat Conink. disp. 18. dub. 1. ex c. *Si Celebrat de Cler. excomm.*

An autem Irregularis ex delicto teneatur resignare Beneficium, antequam a Judice illo privetur? dubium est apud Doctores, in quo communis sententia cum Suar. loc. cit. in primis concedit illi tempus debitum ad quærendam dispensationem in Irregularitate; Deinde post quæsitam, & non obtentam dispensationem obligat ad resignandum Beneficium, dummodo hoc exigat ministerium personale, quod Irregularis exercere non possit; quia quilibet tenetur aut exercere ministerium, propter quod accipit stipendium, aut renunciare stipendio, si ministerium exercere non potest; Si vero Beneficium sit simplex, obligans solum ad recitationem horarum, vel etiam ad aliquot sacra, v. gr. non tenetur illud resignare, quia recitatio horarum non impeditur ab Irregularitate; & obligationi Missarum potest per alium satisfieri.

Secunda pars conclusionis, quod scilicet collatio novi Beneficii post contractam Irregularitatem facta non sit irrita, videtur probabilis. Ratio ex Less. cap. 34. num. 120. est quia quamvis vere prohibeatur conferri novum Beneficium Irregulari, unde collatio est illicita; non hinc sequitur, quod sit invalida, cum non fiat verbis invalidantibus. Universim enim non est censenda irrita collatio ex vi alicujus prohibitionis, nisi expresse addatur, quod, si contra factum sit, censeatur irritum, & inane, ut habetur in cap. *Si Sola*, *de Præben.* Quod patet; nam collatio Ordinum facta Irregulari, quamvis sit illicita, non per hoc est invalida: Conink autem loc. cit. ostendit, jura, quæ ab Auctoribus contrariæ sententiæ adducuntur, vel loqui de Excommunicatis, si declarant irritam collationem Beneficii; vel si loquantur de Irregularibus, tantum declarare irritandam, non irritam hujusmodi collationem, ut patet expresse in cap. *Cum nostris*, *de concessione Præbendæ*: ubi Innoc. *Homicidæ*, inquit, *& alii Irregulares sine dispensatione juste tenent dignitates suas, quousque renuncient. vel deponantur, etiamsi tales essent tempore collationis, vel electionis.*

Neque obstat discursus Adversariorum dicentium, collationem novi beneficii non esse validam, quia in conferente non censetur esse voluntas conferendi, quando is, cui confertur, est irregularis: Sicut collatio gratiæ, aut dispensationis est subreptitia, & irrita, quando celatur illud, quod concessionem impediret.

Negatur enim assumptum: nam vel conferens advertit ad irregularitatem subjecti, & jam habet voluntatem conferendi, non obstante irregularitate; vel non advertit & talis ignorantia, seu inadvertentia non sufficit ad collationem invalidam, cum præsupponatur non esse ipso jure latam hanc invaliditatem: Sicut collatio Ordinum facta Irregulari non est irrita, quatenus conferens Ordines, si ad irregularitatem advertisset, ab eorum collatione procul dubio abstinuisset. Et ratio est, quia universim error, qui non est circa causam finalem, & principalem donationis, vel contractus, non reddit illum irritum; (ut supra ostendimus, cum de Eleemosyna ex Less. cap. 17. dub. 9.) Causa autem finalis, & principalis collationis Ordinum, & Beneficii non est probitas subjecti, & carentia irregularitatis, sed idoneitas illius, quæ non cessat per irregularitatem; Sicut diximus causam finalem eleemosynæ collatæ pauperi improbo non esse probitatem, sed paupertatem, quamvis si adverteretur improbitas, eleemosyna non daretur. Contra vero sæpe in collatione gratiæ, vel dispensationis attenditur, tanquam motivum principale, & causa finalis carentia alicujus impedimenti, unde, si illud celetur, collatio gratiæ, seu dispensationis est irrita, seu subreptitia.

Quamvis autem hæc sententia sit probabilis, probabilior etiam est, ut diximus, sententia docens, Irregularem esse Beneficii incapacem; Esto enim possemus canones omnes facile interpretari, quod irregularitas reddat tantum irritandam, non irritam collationem beneficii; quia tamen communis Doctorum sententia ita interpretatur Canones dicentes, Irregularem non posse Beneficium obtinere, ut velint collationem esse irritam, ideo dicendum cum Less. num. 120., ex communi ista Doctorum sententia facile ortam esse consuetudinem, quæ instar juris habeatur; unde communis sententia non ex vi juris scripti, sed consuetudine introducta tenenda est; Ubi notandum, quod initiatus, verbi gratia, Diaconatu, vel Subdiaconatu possit fieri irregularis ad suscipiendum Sacerdotium, ita tamen, ut non sit irregularis ad functiones suscepti Ordinis, v. gr. ad canendum Evangelium, vel Epistolam; Sicut Sacerdos amissis aliquot digitis potest fieri irregularis relate ad celebrandum, non tamen relate ad absolvendum; in quo casu licite etiam poterit huic Irregulari novum conferri beneficium, quod non requirat aliud ministerium, quam illud, ad quod aptus remansit, ut recte Lessius ex Navar.

II. Præter Irregularitatem dantur alia impedimenta, quæ hominem reddunt beneficii incapacem. Primo enim ex cap. *Quicumque de Hæreticis in 6.* apud Less. num. 121. omnes Hæretici, ac eis credentes, fautores, defensores, receptatores ipsorumque filii, ac nepotes per lineam masculinam (qui scilicet post hæresim Patris, vel Avi nati sunt, ut notat Less. n. 121.) sunt inhabiles ad quodcumque beneficium Ecclesiasticum, aut officium publicum: necnon qui ad preces istorum scienter beneficium obtinuerunt: Quæ poena ex *Clementina 1. de Pœnit.* extenditur ad eos, qui hostiliter insequuti sunt Cardinales, vel Episcopos, & ad eorum filios, ac nepotes.

III. Secundo, intrusus ad beneficium est inhabilis ad idem beneficium obtinendum, nisi antecedenter rehabilitetur ratione talis intrusionis. Dicitur autem Intrusus, qui scienter absque Canonico titulo beneficium accipit, vel retinet; Quod multipliciter evenire potest; videlicet vel quia sine Superioris auctoritate beneficium occupat, vel quia electus ad beneficium ante confirmationem ingerit se ejus administrationi, tanquam verus possessor, vel quia præsentatus se ingerit ante institutionem, vel aliis modis, apud Less. loc. cit.

IV. Tertio, qui Simoniace beneficium acquirit, est inhabilis ad illud, etiamsi ipso ignorante, dummodo tamen ipsius nomine commissa sit Simonia, ex c. *Quicumque prima quæst. 3.*, ut dicemus cum de Simonia; Et quamvis jure antiquo hujusmodi Simoniacus non esset inhabilis ad alia beneficia obtinenda, jure tamen novo Pii V. est inhabilis, ut notat Reginald. lib. 30. n. 17.; quamvis possit hujusmodi inhabilitas, si sit occulta, probabiliter tolli

ab Episcopo, ex Leff. cap. 35. nu. 140. Ubi notandum, vi regulæ triennalis possessionis beneficium bona fide possessum per triennium revalidari, si inhabilitas ad illud proveniat ex poena, vel censura, aut irregularitate, non tamen si proveniat ex Simonia scienter contracta.

V. Demum uxoratus est beneficii incapax, ex c. 2. *de Cler. conjug.*, nisi tamen uxor consentiat, ut ad Ordines ascendat, & ipsa, si juvenis sit, Religionem profiteatur; vel si provectior, votum castitatis emittat; ut notat Pal. disput. 4. punct. 8. Et idem dicas, si legitimam divortii causam haberet vir; posset enim tunc Ordinibus insigniri, & beneficium accipere, ut docet Sanch. l. 7. disp. 42.

VI. Dubitatur, An possit Episcopus aliquando hujusmodi inhabilitates non occultas tollere?

Respondetur, posse Episcopum cum homicida, aut alio irregulari dispensare, ut possit beneficium Simplex, non vero Curatum acquirere, ex cap. *Ad Audientiam, de Homic.* Et quamvis plures apud Sanch. loc. cit. idem doceant de Clerico conjugato, negant tamen communiter cum Garzia, & eodem Sanch., quia in c. *Diversis de Cler. Conjug.*, interdicitur Episcopis conferre Beneficium conjugatis. Neque obstat, quod possit Episcopus cum homicida, aut alio Irregulari dispensare. Nam ii non sunt omnino incapaces Beneficii, cum possint beneficia ante Irregularitatem obtenta retinere, ut diximus: Contra vero Clericus conjugatus, non secus ac Laicus, omnino incapax est beneficii; unde sine Pontificis dispensatione non potest conjugatus beneficium obtinere. Imo ex Reginald. lib. 30. cap. 11. nec potest Episcopus dispensare cum homicida, si homicidium fuit voluntarium; sed solum si fuit casuale, dispensare potest Episcopus ad beneficia non curata obtinenda, & ad curata jam ante habita retinenda.

VII. Dubium etiam est, An Irregularis ratione Bigamiæ possit ex dispensatione Episcopi ad ordines minores, & beneficium simplex promoveri?

VIII. Sanch. l. 7. disp. 86., Avila, Bonac. affirmant, quia in cap. *Lectores* apud Pal. datur facultas Lectori Bigamo, ut in Lectoratu permaneat ex dispensatione; & subditur, *ut possit, si necessitas urget, ad subdiaconatum promoveri;* (qui ordo tunc inter sacros ordines non erat ascriptus) Suar. tamen de cens. disp. 49. sect. 6., Pal., Barb., & alii verius negant, posse Episcopum aut in minoribus ordinibus, aut in beneficio simplici cum bigamo sive vero, sive interpretativo dispensare. Nam in Trid. sess. 23. c. 17. permittitur conjugatis ordines minores exercere, modo non sint bigami; cui decreto non videtur posse Episcopus dispensare; & sic decisum est a sacra Congregatione apud Barb., unde sequitur a Trid. derogatum esse textui adducto in c. *Lectores*. Et ratio ulterior est, quia in c. unico *de Bigamis in 6.* Bigami omni privilegio Clericali denudantur, neque Episcopo committitur dispensatio. In lege autem generali Pontificis nequit Episcopus dispensare, nisi ei commissum sit, ut communiter docent ex c. *At si Clerici de Judiciis*. Nec requiritur, ut positive Episcopo prohibeatur dispensatio; (quod docuerunt nonnulli apud Salas de leg. disp. 29. sect. 3. quorum sententiam probabilem putat Bonac. q. 2. p. 1.) Nam in Clementina *Ne Romani de Electione* dicitur, Inferior non posse tollere legem superioris: & statim subditur, Abrogando, dispensando, &c. Aliter Episcopus in omnibus irregularitatibus, & inhabilitatibus dispensare posset, cum raro admodum id Episcopis expresse prohibeatur, ut notat Palaus de leg. punct. 5.; Et ratio a priori est, quia inferior non potest voluntatem, & dispositionem superioris impedire ipso non consentiente, saltem tacite.

IX. Oppones. In cap. *Nuper de sent. Excom.* dicitur, quod cum Pontifex non reservat sibi absolutionem excommunicationis, censetur inferioribus prælatis illam concedere: ergo idem dicendum de dispensatione: Quod etiam evenit in votis, & juramentis, in quibus dispensare potest Episcopus, si Pontifex non reservet sibi dispensationem; Idemque accidit in observatione festorum, & jejuniorum. Et ratio a priori videtur esse, quia Episcopus potest pro sua Ecclesia quicquid Papa pro toto orbe, nisi a Pontifice prohibeatur; etenim Episcopus est Pastor ordinarius, cui adæquate incumbit regimen suæ Ecclesiæ. Unde, nisi a Pontifice limitetur ejus jurisdictio, poterit pro sua Urbe, quicquid Pontifex pro toto Orbe.

Respondetur, absolutionem a censuris concedi, nisi reservetur, non vero dispensationem in lege: tum quia absolutio est juxta jus, non vero contra jus, nec vulnus legis, sicut est dispensatio; nam ipsum jus præcipit absolvi dispositum, nunquam tamen exigit, ut dispensetur: Tum etiam quia Absolutio ad bonum animæ ordinatur, & ideo expedit facilius concedi; unde absolutio a censuris non solum Episcopo, sed etiam Parocho, & cuivis Confessario conceditur, dum a Pontifice non reservatur, ut docent Doctores in de Censuris. Præterquamquod Pontifex in textu adducto declaravit, se concedere Prælatis inferioribus absolutionem a Censura sibi non reservata, nunquam tamen declaravit, se concedere inferioribus dispensationem in lege non reservatam.

X. Quod attinet ad dispensationem in votis, & juramentis, diversa est ratio ac de dispensatione in lege: hæc enim est exemptio ab obligatione legis, & juris relaxatio; illa vero est solum remissio juris a Deo acquisiti per votum, aut juramentum; eo modo, quo promissarius remittit juri acquisito per promissionem: Omnes autem Prælati possunt Dei nomine, cujus vices gerunt, talem remissionem facere, nisi iis interdicatur, quia hoc expedit bono communi, eo quod frequentissime occasio occurrat; Sicut propter eandem frequentiam possunt Prælati inferiores ex tacita concessione Pontificis dispensare in observatione festorum, & jejuniorum.

XI. Demum ad rationem a priori, falsum est axioma illud, posse Episcopum pro sua Ecclesia quicquid Pontifex pro toto orbe, ut notat Pal. num. 9. Episcopus enim non potest instituere censuras, approbare Religiones, canonizare Sanctos, definire articulos Fidei, concedere indulgentiam plenariam, dispensare in matrimonio rato, aut in Professione Religiosa, committere Presbytero administrationem Sacramenti Confirmationis, aut Ordinis, & similia, quæ potest Pontifex. Quare solum potest Episcopus ad bonum regimen suæ dioecesis quicquid Pontifex potest, nisi tamen a lege Pontificis ejus ordinaria jurisdictio limitetur; Limitatur autem, quoties non conceditur illi facultas dispensandi in lege superioris.

Hinc etiam fit, quod licet possit Episcopus dispensare in legibus Synodi Dioecesanæ, quia non est inferior illa, ut communiter censent contra Med. & Rodriq.

Rodriq. apud Meroll. n. 257. non potest tamen Episcopus, aut Archiepiscopus dispensare in lege Concilii Provincialis, quia hoc est supra ipsum Archiepiscopum, ut habet Glossa in cap. *A Collatione de Appellation. in 6.* Verum tamen est, quod leges latæ in Concilio Provinciali, si non sint reservatæ, possint ab Episcopo pro sua Diœcesi dispensari, sicut diximus, posse Episcopum dispensare in observatione festorum ex tacita concessione Pontificis, quia frequenter occurrit occasio in iis dispensandi, idque satis constat ex usu.

ARTICULUS IV.

De Ætate, & Ordine in singulis Beneficiis requisito.

I. Quænam ætas pro singulis Beneficiis requiratur?
II. Defectus ætatis requisitæ reddit invalidam Beneficii collationem.
III. Necnon Electionem, & Præsentationem; quin detur materiæ parvitas.
IV. Ad Beneficium essentialiter requiritur Clericatus; necnon Habitus, & Tonsura tempore receptionis.
V. Quid de intentione requisita in singulis Beneficiis?
VI. Num vacet culpa etiam veniali carere animo perseverandi in Clericatu, dum Beneficium simplex acceptatur?
VII. Num restituendi sint fructus ante sententiam Judicis a suscipiente Beneficium Parochiale absque animo suscipiendi Presbyteratum intra annum?
VIII. Quandonam possit Episcopus dispensare, ut Parochus ultra annum differat Sacerdotium?

I. Circa ætatem regula generalis est hujusmodi. Pro beneficio simplici olim, spectato jure antiquo, requirebatur septennium; jure autem novo Trid. sess. 25. cap. 6. requiritur decimus quartus annus, saltem inchoatus; Si vero beneficium sit curatum inferius Episcopatu, ver. grat. Parochiale, requiritur vigesimus quintus annus inchoatus; Et idem dicas de Abbatibus, Decanis, Præpositis, Archipresbyteris, aliisque Dignitatibus, quibus animarum cura subest, ex Trident. sess. 24. cap. 12. Ad Episcopatum requiritur trigesimus annus completus, ex cap. *Cum in curatis de electione*; Et eadem est ratio de Cardinalibus, ex Trid. sess. 34. cap. 1. quamvis ex Constitutione Sixti V. apud Palaum disput. 4. punct. 3. in Cardinalibus Diaconis ea ætas requiratur, quæ sufficiat, ut intra annum possint illo ordine insigniri; videlicet satis est vigesimus secundus annus inchoatus. Ad Dignitates vero, vel Personatus, quibus nulla animarum cura subest, requiritur ex Trid. sess. 24. cap. 12. annus vigesimus secundus, qui tamen debet esse completus, ex Less. dub. 20. Vasqu., Palao contra Sà, Azor., Henriq. putantes, sufficere inchoatum. Et ratio est, quia Trid. dicit, hujusmodi Beneficiarium non debere esse minorem viginti duobus annis; ergo sicut ille dicitur esse major viginti duobus annis, qui viginti duos complevit, ita ille est minor, qui viginti duos non complevit.

Beneficia vero, quæ non sunt Curata, neque sunt Dignitates, aut Personatus, sed exigunt Ordinem sacrum, (ut est v. g. Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis) requirunt ætatem, quæ sufficiat ad illum ordinem intra annum suscipiendum. Quare ad recipiendum Canonicatum exigentem Subdiaconatum requiritur vigesimus primus annus inchoatus, ut possit initio vigesimi secundi suscipi Subdiaconatus: Ex Trid. enim sess. 24. omnes Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis habere debent aliquem sacrum Ordinem annexum; quamvis permittatur Episcopo, ut cum Capitulo designet, quibus Canonicatibus quis Ordo annectatur, dummodo dimidia pars Canonicorum sint Presbyteri. Solus Canonicus Pœnitentiarius ex sess. laud. cap. 8. debet esse Doctor, vel Licentiatus in Jure Canonico, vel in Theologia, & ætatem habere quadraginta annorum; Quod si is non reperiatur in ea diœcesi, eligatur aptior. Similiter ex Trid. sess. 25. cap. 7. requiritur in Abbatissa, & Priorissa, ut non sit minor quadraginta annis, atque adeo quod quadraginta compleverit, & octo annis post professionem laudabiliter vixerit; quamvis beneficium non habeat, sed solum officium cum sua jurisdictione.

II. Porro defectus hujus ætatis in Jure præscriptæ non solum reddit collationem illicitam, sed etiam invalidam, quia est contra formam a jure statutam, in qua non licet Episcopo dispensare, ut notat Azor. & Less. n. 108., quia est lex superioris, eique non committitur dispensatio, ut ostendimus articulo superiore.

III. Neque hæc ætas solum debet esse, quando beneficium confertur, sed etiam quando aliquis eligitur, vel præsentatur, quia per Electionem etiam, & Præsentationem aliquod jus acquiritur ad Beneficium. Imo, ut notat Pal. loco citato, neque potest aliquis non habens dictam ætatem se alteri opponere in concursu, quia non se opponeret legitime.

Inquiritur hic, An in ætate sive ad Ordines, sive ad Beneficium requisita detur materiæ parvitas; adeo ut possit ordinari, ac beneficium obtinere, qui proximus est ætati requisitæ?

Respondeo, Zanardum apud Dian. p. 9. tr. 9. res. 50. existimare, quod ex Episcopi dispensatione possit aliquis Ordines suscipere duobus, vel tribus diebus, antequam ad tempus requisitum perveniat. Communiter tamen rejicitur, quia universim non datur materiæ parvitas, quoties a lege tempus præscribitur ad aliquam functionem; nec potest Episcopus in lege Superioris dispensare, nisi aut in casibus frequentibus, puta in jejuniis, in festorum observantia, &c. aut in casibus urgentibus ratione epichejæ. Sic non datur materiæ parvitas in professione Religiosa, ita ut valide fiat per biduum ante decimum sextum annum; Nec potest homo citra mortale comedere carnes paulo ante mediam noctem sabbati, aut paulo post mediam noctem diei Jovis: nec satisfacit præcepto Paschali, si communicet paulo ante Dominicam Palmarum, & sic in aliis casibus; nec potest ad id Episcopus dispensare; ergo idem dicendum in casu nostro.

Nonnulli cum Ledesma, Trullench, Marchino, Leandro apud Dianam loco laudato putant, posse mane conferri Ordines, & sic etiam Beneficium ei, qui vespere sequenti complet ætatem requisitam. Sed neque hoc videtur admittendum propter easdem rationes; etenim revera tunc non habetur ætas requisita, quamvis eo die illa compleatur.

Alii docent apud Sanch. lib. 7. Conf. c. 1. d. 33. in favorabilibus computari posse annos a die conceptionis. Sed communissime id exploditur; cum com-

cum communissimus usus sit computare annos a die nativitatis.

Denique alii cum Sylv., Henr., Abb. apud Pellizzar. tr. 8. cap. 2. n. 170. autumant, in computatione annorum posse rejici dies bissextiles; ut proinde possit aliquis ordinari Sacerdos quinque dies antequam compleat annum vigesimum quartum, quia nomine anni veniunt 365. dies. Et hanc opinionem in praxim deductam esse docet Barbosa Alleg. 16. de off. Episc. n. 2. Sed communiter id non admittitur, quia dies bissextilis pertinet ad complendum quadriennium.

IV. Circa vero aliam conditionem in Beneficiario requisitam, videlicet Clericatus, seu Ordinis; certum est, primam tonsuram etiam ad Beneficia simplicia essentialiter requiri, ex cap. *Cum adeo de rescriptis*. Imo tempore collationis debet receptor esse cum habitu, & tonsura; alioquin collatio beneficii est nulla, & beneficium sic collatum reservatur Sedi Apostolicæ, ut latius explicat Filliuc. cap. 5. Quando tamen beneficio est annexus Ordo facer, non est necesse de jure communi, ut dum quis recipit beneficium, sit eo ordine initiatus, sed satis est, si intra annum talem Ordinem suscipiat, ut constat ex Clementina 2. *de ætate*, *&* *qualitate*. Ex dispositione autem Trid. sess. 22. c. 2. antequam quis ordinetur Episcopus, debuit per sex menses fuisse in sacro Ordine constitutus. Sed an satis sit fuisse in solo subdiaconatu? negat Barbosa, quia Greg. XIV. in Bulla edita 1590. dicit in plurali, debere esse constitutum in Sacris: Affirmat tamen probabiliter Pal. ex Less. & Azor. quia in cap. *A multis*, *de ætate*, *&* *qualitate* dicitur, posse Subdiaconus in Episcopum eligi, qui textus non videtur esse a Tridentino revocatus, sed solum additum est, quod in eo ordine per sex menses antea fuerit. Gregorius vero XIV. loquutus est in plurali, spectato communi usu loquendi; quo initiatus Subdiaconatu dicitur esse in Sacris.

V. Denique quoad intentionem in Beneficiario requisitam suscipiendi sacrum Ordinem, neque statum Clericalem dimittendi, plura sunt, & quidem graviora dubia. Illud certum est ex cap. *Licet de Electione in 6.* Suscipientem Parochiale Beneficium obligatum esse sub mortali habere intentionem suscipiendi intra annum Presbyteratum; alias tenetur susceptos fructus restituere, nisi voluntate mutata promotus fuerit. Idem docet Vasq. c. 3. §. 3. de aliis dignitatibus habentibus curam animarum, quia in jure æquiparantur Beneficiis Parochialibus: Quod tamen Pal. & Garzia negant, quia pœnæ istæ non videntur extendendæ a Beneficiis Parochialibus ad hujusmodi dignitates. Præterea solum qui suscipit Beneficium Parochiale absque animo suscipiendi Presbyteratum intra annum, tenetur fructus receptos restituere ante sententiam Judicis, nisi mutata voluntate intra tempus debitum promoveatur; In reliquis vero Beneficiis probabiliter nemo tenetur fructus restituere ante sententiam Judicis, etiamsi tali voluntate careat, dummodo suo muneri satisfaciat.

Non requiritur tamen, ut supponit Laym. lib. 4. tract. 2. c. 14. ex Nav. Sanch., & Less. animus absolutus suscipiendi Ordinem, & perseverandi in statu clericali, sed sufficit conditionatus, si scilicet nulla legitima causa mutandi voluntatem eo medio tempore contigerit; v. gr. si interim non moriatur primogenitus, & Clericus beneficiarius cogatur ad matrimonium propter familiæ utilitatem; non enim præsumitur, Ecclesiam velle cum tanto onere obligare ad perseverandum in statu clericali ratione solius beneficii suscepti.

VI. Difficultas nunc præcipua est, an, sicut tenetur ad fructuum restitutionem ante sententiam Judicis duntaxat ille, qui Beneficium Parochiale suscipit sine intentione suscipiendi Ordinem requisitum, & perseverandi in statu Clericali, ita hic pariter duntaxat peccet ex defectu talis intentionis; unde possit aliquis citra culpam beneficium, præsertim simplex, accipere animo fruendi ejus fructibus aliquo tempore, & postea transeundi ad statum conjugalem beneficium relinquendo?

Certum est peccare graviter, si quis beneficium simplex accipiat habens annexum ordinem sacrum sine intentione suscipiendi ordinem tempore a jure præscripto; delinquit enim contra præceptum Ecclesiæ in re gravi: Si vero beneficium simplex ad nullum ordinem sacrum obliget, quamvis Tol., Sot., Nav. putent etiam peccari graviter, quia decipitur Ecclesia, quæ Beneficium non conferret, si sciret, illud assumi absque intentione perseverandi in tali statu clericali; Communius tamen cum Sanchez l. 7. disp. 45., Less. cap. 33. num. 132. putant esse duntaxat veniale, quia nullo jure nec naturali, nec positivo recipiens beneficium obligatur in eo statu perseverare; Imo a jure canonico beneficiariis liber transitus ad nuptias conceditur, ut constat ex cap. *Joannes de Clerico conjugato*. Quod vero sit veniale, ex eo probant, quia beneficia instituta sunt ad alendos eos, qui se perpetuo clericatui dedicant; unde est aliqua saltem venialis deordinatio decipere in hoc Ecclesiam, & propositum contra hanc institutionem habere.

Verum Palaus, & Garz. docent, vacare id etiam veniali culpa, quia institutio beneficii est ab Ecclesia, quæ, ut ostendimus, liberum transitum ad nuptias beneficiariis permittit: ergo carens animo perseverandi in clericatu non facit contra voluntatem Ecclesiæ, nec contra institutionem beneficii, quod datur solum ad alendos Ecclesiasticos, dum in eo statu perseverant, & Ecclesiæ ministrant, sine obligatione, quod semper beneficium retineant, & statum incompatibilem recusent. Adduntque, quod si esset culpa, deberet esse gravis, quia gravis materia est relinquere statum clericalem. Huic tamen opinioni non astipulor.

VII. Oppones contra id, quod diximus, ante sententiam Judicis restituendos esse fructus Beneficii ab eo, qui beneficium Parochiale suscipit absque intentione suscipiendi intra annum Presbyteratum. Nam, ut discurrit Palaus, ob defectum talis intentionis collatio non fuit invalida; ergo fructus inde accepti facti sunt tui; ergo obligatio restituendi non est ex lege naturali, sed positiva; nulla autem lex positiva videtur obligare, ut quis ante sententiam saltem declaratoriam criminis in se ipso pœnam exequatur, & se privet jure acquisito, ut communiter docent de Legibus; ergo ante sententiam Judicis non teneris hujusmodi fructus restituere. Antecedens autem probatur ex Navar., & Sanchez disp. 45. quia si mutes perversam hanc intentionem, & ad Presbyteratum intra annum promovearis, poteris retinere & fructus, & beneficium absque nova collatione, ut constat ex textu adducto: ergo signum est collationem priorem fuisse validam.

Respondeo cum Sanch., Less., Vasqu., conces-

ſo antecedente, nego conſequentiam, quia quamvis valide collatum ſit beneficium, valor tamen, & firmitas non perſeverat, niſi perverſam illam voluntatem mutes; unde ſi per annum perſeveres in ea voluntate non ſuſcipiendi Presbyteratum, titulus beneficii, & dominium fructuum ex legis diſpoſitione evaneſcit, atque adeo lege naturali teneris in foro conſcientiæ, & ante judicis ſententiam fructus reſtituere; Negari enim non poteſt, poſſe Pontificem beneficii titulum, & fructuum dominium ſub ea conditione concedere; quod autem de facto ſic conceſſerit, conſtat ex communi ſenſu Doctorum. Ex eo autem quod valida fuerit talis beneficii collatio, ſolum infertur, ut notat Leſſ. contra Sotum, quod qui mutata voluntate ante finem anni promotus fuit, non ſolum poſſit retinere fructus perceptos poſt mutatam voluntatem, ſed etiam fructus perceptos, antequam voluntatem mutaret.

VIII. Rogabis, An poſſit Epiſcopus diſpenſare, ut Parochus Sacerdotium differat ultra annum?

Reſpondeo ex Leſſ., poſſe ob unicam tantum cauſam ſtudiorum, & quidem ad ſeptennium, dummodo intra primum annum, quo debebat fieri Sacerdos, fiat Subdiaconus, ne ſcilicet a ſtatu Eccleſiaſtico reſilire poſſit, ut habetur in c. *Cum ex eo de Elect. in 6.*

Neque dicas facultatem hanc eſſe ademptam Epiſcopis ex Trid. ſeſſ. 12. c. 4. ubi dicitur: *Nec aliis in poſterum fiat proviſio, niſi iis, qui jam ætatem, & cæteras habilitates integre habere dignoſcantur; aliter, irrita ſit proviſio;* Unde videtur requirere præſentem eruditionem; & conſequenter incapax eſt Beneficii, qui indiget diſpenſatione, ut ſtudiis vacet.

Reſpondeo enim cum Leſſ. ex Navar., Tridentinum noluiſſe quoad ſcientiam in beneficiario requiſitam inducere correctionem juris antiqui, quandoquidem id clarius debuiſſet explicare; ſed ſolum voluiſſe renovare id, quod jure antiquò decretum erat, addita clauſula irritante, in qua ſubintelligatur exceptio jure antiquo conceſſa, videlicet niſi Epiſcopus cauſa ſtudiorum diſpenſaverit.

ARTICULUS V.

De Scientia, & Probitate Beneficiarii.

I. Quænam doctrina pro ſingulis Beneficiis requiratur.
II. Num defectus ſcientiæ requiſitæ irritam reddat Beneficii collationem?
III. Num poſſit Pontifex diſpenſare, ut illiterato Beneficium conferatur?
IV. Quænam Beneficia requirant Doctoratum?
V. Quandonam eſt irrita Beneficii collatio ex defectu Doctoratus?
VI. Quænam probitas in Beneficiario requiratur? Et cur defectus ſcientiæ requiſitæ irritet Beneficii collationem, non vero defectus probitatis?

I. Circa ſcientiam regula generalis eſt, eam ſcientiam in beneficiario requiri, quæ ſatis eſt ad exercendum officium beneficio annexum, quia beneficium datur propter officium, *ex cap. finali de Reſcriptis in 6.* Unde ſequitur primo, in Epiſcopis requiri, ut poſſint in ſana doctrina alios cohortari, & eos, qui contradicunt, arguere, ut loquitur Apoſtolus; majorique ſcientia pollere debent Cardinales, ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 1., quia Pontifici aſſiſtunt, & conſilium ei præbere debent pro totius Orbis gubernatione. Sequitur ſecundo, in Parochis requiri, ut poſſint populum edocere, quæ credere, & obſervare debet, eique ſacramenta miniſtrare. Tertio; beneficia, quæ jurisdictionem habent annexam, & cauſarum judicium, utriuſque Juris ſcientiam expoſtulant: beneficia vero ſimplicia, quæ nullum habent annexum ordinem, & ſolum obligant ad recitationem horarum, linguæ latinæ ſcientiam requirunt. Quamvis Pal., & Azor. putent, capacem eſſe hujus beneficii, qui ſolum latinam linguam ſcit legere, etiamſi ſenſum verborum non percipiat: Et communiter Doctores docent, non dici prorſus illiteratum, qui prima Grammaticæ rudimenta didicit.

II. Utrum autem ipſo jure ſit irrita collatio beneficii facta ei, qui ſcientiam non habet ſufficientem ad obeundum munus ſuum? dico cum communi, quod ſi beneficiarius ſit prorſus illiteratus, collatio beneficii ſit irrita. Ratio eſt, quia in c. *Cum in cunctis* dicitur, quod eligens indignum ob ætatis, morum, ſcientiæ, & natalium defectum, privetur poteſtate eligendi, & electio ad ſuperiorem devolvatur: ergo talis electio eſt nulla. Probatur conſequentia, quia defectus ſcientiæ æquatur defectui ætatis, & nativitatis; Sed talis defectus in omnium ſententia reddit irritam collationem beneficii: ergo etiam defectus ſcientiæ. Si vero beneficiarius non ſit prorſus illiteratus, ſed aliquam habeat literaturam, eſto non ſufficientem, collatio erit ſolum irritanda, ut notant Barboſ., Garzia, Azor., ex Trid. ſeſſ. 7. c. 3. Et ratio eſt, quia poteſt hic aliqualiter ſuo muneri ſatisfacere, & in nullo textu habetur, quod talis collatio ſit irrita.

III. Dubitatur etiam, An poſſit ex Pontificis diſpenſatione beneficium conferri illiterato? Negant pluries apud Gonzalez, putantes, jure divino ſcientiam requiri; quod colligunt ex illo Oſeæ 4. *Tu ſcientiam repuliſti, & ego te repellam, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Communiter tamen affirmant, quia de jure divino ſolum eſt, quod beneficiarius officium exercens aptus ſit ad illud exercendum. Pontifex tamen interveniente gravi cauſa eximere poteſt beneficiatum ab obligatione exercendi munus ſuum, aſſignando illi coadjutorem.

IV. Præter ſcientiam requiritur aliquando publicum de illa teſtimonium. Nam Trid. ſeſſ. 22. c. 2. ſtatuit in primis pro Epiſcopatu, & aliis ſuperioribus beneficiis, ne ullus promoveatur, qui in Univerſitate ſtudiorum Magiſter, ſive Doctor, aut Licentiatus in ſacra Theologiæ ſcientia, vel Jure canonico merito non ſit creatus, aut publico alicujus Academiæ teſtimonio idoneus ad alios edocendos oſtendatur; Quod ſi Regularis fuerit, a Superioribus ſuæ Religionis ſimilem fidem habeat. Præterea requiritur gradus Doctoris, Magiſtri, vel Licentiati pro Canonico Pœnitentiario Cathedralis, ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 8.; Sicut etiam pro Archidiaconis juriſdictionem contentioſam habentibus, qui proinde oculi Epiſcopi dicuntur; Secus vero pro Archidiaconis, qui hac juriſdictione ex recepta conſuetudine carent; Nec id requiritur pro Decanatu, aut aliis Dignitatibus; quamvis Trid. ſeſſ. 24. c. 12. hortetur, ut non niſi Doctoribus, Magiſtris, aut Licen-

centiatis conferantur, & saltem dimidia pars Canonicatuum iis graduatis detur.

V. Difficultas est, An si gradus sit obtentus absque scientia competenti, provisio beneficii sit irrita? nam gradus hic requiritur propter scientiam, & Trid. dicit, non esse eligendum in Episcopum, nisi qui merito sit creatus Doctor, vel Magister, &c. Communiter tamen docent, collationem esse validam, quamvis facta sit parum literato, ut supra diximus; aliter innumeri essent scrupuli in promotis, & innumera sequerentur inconvenientia, si sic graduati non possent uti privilegiis graduatorum. Imo si quis contra constitutiones, & consuetudines Universitatum falso probavit cursus necessarios, vel descriptionem in matricula, vel non servavit formam in examine præscriptam, tunc solum collatio beneficii esset invalida, quando supradictæ constitutiones ita ea expostulant, ut declarent susceptionem gradus aliter factam esse nullam; Quod ex Pal. in omnibus fere Universitatibus statutum est; secus vero esset pariter valida.

VI. Probitas vero morum (quæ scilicet gravia peccata excludat) ita in beneficiario requiritur ex cap. *Grave nimis de Præbendis*, ut ejus defectus non reddat invalidam beneficii collationem nisi per accidens, videlicet si delictum traheret secum aliquod impedimentum, puta excommunicationem, irregularitatem &c. Neque dicas, defectum literaturæ reddere hominem beneficii incapacem, ergo etiam defectum probitatis. Nam disparitas est, quia sine literatura non potest exerceri officium, ad quod beneficium ordinatur: Contra vero deditus vitiis potest officium beneficio annexum exercere, quamvis non licite sic illud exerceat.

Q U Æ S T I O II.

In quosnam usus expendi possint fructus Beneficii?

DIscutiendum hic primo, Num Beneficiarius sit dominus fructuum ad congruam sustentationem necessariorum, an solum Administrator? Deinde, quænam dicatur congrua Beneficiarii sustentatio? Tertio, Num Beneficiarius sit dominus etiam fructuum, qui congruæ sustentationi superfluunt? Quarto, Quandonam Beneficiarii, & quando Laici ad Eleemosynam obligentur de superfluis statui? Quinto, Utrum etiam jure naturali Beneficiarii obligentur erogare superflua in usus pios? Ultimo, An etiam Beneficiarii Religiosi sint domini omnium fructuum Beneficii?

ARTICULUS I.

An Beneficiarii sint domini fructuum ad congruam sustentationem necessariorum?

I. Beneficiariorum bona vel sunt Patrimonialia, vel quasi Patrimonialia, vel mere Ecclesiastica.

II. Beneficiarii sunt absolute domini fructuum Beneficii ad congruam sustentationem necessariorum.

III. Non quia hujusmodi fructus sunt merces laboris.

IV. Sed quia ad conservandam dignitatem Ecclesiasticam conferuntur.

V. Num possint ad usus profanos expendi fructus, qui a congrua sustentatione subtrahuntur?

VI. Num lege positiva prohibeatur Beneficiariis de hujusmodi fructibus ad usus profanos disponere?

VII. Num sint domini fructuum ad sustentationem necessariorum, etiamsi habeant Patrimonialia?

VIII. Num possint Patrimonialibus vesci, & de illis fructibus pro libito disponere?

IX. Num simulantes paupertatem restituere teneantur, quod titulo eleemosynæ acceperunt?

I. BOna Beneficiariorum alia sunt Patrimonialia, alia quasi Patrimonialia, alia mere Ecclesiastica. Patrimonialia dicuntur, quæ donatione, labore, hæreditate acquisivit Ecclesiasticus, aut alia simili via, qua solent laici ea sibi comparare. Quasi Patrimonialia dicuntur, quæ Ecclesiasticus tamquam Clericus acquirit, nulla habita ratione beneficii, v. gr. celebrando, concionando, funus ducendo, &c. Mere Ecclesiastica sunt, quæ titulo beneficii acquiruntur, ut sunt Primitiæ, Decimæ, & omnes fructus beneficii. Certum est, beneficiarium esse dominum bonorum non solum Patrimonialium, cum non sit ipse deterioris conditionis, quam laicus, sed etiam quasi Patrimonialium, utpote quæ accipiuntur in stipendium, & mercedem laboris exhibiti, & sine ullo onere, aut conditione traduntur, quod scilicet ad pios usus expendantur, ut notant Vasquez, & Less. Quare dubium solum est de proventibus beneficii, Num scilicet jus tantum administrationis, an etiam dominii habeat beneficiarius sæcularis? nam de Regulari dicemus articulo ultimo.

II. Communis, & vera sententia apud Molin. disput. 145. Less., Bonac. contra Sarmientum, & alios docet, beneficiarios esse absolute dominos fructuum necessariorum ad congruam sustentationem; unde ad libitum possunt illos expendere, non secus ac Bona Patrimonialia, & quasi Patrimonialia.

III. Probant id communiter; quia congrua sustentatio est pretium laboris, propter quem datur beneficium; Operario autem liberum est mercedem insumere in quos usus maluerit. Verum hæc ratio videtur parum efficax; labor enim beneficiati regulariter non est tantus, ut illi respondeat ex debito congrua sustentatio; Quis enim dixerit, recitationem v. g. Horarum exigere integram sustentationem recitantis? Neque valor laboris potest esse major ex spiritualitate operis, sicut labor v. gr. in docendis scientiis æstimabilior est ratione operis, in quo exercetur. Nam sic committeretur simonia æstimando spiritualia pretio temporali, ut si aurum calicis consecrati pluris vendatur propter consecrationem. Adde, quod labor ipse intrinsecus rei spirituali pecunia æstimari non potest citra simoniam,

ex

ex regula illa Urbani in cap. *Si quis objecerit* 1. qu. 3. *Qui horum alterum vendiderit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

IV. Validior itaque ratio est, quia congrua sustentatio debita est ad conservandam dignitatem Ecclesiasticam, quam habet beneficiarius: Quod colligitur ex cap. finali *de Rescriptis in 6.* ubi dicitur, *Beneficium dari propter Officium*; & nomine Officii non venit onus horarum Canonicarum, nec labor in satisfaciendo proprio muneri, sed dignitas beneficiarii. Quare quamvis labor v. gr. Canonici non mereatur tot fructus, quot ad integram sui sustentationem requiruntur; meretur tamen illos dignitas Canonicalis. Ex quo fit, ut dignitati præstantiori, puta Cardinalatus, quamvis minus laboriosæ, quam sit altera, major tamen summa fructuum debeatur; quia congrua sustentatio majoris dignitatis exigit majores expensas Neque obstat, hinc sequi, ab Ecclesia multis dignitatibus injuste assignari tenue beneficium; cum plurimi Episcopatus tenuiores habeant reditus, quam multi Canonicatus. Nam illæ dignitates voluntarie suscipiuntur a beneficiariis, & consequenter non fit illis injuria ab Ecclesia, quæ non potest pinguiores reditus offerre; Sicut nec fit injuria marito accipienti voluntarie uxorem, quæ caret dote competente ad illam alendam.

V. Sequitur ex dictis primo, quod si beneficiarius parce vivendo minuat expensas habitationis, familiæ, mensæ, suppellectilis proportionatæ suæ dignitati, possit pro libito disponere de fructibus, quos non expendit in sui congruam sustentationem, dando illos consanguineis, & expendendo in usus profanos, ut docent communiter cum D. Thom. 2. 2. qu. 185. art. 7. Probatur illatio: nam beneficiatus portionis debitæ congruæ suæ sustentationi est dominus, non usuarius; ergo non solum poterit illam ad proprios usus convertere, quod convenit usuario, sed etiam pro libito disponere, quod convenit domino. Notandum vero, quod beneficiarius licet istorum fructuum dicatur dominus, bonorum tamen immobilium Ecclesiæ nullatenus sit dominus, cum non habeat facultatem de illis disponendi: Esto non sit simplex usuarius, sed usufructuarius; non enim solum habet facultatem utendi de fructibus beneficii, quod convenit usuario, sed etiam utendi simul, & fruendi, seu percipiendi, quicquid emolumenti percipit ex beneficio, salva illius substantia; atque adeo potest fructus beneficii alienare, vendere, locare, &c. quæ non licerent, si solum esset usuarius, & non usufructuarius.

VI. An autem hoc, quod jure naturalis dominii permittitur, lege tamen positiva prohibeatur? est dubium apud Molin. disp. 146.; eo quod Trid. sess. 25. cap. 1. prohibeat, ne fructus beneficii expendantur in consanguineis, & familiaribus ditandis, & consequenter in usibus profanis.

Communiter autem docent cum Sanch. libro 2. consil. cap. 2. dub. 43. contra Sarmient. & Panorm. Tridentinum non loqui de fructibus ad congruam sustentationem necessariis, sed de superfluis. Ratio ex Nav. & Molin. est, quia pecunia, quam beneficiatus reservat imminuendo de sustentatione sibi debita, non censetur fructus beneficii, sed industriæ, quia parcius vivere, quam posset, reputatur industria; Bona autem per industriam acquisita comparantur Patrimonialibus, quæ licite expendi possunt in usus profanos. Sic in materia de restitutione communiter docent, fructus mere industriales rei alienæ non censeri fructus rei alienæ, & ideo posse a fure retineri, & non restitui domino, cum nullum inde damnum dominus patiatur.

VII. Sequitur secundo solutio illius dubii, An Beneficiarius acquirat dominium fructuum ad congruam sustentationem requisitorum, etsi habeat bona Patrimonialia, quibus possit commode sustentari? Negant Adrian. & alii, apud Sanch. loco cit. dub. 44. tum quia Can. 40. Apostol. dicitur posse Episcopus uti fructibus, quibus indiget; si tamen indiget; qui autem habet Patrimonialia non indiget: tum etiam quia Caus. 16. quæst. 1. cap. ult. habetur. *Qui autem bonis Parentum & operationibus sustentari possunt, si quod est pauperum accipiunt, sacrilegium committunt.*

Communiter tamen tam Canonistæ, quam Theologi cum Sanch. docent, eodem modo divitem, ac pauperem beneficiarium acquirere dominium fructuum, qui ad congruam sustentationem requiruntur. Ratio est facilis ex principio præjacto, quia scilicet fructus congruæ sustentationis sunt stipendium dignitatis Ecclesiasticæ; debitum autem stipendii non dependet ab indigentia ejus, cui datur, sed ab onere, propter quod datur; ergo beneficiario sustinenti Ecclesiasticam dignitatem debetur stipendium talis dignitatis, quantumvis bonis Patrimonialibus abundet; Sicut Regi v. g. datur stipendium a Regno ad sustentandam dignitatem Regiam, quantumvis aliunde haberet requisita ad illam sustentandam.

VIII. Ex quibus etiam deducitur, posse beneficiarium sustentari de fructibus beneficii, & patrimonialia relinquere consanguineis, aut in alios usus expendere; vel si de patrimonialibus sustentetur, posse illa de reditibus beneficii compensare, dummodo non habuerit animum oppositum non compensandi, seu quasi donandi, ut possit omnes reditus beneficii in pios usus expendere. Ratio est, quia qui Altari servit, de Altari vivere debet, integre inde accipiendo suam congruentem sustentationem; cum nemo suis stipendiis militare teneatur, ut docet Apost. 2. ad Corinth. 9.

IX. Neque obstant jura in contrarium aducta; Nam in Can. 40. Apostolorum sermo est de Episcopis, qui habebant votum solemne paupertatis, & erant incapaces dominii; unde solum poterant uti fructibus, quibus indigebant. In causa vero 16. laudata sermo est de Clericis, quibus dantur bona Ecclesiæ non ut ministris, & titulo stipendii, sed ut pauperibus, & titulo Eleemosynæ; isti enim fingentes paupertatem procul dubio peccant accipiendo Eleemosynas pauperibus donatas: Donatio enim Eleemosynaria supponit essentialiter indigentiam, nec censetur voluntaria, nisi detur indigenti; unde fingens paupertatem non acquirit ejus dominium, sed tenetur illam restituere, vel ipsi danti, ut docet Vasq., & Palaus, quia per donationem invalidam non transfertur dominium; vel aliis pauperibus, ut nonnulli etiam probabiliter docent, eo quod videantur jus acquisivisse pauperes, quibus facta est donatio, quamvis Sotus, & Granad. contra Navar. apud Dian. part. 5. tract. 8. resol. 21. censeant id verum esse duntaxat in Eleemosynis extraordinariis, non in quotidianis & communibus, quæ ostiatim mendicantibus dari solent; iis enim videntur dari absolute titulo charitatis, & paupertas videtur esse causa impulsiva, non finalis. Quare cum Eleemosyna non detur conditionate, vide-

videlicet ſi adſit paupertas, quamvis peccent ſimulantes paupertatem, non tenentur tamen reſtituere modicam ſummam acceptam, niſi aliud conſtet de mente donantis. Verum quidem eſt, quod cognita ſimulatione paupertatis, non fuiſſet erogata ſtips; ſed non proinde ſequitur, quod ſtips erogata ſit ſub conditione paupertatis, aut quod paupertas fuerit cauſa finalis illius: Sicut in aliis contractibus eſt manifeſtum; nam ex. gr. quamvis Epiſcopus non contuliſſet Beneficium Clerico improbo, ſi ejus improbitatem advertiſſet, non proinde collatio eſt conditionata, & invalida, cum non ceſſet cauſa finalis illius, quæ eſt idoneitas Clerici; Aliter fere omnes contractus eſſent conditionati, & invalidi, quia fere ſemper quædam ignorantur, quibus deprehenſis non fieret contractus.

ARTICULUS II.

Quænam dicatur Congrua Beneficiarii Suſtentatio?

I. Congrua ſuſtentatio quid ferat?
II. An comprehendat ſuſtentationem pauperum conſanguineorum?
III. An Spurii alimenta, & dotem Spuriæ?
IV. An ſolutionem etiam debiti ob actiones peccaminoſas contracti?
V. Num ſuſtentationem congruam dignitati?
VI. Quid de ſuſtentatione congrua perſonæ, quæ ſit valde nobilis, aut valde docta?
VII. An ea comprehendat, quæ requiruntur ad altiorem ſtatum acquirendum?
VIII. Beneficiariis non licet fructus ſuperfluos expendere ad acquirendam dignitatem ampliorem, quamvis proxime futuram.
IX. Laicis quomodo id liceat?
X. Poſſunt Beneficiarii reſervare aliquid ad conſervandam dignitatem proxime, & probabiliter futuram.
XI. Dummodo tamen aliunde non poſſint tali neceſſitati proſpicere.

I. CONveniunt Doctores, congruam ſuſtentationem includere expenſas domus, menſæ, veſtium, famulorum, ſupellectilis, dummodo hæc ſint proportionata Eccleſiaſticis viventibus de Patrimonio Chriſti: Includit etiam hoſpitalitates, convivia, ac donationes moderatas, necnon recreationes; a quibus tamen jure merito eximit Sanch. dub. 41. alere paraſitos, & Hurt. equos, & canes venaticos.

II. Dubium eſt primo, An comprehendat etiam congruam ſuſtentationem conſanguineorum non habentium requiſita ad ſe ſuſtentandum juxta ſtatum, ad quem elevati ſunt ex nova dignitate Beneficiarii, poſtquam Frater, aut Patruus Epiſcopalem, aut Cardinalitiam dignitatem adeptus eſt? Communis ſententia cum Molin. diſp. 146. affirmat, dummodo conſanguinei careant bonis Patrimonialibus. Ratio eſt, quia congrua ſuſtentatio beneficiarii poſtulat, ut hic decenter vivat; non vivit autem decenter Epiſcopus v. g. ſi ſit illi dedecus habere conſanguineos, qui non vivant, ut decet conſanguineos Epiſcopi, juxta commune prudentum judicium, ac praxim moderatorum. Unde infert Molin. poſſe Epiſcopum dare majorem dotem Filiæ Spuriæ indigenti, quam poſſet ſimplex Sacerdos, quia major dos decet Patrem nobiliorem. Præterea probari etiam poteſt doctrina hæc communiter recepta, quia ſi conſanguineus non habeat requiſita ad novum ſtatum, ad quem elevatus fuit per Beneficium ſui v. g. Fratris, jam eſt indigens: ergo poteſt beneficiarius tradere illi fructus etiam ſuperfluos ſuæ ſuſtentationi titulo Eleemoſynæ a Tridentino præceptæ; Eleemoſyna enim reſpicit indigentiam, & indigentia ex Sanch. dub. 38. dicit non ſolum defectum neceſſariorum ad naturam, ſed etiam ad ſtatum.

III. Gravior itaque difficultas eſt de Filio ſpurio beneficiarii, an poſſit ex fructibus beneficii ſuſtentari, ſi Pater habeat bona Patrimonialia? In affirmativam ſententiam valde inclinat Palaus tom. 1. tract. 6. diſp. 2. punct. 9. quia congrua ſuſtentatio beneficiati omnia illius onera comprehendit, inter quæ ſunt alimenta ſpurii, ad quæ iſte habet jus. Neque obſtat, poſſe huic oneri ſatisfieri bonis Patrimonialibus. Nam ſi poteſt beneficiarius donationes moderatas ex fructibus beneficii facere, & congruam ſuſtentationem dare conſanguineis indigentibus ex iiſdem fructibus, quantumvis abundet Patrimonialibus bonis, cur non poterit ſimiliter dare ſpurio alimenta?

Communior tamen ſententia cum Azor. Filliuc. Nav. Bonac. punct. 2. n. 15. docet, tunc ſolum poſſe beneficiarium dare ex fructibus Beneficii Filio ſpurio alimenta jure naturæ debita, & Filiæ ſpuriæ dotem, (quæ ſuccedit in locum alimentorum) quando aliunde ea ſuppeditare non poteſt; & Palaus ipſe fatetur, hoc eſſe in praxi conſulendum. Ratio eſt, quia congrua ſuſtentatio beneficiati fert jus ad ſatisfaciendum oneribus, quæ ſunt juxta ſtatum Clericalem; Onus autem alendi ſpurium non eſt juxta, ſed contra ſtatum Clericalem; ergo non ſpectant fructus beneficii ad illud, niſi tantum conditionate, videlicet ſi Spurius indigeat; qui tamen non indiget, ſi Pater poteſt ex Patrimonialibus illum alere. Unde patet diſparitas inter donationes moderatas, aut alimenta conſanguineorum indigentium, & alimenta Spurii; Illa enim ſunt juxta ſtatum Clericalem, unde ex fructibus beneficii dari poſſunt, quantumvis beneficiarius Patrimonialibus abundet.

IV. Hic diſcurſus conformis eſt doctrinæ communi, quam tradit Sanch. dub. 42. dum quærit, An poſſit beneficiatus ex fructibus beneficii ſolvere debita contracta ob actiones peccaminoſas? Communiter enim Doctores negant id poſſe, ſi habeat patrimonialia, poſſe vero, ſi non habeat. Ratio eſt eadem, quia debita contracta ob actiones peccaminoſas ſunt contra, non juxta ſtatum Clericalem; ergo ad illa ſolvenda non debentur bona beneficii abſolute, ſed conditionate, ſi ſcilicet aliis careat. Et ratio radicalis hujus eſt, quia quando debitor eſt impotens ad ſolvendum, cenſetur indigens: ergo fructus, qui expenduntur ad ſolvendum ea debita a beneficiario carente Patrimonialibus, videntur dari loco Eleemoſynæ.

V. Dubitatur ſecundo, An perſonæ illuſtres, quæ habent dignitatem Eccleſiaſticam parem alteri vilis conditionis, poſſint pro congrua ſuſtentatione ſumere fructus beneficii ampliores? Negat Lorca diſp. 40. quia cum fructus beneficii ſint ſtipendium dignitatis Eccleſiaſticæ, conſequenter applicandi ſunt ad ſuſtentandam illam dignitatem, non vero nobilitatem perſonæ. Hæc tamen doctrina communiter rejici-

rejicitur, ubi persona careat patrimonialibus requisitis ad congruam sustentationem suæ nobilitatis; quia scilicet tunc reputatur indigens. Quare sicut fructus beneficii applicari possunt ad sublevandam similem indigentiam alterius, a fortiori ad sublevandam propriam. Difficultas itaque procedit, An possit uti fructibus beneficii ad propriam nobilitatem sustentandam, etiamsi habeat Patrimonialia? In quo sensu id negat Sanch. dub. 41. cum Molin. Nav. & aliis, quia sunt fructus destinati ad vivendum juxta qualitatem beneficii, non personæ, nisi hæc indigeat. Affirmat tamen probabilius Laym. cap. 3. & Hurt. 2. 2. disp. *160. sect. 6.* Ratio est, quia nobilitas personæ auget in æstimatione morali ipsam dignitatem Ecclesiasticam; unde stipendium debet servare mensuram ex illa, cum debeat servare mensuram ex dignitate, ut fatentur Adversarii. Nec Molin. dissentit, si attente legatur; Nam disp. 145. dicit, illud incrementum sustentationis posse sumi ex reditibus beneficii, si nobilitas personæ sit utilis Ecclesiæ, ut sane regulariter est utilis. Et confirmatur, quia in cap. *de Multa de Præbend.* Innoc. III. dicit, dispensari posse a Sede Apostolica cum valde nobilibus in duplicitate beneficii; ergo (ut inferunt Laym. & Kon. dub. 11.) supponit Pontifex, posse personas valde nobiles sumere plures fructus pro sua sustentatione, quam possent alii; alioquin inutilis esset hæc dispensatio. Illud tamen certum est, sustentationem ab hujusmodi beneficiario non esse sumendam, sicut sumeretur a pure Laico ejusdem nobilitatis, quia sustentatio in statu Ecclesiastico debet esse moderata, cum minuatur potius nimio luxu dignitas Ecclesiastica, quam augeatur.

VI. Quod diximus de persona valde nobili, dici etiam debet de notabiliter docta, ut iidem Doctores consequenter docent ex laudato cap. *de Multa de Præbend.* Ratio est, quia etiam nimia literatura auget in æstimatione morali dignitatem Ecclesiasticam; unde 1. ad Timoth. 5. dicitur: *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore*, (idest munerum largitione, ut exponit Hieronym. in c. 15. Matth.) *digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina.* Idem etiam dicendum, si beneficiatus ejusdem dignitatis, v. g. Episcopus, habeat ampliores reditus, quam alius Episcopus; poterit enim pro sua sustentatione ampliores fructus sumere, quia majoritas etiam redituum reddit dignitatem æstimabiliorem, ut idem Laym. fuse expendit loco citato, & divites cogendi non sunt vivere pauperum cibo, ex cap. *Non cogatur.* dist. 41.

VII. Dubitatur ultimo, An congrua sustentatio beneficiarii comprehendat non solum quæ ad præsentem dignitatem, sed etiam quæ ad altiorem statum, & dignitatem requiruntur, quin obligetur ea in pauperes, aut in alios pios usus distribuere? Ratio dubii est, quia hinc sequeretur rarissime dari fructus superfluos pro Eleemosynis, quæ omnia requirerentur ad statum majorem acquirendum. Vasq. de Eleemosynis c. 4. quamvis id concedat de Laicis, negat tamen de beneficiatis. Lorca negat de utrisque; Et quidem jure merito; falsissima enim est, & ab Innoc. XI. damnata prop. 15. dicens: *Vix in Sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui; & ita vix aliquis tenetur ad Eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.* Nihilominus distinguendum puto cum Cajet. & Cord. apud Dian. part. 5. tract. 8. resol. 20. & inspiciendum num altior dignitas, quæ speratur, sit proxima, & probabiliter futura, an sit remota? & utrum requisita ad altiorem dignitatem proxime assequendam habeantur aliunde, quam ex bonis beneficii, & solum requirantur fructus beneficii, ut ad illam assumptus non indigeat?

VIII. Dico itaque primo: Beneficiatus non potest applicare fructus beneficii superfluos statui ad acquirendam dignitatem altiorem, non solum si ea sit remota, quod est certum, aliter nunquam teneretur ad Eleemosynas; sed etiam si sit proxima. Ratio est, quia acquisitio dignitatis altioris non pertinet ad congruam sustentationem status præsentis, ut patet; ergo cum beneficiarius teneatur ad usus pios expendere quicquid superest de sustentatione congrua præsenti statui, juxta præceptum Tridentini sess. 25. cap. 1. non potest fructus beneficii applicare ad acquirendam dignitatem altiorem, quamvis probabiliter & mox assequendam.

IX. Dico secundo. Laici, qui non habent hoc onus Ecclesiasticorum, expendendi scilicet in usus pios quicquid est superfluum statui præsenti, sed solum obligantur ad aliquas Eleemosynas, possunt applicare quidquid est superfluum statui præsenti ad acquirendas dignitates majores proxime, & probabiliter assequendas. Ita Kon. disp. 27. de Charit. dub. 8. & juxta hanc sententiam interpretandus est Vasq. laudatus. Ratio est, quia bona Laicorum sunt propria, non Ecclesiæ, uti sunt bona beneficiariorum, quibus dantur cum onere erogandi superfluum pauperibus: ergo si non urgeat extrema, aut gravis necessitas proximi, non sunt privandi Laici dignitate altiori proxime obtinenda, ut subveniant pauperibus in necessitatibus communibus; hoc enim esset grave damnum divitum, & modica utilitas pauperum; Unde non videtur posse hoc præcipi a Virtute Misericordiæ.

X. Dico tertio. Beneficiatus quamvis non possit superflua statui præsenti expendere ad acquirendam altiorem dignitatem, potest tamen ea reservare ad congruam sustentationem dignitatis majoris proxime, & probabiliter futuræ, si ad illam aliunde, & independenter a fructibus beneficii sit promovendus; Aliud enim est uti fructibus, ut promoveatur, quod beneficiario non licet; aliud vero reservare illos, ne promotus indigeat; quod videtur licere. Ratio est, tum quia Doctores cum Nav. Opusculo de Redit. qu. 1. concedunt posse beneficiarium reservare fructus ad necessitates de proximo probabiliter futuras Ægritudinis, Sterilitatis, Litis, &c. ergo etiam ad necessitates status altioris mox futuri; tum etiam quia ad similem indigentiam alterius promovendi applicari possent illi fructus titulo Eleemosynæ; ergo a fortiori ad propriam: Tum demum a priori, quia ad congruam sustentationem status præsentis spectat non solum non indigere de præsenti, sed neque exponi proximo, & probabili periculo indigentiæ; cum præsertim status proxime, & probabiliter futurus reputetur moraliter præsens.

XI. Hinc sequitur primo, requiri, ut hæc indigentia probabiliter videatur esse necessaria ad statum majorem mox acquirendum, nec sit beneficiarius tunc habiturus probabilem spem prospiciendi aliunde iis necessitatibus; aliter non reputabitur absolute indigens. Secundo requiri, ut necessitas non sit remota; unde Sanch. dub. 38. cum Navar. negat posse Beneficiarium reservare fructus ad necessi-

tates remotas, v. g. ad dotem neptis nondum natæ; ad vivendum in ætate decrepita, quæ longe distat, &c.

ARTICULUS III.

An Beneficiarius sit Dominus etiam fructuum, qui congruæ sustentationi superfluunt?

I. *Fructus, qui congruæ sustentationi beneficiarii superfluunt, videntur non posse citra furtum pauperibus denegari.*
II. *Sed probabilius non datur ad id obligatio ex justitia.*
III. *Aliter non irritarentur in jure Beneficiariorum Testamenta.*
IV. *Nec esset validum testamentum, ubi daretur testandi consuetudo.*
V. *Praxis Ecclesiæ ratas habentis Beneficiarii donationes id confirmat.*
VI. *Fructus superflui ex Ecclesiæ præcepto in usus pios expendendi.*
VII. *Largo modo dicuntur Raptores, qui id negligunt.*
VIII. *Peccant graviter, qui aliter de his fructibus disponunt, sed ad restitutionem non tenentur; sicut nec accipientes.*
IX. *Immo accipientes neque ex præcepto Misericordiæ, aut Religionis tenentur illos in pios usus expendere.*

I. HÆc est præcipua quæstionis præsentis difficultas; cum enim fructus congruæ sustentationi superflui non dentur in stipendium beneficiario, non poterit hic esse illorum dominus, nisi ex liberali donatione sibi facta, quæ tamen non videtur asserenda; Sicuti enim si Titio dantur centum, ut ea in peregrinationem insumat, & quod superest det pauperibus, non acquirit absolute dominium omnium centum, sed ex justitia tenetur dare pauperibus, quod superest post peregrinationem; aliter restituere tenetur danti, tanquam datum ob causam, causa non subsecuta, ut notavit Paludanus: Ita cum dentur beneficiario fructus beneficii sub onere expendendi in usus pios, quod congruæ sustentationi superfluit, videtur ille ex justitia ad id obligari, nec posse ad libitum tanquam dominus de superfluis disponere. Unde potius videtur esse administrator, & dispensator, si spectentur sacri Canones, & Concilia, præsertim Tridentinum præcipiens, ne ex illis consanguinei ditentur, sed ut alantur pauperes, & Divinus cultus promoveatur. Istæ enim limitationes non competunt domino, qui potest uti re pro libito. Præterea actus testandi est actus dominii, & tamen in cap. *Reatum de Testam.* redditur irritum testamentum beneficiati factum de reditibus beneficii, excipiendo tantum minutiora, quæ scilicet gratitudinis causa, v. g. famulis, testamento relinquuntur. Demum tam longa fructuum collatio in dominium non videtur consentanea moderationi status Ecclesiastici: præsertim quia ante beneficiorum institutionem, quando Ecclesiastici in communi vivebant, dabatur quarta pars pauperibus, quæ postea inclusa est in bonis Beneficiorum; Ut propterea sacri Canones vocent istam patrimonium pauperum, res Dei, patrimonium Christi, pretium peccatorum, vota Fidelium; & beneficiarii in cap. *Res Ecclesiæ* 12. q. 1. dicuntur dispensatores, & contra non dantes pauperibus dicuntur Raptores in cap. *Ordinamus* dist. 2. Unde D. Bern. epist. 1. ad Canonicum Lugdunensem ait: *Quicquid præter necessarium & victum, & vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Non essent autem Raptores, si essent Domini. Quapropter celebris est sententia negans, beneficiarios esse dominos fructuum congruæ sustentationi superfluorum, quam Nav. tract. 2. de redit. dicit esse pene omnium Canonistarum, & Major in 4. dist. 24. qu. 6. ait, neminem usque ad sua tempora contrarium docuisse: Illamque tenent alii apud Lay. c. 2. qui quamvis doceat, beneficiarium esse dominum omnium redituum, etiam superfluorum, adhuc putat ex justitia teneri ad erogandos superfluos in usus pios.

II. Opposita tamen sententia docens ita esse dominos portionis superfluæ, ut non teneantur illam erogare pauperibus ex justitia, sed solum ex lege obligante ad actum Misericordiæ, vel Religionis, est conformior sacris Canonibus, praxi Ecclesiæ, & rationi; eamque defendunt Suar. Vasq. Molin. disp. 143. Valent. Bonac. Coninch. Less. & Marsil. apud Filliuc. tract. 43. cap. 7. refert pro illa 50. Canonistas, & 17. Theologos.

III. Primo quidem est conformior juri Canonico; quod colligitur ex ipsa prohibitione testandi adducta ab Adversariis pro sua sententia. Si enim beneficiarii in jure non reputarentur domini fructuum, non invalidarentur peculiari constitutione illorum testamenta; quandoquidem jure naturæ fuissent invalida ex defectu dominii. Non est autem novum domino prohiberi a lege aliquem usum rei suæ, ita ut actus vi prohibitionis sit irritus; ut de facto impuberi prohibetur, & simul irritatur actus testandi; & fideicommissario alienatio rei fideicommissæ. Quare dominium definitur quidem esse jus ad omnem usum; Sed additur, qui non sit lege prohibitus, & invalidus.

IV. Neque dicas, jus canonicum non irritare, sed declarare irritum testamentum beneficiarii ex defectu dominii. Nam sic deberet etiam declarare irritas donationes factas a beneficiario in vita, & non causa mortis, quas tamen reputat validas, si factæ sint certis diebus ante mortem, ut constat ex praxi. Adde ex Less. cap. 19. n. 46. quod ubi prævalet consuetudo testandi in beneficiatis, validum est testamentum; quod tamen non valeret, si esset invalidum ex defectu dominii; quia consuetudo potest quidem abrogare legem humanam, non tamen jus naturale, contra quod esset translatio dominii facta per donationem a non habente dominium rei donatæ; ergo jus canonicum non declarat testamentum beneficiarii invalidum, sed illud invalidat: Et finis irritationis est, ne beneficiarii nimis avide congregent in vita pecunias ex fructibus beneficii, illos a pauperibus subtrahendo, ut possint de illis per ultimam voluntatem disponere pro libito. Accedit, quod ex Tridentino sess. 23. cap. 1. non residentes, & non recitantes officium in pœnam non fiunt domini, nec faciunt fructus beneficii suos: ergo sublata tali culpa, & pœna, supponuntur domini.

V. Præterea ea est praxis Ecclesiæ, ut non rescindantur donationes inter vivos factæ a beneficiatis, quantum-

tumvis ampliſſimæ, nec impediantur exequutiones, nec obligentur donatarii ad reſtitutionem; ut deberent ex officio facere Prælati, ſi tales donationes factæ eſſent a non dominis in damnum pauperum: Sicut de facto impediunt Prælati donationes factas vi teſtamenti a beneficiariis, quia ſunt irritæ. Nec eſt credibile, quod ſi beneficiarii non eſſent domini fructuum ſuperfluorum, illud Pontifex non declaraſſet; ſicut in cap. *Fraternit. de Donationibus* Alexander III. declaravit, eoſdem non eſſe dominos fundi beneficii: ergo noſtra ſententia eſt conformior etiam praxi Eccleſiæ.

VI. Demum congruit rationi; quia univerſim quæcumque dantur, præſumuntur dari cum translatione dominii, quamvis excedant ſummam labori correſpondentem, niſi conſtet oppoſitum; non conſtat autem fructus Beneficii ſuperfluos dari ſine translatione dominii: Talis enim translatio vel impediretur, quia res data eſt debita alteri ex juſtitia, videlicet pauperibus; vel quia dantes, videlicet laici fundantes beneficia, noluerunt dare dominium fructuum, ſed ſolam adminiſtrationem: Neutrum autem obſtat; Non primum; nam licet quarta pars bonorum Eccleſiaſticorum, quæ ante inſtitutionem beneficiorum dabatur pauperibus, videatur confuſa cum portione beneficiatorum, non per hoc tranſit ad beneficiatos ſine dominio, aut cum obligatione ex juſtitia dandi illam pauperibus; Nam ſicut illa quarta pars ante erectionem beneficiorum non erat debita pauperibus ex juſtitia, ſed ex miſericordia Eccleſiæ, ut notat Becan. tract. de juſtit. cap. 3. qu. 6., ita non cenſetur tranſiſſe ad beneficiarios cum onere juſtitiæ, ſed ſolius miſericordiæ. Quod efficaciter confirmatur, quia ſi deberentur pauperibus ex juſtitia, non poſſent expendi in alios uſus pios ipſis invitis, ut patet; quod tamen adverſarii non admittunt. Neque obſtat ſecundum, quia laici fundantes beneficia principaliter, & abſolute dederunt illa bona Deo: unde Trid. ſeſſ. 25. cap. 1. dicit, beneficia eſſe res Dei, cui data ſunt a laicis liberaliter, & ſine ullo pacto; quoniam autem Deum non habemus in commercio viſibili, illius voluntas innoteſcit nobis ſolum per Eccleſiam, cui Deus poteſtatem ampliſſimam dedit præſcribendi Clericis uſum talium fructuum, prout expedire judicaverit: Eccleſia autem præcipit quidem, ut ex ſuperfluis exerceantur opera miſericordiæ, aut religionis, noluit tamen ad id obligare Clericos ex juſtitia, ut ex citatis juribus, & praxi Eccleſiæ ſatis conſtat.

VII. Neque obſtat, quod in ſacris Canonibus beneficiarii non dantes Eleemoſynam vocentur Raptores; Dominus autem non rapiat, quod ſuum eſt. Nam etiam laici non dantes Eleemoſynam de ſuperfluis dicuntur a D. Hieron., & aliis PP. aliena rapere. Id tamen dicitur per exaggerationem; cum enim ex miſericordia obligentur laici ad Eleemoſynas, & ſtrictius beneficiarii; ideo Eleemoſyna dicitur pauperibus debita, quamvis largo modo ſit debita, & non ex juſtitia; unde etiam largo modo dicitur raptor, qui Eleemoſynam ſic debitam non erogat: Et in eadem larga ſignificatione beneficiariorum bona dicuntur in jure patrimonia pauperum, & illorum domini dicuntur diſpenſatores, quaſi ſit alienum, quod debetur alteri ex lege miſericordiæ.

VIII. Ex dictis ſequitur primo, beneficiarios non impendentes ſuperflua in uſus pios peccare quidem graviter contra legem obligantem ad actum miſericordiæ, vel Religionis, ſicut etiam peccant alii eodem modo bona recipientes, neutros tamen ad reſtitutionem obligari, cum non peccent peccato injuſtitiæ.

IX. Sequitur ſecundo, recipientes a beneficiariis hujuſmodi bona neque obligari poſtea præcepto Miſericordiæ, vel Religionis ad applicanda illa in uſus pios; quandoquidem hujuſmodi præceptum immediate afficit ſolos beneficiarios, ut notat Leſſ. cap. 19. n. 47. Si enim quando debitor ex juſtitia donat aliquid Titio cum præjudicio Creditorum, quibus non eſt integre ſolvendo, Titius donatarius non tenetur illud reddere Creditoribus donantis, juxta probabilem ſententiam Molinæ diſp. 535. & Navarri (licet contra communiorem) quia utitur jure ſuo accipiendo rem donatam, quamvis per accidens ſequatur creditoribus donantis damnum, ad quod ipſe nullatenus induxit donantem; A fortiori id verum erit in caſu noſtro, in quo obligatio beneficiarii donantis non eſt ex juſtitia, ſed ex miſericordia.

„ Confer Benedictum XIV. de *Synodo Diœceſana*
„ *lib. VII. cap. II.* noviſſimæ Romanæ editio-
„ nis.

ARTICULUS IV.

Quandonam Beneficiarii, & quando Laici graviter obligentur ad Eleemoſynam de ſuperfluis ſtatui?

I. Strictius ad id obligantur beneficiarii, quam Laici.

II. Utrique obligantur ad ſubveniendum pauperi in extrema neceſſitate de ſuperfluis ſtatui; Et probabilius donando, non mutuando.

III. Non ineſt Laico obligatio deſtruendi proprium ſtatum ad ſuccurrendum extreme indigenti.

IV. Immo nec Beneficiario.

V. Tenetur vero etiam Laicus illi ſuccurrere cum aliquo, quamvis non cum gravi detrimento proprii ſtatus.

VI. Sed quamvis Laicus non teneatur ingentem pecuniam erogare extreme indigenti; tenetur tamen ſæpe Beneficiarius non modicam pecuniam conferre.

VII. Si neceſſitas proximi ſit valde gravis, & quaſi extrema, etiam Laicus tenetur illi ſuccurrere de neceſſariis ſtatui, cum levi tamen, & non cum magno ſuo detrimento.

VIII. At ſi neceſſitas proximi ſit quidem gravis, ſed non quaſi extrema, tenetur etiam Laicus de ſuperfluis ſtatui illi ſuccurrere.

IX. At Beneficiarius ſtrictius obligatur ad majorem ſummam impendendam, quam Laicus.

X. *Num detur gravis obligatio ſuccurrendi proximo de ſuperfluis, ut hic ſtatum, e quo decidit, recuperet?*

XI. Non vacat lethali culpa propoſitum de nunquam elargienda ſtipe pauperibus in neceſſitatibus communibus.

XII. Tenentur Beneficiarii in uſus pios erogare quicquid eſt congruæ ſuſtentationi ſuperfluum; videlicet de fructibus Beneficii. Sed quota pars in Eleemoſynam eſt diſtribuenda? &

quota

quota pars est notabilis, si distribuatur in usus profanos?

I. QUamvis Beneficiarius sit dominus omnium fructuum beneficii, ut ostendimus, nec obligetur ex justitia ad expendendos superfluos in alimentis pauperum, nihilominus certum est, strictius ex lege misericordiæ ad id obligari beneficiarios, quam laicos, ut constat ex sacris canonib. ex Trid., ex natura, & perfectione status Ecclesiastici, (præsertim si beneficiarius sit Pastor) ac demum ex natura ipsorum bonorum, quæ Deo dicantur. Hæc tamen strictior obligatio ita apud omnes est certa, ut tamen in casu particulari dubium sæpe sit apud Doctores, quomodo magis beneficiarius, quam laicus obligetur; ideo examinabimus utriusque obligationem ad succurrendum proximo, tam in extrema, & gravi, quam in communi necessitate pauperum. Dicitur autem necessitas extrema, quando quis indiget necessariis naturæ, seu vitæ, non solum quia nisi succurratur, statim morietur, sed cum quadam latitudine; nam quando quis, nisi succurratur, in gravem, aut diuturnum morbum, aut miseriam incidet, decidendo a suo statu, ita ut cogatur cum ignominia mendicare, laborare, &c. dicitur etiam habere necessitatem extremam, vel, ut alii loquuntur, quasi extremam; præstat enim aliquando mori, quam vitam hujusmodi miserabilem ducere, juxta illud Eccl.30. *Melior est mors, quam vita amara.* Dicitur necessitas gravis, quando desunt necessaria juxta decentiam, & conditionem status, sine quibus aut a statu deciditur, sed sine magna miseria, aut ægre, & cum magna difficultate status conservatur. Dicitur necessitas communis, quam communiter habent, qui ostiatim mendicant, & quibus facile consulitur a misericordia fidelium.

II. Porro principium generale, & commune tam laicis, quam beneficiariis est, utrosque sub mortali obligari ad succurrendum proximo in extrema necessitate constituto ex superfluis statui. Ratio est, quia neque ex parte proximi potest dari necessitas major, quam extrema, neque ex parte divitum potest dari incommodum minus, quam expendere superflua statui; ergo si in aliquo casu lex Charitatis, & Misericordiæ habet vim obligandi graviter, dicendum est habere vim in tali casu: dummodo tamen necessitas extrema proximi non sit in pœnam justam; nam si v. g. damnetur aliquis ad pereundum fame, non teneris illi panem offerre, eo quod prævaleat bonum Reipublicæ, cui expedit, ut reus puniatur, ut notat Navar. ex cap. *Non inferenda* 24. qu. 3. Quod autem lex misericordiæ per se obliget sub gravi, constat tum ex Scripturis: nam 1. Joan. 5. dicitur, *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo Charitas Dei erit cum illo?* Et 1. ad Timoth. ult. *Divitibus hujus sæculi præcipe, facile tribuere.* Tum ex cap. *Pasce*, ubi dicitur, *Quisquis pascendo hominem servare poteras, si non pavisti, occidisti.* An autem talis obligatio non solum sit ex Charitate, & Misericordia, sed etiam ex justitia, ita ut vere homicidium committat, qui pauperem in extrema necessitate non pascit? communius negant apud Dian. part. 5. tract. 8. resol. 2. contra Nav., Cajet. & alios, quorum sententia si vera esset, sequeretur dari obligationem resarciendi damna sequuta ex omissione eleemosynæ debitæ: v.g. si servus fame moriatur, posset dominus exigere pretium ab eo, qui panem non obtulit, perinde ac si fuisset homicida. Utrum vero teneamur succurrere extreme indigenti non solum mutuando, sed & donando ea, quibus indiget; communius affirmant cum Suar., Valent., Granad. contra Tolet., & Nav., tum quia contra charitatem videtur esse in extrema necessitate imponere onus restitutionis, quando ex dispositione naturæ omnia sunt communia; tum etiam quia concedendo pauperi usum ejus rei, quæ unico usu consumitur, statim perit ejus dominium; unde qui concedit necessaria extreme indigenti; nullum jus habet reservandi dominium in posterum; Certum tamen est ex Suar., quod si possumus extreme indigenti subvenire commodando tantum v. g. equum, non tenemur equum donare.

III. Dubitatur nunc primo, An teneamur succurrere proximo in extrema necessitate constituto non solum ex superfluis, sed etiam ex necessariis ad statum? Quæ difficultas duas habet partes, eo quod aliqua sint necessaria, ne status destruatur, aliqua, ne diminuatur. Ratio autem affirmandi hanc obligationem est, quia vita proximi est majus bonum, quam proprius status; ergo ad vitandum dispendium vitæ proximi obligat ordo charitatis ad dispendium status; sicut obligamur contemnere vitam propriam corporis ad vitandam æternam damnationem proximi, eo quod hæc sit majus malum.

Dicendum tamen primo, ad succurrendum proximo in extrema necessitate constituto non dari obligationem destruendi proprium statum. Ita communiter cum Suar., Valent. apud Dian. l. c. res. 7. Probatur, quia unusquisque magis obligatur ad vitam propriam, & filiorum servandam, quam proximi extranei; Sed pro vita propria tuenda nemo tenetur proprium statum destruere, ut communiter docent; ergo neque pro vita extranei. Et ratio a priori est, quia quamvis vita sit majus bonum, quam status, nemo tamen tenetur ad conservandum majus bonum temporale facere jacturam minoris boni cum maxima, & moraliter insuperabili difficultate: Sic vita hominis est majus bonum, quam fama, nemo tamen tenetur perdere famam ad salvandam vitam; Sicut nec tenetur tolerare sectionem brachii ad vitam conservandam; Conservatio enim boni finiti non obligat nisi ad ponenda media communia, non vero extraordinaria, quæ continent moralem aliquam impossibilitatem; quia hęc in morali æstimatione, & quoad Reipublicæ utilitatem pejora sunt, quam ipsa mors: sæpe enim præeligunt homines mori, quam esse miseros; & ad bonum Reipublicæ magis conducit decens status divitum, quam vita pauperis. Nec valet paritas in contrarium adducta, nam vita, & salus animæ est æterna, pro qua in extrema necessitate, sive propria, sive proximi, bonum quodcumque temporale contemnendum est, eo quod in comparatione æterni boni non retineant bona temporalia rationabiliter extraordinariam, & summam difficultatem in sua jactura.

IV. Hæc Conclusio æque procedit de laicis ac de beneficiariis, qui neque tenentur ad proprii status destructionem, ut subveniant extreme indigenti; destructio enim status etiam in beneficiariis retinet eandem moralem impossibilitatem. Imo si beneficiarius sit Episcopus, vel alius Pastor, minus ad id obligabitur, quia magis pertinet ad bonum publicum, ne persona publica de suo statu totaliter decidat,

cidat, quam ne persona privata pereat. Notandum tamen, ea dici pertinere ad statum beneficiarii, quæ requiruntur ad ejus congruam sustentationem, quia hæc tantum sunt stipendium dignitatis, & æquivalent patrimonialibus, sive laicalibus bonis; quæ autem superflua sunt ad congruam sustentationem, non dicuntur ad statum beneficiarii pertinere.

V. Dico secundo. Tam laico, quam beneficiario inest obligatio succurrendi proximo extreme indigenti cum aliquo, sed non cum gravi detrimento status. Ita Suar. disp. 7. de Charit. sect. 4., ubi censet, obligari homines ad aliquam necessitatem subeundam in tali casu; & Coninch disp. 27. n. 134. ubi obligat ad non ita commode vivendum.

Probatur ex præjacto principio, quia pati aliquod detrimentum status, non censetur medium extraordinarium moraliter impossibile; Secus vero pati grave detrimentum.

VI. Dico tertio. Ex superfluis statui non tenetur laicus ingentem vim pecuniæ insumere ad succurrendum indigentiæ extremæ pauperis; v. g. (ut notant Coninch, & Palaus apud Dian. loco cit.) non tenetur tria, vel quatuor millia aureorum expendere pro redimenda pauperis vita; imo ex Sanchez, & Laym. neque obligatur ad succurrendum ægroto exquisitas, & extraordinarias medicinas offerre, & medicum longe distantem advocare. Ratio est ex eodem principio, quia etiam hæc sunt media extraordinaria continentia difficultatem moraliter insuperabilem; nec id expedit ad bonum Reipublicæ, nisi forte necessitas extrema esset multorum, puta si fames valida opprimat Provinciam; tunc enim ad illam sublevandam teneretur quilibet etiam necessaria statui erogare; cum prævaleat bonum publicum privato.

Beneficiarius tamen, quia tenetur superflua statui in usus pios erogare, non patitur magnam difficultatem impendendo magnam vim pecuniæ ad sublevandam extremam indigentiam personæ privatæ, & ideo ad id tenetur; quando tamen non expediret ad bonum publicum eam erogare ad sublevandam indigentiam minus gravem plurium; magis enim ad bonum publicum spectat miseriam plurium tollere, quam vitam unius privati conservare.

VII. Dubitatur secundo, An teneamur pariter succurrere proximo in gravi necessitate constituto ex necessariis, aut ex superfluis ad statum? v. g. si proximus in necessitate sit aut e suo statu decidendi, aut cum magno labore, & difficultate illum conservandi, nisi illi succurras: Conveniunt Doctores, neminem ad id obligari cum detrimento gravi proprii status, quia in pari casu prævalet necessitas propria. Difficultas itaque solum est, An ad id teneamur, quando possumus cum nullo, aut cum levi proprii status detrimento?

Prima sententia est Valentiæ, Cordubæ, & aliorum apud Dian. loc. cit. resol. 15. putantium, non solum superflua, sed etiam necessaria statui eroganda esse in hac proximi necessitate; quia charitas Christiana obligat ad sublevandam notabilem proximi miseriam, si absque magno incommodo sublevari possit; non enim est vera amicitia, quæ patitur amicum insigni necessitate opprimi, & illi non subvenit, ne leve damnum patiatur. Secunda sententia est Thomæ Sanch. lib. 1. Consiliorum c. 5. dub. 5. Ledesmæ, Soti, & aliorum cum D. Thom. in 4. dist. 15. docentium, teneri de superfluis tantum ad statum, non de necessariis, quia unusquisque habet jus, ut ita vivat, sicut decet statum suum; nec debet ab illo deturbari, nisi ad sublevandam proximi necessitatem extremam. Quod constat a posteriori, quia sic plurimi sapientes, & timorati sentiunt, & operantur; unde fit ad summum, hujusmodi legem esse dubiam, atque adeo non habere vim obligandi, saltem sub gravi. Tertia sententia Rosellæ, quam probabilem putavit Bonac. disp. 3. qu. 4. punct. 6. docet, ne de superfluis quidem statui ad id teneri, quia nemo tenetur plus velle, aut procurare sibi, aut alteri, quam quod necessarium est ad vitam sustentandam; atque adeo nemo tenetur eleemosynas elargiri, nisi in extrema proximi necessitate. Hæc tamen sententia ex Hurtado est improbabilis, & quamvis illam docuerit Dian. part. 2. tract. 1. resol. 26. illam tamen retractavit parte 5. tract. 8. resol. 14.

Dico primo. Si nomine gravis necessitatis veniat necessitas proximi quasi extrema, seu indigentia, ne cadat de statu suo, ita ut cogatur facere aliquod vile, v. g. si sit nobilis, servire, laborare, &c. certe tenetur quilibet tam beneficiarius, quam laicus succurrere proximo etiam de necessariis ad proprium statum; cum levi tamen, non cum magno detrimento illius; ut constat ex dictis de extrema necessitate proximi, cui hæc comparatur; servire enim, & mendicare homini nobili est gravis miseria in prudentium æstimatione, & aliquibus est pejor morte; unde Lorca 2. 2. sect. 3. indigentiam istam vocat extremam; & Less. lib. 2. cap. 12. n. 71. ubi dixit, licitum esse in gravi necessitate furari (quæ propositio absolute prolata damnata est ab Innoc. XI.) addidit ea verba: *Per gravem necessitatem intelligo non quovis modo gravem, sed valde gravem*. Et ratio est, quia talis indigentia comparatur extremæ, cum dicatur Eccles. 30. *Melior est mors, quam vita amara*. Propterea per calumniam, & summam injuriam carpitur a Montaltio in literis Provincialibus Lessius, perinde ac thesim istam a Pontifice proscriptam docuerit, ut in expositione illius thesis annotavimus in Trutina thesium damnatarum.

VIII. Dico secundo. Si nomine necessitatis gravis veniat indigentia proximi, ne minus digne, & opulenter vivat, quam deceat suum statum, non tenemur illi succurrere de necessariis ad proprium statum; tenemur vero de superfluis. Ratio est, quia non omnis defectus dignitatis, si non cogat ad vilia, reputatur absolute miseria, ita ut ad illam sublevandam de necessariis ad proprium statum charitas non se habeat præceptive, sed solum suasive. Quod vero teneamur de superfluis subvenire, constat, quia quilibet tenetur gravem proximi miseriam depellere, si potest sine gravi incommodo; atqui dare quod est superfluum, non est grave incommodum; ergo de superfluis statui succurrere pauperibus graviter indigentibus tenemur sub mortali; aliter quomodo diceremur diligere proximum non verbis tantum, sed opere, & veritate?

IX. Dico tertio. Ex superfluis statui sicut non tenetur laicus ingentem pecuniam expendere ad sublevandam necessitatem proximi extremam, a fortiori neque ad gravem; cum ea sint media extraordinaria maximam difficultatem continentia: Contra vero beneficiarius tenetur majorem summam de superfluis expendere, quam laicus ad gravem proximi necessitatem tollendam, ut patet, eo quod minus

nus difficile id sit beneficiario, qui debet superfluum in pios usus expendere. Non tenetur tamen omnia superflua in id erogare, quia, ut infra dicemus, beneficiarius suæ obligationi satisfacit, si superfluum vel det pauperibus, vel aliter applicet ad divinum cultum: præstat autem aliquando nonnulla ad divinum cultum applicare, quam ad gravem proximi necessitatem repellendam.

X. Utrum autem, si proximus non sit casurus, sed jam ceciderit de statu suo, detur obbligatio succurrendi, ut statum recuperet? dubium est, in quo Vasq. cap. 1. dub. 3. apud Dian. part. 9. tract. 8. resol. 16. putat, neminem teneri sub mortali de superfluis statui subvenire proximo ad statum recuperandum. Ratio est, quia recuperare statum non tam est damnum vitare, quam lucrum accipere; nemo autem tenetur, saltem sub mortali, proximo subvenire ad lucrum acquirendum. Quæ sententia tenenda est, ne damnetur praxis timoratorum: Debet tamen cum eodem Vasq. limitari, si scilicet vel casu, vel juste proximus ceciderit de statu suo; nam si injuste cecidit, v. g. quia res furto ablata apud furem detinetur, tunc teneor absque simili meo damno ex superfluis statui illi succurrere, si nemo alius sit opem laturus; quia per hoc quod injuste ceciderit, non dicitur in rigore cecidisse de statu suo, cum habeat jus ad illum recuperandum; atque adeo subventio illa æquivalenter eo tendit, ut statum retineat, & non cadat, non vero ut recuperet perditum.

XI. Dubitatur ultimo, An in communibus necessitatibus proximi sit obligatio gravis succurrendi sæpe de superfluis statui? Prima sententia est Suar. disp. 7. de Char. sect. 3. putantis, esse mortale habere propositum nunquam aliquid elargiendi pauperibus in communi necessitate. Secunda est Granadi 2. 2. controv. 3. tract. 11. putantis, esse veniale. Tertia demum Medin., Gabr., Alens., Hurt., Dian. part. 1. tract. 15. resol. 12. apud Carden. negantium, laicos obbligari ad eleemosynam de superfluis statui in necessitate communi: quam sententiam Toletus dicit esse Scholasticorum, contrariam vero esse SS. Patrum; quos tamen fuse explicat Hurt. 2. 2. disp. 159. Ratio est, tum quia si quis teneretur de superfluis statui alere pauperes in communi necessitate, non posset ea impendere in usus pios, v. g. ad Ecclesiam, vel Collegium ædificandum; Tum etiam quia aliter oporteret plurimos divites, eorumque Confessarios damnare, qui superflua in alios usus impendunt: Tum demum a priori, quia nemo ad eleemosynam obligatur, quando probabiliter pauper est ab alio sublevandus: in communi autem necessitate pauperes probabiliter sunt ab aliis sublevandi: ergo in communi necessitate nemo tenetur ad eleemosynam. Major est D. Th. in 4. dist. 15. qu. 2. Nav., Cajet., Vasq. nu. 28. & admittitur etiam ab Adversariis, cum Coninch. n. 116. quia eleemosyna danda est indigenti; non enim tenemur dare superfluum, quia superfluum est, sed quia pauper eo indiget; quoties autem probabile est, pauperes ab alio sublevandos, tunc non indigent rebus meis superfluis; unde respectu mei non censentur indigentes. Minor vero constat, quia aliter pauperes non dicerentur esse in necessitate communi, sed extrema, vel quasi extrema, aut gravi; neque enim necessitas communis distinguitur ab extrema per hoc, quod in necessitate tantum extrema pauper vivere non possit sine aliorum eleemosyna; nam etiam id universim contingit in necessitate communi; sed distinguitur per hoc, quod in necessitate extrema pauper indigeat determinate mea eleemosyna, eo quod non speret illam ab alio; Contra vero in necessitate communi indiget mea eleemosyna vage, quia sperat illam vel a me, vel ab alio probabiliter erogandam; atque adeo in necessitate communi pauper non dicitur absolute indigens eleemosyna mea, cum prudenter credatur sublevandus ab aliis.

Confirmant id exemplo correctionis fraternæ, quæ dirigitur ad sublevandam miseriam spiritualem, non secus ac eleemosyna ad temporalem; & tamen nemo ad correctionem fraternam obligatur, quando credit probabiliter, illam esse ab aliis faciendam, ut notat Valent. 2. 2. disp. 3. q. 10. ergo neque ad eleemosynam in pari casu.

Objicit Coninch. num. 132. ex hac sententia sequi, pauperes expositos posse sine peccato a nemine sublevari, eo quod quilibet posset apud se statuere, solum in extrema, & gravi necessitate velle stipem erogare, quando solum obligatur. Sed respondent, objectionem solvendam esse ab eodem Coninch., qui cum communi admittit, posse superflua destinari ad aliquem alium pium usum; quare si omnes id statuerent, pauperes expositi a nemine sublevarentur sine peccato. Directe vero respondent, tale judicium non posse prudenter formari, ut constat ex praxi, & contingentia humanarum operationum; unde non timetur prudenter periculum, ne pauperes a nemine subleventur; quod sufficit, ut eleemosyna non obliget in necessitate communi: Sicut nemo obligatur ad contrahendum matrimonium, ne pereat species humana; quia potest prudenter formari judicium, quod quilibet velit, ut potest, vitam cœlibem ducere; His tamen non obstantibus,

Dico primo cum Suar., Azor., Bonac., Laym. cap. 6. n. 5., esse mortale habere propositum nunquam elargiendi stipem in necessitatibus communibus. Ratio est, tum quia ex Apost. 1. ad Timoth. ultimo, Divitibus præcipitur facile tribuere; non dicitur autem tribuere facile, qui expectat necessitatem extremam, aut gravem proximi; tum etiam quia, nisi quilibet aliquod de suo daret in eleemosynam, deesset pauperibus subsidium necessarium. Concedo equidem, posse Laicos expendere superfluum in alios usus Pios; nihil enim est mirum, quod subsidium pauperum cedat cultui Deo debito, quando moraliter non defuturi sunt, qui pauperibus expositis opem sint laturi; Imo rationes pro tertia sententia adductæ optime suadent, indigentiam pauperum in necessitate communi non esse tantam, ut non liceat eleemosynam de superfluis debitam in alios usus pios commutare; non tamen evincunt, posse divites eximi universim ab obligatione erogandi aliquid superflui extra casum necessitatis extremæ, vel gravis; hoc enim magnam saperet avaritiam, essetque Deo servire, & mammonæ, nec uti divitiis gratis a Deo acceptis secundum divinum propositum, nec diligere proximum sicut se ipsum.

Paritas de correctione fraterna confirmat potius, quam impugnat conclusionem: nam tunc cessat obligatio correctionis, quando probabiliter ea creditur ab alio facienda: ergo tunc cessat obligatio eleemosynæ, quando probabiliter creditur facienda ab alio; atqui nisi daretur obligatio aliquatenus succurrendi

rendi

rendi pauperibus in necessitate communi, non posset hoc judicium prudenter formari: esset enim eleemosyna opus consilii, atque arduum, (non ut matrimonium, ad quod ipsa natura inclinat) unde pauci admodum eleemosynam erogarent; ergo datur hujusmodi obligatio.

XII. Dico secundo. Laici non tenentur in necessitatibus communibus pauperum, aut in aliis piis operibus erogare quicquid est statui superfluum; tenentur vero Beneficiarii. Ita communius contra plures apud Dian. part. 1. tract. 15. resol. 32. putantes, a Laicis etiam dandum esse pauperibus quicquid superest.

Ratio est, tum quia aliter innumeri divites damnarentur, cum non ea sit consuetudo fidelium, etiam timoratorum; tum praeterea quia sic videtur sufficienter prospici pauperibus; tum demum, quia id expedit ad bonum non solum Reipublicae, sed etiam pauperum, quod scilicet dentur divites abundantes superfluis, qui possint in gravibus necessitatibus, sive communibus, sive privatis subvenire statim de superfluis. Quare probabile videtur, quod docet Tamburin., satisfacere huic obligationi divites, si habentes v. g. centum aureos annui reditus duos dent in communibus necessitatibus pauperum.

Quod autem Beneficiarii debeant in usus pios erogare quicquid est congruae sustentationi superfluum, constat, ut diximus, ex praecepto Trident. sess. 25. cap. 1. An autem usus superfluorum determinatus sit ad solam eleemosynam, dubium est. Communiter tamen docent, posse Beneficiarios superfluum tam in eleemosynam, quam in alios usus pios erogare, quia Concilium dicit, *Ne dissipentur bona Beneficii*; non censentur autem dissipari, si ad cultum Dei applicentur, quamvis non dentur pauperibus, ut notat Vasqu. cap. 4. num. 54.; unde Granad. apud. Dian. part. 4., tract. 4. resol. 214. putat, satisfacere suae obligationi Episcopum, si det pauperibus quartam partem duntaxat reditus Ecclesiastici superflui congruae sustentationi; & reliquos beneficiarios, si solum quintam, vel sextam partem, dummodo reliquum in alios pios usus impendant. Quare in hoc differunt laici ab Ecclesiasticis, quod licet utrique teneantur succurrere proximo in extrema, vel gravi necessitate; in necessitatibus tamen communibus satis est, quod laici facile tribuant, non vero tribuant quicquid superfluit: beneficiarii vero tribuere debent quicquid statui superfluit, quamvis de hoc possint plurimum in alios pios usus impendere.

Addunt alii cum Vasqu. apud Dian. part. 5. tract. 8. resolut. 3. distingui etiam laicos a beneficiariis per hoc, quod laici non obligentur inquirere pauperes, sed solum sublevare, si obviam venerint; secus vero beneficiarii. Sed communiter tale discrimen rejiciunt; nam vel beneficiarius est Pastor, puta Episcopus, Parochus, &c. & tenetur quidem inquirere pauperes, at etiam laicus tenetur, si sit persona publica: Vel beneficiarius non est Pastor, sed v. gr. simplex Canonicus, & non obligatur eos inquirere, ut notat Sanch. l. 2. Consil. c. 2. dub. 39. quia nemo tenetur depellere ignorantiam facti; esset enim onus importabile: ignorantia autem alienae indigentiae consistit in facto.

Controversia demum est, quaenam quantitas superfluorum in profanos usus a beneficiariis expensa censeatur notabilis, ita ut inducat peccatum mortale? Molin. disp. 144. docet, quantitatem notabilem non esse illam, quae sufficit ad mortale in materia furti; sed requiri longe majorem; eam tamen non determinat. Koninch. disp. 27. de Eleem. num. 193., & Palaus punct. 5. docent, esse notabilem etiam quintam partem superfluorum. Mendoz. vero apud Dian. loc. cit. resol. 27. putat, solum quartam partem omnium fructuum; Sotus vero, tertiam esse sub mortali expendendam in opera pia; vel medietatem residui congruae sustentationis, v. gr. si Episcopus habens duo millia aureorum ex fructibus beneficii, indigeat mille aureis pro sua sustentatione, juxta sententiam Hurtadi de Mendoza, & Dianae non peccat mortaliter, si quingentos aureos in necessitatibus communibus pauperum expendat, quia quingenti aurei essent quarta pars omnium fructuum hujus beneficii, & simul medietas fructuum congruae sustentationi residuorum. Advertendum tamen, quod plus deberent expendere in necessitatibus gravioribus, puta tempore pestis, famis, aegritudinum &c. in quibus casibus aliquando deberent etiam ex propria supellectili, & vasis argenteis eleemosynas facere. Ratio hujus sententiae est, quia valde durum videtur, & non juxta suavitatem Ecclesiae obligare beneficiarios ad eroganda omnia omnino superflua, quorum sunt domini; praesertim cum multi sint labores, & onera beneficiariorum in choro, residentia, coelibatu, habitu, privatione negotiationis, venationis, ludorum, &c. At Granado cum communiori putat, omnia superflua in pios usus expendenda. Equidem censeo, sententiam hanc Gran., licet communiorem, esse nimis rigidam; tum quia valde durum est ad id beneficiarios obligare; tum etiam quia si beneficiatus solam sustentationem posset pro libito expendere, cum sustentatio dicat rationem stipendii, quod significat rem debitam, beneficium videretur recedere a rigorosa significatione beneficii, quod importat aliquid ultra debitum.

Dico tamen, primam sententiam Koninch., & Palai videri merito ab Haunoldo vocari laxam, ut notat Croix lib. 4. num. 1358., cum aliis, probabilioremque videri sententiam Cardinalis de Lugo disp. 4. num. 44. de justit. putantis vigesimam partem proventuum annuorum esse materiam gravem, si in usus profanos expendatur a beneficiariis; Quod si minor pars ita expendatur, culpa sit levis; quia talis pars comparata cum toto, spectata materia, & circumstantiis, non censetur notabilis: unde qui hanc solum partem dissipat, non censetur dissipare absolute Christi patrimonium. Ratio a priori est, quia, cum beneficiarii sint domini fructuum, non obligantur ad eleemosynam ex justitia, sed ex charitate, vel pietate, quae in taxanda quantitate notabili non ita stricte procedit, sicut justitia.

Alia ad hanc rem spectantia videri possunt in expositione duodecimae thesis ex proscriptis ab Innoc. XI., ubi vindicavimus Vasqu. a persona calumniae illi a Montaltio in litteris Provincialibus objecta, quod scilicet profligatam illam thesim docuerit; cum Vasqu. strictiorem, quam alii Doctores, obligationem ad stipem pauperibus erogandam imponat.

ARTICULUS V.

Utrum etiam Jure naturali obligentur Beneficiarii expendere superflua in usus pios?

I. Putant nonnulli, quod ex solo jure humano ad id teneantur.
II. Verius dicendum, quod jure naturali obligentur ea expendere in usus virtuosos, & jure humano in usus pios.
III. Idem dicendum de Pensionariis, quorum Pensiones fundantur in titulo Clericali.
IV. Esto ea intentione Fideles fundent Beneficia, ut ex superfluis congruæ sustentationi exerceantur a Beneficiariis opera pietatis.
V. Hinc valide, & licite dispensat Pontifex, ut in alios usus honestos hujusmodi fructus expendantur.
VI. Num peccet mortaliter Pontifex, si in hoc sine causa dispenset?
VII. An peccet etiam, qui hac illicita dispensatione utitur?
VIII. Ut in usus non virtuosos expendantur, Pontifex dispensare non potest.
IX. Cur possit Pontifex in aliis obligationibus naturalibus dispensare, puta in juramento, in voto, &c., & in hac non possit?
X. Morientes Beneficiarii in Curia possunt quidem testari, sed non in usus malos.

I. GRavissima difficultas est, num obligatio expendendi superflua in usus pios oriatur ex solo præcepto Ecclesiastico, an etiam ex jure naturali? hinc enim dependet, Utrum possit Pontifex tale præceptum tollere, aut in illo dispensare? Vasq. num. 12. fatetur, se neminem legisse, qui velit id provenire ex solo jure humano: Et ratio potissima desumitur ex natura illorum bonorum, quæ per hoc quod sint Deo oblata, & destinata, jam facta sunt sacra; Unde a Tridentino vocantur res Dei; jus autem naturæ videtur prohibere, ne res sacræ ad usus profanos applicentur. Less. tamen cap. 4. num. 47. cum Soto censet, id ex solo jure humano provenire: quam sententiam Sanch. dub. 40. putat probabilem, quamvis oppositam censeat probabiliorem: Quod ex eo colligit Filliuc. c. 7. qu. 1. quia Julius III. concessit beneficiatis in curia morientibus, ut possint de suis reditibus disponere in usus pios, & non pios; Quod etiam aliquando beneficiariis magnatibus conceditur; ergo prohibitio, ne in usus non pios expendantur, non videtur esse posse ex jure naturali, in quo Pontifex dispensare non potest: Neque obstat, illa bona offerri Deo, eaque oblatione sacrari; Nam hæc oblatio fit a Fidelibus cum dependentia a dispositione Pontificis.

II. Utraque tamen sententia videtur conciliari posse, si dicatur jure naturali præcipi, ut bona Ecclesiastica expendantur in usus virtuosos in genere; jure tamen duntaxat humano, quod expendantur in opera misericordiæ, vel pietatis; adeoque independenter a tali præcepto Ecclesiastico determinante usus virtuosos jure naturali præscriptos, licite expendi posse ad exercitium v. gr. munificentiæ, gratitudinis, liberalitatis præsertim erga consanguineos, & amicos, aut alterius virtutis. Ratio est, quia, cum ea bona peculiari modo sint res Dei ex oblatione, & destinatione Fidelium, sequitur, solum debere expendi juxta Dei voluntatem, quæ, nisi aliud innotescat, indifferens est ad omnes usus virtuosos: ergo, nisi Pontifex Dei Vicarius visibilis determinasset usum pietatis, vel misericordiæ potius, quam aliarum virtutum, potuissent in alios usus virtuosos expendi.

III. Confirmatur, quia ad quæstionem celebrem, An etiam Pensionarii teneantur ad expendenda superflua in usus pios? quamvis Nav., & Sarmiento apud Sanch. dub. 47., & Dian. par. 5. tract. 4. resol. 29. doceant, eodem modo teneri Pensionarios, ac Beneficiarios, quia ex cap. *Pastoralis de Decim.* res transeunt cum onere suo; cum igitur res beneficii hoc onus præseferant, quod expendantur in usus pios, si superfint congruæ sustentationi, consequenter transferunt hujusmodi onus ad Pensionarios: Nihilominus Sot. Hurt. Sanch. Molin. disp. 145. putant, pensiones laicales eximi ab hoc onere, quia dantur in stipendium pro munere laicali, v. gr. Procuratoris, aut Advocati Ecclesiæ, vel Cantoris &c.; Sanch. etiam loc. cit. putat, probabile esse ex hoc onere eximi Pensiones fundatas non in titulo, sed in statu Clericali, puta quæ dantur beneficiario seni, qui beneficium resignavit. Demum Vasq. de Eleemosyna dub. ult. eximit ab hoc onere omnes omnino Pensiones, etiam fundatas in titulo Clericali; dicit enim, nullum vidisse auctorem obligantem Pensionarios ad uberiores, vel alias eleemosynas, quam obligentur alii sæculares: Quod etiam docent Gygas, & Covarr. apud eumdem Dian. Ex qua sententia deducitur manifeste, quod, quamvis bona Pensionarii, & Beneficiarii sint Ecclesiastica, & a Fidelibus Deo dicata, non idcirco jure naturali expendenda sint in eleemosynas, aut in alios usus pios; cum satis sit, si in operibus virtuosis expendantur, quæ superfluunt congruæ sustentationi.

IV. Neque obstat, Fideles ea intentione dedisse hujusmodi bona, ut ex superfluis exerceantur opera misericordiæ, vel pietatis. Nam, ut diximus sect. 4., hinc non eruitur, data esse cum tali pacto, & cum onere ex justitia: Quod explicari potest exemplo dantis pauperi ægroto eleemosynam ea intentione, ut emat sibi necessaria; hic enim, si pecuniam ludo exponeret, non peccaret contra justitiam; quia, quamvis finis dantis fuerit, ut emerentur pharmaca, libere tamen data fuit illa eleemosyna, & sine ullo onere.

Neque ulterius obstat, statum Clericalem requirere jure naturæ, ut in operibus piis superflua expendantur. Hinc enim sequeretur, quod Clericus habens Patrimonialia superflua deberet etiam in iis usibus illa expendere, quod est falsum.

V. Infertur hinc primo, posse Pontificem valide, & licite etiam data causa dispensare, ut superflua expendantur in alios usus honestos. Ratio est, quia obligatio expendendi hæc in opera misericordiæ, vel pietatis est juris Canonici, quod subjicitur Papæ; Proinde si absque causa dispensaret, adhuc valide dispensaret, quia obligatio legis unice pendet a voluntate Legislatoris; unde, si ea desit, sive ex causa, sive sine causa, cessat obligatio, ut notat Suar. lib. 6. de Leg. cap. 19. Peccaret tamen dispensando sine causa, ut advertit Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 18., quia Legislator sicut in impo-

posi-

positione legis, ita in dispensatione debet bono communi prospicere.

VI. Dubium tamen est, An Pontifex peccet mortaliter dispensando sine causa? Affirmant Suar. loc. cit. Valent., Rodrigu., nisi levitas materiæ excusaret. Unde peccaret mortaliter Pontifex, si v. gr. sine causa dispensaret cum aliquo Sacerdote, ne recitet horas Canonicas, ne jejunet in Quadragesima, &c. Ratio est, quia peccaret contra justitiam distributivam; hoc enim proprie significat acceptio personarum, quæ opponitur justitiæ distributivæ; & ex D. Th. 2. 2. qu. 63. ex genere suo est mortale. Communius tamen cum Sanch. loc. cit., Laym., Palao, Merolla docent esse veniale, si absit scandalum; Sicut etiam si Legislator sine causa nolit ipse suam legem observare, ad quam tenetur vi directiva ex lege naturali, quamvis non coactiva. Ratio est, quia non videtur gravis deformitas, quod pars non conformetur toti; adeoque non est materia gravis adversus justitiam distributivam, cum nullum interveniat alii damnum, & absit omne scandalum; Quæ tamen non cessant in distributione officiorum, ac dignitatum, cum non possint sine gravi injuria dignioris dari minus digno; & ideo in hoc casu peccatum acceptionis personarum est mortale.

VII. Dubium etiam est, An peccet, qui utitur dispensatione facta a Pontifice in sua lege valide, sed illicite, eo quod sine causa? Affirmant Sanch., Valent., Corduba, quia sicut peccat dispensans, consentiendo quod pars non conformetur toti, ita peccat, saltem venialiter, qui tali dispensatione utitur, eo quod positive velit, partem a toto sine causa difformari. Probabilius tamen Suar. loc. cit. Salas, Azor. negant, putantes, nullam adesse obligationem, ne is, cui valide dispensatum est, difformetur ab aliis in legis observatione: Quare docent, petentem hujusmodi dispensationem peccare, quia petit rem intrinsece malam; sicut est dispensatio, quæ est vulnus legis, sine ulla causa; non peccare tamen ea utentes, quia quamvis dispensatio sit vulnus legis, non est tamen vulnus legis usus dispensationis, etiamsi sine causa factæ.

VIII. Infertur secundo, non posse Pontificem dispensare, ut superflua beneficii in usus non virtuosos expendantur, eo quod talis obligatio, ut diximus, sit de jure naturali, in quo Papa dispensare non potest.

IX. Oppones, posse Pontificem ex causa relaxare obligationem juramenti, quæ est naturalis; sicut etiam dispensare in voto, ac in lege naturali sanctificandi festa; ergo etiam dispensare poterit in casu nostro, quamvis obligatio sit naturalis; sive talis dispensatio dicatur interpretatio voluntatis Divinæ, sive potius dispensatio indirecta, per hoc quod mutetur materia legis, & ponantur eæ circumstantiæ, sub quibus lex naturalis non obligat: Sicut enim ex lege naturali emptor, v. g. tenetur solvere pretium, non tamen si venditor cedat juri suo; ita etiam ex lege naturali tenetur quilibet sanctificare festa; hanc tamen legem non violat, si laboret ad subveniendum necessitati suæ ex permissione Pontificis; nunquam enim magis dies sanctificatur, quam quando sic laboratur; ergo eodem modo, quamvis ex lege naturali teneatur Beneficiarius impendere superflua in opera virtutis, non tamen quando Pontifex collator Beneficiorum cum causa dispensat.

Respondetur, in iis tantum casibus posse Pontificem modo dicto in lege naturali indirecte dispensare, in quibus expediens fuit rectæ gubernationi, hanc potestatem committi, & delegari Legislatori humano, videlicet in voto, in juramento, in sanctificatione festorum, & in iis rebus, in quibus Respublica habet potestatem dominativam; si enim tali potestate utatur, cessat obligatio legis naturalis. Quapropter potest Superior verb. gr. propter bonum publicum auferre res unius, & dare alteri: Contra vero, quia non fuit expediens rectæ gubernationi, ut Deus daret Legislatori humano v. gr. potestatem dominativam in corpora aliorum, ideo non potest Pontifex, ne indirecte quidem, dispensare in lege naturali de non fornicando, sicut dispensavit indirecte Deus cum Osee permittendo, ut acciperet sibi mulierem fornicariam: Nec potest Pontifex, sicut potest Deus, indirecte dispensare in lege naturali prohibente Polygamiam, & dissolutionem Matrimonii consummati, nec in impedimentis Matrimonii jure naturæ dirimentibus, puta erroris, impotentiæ, ligaminis, consanguinitatis in primo gradu; Convenientius enim fuit hanc potestatem Pontifici denegare, ne illa frequentius, quam par esset, homines uterentur, etiamsi in aliquo casu forte expediret illam habere, ut notat Sanch. Palaus, Suar. lib. 2. de leg. cap. 14.

Ad rem nostram: Respublica habet potestatem disponendi de bonis Civium, quando expedit ad bonum publicum, non tamen de bonis Deo dicatis; (nisi forte aliquando Pontifex Dei voluntatem rationabiliter interpretaretur) nunquam tamen videtur posse Pontifex rationabiliter interpretari voluntatem Dei, ut bona beneficii Deo dicata aliter, quam in opera virtuosa expendantur; & ideo nullatenus potest ne indirecte quidem in hac lege naturali dispensare. Potest quidem disponere Pontifex de bonis beneficii, donando ea benemeritis Ecclesiæ, & iis, qui Ecclesiam tueri possunt; sed in hoc casu ipse Pontifex immediate disponeret in usus virtuosos de talibus bonis, atque adeo nullatenus in lege naturali dispensaret.

X. Infertur ultimo, concessionem illam Julii III. factam Beneficiariis morientibus in Curia testandi in usus non pios, non procedere de usu malo, sed de usu bono, quamvis non pertinente ad virtutem pietatis, quam solam obligationem habent de facto Equites Hierosolymitani circa bona superflua Commendæ, ut docet Azor. lib. 13. cap. 4. quæsito 6. Nisi velis dicere, velle Pontificem absolute donare bona beneficii in præmium iis, qui in Curia decedunt; unde possint ad libitum de iis testari. Quod si Beneficiarius ea bona expenderet in usus malos, v. gr. intemperantiæ, non solum contraheret malitiam intemperantiæ, sed etiam peculiarem malitiam irreverentiæ adversus rem suo modo sacram. Utrum autem hujusmodi irreverentia esset mortalis, præscindendo a præcepto Ecclesiastico, & sistendo in solo jure naturæ? Less. num. 47. negat, quæ sententia præciso scandalo, & contemptu sustineri potest.

ARTICULUS VI.

An etiam Beneficiarii Religiosi sint domini omnium fructuum Beneficii?

I. Videntur non esse domini, sed usuarii; utpote astricti voto Paupertatis.
II. Putant nonnulli, Religiosos Beneficiarios non remanere amplius Religiosos.
III. Dicendum tamen cum voto Paupertatis posse annecti dominium fructuum Beneficii.
IV. Si Religiosus in incapacitate dominii dispensetur, cum hæc pertineat solum ad solemnitatem extrinsecam, non eatenus censetur dispensatus in voto Paupertatis.
V. De facto Religiosus Beneficiarius remanet substantialiter Religiosus, & cum voto Paupertatis.
VI. Cur Episcopus Religiosus teneatur gestare habitum sui Ordinis?
VII. Quomodo cum Episcopatu cohæreat votum Obedientiæ?
VIII. Num eximatur Episcopus Regularis a jugo Regulæ Monasticæ?
IX. Num teneatur ad alia vota solemnia, & præcepta suæ Religionis?
X. Reservata in Religione non reservantur relate ad Religiosos Beneficiarios.
XI. Religiosus Beneficiarius solum dispensatur in incapacitate dominii, quæ ex extrinseca ordinatione Ecclesiæ annectitur statui Religioso, & ideo cum voto Paupertatis habet simul dominium fructuum Beneficii.
XII. Ab Episcopo Religioso dicuntur in jure bona Beneficii esse restituenda Ecclesiæ, & sensus est, quod Ecclesiæ sint relinquenda.
XIII. Hæc, quæ competunt Episcopo religioso, probabiliter competunt aliis Beneficiariis perpetuis, pariter religiosis.
XIV. Privilegium uni concessum in corpore juris, universim extenditur ad alium, relate ad quem militat eadem, seu potior ratio.

I. CUm Regulares per solemne votum paupertatis sint incapaces dominii, nisi dispensentur, est peculiaris difficultas, an sint domini fructuum beneficii? Primo, quia per promotionem ad beneficium non videntur dispensari in voto paupertatis, cum possint esse administratores, & usuarii relate ad bona beneficii. Secundo, quia Religiosus sine voto paupertatis non esset Religiosus, cum tale votum sit de essentia Religionis, ex cap. *Cum ad Monasterium de statu Monach.* Beneficiarius autem remanet Religiosus, atque adeo cum voto paupertatis; aliter esset etiam liber a voto Castitatis; & consequenter Religiosus, qui nullum haberet Ordinem sacrum, si eligeretur Episcopus, & ante ordinationem contraheret matrimonium, valide contraheret. Quod nemo dixerit.

II. Nihilominus, quamvis nemo eximat beneficiarios regulares a voto castitatis, nonnulli putant, per promotionem ad beneficium fieri capaces dominii: nam in cap. *Statutum* 18. q. 1. dicuntur sibi vindicare paternam hæreditatem: imo censent aliqui, non remanere simpliciter Religiosos, quia in perpetuum absolvuntur ab obedientia Prælatorum, & observantia regulari. Etenim in cap. cit. subditur, *Quem canonica electio a jugo regulæ monasticæ professionis absolvit*, & *Sacra Congregatio de Monacho Episcopum facit*. Et quamvis aliqui putent, id verum esse de solis Episcopis, quia de illis tantum loquitur textus; Alii tamen paritate rationis id extendunt ad reliquos beneficiarios regulares, si habeant beneficium perpetuum non amovibile ad nutum.

III. Dico primo, posse beneficiarios regulares simul cum voto paupertatis, & statu religioso habere dominium fructuum beneficii.

Probatur: potest votum solemne castitatis stare cum dominio in corpus alterius; ergo potest votum solemne paupertatis stare cum dominio rerum temporalium. Antecedens constat; nam uxoratus, si vivente uxore fiat religiosus, retinet dominium in corpus illius, quamvis impeditum per votum (sicut qui locat domum, retinet dominium directum domus, sed impeditum) propterea, si hujusmodi Religiosus suam uxorem cognosceret, esset quidem sacrilegus, sed non fornicarius, quippe qui non accederet ad non suam, ut notat Suar. tom. 3. de Relig. l. 9. c. 19. Ratio a priori Conclusionis est, quia in tantum acquisitio dominii bonorum esset incompatibilis, & extingueret votum paupertatis, in quantum destruit materiam hujus voti; sed hoc est falsum; materia enim voti paupertatis est, non habere dominium, nec usum rerum sine licentia superioris, non vero esse incapacem dominii; sicut materia voti castitatis est non habere nec dominium in corpus alterius per matrimonium, nec usum; non vero esse incapacem talis dominii; hæc enim incapacitas est solemnitas extraordinaria addita votis religiosis ab Ecclesia, unde, ea sublata, adhuc materia voti, & votum remanere potest. Imo, ut notat Sanch. lib. 5. cap. 9. talis incapacitas neque potest esse materia voti; quamvis enim vovens promitteret expresse illam incapacitatem, non per hoc fieret incapax, nisi Ecclesia hujusmodi incapacitatem voto adjungeret.

IV. Unde sequitur, quod si religiosus ad beneficium promotus in incapacitate dominii bonorum dispensetur, (sicut in concl. 3. dicemus dispensari) non censetur dispensatus in voto, sed in aliqua solemnitate extrinseca voto; & consequenter remanet religiosus; quia status regularis non constituitur substantialiter ex iis, quæ sunt extrinseca votis Religionis; & ideo uxoratus, qui vivente uxore fit religiosus, quamvis retineat dominium in corpus uxoris, adhuc habet & votum solemne castitatis, & statum regularem.

V. Dico secundo. Religiosus, qui ad beneficium promovetur, remanet substantialiter, & vere religiosus, atque adeo cum voto paupertatis. Ita communius cum Sanch. l. 6. c. 6. Suar. tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. c. 16. contra Vasq. de Redit. dub. 7. c. 3.

VI. Probant id communiter cum Sanch. quia hujusmodi Religiosus ad beneficium promotus tenetur gestare habitum religiosum. Hæc tamen ratio non est efficax: Respondent enim Adversarii, id præcipi, ut promotus memor sit vitæ, quam professus est; quod innuit Innoc. in cap. *de Monachis* 3. qu. 16. ubi habet: *Quod diu servavit, id in meliore gradu positus amittere non debet.*

Validior itaque ratio est, quia non censetur dispensatus in statu, & votis religiosis sine causa; nulla autem datur causa, cur promotus ad beneficium dispensetur. Nam primo votum castitatis est conforme novo statui, & ad aliqua beneficia est requi-

quisitum: Deinde votum paupertatis neque repugnat cum beneficiario, quia dominium bonorum beneficii est compossibile cum voto paupertatis: quod si non esset compossibile, potius dicendum esset, quod hujusmodi religiosus non evadat dominus fructuum beneficii, sed solum administrator, quam quod dispensetur in voto paupertatis.

VII. Difficultas solum est de voto obedientiæ; nam Religiosus factus Episcopus ver. grat. perpetuo eximitur ab obedientia suorum Prælatorum; perpetua autem hujusmodi exemptio pugnat cum voto obedientiæ, ut advertit Hurtad. §. 64. Dicendum tamen, etiam votum obedientiæ esse compossibile cum statu beneficiarii promoti v. grat. ad Episcopatum; falsum enim est, quod vi voti non teneatur obedire suo superiori, videlicet Papæ, e-sto non teneatur obedire Prælatis suæ Religionis; Sicut Generalis perpetuus est vere religiosus, teneturque vi voti obedire Papæ, & non alteri Prælato suæ Religionis. Imo si Religiosus ad Pontificatum promoveretur, adhuc cum voto obedientiæ remaneret, ut docet Sanchez lib. *6.* cap. *6.* quia materia voti obedientiæ est obedire superioribus, si illos habeat, quæ conditionalis vera est etiam in statu Papatus, eo quod per accidens est, quod talis religiosus sit Papa, & consequenter quod superiores non habeat: Hinc proinde sequitur, quod si Pontifex, abdicato Papatu, ad Religionem rediret, non indigeret nova professione, sed vi voti obedientiæ præteriti teneretur ad obediendum, ut prius.

Ad objectionem adductam ex capite *Statutum*, ubi dicitur, quod *sacra Congregatio de Monacho Episcopum facit*, respondetur, hinc non inferri, Monachum per Episcopatum amittere statum monachalem; non enim semper terminus ad quem est destructivus termini a quo; sicuti si quis ex Diacono fiat Sacerdos, aut ex Abbate Episcopus: tunc terminus ad quem destruit terminum a quo, quando cum illo est incompossibilis, ut si quis ex homine fiat cadaver.

VIII. Minus urgent illa alia verba laudati textus, quod scilicet *Monachum Beneficiatum canonica electio a jugo regulæ Monasticæ professionis absolvat*. Quamvis enim a regulis Religionis absolvatur, non per hoc sequitur, quod absolvatur a votis substantialibus Religionis, atque adeo quod statum religiosum amittat. Imo dubitant Doctores, an ab omnibus omnino regulis absolvatur. Nam D. Th. 2. 2. quæst. 185. docet, absolvi ab iis tantum regulis, quæ impediunt munus Episcopale. Equidem tamen censeo cum Less. cap. 40. num. 113. & Sanchez loc. citat. ab omnibus regulis absolvi, quamvis ex honestate tantum debeat observare regulas cum suo statu non incompossibiles; tum quia verba citati textus loquuntur indefinite; tum etiam quia regulæ non sunt ad substantiam Religionis, sed ad majorem perfectionem communitatis: quare cum Episcopus vivat extra communitatem suorum religiosorum in perpetuum, non videtur obligandus ex debito legali, sed solum ex honestate, & decentia ad illas regulas; & ideo decet socium sui Ordinis apud se habere.

IX. Unde sequitur primo, ut notat Sanchez lib. *6.* cap. *6.* num. 20. contra nonnullos, neque teneri ad alia vota, etiamsi solemnia, aut præcepta suæ Religionis, non substantialia quoad statum; ac proinde Religiosus v. gr. D. Francisci de Paula, qui emisit votum solemne abstinendi a cibis paschalibus, factus Episcopus poterit tempore ab Ecclesia non interdicto cibis paschalibus vesci. Imo si in sua Religione obligaretur die Veneris jejunare, factus Episcopus posset comedere carnes die Veneris, si eo die incidat Nativitas Domini; quod tamen suis Religiosis non licet, ex cap. *Explicari de observat. jejun.*

X. Sequitur secundo, quod si in Religione sint reservata, aut cum censura peccata contra vota substantialia, ver. grat. castitatis, Episcopus illa committens nec reservationem, nec censuram incurrat, ut docet idem Sanchez num. *16.* quia talis reservatio, aut censura non est de substantia status Religiosi, sed ad majorem perfectionem viventium in ea communitate, ad quam non obligatur Episcopus extra illam degens in perpetuum.

XI. Dico ultimo. Religiosus ad Beneficium promotus ita remanet substantialiter Religiosus, & cum voto paupertatis, ut simul acquirat dominium omnium fructuum beneficii. Ita Vasq. c. 3. de Reditib. dub. 7. contra Sanch. loc. cit. putantem, esse solum administrationem, non dominium.

Ratio est, quia status religiosus, & votum paupertatis non pugnant cum dominio bonorum, ut ostendimus in prima Conclusione, eo quod incapacitas dominii per accidens, & ex extrinseca ordinatione Ecclesiæ annectitur statui religioso: ergo si Ecclesia cum beneficiariis in tali incapacitate dispenset, bene stabit status religiosus, & votum paupertatis cum dominio fructuum beneficii; atqui de facto in hac incapacitate dispensat: ergo de facto habetur dominium fructuum beneficii. Minor subsumpta probatur primo, quia sicut exceptis votis substantialibus dispensat Pontifex in aliis regulis cum Beneficiato Religioso, & a jugo regulæ Monasticæ professionis illum absolvit, imo, ut diximus, absolvit etiam ab omnibus aliis votis, & præceptis, quæ non sunt de essentia Religionis; ita dicendum, quod dispenset etiam in incapacitate dominii; quandoquidem neque hæc est de substantia Religionis. Secundo, quia Ecclesia non invalidat donationes, quantumvis amplas factas ab Episcopis religiosis de fructibus beneficii, ut deberet contra illas agere, si non essent domini; ergo dicendum, esse vere dominos, non per hoc quod dispensentur in voto paupertatis, & statu religioso, quod sine convincenti ratione dici non debet, sed per hoc quod dispensentur in solemnitate illa extrinseca, seu in incapacitate dominii.

XII. Objici solet, quod in citato cap. *Statutum*, dicantur ab Episcopo religioso restituenda esse bona beneficii Ecclesiæ, cujus est Episcopus: ergo signum est, non esse dominum, sed administratorem; atque adeo, quod sicut Monachus quicquid acquirit, monasterio acquirit, ita monachus Episcopus quicquid acquirit, Ecclesiæ suæ acquirat, non sibi, ut docet Azor. par. 2. lib. 4. cap. 3.

Respondetur tamen, in jure ly Restituere sæpe idem esse ac Relinquere, quod bene stat cum dominio ejus, quod relinquitur: constat hoc ex cap. *Audivimus de Simon.* ubi præcipitur, quod simoniacus collator beneficii restituat Ecclesiæ duplicata, & tamen res illa secundum duplum non erat Ecclesiæ. Quod autem in casu etiam nostro idem sit restituere, ac relinquere, constat,

ſtat , tum ex dictis ; tum quia in eodem laudato capite *Statutum* 18. quæſt. 2. dicitur , quod Religioſus Epiſcopus *velut legitimus hæres paternam ſibi hæreditatem poſtea jure vendicandi poteſtatem habeat* ; ubi , ly , *poſtea* , indicat , poſt adeptum Epiſcopatum haberi jus , quod antea non habebatur ; atque adeo , ſi ante Epiſcopatum acquirebat Monaſterio dominium bonorum ſibi debitorum , poſtea acquirit ſibi ; cum Eccleſia nullum ad ea jus habeat ; & conſequenter bona beneficii tenetur ſolum relinquere Eccleſiæ , cujus eſt Epiſcopus , non ſecus ac Epiſcopus non religioſus.

XIII. Dubium hic eſt , An exemptio a regulis propriæ Religionis , & dominium bonorum beneficii , quæ diximus competere Epiſcopo religioſo , competant etiam aliis beneficiariis perpetuis pariter Religioſis Epiſcopo inferioribus?

Sanchez num. 35. affirmat ſolum de Abbatibus habentibus propriam diœceſim , & gaudentibus juriſdictione Epiſcopali ; quia in jure æquiparantur Epiſcopis ; negat vero de aliis perpetuis Beneficiariis , puta de Parochis ; quia univerſim exemptio favorabilis facta circa unam perſonam , non extenditur ad aliam ob identitatem , vel majoritatem rationis , ut notat Salas de Leg. diſput. 2. ſect. 8. eo quod exemptio non fundetur in ratione , ſed in voluntate concedentis.

Vaſquez tamen dub. 8. & Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 19. extendunt hujuſmodi exemptionem ad omnes Beneficiatos perpetuos , quia militat in iis eadem ratio ſeparationis perpetuæ a religioſa communitate , & addictionis perpetuæ alteri Eccleſiæ ; cum ergo regulæ Religionis ordinatæ ſint ad majorem perfectionem , & melius regimen communitatis , non debent obligare Religioſos extra communitatem in perpetuum viventes.

Ad rationem in contrarium reſpondetur , exemptionem favorabilem factam uni perſonæ non extendi ad aliam , in qua militat eadem ratio , ſi ſit facta ab homine ; Secus vero , ſi ſit inſerta in corpore juris ; quare certum eſt , privilegia verbi gratia conceſſa uni Religioni a Pontifice non poſſe extendi ad aliam ſimilem , vel arctiorem Religionem propter ſolam identitatem rationis in pietate cauſæ , niſi Pontifex communicationem privilegiorum concedat ; nec privilegium uni conceſſum tranſire ad alium æque dignum , quamvis major ratio , nedum eadem pietatis , & gratitudinis, aut remunerationis reperiatur : At quando privilegium eſt in corpore juris inſertum , habet rationem juris communis , & ideo ad omnes extenditur , in quibus militat eadem ratio , ut notat Merolla diſp. 6. cap. 6. num. 236. ex lege *Si quis* 24. Cod. *de Decurionib.* , ubi expreſſe ſolum eximuntur Decuriones habentes duodecim filios , & tamen ob identitatem rationis a Doctoribus extenditur exemptio ad alios etiam , qui non ſunt Decuriones ; imo etiam ad matres habentes duodecim filios , quia privilegium iſtud eſt inſertum in corpore juris ; Unde cum diſpenſatio in obſervantia Regulæ facta Epiſcopo religioſo ſit inſerta in corpore juris , debet etiam extendi ad alios Beneficiarios perpetuos , in quibus etiam militat ſeparatio perpetua a communitate religioſa.

XIV. Neque obſtat , Privilegium fundari præciſe in voluntate concedentis, nec eſſe de uno in alium derivandum . Nam , ut notat Suar. lib. 8. de Leg. cap. 28. , hoc non eſt derivare Privilegium ab uno in alium , quod non licet ; ſed eſt ita illud interpretari , ut plura comprehendat , quam in ſuperficie verborum appareat ; quod licitum eſt , quando ratio id ſuadet : Sicuti ſi ex. grat. concedatur alicui privilegium celebrandi in loco interdicto , licebit illud extendere ad Miniſtrum ; & ſi concedatur viro nobili privilegium audiendi ſacrum tempore interdicti , extenditur ad familiares juxta decentiam ſtatus ; & eodem modo extendi debet propter ſimilem interpretationem , ſi privilegium in corpore juris inferatur , & concedatur uni propter rationem , quæ militet etiam pro altero : Idemque dicas , ſi concedatur perſonis a jure æquiparatis ; unde privilegia conceſſa v. grat. Eccleſiis , extenduntur ad Hoſpitalia , ut notat Panormitanus , & privilegia conceſſa libertati , alimentis , & doti extenduntur ad piam cauſam , ut notat Tiraquellus in tract. de Privil. piæ cauſæ ; Similiter privilegia conceſſa pupillis extenduntur ad minores , & e contra : ſicut etiam ad Rempublicam , ad Eccleſiam , ad furioſos , & ad omnes , qui per alios reguntur : Ac demum facultas Clerico Beneficiario conceſſa ad fruendum fructibus Beneficii in abſentia , ut Theologiam audiat, extenditur ad ſtudium Juris canonici, quia hæ ſcientiæ ſunt in jure æquiparatæ , ut colligitur ex *cap.* 2. *de Privil. in 6.* apud Meroll. loc. cit. Ubi advertit , quod ſi non ſolum eadem , ſed major ratio militet in uno , quam in alio caſu , tunc univerſim Privilegium extendendum eſt; & ideo Privilegium comedendi carnes in Quadrageſima propter majoritatem rationis extenditur ad eſum ovorum , & lacticiniorum ; & Privilegium ad diſpenſandum in votis juxta communiorem ſententiam apud Suar. de Voto lib. 6. cap. 12. extenditur ad vota commutanda, quia hoc eſt minus ; ſicut etiam Privilegium conceſſum Monacho , aut Epiſcopo condendi teſtamentum extenditur ad Codicillum , & donationem cauſa mortis, ut docent communiter ex Leg. *Marcellus* ff. *de Donationibus* ; & hac de cauſa privilegium conceſſum abſolvendi a caſibus Pontifici reſervatis extenditur etiam ad caſus Epiſcopo reſervatos , ut communius docent apud Dian. p. 3. tr. 4. reſ. 149. cum Suar. , Vaſqu. , Conink. contra Bonac. , & Navar. Quamvis enim Clemens VIII. ſtatuerit , ne quis prætextu privilegiorum abſolvat in poſterum a caſibus Epiſcopo reſervatis , & idcirco damnata ſit ab Alexandro VII. prop. 12., quæ habet , *Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis , non obtenta ad id Epiſcoporum facultate* ; ex hoc tamen non infertur , Privilegium abſolvendi a caſibus Pontifici reſervatis ex ſe non comprehendere reſervatos Epiſcopo , niſi oppoſitum exprimatur.

QUÆSTIO III.

De Oneribus Beneficiariorum, ac præsertim de Residentia.

QUoniam non vacat de singulis Beneficiariorum oneribus pro merito disserere, agimus, quantum satis est, de Onere Residendi, utpote ad eruditionem, & ad praxim utiliore; nonnulla duntaxat delibando de Onere recitandi Horas quoad ea, quæ speciatim ad Beneficiarium spectant, ac de Onere gestandi habitum, & tonsuram. Primo itaque quæremus, An Pastores jure divino ad Residentiam obligentur? Secundo, quid circa hoc disposuerit jus Canonicum? Tertio, quænam sint pœnæ non residentium? Quarto, quibusnam facienda sit restitutio fructuum a non residentibus? Quinto, quanta sit obligatio residendi, si Beneficium non sit Curatum, sed Simplex? Sexto, agemus de eis, quæ peculiariter ad Beneficiarios spectant in ordine ad Horarum recitationem; ac demum de obligatione gestandi habitum, & tonsuram.

ARTICULUS I.

An Pastores jure Divino ad Residentiam obligentur?

I. Quid sit Residentia? & quinam ad illam obligentur?
II. Pastores jure Naturæ tenentur residere.
III. Quomodo possit Pontifex in hoc dispensare?
IV. Dispensatio presse dicta non cadit in iis, quæ jure naturali prohibentur.
V. Sicut ea non cadit in votis.
VI. Pontifex non videtur interpretari voluntatem Dei, dum dat licentiam non residendi.
VII. Sed tribuendo hanc facultatem, solum remittit debitum residendi, ad quod ex contractu Pastor se obligavit.
VIII. Facultas ista, si absque causa concedatur, est etiam invalida, nedum illicita.
IX. Si detur causa a residendo excusans, adhuc licentia requiritur, nisi haberet locum epikeja.

I. REsidentia, ut notat Layman c. 6. est assiduitas commorationis in loco Beneficii causa servitii Ecclesiastici personaliter præstandi; unde infert Sylvester V. *Residentia*, quod si Clericus in loco sui Beneficii ita commoratur, ut nunquam officium suum præstet, (v. grat. Canonicus nunquam ad Chorum, aut ad Capitulum accedat) non censendus sit residere; cum ejus residentia sit materialis, quippe fine, & effectu suo destituta.

Omnia Beneficia ad residentiam obligare spectato jure communi colligunt Doctores ex cap. *Conquer. de Clericis non residentibus* apud Azorium tom. 2. l. 7. c. 3. Consuetudo tamen obtinuit, ut in simplicibus quibusdam Beneficiis non resideatur; Immo Præstimonia, quamvis annexam habeant obligationem recitandi horas privatim, quia tamen nullum aliud Ecclesiæ servitium postulant, ideo nullatenus obligant ad residendum, ex Azorio loco laudato, & Layman c. 6. Nihilominus strictius ad Residentiam obligantur Beneficiarii habentes curam animarum, quam non habentes, ut mox videbimus. Et de iis procedit præsens quæstio, Num ad id teneantur jure Divino?

II. Certum profecto est, Pastores Ecclesiasticos jure Divino naturali teneri providere suis ovibus pascendo illas: quia tamen providere possunt tam per se ipsos, quam per alios, imo aliquando melius per alios, ideo dubitatur, an jus naturæ obliget non solum ad providendum gregi, sed etiam ad providendum per assistentiam in loco suarum ovium? Quæ controversia in Tridentina Synodo diu multumque agitata fuit. Negabant enim Ambrosius Catarinus, Albinianus, aliique Theologi primæ notæ, tum quia nullum extat hac de re divinum jussum; tum etiam quia Diœceses, & Parochiæ non sunt a Christo Domino erectæ, constitutæ, ac divisæ, sed ab Ecclesia, & Pontificibus; tum demum quia aliter non posset Pontifex in hoc onere dispensare.

Communis tamen, & vera sententia cum Cajet. & Soto, Nav. docet, Residentiam in Beneficiis Curatis esse de jure Divino naturali, quod evincitur ex verbis Trid. sess. 23. c. 1., ubi habet: *Præcepto Divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, prædicatione, Sacramentorum administratione, ac exemplo pascere, pauperum curam paternam gerere, ac in cætera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenario more deserunt*. Et ratio a priori videtur esse, quia habentes animarum curam sunt pastores ovium, non sunt domini, ut constat ex verbis Christi ad Petrum, *Pasce oves meas*, non *tuas*; quare inter Christum Dominum, & Pastores intercedit contractus de curandis ovibus modo magis consentaneo; magis autem consentaneum, & expediens est curæ ovium, quod Pastores personaliter assistant, unde ex tali contractu videtur oriri hujusmodi obligatio; Contractus autem obligat de jure naturæ, & ideo de jure naturæ censetur esse obligatio residendi. Hinc Apostolus dixit, *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei* indicans, præsentem debere esse gregem pascendum.

III. Confirmatur ex Less. dub. 29., quia quicumque aliquam Provinciam suscipit, obligat se tacite ad proprias sui officii functiones obeundas per se ipsum, quantum res ipsa fert, nec aliter ei tale munus demandaretur: nunquam enim Princeps constituit Gubernatores urbium, Præfectos arcium, Ductores militum, qui putantur crebro futuri absentes, & per alios administraturi. Tota tamen difficultas consistit in explicando, quomodo possint aliquando Prælati ex dispensatione Pontificis licite non assistere?

nam

nam, si residentia est de jure naturali, fit, ut non residere sit intrinsece, & essentialiter malum; atque adeo numquam possit licere. Ad id explicandum varias ineunt vias Doctores.

IV. Prima est dicentium, licere per dispensationem Pontificis, quia hic potest in aliquibus circumstantiis dispensare in jure divino, & naturali, ut dispensat in votis, juramenta relaxat, &c. Ita Sanch. lib. 8. disp. 6.

Verum hæc doctrina videtur duriuscula, quia dispensatio presse dicta est relaxatio juris obligantis in iis circumstantiis, in quibus fit dispensatio; repugnat autem jus naturale dispensari, quando obligat; Etenim jus naturale in hoc distinguitur a jure positivo, quod illud semper obliget ad vitandum id, quod est intrinsece malum: ergo, si in iis circumstantiis jus naturale obligat ad residendum, remanet cum sua intrinseca malitia ipsa non residentia, unde incapax est dispensationis: Non sic jus positivum, in quo potest fieri dispensatio, quia res jure positivo prohibita non est intrinsece mala, sed mala, quia prohibita; & quia extrinseca hæc prohibitio suspendi potest per dispensationem, ideo reddi potest licita operatio jure tantum positivo prohibita.

V. Neque est verum, Pontificem proprie in votis dispensare, sed solum nomine Dei promissarii, cujus vices in terris gerit, remittit obligationem, quam vovens contraxerat per promissionem Deo factam: remissio autem non est dispensatio, quia dispensatio est actus jurisdictionis, non vero remissio; cum possit hæc procedere a quolibet privato, qui remittat debitum ex promissione contractum; unde remissio spectat ad jus proprietatis verius, quam jurisdictionis.

VI. Secunda est dicentium cum Soto, licitum aliquando esse Pastoribus Ecclesiasticis non residere, non quia Pontifex in iis circumstantiis dispensat, sed quia interpretatur, quod jus naturale obligans secundum se ad residentiam in iis circumstantiis non obliget. Neque dicas, hinc sequi, quod facta interpretatione in uno casu pro aliquo Episcopo verbi gratia posset alius inconsulto Pontifice, quando daretur simili casus, non residere. Nam primo non est ita facile subditis scire omnes circumstantias, propter quas Pontifex in eo casu interpretatus sit, cessare obligationem residentiæ. Prætera quantumvis jus naturale in casu simili, omnino simili, non obligaret ad residentiam, non per hoc esset licitum non residere sine licentia Pontificis; quia jure etiam Ecclesiastico præcipitur Residentia; unde in praxi parum prodesset scire, an in eo casu obligeris jure divino, si in eodem obligaris jure Ecclesiastico; quod sine dubio potuit obligare etiam pro ea circumstantia, pro qua non obligat jus Divinum; unde opus sit dispensatione, ut licite non resideatur.

Nihilominus hæc etiam secunda via displicet, quia dicitur in Conciliis loco laudato Pontifex dare licentiam; interpretari autem, quod cesset obligatio ratione circumstantiarum, non est dare licentiam, ut bene advertit Pontius lib. 8. de Matrim. cap. 2. Neque enim peritus, qui interpretatur, legem jejunii verbi gratia stante tali morbo non obligare, censetur dare licentiam frangendi jejunium.

VII. Tertia itaque videtur ineunda via ad verificandum hoc vocabulum licentiæ, dicendo, Pontificem posse nomine Dei remittere debitum, quo Pastor ex contractu se obligavit ad residendum in loco suarum ovium, ut diximus: hæc enim remissio est licentia, quia significat dependentiam a remittente. Quod autem Deus Pontifici concesserit potestatem remitendi suo nomine obligationem residentiæ, constat facile, quia tunc Princeps id censetur concedere suo ministro, quando casus sunt frequentes, & capaces rationabilis excusationis, ut contingit in puncto præsenti residentiæ. Quo etiam discursu probatur, remitti posse obligationem voti, & juramenti tam a Pontifice, quam ab Episcopo nisi huic talis potestas a Papa limitetur.

VIII. Hinc sequitur primo, non posse Pontificem pro libito, & sine causa hujusmodi licentiam dare, quia, cum sit remissio debiti contracti cum Deo, disponeret de re aliena, circa quam non potest rationabiliter præsumi, dedisse Deum facultatem adeo amplam, ut possit sine causa tale debitum remittere; neque id fuit expediens. Quare remissio debiti residentiæ sine causa non solum esset illicita, sed etiam invalida; ut dicitur de remissione obligationis ex voto contractæ, seu de dispensatione in voto, quæ pariter in latiore significatione est dispensatio. Qualis autem, & quanta debeat esse hujusmodi causa, non potest universaliter definiri, sed ex circumstantiis spectanda, ut dicemus articulo sequenti.

IX. Sequitur secundo, ut notat D. Thom. apud Laym. quod cum causa obligandi Pastores ad residentiam sit salus ovium, ideo non potest Pastor ad declinandum periculum propriæ vitæ gregem suum deserere, quando salus gregis præsentiam Pastoris expostulat, cum bonus Pastor animam suam dare debeat pro ovibus suis, (Joann. 10.) sicut dux dat illam pro suo exercitu. Quando vero æque utile esset Gregi tam per Pastorem, quam per Vicarium probatæ virtutis, doctrinæ, ac prudentiæ gubernari, idque certo constaret omnibus spectatis, tunc ita cessaret obligatio residentiæ personalis secundum jus divinum, ut maneret obligatio solius juris Ecclesiastici; Et in tali casu posset Pontifex in rigore dispensare, quia dispensaret in lege propria. Imo si causa excusans a personali residentia manifesta sit, docent Corduba, & Vasqu. de Benef. cap. 4. n. 145. & 188. apud Laym. non esse opus licentia superioris, nisi ea speciali lege postuletur. Verius tamen dicendum cum Gabr., Angelo, Silvestro apud Vasq. licentiam semper requiri, nisi urgens esset necessitas, quæ dilationem non pateretur, aut si non esset accessus apud superiorem, quia tunc naturalis Epicheja dictat, non esse licentiam expectandam. Unde fit, nec licentiam sine causa, nec causam sine licentia excusare a Residentia. Utrum autem Pastores a Residentia excusentur ob exiguum numerum subditorum; si scilicet tres, aut quatuor integrum gregem constituant? dicemus in calce articuli quinti (*a*).

„ (*a*) Confer Benedictum XIV. *de Synodo Diœce-* „ *sana l.* VII. *c.* I.

ARTICULUS II.

Quid disposuerit Jus Canonicum in ordine ad Pastorum Residentiam?

I. Per tres menses Episcopi, per duos Parochi possunt quotannis æqua ex causa abesse.

II. Sufficit levis causa, dummodo grex non patiatur.

III. Quæ-

III. Quænam licentia ad id requiratur pro Parochis?
IV. Ex praxi videtur colligi, quod Parochus petere licentiam ab Episcopo debeat, solum si absit ultra bimestre.
V. At vi juris scripti petenda videtur licentia isthæc, etiamsi absentia sit per illud bimestre permissum.
VI. Licentia ab Episcopo danda est in scriptis.
VII. Episcopi nonnisi ex gravibus causis a Tridentino expressis abesse possunt ultra trimestre, habita in scriptis facultate a Pontifice, vel a Metropolitano, aut a seniore Suffraganeo.
VIII. Gravissima causa requiritur, ut Pontifex dispenset cum Episcopis per longum tempus in onere residendi.

I. Tridentinum sess. 23. c. 1. remittit Episcopis obligationem residendi per duos, aut tres menses quotannis; Parochis vero solum per duos menses, sive simul, sive interrupte: ad quam remissionem movetur, tum quia sæpe accidit causa tantisper recedendi; tum quia brevis absentia non reputatur absentia, & eodem modo Tridentinum sess. 24. cap. 12. Canonicis per tres menses abesse permittit.

II. Dubitatur tamen primo, an, & quæ causa ad hujusmodi brevem absentiam requiratur?

Certum est, requiri aliquam honestam causam; dicit enim Concilium, *æqua ex causa*; quare solum controversia est, an sit sufficiens levis aliqua, quantumvis honesta causa, v. gr. ad animum relaxandum, ad amicos invisendos? Affirmant Garzia part. 3. c. 2. cum aliis; quod tamen nonnullis videtur durum, quia si Concilium censeret, sufficere leves illas causas, non addidisset ea verba, *Quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit*. Unde videtur causas non leves requirere; cum præsertim obligatio juris naturalis arctissima censeatur in hac materia, atque adeo non posset ob leves causas dissolvi. Et ideo Palaus tom. 2. tract. 13. disp. 5. punct. 4. citans Vasquium dicit, ob hujusmodi leves causas concedi dumtaxat mensem quotannis.

Censeo tamen cum priori sententia, quamlibet honestam causam, etiam recreationis, & visitationis amicorum sufficere: quia cum obligatio residendi sit perpetua, rationabiliter creditur, propter hujusmodi causas concedi posse brevem illam absentiam. Neque obstat fundamentum oppositum; Nam Tridentinum non tam remisit conscientiæ abscedentium examinare causam discessus; (quia sufficit, quod hæc sit honesta, quamvis levis, pro illo trimestri) sed ne eo spatio patiatur damnum Episcopatus. Etenim postquam dixisset, ut id æqua ex causa fiat, & absque ullo gregis detrimento, statim subdit, *Quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit*: unde illud judicium refertur ad providendum, ne Ecclesia detrimentum patiatur per absentiam Pastoris.

III. Magis dubitatur secundo, an ad hanc ipsam absentiam requiratur licentia superioris?

Conveniunt Doctores, non requiri pro Episcopo, dubitaturque solum de Parocho, quia Concilium sess. 23. c. 1. dicit, loquens de Parocho, *Causa per Episcopum prius cognita, & probata*; quæ verba non videntur posse intelligi de absentia ultra bimestre permissum, quia ibi dicitur, *Quandocumque abesse contigerit*. Unde Vasq. cap. 4. de Benef. §. 2. art. 1. Less. c. 34. num. 159. & Garzias censent, Episcopi licentiam requiri.

IV. Equidem censeo primo juxta ea, quæ tradit Sanch. lib. 3. Matrim. disp. 31. posse Parochum absque licentia, & approbatione Episcopi per unam, aut alteram hebdomadam a sua Parochia abesse, relicto Vicario idoneo. Ratio est, quia in cap. *Si quis* Caus. 7. qu. 1. dicitur, *Si Presbyter a sua Ecclesia per tres hebdomadas defuerit, huic damnationi succumbat*; ergo si solum per unam, aut alteram hebdomadam desit, non delinquit; & Joannes Andreas apud eumdem Sanch. asserit, ita definitum esse Bononiæ.

Censeo secundo, non posse Episcopum negare licentiam Parocho discedendi per bimestre, si causam probet; quia Tridentinum dicit, causa per Episcopum cognita, & probata, qua probatione posita Concilium ipsum videtur dare facultatem.

Censeo tertio, consulendam esse consuetudinem loci, num Episcopi licentia requiratur, ut possit Parochus per bimestre abesse? ut advertit Laym. c. *6.* Et testatur Less. num. 159. Praxim non requirentem pro bimestri licentiam esse probabilem: Idemque docet Filliuc. tract. 41. c. *6.*

V. Utrum autem stando in jure scripto Tridentini requiratur licentia Episcopi, ut possit Parochus per bimestre abesse? Negant Nav., Azor., Sa, Rodr. & alii apud Pal. putantes ly, *Quandocumque abesse contigerit*, quod in Tridentino habetur, explicandum esse de absentia extra bimestre.

Primum fundamentum hujus sententiæ est, quia Concilium postquam loquutum fuisset de residentia, & absentia Episcopi, subdit: *Eadem omnino etiam quoad culpam, & amissionem fructuum intelligantur procedere de Parocho*: ergo Tridentinum per ly, *etiam*, non solum æquiparat Episcopum cum Parocho quoad culpam, & pœnas, ut censet Vasq., sed etiam quoad facultatem absentiæ: unde sicut Episcopus absque ulla licentia potest per trimestre abesse, ita Parochus per bimestre. Sed hic discursus non convincit, quia licet ly, *etiam*, ferat universalem æquiparationem, ea tamen quoad facultatem absentiæ limitatur verbis immediate sequentibus, dicendo, *Ita tamen, ut quandocumque abesse contigerit*, quasi dicat, dare facultatem absentiæ Parochis per bimestre, sicut habent Episcopi per trimestre; sed ita ut causa Parochorum debeat esse cognita, & probata ab Episcopo

Secundum fundamentum est, quia causa, cur possint Parochi per bimestre abesse, est quælibet causa honesta, licet levis, ex dictis: ergo non videtur rationabiliter præsumi Concilium obligasse Parochos ad petendam ab Episcopo approbationem: nam approbatio requiritur in dubiis; in causa autem requisita ad absentiam non videtur cadere posse dubitatio, posito quod quælibet levis causa, dummodo honesta, sit sufficiens. Sed neque id convincit, quia licet non possit esse dubium de causa absentiæ, potest tamen esse dubium, an talis absentia noceat Parochiæ; in tantum enim conceditur ex quavis levi causa, ut possit Parochus abesse per bimestre, in quantum talis absentia non est nocua Ecclesiæ; ad hoc autem judicandum, Concilium requirit approbationem Ordinarii.

Neque obstat paritas Episcopi, qui pro sua absentia per trimestre non debet recurrere ad approbationem Papæ, vel Archiepiscopi; Nam Episcopus non est Parocho æquiparandus: magis enim Tridentinum fidit illius prudentiæ, & integritati. Quod omnes tenentur dicere; nam si Episcopus extra il-

lud trimestre absit ex legitima causa ab Ecclesia, potest relinquere Vicarium a se designatum; contra vero Parochus si extra bimestre ex legitima causa absit a sua Parochia, relinquere debet Vicarium ab Ordinario approbandum, ut constat ex Trid. loc. cit.

VI. Verior itaque, & securior sententia, quam idem Palaus putat omnino tenendam, docet ex vi juris scripti requiri licentiam Episcopi, ut possit Parochus etiam per bimestre illud abesse. Ratio est, quia Tridentinum dicit, licentiam petendam a Parocho, *Quandocumque abesse contigerit*; nec est ratio, cur ly, *Quandocumque*, limitetur; semper tamen consulendam esse praxim, a qua credit Less. num. 159. non fuisse receptum hoc jus in ea generalitate.

VII. Extra autem hoc bimestre, certum in primis est, a Parochis petendam esse licentiam ex dispositione Concilii, ut possint abesse: Unde si causa absentiæ esset honesta, & legitima, & tamen ab Episcopo negaretur licentia, non posset Parochus abesse, sed posset solum ad Superiorem recurrere. Deinde licentia danda est in scriptis; unde non potest ex tacito, vel præsumpto Episcopi consensu abesse, quia ad formam licentiæ requiritur a Tridentino, ut sit de scripto, ut notat Garz. part. 3. c. 2.; quod saltem pro foro externo ab omnibus admittitur quoad amissionem fructuum, ut dicemus sequenti articulo.

Demum graviores causæ requiruntur, ut possit Episcopus licite a sua Ecclesia abesse ultra trimestre, quam Parochus ultra bimestre. Causæ autem legitimæ enumerantur a Tridendino iis verbis, *Christiana Charitas*, *Urgens necessitas*, *Debita obedientia*, *Evidens Ecclesiæ*, *ac Reipublicæ utilitas*, Ad primam reducitur tollere, vel sedare odia, & inimicitias: Ad secundam necessitas vitandi aeris intemperiem, ægritudo, pericula inimicorum, & præsertim offensio Principis, ut notat Lay. c. 6. Tertia causa comprehendit occupatos in servitio Sedis Apostolicæ ex Papæ mandato: Quarta procedit de Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitate non levi; quibus vel similibus datis causis, debet eas in scriptis approbare Pontifex, vel Metropolitanus, aut eo absente Episcopus suffraganeus residens antiquissimus: nisi quando absentia ultra trimestre incidat propter aliquod munus, & Reipublicæ officium Episcopatibus adjunctum; quia, ut habet Tridentinum, ejusmodi causæ notoriæ sunt, & interdum repentinæ. Interim autem Episcopi ovibus provideant, ut quoad ejus fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum capiant. Quando autem æqua ex causa intra illud trimestre concessum absunt, curare debent, ne absint Dominicis Adventus, Quadragesimæ, ac diebus Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi, quibus refici maxime, & in Domino gaudere Pastoris præsentia oves debent.

VIII. Notant tamen Doctores circa tertiam hanc absentiæ causam, non posse Episcopos a Pontifice in servitio Sedis Apostolicæ, præsertim longo tempore occupari, si aliunde æque bene possit provideri; Et ratio est, quia adeo stricta obligatio residendi sine causa remitti non potest. Et confirmatur, quia Tridentinum obligat expresse Cardinales Episcopos ad personalem in Ecclesia residentiam, & tamen ipsi Romæ commorantes censentur occupati in servitio Sedis Apostolicæ, cum sint Papæ Consiliarii; Unde ex cap. 2. *de Cler. non resident.*, non possunt a Curia abesse, nisi de licentia; & tamen quia non supponitur necessaria Pontifici consultatio hujus, vel illius Cardinalis, qui sit Episcopus, ideo etiam hic obligatur personaliter residere in sua Ecclesia: quod districte etiam præcipit Urbanus VIII. iu sua Bulla edita anno 1634., quæ incipit, *Sancta Sinodus Tridentina*. Sicut autem nequit Pontifex sine causa uti Episcopis in bonum Sedis Apostolicæ cum præjudicio residentiæ, ita nequit Episcopus uti Parochis, ut constat ex declaratione Sacræ Congregationis Cardinalium apud Meroll. disp. 7. cap. 6. dub. 7. *Episcopus*, inquit Sacra Congregatio, *non potest uti opera Parochi in visitatione, vel in alio servitio suæ Diœcesis, nisi pro tempore illi permisso duorum mensium*. Unde infertur, multo minus Parochum posse fieri ab Episcopo Vicarium generalem, quia fieret cum præjudicio personalis residentiæ in sua Parochia, ut communiter docent contra Nav. consil. 15. de Cler. non residente.

ARTICULUS III.

De Pœnis non Residentium.

I. *Restitutio fructuum imposita a Tridentino non residentibus, dubitatur, an sit facienda jure naturali?*

II. *Dicendum verius, fructus Beneficii dari sub conditione, non vero cum sola obligatione residentiæ, & ideo jure naturæ restituendos esse a non Residentibus.*

III. *Non tamen fructus omnes, sed solum qui respondent oneri Residentiæ.*

IV. *Hinc non expectata Judicis sententia facienda est isthæc restitutio.*

V. *Ex lege Tridentini restituendi sunt fructus respondentes tempori absentiæ, sed id intelligendum de solis fructibus, qui oneri Residentiæ respondent.*

VI. *Si causa non residendi sit evidens, & non petatur licentia requisita, non datur jure Naturæ obligatio restituendi fructus; secus uero si sit dubia.*

VII. *Sed quid pro foro externo?*

VIII. *Si Pastores resideant solum materialiter non inserviendo Ecclesiæ, adhuc tenentur fructus restituere.*

IX. *Non tamen si inutiliter resideant intra tempus permissum, quod non resideant, dummodo per alium exerceant munus suum.*

X. *Si circa culpam non resideant, non videntur obligandi ad fructuum restitutionem.*

I. PRæcipua non residentium pœna habetur in Trid. sess. 13. cap. 1., videlicet quod pro rata temporis absentiæ fructus non faciant suos, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non sequuta, eos sibi detinere possint; sed debeant aut fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci eos erogare, prohibita quavis compositione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur. Et sess. 6. cap. 1. decernitur, quod si Episcopi absque justa causa per sex menses abfuerint, quartam partem fructuum unius anni amittant: quod si per alios sex menses in eadem absentia perseveraverint, aliam quartam partem fructuum amittant; crescente vero contumacia, seve-

severiori Sacrorum Canonum censuræ subjiciantur. In quibus omnibus plurimæ sunt enodandæ difficultates, quibus ut digne satisfiat, illa præmittenda est; Utrum scilicet independenter ab hac lege pœnali obligaretur Episcopus, vel Parochus ad restituendos fructus jure naturæ, si non resideat? Hæc autem solutio ex hoc alio quæsito pendet, Num fructus Beneficii dentur Beneficiario sub conditione, quod resideat, an solum cum obligatione residendi? Nam si dentur sub ea conditione, certum est teneri jure naturæ ad restitutionem, si non resideat, quia datum ob causam, causa non sequuta, non acquiritur: Quare restitui debet, non in pœnam, sed jure naturæ prohibentis retineri non suum: Et ita esse in re nostra docent communiter cum Vasqu. cap. 4. §. 2. art. 1. dub. 4. Nonnulli tamen cum Sylvest. Panormit. Azor. apud Pal. punct. 3. num. 8. censent dari fructus cum obligatione quidem, non tamen sub conditione residendi, ac proinde restituendos non esse jure naturæ independenter a lege pœnali.

II. Dico cum prima sententia, fructus dari sub conditione Residentiæ, adeoque jure naturæ restituendos esse non purificata culpabiliter conditione.

Ratio est, quia in explicatione contractus debemus ejus modum colligere ex verbis contrahentium: Ecclesia autem in casu nostro, contrahens cum Beneficiario, aperte significat dare fructus sub ea conditione; tum quia in cap. Final. *de Rescript. in sexto*, dicitur dari beneficium propter officium: ubi ly, *propter*, nisi fiat violentia vocabulo, significat conditionem; tum quia Trid. loco cit. dicit, Beneficiarium, si non resideat, non facere fructus suos. Quæ verba non significant puram pœnam, quia pura pœna tendit ad privandum aliquem re sua, non autem facit, ut res non evadat sua; sic si in pœnam assassinii v. g. obligaretur sicarius ad dandam pecuniam acceptam in pretium, non diceretur pecuniam non fecisse suam, sed in pœnam delicti debere solvere pecuniam, quam fecerat suam. Hinc merito damnata est ab Alex. VII. prop. 20. dicens: *Restitutio a Pio V. imposita Beneficiariis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna*. Eadem autem est ratio de non recitantibus horas, ac de non residentibus; cum neuter faciat fructus Beneficii suos.

III. Non censeo tamen, jure naturæ restituendos esse omnes fructus, qui correspondent absentiæ, quia residere non est adæquata conditio, sub qua dantur fructus; nam hæc complectitur etiam recitationem horarum. Unde Vasqu. loc. cit. fatetur, posse a non residentibus retineri illos fructus, qui huic recitationi correspondent; immo si in absentia exerceat Beneficiarius alia officia, poterit retinere partem illis correspondentem. Adde, certum esse dari aliquam partem fructuum in sustentationem in statu Clericali, seu propter onera, quæ fert talis status, videlicet gestando habitum, & tonsuram, abstinendo a negotiationibus, venationibus, ludis, &c. quæ pars etiam retineri poterit, ut aliqui probabiliter docent. Hæc autem omnia ex eo constant, quia Trid. sess. 6. ut diximus, vult, quod Episcopi per sex menses non residentes solam quartam partem fructuum illius anni non faciant suam, non vero dimidiam: ergo non omnes fructus jure naturæ restituendi sunt a non residentibus, sed solum qui correspondent oneri residentiæ.

IV. Infertur ex dictis resolutio primi dubii, quod fieri solet circa illa verba Concilii, *Alia etiam declaratione non sequuta*, utrum scilicet expectanda sit sententia judicis, non quidem impositiva, aut declaratoria pœnæ, sed saltem declarativa criminis, ut non residentes ad restitutionem obligentur?

Respondetur, quod esset expectanda hujusmodi sententia, si obligatio restituendi non procederet ex jure naturæ, sed ex lege pœnali, juxta Silv., & Azor. Nam, ut docent Doctores in tractatu de Legibus, pœna regulariter non incurritur sine declaratione saltem criminis; unde debet præmitti citatio, ut sententia declarativa sit juridica. Quia tamen diximus, obligationem hanc restituendi esse juris naturalis, ideo nulla est expectanda judicis sententia, ut dicitur de aliis restitutionibus, quarum obligatio est ex jure naturæ. Neque favet consuetudo expectandi judicis sententiam, quia contra jus naturæ nulla potest consuetudo prævalere.

Neque replices, consuetudinem hanc non ferre, quod non debeant restitui fructus respondentes tempori absentiæ, sed quod præsumatur Ecclesia ex sua indulgentia nolle restitutionem antequam crimen non residendi declaretur a Judice; Sicut censetur creditor consentire in dilationem restitutionis, si potens commode petere rem debitam, non petat.

Nam nullatenus potest id ab Ecclesia præsumi, cum per sacros Canones aperte præcipiat restitutionem; unde consuetudo expectandi sententiam judicis declarativam hujus criminis est, ut possit debitor cogi in foro externo, non vero in interno.

V. Infertur etiam resolutio alterius dubii, utrum scilicet si minus jure naturæ, saltem ex lege pœnali Tridentini debeant restitui omnes fructus, qui correspondent tempori absentiæ, an solum illi, qui dantur pro residentia? cum certum sit, dari fructus etiam pro aliis oneribus, puta pro recitatione horarum, &c. Movetur dubium, quia Tridentinum dicit, Pro rata temporis absentiæ; unde videtur velle, quod restituantur omnes fructus illi tempori respondentes.

Dicendum tamen cum communi, mentem Tridentini esse privare Beneficiarium iis tantum fructibus, qui correspondent oneri residentiæ, non vero, qui aliis oneribus correspondent: Quod aperte colligitur ex sess. 6. cap. 1. ubi absentes per sex menses privat quarta tantum parte fructuum illius anni, ut notavimus; si tamen vellet privare fructibus respondentibus omnibus oneribus tempore absentiæ, deberet privare dimidia parte: quare ideo quarta tantum parte privat, quia illam reputat correspondere oneri residentiæ, qua residentia est, pro dimidia parte anni.

VI. Dubitatur tertio, an incurrantur pœnæ a non residentibus, si ex causa quidem non resideant, sed sine licentia, aut sine licentia in scriptis. Palaus punct. 5. putat, incurri ex defectu licentiæ in scriptis, quia licet concessio licentiæ de jure naturæ non requirat scripturam, requirit tamen in casu nostro de jure positivo Tridentini postulantis scripturam pro forma concessionis. Quod tamen negat Less. cap. 34. num. 158. putans, non esse solemnitatem ad substantiam concessionis requisitam.

Dico equidem cum Vasqu. Cordub. Laym. cap. 6. num. 5. spectato jure naturæ, neque requi-

requiri licentiam, neque licentiæ petitionem, quando causa non residendi, saltem ad tempus, esset evidens. Quod probatur paritate voti, cujus obligatio cessat sine dispensatione, seu remissione Superioris, quando est evidens causa cessationis. Verum, quia hæc evidentia non de facili habetur, ideo apte Tridentinum præcipit, ut in iis etiam casibus, in quibus reputatur evidens causa non residendi, petatur approbatio, & licentia; (nisi periculum esset in mora, aut absentia contingat propter aliquod munus, & Reipublicæ officium Episcopatibus annexum) Et ut ea maturius consideretur, & possit extare, præcipit tam Episcopis, quam Parochis, ut illam habeant in scriptis.

VII. Utrum autem licentia hæc de jure positivo requiratur non solum ad evitandam culpam, sed etiam ad vitandam pœnam restitutionis fructuum? Dubium est apud Doctores. Equidem puto distinguendum; nam vel causa absentiæ fuit dubia, & sic sine Superioris licentia jure naturali non remittitur obligatio, quia in dubiis melior est conditio legis in casu nostro possidentis; unde jure naturali, & ex vi contractus explicati licentia petenda est; aliter non solum incurritur culpa, sed etiam in conscientia obligatio restituendi fructus. Quod si causa esset evidens, puto, obligationem restituendi incurri solum post judicis sententiam, saltem criminis declarativam, quia cum nulla commissa sit culpa adversus jus naturæ, & contractum prædictum, sed solum violatum sit jus positivum, non incurritur ante judicis sententiam pœna illa, quæ videtur imposita solum ob violationem legis naturalis, non vero positivæ Tridentini.

Quod si petatur licentia, sed non in scriptis, censeo, ante sententiam judicis nullam esse obligationem restituendi. Ratio est, quia conditio ista scripturæ jure naturæ non requiritur ad validitatem licentiæ, ne in dubiis quidem casibus; cum satis sit ad evitandum errorem licentia oretenus data, per quam non proprio, sed Superioris judicio statur. Quare cum non peccetur contra jus naturæ, nec lædatur contractus naturalis, non incurritur obligatio restituendi in foro conscientiæ, nisi post judicis sententiam, qui bene potest sic punire violationem legis positivæ requirentis scripturam. Accedit authoritas Filliuc. qui tract. 41. cap. 6. num. 30. citans Nav. hæc habet: quod autem dicitur de approbatione facienda in scriptis, verum est in foro exteriori, nam in interno sufficit approbatio.

VIII. Dubitatur quarto, An obligatio restituendi fructus liget eos, qui resident quidem in Ecclesia personaliter, sed non formaliter: v. g. si Episcopus, vel Parochus sit quidem in loco beneficii, & suarum ovium, ibi tamen non inserviat, sed vivat inutiliter? Garz. tom. 1. part. 2. cap. 2. & Ledesm. putant, acquiri fructus per solam residentiam corporalem, quamvis Episcopus, vel Parochus munus suum non exerceant. Quod probant, tum quia cum simus in odiosis, ly, Absentia, quæ punitur, est explicanda stricte: ergo non debet ampliari tam ad corporalem, quam ad formalem, sed solum ad corporalem, quam de se importat significatum vocis: Tum etiam quia Episcopus, vel Parochus præsens, & male administrans sacramenta non privatur fructibus; ergo neque privatur præsens, & non administrans; cum minus malum sit non operari, quam male agere. Alii tamen, quos late refert, & sequitur Jo: Sanch. disp. 43. probabilius censent, non acquiri fructus ab eo, qui residendo nihil operatur; quia sicut non præcipitur residentia solum corporalis, ita nec prohibetur, nec punitur absentia solum corporalis, sed etiam formalis, hoc est inutilis residentia.

Dico equidem primo, Pastores, si resideant, & non inserviant Ecclesiæ, debere restituere fructus, posito quod restitutio fructuum non sit solum pœnalis, sed etiam de jure naturæ. Ratio est, quia si restitutio est etiam debita jure naturæ, debetur consequenter propter violationem contractus, qui non potest præsumi, quod procedat solum de præsentia materiali, & corporali sine exercitio proprii muneris: quia non fuisset rationabilis hujusmodi contractus. Quare merito in sacris Canonibus Ecclesia habens Episcopum inutilem vocatur vidua.

Neque obstant rationes in contrarium. Ad primam enim respondetur, quod sicut odiosa sunt explicanda stricte, ita sunt explicanda utiliter; non esset autem utilis significatio absentiæ, vel residentiæ, si procederet solum de corporali, & materiali, non de proficua, & formali. Unde merito Doctores definientes residentiam dicunt, esse solutionem proprii officii in proprio Beneficio. Deinde minus efficax est secunda ratio; administratio enim Sacramentorum mala, hoc est non sancta, ut notat Jo: Sanch. num. 4. nocet quidem Pastoribus in peccato administrantibus, sed non nocet ovibus, seu populis; contractus autem est factus in utilitatem ovium, unde hac data acquiruntur fructus; sicuti acquiritur stipendium a celebrante sacrilege.

Dico secundo, Pastores, si prorsus inutiliter resideant, debere restituere fructus, quantumvis essent restituendi ex sola lege pœnali Tridentini, & non ex jure naturæ. Ratio est, quia Tridentinum inutiliter puniret solam absentiam personalem, si non puniret etiam præsentiam prorsus inutilem Pastoris. Quod confirmatur ex verbis Tridentini sess. 23. c. 1. ubi expresse declarat, Pastores obligari ad personalem in sua Ecclesia, & Diœcesi residentiam; additque, *Ubi injuncto sibi officio defungi teneantur*. Ecce quomodo Tridentinum non obligat ad personalem solum residentiam, sed ad formalem, & utilem. Dixi tamen, debere restituere fructus, si prorsus inutiliter resideant: Etenim ad fructus acquirendos non est opus, ut Pastor omnia omnino Pastoris munera personaliter exerceat; sed satis est, si exerceat multa; adeo ut judicio prudentum censeatur utilis Residentia personalis, qua personalis est.

IX. An autem tribus illis mensibus, quibus Episcopus potest a sua Diœcesi abesse, & Parochus bimestri, quo potest abesse a Parochia, possint inutiliter residere, seu munus suum personaliter non exercere, sed per alium, & tamen facere fructus suos? dubium est, in quo valde probabiliter affirmat Jo: Sanch. num. 5. nam si omnino abessent, certe non exercerent munus suum personaliter, sed per alium, & tamen facerent fructus suos: ergo datis iisdem honestis causis, poterunt residere, nec tamen personaliter munus suum exercere per eos menses, quibus licita est personalis absentia, quin priventur fructibus.

X. Dubitatur ultimo circa eandem absentiam, an restituendi sint fructus, si absentia sit culpabilis solum materialiter, sed formaliter inculpabilis,

quia

quia scilicet facta fuit bona fide, & cum existimatione causæ excusantis a residentia? Et sane certum est, quod si restitutio sit solum pœnalis, obligatio non procedit in foro interno, si desit culpa; Si vero sit de jure naturæ, probabile est, in casu adducto dari obligationem restitutionis, & Beneficiarium sine culpa absentem non facere fructus suos. Ratio est, quia ad obligationem naturalem restitutionis sufficit retentio alieni cognita; quamvis nulla præcesserit culpa: In casu autem nostro fructus Beneficii sunt alieni, non proprii, quia dantur sub conditione residentiæ, atque adeo conditione non purificata, non acquiritur eorum dominium: ergo restituendi sunt, quamvis nulla culpa præcesserit.

Sed probabilius videtur, obligationem restitutionis non dari; sicut Beneficiarius inculpabiliter omittens recitationem horarum probabilius non tenetur restituere fructus sui Beneficii. Ratio est, quia ex benignitate Ecclesiæ probabiliter præsumitur dari fructus Beneficii sub conditione, quod Beneficiarius satisfaciat muneri suo, hoc est, sub conditione, quod in satisfaciendo suo muneri non delinquat. Quare qui inculpabiliter non satisfacit, cum non delinquat, nec desit obligationibus suis, non videtur privandus fructibus Beneficii.

„ Huc omnino spectat egregia Benedicti XIV. „ Constitutio, quam heic subijcimus.

BENEDICTUS

EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

„ AD universæ Christianæ Reipublicæ statum, „ ad Ecclesiasticarum Legum custodiam & fidelium Populorum salutem, tam magni refert singulos Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis præpositos in ipsis Ecclesiis vel Diœcesibus sibi creditis assidue residere, ut difficile sit aliud ullum reperire Ecclesiasticæ disciplinæ caput, quod aut Conciliaribus Canonibus atque atque Decretis, aut Apostolicæ Sedis Constitutionibus & Sanctionibus, tam sæpe tamque impense inculcatum fuerit & commendatum. Ut autem antiquiora Canonica statuta prætereamus, Nobis satis erit innuere quid hac de re decreverit Sacrosancta Tridentina Synodus Sess. 6. cap. 1. & Sess. 23. cap. 1. de Reform.; tum ea quæ recol. mem. Prædecessor Noster Urbanus Papa VIII. præscripsit in sua constitutione data apud S. Petrum die 12. Decembris Anni 1634. quæ incipit: *Sancta Synodus*, & in qua præcedentes aliorum Romanorum Pontificum Pii IV. Gregorii XIII. & Clementis VIII. Leges & constitutiones retulit, confirmavit, & ampliavit. Neque opus est recensere omnes Encyclicas Litteras, quæ ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos de implendo hujusmodi Residentiæ onere identidem admonendos, ab hac Apostolica Sede mitti consueverunt; ut patet ex Epistola jussu Ven. Servi Dei Innocentii Papæ XI. Prædecessoris quoque Nostri scripta die 5. Februarii Anni 1678. item ex alia die 24. Decembris Anni 1707. a felic. record. Clemente Papa XI., ad suum & Apostolicæ Sedis Nuntium Neapoli commorantem conscripta, ut illius Regni Præsules ad residendum in propriis Ecclesiis & Diœcesibus adigerentur: necnon ex ejusdem Clementis Litteris in forma Brevis datis die 25. Maji Anni 1709. Ad Archiepiscopos, & Episcopos Poloniæ, qui obtentu turbarum & dissensionum, quæ tunc in Regno versabantur, suas reliquerant Ecclesias atque Diœceses.

„ Neque porro nos hac in re Apostolici Officii Nostri patres desiderari permisimus. Vix enim inscrutabili Divinæ Providentiæ consilio in hac suprema Ecclesiæ universalis specula collocati fuimus, quum veterem Prædecessorum Nostrorum morem in usum revocantes, ad Ven. Fratres omnium per Orbem Ecclesiarum Antistites Apostolica scripta direximus, quibus inter cetera salubria monita, hoc etiam de residendo in propriis Ecclesiis peculiari studio iis inculcare, & tam gravissima damna, quæ ex eorum absentia proveniunt quam magnas utilitates, quas eorum præsentia concreditis ipsis Diœcesibus affert, ante oculos proponere non prætermisimus, ut videre est *in* §. 4. Epistolæ Encyclicæ die 3. Decembris Anni 1740. a Nobis conscriptæ, quæ *in Tomo* I. Bullarii Nostri nuper vulgati *num.* 2. impressa est. Qui autem hominum corda scrutatur Deus, is sane novit, quanto & quam acerbo animi Nostri dolore nonnunquam acceperimus, Ecclesiasticas Regulas ab aliquo ex Fratribus hac in parte violari, & quantopere studuerimus, nunc admonendo, nunc obsecrando, nunc increpando, absentes quidem per Litteras, præsentes vero ipsa voce ad debitum Residentiæ Officium revocare. Quin etiam laudabilibus Prædecessorum Nostrorum vestigiis inhærentes, in Nostra & Cancellariæ Apostolicæ Regula, qua Beneficia Ecclesiastica in octo anni mensibus vacatura Nostræ dispositioni & collationi reservavimus, simul etiam iisdem Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis residentibus gratiam alternativæ mensium, certis modo & forma ab iis acceptandam, libenter obtulimus; nimirum ut quamdiu ipsi apud Ecclesias aut Diœceses suas vere & personaliter residerent, de Beneficiis hujusmodi Ecclesiasticis, quæ extra Romanam Curiam in Februarii, aliisque alternis anni mensibus vacare contingeret, dummodo alias dispositioni Apostolicæ reservata vel affecta non essent, libere disponere valerent, facultatem tempore Pontificatus Nostri duraturam concessimus; quo scilicet iidem Episcopi, & majorum Ecclesiarum Præsules, ampliorem potestatem in Beneficiis prædictis conferendis sic obtinentes, hac etiam Apostolicæ Nostræ liberalitatis gratificatione illecti, ad personalem Residentiam prædictam libentius obeundam adducerentur.

„ Quoniam vero & certæ quædam caussæ adesse possunt, & hujusmodi occasiones incidere, propter quas, prævio Romani Pontificis assensu & approbatione, liceat Episcopo a propria Ecclesia, & Diœcesi per aliquod definitum tempus abesse; ea vero absentia, quæ ad modicum tempus protrahitur, neminem desertæ Residentiæ reum constituit; ideo & in Conciliis, & in Apostolicis Constitutionibus, ad præcavendos abusus

„ busus tam circa hujusmodi caussarum & occasionum relevantiam, quam circa tolerabilia temporum spatia, providæ statutæ Leges & Regulæ reperiuntur. Et quidem justæ ac legitimæ absentiæ caussæ a præfata Tridentina Synodo *citat. cap.* 1. *sess.* 23. non aliæ agnitæ fuerunt, quam Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, & evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas. Verum his etiam caussis deficientibus, quum eadem Sacrosancta Synodus perpendisset, ex veterum Canonum sententia, minime abesse videri eos, qui aliquantisper absunt, & statim sunt reversuri; omnibus Ecclesiarum Antistitibus indixit, ut sibi licitum non putarent singulis annis, ultra duos aut tres ad summum menses, sive continuos, sive interruptos, extra proprias Diœceses commorari; eosque simul admonuit, ne per illius temporis spatium, Dominici Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, & Corporis Christi diebus, ab Ecclesiis suis Cathedralibus abessent, nisi forte Episcopalia munia in aliis Diœcesum suarum locis eos detinerent; eamque præterea rationem ab iis haberi voluit, ut absque ullo Gregis detrimento concessa uterentur libertate, & ut id *æqua ex caussa fiat*; quibus verbis animi levitas, oblectationum cupiditas, aliæque futiles caussæ penitus excluduntur.

„ Præfatus autem Urbanus Prædecessor ad peculiares occurrentes casus decedens, Episcopis in Curia promotis unum concessit mensem (quem postea declaratum fuit, a die ipsorum propositionis in Consistorio computandum esse,) quo mense elapso, singuli ad proprias Ecclesias se conferre deberent. Sed quum in Concilio Romano, habito a felic. record. Benedicto Papa XIII. Prædecessore pariter Nostro, Episcopi exposuissent, tam exiguo temporis spatio non posse a recens promotis sua in Urbe negotia expediri, idem Benedictus facultatem concessit S. R. E. Cardinali suo & Romani Pontificis pro tempore in Urbe ejusque Districtu Vicario, ut præfatum unius mensis terminum, juxta casuum contingentiam, & caussa cognita, ad alios quadraginta dies, & non ultra, prorogare posset.

„ Præterea Episcopis ad sacra Apostolorum Limina statutis temporibus visitanda personaliter accedentibus, supradictus Urbanus Prædecessor indulsit, ut qui Ecclesiis citra Montes, & citra Mare positis præsiderent, per quatuor, qui vero Ultramarinis, & Ultramontanis Ecclesiis præessent, per septem menses continuos a Residentia in suis respective Sedibus facienda, hujusmodi Visitationis gratia, excusarentur.

„ Cum vero idem Urbanus declarasset, se, per ea, quæ in suis præfatis Litteris constituerat, minime sublatam voluisse dictam trium mensium licentiam a Concilio indultam; hinc plures ortæ quæstiones, & varia condita sunt Decreta, ab eodem Urbano ejusque Successoribus approbata; cujusmodi sunt, non licere trimestrem absentiam prædictam conjungere, sive cum eo tempore quo permittitur Episcopis post suam promotionem in Urbe commorari, sive cum eo, quod ad peragendam Sacrorum Liminum Visitationem eisdem concessum fuit; neque fas esse absentiæ tempora ita disponere, ut tres postremi menses unius anni continuentur cum tribus prioribus mensibus anni subsequentis. Sicut etiam vetitum est prædictos menses conjungere cum eo anni tempore, quo, propter aeris insalubritatem, alicui Episcopo permittitur extra Diœcesim degere; ne scilicet continuatis absentiæ temporibus, vernos simul & æstivos menses, sive æstivos una cum autumnalibus, extra Diœcesim duci contingat. Denique, ne quis indulgentia Sacri Concilii per fraudem abuti posset, declaratum fuit, prædictam trium mensium vacationem intra cujusque anni limites coerceri, ut qui uno anno usus ea non fuerit, non ideo sequenti anno diutius ab Ecclesia sua abesse valeat.

„ Et quoniam Tridentina Synodus sub Legibus de Residentia hujusmodi ipsos etiam S. R. E. Cardinales nominatim comprehendit; præfatus Urbanus Prædecessor, advertens nonnunquam evenire, quod aliquis ex Cardinalibus alicui Patriarchali, seu Metropolitanæ, aut Episcopali Ecclesiæ præpositus, unum simul ex Episcopatibus Suburbicariis obtineret, constituit, ut hujusmodi Cardinales in primodictis Ecclesiis, non autem apud Episcopatus Suburbicarios, residere tenerentur.

„ Denique tam in prædicto Concilio, quam in citata Urbani Constitutione, contra transgressores hujusmodi Legum, quæ ad Residentiam pertinent, gravissimæ pœnæ statutæ fuerunt; quarum executionem idem Urbanus primo quidem demandavit Auditori caussarum Curiæ Cameræ Apostolicæ; Verum biennio post, totam hujus materiæ cognitionem delegavit Congregationi particulari a se deputatæ, quam compositam esse voluit ex tunc & pro tempore existentibus Cardinali Romani Pontificis in Urbe Vicario, necnon ejusdem Pontificis Datario, & Secretario Status, ac Secretario Brevium, duobus item Secretariis Congregationum, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium, ac interpretationi & executioni Decretorum prædicti Concilii Tridentini respective præpositarum. Et quidem prædicto Cardinali Vicario facultatem tribuit, ut, justis ex caussis, & cum consilio prædictorum Prælatorum, concedere posset Episcopis licentiam abessendi a propriis Ecclesiis & Diœcesibus spatio duntaxat dierum quadraginta, ut in ipsius Urbani Litteris datis die 1. Januarii Anni 1636. distinctius præscribitur.

„ Hujus Congregationis Caput, seu Præfectus, ex quo eadem instituta est, semper fuit præfatus Cardinalis Vicarius pro tempore existens; quemadmodum ejusdem Secretarii munus is semper gessit, qui Congregationi Concilii Tridentini fuit a Secretis; unde etiam Nos ipsi, dum in minoribus constituti Officio Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum fungeremur, par quoque munus Secretarii alterius Congregationis super Residentia Episcoporum simul sustinuimus. Quæ sane Congregatio, ut ex illius Secretariæ Regestis apparet, tam ipsius Urbani Prædecessoris temporibus, quam aliis subsequentibus, non semel singulis Annis adunari consuevit; id quod a san. mem. Prædecessore

„ cessore pariter Nostro Clemente Papa XI. in „ usum revocatum fuit, & identidem peractum, „ Nobismetipsis præfatum Secretarii munus obeuntibus, confectisque a Nobis, & impressis „ Foliis, ea prorsus methodo, quæ pro caussis „ ad Congregationem Concilii pertinentibus observatur.

„ Ut autem Episcopi a suis Ecclesiis vel Diœcesibus licite abesse possint, quum præter caussam Canonicam, expressa quoque licentia Romani Pontificis, ut supra diximus, sit necessaria; excepto casu prædictæ trimestris absentiæ a Concilio permissæ, pro qua nulla peculiaris requiritur licentia, quum idem Concilium Episcoporum abscedentium conscientiæ relinquat, de æquitate caussæ judicium facere; hinc est, quod quæcumque hujus generis licentia olim indulgeretur, per speciale Chirographum manu Pontificis signatum expediebatur. Postmodum vero inductus fuit mos describendi omnes hujusmodi licentias in unico Folio, quod Pontifici subscribendum deferebatur; quem sane morem a prædecessoribus Secretariis invectum, Nos quoque servavimus.

„ Cum autem post absentiam duodecim annorum, quorum duos apud Anconitanam, & decem apud Bononiensem Ecclesias Regimini Nostro successive commissas, assidue residendo transegimus, in Urbem reversi, & ad Apostolicam Sedem, quamvis immerentes, evecti fuerimus; Congregationis præfatæ sessiones, materia forsan deficiente, non amplius frequentari comperimus; neque porro Chirographa, aut Folia signanda Nobis oblata fuerunt; sed facta Nobis oretenus a Prælato dictarum Congregationum super executione & interpretatione Concilii, & super Residentia Episcoporum Secretario, tam petitionum Episcoporum, qui vacationem a Residentia postulabant, quam caussarum, quibus hujusmodi petitiones innitebantur, relatione; nostroque desuper accepto responso; opportuna singulis Decreta perscribi, eaque a Cardinali Vicario Nostro, tamquam sæpedictæ Congregationis super Residentia Episcoporum Præfecto, signari consueverunt. Verum quum Nos hanc agendi rationem pro rei gravitate nimis compendiariam judicaverimus; visum est Nobis motu proprio & ex certa scientia, non solum pro debita, ut ajunt, actus solemnitate, sed etiam pro ipsius rei substantia, & pro maturiori examine caussarum, quæ ad hujusmodi licentias obtinendas afferuntur, infrascriptas leges & ordinationes inviolabiliter in posterum observandas, Apostolica authoritate, tenore præsentium, edicere & constituere.

„ Primum itaque relata superius Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi Decreta, *sess. 6. cap. 1. & sess. 23. cap. 1. de Reform.*, laudatasque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Pii IV. Gregorii XIII. Clementis VIII. & Urbani pariter VIII. Constitutiones, & Ordinationes, nec non omnes & singulas, quas supra innuimus, Resolutiones Apostolicæ Sedis authoritate editas, innovantes, & tam Decretorum, quam Constitutionum, Ordinationum, & Resolutionum hujusmodi tenores etiam veriores pro satis hic expressis, ac etiam de verbo ad verbum insertis „ habentes, & haberi volentes; illaque & illas, quatenus opus sit, iterum plenissime approbantes & confirmantes; omnia & singula in ipsis contenta, ab iis ad quos spectat, & pro tempore in posterum spectabit, attendi, & in his omnibus, quæ Nostris hisce Litteris non adversentur, exactissime impleri & observari volumus, statuimus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, atque præcipimus; non obstantibus quibuscumque privilegiis, aut contrariis, etiam quantumvis inveteratis, usibus, & consuetudinibus, quæ potius abusus & corruptelæ dici debent; quibus, si forte adesse, aut allegari contingat, motu ac scientia simili, ac de prædictæ Apostolicæ authoritatis Nostræ plenitudine, derogamus, ac derogatum esse volumus & decernimus.

„ Secundo loco, & consequenter ad præmissa, adversus prædictarum Legum & Constitutionum transgressores, omnes & singulas pœnas in eisdem Decretis & Constitutionibus latas & comminatas, authoritate quoque Nostra confirmamus & innovamus; amissionis scilicet quartæ partis fructuum unius anni, ipso facto ab iis incurrendæ, qui legitimo impedimento, seu justis & rationabilibus caussis cessantibus, & absque expressa, ut præfertur, Apostolicæ Sedis licentia, sex mensibus continuis extra suam Diœcesim morando abfuerint; & amissionis alterius quartæ partis fructuum, eodem modo incurrendæ, ubi hujusmodi absentia ad alios sex menses protrahatur; ut in prædicto Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 1. de Reform.* statutum fuit; incursus quoque in peccati mortalis reatum, & obligationis restituendi fructus in absentia perceptos, nulla etiam prævia declaratione, eosque erogandi in Ecclesiarum fabricas; seu in subventionem pauperum ipsius loci, quacumque conventione seu compositione pro hujusmodi fructibus male perceptis prohibita; ut in eodem Concilio *sess. 23. cap. 1.* præscribitur. Similiter impositam a prædicto Pio IV. Prædecessore pœnam amissionis facultatum testandi & disponendi, si quæ transgressoribus hujusmodi competere dignoscantur; nec non inhabilitatis ad majores Dignitates & Ecclesias obtinendas, quam præfatus quoque Prædecessor Clemens VIII. indixit, per omnia confirmamus & innovamus. Quibus omnibus hoc etiam superaddimus, ut iidem transgressores omnibus & singulis Indultis & Privilegiis, quæ forsan ipsis, tamquam Pontificio Solio Assistentibus, concessa fuerint, ipso facto privati esse censeantur: Decernentes, sub transgressorum nomine comprehendi non solum eos, qui præter tres menses a Concilio toleratos, absque legitima caussa, & expressa Romani Pontificis licentia, extra proprias Diœceses commorantur; sed eos etiam, qui hujusmodi licentiam falsis simulatisve caussis dolose extorquere non dubitaverint; vel ea semel rite recteque obtenta, præscriptos in eadem limites, ac præfinitum tempus prætergressi fuerint. Quod si nihilominus aliqui, non minus Canonica statuta, quam propositas hujusmodi pœnas contemnentes, in sua contumacia obfirmati perseverare præsumpserint; volumus adversus istos ad ulteriora cum effectu procedi, juxta mentem ejusdem Concilii Tridentini, quod

„ quod in *citato cap. 1. sess. 6.*, Romanum Pontificem pro tempore existentem hortatur, ut suæ supremæ Sedis authoritate in hujusmodi transgressores ad severiorem Sacrorum Canonum normam animadvertat, atque etiam Ecclesiis ipsis de utilioribus Pastoribus provideat, sicut in Domino noverit salubriter expedire.

„ Tertio loco volumus & mandamus, ut prædictæ Congregationis super Residentia Episcoporum ab Urbano Papa VIII. institutæ exercitium, atque sessiones resumantur; confirmantes ipsius Præfecturæ munus dilecto Filio Nostro Joanni Antonio Tituli Sancti Martini in Montibus Presbytero S. R. E. Cardinali Guadagni nuncupato moderno Nostro in Urbe ejusque Districtu in spiritualibus Vicario, ejusque in Officio Vicariatus hujusmodi Successoribus; sicut etiam Officium Secretarii ejusdem Congregationis dilecto Filio Magistro Joseph Alexandro Furietto, ejusque Successoribus Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Secretaris; eosdemque statuentes in hujusmodi Congregatione nunc & deinceps pro tempore locum habere & suffragium ferre, quicumque ea officia & munera obtinent, sive obtinebunt in posterum, quæ in præcitatis Urbani Prædecessoris Litteris designantur. Præterea quum minime expediat hujusmodi Congregationem Promotore Fiscali carere, Nos eum, qui in Tribunali prædicti Cardinalis Vicarii Urbis Officium gerit Promotoris Fiscalis, ejusque in Officio Successores pro tempore, ad idem munus obeundum deputamus in præfata Congregatione, cui ipsum, seu ipsos cum consultivo suffragio volumus interesse. At vero perpendentes, quod si Congregatio isthæc toties habenda foret, quoties ab aliquo Episcopo licentiam abscedendi a Diœcesi peti contingeret, eadem aut propter frequentiam nimis onerosa evaderet, aut propter negotiorum levitatem tractu temporis negligi & parvipendi posset; volumus atque statuimus, eandem tunc tantum cogendam, habendamque esse, quum aut a Nobis, sive a Successoribus Nostris Romanis Pontificibus, alicujus negotii cognitio ipsi remissa & delegata fuerit; aut, hujusmodi etiam remissione cessante, quoties de pœnis superius constitutis, adversus aliquem transgressorem reipsa decernendis infligendisque deliberandum fuerit; siquidem hujusmodi pœnarum modus, prout cujusque major aut minor contumacia exegerit, ab eadem Congregatione statuendus erit; ut facta per ipsius Secretarium Nobis, seu Successoribus Nostris relatione, approbataque Congregationis resolutione, ad hujusmodi pœnarum executionem cum effectu procedatur; aut denique quum aliquis Episcopus instantiam proponat abessendi a propria Diœcesi ratione alicujus muneris sive officii, cujus ea dicatur natura esse, ut Apostolicum Indultum de non residendo ad longum tempus ipsi sit concedendum; Nos etenim hujusmodi Indulta nemini unquam concedi debere decernimus, nisi prævio caussarum examine in eadem Congregatione peragendo, Nostraque & Successorum Nostrorum scientia & approbatione, & mediante expeditione Litterarum Apostolicarum in forma Brevis; ideoque mandamus Nostro & Romani Pontificis pro tempore existentis Supplicum Libellorum Secretario, aliisque Secretariis quarumvis Congregationum, quibus ea de re preces oblatæ fuerint, ut illas ad prædictam Congregationem super Residentia Episcoporum omnino remittant; simulque prohibemus Nostro & Successorum Nostrorum pro tempore Secretario Brevium, ne Litterarum Apostolicarum super Indultis hujusmodi exempla Nobis, aut Successoribus Nostris signanda ullatenus afferat, nisi authentica documenta, tam de caussarum examine in dicta Congregatione peracto, quam de Apostolica approbatione & assensu consequenter emanatis, eidem fuerint exhibita.

„ Quarto loco statuimus, ut Folia superius enunciata in posterum omnino conficiantur, in quibus nimirum describantur nomina Episcoporum, quibus dantur Indulta commorandi extra Diœcesim, una cum caussis ab ipsis adductis atque probatis, & spatio temporis ad quod hujusmodi Indulta conceduntur; quæ quidem Folia a Romano Pontifice subscripta, in Tabulario prædictæ Congregationis, ut alias, asservari præcipimus: Quod tamen intelligi volumus non de iis Indultis, quæ per Apostolicas Litteras in forma Brevis expedienda esse in paragrapho superiore præscripsimus; sed de alterius generis Indultis, de quibus infra dicendum erit, quæque, post Pontificium assensum a Secretario requisitum & obtentum, expediri debebunt per Decreta a prædicto Cardinali Vicario Urbis, tamquam præfatæ Congregationis Præfecto, subscripta. Decet enim has quoque licentias non sine Pontificia subscriptione prodire; idque obtinebitur accedente Signatura Pontificis super prædictis Foliis, in quibus singulorum Indultorum tenores & caussæ a Secretario descripta erunt; quemadmodum elapsis temporibus, atque etiam a Nobis ipsis, dum hujusmodi Secretarii munere fungeremur, servatum fuisse narravimus.

„ Quinto loco, quoniam experiendo cognovimus, quod ad obtinenda Indulta commorandi extra Diœcesim, infrascriptæ plerumque caussæ ab Episcopis afferri solent; nimirum aut necessitas assistendi personaliter alicui liti, seu controversiæ, in qua Ecclesiæ, aut Cleri sui, vel etiam propriæ Familiæ res agatur, quæque in Romana Curia introducta sit, vel alia in Urbe, in qua resideant majora Tribunalia, quorum ea de re judicium esse debeat; aut corporalis ægritudo, qua correptus fuerit Episcopus dum extra Diœcesim, Conciliaribus mensibus utens, morabatur, itaut ad eandem Diœcesim reverti nequeat; aut adversa valetudo in ipsa Diœcesi contracta, ad quam depellendam Medici putent necessarium fore, Episcopum aerem & solum aliquantisper mutare; aut denique malignitas aeris in Diœcesi vigens, quam aliquibus anni mensibus devitari oporteat; & quoniam nec ulla ex præmissis caussis, absque expressa Romani Pontificis approbatione, quemquam ab onere residendi eximere potest; &, nisi certis expressis circumstantiis, iisque verificatis, difficile est ad hujusmodi approbationem rite recteque procedere; necessarium Nobis visum est infrascriptas Regulas statuere, quas in singulis respective casibus ab iis ad quos spectat,

& pro

,, & pro tempore spectabit, observari mandamus, ,, atque præcipimus.

,, Si quis igitur in posterum licentiam petierit ,, abscedendi a Diœcesi sibi concredita, ut judiciali controversiæ, quę alibi vertitur, per se ,, ipsum intersit, exprimere debebit in precibus ,, tum Locum, sive Urbem, in qua hujusmodi ,, lis agitatur; tum etiam an ea pertineat ad ipsam Oratoris Ecclesiam, seu Clerum, vel potius ad ipsius Familiam. Et quidem si ad Familiam pertineat, absque eo quod Secretarius ,, Congregationis Pontificem aut Cardinalem Præfectum adeat, rescribendum ab ipso erit, ut ,, Orator ad effectum de quo in precibus, utatur ,, mensibus a Concilio indultis. Quod si eis jam ,, usus fuerit, ulterior ipsi licentia non concedetur. Si vero de ejus Ecclesiæ vel Cleri rebus ,, agatur, exponi debebunt, tum status litis, ejusdemque gravitas, tum caussæ, propter quas necessaria creditur in loco judicii Oratoris præsentia; tum etiam declarandum an Mensibus ,, Conciliaribus usus fuerit. Et quidem si nondum illis usus sit, rescribendum erit, ut eos in ,, hujusmodi caussam impendat. Si vero id amplius Episcopo integrum non sit, (qua in re ,, nec dolus nec fraus intercesserit) & alioqin ,, ipsius instantia justa videatur, tantum illi temporis, & non amplius, ad commorandum extra Diœcesim tribuatur, quantum judicatum ,, fuerit necessarium esse, ad Caussę Defensores, ,, Advocatos, & Judices de omnibus, quæ ad ,, rem pertinent, sufficienter instruendos. Si enim ,, licentia abessendi a Diœcesi usque ad finalem ,, exitum caussę extendi deberet, nemo non videt, quam diuturna plerumque foret in hisce ,, casibus Episcoporum absentia, & quam facile ,, evenire posset, ut pleræque Diœceses complurium annorum spatio suorum Pastorum præsentia carerent.

,, Qui vero licentiam abessendi petierint ratione infirmitatis extra Diœcesim contractę dum ,, vacatione a Concilio indulta uterentur, asserentes ea de caussa regressum ad propriam Diœcesim sibi prohiberi; exponere debebunt contractę infirmitatis qualitatem, & super ea testimonium Medici juramento firmatum exhibere. Atque ubi petita licentia ipsis indulgeatur, ,, ea semper ad certum ac definitum tempus concedi debebit, adjecta quoque clausula *si tamdiu* ,, *infirmitas duraverit*.

,, Ab iis autem, qui hujusmodi licentiam postulaverint, eo quod aeris mutatione opus sibi ,, esse dicant ad convalescendum ex morbis, quos ,, in suis Ecclesiis residendo contraxerunt, exprimendum erit in precibus, quo morbi genere, ,, & quam graviter laborent, ac proferendum testimonium Medici, qui jurejurando testetur, ,, utile ac necessarium Oratori esse, ut in aliam ,, Regionem atque aerem per aliquod tempus se ,, transferat. Nec illud silentio prætereundum, ,, an scilicet Orator, antequam morbo corriperetur, trimestri licentia a Concilio permissa usus ,, fuerit; Si enim id nondum fecerit, & tempus ,, a Concilio indultum sufficiens ipsi non reputetur, poterit eidem concedi, ut per quatuor ,, menses, in quibus tamen Conciliares Menses ,, comprehendantur, a Residentia absens permaneat: At si prædictos Conciliares Menses, remoto omni dolo & fraude, jam extra Diœcesim transegerit; tantum temporis ipsi indulgeatur, quantum ad confirmandam ipsius valetudinem vere necessarium esse prudenter judicabitur.

,, Qui tandem licentiam commorandi extra ,, Diœcesim postulabit propter malignitatem aeris, quem in sua Diœcesi aliquo anni tempore insalubrem esse affirmet; is videat etiam atque etiam quid agat; Et quidem pro veritate ,, exponat, quibus anni mensibus perniciosus sit ,, Regionis aer: Item an eadem Cœli temperies ,, totam comprehendat Dięcesim, itaut nullus ,, intra ejus tractum locus existat, in quo suspectum illud tempus absque salutis detrimento ,, transigere valeat; postremo, an Conciliaribus ,, Mensibus usus fuerit. Etenim si nondum eos ,, sibi sumpserit, non ægre obtinebit Indultum ,, abessendi per quatuor menses (quatenus periculum ab aere tamdiu durare censeatur) in ,, quibus tamen tres illi a Concilio permissi numerandi erunt: Si autem hujusmodi Concilii ,, indulgentia jam usus fuerit, frustra novum Indultum prædicta de caussa ab Apostolica Sede ,, postulabit; sibique imputare debebit, quod ,, quum sciret certo anni tempore in sua Diœcesi aerem insalubrem fore, concessos vacationis menses in tempus illud non reservaverit. ,, In omnibus autem absentiæ Indultis, quæ ratione aeris insalubris in posterum concedentur, ,, hanc clausulam adjici volumus: *Dummodo intra Dięcesim aliquis locus non adsit, in quo aer* ,, *salubris sit, & in quo Episcopus commorari possit*.

,, Sane prædictus Urbanus Prędecessor non prætermisit eorum Antistitum caussam considerare, ,, qui Provincialibus Conciliis, vel Congregationibus, seu Assembleis generalibus, in quibus ,, Ecclesiastici intervenire solent, personaliter interesse, sive in aliis muneribus, aut Reipublicæ officiis, quæ ipsorum Episcopatibus Ecclesiisque adjuncta sunt, ad certum tempus extra ,, Diœcesim occupari solent, ac debent; & his ,, quidem in præcitata Constitutione licentiam ,, abessendi concessit pro eo definito tempore, ,, quo ejusmodi Concilia, Congregationes, & ,, Assembleæ peragentur, exercitiumque muneris ,, seu officii publici eorum Ecclesiis adjuncti, ,, actu duraverit; dummodo iis finitis, recto tramite ad Ecclesias sibi commissas sese conferrent; cujus concessionis æquitatem Nos quoque agnoscentes, eandem approbamus, & confirmamus. Sed quum idem Urbanus nihil statuerit de Episcopis, qui a Residentiæ suę loco discedunt pro Processuum in caussis Beatificationum aut Canonizationum compilatione, ,, Apostolica authoritate ipsis delegata; necesse ,, est aliquid a Nobis pro his etiam casibus opportune constitui.

,, Expediuntur a Congregatione Sacrorum Rituum Litterę, quas vocant Remissoriales & ,, Compulsoriales, quibus committitur, ut supradicti Processus authoritate Apostolica conficiantur; eæque diriguntur tribus Episcopis aut Superioribus Prælatis, cum clausula, ut *duo ad* ,, *minus procedant*. Cumque in hujusmodi Episcoporum numero semper includatur Ordinarius ,, loci, in quo Processus construitur; fere contingit, e tribus, ad quos Litteræ sunt directæ, ,, unum dumtaxat a residentia avocari. Ubi ita- ,, que

„ que aliquis Episcopus Titularis Ecclesiæ in partibus Infidelium constitutæ haberi possit, volumus eum in præfatis Litteris pro uno ex tribus Episcopis comprehendi. Quod si tres omnino Antistites in propriis Ecclesiis residentes ad hujusmodi effectum delegari oporteat, statuimus atque præcipimus, ut Litteræ a prædicta Congregatione dirigantur Episcopis, qui viciniores sunt Diœcesi, in qua Apostolicus Processus conficiendus erit. Quoniam vero non de re agitur, quæ duabus tribusve hebdomabibus perfici queat, sed quæ plurium sæpe mensium, aut etiam annorum operam requirit; volumus, ut Episcopi, qui ejusmodi delegationem acceptaverint, necessariam licentiam abscedendi a Diœcesi, caussam absentiæ exprimendo, petere & impetrare non omittant, sub pœnis adversus eos constitutis, qui absque caussa extra Diœcesim commorantur. In hujusmodi autem licentiis concedendis, statuimus, ut Conciliares Menses semper comprehendantur, & præter eos, triginta duntaxat dies, si opus fuerit, adjiciantur; nam & ad plura peragenda quadrimestre spatium sufficiens est; &, si adhuc facienda supersint, quatuor alii menses sequenti anno in idem opus insumi poterunt.

„ Hæc sunt quæ salubriter in Domino statuenda judicavimus, quæque pro regula & norma in posterum haberi volumus, ut a Venerab. Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, gravissimum, quod ipsis incumbit, Residentiæ officium exacte impleatur. Itaque Dilecto Filio moderno præfatæ Congregationis super eadem Residentia Secretario, ejusque Successoribus in perpetuum, injungimus, & in virtute sanctæ Obedientiæ, sub pœnis contra inobedientes mandatis Apostolicis in re gravi, præcipimus atque jubemus, ut supplices Libellos pro parte quorumcumque Antistitum sibi oblatos, in quibus ea, quæ supra adnotavimus, expressa non fuerint, quibusque necessaria authentica documenta, superius pariter indicata, non sint adjuncta, nullo modo recipiant, multoque minus ad Pontificem referant: In Decretis autem, quæ post Pontificium assensum ab ipsis Secretariis in consueta audientia reportatum, a Cardinali ejusdem Congregationis Præfecto subscribenda erunt, suprascriptas clausulas respective apponere non prætermittant; illud etiam expresse cavendo, ut quæ concedentur Indulta, a die Datæ ipsorum Decretorum decurrere intelligantur.

„ Denique Ven. Fratres Patriarchas, Primates, Metropolitanos, & Episcopos universos monemus, ut non solum ipsi statutas de Residentia leges adamussim observent, sed etiam memores sint Decreti a Sacra Tridentina Synodo editi *Seff. 6. Cap. I. de Reformat.* quo jubentur singuli pro virili parte in aliorum agendi rationem respective vigilare, & non residentes Romano Pontifici infra certum tempus denunciare. Nostris quoque, & Apostolicæ Sedis Nuntiis hoc idem demandamus & injungimus; ubi intra ipsorum Nuntiaturæ Districtum aliquis Episcopus, seu Superior Prælatus existat, qui Canonicas Leges hac in parte violare dignoscatur.

„ Et quia Nobis relatum est, nullibi frequentius prædictas Leges ab Episcopis violari, quam in proximo Neapolitano Regno, (neque vero id mirum in tanto eorundem numero) volumus atque statuimus, ut in Indultis absentiæ, quæ pro Episcopis prædicti Regni in posterum expediri contingat, ad ceteras clausulas superius præscriptas, hæc etiam addatur, ut obtenta licentia exhiberi debeat Apostolico Nuntio Neapoli commoranti, alioquin nullius roboris & momenti habeatur. Nos siquidem prædicto Nuntio earundem præsentium tenore committimus, ut hujusmodi Licentias in acta sui Tribunalis referri faciat, itemque de caussis, propter quas concessæ fuerint, inquirat, ac tempus in iis præfinitum observet, ad hoc scilicet, ut & per eum resciri possit, si quid obreptum aut subreptum fuerit in precibus; & ipsum latere nequeat, si quis præscriptos sibi limites transgrediatur, sive absque necessario Apostolicæ Sedis Indulto, extra tempora a Concilio permissa, longe ab Ecclesia & Diœcesi sua commoretur. Pro iis autem, qui, ut Nobis pariter relatum fuit, Diœceses suas deserunt, & non quidem in Urbem Regni principem, ubi Apostolicus Nuntius moram trahit, sed in alias se conferunt ejusdem Regni Civitates, quin ipse Nuntius quidquam de ipsis audiat; injungimus eidem Nuntio, ut per Officiales suos atque Ministros, quos in omnibus Diœcesibus retinet, curet se certiorem fieri de Episcopis, quicumque a propriis Diœcesibus recedunt; Ut & ii, qui obtentis licentiis abutuntur, & multo magis ii, qui proprio marte se gerere præsumunt, (dum vel absque prævia licentia, præter tempus a Concilio indultum a suis Diœcesibus absunt, vel si ob aliquem inopinatum eventum ab ipsis discedere compulsi fuerint, hujusmodi licentiam, statim ac ad destinatum locum pervenerint, petere & impetrare non curant;) severiori sacrorum Canonum, & Apostolicarum sanctionum censuræ subjiciantur.

„ Ceterum intendimus sub præsentium Litterarum Nostrarum ordinatione & dispositione etiam ipsos Ven. Fratres Nostros S. R. E. Cardinales, qui Patriarchalibus, Primatialibus, Archiepiscopalibus, & Episcopalibus Ecclesiis prædictis ex concessione & dispensatione Apostolica nunc præsunt, & in futurum præerunt, comprehendi, ac comprehensos esse & fore.

„ Præsentes quoque Litteras, omniaque & singula in eis contenta, de subreptionis, obreptionis, aut cujuscumque nullitatis vel invaliditatis vitio, intentionisque Nostræ, ac quocumque alio defectu, etiam ex eo, quod in præmissis quomodolibet interesse habentes seu habere prætendentes, & præsertim ejusdem S. R. E. Cardinales, præmissis non consenserint, nec ad ea vocati & auditi, solemnitatesque, & alia servanda & adimplenda nullatenus servata & adimpleta fuerint, ac quocumque alio colore, prætextu, occasione, & caussa, etiam necessario exprimenda, a quoquam notari, impugnari, in jus vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodvis juris, facti, vel gratię remedium impetrari nullo unquam tempore posse; sed semper

„ per perpetuoque valida, firma, & efficacia esse & fore; suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari, perinde ac si in Consistorio Nostro secreto, & de eorundem Fratrum Nostrorum consilio, & unanimi assensu emanassent; Sicque & non aliter in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Judices Ordinarios vel Delegatos, etiam Caussarum Palatii Apostolici Auditores, nec non prædictæ S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, prædictamque Congregationem super Residentia deputatam, & quoscumque alios quavis authoritate & potestate fungentes nunc, & pro tempore existentes, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, declarandi, interpretandi, & definiendi facultate, judicari & definiri debere, & quidquid secus super his a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

„ Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Universalibus, Generalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis vel edendis, nec non, quatenus opus sit, de non tollendo jure quæsito, aliisque Cancellariæ Apostolicæ Regulis, Statutis quoque, etiam juratis, & consuetudinibus, etiam diuturnis & immemorabilibus, dictarum respective Ecclesiarum, nec non licentiis, privilegiis, & indultis etiam Apostolicis, eisdem Ecclesiis, earumque Præsulibus quomodolibet hactenus concessis, omnibusque & singulis aliis, quæ prædictus Urbanus suarum Litterarum firmitati & executioni voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

„ Ut autem eædem præsentes, & in eis contenta quæcumque, ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis illorum ignorantiam prætendere possit; volumus, quod eædem præsentes per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus Nostris ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ de Urbe publicentur, & earum copiæ ibidem affigantur, & affixæ relinquantur. quæ sic publicatæ & affixæ omnes & singulos, quos concernunt, arctent & afficiant, non secus ac si eorum unicuique personaliter intimatæ & notificatæ fuissent; quodque earundem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio & extra illud ubique locorum, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

„ Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum Ordinationum, Confirmationum, Derogationum, Præceptorum, Statutorum, & Decretorum infringere, seu eidem ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

„ Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1746. 3. Nonas Septembris, Pontificatus Nostri Anno septimo.

ARTICULUS IV.

Quibusnam restituendi fructus a non Residentibus?

I. Facienda est restitutio Fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus loci.

II. Fructus a non recitantibus horas possunt quidem restitui in utilitatem domus Beneficii; at non permittitur hoc non residentibus.

III. Similiter restitutio a non recitantibus fieri potest pauperibus cujuscumque loci, immo etiam in suffragium defunctorum; at a non residentibus solum fieri potest pauperibus ejus loci, aut in utilitatem fabricæ Ecclesiæ Beneficii.

IV. Potest etiam sibi ipsi hanc eleemosynam applicare non residens, si vere sit pauper; dummodo non absit in fraudem.

V. Pauperes non possunt remittere his debitoribus eleemosynas faciendas, antequam iis tradatur pecunia, & donatio deinde sit omnino libera.

VI. Aliæ etiam pœnæ non residentibus imponuntur.

I. CErtum est ex Trid. sess. 23. c. 1. Beneficiarium culpabiliter non residentem teneri fructus Beneficii erogare fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus loci, prohibita quavis compositione: Contra vero ex Conc. Later. Beneficiarius omittens culpabiliter horas tenetur restitutionem facere pauperibus, vel fabricæ Ecclesiæ, & ex Bulla Pii V. etiam fabricæ Beneficii.

II. Hinc infertur primo, ut notant Vasq. & Suar. tom. 2. de Relig. lib. 4. c. 30. quod culpabiliter amittens horas possit restitutionem facere, non solum in utilitatem Ecclesiæ Beneficii, sed etiam in utilitatem domus Beneficii, in qua Beneficiarius habitat, aut in emendis, ac meliorandis agris, ut fructus in perpetuum augeantur, quia hoc venit nomine fabricæ Beneficii. Contra vero id non est licitum culpabiliter non residenti, quia, ut notat Bonac. quæst. 5. punct. 4. in Tridentino dicuntur erogandi esse fructus fabricæ Ecclesiæ, non vero fabricæ Beneficii; hęc autem non venit sub nomine fabricæ Ecclesię.

III. Infertur secundo, restitutionem a non residentibus culpabiliter non posse fieri pauperibus alterius loci: Contra vero a non recitante culpabiliter horas; cum Pontifex in secundo tantum casu loquatur indefinite, dum dicit, fieri posse pauperibus. Unde fit, restitutionem hanc a non recitantibus exerceri posse in celebrandis Missis, aut aliis suffragiis offerendis pro defunctis; quia, ut notant Suar. & Filliuc., defuncti in Purgatorio sunt maxime egeni, atque adeo apte veniunt nomine pauperum; Nisi tamen aliud ferat specialis institutio, aut municipalis consuetudo, vel aliud de voluntate Pontificis rationabiliter non præsumatur.

IV. Dubium tamen est, An, si Beneficiarius sit pauper, possit ipse sibi applicare restitutionem pauperibus faciendam a non residentibus, & non recitantibus?

 Respon-

Respondeo affirmative cum Less., & aliis communiter; tum quia non debet esse deterioris conditionis aliis pauperibus; quamvis enim peccaverit non residendo, aut non recitando, tamen, quia pauperibus dari debent fructus Beneficii, potest ipse etiam nomine pauperum venire, quia sic non tam ipse sibi, quam Pontifex per ipsum stipem erogaret.

Neque dicas, hinc sequi, quod posset Beneficiarius pauper in fraudem recitationem, ac residentiam omittere, sciens, quod posset titulo paupertatis retinere sibi fructus.

Nam primo transmitti posset, quod huic peccato præter pœnam æternam non respondeat in hac vita pœna restitutionis fructuum ante sententiam judicis; Sicut communius docent, quod committens peccatum reservatum in confidentiam Jubilæi non subeat pœnam reservationis, sed possit de hoc etiam peccato vi Jubilæi absolvi. Sed verius nego sequelam; nam in tali casu non præsumitur, quod velit Pontifex, Pauperem sibi Eleemosynam applicare, eo quod fraus nulli debeat patrocinari: Nisi forte Beneficiarius in gravi necessitate reperiatur, & pœnitentia ductus proponat in futurum emendationem.

V. Dubitatur secundo, An, si pauperes, quibus facienda est restitutio, donent eidem Beneficiario fructus restituendos, possit iste titulo donationis eos retinere?

Respondeo cum Bonac., quod, si remissionem obtineat a pauperibus, antequam tradat iis fructus Beneficii restituendos, non possit illos sibi retinere titulo donationis. Ratio est quia pauperes, quibus fructus nondum traditi sunt, non possunt illos donare, quia ante traditionem non sunt illorum domini, seu non habent jus ad illos certum, & in re, sed solum jus vagum, & pendens a voluntate Beneficiarii, qui potest hos, vel illos pauperes ad arbitrium eligere, & per traditionem fructuum conferre dominium; per solam enim promissionem acquiritur solum jus ad rem, non vero jus in re erga rem promissam, ut constat ex lege *Traditionibus* Cod. *de Pactis*, ubi dicitur, *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*: Quamvis traditio rei ad translationem dominii non requiratur jure naturæ, imo nec jure civili in nonnullis casibus, v. g. in hæreditate, legato rei certæ, donatione facta civitatibus, Ecclesiis, vel aliis locis piis, in Beneficiis, in quibus jus in re, & quasi dominium ante traditionem per solam collationem, & acceptationem acquiritur, & in similibus apud Less. c. 3. n. 16. Pauperes itaque non possunt remittere fructus restituendos, sed solum post traditionem, & acquisitionem dominii possunt illos donare eidem Beneficiario, dum donatio sit libera, & non meticulosa, nec cum prævio pacto implicito inter Beneficiarium, & pauperem, quod scilicet ideo Beneficiarius hunc pauperem eligat, quia hic deinde sit eidem donaturus partem fructuum in stipem erogatorum; nam per ejusmodi pactum committeretur injustitia exigendo a paupere donationem indebitam.

VI. Præter restitutionem fructuum sunt aliæ etiam pœnæ, puta interdicti, ingressus Ecclesiæ, privationis regiminis, & similes, quæ videri possunt apud Palaum tract. 13. disp. 5. & in Bulla Urbani VIII. de hac materia, quæ incipit, *Sancta Synodus*.

ARTICULUS V.

An Beneficiarii non habentes curam Animarum ad Residentiam obligentur?

I. Jure naturali non obligantur ad Residendum.
II. Olim obligabantur jure canonico, sed ob contrariam consuetudinem non obligantur.
III. Dignitates tamen, & Canonicatus obligantur, & probabilius sub mortali; nisi per tres tantum, aut quatuor dies absint ultra trimestre permissum.
IV. Quid si resideant quidem, sed per multum temporis a choro absint?
V. Num peccent mortaliter Episcopi, & Parochi, si non resideant, ubi nonnisi tres, vel quatuor animæ integrum gregem constituunt?

I. Dico breviter primo cum Filliuc. cap. 6., & aliis communiter, hujusmodi beneficiarios jure naturali non obligari ad residendum in loco sui beneficii.

Ratio est, quia de jure Divino naturali solum est, quod Ecclesia Beneficii non privetur debito ministerio; quod abunde præstari potest sine residentia personali a beneficiariis non habentibus curam animarum.

II. Dico secundo, quamvis olim jure canonico omnes Beneficiarii ad residentiam obligarentur, de facto tamen, exceptis Canonicatibus, & Dignitatibus, nullum beneficium simplex obligat ad residentiam. Ita communiter.

Ratio est, quia generali consuetudine contraria sublata est ea obligatio, quæ prius jure antiquo positivo habebatur. Præterquamquod hujusmodi beneficia nullum aliud habent officium annexum, præter recitationem horarum, quæ ubilibet præstari potest.

III. Excipiuntur tamen Dignitates, & Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, & aliquarum Collegiatarum; hujusmodi enim Beneficiarii ex præscripto Concilii, aut ex specialibus statutis in suis Ecclesiis residere, & horis Canonicis assistere tenentur sub pœna privationis distributionum, & fructuum; De qua assistentia fuse Pal. tract. 7. disput. 3. ubi ostendit, probabilius esse, quod Canonici, & Præbendati mortaliter peccent, si ultra trimestre a Trid. sess. 24. cap. 12. permissum a choro absint absque legitima causa pluribus diebus, etiamsi velint fructibus renunciare, distributiones remittere, & officium privatim recitare. Ratio est, quia universim omittere ea, quæ sunt proprii muneris, est grave peccatum. Quare sicut mortaliter peccat Beneficiarius, qui privatim Horas non recitat, etiamsi velit fructus restituere; ita Præbendatus, si choro desit pluribus diebus; nam, si uno, vel altero die absit ultra tempus a jure permissum, excusabitur a mortali ob materiæ parvitatem; quamvis a mortali non excusetur, si privatim non recitat uno tantum die. Et disparitas est, quia recitatio privata respicit seorsim officia quotidie recitanda; non secus ac jejunium quadragesimale: Contra vero obligatio recitandi Horas in choro respicit collectim totum anni tempus, relate ad quod est parva materia omissio Horarum uno, aut altero die; imo etiam ex Suar., Vasq., Bonac. apud Croix per tres, aut quatuor dies.

Ex

Ex quibus reddi potest ratio, cur Episcopus non possit erigere Parochum in Vicarium Generalem, possit tamen Canonicum, etiam Ecclesiæ Cathedralis; quia scilicet Parochus obligatur jure divino naturali ad Residentiam; Canonicus vero non item.

IV. Utrum autem Præbendati, si resideant in suis Ecclesiis, sed tamen per longum tempus absint a choro, peccent solum venialiter, dummodo chorus non negligatur? discutit Barbosa de Pot. Episc. alleg. 53. nu. 131. cum aliis apud Croix laudatum l. 4. n. 876. ubi multa huc spectantia enucleantur. Illud certum est, quod si a choro absint, non possint distributiones participare, peccentque participando cum onere restitutionis ante sententiam Judicis. Certum pariter est, quod licet Canonici possint quotannis per trimestre, etiam recreationis causa, & sine licentia a choro abesse, non possunt tamen omnes simul abesse, ne chorus destituatur: Nec potest Episcopus in hac residentia dispensare in perpetuum, sed solum ad tempus justis de causis, præsertim ob studium Theologiæ, aut sacrorum Canonum.

V. Hic autem inquiri potest, Utrum, sicuti Canonici excusantur a mortali ob materiæ parvitatem, si per aliquot dies non resideant ultra trimestre permissum; ita excusentur a mortali Episcopi, & Parochi, veluti ob materiæ parvitatem, si non resideant, ubi tres vel quatuor integrum gregem constituunt; præsertim si iis de Coadjutore provideant?

Ad quod dicendum cum Barbosa de Offic. Parochi cap. 8. & aliis non excusari a mortali ob paucitatem subditorum, si non resideant. Etenim ad pascendum gregem sibi commissum, quantumvis exiguum, obligantur jure naturali ex contractu inito cum Christo Domino, quando curam illorum acceptarunt; & quia, si non resideant, non possunt apte proprium gregem pascere, ideo sub mortali ad residendum obligantur, quin satisfaciant per solum Coadjutorem, etiamsi grex sit exiguus. Immo quod Parochus habens Coadjutorem non excusetur a Residentia, declaratum est a Sacra Congregatione apud Palaum p. 9. n. 12. Et sane cum fructus Beneficii a Curatis recipiantur cum onere imposito a Christo Domino pascendi gregem suum, si tenentur residere, quando grex est magnus, & labor est improbus, a fortiori ad id tenentur, quando ob exiguitatem gregis labor est exiguus. Poterunt tamen a Pontifice dispensationem obtinere, si detur causa sufficiens, ut Vicarius perpetuus ibi statuatur. Per solam vero consuetudinem in contrarium non possunt Curati eximi ab onere residendi, quia nulla consuetudo prævalere potest adversus jus divinum naturale, quale est illud, quod Curatos obligat ad Residentiam.

ARTICULUS VI.

De Onere Beneficiariorum Horas recitandi.

I. Ex traditione Ecclesiæ habetur gravis isthæc obligatio.

II. Non recitans Horas quandonam teneatur fructus Beneficii restituere?

III. Num ad id obligetur ante sententiam Judicis? num jure naturæ? num omnes omnino fructus restituendi? & quid si Beneficium sit tenue?

IV. Num possit huic oneri Beneficiarius per alium satisfacere?

V. Num suppleri possit restitutio facienda per quascumque eleemosynas?

VI. Num a restitutione deobligetur, qui officium pro officio recitat? aut qui impotens recitare Matutinum, & Laudes, integrum Officium prætermittit? aut qui non potest sine socio recitare? aut demum, qui culpabiliter est impotens?

VII. Num peccet contra justitiam Beneficiarius, si post omissionem Horarum fructus non restituat?

VIII. Num etiam contra justitiam peccet, si non recitet, & velit fructus statim restituere?

IX. Probabilius est, ad id recitandum non teneri contractu oneroso.

X. Parochus tamen contractu oneroso, & ex justitia tenetur sacramenta ministrare ovibus suis.

I. Triplex est celebris titulus inducens onus recitandi Horas, videlicet Ordo sacer, Professio religiosa obligans ad chorum, & Beneficium Ecclesiasticum. De hoc onere prout his omnibus communi omittimus disceptare, cum de eo passim a Summistis agatur. Inquirimus solum, quæ ad hoc onus spectant, prout proprium est Beneficiariorum. Censeo autem cum Suar. tom. 2. de Relig. cap. 8. probabilius esse, obligationem hanc ex Beneficio provenientem deduci ex consensu, & traditione Ecclesiæ; illam quippe supponere videtur Concilium Lateranense de Reformatione. Indubitatum vero est, sub mortali ad id Beneficiarios teneri, non secus ac constitutos in sacris; idque propter materiæ gravitatem, ex qua deduci solet intentio Ecclesiæ obligandi sub gravi, ut fuse ostendimus in expositione thesis vigesimæ tertiæ ab Alexandro VII. proscriptæ, quæ habet: *Frangens jejunium, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, vel quia non vult se subjicere præcepto.* Cujus furfuris est pariter thesis 52. confixa ab Innoc. XI. quæ habet: *Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.* Immo mortaliter Beneficiarius peccat, etiamsi omittat Horas animo restituendi fructus Beneficii; quia, ut notat Lugo in Responsis moralibus, obligatio isthæc non est conditionata, si scilicet percipiantur fructus, sed absoluta, atque adeo quamvis non faciat fructus Beneficii suos, qui huic obligationi non facit satis. Pertinet præceptum istud ad virtutem Religionis, quippe quæ intendit Deum honorare, illum laudando, eique homines submittendo per petitionem gratiarum. Dicitur autem esse præceptum de Divino officio, seu de horis Canonicis ad significandum, quod officium, & actus proprius Ecclesiasticorum sit laudes Deo persolvere; & quidem statis horis, prout per sacros Canones distributæ sunt. Obligatur tali præcepto beneficiarius non post collationem, sed verius post pacificam possessionem beneficii, ut notat Less. cap. 34. dub. 30. contra Garziam, dummodo possessionem non differat consulto, ne Horas recitet; fraus quippe nemini patrocinari debet.

II. Ex Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 9. si beneficiarii elapsis sex mensibus a beneficii consecutione horas non recitaverint, pro tempore, quo non recitant, non faciant fructus suos, sed restituere illos teneantur, tanquam injuste perceptos, in fa-

in fabricam Ecclesiæ, aut in eleemosynas pauperum. Ex quo tamen non fit, quod si primis sex mensibus, quibus ad restitutionem non obligantur, horas omiserint, non peccent mortaliter omittendo partem illarum notabilem, ut in sua Bulla edita anno 1571. Pius V. declaravit: Beneficium quippe datur propter officium. Et in eadem Bulla Pontifex pariter declarat, quod omittens uno die omnes horas teneatur restituere omnes fructus uni diei respondentes; qui vero omiserit Matutinum, (videlicet cum Laudibus) dimidiam partem fructuum unius diei; sicut etiam qui sex omnes reliquas horas omiserit; sextam vero partem, (videlicet hujus dimidii ex Suar.) qui unam tantum omiserit ex his sex horis; restitutioque debet fieri in fabricas Beneficii, aut in eleemosynas pauperum.

III. In dubium vero hic revocantur plurima; & primo quidem, num beneficiarius omittens recitationem horarum ad restitutionem fructuum teneatur ante sententiam Judicis? cum enim in pœnam restitutio sit facienda solum ab omittente culpabiliter horas, non vero ab omittente inculpabiliter, ideo videtur prærequiri Judicis sententia ad hanc pœnam luendam. Præterea, num jure naturæ, an jure positivo detur isthæc obligatio? Num etiam restitui debeant omnes omnino fructus respondentes illi diei, quo omittuntur horæ, an vero fructus omnes illius diei, qui respondeant huic dumtaxat oneri, & non aliis oneribus beneficiarii? Et quid, si beneficium sit tenue? num pariter ad hanc restitutionem obliget?

Respondetur ad hæc, proscriptam esse ab Alexandro VII. thesim vigesimam, quæ habet: *Restitutio a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.* In hujus expositione ostendimus, istam legem imponentem hanc restitutionem esse potius conditionalem, quam pœnalem, videlicet quod beneficiarius, si non recitet, non faciat fructus suos. Ostendimus etiam, probabilius esse, quod ex natura rei, præcisa lege positiva, non detur ista obligatio restituendi ante sententiam: probabiliter etiam non esse restituendos a non recitantibus omnes omnino fructus respondentes illi diei, quo omissa est recitatio, sed solum eos, qui respondent huic solum oneri; unde probabiliter sufficit, quod Episcopus habens plurima alia onera solum restituat quintam partem fructuum respondentium diei, quo recitationem omisit; Curatus habens pauciora onera solum quartam partem; alii tertiam, alii minorem; adeo ut habens præstimonium absque fere ullo alio onere fere omnes fructus teneatur restituere; denique quod attinet ad beneficium tenue, quamvis juxta communiorem, & probabiliorem opinionem non excuset; diximus tamen, probabiliter ad hanc restitutionem non obligare; immo nec ad horas recitandas, saltem quotidie; quia fructus modici, qui percipiuntur, deserviunt ad alendum beneficiarium, qui altari serviens in aliis oneribus Clericorum (videlicet gestando habitum, & tonsuram, non negotiando, non venando &c.) de altari vivere debet, ut loquitur Apost. 1. ad Corint. 9. Beneficium autem dicitur tenue, si non proxime accedat ad tertiam partem congruæ sustentationis Clerici vulgaris, v. gr. si non fructificet pene duodecim aureos, ubi patrimonium est aureorum triginta sex. Hæc autem omnia cum fuse in Trutina damnatarum thesium loco laudato perquisiverimus, non est opus iterum in iis immorari.

IV. In dubium vocatur secundo; an possit beneficiarius ab hac restitutione facienda deobligari, si, ut studiis vacet, officium recitet per alium?

Ad quod pariter respondetur, proscriptam esse ab eodem Pontifice thesim 21. quæ habet: *Habens Capellaniam collativam, aut aliud quodvis Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.* In cujus expositione diximus, ratione studiorum deobligari beneficiarium a residentia, ob incompossibilitatem, non tamen ab onere recitandi horas per seipsum; atque adeo ab obligatione restituendi, si non recitet: Nec potest ab onere recitandi deobligari per hoc, quod nolit facere suos fructus beneficii, sed velit pauperibus illos erogare: Neque satisfacit, qui omittens hodie recitare horas, crastina bis illas recitet.

V. In dubium vocatur tertio; num restitutio isthæc suppleri possit per quascumque eleemosynas sive ante, sive post omissionem horarum factas?

Respondetur, Alexandrum VII. hanc etiam thesim confixisse: *Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas Beneficiarius ex fructibus sui Beneficii fecerit.* In cujus expositione diximus, nullatenus illam suppleri posse per eleemosynas ante delictum erogatas: suppleri vero probabiliter posse per eleemosynas erogatas post delictum, quamvis nulla tunc haberetur memoria de obligatione contracta, & intentio expressa satisfaciendi; (dummodo nec habeatur expressa intentio donandi liberaliter) videlicet ob virtualem intentionem satisfaciendi prius debitis ex justitia. Potest etiam suppleri per eleemosynas, quas sibi applicat beneficiarius, si vere sit pauper. Similiter potest fieri restitutio in utilitatem fabricæ beneficii, aut in emendis, & meliorandis ejusdem agris, prout diximus articulo superiore; Immo etiam si dentur Missæ pro defunctis, quia illi etiam sunt indigentes; ac demum potest per Episcopum fieri compositio, quando beneficiarius non est solvendo integre. Quintanadvennas tr. 8. singulari 6. inquirit; Num beneficiarius, qui culpabiliter omisit Horarum recitationem v. g. una hebdomada, deobligetur a restitutionem fructuum, si hebdomada sequenti bis quotidie recitet Horas, aut si alius sequenti hebdomada recitet horas pro iis defunctis, in quorum suffragium ipse tenebatur recitare? Censetque deobligari. Ad eum modum, quo Capellanus omittens per hebdomadam celebrationem debitam deobligatur a restitutione, si alius Capellanus per hebdomadam celebret pro illis defunctis, pro quibus ipse celebrare tenebatur. Nititurque doctrinæ Suarii t. 4. de Relig. l. 4. c. 3. n. 4. & Reginaldi, Bonacinæ, Filliucii, & aliorum, asserentium, restitutionem ob omissionem horarum debitam fieri posse in celebrandis Missis, vel aliis suffragiis pro defunctis offerendis; (sicut fieri potest erogando pauperibus eleemosynas) quia defuncti sunt vere pauperes, suffragio nostro indigentes. Idemque docet, si omissionem horarum ipse compenset aliis suffragiis, puta audiendo plures Missas, jejunando, macerando se ipsum flagellis, aut ciliciis, lucrando Indulgentias &c. In iis ergo casibus, in quibus non facile poterit beneficiarius ad restitutionem

debi-

debitam devenire, poterit Confessarius juxta hanc benignam opinionem illum dirigere.

Equidem tamen censeo, quod si restituere beneficiarius possit, ad id teneatur; tum quia non fecit fructus suos, atque adeo non poterit eos retinere, supplendo restitutionem aliis suffragiis: tum etiam quia aliter multi sine hoc fræno facile omitterent recitationem debitam in confidentiam talis subsidii. Nec Suarius loco laudato cum aliis aperte adhæret sententiæ benignæ Patris Quintanad., cum solum doceat, posse ab omittentibus Horas restitutionem fructuum fieri erogando eleemosynas, ut suffragia, & Sacrificia pro defunctis fiant.

VI. In dubium etiam vocatur quarto, num ad restitutionem teneatur, qui recitat officium pro officio? aut qui Matutinum vespere recitatum recitarit pro hodierna, & crastina die? aut qui impotens recitare Matutinum, & Laudes, totum officium prætermittit? aut etiam si non asciscat socium, sine quo recitare non potest? aut demum, si culpabiliter sit impotens hic & nunc recitare, puta ratione ebrietatis?

Ad hæc omnia respondetur, Regulam generalem illam esse ex Suar. de Horis cap. 30., quod quoties omissio recitationis, aut variatio ritus in recitatione est mortaliter culpabilis, tunc datur onus restitutionis. Constat autem ex thesi 34. ab Alex. VII. profligata, peccare mortaliter, & præcepto non satisfacere, qui in die Palmarum recitat officium Paschale; & in hujus thesis expositione discutitur, quænam variatio ritus sit substantialis, & quando citra mortale possit officium pro officio recitari? Rursus ex thesi 35. ab eodem confixa constat, non posse unico officio duplici præcepto satisfieri pro die præsenti, & crastino. Similiter ex thesi 54. ab Inn. XI. proscripta constat, peccare mortaliter, qui impotens recitare matutinum, & laudes omittit reliquas horas; & in hujus expositione fuse perquiritur, quandonam major pars trahat ad se minorem; & quænam sit materia parva, quæ in recitatione horarum excuset a mortali; Sicut etiam quando ægrotus impotens integrum pensum persolvere, excusetur a recitandis illis horis, quas solum potest: Et quomodo indigens socio ad recitandum teneatur illum asciscere, si commode possit. Ex quibus patet responsio ad quæsita proposita. Ex hoc autem quod non peccet hic, & nunc omittendo Horas, qui impotens est ad illas recitandas ob ebrietatem, sed solum peccaverit in causa se inebriando, ac prævidendo, quod horas esset omissurus, (ut ostendimus in expositione primæ thesis ab Alex. VIII. confixæ) non sequitur, quod ad restitutionem non teneatur, cum voluntarie impedimentum apposuerit ad observantiam præcepti; quod a fortiori verum est, si data opera se inebriarit, ut redderet se impotentem ad recitandum.

VII. Acrius dubitatur ultimo, num Beneficiarius teneatur ex justitia restituere fructus, si non recitet horas, an vero teneatur solum vi præcepti, aut ex virtute Religionis, ad quam pertinet actus orandi sub tali pœna præceptus? Deinde, num peccet contra justitiam non recitando horas, si nolit facere fructus suos, sed statim restituat; an vero solum peccet contra Religionem; ut proinde si Sacerdos beneficiarius omittat horas, sufficienter in Confessione exponat peccatum dicendo: Omisi recitationem horarum, cum sim in sacris, non exprimendo Beneficium: Ad eum modum, quo sacerdos Religiosus, si peccet contra castitatem fornicando, satis explicat in confessione peccatum suum dicendo, Fornicatus sum, cum sim in sacris, vel explicando solum statum Religiosum, ut communius docent apud Dian. part. 1. num. 7. resol. 3. cum Sanch., Henriq. Fagund. contra Sotum, Coninch. & alios.

Circa primum, Navar., & alii apud Suar. de Horis cap. 29. & Croix num. 1216. negant fructus ex justitia restituendos esse a Beneficiariis non recitantibus; quia videtur restitutio imponi tanquam pœna. Sed communius cum eodem Suario docent, restituendos esse ex justitia; & quod pœna hæc, quæ non recitantibus imponitur, in hoc consistat, quod scilicet, si non recitent, non faciant fructus suos, ut proinde ex justitia teneantur illos restituere, cum ex justitia quilibet teneatur restituere, quod suum non est; læditur quippe sive jus pauperum, ad quos spectant tales fructus; sive jus Ecclesiæ conferentis Beneficium cum onere, sive jus instituentis tale beneficium. Hinc Concilium Lateranense, & Pius V. dicunt, restituendos esse hujusmodi fructus tamquam injuste perceptos, atque adeo ex justitia. Propterea dicendum, legem hanc esse potius conditionalem, quam pœnalem, quatenus sub ea conditione dantur fructus, quod horæ recitentur. Ad eum modum quo si puellæ legentur centum annua, si caste vivat, non potest ea centum retinere, si turpiter vivat, eo quod conditio a testatore adjecta non sit adimpleta; & ideo ex justitia debet ea restituere, non vero in pœnam suæ turpitudinis.

VIII. Circa secundum est major difficultas; Videturque Suar. de Horis cap. 18., Azor., Fagund. docere, quod peccet etiam contra justitiam beneficiarius horas omittens, quamvis nolit facere fructus suos. Sed probabiliter id negant Pal., Henriq., Salas, & alii apud Dian. par. 2. tom. 12. ref. 22., docentes, unicum peccatum committi a Sacerdote beneficiario horas omittente cum animo restituendi statim fructus beneficii, & ratio est, quia tota isthæc obligatio in beneficiario probabiliter oritur ex Ecclesiæ præcepto respiciente Religionem, seu cultum Dei, & imponente onus restitutionis non recitantibus: ut proinde solum peccent contra justitiam, si non restituant, retinendo fructus non suos, & injuste perceptos, non vero, si horas non recitent, & fructus statim restituant, vel si omittant recitare horas primis sex mensibus, quibus licet omittendo horas mortaliter peccent, non tenentur tamen ad restitutionem. Unde in confessione Sacerdos beneficiarius sic horas omittens satis explicat peccatum dicendo, quod sum in sacris.

IX. Oppones primo. Beneficium datur propter officium, & præsertim ad hoc, ut beneficiarius recitet horas; non secus ac stipendium datur Sacerdoti, ut Missam celebret; ergo sicut contra justitiam peccat v. g. qui ex contractu oneroso tenetur custodire vigilias noctis, & non custodit, quamvis velit salarium restituere; ita beneficiarius, qui tenetur recitare, & non recitat; hic enim acceptando beneficium, videtur contraxisse cum Ecclesia, & se obligasse ad horas recitandas ratione fructuum beneficii.

Respondetur verum quidem esse, quod contra justitiam peccet, qui accepto stipendio non custodit vigilias noctis, siquidem ad id contractu oneroso se obligavit; negatur tamen, quod beneficiarius contractu oneroso se obliget ad recitationem horarum;

rarum: & dicimus, quod ficut Ecclefia obligat beneficiarios ad expendendos fructus beneficii fuperfluos in pios ufus, quin velit illos ex juftitia ad id obligare, fed ex virtute religionis, ut oftendimus in fecunda quæftione articulo tertio ex Suar., Molin., & aliis contra Nav., & Laym. ita ex eodem motivo Religionis refpicientis Dei cultum, Ecclefia eofdem obligat ad officium recitandum, imponendo trafgrefforibus pœnam hanc, quod non faciant fuos beneficii fructus: Ad eum modum, quo fi Ecclefia obligaret Sacerdotes ad dandam eleemofynam, vel ad jejunandum, fi non recitent horas, peccaret folum contra virtutem Religionis Sacerdos, qui non recitaret, efto vellet fubire pęnam impofitam dandi eleemofynam, aut jejunandi. Et ratio eft, quia Sacerdos volens Sacerdotium vellet fubire onus recitandi horas, & luendi pęnam, fi non recitet; non tamen contractu onerofo obligaret fe ex juftitia ad horas recitandas. Ita prorfus acceptans beneficium vult fubire onus recitandi, & fimul pœnam non faciendi fructus fuos, fi non recitet, non tamen obligat fe ex juftitia, & contractu onerofo ad recitandum; unde fi non recitet, & fructus ftatim reftituat, peccavit quidem contra Religionem, fed non contra juftitiam; atque adeo Sacerdos Beneficiatus omittens horas, & ftatim reftituens fructus, fatis explicat peccatum fuum in confeffione, dicendo, Omifi horas, cum fim in facris, juxta fententiam, quam Diana loco laudato putat probabiliorem. Sicut enim qui habet tres ordines facros, non committit tria peccata omittendo horas, quia ad illas ex triplici titulo obligatur ex eodem motivo Religionis; ita Sacerdos beneficiarius omittens horas unum tantum peccatum committit, quia tam ratione ordinis facri, quam ratione beneficii ad horas obligatur pariter ex eodem motivo Religionis. Aliter fi ex juftitia obligaretur, fequeretur, quod habens duo beneficia obligaretur ad bis recitandas horas quotidie; ficut Sacerdos, qui duplex habet ftipendium, obligatur ad duo facra facienda, eo quod ex juftitia, & contractu onerofo fe obligat ad celebrandum, accepto ftipendio, non quidem ut pretio, fed ut fuftentatione ex natura rei debita celebranti gratis. Præterquamquod cum obligatio ex juftitia fit valde onerofa, & quidem magis, quam obligatio ex præcepto fuperioris, ea non eft aftruenda gratis; atque adeo ficut non præfumitur, quod Ecclefia ex juftitia, & contractu onerofo velit obligare beneficiarios ad expendendos fructus fuperfluos in ufus pios; ita neque ad horas recitandas.

X. Oppones fecundo. Peccat contra juftitiam Parochus, qui non miniftrat Sacramenta, prout tenetur ratione fui officii; fiquidem acceptando beneficium Parochiale contractu onerofo fe obligavit ad miniftranda Sacramenta ovibus fuis; & ideo, fi non miniftret, non folum peccat contra charitatem, aut contra præceptum Ecclefiæ id præcipientis ex motivo religionis, fed etiam contra juftitiam; ergo idem dicendum, fi beneficiarius non recitet horas.

Refpondeo, conceffo antecedente, nego confequentiam. Difparitas eft, quia Ecclefia dando officium Parocho, non folum intendit ex motivo religionis, quod Sacramenta fuis ovibus miniftret, fed etiam intendit ipfis ovibus dare jus ad fufcipienda a Parocho Sacramenta, & ideo vult Parochum ad id obligare. Propterea Sacerdos, qui non eft Parochus, non miniftrando Sacramenta indigentibus, peccat folum contra charitatem; Parochus vero etiam contra juftitiam. Contra vero Ecclefia conferendo beneficium propter officium, feu cum onere recitandi horas, fub pœna non faciendi fructus fuos, non intendit conferre aliis jus ad talem recitationem a beneficiario faciendam; & ideo non obligat beneficiarium ex juftitia; quamvis fi non recitet, & fructus retineat contra juftitiam, peccet folum ob retentionem fructuum non fuorum. Propter eamdem rationem peccat contra juftitiam Sacerdos, qui accepto ftipendio non celebrat: quia accipiendo ftipendium confert alteri jus ad Miffam pro fe celebrandam. Ex quibus fequitur peccare contra juftitiam beneficiarium habentem curam animarum, fi non refideat; quia Ecclefia dando beneficium confert jus ovibus, quod immediate pafcantur a fuo Paftore; at probabiliter non peccat contra juftitiam beneficiarius non recitans horas, fi fructus reftituat, quia Ecclefia non confert ulli jus ad talem recitationem, fed folum illam præcipit ex motivo religionis cum onere, quod beneficiarius, fi non recitet, non faciat fructus fuos, atque adeo ex juftitia tenetur illos reftituere, quin tamen ex juftitia teneatur horas recitare.

ARTICULUS VII.

De Habitu, & Tonfura Beneficiariorum.

I. *Quid fit Habitus, & Tonfura?*

II. *Onus deferendi Habitum, & Tonfuram æque imponitur initiatis facris ordinibus, ac Beneficiariis.*

III. *Beneficiarii id negligentes videntur probabiliter obligandi ad reftituendos fructus huic oneri refpondentes.*

IV. *Damnanda videtur doctrina excufantium iftos a mortali, fi defit contumacia, & fcandalum.*

V. *Qui ad tempus non notabile, & ex caufa non deferunt habitum, excufari poffunt a mortali.*

VI. *Qualis debeat effe veftis Beneficiariorum?*

I. ONus etiam Beneficiariorum eft, deferre habitum, & tonfuram, videlicet habitum ftatui Clericali decentem iuxta morem patriæ: non abfimilem habitui, qui geftatur ab iis, qui facris ordinibus funt initiati, tondendo comam, & clericam, feu coronam in occipite oftentando; per hanc enim denotatur corona gloriæ in Chrifto a fuis Miniftris fpeciali modo adipifcenda; & per capillorum abrafionem denotatur depofitio ab iifdem facienda curarum omnium temporalium, vacando duntaxat divinis officiis; ut idcirco horæ Canonicæ dicantur officium, ad denotandum, quod proprium Ecclefiafticorum officium fit pfallere, & divino cultui fedulam operam dare.

II. Ad hoc onus fubeundum (geftandi fcilicet habitum, ac tonfuram) graviter obligari Beneficiarios, non fecus ac in facris conftitutos, docent communiter Doctores apud Sanch. lib. 7. confil. dub. 49. cum Navar., Soto, Valentia, Sylv., & aliis. Siquidem Trid. feff. 14. cap. 6. iifdem gravibus verbis de utrifque loquitur, dicendo ex temeritate, ac religionis contemptu provenire, quod nonnulli ex iftis parvipendentes dignitatem, & honorem Clericalem, pedes in diverfis ponentes, unum in divi-

divinis, alterum in carnalibus, vestes deferant laicales; ac deinde iisdem gravibus pœnis vult multandos esse ab Episcopo, tam eos, qui in sacris fuerint, quam Beneficiarios, qui habitum Clericalem proprio ordini, ac dignitati congruentem juxta Episcopi mandatum non detulerint; videlicet, quod si etiam per publicum edictum moniti non corrigantur, ab ordinibus, ac fructibus Beneficii suspendantur, & si semel correpti iterum deliquerint, officio simul, ac beneficio priventur. Idem similiter præcipitur in Clem. *Quoniam de vita, & honestate Clericorum*, necnon in Bulla Pii IV., ac Pii V., ac in motu proprio Sixti V., ubi gravissimæ pœnæ transgressoribus imponuntur. Quare sicut mortaliter peccant constituti in sacris, si non deferant habitum, & tonsuram, ita pariter Beneficiarii. Adde, Beneficiarios sive ex contractu oneroso, ut multi docent juxta dicta articulo superiore, sive saltem ex præcepto Ecclesiæ obligari ad subeunda onera propria Beneficiariorum, ut sunt horas recitare, & habitum, ac tonsuram deferre, præter residentiam Pastorum propriam. Quare sicut mortaliter peccant Beneficiarii, sive contra justitiam, sive saltem contra religionem, si horas non recitent; ita pariter, si habitum, ac tonsuram non deferant: Cum hoc tamen discrimine inter duo isthæc onera, quod ad peccandum graviter in omissione horarum sufficiat, si aliquo die pars officii notabilis omittatur: Contra vero ad peccandum mortaliter in omissione habitus, ac tonsuræ requiratur notabile tempus spectatis circumstantiis; longius quippe tempus requiritur, quando quis est in itinere, aut in villis, aut quando necessitas urget sive paupertatis, sive occultandi se ad grave incommodum vitandum, quam aliis temporibus; sicut ad peccandum mortaliter adversus obligationem residendi, quam habet Pastor, non sufficit quod uno, vel altero die ultra tempus permissum non resideat, ut diximus articulo quinto.

III. Ex quibus videtur probabiliter inferri posse, quod sicut omittens recitationem horarum, aut partem notabilem, non solum peccat graviter, sed etiam ad restitutionem fructuum respondentium tali oneri tenetur, & quidem ante sententiam judicis; & sicut non residentes per notabile tempus, ultra menses permissos, non solum graviter peccant, sed pariter ante sententiam judicis tenentur restituere fructus respondentes tali oneri, cum ex Tridentino non faciant fructus suos; ita qui per notabile tempus dimittit habitum, & tonsuram, & graviter peccat, & fructus tenetur restituere tali oneri respondentes. Eadem quippe ratio videtur in hisce tribus casibus militare; quia scilicet datum ob caussam, causa non subsequuta, retineri non potest; fructus autem beneficii conferri videntur ad subeunda onera beneficiis annexa; ergo sicut retineri non possunt fructus a non recitantibus, aut non residentibus, ita nec a non deferentibus per notabile tempus habitum, & tonsuram.

Neque obstat constare ex Conciliis, & Bullis Pontificum, quod beneficiariis non recitantibus horas, aut non residentibus ea pœna imponatur, quod non faciant fructus suos; at nusquam pœna isthæc imponitur non deferentibus habitum, & tonsuram, sed solum in Tridentino loco laudato habetur, quod possint isti ab Episcopo fructibus beneficii, & tandem etiam ipso beneficio privari.

Responderi enim posset, quod sicut Trid. sess. 13. cap. 1. declaravit, Pastores non residentes non facere fructus suos, videlicet respondentes oneri residentiæ, & deinde ab Urbano VIII. in Bulla edita 1634., & ab ipso Trid. sess. 6. cap. 1. imponuntur variæ aliæ pœnæ non residentibus; ita non deferentibus habitum imponitur ab eodem Concilio pœna, quod priventur omnibus omnino fructibus, præsupponendo tamen, quod non faciant suos solum fructus illos, qui tali oneri respondent; idque ob rationes adductas; quia scilicet dantur beneficii fructus probabiliter sub tali conditione, quod omnia onera beneficiis annexa subeat beneficiarius. Ratio autem, cur non exprimatur, quod non ferentes habitum non faciant fructus suos, videtur esse, quia non magna pars fructuum tali oneri respondet; sicuti magna pars respondet oneri horarum, & residentiæ. Verum quia nemo ex Auctoribus ad restitutionem ullam fructuum obligare censuit beneficiarium ex hoc præcise, quod habitum & tonsuram dimiserit, nec ego ausim illum ad id astringere. Si enim ad id teneretur, facile Tridentinum, aut Pontifices passim de hoc agentes id expressissent. Quare probabilius dicendum, quod gestatio habitus non sit causa cur conferantur fructus beneficii.

IV. Adverto, non defuisse Doctores, qui cum Cajetano, & aliis apud Sanchez loco laudato docuerint, posse etiam Presbyteros, citra mortale, habitum, & tonsuram omittere, dummodo id faciant sine contemptu, contumacia, & scandalo. Istorum tamen auctoritas non suffragatur. Etenim iisdem rationibus doctrina isthæc impetitur, quibus impetuntur duæ illæ proscriptæ theses eorumdem Auctorum, videlicet 23. ab Alexandr. VII., quæ habet: *Frangens jejunium Ecclesiasticum, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto*; & 52. ab Innocent. XI., in qua dicitur: *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.* Idcirco Vasquez tom. 3. in tertiam partem disp. 250. cap. 3. advertit esse manifeste falsam doctrinam Cajetani in Summa V. *Clericorum peccata*, ubi docet, nullum peccatum Clericorum circa habitum, honestatem, & exercitia, quæ iis jure Ecclesiastico prohibentur, esse peccatum mortale, nisi id fiat ex contumacia, temeritate, aut contemptu. Inconcussum enim est, legem Ecclesiasticam universim sub gravi obligare, quoties ex gravitate materiæ juxta communem sensum arguitur, quod Legislator sic obligare voluerit; præsertim si pœna gravis transgressoribus imponatur. Nec deesset, ut Vasqu., Laym., & alii advertunt, aliquis virtualis contemptus, si lex Ecclesiastica præcipiens materiam gravem passim negligeretur. Hinc rejicitur apud eundem Sanchez etiam opinio Rebuffi putantis, Presbyteros in Gymnasiis, in quibus studiorum causa versantur, posse, tamquam peregrinos, quovis habitu uti.

V. Nec est audiendus Tamb. l. 7. de Ordine c. 2. 12. 16., ubi post relatam communem sententiam Vasq., Sanch., Soto, Armil., & aliorum, quod mortaliter peccet Beneficiarius non ferens per notabile tempus habitum, & tonsuram, videtur adhærere sententiæ Cajetani, quod non peccet mortaliter, nisi adsit contumacia, temeritas, & contemptus; quamvis hanc sententiam emolliat laudando pro illa March., Pal. de Ordine p. 18., & alios apud Dian. p. 3. n. 4. ref. 183., qui universim requirunt, ut saltem aliquo signo a Laicis discernantur tam beneficiarii, quam constituti in sacris, idque

que fiat ex justa causa, & non ad longum tempus, ut advertunt etiam Laym. lib. 5. numer. 9. cap. 12. Trull., Ledesm., Villal. apud eumdem Tamburrin.

VI. Dubitatur tamen, qualis debeat esse vestis Beneficiariorum, & eorum, qui sunt in sacris? Putant nonnulli, requiri togam simul, ac pallium talare; Alii, quod sufficiat, si alterutrum sit talare. Sed communius apud Dianam part. 3. num. 1. resol. 63. docent, satis esse, quod vestis juxta morem patriæ Clericis duntaxat sit communis, adeo ut ea visa statim Clericus a non Clericis discernatur. Sicut enim ex habitu discerni debet regularis cujusnam Ordinis sit, ita ex habitu discerni pariter debet Ecclesiasticus a Laicis. Quare sicut Laicis non est licitum uti veste Clericali, ita nec Clericis uti veste Laicali. Quod si alicubi vix possit ex habitu Clericus a Laico discerni, eo quod uterque utatur veste decenti utrique communi, dicendum id a vigilantibus Episcopis non esse permittendum; Et ubi videtur permitti, id certe aut permittitur Clericis, qui non sunt in sacris, nec beneficiarii, aut si nonnullis beneficiariis permittitur, id provenire potest, aut quia beneficium est tenue, (quod juxta nonnullorum opinionem, sicut non obligat ad horas recitandas, ita nec obligat sub mortali ad habitum, quo utuntur ii, qui sunt sacris ordinibus initiati) aut quia ad modicum tempus tali habitu beneficiarii utuntur, tanquam peregrini, aut quia beneficiarii non facile dignoscuntur, præsertim ubi Civitas est plena populo; ut proinde a Prælatis horum inobedientia facile ignoretur, & idcirco non puniatur. Ex quo deducitur, nullam dari consuetudinem præscribentem adversus legem adeo gravem, cujus inobservantia a Prælatis citra culpam tolerari nequit. Et nemo non videt, quod scandalum pareret aut constitutus in sacris, aut beneficiarius, qui passim instar Laici per plateas incederet, ita ut non posset a Laicis discerni (a).

„ (a) Consule Benedicti XIV. Institutionem Ecclesiasticam 34. & 71., eximiumque *de Synodo* „ *Diœcesana* commentarium *lib.* XI. *c.* 8.

QUÆSTIO IV.

DE JURE PATRONATUS.

De Electione ad beneficia, necnon de Postulatione, Collatione, Institutione, & Confirmatione.

QUæ magis scitu digna, & frequentius occurrunt, hic paucis perstringemus, ne Theologiæ candidati hac in re prorsus jejunent, missis minutioribus, quæ, si occurrant aliquando, facili negotio apud Summistas reperiri poterunt. Primo itaque inquiremus, Quid, & quotuplex sit, & quid ferat Jus Patronatus? Secundo, An Patronus debeat omisso digno digniorem præsentare? Tertio de iis quæ spectant ad Electionem, Postulationem, Collationem, Institutionem, ac Confirmationem nonnulla discutiemus.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit, & quid ferat Juspatronatus?

I. Beneficium acquiritur vel actu, vel potentia, & quidem multipliciter.
II. Definitur, & explicatur, quid sit Juspatronatus.
III. Dividitur in Ecclesiasticum, Laicum, & Mixtum.
IV. In tribus præsertim differt Jus patronatus Ecclesiasticum a Laico.

I. PRæmitto, beneficium acquiri dupliciter, videlicet vel actu, acquirendo actu jura beneficiarii, seu potestatem illud administrandi, vel potentia, acquirendo tantum jus ad beneficium, non vero usum, & administrationem illius. Sicut enim aliud est jus in re, aliud vero jus ad rem; ita aliud est jus in beneficio, aliud jus ad beneficium. Acquiritur actu beneficium, seu jus in beneficio tripliciter, nempe collatione, hoc est concessione beneficii a Prælato liberaliter facta; Institutione, hoc est hac concessione a Prælato facta non sponte, sed ex obligatione propter præsentationem, seu nominationem factam a Patrono; & Confirmatione Electionis, quando scilicet post electionem legitime factam ab aliqua communitate in persona Titii ad aliquod beneficium succedit approbatio Prælati. Acquiritur vero beneficium potentia, seu jus ad beneficium acquirendum, etiam multipliciter, nempe per electionem, aut per gratiam expectativæ, (quando scilicet alicui conceditur, ut Præbendam vacantem, quam maluerit, obtineat) aut per collationem nondum acceptatam; ac præsertim per præsentationem factam a Patrono, de qua hic agendum; Patronus quippe dicitur is, cui ab Ecclesia concessa est potestas præsentandi aliquem ad Beneficium, quæ eatenus concedi solet, ut fideles alliciantur ad pietatis opera, & ad dandum novæ Ecclesiæ fundum, aut ad Ecclesiam ædificandam, aut ad illam dotandam; hic enim est triplex titulus, ob quem aliquis dicitur Patronus, seu habet jus patronatus, quod hoc versu exprimitur:

Patronum faciunt Dos, Ædificatio, Fundus.

II. Est itaque Juspatronatus *Potestas præsentandi, seu nominandi Clericum in beneficio instituendum.* Quamvis enim alia jura Patrono competant, quia tamen isthæc præsentatio est præcipuus illius actus, ideo definitur per ordinem ad præsentationem. Alii clarius illud describunt dicendo, esse *Jus bonorificum, onerosum, & utile competens alicui in Ecclesia, quam ex Diœcesani consensu vel construxit, vel fundavit, vel dotavit, aut ipse, aut is, a* quo

quo ipse accepit. Dicitur esse jus honorificum, quia potest Patronus gentilitia sua insignia in ostio Ecclesiæ, aut alibi ponere; & quia illi plura alia obsequia in processionibus, in sessionibus &c. in sua Ecclesia præstantur. Dicitur etiam esse jus onerosum, quia tenetur Patronus Ecclesiam defendere, sicut etiam, si sit opus, reparare, ac reædificare; alias amittit jus patronatus. Dicitur deinde esse jus utile, quia si Patronus in egestatem deveniat, debentur illi alimenta juxta suam conditionem ex superfluis Ecclesiæ. Dicitur etiam hoc jus competere ei, qui Ecclesiam, seu Beneficium, aut Cappellam vel de novo fundavit, aut extruxit, aut dotavit ex suis patrimonialibus bonis cum consensu Dioecesani; id enim statuit Trid. sess. 14. cap. 12. Quod si unus dederit fundum, in quo Ecclesia ædificetur, alter Ecclesiam in eo fundo propriis expensis ædificaverit, aut jam collapsam de consensu primi Patroni reædificaverit, & tertius illam congrue dotaverit, omnes tres fierent Patroni. Si vero plures concurrant ad Ecclesiam vel fundandam, vel ædificandam, aut dotandam, licet inæqualiter, omnes in solidum acquirunt jus patronatus, ut notat Laym. cap. 13. Nec solum isti, sed etiam successores evadunt Patroni; Successio autem ista non habetur in capita, sed in stirpes; propterea si sint tres Patroni, Antonius, Sortes, Cajus: & Antonius habeat duos filios, Sortes vero habeat tres, & Cajus quatuor, omnes isti illorum filii habentur pro tribus duntaxat Patronis.

III. Porro triplex est Jus patronatus, Laicum, Ecclesiasticum, Mixtum. Dicitur Laicum, non quod Laicis competit, sed quod bonis patrimonialibus acquisitum est. Similiter dicitur Ecclesiasticum, non quod Ecclesiasticis competit, sed quod bonis Ecclesiasticis comparatum est, ut si quis pecunia ex bonis Ecclesiæ percepta novam Ecclesiam fundet, ædificet, aut dotet. Mixtum vero dicitur, quod ex Patronis laicis simul, & Ecclesiasticis coalescit. Ex quo fit, quod ad discernendum, num sit laicum, an Ecclesiasticum Jus patronatus, non est inspiciendum, num a Laicis, an a Clericis possideatur, sed sub quo titulo possideatur. In dubio tamen sit necne Laicum an Ecclesiasticum Jus patronatus, quod a Patronis Laicis simul, & Ecclesiasticis coalescit? putant nonnulli in favorabilibus censendum esse ecclesiasticum. Sed communius contra Garz. apud Pal. docent, quoad ejus jura, & effectus nec laicum esse censendum, nec Ecclesiasticum, sed mixtum, ita ut laico competant jura laici, & Ecclesiastico jura Ecclesiastici, videlicet quod Ecclesiasticus possit intra sex menses præsentare, quin possit variare præsentatum; Laicus vero debeat intra quadrimestre præsentare, sed possit variare, & sic de aliis juribus.

IV. Differt quippe jus patronatus ecclesiasticum a laico. Primo in hoc, quod Patronus ecclesiasticus possit a die cognitæ vacationis beneficii intra sex menses Clericum præsentare, aliter pro illa vice amittit jus præsentandi: Patrono vero laico id solum intra quatuor menses permittitur. Secundo, quod si patronus ecclesiasticus indignum præsentet, amittat ea vice probabiliter jus nominandi alium, ut notat Less. dub. 7., Secus vero patronus laicus. Tertio, quod ecclesiasticus postquam Sortem præsentavit, non possit variare, & alium loco Sortis præsentare: Laicus vero uno præsentato, potest deinde alium præsentare, non quidem excludendo primum, sed relinquendo arbitrio Episcopi, utrum velit instituere. Ratio autem cur ecclesiasticus variare non possit, est, quia dedecet ecclesiasticum hac in re esse inconstantem: propterea, ut notat Less. dub. 11., si Episcopus conferat beneficium absenti, non potest, antequam ille acceptet, variare collationem, ex cap. *Si tibi absenti de Præbendis in sexto*, non quia per talem collationem acquiratur jus ante acceptationem, sed quia non decet Episcopum variare.

ARTICULUS II.

Qualem debeat Patronus præsentare?

I. Quinam præsentari non possunt?
II. Quid si indignus præsentetur?
III. Qui promovetur ad Episcopatum, debet esse inter dignos dignissimus.
IV. Necnon qui ad Parochiam promovetur.
V. Beneficium, etiam simplex, probabilius conferri debet digniori.
VI. Patronus pariter præsentare debet digniorem, non obstante usu in contrarium.
VII. Et similiter resignans Beneficium probabilius debet digniori illud resignare.

I. CErtum est, non posse a Patrono incapacem institutionis præsentari, puta illegitimum, excommunicatum, irregularem, &c. Nec potest ille præsentare laicum: etenim, ut notat Barbosa apud Palaum, solum Clericus præsentari potest; quin sufficiat, quod post præsentationem ante institutionem ordinetur. Neque potest præsentare seipsum, ex cap. *Per nostras de Institutione*: Imo nec procurator, aut substitutus poterunt seipsos, aut patronum præsentare, quia beneficium non debet a propria uniuscujusque voluntate initium habere, ne detur ambitioni locus, ex cap. *didicimus* 24. quæst. 1. Poterunt tamen, si plures sint Patroni, unus alium nominare, sicut etiam Pater filium, cum id nullo jure vetetur.

II. Certum pariter est, patronum debere præsentare dignum, hoc est habentem dotes omnes ad beneficium requisitas juxta naturam beneficii, & voluntatem fundatoris; ita ut si patronus laicus indignum eligat, jubendum illi sit, quod alium præsentet; ecclesiasticus vero indignum præsentans amittat ea vice probabiliter jus alium præsentandi, prout diximus articulo superiore. Difficultas tamen non levis est, An teneatur patronus præsentare dignissimum, adeo ut peccet præsentando dignum, omisso digniore?

III. Qua in re distinguendum est inter beneficium Episcopale, Parochiale, & Simplex. Quod attinet ad Episcopale, certum omnino est, mortaliter peccare eos, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad ecclesias promovent, ut habet Trid. sess. 24. c. 1. Et ex thesi 47. ab Inn. XI. proscripta constat, quod nomine dignioris Tridentinum non intelligat dignos, sumpto comparativo pro positivo; nec intelligat non indignos, aut quod intelligat digniores solum, quando fit concursus; sed in proprio sensu docet, universim digniores promovendos esse ad dignitatem Episcopalem, aut Cardinalitiam. Et ratio est evidens, tum quia aliter in re gravi violaretur justitia distributiva, & acceptio personarum, tum etiam quia peccaretur peccato scandali, quatenus providendo ecclesias de per-

personis minus dignis, pauciora peccata caverentur; personæ quippe minus dignæ, ac minus ecclesiæ utiles minus incumbunt in salutem Animarum, & in Dei obsequium; ac propterea Trid. loc. laud. dicit, peccatis aliorum communicare eos, qui minus dignos ad Episcopalem dignitatem promovent. Quod intelligendum esse etiam de Patronis, est manifestum, & fuse ostendit Cardenas in expositione hujus thesis, quia scilicet Patroni nominando minus dignum ad Episcopatum, illum suo modo ad tale beneficium promovent, cum jure naturali teneantur promovere digniores.

IV. Quod vero spectat ad beneficium Parochiale, aut aliud beneficium curatum, communius pariter docent, patronum non posse citra mortale nominare dignum, omisso digniori; hoc enim pariter constat si minus ex verbis, saltem ex mente Trident. loco laud.; necnon rationibus adductis, quæ æque militant pro Episcopo, ac pro Parocho. Præsertim quia Trid. sess. 24. c. 16. loquendo de Parochis, hæc habet: *Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit*. Et infra subdit: *quem patronus Ecclesiasticus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, Episcopo præsentare teneatur*. Et quamvis Tridentinum loquens deinde de patrono laico solum dicat, quod præsentatus ab illo debeat examinari, & nonnisi idoneus admitti; quin dicat debere præsentare digniorem: nihilominus rationes adductæ ostendunt, jure naturali nonnisi digniorem præsentandum esse.

V. Dubitatur solum de beneficio simplici, Num scilicet teneatur patronus sub gravi digniorem præsentare? Pal. p. 11. putat Episcopum debere eligere digniorem, cui beneficium simplex conferat; patronos vero satisfacere suæ obligationi, si dignum eligant; cum enim gratis beneficia ex propriis bonis fundarint, videntur posse ad arbitrium conferre beneficium, cui maluerint, dummodo is sit dignus. Contra vero Episcopus cum dispenset bona communitatis, & non propria, seu ab ipso gratis collata Ecclesiæ, peccaret contra justitiam distributivam, si beneficium simplex non conferret digniori. Molina tamen, Azor., Vasq. putant, solum fundatores beneficiorum posse dignos omissis dignioribus præsentare: cum enim possint ad arbitrium bona propria dispensare, non debet præsumi, quod fundando beneficium voluerint se obligare ad digniorem præsentandum. Successores tamen patroni videntur obligari ad præsentandum digniorem, quia præsumitur fundatores voluisse suos successores obligare ad servandum in præsentando modum juxta præscriptum ecclesiæ, & in majus ecclesiæ bonum.

Equidem censeo cum communiori, Episcopum teneri sub gravi eligere digniorem, quando confert beneficium simplex. Quod ostenditur, tum auctoritate Sanctorum Patrum, & præcipuorum Scholasticorum apud Pal. p. 11.; tum ex iisdem pene rationibus, quibus Episcopatus, & Parœciæ conferri debent dignioribus; videlicet, quia aliter violaretur justitia distributiva in re gravi; & quia frustraretur finis intentus a fundantibus beneficia simplicia, qui videtur esse, ut, quoad fieri potest, cultui Divino, decori, ac utilitati ecclesiæ consulatur; quod certe non haberetur, si sanctiores, doctiores, & utiliores ecclesiæ negligerentur. Hinc Inn. III. in c. unico tit. *Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*, reprehendit Episcopum Mediolanensem, quod beneficium familiari minus idoneo donasset, dicens: *Debuisti Ecclesiasticum officium in personam magis idoneam dispensare*. Et D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. hæc habet: *Ut electio non possit impugnari in foro judiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia sic omnis electio posset habere calumniam; sed ad conscientiam eligentis est eligere meliorem, vel simpliciter, vel relate ad bonum commune*.

Neque obstat usus, qui videtur esse in contrarium. Nam vel est abusus, vel id provenit ex eo, quod Episcopus putet esse Ecclesiæ utiliorem personam illustrem v. g. minus sanctam, & minus doctam, quam pauperem sanctiorem, ac doctiorem; vel quia nititur Episcopus opinione opposita plurium Doctorum, præsertim Juristarum apud Dian. p. 2. n. 15. res. 38., & apud Croix n. 588., putantium, quod sicut œconomus, & dispensator, ut sit fidelis, non tenetur operarios meliores quærere, qui laborent in vinea Domini, sed sufficit, quod conducat aptos; ita Episcopus non videtur contra officium peccare, si dignos præferat dignioribus in collatione beneficiorum simplicium. Sicut enim nemo tenetur satisfacere officio Ecclesiastico ea, qua potest diligentia, sed solum morali, & humana; ita videtur nec teneri Episcopus præficere meliores, sed bonos. Verum, quamvis huic sententiæ adhæreat Less. n. 66., si semel, aut bis id fiat, non tamen si passim; Vasquius tamen diserte fatetur, sententiam hanc Electoribus esse propitiam, sed non esse veram. Quemadmodum enim non est licitum, ne semel quidem, Episcopatum conferre minus digno, ita nec beneficium simplex ob easdem fere rationes, quia in re gravi violaretur justitia distributiva, & quia non consuleretur majori cultui Divino, & utilitati Ecclesiæ juxta intentionem fundantium beneficia.

VI. Quod ad Patronos attinet, quamvis multi apud Vasq. c. 2. & Dian. p. 2. n. 15. res. 38. doceant, probabiliter posse præsentare dignos, omissis dignioribus, ad Beneficia simplicia, præsertim si ex bonis patrimonialibus sunt instituta, eo quod in tali casu non violaretur justitia distributiva; nihilominus probabilius censeo, quod debeant digniores præsentare, undeunde iis competat jurispatronatus; idque ob rationes adductas, quæ videntur etiam pro beneficiis simplicibus militare. Ad hunc enim finem beneficia isthæc instituuntur, ut cultus Deo exhibeatur, & Ecclesia ministros habeat idoneos. Sicut autem Episcopus debet dignioribus beneficia conferre, ut diximus, ut sit fidelis dispensator; ita patronus, qui ex privilegio habet præsentare, tenetur idipsum præstare, ad quod teneretur Episcopus, si deesset patronus. Quamvis autem patronus ex propriis patrimonialibus bonis constituens beneficium videatur posse licite illud conferre, cui maluerit; At sicut non potest illud conferre indigno, ita secundum se non potest conferre minus digno, relicto digniori, nisi solum in limine fundationis; quia tunc est dominus suorum bonorum, potestque ea relinquere, cui maluerit: At postquam absolute ea donavit Ecclesiæ, debet juxta præscriptum Ecclesiæ magis idoneos præsentare. Sicut enim qui donat domum Sorti, potest donare illam sub conditione v. g. quod ea per annum locetur Cajo, & si id non exprimat, non potest deinde obligare Sortem donatarium ad talem locationem; Ita qui ex propriis bonis fundat Beneficium, potest in limine fundationis velle, quod beneficium conferatur personis suæ familiæ, aut alicui digno, omisso digniori: Si tamen id non exprimat, censetur velle, quod in posterum conferatur beneficium juxta præscriptum Eccle-

siæ;

fiæ; atque adeo quod conferatur digniori, & ideo dignior semper sit præsentandus.

VII. Quæritur etiam, An Resignans beneficium debeat illud digniori resignare, præsertim si sit curatum? Communius apud Dian. part. 2. num. 15. ref. 41. cum Less., Salonio, Sa, negant, eo quod resignans dimittat, quod suum est, & propter quod si retineret, non teneretur plus facere, quam mediocriter idoneus; Unde talem substituendo videtur satisfacere. Sed probabilius, me judice, Sotus, Navar., Vasq. & alii apud Croix num. 586. affirmant; quia beneficium universim conferendum est juxta præscriptum Ecclesiæ, & juxta intentionem fundatoris, quæ est, ut digniori conferatur propter rationes hactenus adductas. Episcopus tamen, sicut tenetur instituere illum, qui a Patrono præsentatur, dummodo in examine non judicetur indignus, ita pariter poterit juxta voluntatem resignantis conferre beneficium ei, qui proponitur, si sit dignus: Siquidem tam onus præsentandi digniorem spectat ad patronum seligentem, non ad Episcopum instituentem, quam onus seligendi digniorem, cui beneficium resignetur, spectat ad resignantem; aliter aperiretur ostium ad multas lites, scandala, inimicitias, detractiones, ut notant Doctores apud Pal. punct. 11., & Dian. part. 1. n. 15. ref. 41.

ARTICULUS III.
De Electione, Postulatione, Institutione, Confirmatione, & aliis ad Beneficia spectantibus.

I. Collatio Beneficii, altera libera, altera necessaria, quæ dicitur Institutio.
II. Electio vel est Personæ nullum habentis impedimentum Canonicum; vel est Personæ sic impeditæ, & appellatur Postulatio.
III. Confirmatio superioris Prælati quandonam requiratur, & quomodo?
IV. Possessio, Investitura, Installatio, quid ferant?
V. Advertuntur plurima ad Jus patronatus spectantia; præsertim quinam ejus sit incapax, & quinam possit illi derogare?

I. Sicut jus ad Beneficium acquiritur Præsentatione, (de qua diximus articulo superiore) nec non Electione, Postulatione, Collatione nondum acceptata, & similibus; ita jus in beneficio (vi cujus beneficium est proprium acquirentis, & simul adest potestas illud administrandi, etiam ante possessionem) habetur per Collationem, per Institutionem, & per Confirmationem electionis, vel postulationis. Quæ omnia paucis explicanda potius sunt, quam discutienda.

Collatio, seu Concessio beneficii duplex est, altera libera conferenti, quæ scilicet non præsupponit Præsentationem a patrono factam, & hæc dicitur absolute Collatio: Altera vero necessaria, quæ scilicet legitimam præsentationem præsupponit; & hæc vocatur Institutio. Utraque dat jus, sed requirit consensum ejus, cui beneficium confertur; Si tamen collatio fiat per vim & metum, est invalida.

II. Electio ad beneficium, quæ fit ab aliqua communitate habente jus eligendi beneficiandum, pariter est duplex; Altera est electio personæ nullum habentis impedimentum Canonicum, & hæc absolute dicitur Electio: Altera est personæ jure Canonico impeditæ, & hæc vocatur Postulatio; quia Electores postulant a Pontifice, ut in impedimento dispenset. Differt autem Electio a Postulatione, ut notat Azor. part. 2. lib. 6. c. 17. quia electus post electionem ita acquirit jus, ut non possint amplius electores alium eligere: Contra vero, antequam admittatur a Pontifice Postulatio, possunt Electores alium eligere, aut postulare. Non potest electio, aut postulatio, sicut nec præsentatio fieri, antequam vacet beneficium. Utrum autem electio fieri possit, antequam beneficiatus defunctus sepeliatur, quando per mortem illius vacat beneficium? communius docent, illicite tunc fieri, sed valide.

III. Præterea ad aliquas electiones requiritur confirmatio superioris Prælati: qua in re consulenda consuetudo, & jura particularia. Quando autem requiritur talis confirmatio, tunc Prælatus confirmans examinare debet, num subsit aliquod impedimentum Canonicum in persona electa; & num electio fuerit legitima. Quamvis autem electio fieri nequeat ante sepulturam beneficiati defuncti; potest tamen statim post illius mortem fieri præsentatio, institutio, & collatio, ut notat Garz. c. 1. nu. 38. apud Croix num. 307.

IV. Beneficium collatum, & acceptatum dat plenum jus in re; requiritur tamen Possessio, ut tale jus sit efficax, adeo ut possit beneficiarius administrare beneficium, ejusque fructus percipere. Investitura est id, quo significatur jus in beneficio acceptum, & facultas intrandi, seu petendi possessionem; eaque fieri solet in absentia rei per annulum, vel impositionem bireti. Et loco investituræ quandoque est installatio, seu inthronizatio, assignando beneficiario illi proprium stallum. Præter Investituram requiritur Possessio jam explicata, nisi forte investitura fieret in loco beneficii, aut non esset liber accessus ad locum beneficii. Potest possessio apprehendi etiam per procuratorem specialiter ad id destinatum. Inthronizatio est quædam externa solemnitas, quæ de se non tribuit possessionem; putant tamen nonnulli apud Croix num. 451. per installationem, seu assignationem proprii stalli sufficienter tradi possessionem; quando tamen electio non requirit etiam confirmationem, quia non potest tunc possessio capi ante confirmationem. Universim autem ad Episcopum, aut ejus Vicarium spectat mandare, ut provisus in possessionem mittatur: Quamvis, ut notat Croix num. 452. post confirmationem, institutionem, aut collationem, & investituram possit beneficiarius auctoritate propria capere possessionem, nisi alicubi praxis esset, ut per alium detur; ea quippe praxis instar legis habenda est.

„ Ad Beneficii possessionem spectat Fidei Professio, quam a Parochis, & Ecclesiarum Cathedralium Canonicis *ad minus intra duos menses a die adeptæ Possessionis*, a ceteris Beneficiariis *in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur* emitti debere statuit Tridentinum. *Sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* & *Sess.* 25. *cap.* 2. Porro tam Canonicos, quam Parochos huic sanctioni non obtemperantes jure privavit percipiendi suorum Beneficiorum fructus, etsi (quod censuit Sacra Congregatio Concilii 9. *Februarii* 1726.) possint *distributiones lucrari pro Horis, quibus intersunt*. Vide Benedictum XIV. *de Synodo Diœcesana lib.* V. *c.* 2.

V. Notandum denique circa Jus patronatus, aliquando esse Personale, eo quod tali personæ sit affixum; istud autem sine consensu Episcopi per donationem ad Laicum transire non potest; Aliquando

do esse Reale, eo quod tali rei sit affixum, & ratione talis rei transire potest per accidens ad emptorem; ita tamen, ut non pluris vendatur res illa ob jus patronatus; quod citra simoniam, ut suo loco dicemus, est invendibile. Infideli juspatronatus competere non potest, nec hæretico, aut excommunicato vitando: Si tamen sit toleratus, variant Doctores apud Sanch. lib. 3. disp. 22. num. 31. Competere illud potest fœminæ, ut notat Garz. n. 144.; item infanti, pro quo tutor præsentet; Pupillo illegitimo, tam naturali, quam spurio, necnon irregulari, ut videre est apud Palaum num. 27. Pontifex potest valide juri pratronatus, etiam Laicali, derogare, conferendo beneficia, cui maluerit, invitis patronis; quia cum beneficium ad Ecclesiam spectet, libere concessit Pontifex patronis jus præsentandi, non abdicando a se jus contraveniendi: Licite tamen id non potest citra urgentem causam, ne fideles a Fundationibus deterreantur. Nuntius Apostolicus solum Juri patronatus Ecclesiastico valide derogare potest: Episcopus vero neque laicali, neque Ecclesiastico potest derogare.

Est pariter advertendum, quod si Patronus, antequam beneficium vacet, promittat promissione jurata Cajo, se illum præsentaturum, quando vacabit; talis promissio est irrita, ac nulla; immo, ut notat Lott. apud eundem Croix n. 302. est graviter peccaminosa, cum graviter ab Ecclesia prohibeatur; ne detur ansa captandi mortem alterius.

QUÆSTIO V.

De Simonia ad rem Beneficiariam spectante.

Quid universim ea sit? Et per quid constituatur?

QUod multum facessit negotium in re Beneficiaria est advertere, ne ex aviditate percipiendi fructus Beneficii clanculum Simonia obrepat; præsertim quia in ea dignoscenda etiam acres Doctorum obtutus non raro obtunduntur, ac hebetantur. Etenim quod de se, ac speculative loquendo a circumstantiis denudatum, sæpenumero citra controversiam a labe simoniæ est prorsus immune, in praxi tamen circumseptum adjunctis, a quibus fere nunquam sejungitur, simoniaco veneno, lynceis etiam oculis occulto, inficitur. Quare, ut præsentissimo alexipharmaco contagioni huic, quæ plurimis imponit, pro virili occurramus, Quæremus hic, Quid sit universim Simonia? Et per quid illa constituatur? Num donatione gratuita rei temporalis, quæ habeat pro motivo consequutionem rei spiritualis, aut vice versa? Num donatione conditionata rei temporalis pro spirituali? Num contractu reciproco, quo temporale detur pro spirituali, aut e converso spirituale detur pro temporali? Num demum obligatio dandi ex gratitudine temporale pro spirituali, aut spirituale pro temporali, contineat simoniam? In sequentibus deinde Quæstionibus inquiremus, Quotuplex sit Simonia, præsertim in re Beneficiaria? Quænam, & quanta sit Simoniæ turpitudo, ac malitia? Quænam sit materia tam spiritualis, quam temporalis cum spirituali connexa spectans ad Simoniam? Tum de Simonia tam juris naturalis, quam juris Ecclesiastici in re Beneficiaria; ac demum de pœnis Simoniacorum.

ARTICULUS I.

Quid sit Simonia?

I. *Definitur Simonia.*
II. *Ea est sacrilegium. Quodnam sit munus a manu, munus a lingua, munus ab obsequio?*
III. *Pendet ea sæpe ex intentione operantis.*
IV. *Multipliciter aliquid connectitur cum re Spirituali, videlicet antecedenter, consequenter, & concomitanter.*

I. SImonia ex Theologorum, & Canonistarum definitione apud Less. lib. 2. disp. 33. est *Studiosa Voluntas emendi, vel vendendi aliquod spirituale, vel spirituali annexum;* appellaturque Simonia a Simone Mago, qui ut habetur Act. 8. emere volebat potestatem conferendi Spiritum Sanctum. In hac tamen definitione emptio, & venditio non veniunt presse, & rigorose; ad rigorem enim horum contractuum intervenire debet pecunia, ut discernatur, quænam sit res illa, quæ venditur," ex §. *Item pretium Inst. t. de empt. & vendit.* Simonia autem haberi potest etiam sine pecunia; Si enim spirituale commutaretur cum oleo, v. gr., vel tritico, haberetur simoniaca commutatio absque rigorosa venditione, aut emptione. Quare sumuntur large pro qualibet datione, seu permutatione spiritualis cum temporali ex pacto, ut habetur in cap. *Quæsitum de rerum permut.* Et ratio est, quia malitia simoniæ consistit in æquiparanda re spirituali (quæ pretio æstimari non potest) cum re temporali vilissima, quod tam habetur, si æquiparetur, & permutetur cum pecunia, quam si cum aliis rebus temporalibus. Imo, ut constat ex propositione 45. damnata ab Innoc. XI. contrahitur simonia, sive temporale detur tanquam pretium, sive tanquam motivum conferendi spirituale, sive sit gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

II. Hinc sequitur, simoniam esse sacrilegium, quandoquidem virtuti religionis opponitur res sacras æstimare tanquam profanas; æstimantur autem tanquam profanæ, quodcumque pretium, seu munus

pro

pro iis detur, sive a manu, sive a lingua, sive ab obsequio, quia quodcumque horum temporale est; nempe tam pretium manus, hoc est pecunia, vestis, equus, & similia, quæ vendi solent, quam pretium linguæ, hoc est laus, vel vituperatio, commendatio apud Principem, patrocinium Advocati, preces, &c. quam etiam pretium obsequii, seu ministerium in rebus temporalibus, ut est famuli, œconomi, &c.

III. Dicitur autem Simonia esse Studiosa Voluntas, ut advertamus, simoniam magna ex parte pendere ex intentione operantis, ex Cap. *Tua nos de Simon.* nam si tradens v. g. stipendium pro Missa, tradit illud animo emendi Sacrificium, simoniam committit; quam non committit, qui variata intentione tradit illud pro sustentatione Sacerdotis. Præterea dicitur, Res spiritualis, non quodcumque est incorporeum, sed quod aliquo modo est supernaturale, ut sunt Sacramenta, Gratiæ gratis datæ, Virtutes supernaturales, & omnis usus potestatis supernaturalis.

IV. Dicitur demum, Spirituali annexum, quodcumque cum re sacra connectitur, vel antecedenter, vel consequenter, vel concomitanter. Connexionem habet antecedentem cum re spirituali, quod præit illam, ut vestes sacræ, templa, altaria, calix consecratus &c. quæ præeunt consecrationem; Sic etiam juspatronatus, electio, præsentatio, collatio beneficii, &c. quæ per se ordinantur ad beneficia Ecclesiastica: Habet vero connexionem consequentem cum re spirituali, quod illam consequitur, ut beneficium, seu jus percipiendi fructus, quod consequitur ad Officium sacrum, propter quod illud datur. Denique connectitur concomitanter, quod rem spiritualem comitatur, ut labor in ministerio Sacramentorum.

ARTICULUS II.

Num Donatio gratuita rei temporalis, pro obtinendo spirituali, simoniam contineat?

I. Conclusio est negativa, speculative loquendo.

II. Thesis 45. ab Innoc. XI. proscripta fert, solum simoniam committi, quando datur temporale, tanquam ob motivum intrinsecum pro spirituali obtinendo; quod in praxi solet evenire, si res temporalis non sit levis momenti.

III. Qui celebrat propter stipendium, tanquam ob pretium, quin pactum ineat, committit simoniam solum largo modo.

IV. Exercere spirituale propter lucrum temporale, tanquam motivum principale, num vacet culpa?

V. Donationes gratuitæ pro collatione Ordinum prohibentur ex odio avaritiæ, non ex motivo religionis, & non sunt simoniacæ, sed favent simoniacæ pravitati.

I. Dicendum cum communi, donationem rei temporalis ordinatam ad obtinendum spirituale, si fiat gratis, & sine ullo onere, vel pacto, non esse simoniacam. Ratio est, quia malitia simoniæ consistit in æquiparando res sacras cum temporalibus, quod sicut fit in contractu reciproco; ita nullatenus habetur in donatione gratuita, quæ potius est laudabilis, eo quod dirigat temporale, tanquam medium ad obtinendum finem nobiliorem; unde qui gratuito dat aliquod infideli, ut baptizetur, vel fideli, ut fiat religiosus sine ullo pacto, aut onere, non est simoniacus, ut dicitur in cap. *Debet* caus. 23. quæst. 4.

II. Neque obstat Propositio 45. damnata ab Innoc. XI. quæ habet: *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur, tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.* Ex falsitate enim hujus thesis evincitur, simoniam committi, non solum si temporale detur in pretium, sed etiam si detur, tanquam motivum conferendi spirituale. Hoc autem videtur evenire, quando donatur temporale gratuito pro obtinendo spirituali. Nam contra est, quia, ut fuse in expositione hujus thesis confixæ notavimus ex Suar., Less., Sanch. & aliis, ad simoniam requiritur intentio alterum obligandi, & quoddam tacitum pactum. Quando autem datur temporale gratis, ut alter moveatur ad ponendum spirituale ex motivo ipsius rei spiritualis, nullum intervenit implicitum pactum, atque adeo nec simonia. Quod ab Innoc. XI. damnatur, est (ut ibidem pariter fuse explicavimus) non esse simoniam dare temporale, quod se habeat tanquam motivum intrinsecum finale, & principale ponendi spirituale; tale enim motivum est æquivalenter pretium; propterea vendere v.g. officia dicitur, qui munera accipit, quibus moveatur principaliter ad ea conferenda: At non est simoniacum, pro spirituali obtinendo dare temporale, quod se habeat tanquam motivum extrinsecum, occasionale, & secundarium. Quod videtur explicare idem Innoc. XI. damnando propositionem 46. quæ dicit: *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis; sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.* Sicut itaque qui ex metu v. gr. naufragii, & gehennæ movetur ad eliciendum actum contritionis, habet pro motivo intrinseco, & finali actus contritionis bonitatem Dei offensi, & pro motivo extrinseco, & occasionali periculum naufragii; Et qui dat centum gratis servo, ut alliciatur ad Baptismum, solum vult motivum Baptismi intrinsecum in servo esse salutem æternam, & lucrum illud esse motivum extrinsecum: Sic eodem modo, qui inservit Episcopo ad obtinendum beneficium, simoniam committeret, si vellet dari sibi beneficium propter famulatum, tanquam propter motivum intrinsecum, quamvis non propter pretium; Secus vero, si velit, famulatum esse motivum occasionale, ex quo inducatur Episcopus ad cognoscendam Clerici idoneitatem, quæ sit motivum intrinsecum, & finale conferendi beneficium. In praxi tamen est valde periculosum, & valde cavendum, ne temporale, quod dicitur dari tanquam motivum occasionale, & extrinsecum, re vera detur, tanquam motivum principale, & intrinsecum, ut conferatur spirituale; quod fere semper contingit, quando temporale, quod datur, non est levis momenti. Et ideo in foro externo obsequium, aut alia munera oblata Episcopo ad beneficium obtinendum præsumuntur simoniace collata, si sint non levis momenti, & soleant animum pervertere, & allicere; non vero, si sint leviora, ex cap. *Etsi quæstiones de Simonia.*

III. Instabis, ex D. Th. quodlib. 8. art. 10. simoniam committit, qui v. g. celebrat propter pecuniam, tanquam propter pretium, etiamsi nullum pactum inter-

intercedat: ergo non ſtat doctrina Leſſii, quod tunc ſolum ſimonia committatur, quando pactum habetur, ſaltem implicitum, ſeu intentio alterum obligandi; & conſequenter ſimoniacus eſt, qui dat temporale gratis cum intentione, quod ponatur ſpirituale, etiamſi abſque pacto.

Reſpondetur, doctrinam Leſſii eſſe communem; & D. Thomam in Summa art. 3. ad 5. illam docuiſſe. Quare in caſu adducto, qui propter ſtipendium, tanquam propter pretium ſine pacto celebraret, in largo ſenſu ſimoniam committeret, tum propter irreverentiam erga rem ſacram; tum etiam quia facile in pactum deſcenderet; ut communiter explicant Div. Thom. qui renuunt dicere, quod deinde ſententiam mutarit. Quod altius oſtenditur ex ipſa definitione ſimoniæ, quæ importat emptionem, atque adeo contractum, & pactum.

IV. Ex dictis ſequitur, quod ſicut non eſt ſimonia dare gratis temporale ad obtinendum ſpirituale, ita neque e contra dare ſpirituale gratis ad obtinendum temporale; ut ſi exponantur Reliquiæ, vel Imagines ad obtinendam eleemoſynam largiorem; nam in tali caſu non intervenit æſtimatio, ſeu æquiparatio rei ſpiritualis cum pretio temporali, deficiente pacto etiam implicito.

Dubium tamen eſt, An ſit mortale exponere v. g. reliquias principaliter propter lucrum temporale, aut aliud ſpirituale exercere principaliter propter temporale? ut ſi quis e. g. in ſodalitio communicet principaliter ad obtinendum ab Epiſcopo vel a Principe aliquod temporale.

Sanch. l. 2. c. 43. dicit, eſſe quidem communem ſententiam, quod ſimoniacum ſit exercere ſpiritualia propter ſtipendium, tanquam ob finem principalem; ſed id intelligendum eſſe, ſi lucrum intendatur principaliter, tanquam pretium, non vero tanquam eleemoſyna gratis oblata ad ponendum ſpirituale ex motivo intrinſeco ipſius rei ſpiritualis. Unde putat eſſe duntaxat veniale, ſic intendere principaliter eas eleemoſynas; quia tantum committitur culpa pravæ ordinationis ad finem; quæ, quando finis non eſt mortalis, ſolum culpam venialem conſtituit. Et ideo communiter docent apud Laym. l. 4. tract. 10. c. ult. quod exercere ſpiritualia ob vanam gloriam, ſit ſolum veniale.

Sed Molin. diſp. 93. concl. 3. probabilius docet contra Medin., & Adrian., nullatenus eſſe peccatum exercere opus virtutis propter lucrum, aut commodum temporale, tamquam ob finem duntaxat ſecundarium, ita ut opus virtutis ſit etiam volitum qua tale, aut propter alium bonum finem. Unde communiter dicimus, ne veniale quidem peccatum committere Sacerdotem nolentem hodie celebrare, ſi deinde oblato ſtipendio voluntatem mutet; in quo caſu finis celebrationis videtur eſſe ſtipendium, dummodo finis celebrationis primarius ſit cultus Dei. Ideo autem exercere ſpiritualia propter vanam gloriam, eſt veniale, quia talis finis eſt leviter malus: at exercere ſpiritualia, etiam propter ſtipendium, non eſt finis malus, & ideo culpa vacat. Quod videtur aperte docuiſſe D. Th. 2. 2. quæſt. 100. art. 9. & quodlib. 8. artic. 11., ubi, ut notat Pal. quæſt. 4. hæc habet: *Illicitum eſt ire ad Eccleſiam propter diſtributiones quotidianas principaliter, tamquam propter finem, quamvis non ſi propter eas eatur, tanquam propter finem ſecundarium.*

V. Oppones contra concluſionem Trident. ſeſſ. 21. capit. 1. ubi prohibet pro collatione Ordinum, & primæ Tonſuræ donationes gratuitas, vocatque hujuſmodi largitiones corruptelas ſimoniacæ pravitati faventes; ergo non caret labe Simoniæ donatio hujuſmodi gratuita. Adde quod in cap. *Sicut nonnulli* cauſ. 1. quæſt. 1., & cap. *Salvatur* eadem cauſa quæſt. 3., actus Simoniaci vocantur munera, quæ ſignificant largitionem gratuitam.

Reſpondeo cum Palao tract. 17. diſp. 3. punct. 5., prohiberi a Trident. hujuſmodi donationes, non quidem ex motivo religionis, ſed ex odio avaritiæ, ut patet ex illis verbis præambulis, *Quoniam ab Eccleſiaſtico ordine omnis avaritiæ ſuſpicio abeſſe debet*. Unde per hujuſmodi donationes non committitur Simonia, quæ eſt vitium contrarium reverentiæ debitæ rebus ſacris, ac proinde contra religionem, ut notat etiam Leſſ. num. 61. Pariter in cap. *Statutum de Reſcriptis*, prohibetur delegatis, ne accipiant etiam gratis oblatum aliquod ultra eſculenta, & poculenta; quia tamen talis prohibitio procedit ſolum ex motivo ſervandæ juſtitiæ, ideo hujuſmodi munerum acceptio non eſſet Simoniaca. Concilium loco laudato dicit, eas favere Simoniacæ pravitati, non vero eſſe Simoniacas; cum enim radix Simoniæ ſit avaritia, ideo quæ favent avaritiæ, videntur in radice favere Simoniæ. Præterquamquod facilis eſt in iis lapſus ad Simoniam mentalem.

Ad id quod additur dico, ly munera, aliquando ſignificare onera; & in jure civili in digeſtis habetur integer titulus de muneribus, & honoribus, hoc eſt de oneribus, & honoribus. Quare cum ly munus habeat utramque ſignificationem; & aliunde in jure Canonico datio ſimoniaca vocetur emptio, & venditio, ly munus, in hac materia limitandum erit ad ſignificationem pretii, non vero ſimplicis, & gratuitæ donationis.

ARTICULUS III.

An donatio conditionata rei temporalis pro Spirituali, aut e converſo, ſit Simoniaca?

I. Donatio conditionata quomodo differat a contractu oneroſo?
II. Videtur licitum dare centum ſervo, ut baptizetur; an etiam liceat dare centum Sacerdoti, ut te baptizet?
III. Donatio conditionata, ſi cedit in utilitatem donatarii, non cenſetur Simoniaca.
IV. Si vero cedat in utilitatem donantis, practice non eſt immunis a Simonia.
V. In plurimis caſibus quod eſt ſpeculative licitum, in praxi eſt illicitum.
VI. In quo diſcriminetur Uſura a Simonia?

I. GRaviſſima difficultas eſt, ſit ne Simonia donatio temporalis ſub conditione ponendi ſpi-

ſpirituale: ita tamen, ut donans non imponat obligationem ad ſpirituale, alioquin non eſſet donatio conditionata, ſed contractus oneroſus reciprocus. Ratio difficultatis eſt, quia ex una parte certum eſt, aliquas hujuſmodi donationes licere; v. gr. licite te obligas ad dandam ſervo libertatem, ſi ſuſcipiat Baptiſmum, & Princeps ad dandam vitam Infideli, ſi convertatur. Et ratio eſt, quia in tali donatione non obligas te ad temporale tanquam pretium ſpiritualis, vel tanquam aliquod pretio æquivalens, in quo eſt malitia Simoniæ; ſed ſolum non vis dare temporale, nempe libertatem, niſi ponatur, ſine ulla tamen obligatione, Baptiſmus. Ex altera vero parte aliæ ſimiles donationes conditionatæ cenſentur communiter illicitæ: v. g. ſi dicas Sacerdoti, dabo tibi centum, dummodo ſine ulla obligatione ex juſtitia conferas mihi baptiſmum, aut abſolutionem. Ideo Laym. §. 2. n. 11. cenſet, donationem conditionatam tunc eſſe Simoniacam, quando opus ſpirituale cedit in utilitatem donantis, aut tertiæ perſonæ, non vero ſi cedat in utilitatem ipſius donatarii; & ideo docet, quod dare v. gr. libertatem ſervo, ſi baptizetur, non ſit Simonia, quia baptiſmus cedit in utilitatem donatarii: Contra vero dare centum Sacerdoti, ut te, vel alium baptizet, ſit Simonia, quia baptiſmus cedit in utilitatem donantis, vel tertiæ perſonæ.

II. Hæc tamen doctrina, & diſparitas communiter rejicitur; nam, ut bene Suar. tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 4. cap. 17. Si commutatio, inquit, ſecundum ſe non eſt mala, ordinare illam ad proprium ſpirituale commodum, non erit malum; imo cæteris paribus magis videtur unicuique conceſſum ſuam ſpiritualem utilitatem quærere, quam alienam; quare, ſi licet dare centum ſervo, ut baptizetur, a fortiori licebit dare centum Sacerdoti, ut te baptizet. Et ratio a priori ex Suar. eſt, quia malitia Simoniæ dependet ex terminis, quorum ſit mutua datio, & ex modo dationis; quare cum in utroque caſu termini ſint ſpirituale, & temporale, & modus dationis ſit conditionatus, nullam imponens obligationem in donatario, ſequitur quod vel in utroque, vel in neutro caſu habeatur Simonia.

III. Aliter itaque oportet diſcurrere, advertendo prius, idcirco præſentem quæſtionem non modicam difficultatem continere, quia donatio conditionata, cum non ſit omnino gratuita, videtur importare obligationem in donatario ad opus ſpirituale: quod tamen eſt falſiſſimum, quia talis donatio ſolum ordinatur ad movendam ejus voluntatem ad opus ſpirituale ponendum ſine ullo præjudicio libertatis, imo cum collatione gratiæ potius, quam oneris. Quod clare conſtat, quia etiam acceptata donatione conditionata, poteſt libere ſervus non baptizari, quamvis non poſſit frui re donata ſine baptiſmo: quia in re nullum imponitur onus, nec ulla ſit violentia, ſed gratia: nam ſi obligabatur ad ſervitutem, etiamſi baptizaretur; quod manſurus ſit liber, ſi baptizetur, eſt gratia. Neque enim, ut recte Suar. n. 15., ſit illi injuria, quod non detur libertas ſimpliciter; quandoquidem neque ſimpliciter, neque conditionate eſt illi debita, & ex ſpeciali beneficio habet, quod dominus velit libertatem donare poſito baptiſmo.

Quod etiam oſtenditur aliis exemplis; nam reo v. g. ad mortem damnato eſt debita mors, velit, nolit ingredi religionem; atque adeo ſi Princeps donet illi vitam, dummodo religionem ingrediatur, nullum onus imponit, ſed confert beneficium; Sicut etiam ſi Infideli offeras tuum patrimonium nullatenus debitum, dummodo fiat Chriſtianus. Quare in his caſibus, in quibus opus ſpirituale cedit in utilitatem donatarii, conſentiunt communiſſime Doctores apud Sanc. lib. 1. diſp. 39., nullam intervenire Simoniam. Quod conſtat ex praxi, quam damnare dicit Suar. num. 11. eſſe inſolentiſſimum; & juremerito, nam ſuſceptio baptiſmi non eſt in ſe mala, niſi ſit emptio, aut venditio: non eſt autem emptio, vel venditio, quando temporale non datur in pretium, nec imponitur pro temporali ulla obligatio ad baptiſmum.

IV. Hinc ſequitur, quod cum donatio conditionata fieri poſſit etiam quando opus ſpirituale eſt utile ipſi danti, ideo ſpeculative loquendo neque tunc erit Simoniaca; quia neque tunc daretur in pretium, & commutationem, ſed ſolum ad alliciendum: moraliter tamen, & practice loquendo talis donatio eſſe debet valde ſuſpecta, & eſt multum periculoſa; immo abſolute loquendo dicenda eſt in praxi Simoniaca: quia quando opus ſpirituale redundat in propriam utilitatem, non cenſetur donatio conditionata rei temporalis pure ordinari ad alliciendam voluntatem alterius, ſed eſt magna ſuſpicio intentionis obligandi, unde in foro externo præſumeretur dari in commutationem, & puniretur, tanquam Simoniaca; quamvis in foro conſcientiæ bene procederet, ſi forte expreſſe, & ſincere nulla adeſſet obligandi intentio. Quod ſignificat Pal. punct. 4. dicens, univerſaliter nullam donationem, quæ venditio, aut emptio non ſit, eſſe Simoniacam, excepta ea, quæ ſit in materia beneficiorum, in quibus etiam donatio conditionata eſt Simoniaca propter peculiarem Eccleſiæ prohibitionem, ut ſuo loco dicetur.

V. Non eſt autem mirum, quod in materia Simoniæ plurima ſint ſpeculative loquendo licita, ſed in praxi periculoſa, & communiter illicita. Sic Leſſ. dub. 20. ex Suar., & Nav. notat, quod dare temporale, tanquam gratuitam compenſationem pro ſpirituali ſit Simonia, quod certum eſt ex propoſitione damnata ab Innoc. XI. At dare ſpirituale ad ſatisfaciendum obligationi antidorali, ſeu ex gratitudine, nullo prævio pacto, ne implicito quidem, ſpeculative loquendo, non eſt Simonia, ſed eſt in praxi valde periculoſum. Et idem communiter evenire docent, ſi quis gratis det temporale, & deinde petat, ut titulo gratitudinis ſibi aliquod ſpirituale conferatur. Sicut enim non committit uſuram, qui a mutuatario, v. g. petit, ut ex gratitudine ſibi remutuetur; ita nec committit Simoniam, qui aliquod petit in gratitudinem ob beneficium ſine ullo pacto collatum: at hoc in praxi periculoſæ plenum opus eſt aleæ.

VI. præſertim quia D. Th. in hoc diſcriminat uſuram a Simonia, quod qui dat mutuum, poſſit aliquid ex gratitudine expoſcere, quia dat, quod ſuum eſt: Contra vero qui dat ſpirituale, cum non det, quod ſuum eſt, ſed quod eſt Chriſti Domini, non debet aliquod expoſcere in gratitudinem, cum ſatis ſit, ſi donatarius ſit gratus Eccleſiæ, & Deo. Unde quod in gratitudinem petitur ob ſpirituale collatum, in praxi fere ſemper petitur Simoniace.

Dices: Si Cajus dicat ſe donare equum Sorti, ſub

ſub conditione tamen, quod Sortes donet ipſi Cajo centum, in tali caſu nec ſpeculative, nec practice haberetur donatio conditionata, ſed veriſſima emtio equi, qui ſolum oretenus diceretur donari conditionate: ergo pariter qui donat v. g. reliquias ſub conditione, quod ſibi dentur centum, aut qui dicit ſe donare Sacerdoti centum ſub conditione, quod ab hoc liberaliter conferatur ſibi Baptiſmus, aut Abſolutio, revera in tali caſu non haberetur donatio liberalis conditionata, ſed veriſſima emptio Simoniaca, non ſolum practice, & moraliter, ſed etiam ſpeculative loquendo, poſito quod contractus cedat in utilitatem utriuſque. Sic etiam dicenda eſt uſura datio mutui ſub conditione quod ſolvatur auctarium.

Reſpondeo. Quicquid ſit de antecedente, nego conſequentiam. Certe ſpeculative loquendo poteſt quis donare reliquias ei, qui confert centum, non contrahendo cum illo, nec æquiparando ſpirituale cum temporali. Ad contractum emptionis requiritur pactum & obligatio ex parte utriuſque contrahentis orta ex contractu: At in caſu noſtro, quo quis vult dare reliquias ſolventi centum, quamvis practice id ferat Simoniam, & emptionem; ſi nullum præcedat pactum, & donatio ſit conditionata, non æquirarando temporale cum ſpirituali, non habetur emptio, nec Simonia. Ad eum modum quo tum habetur emptio rei ſpiritualis, ſi detur Sacerdoti ſtipendium pro ſuſtentatione ſub conditione, quod celebret; haberetur vero Simonia, ſi ſtipendium daretur in pretium Sacrificii, æquiparando ſpirituale cum temporali. Et ſane ſicut non eſt uſura velle mutuare ſolum benemerito, & non alteri, ſeu mutuare ſub conditione quod aliquis ſit benemeritus, non tamen deducendo in pactum, ne implicitum quidem, ipſam beneficentiam; (quicquid ſit an in praxi id ſit periculoſum) ita ſpeculative loquendo non eſt Simonia velle donare liberaliter rem Sacram ſine ullo pacto ſolum benemerito, ſeu ſub conditione quod aliquis fuerit benemeritus in re temporali; aut e contra.

ARTICULUS IV.

An Contractus reciprocus, quo temporale datur pro ſpirituali, ſit Simoniacus?

I. Contractus utrinque obligatorius ex juſtitia in re noſtra eſt Simoniacus.
II. Quomodo Sacerdos ex juſtitia obligetur ad celebrandum citra Simoniam?
III. Stipendium Sacerdoti non datur propter laborem in celebrando, ſed propter ſuſtentationem jure naturæ debitam.
IV. Ea ſuſtentatio habet reſpectum ad alia Sacerdotis onera.
V. Quanam ratione poteſt ſuſtentatio iſthæc deduci in pactum, & deberi ex juſtitia, cum teneatur Sacerdos gratis celebrare?
VI. Si temporale detur pro ſpirituali cum obligatione mutua ex gratitudine, num depurari poſſit a Simonia?
VII. Eſto ſpeculative poſſit peti citra Simoniam, ut obligationi antidorali ſatisfaciat, qui accipit ſpirituale, non tamen practice.
VIII. In quonam ſenſu confixa ſit ab Innoc. XI. theſis 45. permittens compenſationem gratuitam temporalis pro Spirituali?
IX. Datur gratis, quod mere datur ad extinguendum debitum antidorale.
X. Permutare ſpirituale cum ſpirituali non eſt Simonia; licet ſit Uſura mutuare cum pacto, quod donetur aliquod ſpirituale. At ſuperioratum cum ſuperioratu probabilius non licet permutare.
XI. Si detur temporale cum pacto, quod donetur ſpirituale, quod non cedat in utilitatem dantis, ſed accipientis, probabilius talis contractus utrinque oneroſus eſt Simoniacus. Quamvis donatio conditionata temporalis, ſi ponatur ſpirituale, non ſit Simoniaca.

I. Contractus reciprocus, hoc eſt utrinque obligatorius ex juſtitia, apertiſſimam in re noſtra continet Simoniam, tam in dante temporale, quam in dante ſpirituale. Ratio eſt, quia juſtitia commutativa dicit æſtimabilitatem rerum, quæ commutantur: æſtimare autem, ſeu æque penſare ſpiritualia cum temporalibus, eſt Simonia. Difficultas ſolum eſt in explicanda receptiſſima praxi, qua pro celebrandis Miſſis ita datur ſtipendium, ut ex contractu reciproco Juſtitiæ commutivæ Sacerdos ad illas obligetur.

II. Duplex eſt celebris ſolutio. Prima dicit, contractum hunc non eſſe ſimoniacum, quia non datur pecunia in pretium laboris, quatenus ſpiritualis eſt, ſed quatenus eſt labor corporalis. Hæc tamen reſponſio diſplicet communiter, præſertim Cardinali de Lugo diſp. 21. de Euch. ſect. 1. tum quia talis labor eſt intrinſecus miſſæ, quandoquidem ſine illo miſſa conſiſtere non poteſt; labor autem intrinſecus operi ſpirituali eſt invendibilis citra Simoniam, ex illa regula Urbani in cap. *Si quis objecerit* 1. qu. 3. *Qui horum alterum vendiderit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*; Tum etiam quia labor in celebrando, quatenus temporalis eſt, non meretur ex juſtitia conſuetum Miſſæ ſtipendum; quia miſſa brevis eſt, & brevior eſſe poſſet, ſi eccleſia alias cæremonias tolleret, & præciperet celebrari ſola conſecratione, & communione, quod fieret pene temporis momento.

III. Communior itaque reſponſio eſt cum eodem Lugo n. 13. non committi Simoniam, quia ſtipendium datur in ſuſtentationem Sacerdotis ad Sacrificium requiſiti, non ſecus ac requiritur panis, vinum, candelæ, &c. Quare ſicut facere pactum de danda pecunia pro pane, vino, candelis non eſt Simonia, quia non datur in pretium ſacrificii, ſed ad neceſſariam ſacrificii exequutionem; ita neque eſt Simonia inire pactum cum Sacerdote de ſtipendio in ejus ſuſtentationem, quia etiam Sacerdotis ſuſtentatio ingreditur neceſſariam exequutionem ſacrificii. Unde Sacerdos adhuc gratis dicitur celebrare, quamvis ſlipendium pro ſuſtentatione recipiat; ſicut gratis celebrat, quantumvis detur illi pecunia pro vino, candelis, &c. Quod explicat de Lugo exemplo Pictoris, qui non diceretur vendere picturam, ſed gratis pingere, ſi acciperet ſolum ſuſtentationem, & ſumptus neceſſarios ad colores, &c. ſicut etiam miles diceretur gratis militare, etiamſi acciperet, ac exigeret ſuſtentationem, arma, equum, & quicquid eſt neceſſarium ad militandum. Et ratio a priori eſt, quia Simonia tunc committitur, quando pro ſpirituali accipitur, tanquam debitum ex juſtitia, aliquod temporale indebitum; ſuſtentatio autem, (quamvis ut ex juſti-

tia debita accipiatur) non est indebita, sed jure naturæ cuivis debita, juxta illud Matth. 10. *Dignus est operarius cibo suo*. & 1. ad Cor. 9. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Et ad Rom. 15. *Qui altari servit, de altari vivere debet*. Quod verum est, etiamsi Sacerdos aliunde habeat, unde sustentari valeat; ut communiter docent contra Azor. 3. part. lib. 12. cap. 3. cum hoc sit per accidens, ut notant Suar. cap. 45. unde non potest obesse, quominus Sacerdos recipiat, quod sibi ex natura rei debetur. Nemo enim suis stipendiis tenetur militare, ut loquitur Apostolus 1. ad Cor. 9. dicens: *Quis militat suis stipendiis unquam?*

IV. Neque dicas, non deberi Sacerdoti ex justitia integram sustentationem, quando brevi Missam absolvit: Sicut nec pictori debetur integra sustentatio, si per semihoram duntaxat quotidie pingat.

Nam sustentatio, quæ dari solet Sacerdoti taxata a consuetudine loci, non semper est integra, sed partialis, habito respectu non ad tempus solum, quod ille insumit in celebrando, sed ad alias circumstantias onerosas: debet enim a negotiationibus abstinere, a venationibus, a ludis, debet decentem habitum gestare, a cibo ante Missam abstinere, &c. Congruum est igitur, dari Sacerdoti partialem hanc sustentationem, ut possit honeste vacare muneri suo.

V. Instabis. Quamvis verum sit, jure naturæ deberi sustentationem celebranti, non tamen hinc sequitur, posse in pactum deduci; quia si pactum ineatur, non gratis celebraret Sacerdos; nam quod gratis fit, non fit ex debito justitiæ; Quod autem fit ex pacto, fit ex debito justitiæ; ergo quod fit ex pacto, non fit gratis.

Confirmatur, quia plures extant Canones, in quibus generaliter interdictum est omne pactum in spiritualibus, ut cap. ult. *de pactis*, & cap. *Tua nos de Sim.* ergo neque titulo sustentationis aliquod exigi, vel in pactum deduci potest, ut docent Cajetanus, Sylv. & alii ex D. Th. 1. 2. qu. 100. art. 3. ad 2. ubi dict.: *Si hæc pacto interveniente fiant, simonia esset*.

Respondetur tamen cum Nav. Soto, Valent. Suar. cap. 46. posse in pactum deduci hujusmodi sustentationem, non secus ac potest Sacerdos in pactum deducere, quod sibi celebranti dentur candelæ, vinum, & quodcunque est necessarium ad Sacrificium. Ratio est, quia quilibet in pactum deducere potest quicquid est sibi debitum jure naturæ, cum non petat indebitum. Ad rationem in contrarium respondet Suar. gratis fieri, quod fit ex pacto non inducente novam obligationem ultra illam, quæ jure naturæ habetur; pactum autem de danda sustentatione solum exprimit obligationem, quæ jure naturæ inest, & non inducit novam obligationem; ergo hujusmodi pactum non tollit, quominus Sacerdos celebret gratis. Hinc Christus Dominus, postquam dixerat, *Gratis accepistis, gratis date*, subdit, *Manducate, quæ apponuntur vobis; dignus est enim operarius cibo suo*: ut innueret, sustentationem esse debitam ei, qui spiritualia ministrat.

Ad Confirmationem respondet primo Bonac. in præfatis textibus non comprehendi sustentationem, utpote debitam jure naturæ. Respondet secundo Suar. loc. cit. & Less. cap. 35. num. 49. quod quamvis id vetitum fuerit jure canonico, hinc solum sequitur, Simoniam hanc esse juris humani, cui humano juri contraria consuetudo potuit in aliquibus functionibus derogare, advertentibus, & conniventibus Prælatis. Neque huic doctrinæ adversatur Angelicus cum Cajet. loco laudato.

VI. Ex dictis resolvitur celebris quæstio; An sit simoniaca obligatio mutua ex gratitudine in pactum deducta? Qua in re oportet attendere, quibus verbis proponatur hujusmodi obligatio. Potest enim Titius primo sic rem proponere: *Do tibi, v. g. beneficium, vel aliam rem sacram; sed scias, debere te esse gratum donanti*: In quo casu nullum certe pactum continetur, quia solum manifestatur obligatio antidoralis, quæ ex natura rei oritur ex dono. Unde quamvis in praxi res hæc sit periculosa, si tamen animus sit sincerus, & verbis correspondeat, nulla aderit simonia: Sicut nec haberetur secundum se usura, si mutuans manifestaret mutuatario obligationem gratitudinis, quæ ex natura rei illi consurgit post mutuum acceptum. Quod ex eo etiam patet, quia tali obligationi potest etiam satisfieri eleemosynis spiritualibus, puta orationibus, consiliis prudentibus, aut aliter absque ullo dono temporali.

VII. Secundus modus proponendi est, *Do tibi rem sacram, sed volo, ut sis gratus*; Et neque in hoc casu continetur pactum, aut simonia, (speculative tamen loquendo) si procedatur sincere; quia significatur, te non cedere juri, quod acquiris ex dono facto, ut alius sit gratus. Quare sicut non obligaris cedere huic juri, ita non peccas dicendo, te non cedere illi. Quapropter Filliuc. Nav. apud Laym. §. 2. aperte docent, non esse simoniam dare beneficium cum generali protestatione, quod beneficiarius remaneat obligatus ad ostendendum se gratum, si verbis & animo nolit novam obligationem imponere præter illam, quæ ex natura rei inest; quia est generale principium apud Suar. cap. 45. num. 13. communiter receptum, non esse Simoniam exprimere in donatione, quæ illi insunt ex natura rei.

Tertius modus proponendi est; *Dabo tibi spirituale, sed volo, ut obligeris ad dandum mihi aliquid ex gratitudine*. Quæ verba procul dubio pactum continent; quia tamen ejus objectum est illud idem, quod dari debuisset ex obligatione gratitudinis, ideo videri posset, quod Simoniam non contineat. Certum tamen est apud Doctores, hujusmodi pactum Simoniam continere; in quo sensu damnata est ab Innoc. XI. propositio 42. dicens, *Usura non est, dum ultra sortem aliquod exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur, tamquam debitum ex justitia*. Et ratio est, quia in his casibus non daretur solum obligatio gratitudinis, sed etiam justitiæ; quod enim debetur ex obligatione contractus onerosi, debetur ex obligatione justitiæ; quando autem confertur spirituale cum obligatione, quod detur sive temporale, sive aliud, quod titulo gratitudinis debetur, jam obligationi gratitudinis, quæ naturaliter consurgit, superadditur pactum, & sic superadditur obligatio ex justitia; unde tam Simonia, quam Usura per hujusmodi pactum committitur.

VIII. Neque obstat, quod obligatio cadat supra illud idem, quod debebatur ex gratitudine. Nam primo ex gratitudine non debetur aliquod tempo-

rale, sed potest orationibus, aut aliter obligationi gratitudinis satisfieri. Secundo, si emittas votum de dando eo, quod debes ex gratitudine, procul dubio obligationi ex gratitudine superadditur nova obligatio voti ex virtute religionis: ergo si ineas pactum, superadditur nova obligatio ex justitia, atque adeo committitur Simonia.

Hinc intelligitur, in quo sensu ab Innoc. XI. damnata sit propositio 45. in qua dicitur, non esse Simoniam, dare temporale pro spirituali, aut e contra, etiamsi sit gratuita compensatio. Hæc sunt verba confixæ thesis: *Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur, tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra*. Sensus enim est, ut exponunt communiter, Simoniam in hoc contineri, etiamsi detur temporale gratis ad compensandum debitum ex justitia, non vero si detur aliquod gratis ad extinguendam obligationem gratitudinis. Quod enim datur ad compensandum, seu extinguendum debitum ex justitia, revera non datur gratis, cum extinctio talis debiti sit pretio æstimabilis; & ideo hæc gratuita compensatio, seu satisfactio continet Simoniam. Distinguendum itaque est inter gratuitam compensationem, & munus gratuitum: illa infert Simoniam, quia temporale cum spirituali compensaretur, seu æque pensaretur; quod non habetur in munere gratuito respiciente titulum gratitudinis.

IX. Dices. Etiam qui dat aliquod gratis ad extinguendam obligationem ex gratitudine, obtinet extinctionem talis debiti, quæ est pretio æstimabilis; ergo etiamsi detur aliquod gratis ad compensandum tale debitum, Simonia committitur.

Respondeo cum Suar. Nav. Filliuc. apud Bonac. quæst. 6. punct. 1. negando, quod remissio, seu extinctio obligationis ex gratitudine sit pretio æstimabilis; etenim sicut naturaliter consurgit ex largitione doni obligatio ex gratitudine, adeo ut ad contrahendam talem obligationem non requiratur novum pactum, nec nova voluntas præter voluntatem accipiendi donum; ita extinctio talis obligationis naturaliter consequitur per recognitionem gratuitam, sive ea fiat pecunia, sive sano consilio, sive orationibus, aut aliter. Ex quo fit, quod dans spirituale titulo gratitudinis, & ad extinguendam obligationem antidoralem, vere det gratis, nec aliquod pretio æstimabile acquirat, dum acquirit id, quod naturaliter consequitur ad gratuitam recognitionem: Sicut qui liberaliter donat, gratis omnino donat, quamvis acquirat obligationem, quæ in donatario consurgit ad recognitionem, quia talis obligatio naturaliter consurgit, & ideo non dicitur esse pretio æstimabilis.

X. Notandum hic, quod licet esset Usura, saltem large dicta, si ex pacto mutuans obligaret mutuatarium ad redonandum aliquod spirituale, etiamsi debitum ex gratitudine; non esset tamen Simonia dare aliquod spirituale cum simili pacto, quod redonetur aliud spirituale, v. g. si offeram pro te Missam hodiernam cum pacto, quod tu pro me offeras crastinam, ut communiter docent contra Armillam, Sylvestrum, & alios apud Dian. part. 4. ref. 150. Ratio est, quia permutatio unius spiritualis cum altero nullam irrogat injuriam rei sacræ. Quod si res non pure spiritualis permutetur cum altera, v. g. corona benedicta pretiosa cum corona lignea, cui sint annexæ indulgentiæ, vel calix non consecratus pretiosus cum consecrato minoris valoris, committeretur Simonia, quia in tali casu videretur permutari spirituale cum temporali. Permutatio autem beneficiorum, propria authoritate facta, Simoniam continet, ex cap. ult. *de pactis*, propter specialem Ecclesiæ prohibitionem; quamvis nonnulli apud Azor. cap. 12. putent, hujusmodi Simoniam non esse juris humani duntaxat, sed etiam divini. At permutare Superioratus Religionum, nullam continet Simoniam, ut docent Bonac. Azor. Barb. apud Dian. part. 4. tract. 4. ref. 156. v. g. si pactum ineatur inter duos, Ego te eligam in provincialem, dummodo tu me eligas in Guardianum. Ratio est, quia hujusmodi Superioratus non veniunt nomine beneficiorum juxta probabilem sententiam. Non negaverim tamen, sententiam oppositam esse probabiliorem, atque adeo hujusmodi permutationes esse Simoniacas, propter universalem regulam, quod permutatio beneficiorum contineat Simoniam, ut notat Less. qui prius benigniori sententiæ subscripserat, sed re maturius perpensa, palinodiam cecinit, ut videre est apud eundem Dian. loc. cit. quamvis enim hujusmodi Superioratus non sint Beneficia presse dicta, videntur tamen sub hac generali regula comprehendi.

XI. Rogabis denique, An sit Simoniacus contractus reciprocus, quo donans temporale obligat alterum ad ponendum spirituale, cedens in ejusdem donatarii utilitatem? V. g. si dominus obligetur ad dandam libertatem servo, dummodo baptizetur, ita ut hoc habeat rationem contractus onerosi, non donationis gratuitæ conditionatæ, de qua diximus articulo tertio.

Negat esse Simoniacum Sanch. lib. 1. disp. 39. quia pactio simoniaca est venditio, vel emptio; non est autem venditio, aut emptio, inquit Sanch. nisi illa, in qua venditor aliquod tradat, & emptor aliquod accipiat; in hoc autem casu dans temporale nihil acciperet, quia Baptismus v. g. cedit in utilitatem baptizati, non vero in dantis temporale. Hæc tamen opinio communiter rejicitur cum Suar. c. 16. & Pal. punct. 9. qui variis exemplis conantur ostendere, in hoc etiam casu haberi venditionem, & emptionem large dictam; ad quam solum requiritur, ut vendens constituat rem in eo statu, & modo, in quo emens intendit; baptizandus autem constituit Baptismum juxta intentionem dantis temporale: ergo vere Baptismum vendit: Sicut vere emit domum, qui dat pro illa pretium, ut possit illam incendere, quamvis nihil inde emptor accipiat præter tale jus. Eodem itaque pacto tradens temporale acquirit jus ad Baptismum suscipiendum ab accipiente pecuniam, & ideo vere Baptismum emit, quamvis nihil acquirat præter tale jus spirituale ad positionem Baptismi, atque adeo contractus esset simoniacus.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De multiplici Simonia, ac de ejus malitia.

DIviditur Simonia celebri divisione, Primo in Mentalem, Conventionalem, & Realem, ad quas reducitur etiam Simonia Confidentialis. Secundo dividitur in Simoniam juris Naturalis, & juris Ecclesiastici. Perpensis singulis, quæremus tertio, Num Simonia adversetur non solum virtuti Religionis, sed etiam Justitiæ; ita ut sacrilegium simul, & injustitiam involvat. Denique, num possit aliquando Simonia a mortali excusari ob materiæ parvitatem.

ARTICULUS I.

De Simonia Mentali, Conventionali, & Reali.

I. Simonia est mentalis, quamvis prodeat in actum externum, dummodo animus simoniacus non manifestetur.

II. Conventionalis fert pactum, saltem implicitum. Huic si adjungatur rei traditio, Simonia est realis.

III. Promissio ficta non trahit pœnas Simoniæ conventionalis; ea quippe non est obligatoria, cum supponatur esse de re turpi, nec est pretio æstimabilis.

IV. Conventionalis Simonia non habetur per acceptationem promissionis simoniacæ, nisi accedat repromissio.

V. Per traditionem solius rei temporalis non habetur Simonia realis; Et probabilius nec per traditionem solius rei spiritualis.

VI. Hinc pœnas contra Simoniam realem non incurrit, qui acceptis simoniace Ordinibus renuit solvere pretium promissum.

I. SImonia mentalis apud Theologos, & Canonistas non significat illam, quæ nullatenus prodit in actum externum; ut hæresis, verbi gratia, vel blasphemia mentalis; sed quæ ita prodit in actum externum, ut non declaretur iniqua intentio: Quod contingit, quando sine ullo pacto aliquis dat temporale pro spirituali, vel e contra, intendens obligare alterum ex justitia commutativa, quamvis talem intentionem non declaret. Quod explicatur exemplo transeuntis per viam aliquam ex fine inhonesto non manifestato exterius; qui quidem dicitur mentaliter inhonestus, quatenus actio illa exterior, nempe transitus per illam viam, ex se non significat finem inhonestum. Quare in casu nostro, si quis v. g. det stipendium pro Missa animo emendi illam, quia erogatio illa pecuniæ de se non significat animum emendi, ideo si nullum intercedat pactum, seu contractus emptionis, simonia erit solum mentalis; quæ tamen non satis est ad incurrendas pœnas latas contra simoniacos ratione illius actus externi, cui finis malus annectitur, ut docet Suar. lib. 4. de Simonia c. 53. n. 10. dicens: *Si mentalis simonia in actum externum prodiit, dando, vel recipiendo aliquid mente simoniaca, sine ullo pacto tacito, vel expresso, licet valde probabile sit, posse tale factum per Ecclesiam puniri, de facto tamen non punitur, ut constat ex cap. ult. de Simonia.* Idemque communiter DD. docent apud Layman lib. 4. tr. 10. cap. ult. §. 7. Sicut certum omnino est, quod non subjaceat pœnis Ecclesiasticis, si solum habeatur intentio emendi res spirituales absque ullo actu externo; quia Ecclesia non judicat de internis; immo nec reservat peccata mere interna; quamvis id posset, juxta sententiam Vasquii, sicut potest in voto interno dispensare.

Committit itaque simoniam pure mentalem, qui aut exhibet, aut tradit temporale animo obligandi alterum ad tradendum spirituale, aut e contra, dummodo iniquum hunc animum alteri non manifestet neque explicite, neque implicite.

II. Simoniam vero Conventionalem committit, qui cum altero conventionem, seu pactum expressum, vel tacitum init de dando temporali pro spirituali, aut e contra, quin tamen adhuc sequuta sit traditio; nam si traditio sequatur, simonia erit realis.

III. Dubitatur nunc primo, An reputetur Simonia conventionalis, si fiat quidem pactum, seu promissio exterior dandi v. g. beneficium pro pecunia, aut e contra, sed sine voluntate se obligandi, & observandi pactum post acceptam pecuniam?

Decisio hujus dubii est ad praxim necessaria, ut videatur, Utrum in foro conscientiæ in tali casu incurrantur pœnæ latæ adversus simoniam conventionalem; nam si ad hanc simoniam requiritur animus se obligandi, non incurruntur censuræ: Sicuti quia ad hæresim requiritur internus consensus pertinax, ideo qui sine illo proferret propositionem hæreticalem, non incurreret in foro conscientiæ excommunicationem contra hæreticos latam. Et ratio generalis est, quia pœnæ incurruntur propter delictum in suo genere, & significato completum; actio autem illa prohibita, ad cujus significatum requiritur internus actus, sine isto non censetur completa. Certum quidem est, promissionem hujusmodi fictam esse peccaminosam; tum quia inducit alium ad malum, hoc est ad voluntatem simoniacam; tum etiam quia ponit opus externum simoniacum.

Dubium itaque solum est, an hujusmodi promissio ficta non solum sit mala, quia inductiva ad simoniam, sed etiam quia in se est simoniaca; cum pœnæ sint impositæ contra actum simoniacum.

Nav. docet, esse simoniacam, quia promissio hujusmodi, quantumvis ficta, & independenter ab animo se obligandi, est pretio æstimabilis, cum moveat alium ad se obligandum. Hinc enim Doctores in de Sponsalibus communius docent, quod ficte promittens matrimonium alteri ejusdem conditionis teneatur in conscientia veram promissionem, adeoque ipsum matrimonium ponere; quia ratione talis fictæ promissionis induxit alterum ad se obligandum.

Sed

Sed communis sententia cum Suar. cap. 42. & Less. num. 11. negat haberi simoniam conventionalem per fictam promissionem dandi v. g. beneficium propter pecuniam. Ratio est, quia universim haberi non potest per promissionem vera obligatio sine animo se obligandi; quoties autem deest obligatio, nullum haberi potest verum pactum, seu conventio: ergo per promissionem dictam non habetur vera simonia conventionalis.

Ad discursum Navarri respondetur, falsum esse, quod ficta ista promissio sit pretio æstimabilis. In tantum enim esset pretio æstimabilis, & utilis, in quantum induceret aliquam obligationem in promittente; hanc autem non inducit; quia cum sit de re turpi, est invalida, ut decernitur in utroque jure, Civili, & Canonico. Nam leg. *Generaliter de verbor. obligat.* dicuntur stipulationes turpes nullius esse momenti; quod etiam dicitur in specie de Pactionibus in spiritualibus cap. final. *de Pact.* Et declarari potest, quia omnis obligatio vel est in foro conscientiæ, vel in foro externo. Conventio autem simoniaca in neutro foro obligat; non in foro conscientiæ, quia cum sit peccaminosa, promittens obligatur potius ad non exequendam simoniacam conventionem, hoc est ad non dandum v. g. beneficium, etiamsi vere promissum, sed ad restituendam pecuniam propter illud acceptam; sicut meretrix, quæ propter pecuniam promisit abusum sui corporis, tenetur a conventione resilire, & pecuniam restituere. Neque datur obligatio in foro externo; nam si deprehenderetur talis conventio, puniretur potius promittens, quam obligaretur ad conventionem adimplendam; Imo obligaretur ad non observandam illam.

Ad exemplum adductum de ficte promittente matrimonium respondetur, promissionem illam fictam non esse de re turpi, ut est in casu nostro; Et ideo nil mirum, si illa inducat obligationem, non ista. Universim enim quoties promissio non est de re turpi, non solum obligat in foro externo, sed etiam in foro interno obligatur ficte promittens ad veram promissionem ponendam, & ad illam exequendam; aliter committeretur injustitia in contractibus, si per fictam promissionem induceretur alius ad se obligandum: & ideo qui ficte matrimonium promisit, tenetur in conscientia, ut quamplures docent, veram promissionem ponere, si ejusdem conditionis sit conjux; aliter illam deciperet. Quod si non sint ambo ejusdem conditionis, etiamsi sub spe matrimonii fœminam defloraverit, tenetur solum dotem proportionatam illi dare; tum quia ipsa potius se decepit credendo tali promissioni, quam decepta sit a promittente; tum etiam quia sicut qui pro vitro, quod vult emere, valente assem promittit dare in pretium mille aureos, tenetur solum ad dandum pretium justum, puta assem, non vero injustum, idest mille aureos; ita qui promittit fœminæ vilioris conditionis matrimonium in pretium turpis commercii, tenetur solum dare matrimonium tali fœminæ proportionatum; atque adeo solum aptam dotem constituere.

Addit subtilissime Suar. contra Nav. falsum etiam esse, quod promissio ficta dandi v. g. Beneficium propter pecuniam, moveat alium ad se obligandum ad dandum pecuniam; atque adeo neque ex hoc capite talis promissio est pretio æstimabilis. Ratio est, quia universim promissarius non movetur ad dandam partem suam ab ipsa promissione, quantumvis vera, sed a re promissa: nemo enim dat aliquod, puta equum, ob promissionem pecuniæ, sed ob pecuniam promissam; ita ut promissio nullatenus moveat ad dandum equum, sed solum sit conditio requisita, ut pecunia moveat ad dandum equum: Imo promissio ne partialiter quidem movet ut quod, sed solum ut quo, cum non sit pars pretii de se moventis ut quod; alioquin sequeretur, quod facta promissione, esset soluta pars pretii; unde in casu nostro esset commissa non solum simonia conventionalis, sed etiam realis, quod Navarrus non admiserit. Ergo ex nullo capite promissio ista ficta esset pretio æstimabilis; & consequenter veram simoniam conventionalem constituere non potest; cum simonia haberi non possit, quando pro spirituali non datur aliquod pretio æstimabile.

IV. Dubitatur secundo, An promissio simoniaca constituat simoniam conventionalem, statim atque alius acceptat promissionem factam dandi spirituale pro temporali, aut e contra, etiamsi nondum habeatur repromissio. Ratio difficultatis est, quia nisi fiat repromissio, non habetur conventio, seu pactum requisitum ad simoniam conventionalem. Definitur enim pactum, quod sit duorum, vel plurium in idem placitum, & consensus, leg. 1. ff. *de Pact.*

Aliqui censent, istam acceptationem promissionis esse implicitam repromissionem, atque adeo haberi simoniam conventionalem per solam acceptationem promissionis. Ratio est, quia acceptans promissionem alterius onerosam censetur velle parem obligationem in se, ac in alio promittente. Huic tamen doctrinæ non acquiesco, quia, ut notat Sanch. l. 1. de Sponsalibus disp. 5. repromissio fert obligationem contrariam libertati; unde non est præsumenda in acceptante promissionem, si dubium sit, an repromiserit; quia est in possessione suæ libertatis, & in dubio prævalet possessio. Ex eo autem quod quis acceptet promissionem onerosam, non sequitur, quod velit se obligare, sed solum quod velit promittentem remanere obligatum, & interim ipsum deliberare, an debeat se etiam obligare: ergo, nisi expresse repromittat, non præsumitur repromittere, quantumvis acceptet promissionem alterius. Unde merito Sanch. l. c. cum aliis docet, acceptantem promissionem matrimonii non eatenus constituere sponsalia, nec repromittere, nec manere obligatum ad contrahendum matrimonium, nisi ultra acceptationem addat repromissionem.

V. Dubitatur ultimo circa simoniam realem, Num ad hanc committendam, & ad incurrendas ejus pœnas requiratur tam traditio rei spiritualis, quam temporalis, an etiam sufficiat traditio alterutrius tantum?

Conveniunt Doctores apud Suar. & Filliuc. cap. 10. quod facta traditione solius temporalis pretii, non reputetur commissa simonia realis, nec ejus pœnæ incurrantur; quia non est adhuc commissa immediata realis irreverentia erga rem sacram; nec hactenus irreverenter dicitur contrectata res spiritualis. Quare solum controversia est, si sit facta traditio solius rei spiritualis.

Affirmat Pal. punct. 22. n. 5. quia per traditionem solius rei spiritualis ante traditionem rei temporalis pro illa habetur, quod irreverenter res sacra sit contrectata; atque adeo habetur verissima simo-

ſimonia realis. Leſſ. tamen num. 149. & Suar. cap. 56. cum communi id negant, quia ſignificatum vocis pœnalis, cum ſit odioſum, debet eſſe completum; niſi aliud expreſſe ſtatuatur a jure, vel ab homine imponente pœnam: non eſt autem completa traditio, niſi ſit etiam tradita res temporalis. Unde Guttier. l. 1. Canonicarum quæſtionum cap. 9. dicit, fuiſſe juxta hanc ſententiam judicatum; Et favet ſtylus Curiæ, qui, ut notat Filliuc. cap. 3. poteſt derogare rigori juris ſtricti, ſi forte eſſet contrarium.

Hinc infertur cum Filliuc. quod recipiens ſimoniace Ordines, vel aliud ſpirituale, ſi poſtea nolit dare temporale promiſſum, non incurrat cenſuras, & alias pœnas latas contra ſimoniacos reales.

Notandum tamen, cenſeri ſimoniam realem completam, ſi data re ſpirituali, detur pars, vel minima, pretii temporalis: aut ſi e contra, dato pretio temporali, detur quæcumque pars rei ſpiritualis promiſſæ; v. g. ſi pactum fuerit de dandis Ordinibus minoribus, & unus tantum ordo ſit collatus. Quod tanquam certum ſupponit Sanch. lib. 2. Conſil. cap. 3. dub. 106. ubi dicit, poſt conventionem ſimoniacam de duobus Beneficiis pro viginti aureis nummis committi ſimoniam realem, ſi unum duntaxat Beneficium, & unus aureus nummus tradatur: Et merito quidem, quia ſimonia conficitur quolibet etiam minimo pretio.

ARTICULUS II.

De Simonia Juris naturalis, & Eccleſiaſtici.

I. *Præter Simoniam juris naturalis negari non debet Simonia juris tantum Eccleſiaſtici; quatenus poteſt ab Eccleſia prohiberi intuitu religionis venditio rei temporalis annexæ ſpirituali.*

II. *Hanc etiam poteſt Pontifex incurrere, ſed non poteſt propter illam puniri:*

III. *Circa quæ verſetur Simonia juris naturalis, & Eccleſiaſtici?*

IV. *Adverſus Simoniam juris naturalis nequit dari conſuetudo a culpa excuſans, ſicut poteſt dari adverſus Simoniam juris Eccleſiaſtici.*

V. *Utraque Simonia in ordine ad pœnas jure Canonico impoſitas æquiparatur.*

VI. *Utraque etiam eſt ejuſdem ſpeciei, & virtuti religionis adverſa.*

VII. *Simonia habetur etiam per emptionem large ſumptam, ſeu per contractum injurioſum rebus ſacris.*

VIII. *Simonia confidentialis in beneficiis ad quodnam genus ſimoniæ reducatur?*

IX. *Quatuor modis recipi poteſt beneficium in confidentiam.*

X. *Quid de caſu hoc reſervato, & de pœnis adverſus hanc ſimoniam?*

I. Simonia mentalis, conventionalis, & realis ſubdividitur celebri etiam diviſione in Naturalem, quæ ſcilicet naturali jure prohibetur, & Eccleſiaſticam, quæ ſolum jure Eccleſiaſtico. Circa quam diviſionem dubitant aliqui cum Durand. apud Leſſ. dub. 40. num detur duplex iſtud genus ſimoniæ. Nam vel res illa, quæ prohibetur vendi ab Eccleſia, eſt ſpiritualis in ſe, aut ſaltem per connexionem conſequentem cum ſpirituali, (ut eſt v. gr. beneficium) & ſic eſt ſimonia juris naturalis; vel non eſt in ſe ſpiritualis, aut eſt quidem ſpiritualis, ſed per connexionem antecedentem, (ut eſt v. g. calix conſecratus) & ſic nulla erit ſimonia, ſi ratione temporalis vendatur, & conſequenter non datur ſimonia juris duntaxat Eccleſiaſtici.

Dicendum tamen cum communi, præter ſimoniam naturalem dari ſimoniam juris Eccleſiaſtici. Nam e. gr. beneficium commutare cum alio beneficio, vel alia re ſpirituali, non eſt ſimonia naturalis; cum jure naturæ ſolum prohibeatur commutatio ſpiritualis cum temporali, non vero ſpiritualis cum ſpirituali; & tamen ex dicendis articulo 7. ſimonia hæc eſt juris Eccleſiaſtici: Et idem dicas, ſi reſignentur beneficia cum reſervatione penſionis, & de ſimilibus, de quibus Bonac. q. 3., & nos articulo 7. Ratio a priori eſt, quia poteſt a Legislatore Eccleſiaſtico prohiberi venditio aliqua rei temporalis annexæ ſpirituali, idque ex motivo religionis, & ſic reddere venditionem illam ſimoniacam, eo quod independenter a tali prohibitione venditio nec eſſet contra religionem, nec ſimoniaca; ſicut poteſt Eccleſia intuitu religionis prohibere v. g. extractionem delinquentis ab Eccleſia, & talem extractionem reddere ſacrilegam, quæ ſecundum ſe, & jure naturali nec eſſet contra religionem, nec ſacrilega: Sicut etiam Eccleſia intuitu religionis prohibet comeſtionem ante ſumptionem Euchariſtiæ, reddendo illam ſacrilegam, quæ ſecundum ſe independenter a prohibitione Eccleſiæ nec peccaminoſa eſſet, nec ſacrilega. Quare quamvis vendere v. g. aliquod temporale ſpirituali annexum ſecundum ſe non ſit contra religionem, nec peccatum, ſi vendatur ratione emolumenti temporalis, tamen ſi intuitu religionis talis venditio prohibeatur ab Eccleſia, erit ſimoniaca, & talis eſt de facto venditio officii œconomi, ſeu diſpenſatoris rerum Eccleſiaſticarum, propter prohibitionem in cap. *Si quis Epiſc.* 1. quæ. 2., necnon venditio Chriſmatis, ſeu Olei ſacri propter prohibitionem in cap. *Non ſatis* de Sim.

II. Infertur hinc primo, ſimoniam juris naturalis prohibitam eſſe, quia mala eſt, contra vero ſimoniam juris Eccleſiaſtici eſſe malam, quia eſt prohibita, ut norat Gandavens. ac Layman. §. 6. Et quia hujuſmodi prohibitio promanat a Legislatore Eccleſiaſtico, & Legislator tenetur legibus etiam ſuis quoad vim directivam, (ut hic ſuppono cum Suar. lib. 3. de leg. cap. 25.) ideo Pontifex etiam incurrere poteſt ſimoniam juris Eccleſiaſtici, niſi aliquando ex juſta cauſa ſecummet diſpenſet in lege ſua, ut poteſt cum ſuis ſubditis diſpenſare. Pœnas tamen Eccleſiaſticas, & cenſuras contra utramque ſimoniam latas Pontifex incurrere non poteſt, quia Legislator non eſt ſibimet ſubjectus, nec legibus ſuis tenetur quoad vim punitivam; imo neque ab aliis Pontifex puniri poteſt, niſi ſit a Fide devius, ſeu hæreticus, ut habetur in cap. *Papa* diſt. 40.

Neque dicas: Poteſt Pontifex ſecummet in votis diſpenſare, & juramenta relaxare: ergo etiam poterit cenſuras a ſe latas adverſus ſimoniacos incurrere, ſi incidat in ſimoniam.

Nam diſparitas eſt, quia ad diſpenſandum in votis non requiritur diſtinctio perſonarum inter diſpenſantem, & diſpenſatum; ſed ſolum requiritur, quod poſſit diſpenſans ex auctoritate ſibi collata interpretari mentem Dei; quod poteſt Pontifex, & Epiſcopus tam circa vota, & juramenta emiſſa a

ſub-

subditis, quam a semet; cum non debeant esse ipsi deterioris conditionis, quam subditi. Unde potest pariter sibimet Pontifex indulgentias concedere, etiam directe, juxta probabilem sententiam Henr. & Suarii disp. 52. At non potest semet ligare, aut absolvere, ne in sacramento quidem Pœnitentiæ: quia ad hanc jurisdictionem exercendam requiritur distinctio personarum, cum indecens sit aliquem in propria causa esse judicem, & semet damnare, aut absolvere.

III. Infertur secundo cum Suar., non recte dici simoniam juris naturalis eam esse, quæ circa spiritualia versatur, & juris Ecclesiastici, quæ versatur circa annexa spiritualibus. Hæc enim regula multipliciter fallit. Primo, quia, si vendatur temporale annexum spirituali concomitanter, ut labor in administrandis Sacramentis, committitur simonia naturalis. Secundo, quia, si unum spiriuale cum alio commutetur ex pacto, non committitur simonia juris naturalis; si tamen commutentur beneficia, commititur simonia juris Ecclesiastici. Tertio, quia, si quod datur pro spirituali, non detur ut pretium, sed liberaliter, non committitur simonia naturalis; at committitur simonia Ecclesiastica, si detur donum aliquod Examinatoribus ad beneficia; nam in Trident. sess. 24. cap. 18., iis id prohibetur per hæc verba; *Ne quicquam prorsus occasione hujus examinis accipiant; alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quam dantes incurrunt*. Quamvis probabiliter ex Palao, ut supra notavimus, non prohibeatur a Trid. sess. 21. cap. 1. ex motivo religionis, sed avaritiæ dare munera Episcopis, aut eorum ministris pro admissione ad Ordines, vel ad primam tonsuram, aut pro literis dimissorialibus, aut testimonialibus, &c. atque adeo donationes gratuitæ in hoc casu illicitæ quidem sunt, & simoniacæ pravitati faventes, non tamen simoniacæ.

Regula itaque stabilienda hæc est, simoniam juris Ecclesiastici exerceri posse tam circa temporale spirituali annexum, quam circa spirituale per pactum prohibitum non jure naturæ, sed Ecclesiastico in reverentiam rei sacræ; ut prohibetur permutatio beneficiorum, & donatio gratuita occasione examinis ad beneficia: Sic prohibetur etiam in cap. *Non satis de sim.*, ne quicquam exigatur pro sacro oleo, vel Chrismate: quamvis spectata natura rei, possit tale oleum ratione materiæ vendi; & in cap. *Si quis Episcopus 1. qu. 1.*, prohibetur Episcopis, ne pro pecunia aliquem promoveant ad officium dispensatoris, idest œconomi, & administratoris rerum Ecclesiasticarum, aut Defensoris, seu Syndici, aut judicis circa res temporales Ecclesiæ, aut Mansionarii, quæ videtur esse pars œconomiæ ad distribuendas mansiones Clericis; & idem dicas de officio Sacristæ, Thesaurarii, seu Custodis, castaldi, seu majordomi, vicedomini, seu habentis curam rerum Episcopi. Nam licet ista officia temporalia sint, & spectato jure naturæ vendibilia; tamen quia habitudinem habent ad finem spiritualem, & ex motivo religionis illorum venditio prohibetur, ideo simonia committitur juris Ecclestastici, si vendantur, ut communiter docent contra nonnullos apud Laym. putantes, ejusmodi officia materiam simoniæ non esse, si spiritualem functionem non habeant, ita ut etiam in laicum cadere possint.

An autem sit simonia juris Ecclesiastici dare pretium alicui, ut intercedat pro consequutione alicujus beneficii, examinabimus in calce quæstionis nonæ. Iterim dico communius cum Suar. Laym., & aliis apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 151. censeri esse simoniam naturalem, quia licet videatur emi intercessio, quæ est quid temporale, revera tamen emitur, quod trahit collationem beneficii, atque adeo quodammodo beneficium ipsum emitur, & per pecuniam via paratur ad illud acquirendum. Hinc cohærenter ad hanc sententiam dicendum, esse pariter simoniam naturalem, dare pretium alicui, ut intercedat apud Episcopum pro collatione Ordinum, aut alterius rei spiritualis. Dare vero pretium alicui pro labore accidentaliter conjuncto sæpius adeundi, ac redeundi ad Episcopum, apud quem intercedit, speculative loquendo, non est simonia; unde, si labor, & temporis jactura notabilis esset, poterit aliquid dari solum per modum stipendii ad vitæ sustentationem.

IV. Infertur ultimo cum Suar. cap. 52., adversus simoniam juris naturalis nullam dari consuetudinem a culpa excusantem; Secus vero adversus simoniam Ecclesiasticam. Quare, si tempore diuturno, cum scientia, & patientia Pontificis non observetur lex Ecclesiastica, quæ tanquam simoniacum prohibet, quod per se malum, & illicitum non est, tunc ea lex per desuetudinem censenda est abrogata; quamvis, si solum Papa dissimulet, non idcirco statim præsumenda est dispensatio, ut bene advertit Suar. loc. cit., quia sæpe ad vitanda pejora, aliquam transgressionem cogitur Pontifex dissimulare.

V. Dubium hic est, An simonia juris Ecclesiastici sit vere, & proprie simonia, & ejusdem speciei cum simonia naturali. Quamvis hujus dubii decisio deserviat duntaxat in ordine ad peccatum in confessione aperiendum, non vero in ordine ad pœnas a simoniaco incurrendas; quia licet essent diversæ speciei hujusmodi simoniæ, æquiparantur tamen in jure Canonico in ordine ad pœnas, & censuras, ut communiter docent contra Arag. apud Laym. num. 61.

VI. Negat Durand. esse ejusdem speciei, quia simonia juris Ecclesiastici videtur virtuti tantum obedientiæ adversari: sed communiter docent, utramque ejusdem speciei esse, & virtuti religionis opponi. Ratio est, quia universim lex positiva præcipiens aliquem actum cæteroqui indifferentem ex motivo alicujus virtutis, facit illum materiam necessaram ejusdem virtutis: Sicut e contra, si prohibeat actum indifferentem ex motivo alicujus vitii, efficit illum moraliter malum sub genere vitii adversantis eidem virtuti; ut videre est in exercente v. g. mercatum in loco sacro, vel in frangente jejunium naturale ante sumptionem Eucharistiæ, qui procul dubio sacrilegium committunt, præcise quia hujusmodi actus indifferentes prohibentur intuitu religionis: Sicut etiam incestum committit, qui fornicatur cum consanguinea in tertio, aut quarto gradu, non vero in quinto, aut sexto, præcise quia Ecclesia solum prohibet matrimonium inter consanguineos usque ad quartum gradum ex motivo honestatis debitæ inter consanguineos: ergo pariter simonia juris Ecclesiastici erit contra religionem, sacrilega, & ejusdem speciei cum simonia juris naturalis; quia per illam violatur prohibitio Ecclesiæ facta ex motivo religionis, seu ob reverentiam rebus sacris, ac spiritualibus conservandam

VII.

VII. Objicies cum Laym. Quamvis Ecclesia prohibeat aliquem contractum propter periculum usuræ, non est proinde usurarius talis contractus, si cesset lucrum ex mutuo, quamvis transgressio talis legis subjaceat pœnis usurariorum; ergo quamvis Ecclesia prohibeat commutationes beneficiorum, & donationes gratuitas occasione examinis ad beneficia ex motivo religionis, non per hoc transgressio talis legis erit vera simonia; cum non sit emptio rei sacræ, quod spectat essentialiter ad simoniam; esto sit pactio irreligiosa, & sacrilega.

Respondetur juxta Suar. cap. 7. ad essentiam Simoniæ non requiri emptionem rigorose dictam, sed sufficere quodvis pactum injuriosum rei sacræ; atqui non solum venditio rei secundum se spiritualis, sed etiam venditio Chrismatis v. g. etiam ratione olei, permutatio beneficiorum, & donationes factæ occasione examinis ad beneficia, sunt contractus aut onerosi, aut lucrativi injuriosi rebus sacris, supposita prohibitione Ecclesiæ facta intuitu religionis: ergo etiam hujusmodi contractus sunt rigorose simoniaci; & consequenter simonia juris Ecclesiastici est rigorose, & univoce simonia.

VIII. Rogabis demum, ad quodnam genus simoniæ spectet simonia confidentialis, seu confidentia in beneficiis? quod est unum ex reservatis, a quibus ex constitutione Clementis VIII. Regulares intra Italiam extra urbem absolvere non possunt.

Respondetur, hujusmodi simoniam esse juris naturalis, ut dicemus quæstione octava; & aliquando ad mentalem reduci, aliquando ad conventionalem, aliquando vero ad realem. Est enim simonia confidentialis mentalis resignare v. g. beneficium cum spe, & confidentia, necnon cum intentione obligandi alterum ad solvendos fructus beneficii in favorem ipsius resignantis, non manifestando tamen illi suam intentionem. Erit vero simonia conventionalis, si ineatur pactum de resignando beneficio, vel conferendo, aut de præsentando aliquem, sive instituendo, ad hoc ut beneficium tibi, seu alteri restituatur, vel ut tibi, vel alteri detur pars fructuum; erit demum simonia realis, si beneficium reipsa renuncietur, vel conferatur cum tali pacto.

IX. Verum ad incurrendas pœnas latas a Pio IV. & Pio V. contra committentes simoniam confidentialem in beneficiis, seu confidentiam beneficialem requiritur realis receptio beneficii in confidentiam; quæ quatuor modis contingere potest. Primo, si recipiatur beneficium ab altero resignante illud sub spe, & confidentia prædicta: ita tamen, ut resignatarius talem animum advertat, quamvis nullum habeatur pactum expressum. Secundo, si quis conferat beneficium alteri sub tali spe. Tertio, si quis eligat alterum ad beneficium sub eadem spe, & confidentia. Quarto, si Patronus aliquem præsentet sub dicta spe.

X. Unde colligitur, pœnas latas adversus confidentiam beneficialem, (de quibus dicemus quæstione ultima) non incurri, nisi propter Simoniam hujusmodi realem; quamvis non requiratur, quod sit ex utraque parte completa, ut ibidem dicemus. Est tamen casus reservatus non solum confidentia beneficialis realis, sed etiam conventionalis, & mentalis, quæ tamen in opus externum prodeat. Nam Clemens VIII. præter Simoniam realem reservavit universim quamcumque confidentiam beneficialem.

ARTICULUS III.

Num Simonia non solum virtuti religionis, sed etiam justitiæ adversetur?

I. Obligatus ex justitia ad rem sacram administrandam contra virtutem religionis simul, & justitiæ peccat, si illam vendat.
II. Jure naturæ non est contra justitiam vendere rem sacram, quæ affert emolumentum temporale.
III. In materia beneficiali, saltem jure Ecclesiastico, Simonia est contra justitiam, & obligat ad restitutionem.
IV. Probabilius venditio quælibet rei sacræ, qua talis, invalida simul est, & injusta jure naturali, & divino.
V. Res sacra non solum est supra, sed etiam extra omne pretium.
VI. Hinc non potest pecunia compensari, ut potest fama.

I. Quæritur hic, cuinam virtuti sit contraria venditio Simoniaca, cum malitia peccati desumatur ab oppositione cum virtute. Certum quidem est, esse contrariam religioni, quia venditione res sacra vilipenditur, æquiparando illam pretio temporali. Certum insuper est, non esse contrariam fidei; quia licet ad venditionem rei sacræ requiratur mala voluntas, non requiritur tamen error in intellectu, quo judicetur res sacra esse vendibilis, in quo judicio habetur error contra fidem.

Controversia solum est, An opponatur etiam virtuti justitiæ? Ex cujus solutione dependet obligatio restituendi pretium simoniace acceptum. In quo puncto duo pariter sunt certa. Primum est, esse contra justitiam, si vendens obligatus sit ex justitia ad rem illam spiritualem conferendam, ut si Parochus venderet Sacramenta, quæ tenetur ex obligatione justitiæ ministrare ratione stipendii.

II. Secundum est, non esse contra justitiam jure naturæ vendere rem sacram, quando res, quæ venditur, habet commodum aliquod temporale, quo te privas in gratiam emptoris. Quare, si vendas, v. g. reliquiam aliquam, cujus expositio lucrum temporale afferebat, peccas quidem contra religionem, sed non contra justitiam; quia lucrum illud est pretio æstimabile, ut notant Less., & Suar. c. 4. Qui apte id explicant exemplo mutui, pro quo quantumvis nihil exigi possit sine usura, & injustitia, tamen poterit aliquid exigi ob incommodum, quod quis patitur mutuando aut ex lucro cessante, aut ex damno emergente. Similiter ergo licet aliquid exigi non possit pro re sacra citra injustitiam, poterit tamen jure naturæ sine injustitia aliquid exigi ratione commodi temporalis, quo quis se privat alienando rem sacram; Quamvis ex jure, saltem Ecclesiastico, in permutatione, collatione, aut resignatione beneficiorum Ecclesiasticorum nihil accipi possit ratione emolumenti, quo quis se privat in gratiam alterius.

III. Punctum igitur difficultatis est, An sit contra justitiam vendere rem sacram, quæ neque erat debita ex justitia, (ut non est debita sacramentalis absolutio a Confessario, qui non sit Parochus) neque ullum afferebat commodum temporale, ut est v. gr. reliquia nullum lucrum afferens: quod est

est quærere, An venditio rei sacræ sit injusta præcise ex eo, quod sit sacra? Et ratio dubitandi est, quia licet res sacra non sit vendibilis jure naturali, & divino; hæc tamen prohibitio videtur solum esse in favorem, & reverentiam rei sacræ, non vero in utilitatem recipientis illam; unde prohibitio procedit tantum ex motivo religionis, non justitiæ, ut discurrunt nonnulli, quos approbat Sanch. disp. 105., Vasqu., Turian., dicentes Simoniam non obligare ad restitutionem jure naturali, obligare tamen jure Ecclesiastico in materia beneficiali, ut patet ex propositione 22. damnata ab Alexandro VII. quæ dicit: *Non est contra justitiam, beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens beneficia, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

IV. Sed communiter docent, quamlibet venditionem rei sacræ, qua sacræ, esse invalidam, & injustam; non secus ac si vendatur res aliena; quam sententiam probabiliorem putat Sanch. loc. cit. Ratio est, quia ut venditio sit valida, & justa, res, quæ venditur, debet esse intra aliquod pretium: Spiritualis autem res est extra omne pretium; ergo illius venditio invalida est, & injusta; & consequenter restitui debet pretium omne simoniace acceptum; quia supponitur acquisitum ratione contractus venditionis, qui cum sit invalidus, non transfert dominium in contrahentem. Unde licet prohibitio juris naturalis, & divini, ne vendatur res spiritualis, sit principaliter, & immediate in favorem rei sacræ, non in favorem recipientis illam, nihilominus consequenter in hujus etiam favorem redundat; quia ex eo, quod res sit sacra, est extra omne pretium, & ideo si detur, aut recipiatur, debet gratis dari, ac recipi.

V. Nec valet respondere cum Nav. l. 2. de restit. cap. 2. num. 385. rem spiritualem esse quidem extra omne pretium, non quia sit infra quodcunque pretium, ut est res aliena, quæ idcirco vendi non potest a fure; sed quia est supra omne pretium, ut proinde emptori dando rem sacram detur aliquod majus pecunia; unde non fit injuria emptori accipiendo ab illo pecuniam, quæ est minoris valoris. Quod confirmari solet exemplo famæ, quæ est supra pecuniam, & tamen illius amissio, vel restitutio compensari potest pecunia ad arbitrium, & æstimationem prudentum juxta probabilem opinionem.

Rejicitur enim responsio, quia, ut venditor sit justus, non satis est, quod det aliquid supra pretium, quod accipit; quando illud, quod dat, ita est supra pretium, ut sit extra omne pretium. Quod ab absurdo declarari optime potest; sequeretur enim, quod propter guttam aquæ benedictæ recipi possent citra injustitiam mille aurei, quia ratione benedictionis ea aqua est supra omne pretium atque adeo est supra mille aureos, qui exiguntur; quod tamen nemo admiserit, & quilibet damnaret venditorem ad restitutionem.

VI. Ad paritatem adductam respondetur primo, plures cum Laym. l. 3. tract. 3. c. 7. docere, non potentem restituere famam nullatenus teneri ex justitia commutativa ad dandam pecuniam; quia fama non est inter res pecunia venales; licet posset illum Judex ex justitia vindicativa damnare ad solvendam pecuniam, sicut ad aliam pœnam. Deinde, eo transmisso, nulla est paritas; quia pecunia, & fama sunt quidem diversi ordinis, sed intra latitudinem rei temporalis; æstimatio autem rerum temporalium, utpote finito modo inter se comparabilium, potest ab arbitrio hominum dependere, & consequenter una cum alia compensari. At res sacra est in ordine supernaturali, cujus æstimatio sicut incomparabiliter excedit quicquid est temporale, ita non dependet ab arbitrio hominum; Unde neque possunt homines spiritualia temporalibus compensare. Sed hac de re fusius quæstione ultima, cum de restitutione propter Simoniam facienda.

ARTICULUS IV.

Num detur in Simonia materiæ parvitas excusans a mortali?

I. *Affirmant nonnulli.*
II. *Communius negant in Simonia juris naturalis? crescit quippe irreverentia erga rem sacram ex parvitate pretii.*
III. *In foro externo parva quantitas, inspectis circumstantiis, præsumitur dari liberaliter.*
IV. *Neque excusatur ex parvitate rei spiritualis, quæ venditur.*
V. *Videtur materiæ parvitas a mortali nunquam excusare, si ratio objecti per se primo attacta notabiliter cum virtute opponatur.*
VI. *Aut potius, quoties ex objecto gravitas malitiæ concipitur nulla intellecta materia, sive parva, sive magna.*
VII. *In Simonia juris Ecclesiastici dari potest materiæ parvitas excusans a mortali.*
VIII. *Quænam sit isthæc materiæ parvitas?*

I. Celebris est quæstio, num possit Simoniæ culpa esse venialis ex parvitate materiæ? Sicut enim ex parvitate materiæ est venialis v. gr. fractio voti de recitando Pater, & Ave, quamvis pariter sit contra religionem; ita quæritur, an sit venialis Simonia, si aut res sacra, quæ venditur, sit parva, v. gr. gutta aquæ benedictæ, aut pretium, quod pro re sacra recipitur, sit modicum, ut obolus, vel semissis? Suar. cap. 3., & alii communius cum Sanch. l. 1. c. 4. negant, dari materiæ parvitatem in re Simoniaca; quod tamen durum videtur Bordono lib. 8. qu. 7. c. 3., cui valde favent Molina disp. 92. Bonac., Reginald., & alii apud Merol. disp. 2. c. 4. qui tamen solum in Simonia juris Ecclesiastici putat dari parvitatem materiæ, v. g. si detur carolenus pro officio Sacristæ, vel Oeconomi alicujus Ecclesiæ, aut Gubernatoris alicujus Hospitalis.

II. Dico equidem primo cum Suar., Laym., Sanch., & aliis communiter, malitiam Simoniæ juris naturalis venialem esse non posse ex parvitate pretii, quo res spiritualis ematur.

Conclusio liquet. Nam cum hæc malitia consistat in irreverentia erga rem sacram, eo major est irreverentia, quo minus est pretium illius; unde potius ex parvitate pretii crescit, quam decrescat malitia. Quod confirmatur ex cap. *Tua de Simonia*, ubi Clericus, qui sex tantum solidos dederat Archidiacono, ut Episcopo ad Ordines præsentaretur, ob hanc Simoniam gravibus pœnis punitur, nimirum ut ab officio suscepti Sacerdotii abstineat, & in religionem aliquam ingrediatur. Similiter Bonif.

VIII.

VIII. in Extravagante *Excommunicamus* excommunicat facientes pactum temporalium pro gratia, vel justitia obtinenda in Curia, tam si detur magnum, quam si parvum pretium. Quam constitutionem a Clem. V. revocatam confirmavit Greg. VIII. Excommunicatio autem semper incurritur ob peccatum mortale; ergo, etiamsi parvum pretium Simoniace detur, committitur mortale in foro conscientiæ.

III. In foro tamen externo parvitas pretii, ut notat Sanch. dub. 114., præsumitur gratis dari, nisi aliud constet. Quænam autem sit quantitas levis, quæ in foro externo præsumitur dari liberaliter, decidendum est arbitrio prudentum, attentis variis circumstantiis, præsertim qualitate dantis, & recipientis. Universim tamen illa dicitur quantitas levis in casu nostro, quæ inspectis omnibus, non reputatur posse movere accipientem ad dandum spirituale, ut notat Nav. de datis, & promissis num. 17. Et est conforme capiti *Etsi*, *quæst. de Sim.*, ubi ex qualitatibus donantis, & recipientis resolvitur, posse non esse magnam etiam unius equi donationem.

IV. Dico secundo. Neque potest esse venialis malitia Simoniæ juris naturalis ex parvitate rei spiritualis, puta si vendatur gutta aquæ benedictæ.

Probat hanc conclusionem Sanch. lib. 1. cap. 7., & alii ex ipso, quia tunc culpa non fit venialis ex parvitate materiæ, quando integra malitiæ ratio reperitur etiam in materia parva; irreverentia autem, quæ committitur in Simonia, consistens in æstimanda re spirituali pretio temporali, integra reperitur in qualibet materia spirituali minima; ergo Simoniæ culpa venialis esse non potest ex parvitate rei spiritualis.

Hic tamen discursus non videtur convincere; nam, quando dicitur integra irreverentiæ ratio reperiri in parva materia spirituali, quæ vendatur Simoniace, vel est sermo de integritate essentiali, vel de extensiva; Si de essentiali, verum quidem est, eam reperiri in minima re spirituali, eo tamen pacto, quo integra essentialis ratio injustitiæ reperitur in furto rei minimæ, quod etiam est ablatio rei alienæ invito domino; & tamen, quia res, quæ subripitur, est parva, peccatum est veniale: Si autem sermo sit de integritate extensiva, negabunt Auctores contrariæ sententiæ, esse in venditione modicæ rei sacræ integram rationem irreverentiæ extensivam.

V. Baldellus apud Dian. part. 5. tr. 5. resol. 1. hanc regulam adducit ad dignoscendum, in quanam legis transgressione detur materiæ parvitas excusans a mortali; videlicet si ex ratione ipsa objecti per se primo attacta oritur notabilis oppositio ad virtutem, non dabitur in illo objecto materiæ parvitas; Secus vero, si oppositio notabilis cum virtute habeatur, non ex ratione objecti per se primo attacta, sed per se secundo: v. gr. quia ratio per se primo attacta in furto est, quod accipiatur res aliena, & hæc de se non habet notabilem oppositionem cum virtute justitiæ, nisi res aliena sit gravis, & notabiliter faciat ad usus vitæ, quæ potest dici ratio per se secundo attacta; ideo in furto datur materiæ parvitas excusans a mortali: Contra vero, quia in actu infidelitatis ratio per se primo attacta est, quod negetur fides Deo revelanti, quod per se consideratum notabilem habet oppositionem cum virtute fidei, ideo in materia infidelitatis non datur materiæ parvitas.

Quia tamen difficultas deinde est in agnoscendo, an ratio per se primo attacta in objecto alicujus vitii notabilem habeat oppositionem cum virtute, ideo Palaus apud eumdem Dianam putat, ex communi sensu Ecclesiæ, & Fidelium fundato in ipsis naturis rerum desumendum esse, in quibusnam transgressionibus ratio objecti per se primo attacta notabiliter opponatur cum virtute, unde non detur materiæ parvitas. Aliqua enim de se inordinata sunt, & in qualibet materia reputantur gravissima, ut infidelitas, idololatria, perjurium, desperatio, delectatio venerea deliberate quæsita, irritatio sacramentorum, odium, & contemptus Dei, & similia, quæ in quavis materia constituantur, non variant judicium prudentum de gravi inordinatione, & notabili oppositione ad virtutem. Alia vero non semper æqualem habent deordinationem, ut furtum, quod si fiat in magna, vel parva quantitate, variat judicium prudentum. Alia demum ita levia sunt natura sua, ut solum per accidens possint esse gravia, ut verbum otiosum, scurrilitas, &c

VI. Equidem hanc puto regulam stabiliendam ad probandam conclusionem inhærendo regulis adductis. Tunc materia, in qua exercetur malitia, nunquam reddit malitiam venialem, quando gravitas malitiæ concipitur, nulla concepta materia in particulari: v. g. dicere, Deum esse mendacem, est malitia, quæ concipitur gravis, nulla intellecta materia, in qua dicatur Deus esse mendax. Unde est, ut non credere Deo revelanti, canem Tobiæ habuisse caudam, sit malitia gravis, quamvis ea materia sit levis. Contra vero, quia inferre damnum alteri v. g. non dicit gravitatem malitiæ, nisi intelligatur materia in particulari, in qua damnum inferatur notabile, ideo materia particularis potest reddere malitiam venialem, sit sit parva. Idemque dicas de aliis, quæ immediate, & directe contra Deum versantur, ut sunt odium, & contemptus Dei. Idem etiam de perjurio assertorio, de superstitione, & similibus, in quibus materiæ parvitas non datur. In casu nostro malitia Simoniæ, seu irreverentiæ contra rem sacram, quæ venditur, concipitur gravis, nulla intellecta materia in particulari; quia quælibet res sacra, quatenus talis, quantumvis modica, est incomparabiliter major quolibet pretio temporali; gravis autem irreverentia est æstimare pretio temporali rem supernaturalem incomparabiliter illo majorem. Quamvis enim una res sacra per comparationem ad alteram possit esse parva, ut gutta aquæ benedictæ respectu Eucharistiæ; at retinet incomparabilitatem majoritatis respectu pretii temporalis, a qua incomparabilitate oritur gravis difformitas, si per malitiam Simoniacam de facto æstimetur pretio temporali; nam, si res spiritualis esset major pretio temporali solum comparabiliter, difformitas esset solum aliqualis, non de se gravis; ergo, cum sit incomparabiliter major, de se causat gravem difformitatem, & oppositionem cum virtute; atque adeo in Simonia juris naturalis non datur materiæ parvitas, neque ratione pretii, neque ratione rei spiritualis modicæ.

VII. Dico ultimo cum Meroll. loc. c. Potest esse venialis ex materiæ parvitate malitia Simoniæ juris Ecclesiastici, v. gr. si parvum aliquod detur pro consequendo officio Oeconomi, vel Sacristæ alicujus Ecclesiæ, quod ex prohibitione Pontificis intuitu religionis facta emi non potest, quamvis

sit officium temporale. Ratio conclusionis est, quia in hoc casu non datur pretium pro re spirituali, sed pro temporali, quandoquidem hæc officia temporalia sunt: ergo non militat ratio adducta pro prima, & secunda conclusione de irreverentia erga rem sacram, & de æstimatione rei spiritualis pretio temporali; & consequenter juxta regulam generalem potest peccatum mortale per accidens transire in veniale ex parvitate materiæ. Idem dicas, si permutetur modica pars beneficii ratione emolumenti temporalis, aut si Examinatores synodales gratis aliquod accipiant ante, vel post, accasione examinis ad concursum Parochialem; cum id jure tantum Ecclesiastico prohibeatur ex motivo religionis.

VIII. Si tamen quæras, quænam sit hæc materiæ parvitas excusans a mortali? Bonac. de Leg. qu. 2. punct. 8. putat, eodem modo metiendam esse, ac in furto. Sed communiter id negant, quia in furto peccatum est contra justitiam obligans ad restitutionem; in casu vero nostro peccatum est contra religionem de se ad restitutionem non obligans: Unde non adeo stricte mensuranda est materiæ parvitas, ut alias diximus. Itaque arbitrio prudentis judicandum hoc est, attentis omnibus circumstantiis & dantis, & accipientis, & officii, pro quo datur aliquid, ut supra diximus loquentes de materiæ parvitate pro foro externo. Non enim damnarem peccati mortalis Examinatorem illustrem, si ab examinato prædivite gratis, & liberaliter post examen v. g. convivio exciperetur, quamvis plures aureos pro illo insumeret; cum id amicitiæ potius, quam examini tribui posset.

QUÆSTIO VII.

De Simoniæ materia, quæ sit aut spiritualis secundum se, aut spirituali annexa.

QUoniam Simonia exerceri potest tam in materia secundum se spirituali, ut si vendantur Sacramenta, sacramentalia, &c. quam in materia temporali annexa rei spirituali, ut si vendatur Beneficium, calix consecratus, & alia hujusmodi; Agemus hic primo de materia secundum se spirituali, discutiendo, quænam ea sit? Et quibus titulis excusari aliquando possit a labe Simoniæ collatio temporalis pro re spirituali; deinde agemus de Simoniæ materia, quæ sit res temporalis spirituali annexa, discutiendo, quænam connexio rei temporalis cum spirituali reddat illam invendibilem citra Simoniam.

ARTICULUS I.

De Simoniæ materia, quæ sit secundum se spiritualis.

I. *Recensentur spiritualia, quæ procul dubio materiam Simoniæ constituunt.*

II. *Ambigere quis posset de Absolutione sacramentali collata indigno; necnon de Absolutione negata personæ dispositæ.*

III. *Sicut etiam si detur pecunia Parocho, ut Matrimonio assistat.*

IV. *Assistentia testis requisita ad Matrimonii validitatem potest citra Simoniam vendi; non tamen testimonium de illo. Potestque etiam sic vendi patrocinium in causa spirituali.*

V. *Quandonam præsumitur simoniaca collatio pecuniæ facta Monasterio ab eo, qui vult esse Monachus?*

VI. *Popinæ, quæ dantur Monialibus, quando emittitur Professio religiosa, num sint simoniacæ?*

VII. *Sex titulis excusari sæpe possunt a labe simoniæ quædam donationes rei temporalis pro spirituali, videlicet ratione sustentationis, laboris extrinseci, privationis emolumenti, consuetudinis adversus Simoniam juris Ecclesiastici, liberalitatis seu gratitudinis, ac redemptionis injustæ vexationis.*

I. CErtum est primo, materiam simoniæ esse administrationem Sacramentorum; cum enim ordinata sint ad gratiam supernaturalem conferendam, sunt omnino spiritualia. Quare licet possit aliquid accipi pro materia remota Sacramentorum, verbi gratia, pro pane, vino, oleo, non tamen pro materia proxima, a quibus constituuntur, verbi gratia, pro ablutione in Baptismo. Secundo, sunt etiam materia simoniæ Sacramentalia, videlicet exorcismus, benedictio nuptiarum, consecratio calicis, &c. Tertio, jurisdictio Ecclesiastica, & ejus usus, ut ferre, vel tollere censuras, dispensare in votis, in impedimentis matrimonii, &c. Quarto, professio religiosa, quæ procul dubio spiritualis est. Quinto, Conciones sacræ, & exhortationes, ac instructiones, ordinatæ non ad scientiam aliquam comparandam, sed ad bene vivendum juxta finem supernaturalem; unde Concionatores solum pro congrua sustentatione accipere pecuniam possunt, non ut pretium concionis.

II. Dubium tamen est primo, an absolvere sacramentaliter indignum pro pecunia sit simonia? Videtur, quod non, quia absolutio illa, cum non sit valida, non constituit sacramentum, unde non venditur sacramentum: sed communiter cum Suar. affirmant esse simoniam, ex cap. *Nemo Presbyt. de Sim.* Ratio est, quia est malus usus jurisdictionis spiritualis, quæ est res sacra.

Majus dubium est, an e contra negare absolutionem personæ dignæ pro pecunia sit simonia? quandoquidem negatio absolutionis neque est sacramentum, neque est usus jurisdictionis, sed solius libertatis.

Respondetur tamen distinguendo; nam vel negatur absolutio post audita peccata, & inceptum judicium sacramentale, vel ante. In primo casu certum est esse simoniam, ex cap. cit. *Nemo Presbyter*; & ratio est, quia post inceptum judicium sacramentale, post auditionem peccatorum, non solum

lum absolvere, sed etiam nolle absolvere, est actus jurisdictionis spiritualis, seu potestatis clavium, ad quam spectat tam aperire, quam claudere, tam solvere, quam ligare; nec alio modo ligatur a Confessario peccator, aut clauditur illi Cœlum, quam si negetur illi, tanquam indigno, absolutio: Sicut Prætor, si vinctum non liberet, quando tenetur, lædit illum usu publicæ potestatis. In secundo vero casu, quando non est audita confessio, negant communiter cum Suar. Filliuc. Laym. esse simoniam, nolle confessionem audire ob pecuniam acceptam; quia nolle confessionem audire, non est actus jurisdictionis, sed usus libertatis relate ad exercendam, vel non exercendam jurisdictionem, qui usus est aliquod temporale. Imo, quamvis Parochus ex justitia obligaretur ratione officii ad confessionem audiendam, non audiendo confessionem committeret quidem injustitiam, non tamen simoniam; quia non venderet usum jurisdictionis spiritualis, sed usum suæ libertatis, quod est contra justitiam tantum ratione officii Parochialis, vel etiam contra charitatem, si pœnitens esset in extrema necessitate, ut docet Suar. l. 4. c. 22.

Probabilis tamen est sententia Ugolini apud Pal. punct. 12. dicentis, esse pariter simoniam, si Parochus neget absolutionem digno ante inceptum judicium sacramentale. Ratio est, quia, sicut Judex nolens judicare, & absolvere reum, remittendo illum ad alium Judicem, ita utitur sua libertate, ut abutatur sua potestate, (quamvis negative per non usum debitum) non aliter in casu nostro. Confirmatur, quia, sicut Confessarius post inceptum judicium abutitur sua potestate spirituali, non absolvendo dignum, quia negat absolutionem debitam; ita Parochus, qui tenetur ratione officii confessionem audire, abutitur etiam sua potestate spirituali, non audiendo confessionem, & non exercendo judicium sacramentale, prout debet; atque adeo in utroque casu Parochus simoniam committit, negando absolutionem digno propter pecuniam.

III. Dubitatur etiam, an Simonia committatur dando pecuniam Parocho, ut matrimonio assistat? Videtur non esse: In tantum enim esset simonia, in quantum talis assistentia, pro qua datur pecunia, esset secundum se spiritualis; sed non est spiritualis; ergo. Probatur minor; non enim est spiritualis, in quantum est actio sacramentalis, seu actio ministri Sacramenti; Parochus enim non est minister Sacramenti matrimonii, sed solum testis qualificatus requisitus a Tridentino; quod patet, quia, si Parochus esset minister, matrimonium non valeret, quoties invitus assisteret, & non consentiret; Quod tamen est falsum, quia, quamvis invitus assistat, adhuc est testis, quod solum requiritur a Tridentino: ergo assistentia Parochi non est spiritualis, quatenus actio Sacramentalis. Neque est spiritualis, quatenus actus jurisdictionis spiritualis, ut voluit Conink. disp. 27. dub. 2. quia actus jurisdictionis est invalidus, si desit consensus, aut si fiat ab excommunicato; Matrimonium autem est validum, etiamsi, ut diximus, invitus assistat Parochus, aut si sit excommunicatus, etiam vitandus, secundum probabilem sententiam Sanch. l. 3. disp. 2. Suar. Conink. Hurt. disp. 5. de matrim. difficult. 8. Neque demum est spiritualis præcise, quia terminatur ad aliquod spirituale. Si enim matrimonium, quatenus sacramentum, transfunderet spiritualitatem ad assistentiam Parochi, quam terminat, advocare in causa spirituali esset quid spirituale, eo quod terminetur ad spirituale. Unde patrocinium advocati in re spirituali vendi non posset citra simoniam; quod tamen est falsum, ut notat Sanch. l. 2. consilior. c. 3. dub. 21.

Dicendum nihilominus cum communi, assistentiam hanc Parochi esse spiritualem, & citra simoniam vendi non posse, non quia terminatur ad spirituale, sed quia est actus proprius officii Parochialis, quod est spirituale; Seu quia, ut notat Suar. cap. 19. n. 12. est assistentia Parochi, quatenus Parochus est, in quo conceptu non terminative, & extrinsece, sed intrinsece, & moraliter imbibitur spiritualitas in ipsa assistentia, atque adeo illam vendendo, censeretur vendi spiritualitas imbibita.

IV. Hinc sequitur, assistentiam testium requisitorum ad validitatem matrimonii non esse spiritualem, & invendibilem; quia spectat præcise ad rationem contractus civilis, & non est actus alicujus officii spiritualis, sicut est assistentia Parochi; cum possit etiam laicus esse testis. Ita Pal. punct. 12. ex Suar. cap. 19.

Neque dicas, testimonium in casu spirituali non potest vendi citra simoniam, ut notat Sanch. loc. cit. ergo neque testis requisitus ad validitatem matrimonii.

Nam concesso antecedente, nego consequentiam. Aliud enim est assistere ad aliquod spirituale; aliud vero dare testimonium de illo: assistentia enim dicit tantum habilitatem ad dandum testimonium; unde tam Parochus, quam alii testes valide assistunt matrimonio, si sint excommunicati, ut diximus, & tamen eorum testimonium tempore excommunicationis præstitum est invalidum, ut docet Vasq. & alii cum Hurt. disp. 8. de Excomm. diff. 6. Et ratio disparitatis est, quia testimonium constituit intrinsece ipsum judicium; secus vero assistentia, seu habilitas ad testificandum. Quare assistentia testium in matrimonio, quamvis requiratur essentialiter ad valorem Sacramenti, non secus ac contractus ipse civilis; nihilominus, cum non sit actus de se spiritualis ex parte principii, eo quod conveniat etiam laicis, potest vendi citra simoniam; Contra vero testimonium ipsum in causa matrimoniali, sicut in cæteris spiritualibus, non potest sine simonia vendi, quia constituit intrinsece judicium spirituale. Ex quo apparet, cur advocatio, seu patrocinium causæ spiritualis possit vendi, secus vero testimonium: quia scilicet advocatio adminiculatur, ut loquitur Sanch. num. 4. causæ exterius; testes vero sunt de substantia judicii.

V. Dubium est præterea, An liceat dare pecuniam non in pretium professionis religiosæ, sed pro sustentatione personæ, quæ Religionem ingreditur?

Respondeo, id licere, si Monasterium sit inops; si vero sit locuples, spectatio jure naturæ, est etiam licitum; quia nemo, quantumvis dives, tenetur alere alium gratis; Sicut in matrimonio, quod est Sacramentum, citra simoniam, & licite traditur temporale ad sustentanda onera matrimonii, quantumvis conjuges sint divites: Jure tamen Ecclesiastico id esse vetitum putant Cajet. Nav. Filliuc. Sed Sylv. Sot. Miranda negant, ut constat ex praxi, & consuetudine Monialium, quæ contraria est tali prohibitioni; unde etiamsi talis prohibitio adfuisset, per contrariam deinde consuetudinem sublata esset. Non negaverim tamen, pro foro externo præ-

sumi

sumi sæpe simoniam, si quis det pecuniam Monasterio pingui, ut admittatur: quamvis ea vere detur pro congrua sustentatione.

VI. Magis dubitari potest de praxi recipiendi a singulis personis Monasterii die ingressus, vel professionis quasdam popinas, &c, ut vocant, pitantias, quæ sunt ultra pecuniam datam in sustentationem. Videtur enim id prohiberi non solum jure Ecclesiastico in cap. *Audivimus de Sim.* contra quod potuit prævalere consuetudo contraria; sed etiam jure naturali; quia, cum non detur id in sustentationem personæ, videtur dare suspicionem simoniæ, & in pretium professionis erogari: vel saltem injuste id exigetur; cum sit supra id, quod sufficienter habetur ex dote.

Communiter tamen docent excusari, existimando obligationem popinæ, & pitantiæ includi in sustentatione debita, quæ non consistunt in indivisibili; sicut non consistunt in indivisibili pretia cæterarum rerum. Unde ex monasterii institutione, & consuetudine contra legem humanam prævalente potuit aliqua sustentationis pars destinari, itaut distribuenda sit in ingressu singulis Monialibus. Et eadem ratione communiter docent, quod die Nativitatis Domini qui ter celebrat, possit tria stipendia in sustentationem recipere.

VII. Ubi notandum, nullam Ecclesiæ consuetudinem a Prælatis diu permissam damnandam esse, ut simoniacam, quamvis prima fronte talis videatur. Sex enim a Doctoribus assignantur tituli, quibus excusari possit a labe simoniæ accipiens temporale occasione spiritualis. Primus est titulus debitæ sustentationis. Christus enim Dominus, qui præcepit gratis dari spiritualia, dicendo: *Gratis habuistis, gratis date*; noluit a ministris suis sustentationem recusari; cum dixerit, *Comedite, quæ apponuntur vobis; dignus est enim operarius cibo suo.* Sic excusantur, qui recipiunt juxta Ecclesiæ consuetudinem stipendia pro Missis, pro concionibus, pro audiendis confessionibus, pro canendis responsoriis &c.

Secundo excusat titulus laboris extrinseci. Unde Suar. & Filliuc. excusant, qui aliquid ultra solitum stipendium Missæ accipit pro obligatione celebrandi tali hora, vel pro longo itinere ad Missam præmittendo. Multi etiam excusant, qui aliquid accipit, eo quod multum studeat in paranda concione, vel multum laboret in ea memoriæ mandanda, aut in concionando magna animi contentione: Quamvis Suar. & Filliuc. id non admittant putantes, pretium accipi non posse pro labore quomodocunque tibi necessario ad exercendum ministerium spirituale, prout humano modo exerceri solet. Less. & Valent. excusant pariter, qui aliquid accipit pro cantu in Missa, & divinis Officiis, quia censetur labor extrinsecus: Sicut etiam si quod accipiatur pro obligatione exercendi aliquod spirituale; quia, ut notant Nav. & Less. sicut in mutuo nihil accipi potest ultra sortem sine usura, potest tamen aliquid accipi pro obligatione remutuandi; Ita in casu nostro. Et sic excusant Capitula, quæ suscipiunt onera celebrandi quotannis anniversaria: Quamvis Laym. §.4. num. 41. verius putet, ab his pecuniam accipi non pro tali onere, sed pro sustentatione; vel quia privant se libertate ob alia opera in gratiam alterius, ut mox dicemus.

Tertius titulus est Privatio libertatis ad alia opera exercenda, ac emolumenti, quod haberet, qui aliis operibus vacaret; Sicut in mutuo accipi potest lucrum cessans, & damnum emergens, quia hæc sunt pretio æstimabilia. Hac de causa potest pretium debitum accipere, qui, ut tibi Beneficium procuret, peragit iter, scribit, & privat se aliis occupationibus, quibus si vacaret, emolumentum temporale haberet.

Quartus titulus est consuetudo adversus simoniam juris Ecclesiastici, ut modo diximus.

Quintus est titulus liberalitatis, vel gratitudinis. Sic excusantur a simonia Religiosi, qui promittunt orare pro iis, a quibus eleemosynas accipiunt; non enim censetur dari eleemosyna in pretium orationis, quæ postulatur, sed datur gratis; quamvis dantes velint, ut Religiosus ex illa moveatur ad fundendas preces, & ad id se obligandum. Nisi forte verius daretur titulo sustentationis, exigendo, quod se obligent ad preces fundendas, sicut datur Sacerdoti stipendium, exigendo, quod se obliget ad Sacrum.

Sextus est redemptio vexationis injustæ, de qua dicemus quæstione nona, articulo quinto: sic excusatur, qui pecuniam dat, ne injuste minis, & vi impediatur, ne ad Beneficium concurrat.

ARTICULUS II.

De Simoniæ materia, quæ sit temporale annexum spirituali.

I. *Non raro temporale vendi non potest, quamvis ratione connexionis cum spirituali non vendatur pluris.*
II. *Temporale connexum cum re spirituali, ut possit aliquando vendi, non debet amittere talem connexionem.*
III. *Nec est verum, quod possit universim illud vendi, si utilitatem temporalem retineat simul cum ea connexione.*
IV. *Regula stabilienda videtur ea esse, quod possit hujusmodi temporale vendi, si antecedat connexionem cum spirituali, non si consequatur.*
V. *Quod concomitanter connectitur cum spirituali, tunc vendi potest, quando est huic extrinsecum.*
VI. *Sed qua ratione pro labore, qui celebrationi est intrinsecus, potest exigi, & in pactum deduci sustentatio?*

I. Difficillimum est regulam assignare universalem, quandonam venditio rei temporalis cum spirituali connexæ sit simoniaca, etiamsi non pluris vendatur ratione talis connexionis. Plurima enim licite vendi possunt, quamvis rei spirituali annexa, dummodo non vendantur eatenus pluris. Sic vendi potest v. g. servus baptizatus, calix consecratus, &c. Contra vero, citra simoniam vendi non potest jus percipiendi fructus temporales Beneficii, quamvis tale jus temporale sit, nec vendatur pluris ratione conjunctionis cum officio spirituali. Nec est vendibilis honor temporalis annexus religioni Hierosolymitanæ, ut communiter Doctores docent, etiamsi venderetur tanti, quanti æstimaretur, si non esset conjunctus cum professione illa religiosa.

II. Ut huic difficultati satisfaciant, concedunt nonnulli Canonistæ, posse vendi temporalia cum spiritualibus connexa, si prius hanc connexionem deperdant; v. g. calix consecratus vendi potest, si frangatur, eo quod per fractionem consecratio-

nem

nem amittat: non poteſt vero vendi, niſi frangatur; Quod probant a fortiori, quia non poteſt citra ſimoniam calix conſecratus pretio locari ad ſacrificium: ergo multo minus vendi.

Hæc tamen reſponſio communiter rejicitur; cum ſit contra praxim, tum in ipſo calice, qui venditur non fractus, tum in aliis exemplis: nam ſervus v. g. baptizatus retinet Baptiſmum, dum venditur, quin cenſeatur vendi Baptiſmus. Nec obſtat, quod non poſſit calix locari ad uſum ſacrificii; Nam ſi ſic locaretur, ſumeretur pretium pro ipſo uſu ſacro, & ideo committeretur ſimonia: Contra vero, ſi vendatur, ſumitur pretium pro materia illius, puta pro auro, quod eſt mere temporale, unde nulla committitur ſimonia. Notat tamen Suar. cap. 14. & Filliuc. cap. 3. quod ſi ex uſu calicis in ſacrificio oriretur damnum, puta attritio calicis, poſſet citra ſimoniam accipi pretium, præciſe ad hoc damnum compenſandum; ſicut poteſt ſumi ex veſtibus ſacris, ſi ex uſu conſumantur.

III. Alii docent, tunc res temporales cum ſpiritualibus conjunctas vendi poſſe, quando retinent utilitatem temporalem; ut retinet v. g. calix conſecratus, qui poteſt frangi, & ad uſus temporales converti; & ſervus Chriſtianus, qui domi inſervit, quamvis ſit chriſtianus: Secus vero, ſi non retineant utilitatem temporalem, ut non retinet v. g. oleum conſecratum, quod eſt materia Extremæ Unctionis, Confirmationis, &c. Cum enim non poſſint converti in uſus profanos, non habent æſtimabilitatem temporalem, ac proinde nec poſſunt pretio commutari.

Verum hæc etiam reſponſio rejicitur; hinc enim ſequeretur, poſſe jus Beneficii vendi, quia etiam conjunctum cum officio ſpirituali retinet utilitatem temporalem; Imo poſſet etiam Prælatura ipſa ſpiritualis vendi ratione honoris humani, qui illi annectitur, cum temporaliter ſit utilis. Contra vero Oleum conſecratum, etiamſi jure canonico vendi non poſſit, poteſt tamen vendi jure naturæ, quamvis non poſſit in uſus profanos converti, & non retineat utilitatem temporalem, dummodo non vendatur pluris, habito reſpectu ad conſecrationem. Sic exigitur pecunia ad faciendam æqualitatem inter contrahentes matrimonium nobilitate diſpares, quamvis contractus ille humanus ſit inutilis de ſe, utpote invalidus inter chriſtianos ſine validitate ſacramentali matrimonii.

IV. Hæc itaque videtur regula ſtabilienda; Tunc temporale eſſe invendibile ex connexione cum ſpirituali, quando fundatur in ſpirituali, & ex illo oritur, tanquam ex cauſa morali: Contra vero, eſſe vendibile citra ſimoniam, ſi non fundetur in ſpirituali, ſed potius antecedat, aut ſupponat illud: v gr. aurum calicis conſecrati vendi poteſt, quia non fundatur in conſecratione, ſed potius vice verſa conſecratio ſupponit aurum: Contra vero, jus Beneficii vendi non poteſt, quia fundatur in officio ſpirituali, tanquam in cauſa morali, ex qua oritur; & propterea dicitur Beneficium dari propter Officium; unde de his in cap. *Si quis objecerit*, qu. 2. dicitur: *Qui horum alterum vendit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*. Et ratio a priori eſt, quia quod fundatur in alio, tanquam in cauſa morali, non poteſt poſſideri ſine ſuo fundamento, quod eſt ipſum jus poſſidendi. Sic jus percipiendi fructus Beneficii fundatum, tanquam in radice, in prælatura ſpirituali non poteſt poſſideri ſine illa, atque adeo ſi poſſideatur per emptionem, ſequitur, quod ipſa prælatura ſpiritualis vendatur. Quando vero temporale cum ſpirituali connexum non fundatur in illo, ut eſt aurum calicis connexum cum conſecratione, quod non agnoſcit illam, tanquam cauſam ſui moralem, ſi vendatur, non cenſetur vendi ipſum ſpirituale, niſi venderetur pluris ratione talis connexionis, & ideo vendi poteſt citra ſimoniam. Si temporale fundetur in ſpirituali, ex D. Bonav. & aliis appellatur temporale connexum cum ſpirituali; Temporale vero, quod non fundatur in ſpirituali, appellatur temporale, cui ſpirituale eſt annexum; hoc autem eſt vendibile citra ſimoniam, non illud.

Tripliciter itaque apud Doctores poteſt temporale cum ſpirituali connecti: Antecedenter, ſeu ita ut temporale antecedat ſpirituale, ſicut aurum calicis antecedit conſecrationem: Conſequenter, ſeu ita ut temporale conſequatur ad ſpirituale, ſicut jus beneficii conſequitur ad officium ſpirituale: & Concomitanter, ſi ſcilicet temporale comitetur ſpirituale, ut labor in functionibus ſpiritualibus celebrandi, concionandi, &c. Dicimus, nunc temporale connexum cum ſpirituali antecedenter vendi poſſe citra ſimoniam; ſecus vero connexum conſequenter.

V. An autem vendi poſſit, quod connectitur concomitanter? difficultas eſt apud Doctores. Communiter docent, quod, ſi illud ſit extrinſecum rei ſacræ, ſeu non eſſentialiter requiſitum ad illam, vendi poſſit; ſicut eſt v. g. obligatio celebrandi tali hora, in loco valde diſtanti. Ratio eſt, quia non cenſetur tunc vendi res ſacra, cui per accidens talis obbligatio annectitur: Contra vero temporale intrinſecum rei ſacræ, & ab illa inſeparabile, ut eſt v. g. labor neceſſario requiſitus ad celebrandum, concionandum, &c. vendi non poſſit, ex illo principio ſæpius repetito Urbani II. *Qui horum alterum vendit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*. Et ratio ulterior eſt, quia valor laboris dependet ab opere, circa quod exercetur, & a quo habet æſtimabilitatem: cum ergo opus ſpirituale non poſſit pecunia æſtimari, nec labor illi intime conjunctus poterit vendi. Quare communius docent, poſſe pro tali labore pecuniam accipi, & in pactum deduci, non ut mercedem laboris, ſed in ſuſtentationem laborantis, quæ jure naturæ eſt debita.

VI. Verum juxta hanc doctrinam ſua eſt etiam gravis difficultas, quia ſuſtentatio eſt debita laboranti propter laborem: ſed valor laboris dependet ab opere ſpirituali: ergo ſi tale opus non poteſt pecunia æſtimari, neque labor illi annexus; & conſequenter ſuſtentatio propter laborem non poteſt eſſe debita, niſi labor vendatur.

Reſpondet huic difficultati Laym. de ſim. §. 4. n. 41. diſtinguendo in labore rationem genericam laboris, prout ſcilicet eſt a perſona operante, præſcindendo ab opere, in quo laborat, & rationem laboris ſpecificam, prout ſpecificatur ab opere, in quo exercetur. Propter laborem primo modo conſideratum aſſerit deberi laboranti jure naturæ ſuſtentationem, ſaltem partialem, juxta illud Luc. 10. *Dignus eſt operarius mercede ſua:* & Matth. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem;* ſi enim omnibus laborantibus ad alterius arbitrium jure naturali debita eſt neceſſaria ſuſtentatio, quidni etiam iis, qui in ſpiritualibus occupantur? dicente Apoſtolo 1. ad

Cor.

Cor. 9. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Propter laborem vero secundo modo consideratum docet, nullum pretium, nullamque mercedem, aut sustentationem deberi; quamvis enim hujusmodi labor utilissimus sit homini petenti rem sacram; tamen, quia connexionem essentialem habet cum re spirituali, inæstimabilis est. Debetur itaque ministro Ecclesiastico stipendium sustentationis, spectata solum qualitate personæ laborantis in alterius gratiam, non vero spectata dignitate operis, in quo labor exercetur. Unde personæ digniori, doctiori, nobiliori, &c. pinguior sustentatio debetur; pro opere vero digniori, v.g. pro sacrificio, non debetur laboranti major merces, seu pinguior sustentatio, quam pro occupatione in alia re sacra.

Sed planius doctrina isthæc Laym. videtur explicari communiter cum Lugo exemplo Pictoris, qui gratis omnino dicitur pingere, & nullam mercedem laboris in pingendo exigere, quamvis exigat, & in pactum deducat omnia, quæ sunt ad pingendum necessaria, videlicet telam, colores, & ipsam pictoris sustentationem, quæ pariter est necessaria ad pingendum gratis. Idemque dicas de milite, qui gratis militaret, quamvis arma, equum, & sustentationem exigeret. Quare quod Laym. dicit, sustentationem dari celebranti propter rationem genericam laboris, non propter specificam, clarius explicatur dicendo, sustentationem dari, & in pactum deduci, tamquam necessariam, & jure naturæ debitam gratis celebranti, & laborem impendenti in celebrando (non secus ac possunt exigi a celebrante, & in pactum deduci alia omnia, quæ sunt necessaria ad celebrandum, videlicet hostia, vinum, candelæ, vestes sacræ, &c.) nullatenus vero posse quicquam exigi propter laborem in celebrando intrinsecum citra simoniam.

QUÆSTIO VIII.

De Simonia juris Naturalis in re Beneficiaria.

CUM Beneficium importet jus ad fructus percipiendos, quod est quid temporale, sed annexum officio spirituali, in quo illud fundatur, idcirco post traditam doctrinam de Simoniæ materia, quæ sit temporale annexum rei spirituali, inquirimus seorsim de Simonia juris naturalis, quæ in re Beneficiaria committi potest, vendendo Beneficium, aut Jus patronatus, aut Pensiones, aut Commendas militares, & Clericales, aut Cappellanias, aut Judicaturam spiritualem, aut alia hujusmodi; & in sequenti Quæstione inquiremus de Simonia Juris Ecclesiastici, quæ pariter in re Beneficiaria committi potest.

ARTICULUS I.

Sitne invendibile jure naturali Beneficium?

I. Putant nonnulli, jure duntaxat Canonico Beneficium esse invendibile citra simoniam.

II. Communiter tamen docent jure etiam naturali vendi non posse.

III. Hinc ne Pontifex quidem, aut Infidelis potest illud vendere; quamvis solus Pontifex jus ad fructus separare posset ab officio spirituali, & sic Beneficium extinguere.

IV. Ex thesi 22. ab Alex. VII. confixa infertur dilucide, simoniam juris naturalis committi in venditione Beneficii.

I. CElebris est quæstio, Utrum venditio beneficii sit simoniaca jure solum canonico, an etiam jure naturali? Canonistæ cum Garzia part. 1. c. 2. putant, jure naturali vendi posse beneficia, non quidem ratione tituli spiritualis, in quo fundantur, sed ratione fructuum; non secus ac venduntur vasa sacra ratione materiæ. Huic opinioni adhæret Less. c. 35. n. 26. & Cardenas apud Croix de simonia num. 116. Et Major apud Suar. c. 24. putat, posse Episcopum conferre Beneficium cum onere insumendi partem fructuum in aliquod opus pium citra simoniam naturalem, atque id cum viris sapientibus consultasse; quamvis propter speciem simoniæ a tali conventione abstinendum sit.

II. Theologi tamen fere communiter cum Suar. loc. cit. ex D. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 4. docent, jure etiam naturali simoniacam esse beneficiorum venditionem, etiam ratione fructuum. Ratio est, quia etiam dum venduntur ratione fructuum, venditur jus ad fructus: jus autem ad fructus subsistere non potest sine officio spirituali, in quo fundatur; unde vendito jure ad fructus, ipsum etiam officium spirituale venderetur, quod jure naturali, & Divino est illicitum. Hoc autem non accidit, si vendantur vasa sacra ratione materiæ, ut explicavimus quæstione antecedenti, quia scilicet vasa sacra connectuntur cum consecratione antecedenter, seu antecedunt rem sacram; beneficium vero cum officio spirituali connectitur consequenter, quatenus jus ad fructus consequitur spiritualem potestatem beneficiarii, sine qua illud non subsistit, & ideo nequit unum vendi sine alio. Hinc fit, Papam vendentem beneficium, & infideles ementes beneficium alteri, simoniæ peccatum committere, quia, quamvis neuter subjectus sit juri canonico, uterque tamen juri naturali subjicitur.

III. Neque dicas, jus ad fructus ex beneficio percipiendos ex voluntate Pontificis esse connexum cum officio spirituali: ergo potest illud Pontifex ab hoc separare, & sic vendere citra simoniam.

Nam, quamvis totum hoc sit verissimum, non sequitur, quod possit Pontifex vendere beneficium; nam jus beneficii non est qualecumque jus ad illos fructus temporales, sed jus ad illos propter officium, seu dignitatem spiritualem: quare, si ab officio spirituali separetur, perdit naturam beneficii, atque adeo ea duntaxat ratione vendi potest, ut nullatenus vendatur beneficium, sed solum id, quod fuit beneficium. Ubi obiter nota, separationem istam, seu extinctionem beneficii non posse fieri ab Episcopo, sed a Pontifice duntaxat, ex cap. *Probibemus de Censibus.*

IV.

IV. Doctrina isthæc communis Theologorum, quod scilicet jure naturæ beneficium non possit citra simoniam vendi ratione fructuum, videtur valde confirmari, ut notat Croix num. 118. ex condemnatione thesis 22. facta ab Alex. VII. quæ habet: *Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii; sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur*. Ex hoc enim quod sit contra justitiam conferre sic beneficia, sequitur, quod jure naturæ, & non jure tantum ecclesiastico id vetetur, atque adeo simonia sit juris naturalis. Fingamus, jure ecclesiastico vetari, quod calix aureus consecratus vendatur, certe non peccaret contra justitiam, qui illum ratione auri venderet pretio justo; ergo pariformiter, si solum jure canonico vetaretur venditio beneficii, non peccaret contra justitiam, qui illud venderet ratione fructuum, seu ratione emolumenti temporalis, quod tibi conferre non tenetur.

Neque dicas, in ea thesi solum damnari, quod non sit contra justitiam vendere arbitrium in collatione beneficii; cum enim possit ad arbitrium conferri vel Titio, vel Cajo, erronee authores hujus thesis dixerunt arbitrium hoc posse vendi. Nam, ut notat Suar. lib. 4. de simon. cap. 59. ex hoc ipso quod sit contra justitiam vendere hujusmodi arbitrium, fit esse contra justitiam vendere beneficium. Siquidem, si non detur gratis uni præ altero, eo ipso beneficium non datur gratis; atque adeo, si venditur arbitrium in hoc casu, venditur etiam ipsum beneficium; quare, si contra justitiam venditur tale arbitrium, contra justitiam venditur ipsum beneficium, & ideo in tali venditione simonia, quæ committitur, est juris naturalis. Hoc patet exemplificando in similibus casibus. Supponamus, dandam esse ab hærede ex legato Testatoris dotem gratis alicui puellæ; si hæres hic potens libere dare hanc dotem Bertæ potius, quam Teresiæ, interveniente pecunia, eligeret Bertam præ Teresia, ita venderet arbitrium, ut venderet ipsam dotem, quandoquidem non daret Bertæ gratis integram dotem: ergo pariter qui venderet arbitrium in collatione beneficii, ipsum etiam beneficium venderet; unde contra justitiam peccaret in venditione ista, vendendo arbitrium simul, & beneficium. Cum autem injustitia jure naturali sit vetita, idcirco injustitia ista, quæ esset simoniaca, utpote injuriosa rei sacræ, esset simonia juris naturalis.

ARTICULUS II.
An possit jure naturali vendi Jus patronatus?

I. Jure canonico certe vendi non potest.
II. Putant nonnulli, vendi posse citra simoniam juris naturalis.
III. Sed negandum cum fere communi.
IV. Quamvis institutum sit ab Ecclesia, adhuc jure naturali est invendibile.
V. Et quamvis illud competat etiam laicis.

I. QUæritur ulterius, an sit simonia juris naturalis vendere Jus patronatus, de quo plurima diximus in quæstione quarta; huc tamen spectat præsens quæstio, eo quod Juspatronatus sit jus præsentandi ad beneficium aliquam personam; cui, si sit idonea, debeat a Prælato beneficium conferri. Certum est, esse simoniam jure canonico, vendere tale jus, ut constat ex cap. *Præterea de Jurepatron.* Unde, si quis Feudum, cui sit annexum jus patronatus, venderet pluris, habito respectu ad hoc jus, simoniam committeret: Sicut etiam, si hæredes in divisione hæreditatis haberent rationem hujus juris in compensationem majoris portionis, quam alter acciperet. Quoniam autem vendito fundo, transit cum illo jus patronatus eidem annexum, ideo ad vitandam suspicionem simoniæ docent Doctores, in contractu venditionis non esse dicendum, vendi fundum cum jurepatronatus, sed vendi fundum, non reservato jure patronatus.

II. Dubium itaque solum procedit, an sit simonia etiam jure naturali? Negant Abbas, & alii, quia licet jus patronatus sit connexum cum beneficio, est tamen connexum antecedenter. Hæc connexio antecedens non fert, ut diximus quæstione superiore, simoniam jure naturæ: non est tamen connexum consequenter, ita ut fundetur in spirituali; tum quia juspatronatus adhæret fundo, quod est temporale, non secus ac adhæret auro calicis consecratio: tum etiam, quia convenit etiam laicis.

III. Dicendum tamen cum Suar. c. 28. Filliuc. c. 6. Palao, & aliis, Jus patronatus etiam jure naturæ esse invendibile. Ratio est, quia tale jus non est partim temporale, partim spirituale, ut putavit Sanch. dub. 48. seu annexum spirituali, quatenus ordinatur ad spirituale, videlicet ad præsentandum ad Beneficia; sed est adæquate, & intrinsece spirituale, cum sit potentia moralis ad spirituale, quæ secundum se semper est pariter spiritualis. Quod autem est intrinsece spirituale, jure naturæ vendi non potest. Ex hoc autem quod juspatronatus sæpe adhæreat fundo, & cum illo connectatur antecedenter, solum sequitur, quod possit vendi fundus, non vero juspatronatus: Sicuti, quia calicis auro annectitur consecratio antecedenter, potest vendi calix, non tamen ejus consecratio, ita ut pluris vendatur ratione consecrationis, quam venderetur, si non esset consecratus.

IV. Neque obstat primo, jus patronatus esse institutum ab Ecclesia. Nam etiam consecratio calicis v. g. instituta est ab Ecclesia, & tamen illius venditio est simoniaca jure naturæ. Quamvis enim Ecclesia potuisset illud spirituale non instituere, postquam tamen institutum est, jure naturæ vendi non potest, ne ab ipso quidem Pontifice instituente.

V. Neque obstat secundo, jus patronatus convenire etiam laicis. Nam etiam jus eligendi ad Beneficium, imo etiam ex favore Ecclesiæ jus conferendi Beneficium convenire potest laicis, ut colligitur ex cap. *Adrianus dist.* 63. & tamen etiam per Adversarios, jus eligendi, & conferendi Beneficia est intrinsece spirituale. Sic potest Pontifex jure extraordinario delegare laicis potestatem ferendi censuras, & tamen talis jurisdictio est procul dubio spiritualis.

Hinc fit, quod cum juspatronatus dupliciter possit alicui convenire, vel ratione alicujus fundi, cui veluti adhæret, & cujus ille est dominus; vel immediate ratione personæ, aut quia Ecclesiam fundavit, dotavit, vel ædificavit, juxta illud, *Patronum faciunt Dos, Ædificatio, Fundus*, aut quia est ejus successor; ideo juspatronatus vel

transfertur per alienationem Fundi, cui adhæret, vel per liberalem donationem, (quæ Ecclesiasticis fieri potest sine consensu Episcopi, laicis vero de Episcopi consensu) aut demum jure hæreditario.

ARTICULUS III.

Possitne vendi, aut redimi Pensio citra Simoniam juris naturalis?

I. Pensio laicalis non est materia Simoniæ juris naturalis. Num autem jure canonico sit invendibilis? probabilius affirmandum.

II. Fructus Pensionis clericalis vendi possunt etiam per totam vitam.

III. Jus tamen colligendi hos fructus, seu Pensio ipsa clericalis, si assignetur pro officio spirituali, jure naturæ est invendibilis. Quæ vero non fundantur in tali titulo, olim forte erant vendibiles, non tamen post Pium V. qui obligavit hujusmodi Pensionarios ad recitandum Officium Beatæ Virginis, ut docent communius.

IV. Pensiones laicales a Beneficiario redimi possunt. Pensiones vero clericales ex stylo Curiæ redimi non possunt.

V. Probabilius videntur, jure naturæ spectato, vendi posse citra Simoniam.

I. Certum est, Pensionem laicalem, quæ scilicet datur pro munere laicali, v. gr. Procuratoris Ecclesiæ, aut ad pulsandas campanas, curandos infirmos &c. non esse materiam simoniæ jure naturæ; imo censent aliqui, nec jure canonico, cum nullibi prohibeatur ejus venditio. Nihilominus, quia stylus Curiæ Romanæ facit jus, seu legem, (& quidem probabiliter etiam pro foro interno) & stylus Curiæ requirit auctoritatem Pontificis ad venditionem Pensionis laicalis, ideo probabilius est, esse materiam simoniæ de jure canonico.

II. Dubium itaque est de Pensione Clericali. In qua oportet distinguere jus colligendi fructus ex alieno Beneficio, quod proprie dicitur Pensio, & fructus ipsos, ad quos tale jus terminatur. Citra controversiam est, fructus Pensionis posse absque simonia vendi, etiam per totam vitam, dummodo Pensionarius retineat titulum, seu jus pensionis clericalis, cui annectitur obligatio recitandi Officium Beatæ Virginis. Ratio est, ut notat Pal. de simon. punct. 13. Laym. c. 5. ex Less. & Suar. quia venditio ista fructuum per totam vitam esset veluti illorum locatio, aut anticipata venditio. Neque obstat, quod facta tali venditione, non posset amplius pensionarius exigere fructus pensionis. Hinc enim non sequitur, quod jus pensionis venditum sit, aut deperditum, sed solum quod sit illi satisfactum: Sicuti, si quis debens per decem annos centum aureos quotannis solvat mille aureos primo anno, non extinguit jus, nisi quatenus satisfacit illi. Quod confirmatur in ipso Beneficio, quod per triennium locari potest, ex Extravag. *Ambitiosæ* Pauli II. *De rebus Ecclesiæ non alienandis*; & tamen non venditur illud jus triennale; sed illi satisfit anticipata solutione. Quicquid autem sit, an Extravagans ista circa fructus Beneficii ubique sit usu recepta, quod in dubium vertunt Cajetan. & Tolet. apud Pal. loc. cit. certe fructus pensionis possunt non solum per triennium, sed ad vitam locari, ut docent Filliuc. & Suar. cap. 26.

III. Verum circa jus colligendi fructus ex alieno beneficio, quod sit pensio clericalis, dubium est, num sit materia simoniæ ex stylo dumtaxat Curiæ, an etiam ex jure naturæ? Et certe, si fundetur tale jus in titulo spirituali, (ut est pensio, quæ assignatur pro officio spirituali, puta pro Coadjutore Episcopi, pro Concionatore, &c.) erit materia simoniæ jure naturæ, non secus ac jus beneficii: Secus vero, si non fundetur in tali titulo; ut non fundatur pensio, quæ datur v. gr. Clerico pauperi in sustentationem, aut Parocho seni, qui beneficium resignavit, aut quæ datur ad litem in beneficio componendam. Ratio est, quia hujusmodi pensiones, quamvis dentur Clerico, non tamen dantur illi, quia clericatus habet jus ad pensionem, (sicut officium v. gr. Episcopi habet jus ad beneficium) sed quia clericatus est conditio requisita ad dandas hujusmodi pensiones; quæ ratio puræ conditionis non facit, ut pensio dicatur connexa cum re spirituali, & sit invendibilis jure naturæ: Aliter eleemosyna data alicui sub conditione, quod sit Clericus, esset invendibilis; quod est falsum. Quare Suar., Filliuc., Less. dub. 22. putant, jure antiquo hujusmodi pensiones clericales fuisse vendibiles jure naturæ, esse tamen invendibiles nunc jure novo Pii V. obligantis pensionarium ad recitandum Officium Beatæ Virginis: quia nunc videtur jus pensionis clericalis esse connexum officio, seu ministerio spirituali, non secus ac beneficium simplex cum officio canonico; & consequenter utrumque videtur eodem modo invendibile jure naturæ citra simoniam.

Alii tamen cum Nav., Cajet. apud Sanch. dub. 46. putant, ne jure quidem novo Pii V. jus istarum pensionum fundari in officio spirituali, atque adeo vendi posse jure naturæ, quamvis vendi non possit ex stylo Curiæ. Ratio est, quia obligatio recitandi officium Beatæ Virginis est onus Pensionis, non fundamentum illius: quare sicuti, si Titio detur jus colligendi fructus aliquos temporales sub onere celebrandi quotidie, posset tale jus vendi absque ulla Simonia, quia obligatio celebrandi est onus annexum tali juri, non fundamentum illius; Ita in casu nostro. Nec valet paritas de beneficio simplici. Docent enim isti Doctores, in beneficio etiam simplici obligationem recitandi horas canonicas esse pariter onus, non fundamentum juris ad reditus temporales, solam vero dignitatem Ecclesiasticam beneficialem esse fundamentum juris ad fructus temporales, & hac de causa beneficium simplex esse invendibile. Quod probant, quia dispensatus in officio adhuc retinet jus ad fructus, quia retinet dignitatem Ecclesiasticam beneficialem, in qua illud jus fundatur.

Sed probabilius cum communiori dicendum, jure etiam naturæ pensiones omnes Clericales esse invendibiles. Ratio est, quia status Clericalis non videtur esse pura conditio, sed fundamentum pensionis, posita institutione Ecclesiæ requirentis universim qualitatem status Clericalis in hujusmodi pensionario: Sicuti quia universim in beneficiario Ecclesia requirit qualitatem officii, seu dignitatis Ecclesiasticæ, hæc non dicitur esse conditio, sed fundamentum beneficii. Aliter posset dici, dignitatem hanc esse meram conditionem, & sic beneficium

ficium vendi posse jure naturæ; quod adversarii non admittunt. Unde sequitur, pensiones omnes clericales, etiam ante Bullam Pii V. fuisse jure naturæ invendibiles citra Simoniam.

IV. Ex dictis resolvitur alia quæstio, an scilicet possint a beneficiario pensiones redimi citra Simoniam? Et sane pensiones laicales redimi posse communiter docent contra Bejam apud Sanch. dub. 46. quia sunt mere temporales; quamvis enim dentur ob aliquod obsequium Ecclesiæ præstitum, aut præstandum, (sicut quando dantur Regibus, Ducibus, aut Militibus, eo quod armis fidem defendant) non dantur tamen titulo spirituali. Pensiones vero Clericales certe ex stylo Curiæ redimi non possunt. Utrum autem Simoniaca sit illarum redemptio propria auctoritate facta? non levis est difficultas.

Ajunt Sot., & Azor. apud Pal. de Sim. punct. 13., quia beneficiarius redimens pensionem reddit sibi beneficium magis utile, eo quod possit sibi colligere fructus, quos solvere pensionario tenebatur: potestas autem colligendi illam partem fructuum est annexa titulo spirituali, siquidem est propter officium, sicut est potestas colligendi reliquas partes fructuum: ergo sicut Simoniacum esset emere potestatem colligendi omnes fructus ex beneficio; ita Simoniacum videtur esse redimere pensiones, seu emere potestatem colligendi sibi ex beneficio illam partem fructuum, quæ debetur pensionario.

V. Verum, ut advertit Valent. disp. 6. qu. 16., hæc ratio æque militat adversus pensionem temporalem. Quare dicendum probabilius cum Pal., pensionem quamcumque citra Simoniam redimi posse, quia redemptio pensionis nihil aliud est, quam quædam anticipata solutio fructuum, quos singulis annis solvere tenebaris: unde redimendo pensionem solum immediate per se emis libertatem ab onere solvendi quotannis illam partem fructuum; quæ libertas neque spiritualis est, neque spirituali per se annexa; Et ideo est pretio æstimabilis. Quamvis autem hinc sequatur, beneficium esse tibi magis utile, & posse omnes fructus beneficii retinere, hoc tamen est extrinsecum, & accidentarium redemptioni pensionis, quæ per se non respicit hanc utilitatem, sed immunitatem a quotanni solutione.

ARTICULUS IV.

Num vendi possint citra Simoniam Commendæ?

I. *Commendæ militares sine ulla Simoniæ labe vendi possunt; sed Clericales etiam jure naturæ sunt invendibiles.*
II. *Injusta tamen est venditio militaris Commendæ.*
III. *Quid de administratione Hospitalium?*
IV. *Cappellaniæ non erectæ auctoritate Episcopi citra Simoniam vendi possunt, non tamen citra injustitiam; quippe gratis conferendæ sunt.*
V. *Quid de Beneficiariorum coadjutoriis?*

I. EX dictis descendit vera ratio communis doctrinæ apud Suar. lib. 4. cap. 27. & Pal., venditionem scilicet commendæ militaris (quæ datur personis Ecclesiasticis in stipendium, & præmium militiæ absque ullo onere exercendi functionem spiritualem) non esse Simoniacam, ne de jure quidem Ecclesiastico: sunt enim hujusmodi commendæ omnino temporales, nec ullatenus connexæ cum re spirituali: Contra vero, esse Simoniacam etiam jure Divino venditionem commendæ Clericalis, qualis est illa, per quam Ecclesia alicui commendatur cum onere administrandi sacramenta, quæ alio nomine vocatur Vicaria. Ratio est, quia his commendis, seu vicariis committitur spiritualis jurisdictio, ex cap. *Non satis de Sim.* unde jus ad fructus est connexum consequenter juri spiritualis ministerii, atque adeo invendibile.

II. Notandum tamen hic ex Suar., quod quamvis commendæ militaris venditio non sit Simoniaca, est tamen injusta. Ratio est, quia Magister Ordinum, vel Rex non est dominus, sed dispensator illarum, & non supremus, sed sub Pontifice, qui facultatem dedit ad illas distribuendas tantum, non vendendas. Unde æque militare videtur de commendis, ac de beneficiis propositio illa 22. damnata ab Alex. VII. dicens: *Non est contra justitiam beneficia non conferre gratis, quia collator non exigit pecuniam pro collatione beneficii, sed pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.* Quod si commendas militares non potest vendere Rex, a fortiori nec ipse commendatarius, qui solum est usufructuarius. Potest quidem Rex, vel magister ordinis illas donare cum onere exhibendi aliquod munus temporale, v. gr. militandi adversus Turcas, vel solvendi pensionem, dummodo habeatur ratio justæ distributionis, seu finis talium Præbendarum. Potest etiam Pontifex, causa intercedente, facultatem dare Regi illas vendendi, eo quod sint mere temporales.

III. Quod diximus de commendis, dicendum etiam de Hospitalium administratione. Nam si Hospitalia non sunt instituta auctoritate Episcopi, non censentur Ecclesiastica, (quamvis dici possint loca pia) atque adeo eorum administratio citra Simoniam ex Suar. vendi potest. Si vero auctoritate Episcopi sunt instituta, distinguendum est; Nam vel solum habent temporale regimen, & curam infirmorum; vel habent etiam administrationem spiritualem: Si hanc etiam habeant, nemini dubium est, Simoniacam esse venditionem talis administrationis spiritualis: Si hanc non habeant, non esset Simonia juris Divini administrationem temporalem illorum vendere; esset tamen ex Suar., & Pal. Simonia juris humani, quia in cap. *Salvator* caus. 1. qu. 3. prohibetur sub specie religionis, & vitandi Simoniam venditio officii administrationis rerum Ecclesiasticarum. Hospitalium autem administratio est rei Ecclesiasticæ administratio, posito quod fundata sint auctoritate Episcopi. Unde infertur, esse etiam Simoniam juris Ecclesiastici vendere officium Oeconomi, seu qui res Ecclesiæ, & Canonicorum gubernat; Necnon Sacristæ, & Thesaurarii custodientis res sacras, & similia; nam in cap. *Salvator de Sim.* dicuntur cum Simone participare ementes, & vendentes hujusmodi officia.

IV. Circa Cappellanias non collativas, seu non erectas auctoritate Episcopi, cum non sint beneficia, posse sine Simoniæ labe pecunia obtineri, testatur Gonzalez apud Palaum a Rota Romana declaratum esse; quamvis non sine injustitia venderentur, quippe gratis conferendæ sunt.

V. Coadjutorias vero beneficiariorum, etiamsi cum futura successione a Pontifice concessas, cum

non sint beneficia, posse etiam citra Simoniam pecunia obtineri, docet idem Palaus : dummodo tamen pecunia non detur, ut pretium facultatis exercendi officium, ad quod tenetur beneficiarius proprietarius, sed detur in sustentationem concedentis coadjutoriam. Sed verius id negandum cum Suar. cap. 27. sicut enim non potest dari pecunia ab obtinente beneficium in sustentationem conferentis, aut præsentantis ad beneficium; ita neque potest pro hac coadjutoria solvi pecunia in sustentationem concedentis coadjutoriam.

ARTICULUS V.

Quid de Judicatura temporali, & spirituali Episcoporum?

I. *Temporalis Episcopi judicatura citra Simoniam vendi potest; siquidem ad officium spirituale consequitur per accidens.*

II. *Non tamen si ea sit relate ad Clericos; ratione quorum talis jurisdictio est spiritualis, quamvis sit politica.*

III. *Quomodo citra Simoniam pro dispensationibus in impedimentis Matrimonii exigi possit pecunia?*

IV. *Num possint Episcopi aliquid exigere, dum in jejuniis, & in festorum observatione dispensant?*

I. INfertur etiam ex dictis solutio celebris dubii, An Episcopus v. gr. cujus Episcopatui annexum est dominium temporale, possit citra Simoniam vendere judicaturam temporalem? Videtur enim non posse, quia est connexa consequenter jurisdictioni Episcopali spirituali; non secus ac beneficium connectitur consequenter officio spirituali. Sed communiter cum Pal. punct. 12. docent posse. Ratio est, quia tunc temporale sumit invendibilitatem a spirituali, a quo dependet, quando non potest vendi, quin censeatur vendi spirituale: Sicut accidit in jure beneficii, quod quia possideri non potest sine jure officii, ideo illo vendito censetur vendi & istud: Contra vero, si vendito temporali, non censetur vendi spirituale, illud potest sine Simonia vendi; sicut fructus beneficii vendi possunt sine Simonia, nullatenus vendito jure beneficii. Eadem igitur ratione vendi potest judicatura temporalis, quia ipsa vendita, non censetur vendi Episcopatus, cui per accidens est annexa, nam judex temporalis per accidens est quod sit Episcopus.

II. Quod si Judicatura esset quidem in materia temporali, & politica, sed relate ad Clericos, tunc vendi non posset citra Simoniam; quia licet materia esset temporalis, tamen jurisdictio esset spiritualis ratione personarum Deo dicatarum, circa quas exercetur, hæc enim non convenit Prælato, quatenus Princeps temporalis est, sicut convenit illi judicatura temporalis relate ad laicos, sed quatenus est spiritualis Pastor, ut notant Suar. c. 20. & Filliuc. cap. 4.

III. Oppones: Pro actibus jurisdictionis spiritualis potest citra Simoniam exigi pretium; ergo a fortiori pro judicatura in materia temporali relate ad Clericos. Antecedens probatur, quia pro dispensatione in impedimentis matrimonii exigitur in Romana Curia pecunia, & tamen ea dispensatio est actus jurisdictionis spiritualis. Neque dicas cum nonnullis, pecuniam illam exigi pro sustentatione dispensantis, & officialium; nam major pecuniæ summa exigitur, si dispensatio sit in uno, quam in alio gradu consanguinitatis: ergo videtur exigi relate ad ipsam dispensationem majorem, vel minorem.

Respondeo cum Suar., Filliuc., Less. cap. 39. num. 58. falsum esse antecedens; pro dispensationibus enim matrimonii non potest accipi pretium, sed potest imponi quædam mulcta solvenda ab eo, qui petit dispensari, & recedere a jure communi, ne facile jus commune relaxetur; & eo major pecunia potest exigi, quo lex in qua dispensatur est gravior, ut dispensatio reddatur difficilior, & his oneribus, tanquam repagulis, homines intra leges communes coerceantur. Sicuti enim petenti dispensationem potest imponi jejunium, vel peregrinatio ad compensandam deformitatem, quæ habetur per exemptionem a lege communi; præsertim si dispensatio supponat delictum, v. gr. si fiat in affinitatibus contractis ex copula illicita, vel in irregularitate ex homicidio; ita potest imponi solutio pecuniæ erogandæ in causam piam: Quod etiam Episcopi facere possent, quando dispensant, v. gr. in jejuniis, in observatione festorum, votorum, &c., nisi jure positivo iis prohiberetur; præsertim in Trid. sess. 25. cap. 18. ubi præcipitur, gratis dispensationes esse concedendas, atque adeo si alicubi esset consuetudo in contrarium legitime præscripta, non esset damnanda Simoniæ.

IV. Notat tamen Suar. num. 15. a multis Episcopis pecuniam exigi pro dispensationibus, non ut illam sibi applicent, quod iis prohibetur, sed via commutationis, vel pœnæ piis operibus, vel pauperibus applicandæ: quod licet etiam contra mentem Tridentini sit, non tamen aperit viam adeo latam frequentibus dispensationibus, sicut aperiret, si possent Episcopi pecuniam exigere sibi applicandam titulo sustentationis. Quare declarat Tridentinum, dispensationes non gratis concessas esse subreptitias. Et quamvis Concilium non loquatur de solis Episcopis, sed de omnibus universim, potuit tamen Papa in hac Tridentini lege dispensare, ut juxta stylum Curiæ aliquod solvatur pro dispensationibus obtinendis, tum pro sustentatione officialium, tum ne facile dispensationes petantur, imponendo solutionem pecuniæ in pios usus distribuendæ.

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

De Simonia juris Ecclesiastici in re Beneficiaria.

DIximus, venditionem beneficiorum ratione emolumenti temporalis ita jure humano prohiberi, ut probabilius sit, prohiberi etiam jure Divino. Descendimus nunc ad alias actiones jure humano prohibitas in re Beneficiaria, examinando, num contineant Simoniam juris humani duntaxat, unde contra illam prævalere possit consuetudo in contrarium, an etiam juris Divini naturalis? Et sane prohibetur ab Ecclesia universim omne pactum in re Beneficiaria, & præsertim permutationes beneficiorum propria auctoritate factæ, renunciationes non liberæ, & omnis confidentia beneficialis; necnon pactum cum mediatore, seu intercessore ad beneficium obtinendum: Acceptio etiam rei temporalis occasione examinis ad beneficia damnantur ut Simoniaca a Trid. sess. 24. cap. 18. sicut etiam venditio officiorum Ecclesiasticorum; de quibus singillatim agendum.

ARTICULUS I.

Quomodo omne pactum in re beneficiaria jure Ecclesiastico prohibeatur, adeo ut imbibat Simoniam?

I. *Quodcumque pactum in re beneficiaria est Simoniacum.*

II. *Potest tamen vacante beneficio statui, quod aliquod onus moderatum sit annexum Præbendæ.*

III. *Universim quod in temporalibus est Usura, in spiritualibus est Simonia.*

IV. *Est Simoniacum pactum de danda pecunia, dummodo non opponatur concurrenti ad beneficium defectus verus, licet improbabilis.*

I. IN cap. ultimo *de Pactis* prohibetur generaliter omnis pactio, quæ pro spiritualibus consequendis fit; (quod intelligi debet, quando fit pactio dandi temporale pro spiritualibus) Nam cap. *Quæsitum* 5. dicitur, *Pactio circa spiritualia, vel spiritualibus connexa labem continet Simoniæ*. Non est autem Simonia permutare spirituale cum spirituali, ut alias diximus. Unde fit, jure naturæ non esse Simoniam beneficium cum beneficio permutare; jure tamen Ecclesiastico omne pactum, conditio, aut modus appositus in re beneficiaria continet Simoniam; quia Ecclesia id prohibet in reverentiam rei sacræ. Illa solum conditio apponi potest in collatione beneficii, quæ jure inest, verbi gratia habenti beneficium curatum potest aliud beneficium curatum conferri ea conditione, ut resignet primum, quia talis conditio de jure inest, cum non possit aliquis duo beneficia curata obtinere.

II. Infertur hic primo contra Panorm., & Ostiens. apud Sanch. dub. 25. esse Simoniam conferre beneficium alteri sub conditione, quod doceat, quia docere est pretio æstimabile; unde Simonia hæc est juris naturalis; quamvis non sit Simonia, nec ullatenus illicitum, ex c. *Significatum* de *Præbend.* si vacante aliqua præbenda statuatur, quod aliquod onus moderatum, v. g. docendi, canendi in choro, &c. sit annexum præbendæ, & sic transeat res cum suo onere; quia in tali casu nullum initur pactum inter dantem, & recipientem beneficium, sed transit res cum onere suo.

III. Infertur secundo, Simoniam esse permutare beneficium cum pacto, quod recipiens beneficium pinguius solvat bullas utriusque beneficii; apponitur enim pactum, quod natura sua non inest; cum quilibet teneatur solvere bullas beneficii, quod recipit. Eodem pacto Simoniacus esset Episcopus, si conferret beneficium cum pacto, quod beneficiarius aliquid in pios usus eroget ex fructibus beneficii. Quamvis, ut notat Sanch., possit Episcopus ante collationem beneficii fructus illius retinere ad tempus ex justa causa, v. gr. ad solvenda debita nomine Ecclesiæ contracta. Est etiam Simonia, ut communiter docent contra nonnullos, si beneficium conferatur cum pacto, quod beneficiarius aliquod debitum remittat; tum quia hoc quoque est pretio æstimabile; tum etiam ex communi illo axiomate, *Quod in temporalibus est Usura, in spiritualibus est Simonia*; mutuum autem dare cum pacto, quod debitum remittatur, est usura; ergo.

IV. Infertur demum ex Nav., esse Simoniam offerre alicui pecuniam, ut concurrenti ad beneficium non opponat defectum verum, licet improbabilem, seu qui probari non possit, puta irregularitatem occultam, quamvis ad redimendam vexationem injustam possit offerri pecunia, ut articulo quinto explicabimus.

ARTICULUS II.

Quænam permutatio Beneficiorum sit Simoniaca?

I. *Beneficiorum permutatio auctoritate propria fert Simoniam juris Ecclesiastici: Et probabilius idem dicendum de Superioratibus Religionum.*

II. *Licitum tamen est convenire in permutationem beneficiorum sub conditione, quod Prælatus consenserit.*

III. *Sufficit consensus Episcopi, ad quem spectat horum beneficiorum collatio.*

IV. *Immo & Prælati habentis jurisdictionem quasi Episcopalem.*

V. *Si Beneficia ad duas Diœceses spectant, requiritur utriusque Episcopi consensus?*

VI. *Quod si permutentur jura ad beneficia, requiritur consensus Pontificis.*

VII. *Sicut etiam si beneficium cum pensione permutetur.*

VIII. Aut

VIII. Aut si permutentur beneficia compensando pecunia fructuum inæqualitatem.

I. Diximus, jure naturæ non prohiberi commutationem unius rei spiritualis cum altera, v. gr. Missæ cum jejunio; & consequenter, ut probabilius docent Sot., Victoria, Sanch. dub. 46. contra Nav., Lopez, Riccard., nec permutationem unius beneficii cum alio. Hæc tamen, jure Ecclesiastico prohibetur in c. *Majoribus de præbendis*, nisi fiat auctoritate superioris. Et motivum hujus prohibitionis fuit ad vitandam simoniæ suspicionem, eo quod beneficia, quamvis sint spiritualia, habent tamen annexos reditus temporales, quorum facile haberi potest ratio in iis permutandis. Unde infert Sanch. dub. 44., non esse simoniam, si duo Monachi inter se conveniant, ut invicem se in superiores eligant, quia hujusmodi officia nec sunt rigorose beneficia, nec clauduntur nomine beneficii, ut probabiliter multi docent apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 156. contra Peregr., Lopez, & alios; nam in cap. *De hoc de Simon.* idcirco Episcopus Oxonensis damnatur simoniæ, si Archidiacono promitat beneficium, & Clerico prioratum, dummodo in sui electionem ad Episcopatum concurrant; quia hujusmodi pactum est in re beneficiaria; cum autem Superioratus regulares probabiliter non sint rigorose beneficia, non habetur Simonia in simili conventione, si nihil temporale detur; sed habebitur vel ambitio, vel injustitia, si eligendus esset indignus; & si quid temporale detur, habebitur quidem simonia juris naturalis, sed non incurruntur pœnæ latæ in cap. *Ambitiosæ*, contra obtinentes simoniace beneficia: Nec mediator simoniacæ electionis ad prælaturam regularem incurret excommunicationem. Nihilominus probabilior est sententia opposita plurimorum apud Dian. loc. cit. quod scilicet superioratus Religionum includantur sub nomine beneficii in ordine ad incurrendas pœnas simoniæ, ut diximus qu. 5. art. ult.

II. Certum etiam est apud Doctores, posse partes invicem se obligare ad permutandum beneficium, si Prælatus consenserit, quia hæc obligatio non est permutatio, sed via ad permutationem, non prohibita jure canonico, ut notat Suar. c. 22. Congruum enim est, ut possint partes ad id se obligare consentiente Prælato, cum possit aliquando esse utilis Ecclesiæ hujusmodi permutatio, v. grat. quia aer unius beneficii est salubrior, quam alterius, vel propter inimicitias, &c.

III. Dubium tamen est, Cujusnam superioris auctoritas requiratur, ut permutatio beneficii licita sit, & non simoniaca?

Mendosius apud Sanch. d. 38. putat, solum Pontificem posse id concedere, quia Pius V. commutationes aliter factas annullat. Sed communiter negant, quia idem Pius V. revocato priori motu proprio remisit id ad jus commune; in jure autem communi conceditur, posse fieri beneficiorum permutationem auctoritate Episcopi, ad quem eorumdem collatio pertinet, quando beneficia non sunt reservata Papæ, ex c. *Quæsitum de rerum permut.*

IV. Controversia itaque solum est, an satis sit auctoritas etiam Prælati habentis jurisdictionem quasi Episcopalem, ad quem pertineat permutandorum beneficiorum collatio? Et communiter id admittunt cum Suar., & Pal. p. 15. quia in jure communi requiritur consensus Episcopi, non quoad dignitatem, sed quoad jurisdictionem; quilibet autem Prælatus potens beneficia conferre æquiparatur in hoc jurisdictioni Episcopi, atque adeo probabile est, ejus auctoritatem sufficere.

V. Notandum tamen, quod, si requireretur auctoritas Episcopi habentis dignitatem Episcopalem, ne permutatio sit simoniaca, adhuc in permutatione beneficiorum requireretur consensus illius Prælati, qui potestatem habet ea conferendi, ut permutatio sit valida; eo quod in permutatione beneficiorum habeatur, ut patet, nova collatio eorundem. Quod si beneficia essent in diversis Dioecesibus, utriusque Episcopi consensus requireretur, ut notat Sanch. n. 10.

VI. Dubium ulterius est, an non solum sit simoniaca permutatio beneficiorum, sed etiam permutatio jurium ad beneficia facta propria auctoritate, v. gr. si duo nominati, vel præsentati, aut electi ad beneficia nominationem, præsentationem, &c. invicem permutarent? Communiter apud Filliuc. c. 7. affirmant, quia electio, præsentatio, nominatio concernunt ipsa beneficia, & omnis pactio in re beneficiaria, tanquam simoniaca, prohibetur. Imo dicendum cum Sanch. d. 37. apud eundem Filliuc., non satis ad id esse consensum Episcopi, sed requiri consensum Pontificis, quia in jure communi solum permittitur, quod possint auctoritate Episcopi beneficiarii permutare beneficia sua, hoc est ea, ad quæ habent jus in re; per electionem autem, aut præsentationem, &c. beneficia nondum sunt beneficiariorum, eo quod ad illa habeant tantum jus ad rem, atque adeo non satis est consensus Episcopi ad hanc permutationem.

VII. Ex dictis resolvitur primo illa quæstio, Utrum possit aliquis permutare auctoritate Episcopi beneficium suum cum pensione alterius? Et communiter negant; tum quia Pensio non est rigorose beneficium, & solum jura concedunt permutationem beneficiorum; tum etiam quia in permutatione habetur nova collatio beneficiorum, unde is tantum potest valide in permutationem consentire, qui potest valide illa conferre; atqui non potest Episcopus valide Pensionem conferre, ex c. *Nisi* de *Præbend.*: ergo non potest valide consentire in permutationem beneficii cum Pensione.

VIII. Resolvitur secundo alia quæstio, An ex consensu Episcopi possint beneficia permutari, compensata fructuum inæqualitate, vel pecunia, vel pensione imposita.

Posse auctoritate Pontificis communius docent apud Less. dub. 17. contra Adrianum, & Covarr., quia non solveretur pecunia pro proventu majori, quatenus annexus est titulo beneficii; sic enim venderetur titulus beneficii, qui est spiritualis; sed solveretur pecunia pro jure proventuum majorum separato per potestatem Pontificis ab eo titulo. Auctoritate tamen Episcopi id fieri non potest, cum non possint Episcopi separare jus proventuum a titulo beneficii, nec possint pensionem imponere ulli beneficio, etiam data justa causa, ut communius docent contra quamplures apud Less. c. 34. n. 205., Pal. p. 6. de sim., tum quia ita fert stylus Curiæ, qui facit jus; tum etiam quia pensionum constitutio est contra jus commune, quo statuitur, ut beneficia sine imminutione conferantur, ex l. 3. Decretal. tit. 10.

ARTICULUS III.

Quandonam Beneficiorum resignatio sit simoniaca?

I. Resignari potest beneficium multipliciter.
II. Renunciatio absoluta fieri debet ex causis a Pio V. expressis, si fiat coram Episcopo.
III. Conditionata est simoniaca, si non fiat coram Pontifice.
IV. Confidentialis est etiam simoniaca.
V. Excommunicatio lata contra simoniam confidentialem non incurritur a mediatore.
VI. Resignatio isthæc potest fieri per Accessum, per Regressum, & per Ingressum.
VII. Si fiat coram Episcopo cum reservatione Pensionis, est simoniaca.
VIII. Aut si fiant resignationes reciprocæ.
IX. Aut si renuncietur Cajo cum pacto, quod iste solvat expensas factas a renunciante.
X. Pontifex in hoc dispensare non potest; quamvis possit partem fructuum applicare resignanti.
XI. Quid de resignatione beneficii facta in favorem tertii cum clausula, Non aliter?

I. Renunciatio, seu resignatio, & libera cessio beneficii multiplex est, Tacita, Expressa, Absoluta, Conditionata, in favorem tertii, cum reservatione pensionis, & confidentialis.

Tacita est, quæ juris dispositione inducitur per actum retentioni contrarium, ut si quis ineat mamonium, vel religionem ingrediatur, (ita scilicet, ut reddatur dominii incapax, quod habetur tum per Professionem solemnem, tum per Vota simplicia Coadiutorum formatorum in Societate Jesu, non vero per vota simplicia Scholasticorum) dicitur tacite beneficium resignare. Expressa est, si verbis expressis beneficium deponatur. Absoluta, pura, & simplex resignatio dicitur, si nulla adjiciatur conditio: Secus vero erit conditionata: Multipliciter autem potest apponi conditio; nam primo renunciare potes ea conditione, ut beneficium conferatur Titio; & hæc dicitur in favorem tertii. Secundo, ea conditione, ut tibi Pensio solvatur. Tertio, ea conditione, ut regredi ad beneficium possis, & hujusmodi dicuntur qualificatæ, & confidentiales: prima vero dicitur simplex.

II. Dico nunc primo: resignatio beneficii pura, & absoluta nullatenus dici potest simoniaca; cum nihil pro ea detur, aut accipiatur; quamvis, ut sit licita, fieri debeat coram legitimo Superiore, & ex causis a Pio V. expressis in constitutione edita anno 1568. apud Pal. p. 2., si fiat coram Episcopo.

III. Dico secundo. Resignatio beneficii conditionata facta coram Prælato Papa inferiore, labem simoniæ juris Ecclesiastici continet. Ratio est, quia jure communi omnis pactio in beneficiis prohibita est ob suspicionem simoniæ, & ob alia inconvenientia apud Trid. sess. 25. cap. 7. Probabiliter tamen, ut notat Busembaum, si renunciatio conditionata non sit qualificata, sed simplex in favorem tertii, fieri potest in manibus Ordinarii; præsertim si non fiat modo obligatorio, sed deprecatorio.

IV. Dico tertio. Specialiter a Pio IV. & Pio V. in Bulla *Intolerabilis* prohibetur tanquam simoniaca resignatio beneficii confidentialis, qua quis tacito, vel expresso pacto confidit in alio acceptante beneficium, quod postea illud renunciaturus sit vel eidem resignanti, vel alteri, aut daturus sit iisdem pensionem, aut partem fructuum: nam, ut innuit Trid. l. c., resignationes hujusmodi confidentiales imaginem referunt hæreditariæ successionis. Unde multis pœnis simonia hæc confidentialis damnata fuit, ut dicemus qu. ult., tam adversus resignantes, & recipientes beneficium, quam adversus Præsentatores, Collatores, & Electores, ut constat ex verbis Bullæ.

V. Dubitatur solum, an iis pœnis subjaceat mediator? quod dubium ad praxim pertinet; nam licet certum sit, omnem mediatorem simoniæ in beneficio excommunicari, quantumvis simonia non sit confidentialis, ut constat ex *Extrav. 2. Pauli II. de simonia*; tamen, quia sola excommunicatio lata contra simoniam confidentialem incurritur, etiamsi simonia non sit ex utraque parte completa, ideo multum interest, an mediator hic comprehendatur? Dicendumque breviter est, non comprehendi; quia non exprimitur in ea Bulla, quod citato Suario approbat Laym. n. 78.

Hic autem notandum ex Lessio, triplicem esse modum resignationis spectantem ad simoniam confidentialem, videlicet per Accessum, Regressum, & Ingressum: quia resignans beneficium cum confidentia tripliciter potest considerari. Primo enim potest non habere beneficium, sed alterum eligere, præsentare, aut confirmare cum confidentia, quod sibi, vel alteri illud resignet, & hic vocatur Accessus. Secundo, potest habere beneficium, & illud alteri resignare cum eadem confidentia, & dicitur Regressus, quia beneficium regreditur vel ad eundem, vel ad alium loco ipsius. Tertio, potest habere beneficium quoad collationem, non quoad possessionem, & alteri resignare cum confidentia, quod illud iterum acquisiturus sit, quando resignatarius mortuus fuerit, aut ad aliud beneficium fuerit promotus, & dicitur Ingressus.

VI. Ex dictis sequitur primo, simoniam committi, dum quis beneficium resignat coram Episcopo cum pacto, quod sibi solvatur pensio. Ratio est, quia hujusmodi resignatio non est pura; unde videtur exigi pro spirituali aliquod temporale. Pensio enim ab Episcopo imposita est irrita, cum non possit Episcopus pensionem imponere, atque adeo a resignatario exigeretur pensio, seu pars fructuum, quæ est aliquod temporale pro beneficio, quod est jus ad fructus fundatum in officio spirituali.

VII. Sequitur secundo, committi simoniam, si fiant coram Episcopo resignationes reciprocæ, v. g. Ego resigno meum beneficium tuo amico, & tu tuum meo nepoti. Ratio est, quia solæ permutationes beneficiorum in ordine ad ipsos permutantes fieri possunt coram Episcopo, & omnis alia pactio est vetita; unde simoniam continet, ut notat Less. n. 87. Idemque dicendum de resignatione, ut vocant, triangulari, quæ fiat inter tres, v. g. Titius renunciat Canonicatum Cajo, Cajus beneficium suum Sempronio, & Sempronius Titio; nam istæ non essent permutationes simplices, quæ permittuntur fieri coram Episcopo, ut probabilius docent Bonac. & Less. contra nonnullos.

VIII. Sequitur tertio, Simoniam committi ab eo, qui beneficium post multas expensas obtinuit, & deinde resignat alteri cum pacto, quod solvat expensas. Ratio est, quia nullo alio titulo expensas a se fa-

se factas exigit a resignatario, nisi quia beneficium illi resignat, atque adeo beneficium vendit. Ita communiter cum Lessio numer. 94. contra nonnullos.

IX. Neque dicas primo, non committi simoniam ab eo, qui aliquid accipit pro labore extrinseco, & damno per accidens conjuncto cum actione spirituali: ergo neque in casu nostro. Negatur enim consequentia; quia in casu nostro ne per accidens quidem expensæ conjunctæ sunt cum resignatione Beneficii; quandoquidem factæ fuerunt a resignante in sui commodum, ut Beneficium obtineret, & non in utilitatem resignatarii.

X. Neque dicas secundo, non committi simoniam ab eo, qui occasione alicujus actionis spiritualis petit, vel recipit aliquid, ut seipsum servet indemnem; ergo neque in casu nostro. Nam contra est quia tunc id est verum, quando damnum aliquis patitur in gratiam alterius, v. g. si in tui gratiam celebro, possum a te exigere candelas, vinum, &c. ut server indemnis: at resignans beneficium non est passus damnum in gratiam resignatarii, sed in proprium commodum, & utilitatem, ut beneficium pacifice possideret; Unde, si expensas exigeret a resignatario, committeret simoniam, non solum contra jus Ecclesiasticum prohibens pactionem in Beneficiis, sed etiam contra jus divinum prohibens accipi temporale pro spirituali; & consequenter Pontifex in hoc dispensare non potest, cum delictum sit contra justitiam cogere aliquem ad solvendas expensas factas in commodum proprium; sicut injustum esset, vendere v. g. domum ultra justum pretium, eo quod multas expensas dominus pro ea fecerit ad vindicandam illam a litibus; quandoquidem illæ expensæ factæ fuerunt in utilitatem redimentis, non ementis domum; idemque dicendum in casu nostro. Quamvis autem non possit in eo Pontifex dispensare, poterit tamen partem fructuum a beneficio separare, illosque applicare resignanti, & sinere illos redimi a resignatario.

XI. Inquirendum superest, Sitne simoniaca resignatio beneficii facta in favorem tertii cum clausula, Non aliter?

Respondetur, communiter Doctores apud Less. n. 84. docere, esse simoniacam, si fiat coram Ordinario; quia omnis pactio in spiritualibus simoniam continet, ex cap. finali *de Pact.* Quare debet resignatio coram Episcopo fieri absolute, & solum offerri preces possunt, ut illud amico tuo conferat. Quod si resignatio in favorem tertii fiat in manu Pontificis, licita erit, quia ejus præsentia, ut loquitur Rebuff., simoniam juris humani purgat, & veluti Sol tenebras dispellit. Less. tamen, Sot., Sylvestr. & alii negant, esse simoniacam, etiamsi fiat in manu Episcopi, quia sic renuncians nihil temporale accipit pro spirituali, nec proprie init pactum obligans Episcopum, cum nulla requiratur Episcopi promissio, sed resignatio fiat solum sub conditione, quam si Prælatus non acceptat, nihil actum est: Quamvis hujusmodi resignationes juxta stylum Curiæ fieri non possint ob imaginem simoniæ. Additque Covarr. contra Less. posse Episcopum acceptare hujusmodi resignationem rejecta conditione illa, tanquam turpi, atque adeo, cui maluerit beneficium illud conferre. Sanch. vero d. 35. docet, hujusmodi resignationes post motum Pii V. esse simpliciter irritas, & nullas (*a*).

„ (*a*) Simoniæ labe non carent Resignationes „ Beneficiorum cum reservatione pensionis, & pa- „ cto eam cassandi; nullæ propterea sunt; imo tam „ Resignans, quam Resignatarius per ejusmodi Re- „ servationem ab omni jure Beneficii decidit. Ex- „ stat hac de re Benedicti XIV. Constitutio, quæ „ ejusmodi est.

BENEDICTUS

EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

„ IN sublimi Beati Petri Cathedra Divina dispen- „ satione licet immerentes collocati gravi dolore „ constringimur, quoties considerationis nostræ o- „ culos convertimus ad præstantiorem Dominici „ Gregis partem, hoc est ad Ecclesiasticum cœtum „ eumque conspicimus vel pravis moribus, vel in- „ decoris actibus dehonestari; non enim ignari su- „ mus, quanta sit inde in populis corruptionis ti- „ menda pernicies, si sal, unde cætera condiri de- „ bent, evanuerit.

„ Pervenit quidem ad aures solicitudinis nostræ „ non raro contingere solere, ut quidam Clerici „ in minoribus, vel majoribus ordinibus constitu- „ ti, aut sola Ecclesiastica tonsura decorati, Bene- „ ficia, seu Officia simplicia, vel cum onere resi- „ dentiæ possidentes aliis resignent, annua sibi „ pensione sub Apostolico beneplacito reservata, „ inito eodem tempore pacto cum Resignatario cas- „ sandi, & abolendi dictam pensionem, repræsen- „ tata pecunia, nempe factis quibusdam anticipa- „ tis solutionibus pecuniarum ad eam summam, „ quæ ad abolitionem, & extinctionem prædictæ „ pensionis, vel potius ad palliatam ipsius bene- „ ficii venditionem nefarie perficiendam, expres- „ sa inter partes conventione, stabilita fuit. Et „ quoniam profani isti Beneficiorum distractores „ non ignorant, si hujusmodi improba pacta Da- „ tariæ Apostolicæ nostræ Ministris, aut Nobis „ innotescerent, nunquam resignationes hujusmo- „ di a Datario, vel Prodatario Nostro, vel a „ Nobis, aliisque Romanis Pontificibus pro tem- „ pore existentibus admitterentur, ut circumspe- „ ctam eorumdem Datariæ Apostolicæ Officia- „ lium, & Nostram, aliorumque Pontificum vi- „ gilantiam fallerent, callida malorum hominum „ improbitas hanc perditionis viam, & rationem „ excogitavit: Arcano, & clandestino pacto inter „ resignantem, & Resignatarium ad pensionem „ cassandam, & extinguendam conventa pecuniæ „ quantitate, eaque quandoque etiam deposita apud „ publicum mercatorem, seu mensam argenta- „ riam, unitim ac simul expediri curant Bullam „ resignationis Beneficii, & alteram pensionis re- „ servatæ super eodem Beneficio favore Resignan- „ tis; ita tamen ut prope eodem, vel non multo „ post tempore, quo supplicationi pro reservatio- „ ne pensionis solita data apponitur, alia suppli- „ catio subscribatur seu signetur pro cassatione, „ atque extinctione ejusdem pensionis per antici- „ patas, seu anticipandas solutiones facienda, nul-

„ la

„ la mentione facta de præcedenti abominanda „ conventione, & simoniacam labem redolente „ pacto, quo Beneficii resignatio in occultam ipsius Beneficii venditionem execrabili transformatione commutatur.

„ Cum autem hujus generis pacta improba, reprobata, damnata sint, & gratiæ hujusmodi cassationis, seu extinctionis pensionis tanquam subreptitiæ, & dolosa calliditate obtentæ, & quæ, rei veritate, & totius negotii serie expressa, nunquam a Sede Apostolica concessæ fuissent, nullæ, irritæ, ac inanes sint, & in maximum animarum eas fraudolenter impetrantium damnum ac detrimentum tendant, & præterea scandalo simplicibus, & bonis abominationi, & pluribus æterno exitio sint: Siquidem gratiarum hujusmodi impetratores, qui Ecclesiastica Beneficia tali infami mercatu negotiantur potius, quam resignant, non solum gravissimo peccato, quod præ oculis habere deberent, animas suas illaqueant, sed insuper palam apud omnes in populo non sine infamia Ecclesiastici ordinis exsecrantur, & contemnuntur; Et si pro aliis Beneficiis obtinendis ad Datariam Apostolicam accedere ausi fuerint, tanquam Beneficiorum Venditores male audiunt, & publice redarguuntur; cum statim ipsis ad eorum competitoribus opponatur resignatio facta cum cassatione pensionis per anticipatas, seu anticipandas solutiones, hoc est, indigna Beneficii jam antea obtenti negotiatio, & clandestina sub ambagibus, & fraudulentis conventionibus detestanda venditio:

„ Nos igitur hoc execrabile malum, quo non leve Ecclesiastico Ordini dedecus, & infamiæ nota inuritur, prout necessitas, & pastorale munus postulat, coercere in futurum volentes, & longe a Sanctuario Dei profanam hujusmodi abominationem removere, motu proprio, ac certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine statuimus, & declaramus, omnia hujusmodi pacta, & conventiones pro cassatione, seu abolitione pensionum per anticipatas, vel anticipandas solutiones contemporanee ad resignationes Beneficiorum cum reservatione pensionis per quascumque personas quavis dignitate honore, ac præeminentia insignitas inita, tanquam a Sacris Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus improbata, & simoniacam labem redolentia, nulla, cassa, ac irrita esse; & omnes cassationes abolitiones, & extinctiones pensionum hujusmodi, quas in posterum intra sex menses a die captæ possessionis Beneficii per Resignatarium computandos, fieri contigerit, etiam si nullum præcedens pactum intervenisse inter partes probari possit, & cassatio prædicta secuta sit vigore supplicationis manu nostra, vel Romani Pontificis pro tempore signatæ, quam nullatenus tanquam per subreptionem, & fraudes obtentam neque in judicio, neque extra ad ullum effectum eis suffragari volumus, irritas, nullas, & inanes esse, ac omnibus viribus, ac effectu vacuas, & quatenus opus sit, motu, scientia, & deliberatione simili, deque Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium damnamus, revocamus, annullamus, cassamus, & abolemus, & insuper tam Resignantem, quam Resignatarium ab omni jure Beneficii decidisse, eosque ipso facto absque alia declaratione, vel Judicis sententia privatos, & ad alia obtinenda inhabiles esse, ac fore, & a quocumque Beneficium hujusmodi tanquam de jure, & de facto vacans impetrari posse; & præterea Resignantem ad restituendas pecunias pro cassatione pensionis hujusmodi indebite, & simoniace perceptas, quæ arbitrio Ordinarii erunt piis locis applicandæ, vel pauperibus personis distribuendæ, sub peccato gravi teneri, & Ecclesiasticis remediis, ac pœnis, si renuat, ipso jure absque alia sententia, & declaratione, cogi posse, motu, scientia, & potestate pari decernimus, & declaramus.

„ Et quoniam multa malitia hominum est in terra, ut omnis aditus fraudibus & dolis, quos perversa nonnullorum calliditas, & in exitium sui ingeniosa excogitare consuevit, quoad fieri potest, intercludatur, volumus, præcipimus, & declaramus sub hac nostra voluntate, constitutione, & dispositione comprehendi omnes, & singulas cessiones, seu translationes in ipsum Resignatarium, aut in aliam personam commodi, seu utilitatis percipiendi fructus pensionum hujusmodi, nec non alias quascumque cessiones, translationes, resignationes, extinctiones, abolitiones quovis modo, titulo, nomine, colore, & auctoritate per anticipatas solutiones, seu præsentata pecunia, factas intra dictum tempus sex mensium, & etiam ultra id temporis spatium, dummodo reprobum illud, & detestabile pactum præcessisse constiterit.

„ Mandamus præterea & jubemus, easdem præsentes literas perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, & nullo unquam tempore sub quovis colore, & prætextu etiam defectus nostræ intentionis impugnari posse: Sicque & non alias in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam caussarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ præfatæ Nuncios, aliosque quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus Resignantium, seu Cedentium voluntatibus, conditionibus, protestationibus, & clausulis in ipsismet resignationibus, & cessionibus, seu Procuratorum constitutionibus, & mandatis, ac alias etiam ad præservationem suorum jurium, & significationem, quod non aliter nec alio modo resignant, seu cedunt appositis, & quacumque verborum vi, formula, & multiplicatione, & amplitudine expressis; nec non quibusvis indultis, privilegiis, & gratiis Apostolicis tam generalibus, quam particularibus quantumvis speciali mentione, & nota dignis quibuscumque Archiepiscopis, Episcopis, & aliis superioribus, & inferioribus Ecclesiarum Prælatis etiam S. R. E. Cardinalibus, ac eorum, & nostris familiaribus continuis commensalibus, nec non Literarum Apostolicarum Scriptoribus, Abbreviatoribus, cæterisque Romanæ Curiæ Offi-

„ ficialibus concessis, & confirmatis: cæterisque „ contrariis quibuscumque.

„ Cæterum ut facilius præsentes Literæ omnibus innotescant, & nemo prætextu illarum ignorantiæ excusari possit, jubemus, eadem ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, aliisque locis solitis, & consuetis, ut moris est, publicari, eorumque exempla affigi: Volumusque eas sic publicatas omnes, & singulos perinde afficere, & obligare, ac si illis ipsis fuissent singulariter intimatæ. Exemplis quoque prædictis etiam impressis, manuque Notarii publici, & sigillo Prælati Ecclesiastici, vel ejus Curiæ obsignatis eamdem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

„ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, constitutionis, declarationis, annullationis, infirmationis, prohibitionis, interdicti, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quagragesimo primo, quarto Cal. Septembris, Pontificatus nostri anno Secundo.

ARTICULUS IV.

An transactio in re Beneficiaria sit a Simoniæ labe immunis?

I. *In re Beneficiaria transactio est simoniaca, si fiat per ipsos litigantes.*
II. *Secus vero, si fiat auctoritate Judicis, & Superioris.*
III. *In hoc non præsumitur Simonia, sicut in collitigantibus.*
IV. *Episcopus Pensiones imponere potest solum ratione transactionis; Et similiter via transactionis permutari potest auctoritate Episcopi Beneficium tenue cum pingui.*
V. *Neque est Simoniaca transactio isthæc, si fiat per arbitros electos ab ipsis collitigantibus.*

I. TRansactio est pactio non gratuita de re dubia, & lite incerta ad litem dirimendam, ita ut alter beneficium v. g. dubium pacifice possideat, alteri vero aliquid solvat. Differt autem ab amicabili compositione, per quam ligitantes amicabiliter promittunt stare judicio alicujus viri prudentis, ut lis gratis dirimatur.

Dico nunc primo. Transactio in re Beneficiaria facta per ipsos litigantes est simoniaca. Probatur tum ex cap. *Cum pridem de pact.* ubi Pontifex hujusmodi transactionem reprobat, quia pravam illicite pactionis speciem continet; tum a priori, quia per hujusmodi conventionem acquiritur mediante pecunia jus certum in beneficium, quod ante erat dubium; sed acquirere jus certum, mediante pecunia, in beneficium, quod antea non habebatur, est simonia, ut patet; ergo hujusmodi transactio est simoniaca. Quod etiam intervenit, quando quis pecunia redimit vexationem justam, qua impetitur post beneficium obtentum, ut dicemus articulo sequenti.

Confirmatur, quia permutare pecunia beneficium est simonia, ut est certum; ergo etiam transactio, quæ species quædam est similis permutationis, cum per ipsam acquiratur jus novum, & certum, quod prius non habebatur relate ad beneficium, interveniente pecunia.

II. Dico secundo. Non est simoniaca transactio, si fiat auctoritate Judicis, & Superioris decernentis, ut unus ex collitigantibus beneficium habeat, & solvat alteri certam pecuniæ quantitatem, vel pensionem.

III. Probatur, tum ex cap. *Nisi esset* de Præbend. tum quia, ut notat Suar. c. 11. in Judice non potest præsumi malitia simoniæ, quæ potest facile reperiri, si transactio fiat per ipsos collitigantes: Isti enim regulariter non attendunt, nisi ad propriam utilitatem; unde facile spirituale conferunt pro temporali; compositio vero facta per arbitrium Judicis præsumitur recte procedere, & secundum ordinem juris ratione officii, cui concessum supponitur, quod possit utrique parti providere de fructibus beneficii, non in pretium juris in beneficium, sed in bonum pacis; quod, cum temporale sit, est pretio æstimabile, & potest arbitrio Judicis pecunia obtineri.

Neque dicas primo, Hoc ipsum posse attendi ab ipsis collitigantibus; atque adeo transactio ab his facta neque erit simoniaca. Nam contra est, quia ex dispositione juris hoc prohibetur collitigantibus propter præsumptionem simoniæ, quæ non præsumitur in judice.

IV. Neque dicas secundo, solum Pontificem posse conferre beneficia cum obligatione pensionis solvendæ, Episcopum vero debere integre beneficia conferre: ergo transactio per Episcopum facta erit pariter simoniaca. Nam, ut notat Suarez, loco laudato, quamvis non possint auctoritate Episcopi renunciari, aut permutari beneficia cum reservatione pensionis, potest tamen auctoritate Episcopi imponi pensio ratione transactionis ob bonum pacis: hæc enim est una ex exceptionibus illius regulæ generalis, quod beneficia sine diminutione conferantur, quod jam usus obtinuit. Non potest tamen beneficium materialiter dividuum per Prælati compositionem via transactionis dividi, quia talis dismembratio nullibi reperitur in jure permissa sine Pontificis auctoritate.

Ex dictis sequitur, posse etiam ex Prælati auctoritate fieri transactionem, permutando beneficium pingue cum alio tenui, aut alia re spirituali: Non potest tamen id fieri auctoritate propria, quia, ut notat Suarez, lib. 4. cap. 55. in re Beneficiaria omnis pactio, propria auctoritate facta, declaratur simoniaca in jure canonico. Si tamen permutatio unius rei spiritualis cum alia non fit in materia beneficii, sed vel in jure jurisdictionis, aut alio simili, potest fieri propria auctoritate via transactionis, quia hujusmodi transactio neque esset simonia juris naturalis, eo quod non esset permutatio temporalis cum spirituali, sed spiritualis cum spirituali; neque juris Ecclesiastici, quia in jure canonico solum in re Beneficiaria hujusmodi permutatio prohibetur.

V. Di-

V. Dico ultimo cum Suar. loc. cit. Azor. part. 3. lib. 12. cap. 8. Tabiena, Sylvest., probabilius esse, non committi simoniam, si transactio in re Beneficiaria fiat per arbitros electos ab ipsis collitigantibus.

Probatur, quia quamvis hujusmodi arbitri secundum se non sint Judices, aut superiores, nihilominus, postquam a collitigantibus eliguntur, habent a jure auctoritatem judicandi; ergo sicut fieri potest transactio auctoritate Judicis, ita etiam auctoritate arbitrorum: unde in jure non solum non reprobatur, sed comprobatur hujusmodi compromissum, & laudum, ut constat ex c. 2. *de Arbitris*.

ARTICULUS V.

An redemptio vexationis in re Beneficiaria sit simoniaca?

I. *Vexatio justa in spiritualibus non potest pecunia redimi.*

II. *Injusta vero vexatio extra materiam beneficialem redimi potest.*

III. *Et probabiliter id licitum est etiam in gravi, nedum in extrema necessitate.*

IV. *Nequit tamen dari spirituale ad tollendam injustam vexationem.*

V. *In re tamen beneficiaria simonia committitur redimendo vexationem injustam ab eo, qui potest prodesse, quatenus tali; non vero ab eo, qui potest obesse.*

VI. *Redimendo vexationem justam, ponuntur media ad obtinendum spirituale; at redimendo injustam, solum removetur prohibens.*

VII. *Non est simoniacus, sed injustus, qui pecuniam accipit, ne injuste vexet in spiritualibus.*

VIII. *Plurima hinc ad praxim deducuntur.*

IX. *Quid, si pecunia detur ei, qui potest prodesse, ne injuste impediat possessionem beneficii jam obtenti.*

I. Dico primo, universim non posse redimi pecunia vexationem justam in spiritualibus: v. g. si juste denegetur absolutio, aut beneficium, aut si juste impediatur collatio beneficii, per hoc scilicet quod manifestentur Episcopo defectus tui non occulti, non poteris justam istam vexationem citra simoniam redimere.

Probatur, quia pecunia pararetur via ad acquirendum aliquod spirituale.

II. Dico secundo. Ad redimendam vexationem injustam in spiritualibus extra materiam beneficiorum potest offerri pecunia: v. g. licitum est dare pecuniam nolenti tibi aliter conferre Baptismum, aut Absolutionem, ut colligitur ex cap. *Dilectus de sim.* Ratio est, quia in tali casu non daretur pecunia in pretium Baptismi, aut absolutionis, sed pro tollendo impedimento injusto, seu pro amovenda injuria, quod est aliquid temporale; unde non daretur pecunia pro spirituali, sed pro temporali.

III. Utrum autem id liceat solum in extrema necessitate, ut probabilius censet Sanch. dub. 2. an etiam in gravi: v. gr. si moriturus sit adultus, unde posset saluti suæ consulere cum sola contritione? communius docent cum Less., Laym., Filliuc., etiam in gravi hac necessitate licere propter non levem difficultatem contritionis; atque adeo propter ingens periculum salutis, si quis sine sacramentis moriatur.

IV. Ex dictis sequitur, quod licet possit dari temporale ad tollendam vexationem injustam, eo quod daretur temporale pro temporali, non potest tamen dari spirituale ad tollendam injustam vexationem; v. gr. non potest dari alicui beneficium, vel Baptismus, ne tibi injuste mortem intentet, aut ne impediat injuste assequutionem beneficii pinguioris, deducendo scilicet id in pactum. Ratio est, quia daretur spirituale pro temporali, hoc est pro tollendo impedimento injusto; dare autem spirituale pro temporali est aperta simonia. Quod si non deducatur in pactum, ne implicitum quidem, sed detur spirituale intendendo sic avertere vexationem injustam, addendo etiam preces, docet Bonac. qu. 1. §. 8. id simonia vacare.

V. Dico tertio cum Less. num. 106. Suar., Bonacin. in materia beneficiorum simonia non committitur tradendo pecuniam ad redimendam vexationem injustam ab eo, qui potest obesse, propter rationem in superiori conclusione adductam; quia scilicet non datur pecunia pro beneficio, sed pro „ amovenda injuria. „ Facile tamen posset quis „ hallucinari, atque obtentu redimendæ injustæ va„ xationis committere Simoniam. Ea de caussa a „ S. Carolo Borromæo, atque a pluribus Synoda„ libus Constitutionibus, quas recenset Benedictus „ XIV. *de Synodo Diœcesana Lib. XII. c. VI. nu.* „ *IX.*, tantum est, ne id „ fiat sine Episcopi con„ sensu." Committitur tamen simonia, si tradatur pecunia ad redimendam injustam vexationem ab eo, qui potest prodesse, quatenus tali: v. g. si Episcopus potens mihi prodesse conferendo beneficium, velit conferre illud indigno, simoniam committo, offerendo illi pecuniam ad injustam hanc vexationem tollendam, ut colligitur ex cap. *Sicut suus de Sim.* Et ratio est, quia pecunia paratur via ad beneficium, in quo consistit deformitas simoniæ; vexatio enim in hoc casu nihil aliud est, quam negatio collationis beneficii; ergo, si datur pecunia, ut tollatur vexatio, consequenter datur pecunia, ut mihi beneficium conferatur.

Dixi, si Episcopo, qui prodesse potest, quatenus tali, pecunia offeratur: nam, si non vexet, quatenus prodesse potest, seu quatenus habens potestatem conferendi mihi beneficium, sed quatenus persona privata, v. gr. infamando, subornando Electores &c. non committitur simonia ad injustam hanc vexationem redimendam, quia per accidens est, quod ab Episcopo talis injuria inferatur. Quare sicut simonia non committitur, ut diximus, si pecunia redimatur vexatio injusta ab eo, qui potest obesse, ita nec si inferatur ab Episcopo, qui prodesse potest, sed non quatenus tali. Notandum tamen, hujusmodi simoniam esse solius juris humani, quia, ut constat ex stylo Curiæ, ab Ecclesia prohibetur, ad vitandam suspicionem simoniæ, quæ in ea præsumitur. Si quis autem pecuniam traderet sincero animo, ne indignus eligatur, quamvis ipse solus esset dignus, & ideo eligendus, putant Nav., Val., Palaus apud Croix lib. 3. p. 1. num. 145. quod saltem speculative loquendo nullam simoniam committeret; quia Ecclesiæ prohibitio non præsumitur pro tali casu, quo quis vellet defendere jus, quod habet Ecclesia, ne eligantur indigni. Verum probabilius dicendum cum Suario, & aliis committi in hoc etiam simoniam

saltem juris Ecclesiastici, cum prohibuerit Ecclesia universim hanc redemptionem vexationis, tum ob scandalum, tum ob periculum simoniæ, quod in hoc casu non cessat.

VI. Objicies primo contra secundam conclusionem. Tam paratur via per temporale ad spirituale, offerendo pecuniam ad redimendam vexationem justam, quam injustam in spiritualibus; ergo in utroque casu committitur simonia.

Respondeo, nego antecedens. Disparitas est, quia redimens vexationem justam ponit media ad spirituale, puta ad absolutionem, aut ad beneficium; contra vero redimens vexationem injustam removet tantum prohibens; unde per accidens sequitur spirituale, quod intenditur, videlicet absolutio, aut beneficium. Universim enim paratur via ad finem aliquem obtinendum per dispositiones, & media, non per remotionem impedimentorum; & ideo non dicitur simoniam committere, qui pecunia scientiam acquirit, quia per scientiam solum removetur inhabilitas, seu impedimentum ad beneficium.

VII. Objicies secundo. Iniquus vexator peccat peccato simoniæ accipiendo pecuniam, ut desistat ab injusta vexatione in spiritualibus; (v. g. si pecuniam accipiat, ut baptizet) quia accipit temporale pro spirituali; ergo etiam eodem peccato peccat, qui eidem vexatori pecuniam tradit, ut ab ea vexatione injusta desistat.

Respondeo distinguo antecedens; si accipiat pecuniam pro collatione Baptismi, concedo; si vero, ut desistat a vexatione injusta, nego antecedens, & consequentiam: tunc enim pecuniam accipiens non peccaret peccato simoniæ, quia non acciperet temporale pro spirituali, sed solum peccato injustitiæ, quia per injuriam extorqueret pecuniam ab invito: Contra vero, qui pecuniam tradit, nullatenus peccat, sicut non peccat, qui solvit usurario usuras, quando ad id cogitur ex necessitate mutui.

VIII. Sequitur ex dictis primo, Simoniam a te non committi, si concurrens cum alio æque digno ad beneficium pecuniam offeras Titio, ne subornet Electores ad illum alium eligendum; dummodo pecunia non tradatur, ut ut eligaris, seu ut Titius ad id opem præstet.

Sequitur secundo, neque simoniam committi, si tradas pecuniam Titio, ne te injuste infamet apud electores, aut ne precibus, aut muneribus pervertat illos in te propensos, ut notat Suar. & Less. loc. cit. contra Sotum; sicut nec si pecuniam offeras, ne te injuste detineat, ne concurras. Ratio est, quia non traditur pecunia pro electione, sed pro cessatione nocumenti, quod alter tibi injuriose infert. Non licet tamen ad resistendum subornationi factæ ob alio, resistere alia subornatione: v. gr. si Titius subornet Electores, ne te eligant, sed ipsum, non poteris eosdem subornare, ne illum eligant ad repellendam injuriam, quia non sunt facienda mala ad repellendam injustam vexationem. Neque dicas, licitum esse vim vi repellere, & monopolium monopolio: ergo etiam licitum erit subornationem subornatione repellere. Negatur enim consequentia; & disparitas est, quia datur compensatio in injuria reali, non vero in delictis patrandis: Possum enim per compensationem subripere centum ab eo, qui tantundem damnum mihi intulit: at non possum vulnerare, aut infamare illum, qui me vulneravit, aut infamavit; per monopolium autem infertur injuria realis, & ideo licitum est alio monopolio illud repellere; Contra vero, per subornationem in casu nostro irrogatur injuria rei sacræ, & ideo non licet subornatione subornationem repellere.

Addit Less., posse a te offerri pecuniam Titio, ut cesset a tibi nocendo precibus suis pro alio exhibitis apud Electores; (quod solum esset peccatum contra charitatem) quia talis vexatio est etiam (licet large) injusta, quatenus est contra jus large sumptum, quod habet quilibet, ne sine causa lædatur; quamvis id non esset contra justitiam, seu jus strictum.

Sequitur tertio, simoniam committi, si offeras pecuniam digniori, ne ad beneficium concurrat, ut tu ad illud eligaris, quia sic via pararetur ad beneficium. Sicut enim via sternitur ad beneficium, si pecunia offeratur ad tollendam vexationem justam, ita prorsus in hoc casu, ut notant Azor., & Reginald. lib. 23. dub. 3.

Sequitur quarto, non committi simoniam, si offeratur pecunia testi pro dicenda veritate apud Episcopum; quia sic redimitur impia obstinatio, & vexatio testis nolentis aliter testificari. Ita Suar. cap. 53. Bonac., Ugol. An autem testis hic teneatur ad restitutionem? alii aliter. Suar. putat, communem esse Theologorum, & Jurisperitorum sententiam, quod teneatur. Sed Vasq., Valent., Bonac., Navarr. negant, putantes, testem ad id non teneri ex justitia commutativa, sed legali.

Sequitur quinto, non committi simoniam, si Episcopo injuste deneganti absolutionem a censuris pecunia offeratur, ut illam conferat. Ita Suar. c. 50. & alii apud Bonac. contra Hugolin. & alios. Ratio est, quia non datur pecunia pro ipso actu spirituali, sed pro tolenda injusta vexatione, quod jure naturali, & divino vetitum non est, nec in jure canonico prohibitum invenitur.

Sequitur sexto, posse nos pecunia redimere a Tyranno reliquias, aut Eucharistiam, &c. Ratio est, quia non datur in pretium illarum, sed ad redimendam injustam vexationem; jus enim habet ecclesia ad illas conservandas in venerationem, & injuria fit ecclesiæ, si detineantur apud Infideles cum contemptu; unde honor, & cultus potius illis exhibetur sic redimendo, quam irreverentia.

Sequitur ultimo, quid dicendum si Parochus, v. g. accipiat pecuniam a Titio inimico Caji, ut Cajo moribundo neget absolutionem? Et quid, si Cajus moribundus majorem pecuniam offerat eidem Parocho ad absolutionem obtinendam? Respondetur enim, in neutro casu rigorosam simoniam committi. Nam in primo casu Parochus, dum negat audire confessionem, non accipit temporale pro spirituali, quia, ut diximus quæst. 7. cum communiori contra Ugolin., talis omissio non est usus potestatis supernaturalis, sed usus propriæ libertatis. Tunc solum haberetur simonia juris Divini, quando propter pecuniam audita confessione illum repelleret, tanquam indignum: Sicut etiam, quando Prælatus nollet sine pecunia tollere censuram post resipiscentiam rei; quia hæc omissio est usus potestatis supernaturalis datæ a Christo Domino solvendi, atque ligandi. In secundo vero casu daretur a Cajo pecunia Parocho ad redimendam vexationem injustam: ergo in neutro casu simonia committeretur.

IX. Denique dubium est, num simonia committatur offerendo pecuniam in materia beneficiorum ad redimendam vexationem injustam ab eo, qui potest prodesse, quatenus tali, quando post obtentum beneficium per institutionem, vel confirmationem, aut electionem inique impeditur mihi possessio illius, aut inique tollitur possessio jam obtenta beneficii?

Respondetur, Suar., Less., Reginald., Filliuc. negare ex cap. *Dilectus de Sim.*, quia scilicet beneficii possessio secundum se non est aliquod jus spirituale, sed factum temporale: Unde non datur pecunia pro re spirituali, sed pro facto temporali, quod est quidem annexum titulo spirituali, quia tamen titulus spiritualis jam est plene acquisitus per collationem beneficii, non intenditur possessio, tanquam quid annexum rei spirituali, sed tanquam aliquod temporale, ac per se debitum, cum supponatur titulus, propter quem debetur. Quare sicut non committitur simonia redimendo fructus bebeficii injuste negatos, quamvis sint annexi titulo spirituali; quia non redimuntur, quatenus annexi rei spirituali, cum non revocetur in dubium ipsum jus beneficii, quod supponitur: ita in casu nostro.

Sed probabilior videtur sententia Soti, Hugolin., Bonac. punct. 5. n. 8., quod simonia committatur, si nondum sit capta possessio. Ratio est, quia possessio beneficii ita est annexa titulo spirituali, ut tradat novum jus beneficii, nempe jus in re; quandoquidem per collationem beneficii habetur solum jus ad rem. Unde multi Doctores cum Less. contra Garz. apud Dian. part. 2. tract. 12. resol. 21. putant, non teneri ad horas canonicas beneficiarium ante possessionem beneficii captam, quia non habet adhuc jus plenum, & certum. Censeo tamen contra eundem Hugolin. cum communi, quod, si quis inique a possessione beneficii deturbetur, possit citra simoniam redimere pecunia istam vexationem injustam; quia per iniquam expulsionem non fuit diminutum jus beneficiarii, adeoque nihil spirituale redimitur, sed sola exequutio sui juris, quæ est quid temporale: Tenetur proinde hujusmodi beneficiarius ad recitationem horarum, cum spem habeat recuperandi fructus, posito quod injuste a Beneficii possessione sit deturbatus.

ARTICULUS VI.

An sit licita emptio Intercessionis pro Beneficio obtinendo?

I. Id non solum est Simonia juris Ecclesiastici, sed probabilius etiam juris naturalis.
II. Quid si pecunia detur familiari Episcopi, non ut intercedat pro beneficio obtinendo, sed ut illum informet de moribus oratoris?
III. Quamvis Simoniace offeratur pecunia mediatori pro beneficio obtinendo; dubitatur tamen, num mediatus intercessor dicatur presse Mediator.

I. Certum est, quod dare pretium intercessori immediato pro beneficio obtinendo simoniam contineat jure Ecclesiastico prohibitam. An etiam simoniam juris naturalis? Nonnulli apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 151. negant; quia revera non emitur beneficium, sed intercessio, quæ videtur esse quid temporale. Communius tamen, & probabilius cum Suar. Filliuc., & aliis apud Bonac. qu. 1., & Sanch. dub. 26. affirmant. Ratio est quia non datur pecunia pro intercessione quomodocumque, sed pro intercessione in quantum ordinata ad beneficium obtinendum: quare licet non detur pecunia ad emendum beneficium., datur tamen, ut per ipsam beneficium, seu res spiritualis possideatur, in quo consistit labes simoniæ; cum Simon magus noluerit Spiritum sanctum emere, sed solum pecunia illum possidere.

Confirmatur primo; etenim, si hæc non esset simonia juris naturalis, quia solum emitur intercessio, quæ est quid temporale, neque esset simonia dare pecuniam Episcopo, ut se benevolum tibi ostendat in collatione beneficii, unde possit te præferre aliis æque dignis, eo quod nec emeretur beneficium, sed affectus Episcopi, qui est quid temporale.

Confirmatur secundo, quia quamvis in tali casu Episcopus gratis beneficium conferat, tamen qui dat pecuniam intercessori, ut apud Episcopum intercedat, non recipit beneficium sine pecunia; sed recipere ptetio rem spiritualem, est verissima simonia naturaliter prohibita; ergo ut supra.

II. Notat tamen Bonac. cum Suar., Azor., Sanch. loc. cit., non esse simoniam, si detur aliquid familiaribus Episcopi, a quo beneficium conferendum est, non ut intercedant, sed ut aditum aperiant, vel facilem ingressum concedant, sive ut certiorem faciant Prælatum de meritis oratoris; dummodo non se habeant ut intercessores, sed ut informatores; quia hoc, quod emeretur, esset mere obsequium temporale, quamvis in praxi id sit periculosum. Neque est simonia, si intercessori aliquid detur ob laborem in eundo, ac redeundo ad collatorem, aut in compensationem lucri cessantis, vel damni emergentis; quia ut notat Nav. hujusmodi labores extrinseci etiam in aliis actionibus pure spiritualibus possunt sine labe simoniæ compensari.

III. Dubitatur ulterius, An sit simonia dare pretium intercessori mediato ad obtinendum beneficium? In extravag. enim *Cum destebabile de Sim.* excommunicatur mediator simoniacus; sed dubium est, an intercessor mediatus dicendus sit mediator? puta si detur pecunia Petro, ut intercedat apud Paulum, ut ipse Palaus intercedat pro me apud Episcopum collatorem beneficii, aut apud electores, aut patronos, ut me eligant, aut præsentent? Qua in re satis est referre verba Sanch. qui apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 151. hæc habet: Si daretur pretium cuidam tertio, ut intercedat apud alterum, cui non incumbit conferre, aut eligere, aut præsentare, ut iste tertius obsecret, ut detur illi beneficium, hoc non est illicitum, & nullo modo simonia; quia datur pretium pro re temporali, nec paratur via immediate, & proxime ad beneficium. Sic Gabriel, Vasqu. disputato casu Matriti, & alii juniores dicunt, hoc esse probabile, licet sentiant, oppositum esse probabilius; Et consequenter ad hanc sententiam dicunt, non esse simoniam, nec peccatum, dare aliquid famulo auditoris, ut obsecret suum Herum, ut me proponat Regi ad beneficium; quia auditores non præsentant ad beneficia, sed Rex, & eorum suffragium est mere consultivum, & sic non paratur via immediate ad beneficium; secus si daretur aliquid famulo Archiepiscopi Granatensis, ut precibus ab ipso Archiepiscopo obtineret, ut me præsentaret regi ad beneficium illius regni. Sic docti recentiores. Et licet hoc probabile sit,

le sit, probabilius tamen est oppositum; quia non potest negari, directe parari viam ad beneficium pretio, & sic emi beneficium. Hactenus Sanchez laudatus, cui nihil est addendum, nisi quod hujusmodi sententia minime sit consulenda aliis, cum per illam vere pecunia paretur via ad beneficium; nam qui beneficium accipit, illud vere possidet per pecuniam intercessori mediato oblatam. Nec valet dicere, quod per pecuniam solum possideatur intercessio mediata, ex voluntate vero libera collatoris possideatur Beneficium: nam idem posset dici de intercessione immediata; adeoque vel utriusque intercessionis emptio est simoniaca; vel neutrius.

QUÆSTIO ULTIMA.

De Pœnis Simoniacorum.

Triplex est pœnarum genus adversus simoniacos. Primum est pœnarum relate ad actus simoniacos, quatenus invalidantur. Secundum est onus restituendi acceptum per simoniam. Tertium vero censuræ, quibus simoniaci in Ordine, Beneficio, & Ingressu in Religionem ligantur.

Notandum tamen, hujusmodi pœnas non incurri per simoniam pure mentalem, cum Ecclesia non puniat actus internos; An autem incurrantur per simoniam non pure mentalem, quæ scilicet in actum externum emanavit, examinabimus infra art. 2., cum Doctores discordent. Propter simoniam vero conventionalem, si ex neutra parte datum sit aut pretium, aut res spiritualis, certum est apud Doctores, hujusmodi pœnas non incurri; conventionem tamen illam esse nullam; si vero datum sit pretium, sed non beneficium, aut alia res sacra, neque incurruntur, ut notant Cajet., & Sot., quia res sacra nondum sacrilege, & irreverenter contrectata est: Contra vero, si solum data sit res spiritualis, sed nondum traditum sit pretium, dubium est apud Doctores, an istæ pœnæ incurrantur; quod supra examinavimus quæst. 6. art. 1. Quare propter realem simoniam commissam in collatione ordinum, & beneficiorum, ac in ingressu religionis hujusmodi pœnæ universim incurruntur, ut mox videbimus percurrendo singula.

ARTICULUS I.

Quandonam acta Simoniace sint invalida?

I. *Functiones, & actiones ordinis, & jurisdictionis validæ sunt, quamvis sint simoniacæ.*
II. *Hinc valida est professio religiosa Simoniace emissa.*
III. *Necnon venditio calicis, qua consecrati, reliquiarum, jurispatronatus; quamvis pretium restituendum sit.*
IV. *Gratis dandæ sunt res spirituales, sed non irritatur earum venditio.*
V. *Jure dumtaxat Ecclesiastico irrita est beneficii collatio; sicut etiam actio jurisdictionalis ad beneficii provisionem ordinata.*
VI. *Resignandum est hujusmodi beneficium, sive simonia commissa juris naturalis sit, sive Ecclesiastici.*
VII. *Et quamvis simonia facta sit per alium, inscio beneficiario, dummodo hic non contradixerit, nec in ejus odium fiat; proderit tamen huic regula triennalis possessionis.*
VIII. *Quid de electione Pontificis Simoniaca?*
IX. *Valida est provisio simoniaca eorum, quæ proprie beneficia non sunt, puta Pensionis, Superioratus Religionum, & similium.*
X. *Pretium simoniace promissum non est solvendum; res autem spiritualis sic accepta retineri potest.*

I. Dico primo: Functiones, & actiones ordinis, & jurisdictionis simoniace factæ, per se loquendo, sunt validæ. Ratio est, quia ordinatio vel consecratio, sicut etiam quilibet actus jurisdictionis, vel facultatis naturalis simoniace factus nullibi irritatur. Idemque dicas de translatione dominii rei spiritualis, puta reliquiarum, in alium facta simoniace. Dixi, per se loquendo, nam Sacramentum Pœnitentiæ v. gr. Simoniace susceptum est invalidum per accidens, ratione mortalis, a quo suscipiens redditur incapax talis Sacramenti.

II. Hinc sequitur, validam esse professionem religiosam emissam simoniace, cum nusquam irritetur. Unde religiosus sic receptus habet jus ad sustentationem cum voce activa, & passiva, sicut reliqui; ut communiter docent contra Nav., & Rodrig. apud Bonac.

III. Sequitur secundo, validam esse emptionem simoniacam calicis, qua consecrati, reliquiarum, & similium; sicut etiam jurispatronatus, pensionis clericalis, &c. quamvis restituendum sit duntaxat pretium, ut dicemus articulo sequenti cum communi contra Garz., Bald., & alios apud Bonacin. putantes, rem etiam spiritualem obnoxiam esse restitutioni.

IV. Oppones. Nemo potest transferre dominium rei spiritualis in alium titulo oneroso, sed solum gratuito; præcipiente Christo Domino, *Gratis accepistis, gratis date*: ergo vendens v. gr. reliquias non transfert dominium, adeoque potest illas sibi usurpare, si non restituantur, pretio restituto. Præsertim quia in cap. ultimo *de rer. permut.* irritatur omnis permutatio rei spiritualis cum temporali, sicut etiam in cap. *Ea quæ* 1. qu. 3.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam: nam habens voluntatem transferendi dominium, v. g. reliquiarum, vere illud transfert, quamvis non possit transferre titulo oneroso. Christus

stus Dominus docet modum, quo debent spiritualia contrectari, sed non irritat substantiam actus, cui modus adjicitur, ut notat Suar. cap. 18. Ad id quod additur, falsum est, in primo textu adducto hujusmodi permutationem irritari: illam Pontifex solum prohibet, & irritari mandat; unde non est irrita, sed per sententiam judicis irritanda. Secundus textus non videtur generaliter usu receptus, ut notat Bonac.

V. Dico secundo, beneficia per simoniam collata, & obtenta jure tantum Ecclesiastico sunt irrita: Sicut etiam quælibet actio jurisdictionis, vel administrationis ordinata ad obtinendam beneficii provisionem. Ita communiter ex cap. *Sicut tuus*, & cap. *Matthæus de Sim.* Unde sequitur, beneficium sic obtentum resignandum esse, & fructus perceptos, aut propria culpa non perceptos restituendos esse aut successori in beneficio, aut Ecclesiæ beneficii, aut Cameræ Apostolicæ; nisi compositio obtineatur a Pontifice. Ratio est, quia nemo potest retinere fructus rei non suæ; Res enim suo domino fructificat. Quod verum est, etiamsi crimen simoniæ sit occultissimum; quamvis enim in tali casu non teneatur beneficiarius se prodere, & infamare, beneficium resignando, tenetur tamen quæsito prætextu, aut colore illud dimittere, vel dispensationem a Sacra Pœnitentiaria obtinere, aut ab ipso Pontifice juxta Bullam Innoc. XII. si simonia fuerit scienter contracta, & non sit occulta.

VI. Adde, id pariter verum esse, etiamsi simonia commissa solum sit juris naturalis, aut solum juris Ecclesiastici. Quare, si duo privata auctoritate beneficia permutent, uterque tenetur beneficium resignare. Ratio est, quia textus loquitur generaliter de quavis simonia. Neque dicas, in pœnis mitiorem interpretationem faciendam esse: ergo debet hujusmodi textus intelligi tantum de simonia juris naturalis; sicut, quando reservatur Sodomia, intelligitur de completa, & inter mares. Nam tunc mitior interpretatio in odiosis facienda, quando versamur in dubio, aut lex non est generalis: in casu autem lex est generalis, & nullum est dubium, an simonia juris Ecclesiastici sit rigorose simonia; sicut dubium est apud Doctores, num Sodomia, quæ non sit inter mares, aut non completa, sit rigorose Sodomia.

VII. Adde denique, id verum esse, quamvis simonia facta sit per tertiam personam, inscio beneficiario; (dummodo tamen id non factum sit in odium beneficiarii, aut ipso contradicente) ignorantia enim invincibilis quamvis possit excusare a culpa, & pœna, non excusat tamen ab actus invaliditate. Sic matrimonium est irritum, quamvis impedimentum v. g. consanguinitatis ignoretur. Potest tamen hic gaudere regula triennalis possessionis, ita ut, elapso bona fide triennio, turbari nequeat circa illud beneficium.

VIII. Dubium est, An etiam electio Pontificis invalida sit, si fiat simoniace? Negant Suar. c. 57. Filliuc., & Ognate, quia in cap. *Licet de Electio*n. excipitur electio Pontificis, ne Ecclesia exponatur schismatum periculis. Affirmant tamen communius cum Bonac. qu. 7. punct. 2. Less. num. 145., & aliis propter Bullam Julii II. id apertissime decernentis apud Rosign. cui frivolum videtur effugium Suarii, quod hujusmodi Bulla non sit usu recepta. Quare juxta hanc sententiam Pontifex simoniacus tenetur, etiam post quemlibet cursum temporis, quæsito colore, ne se, aut alios infamet, Pontificatum abdicare, cum Pontifex Apostolicus non sit, sed apostaticus. Interim tamen omnes ejus actus validi sunt, quia ex lege *Barbarius*, posito errore communi cum titulo colorato, Ecclesia supplet jurisdictionem. Quod si simonia sit publica, non solum tenetur ipse Pontificatum deponere, sed etiam omnes ejus actus invalidi sunt, & tenentur Cardinales alium eligere, cum ita Julius II. decreverit in prædicta Bulla a nullo revocata.

IX. Dico tertio. Quamvis beneficia Ecclesiastica simoniace collata nulla sint, valida tamen est provisio simoniaca aliorum officiorum, quæ proprie beneficia Ecclesiastica non sunt. Ratio est, quia in pœnis mitior interpretatio facienda est. Valida itaque est primo collatio simoniaca Pensionis, ut docent Suar., Reginald., Filliuc. contra Garziam. Secundo valida sunt officia Auditoratus, vel Clericatus cameræ per simoniam obtenta, sicut etiam officium Inquisitoris, Vicarii temporalis, aut quodcumque aliud habens potestatem spiritualem, aut jurisdictionem ad tempus. Tertio, officia etiam spiritualia religionum, puta Abbatis, Guardiani, Provincialis, quia hæc omnia non sunt in rigore beneficia Ecclesiastica, ut ostendit Bonac. qu. 7. punct. 2.

X. Quæres, An qui reliquias, aut beneficium obtinuit, promissa pecunia, teneatur pretium promissum solvere? Videtur, quod teneatur; aliter utrumque habebit, & rem spiritualem, & pecuniam, quod reputatur iniquum; non secus ac si quis retineat rem, & pretium. Sed dicendum, nec teneri, nec licite posse pretium promissum solvere: talis enim solutio simoniaca esset peccaminosa; nemo autem obligari potest ad peccatum. In tantum videtur ille obligatus, quia promisit: sed promissio, & quilibet contractus simoniacus jure naturæ nullus est: ergo nulla datur obligatio solvendi pretium promissum. Quod si quis ficte pecuniam promisit, & rem spiritualem accepit, potest illam retinere, cum ex communi DD. consensu valida sit collatio; ratione tamen fictæ promissionis tenetur solum compensare damnum, quod alter forte patitur, non tamen restituere beneficium, aut rem aliam spiritualem; nisi expresse sub ea conditione translatum sit dominium, quod detur pecunia; tunc enim non impleta conditione, non habetur voluntas transferendi dominium.

ARTICULUS II.

De onere restituendi pretium simoniace acceptum.

I. Jure naturali pretium simoniacum restituendum est, quando res spiritualis, pro qua solutum est, nondum est tradita.

II. Esto res spiritualis absolute tradita non sit restituenda, quando pretium non est solutum.

III. Pretium simoniacum restituendum est danti, non Ecclesiæ.

IV. Si res spiritualis sit tradita, pretium simoniace acceptum non est obnoxium restitutioni, ubi res

illa

illa spiritualis emolumentum afferat , dummodo non sit beneficium .

V. Contractus simoniacus solum est irritus relate ad obligandum de futuro.

VI. Nequit pretium retineri ob commodum spirituale , quo quis se privat in gratiam alterius .

VII. Multo magis , si dans rem spiritualem , puta beneficium , neque spirituali , neque temporali emolumento se privat .

VIII. Pecunia pro re spirituali datur conditionate ; res vero spiritualis datur absolute .

IX. Emens rem sacram simoniace potest illam retinere , & pretium recuperare citra ullum inconveniens .

X. Pretium simoniace acceptum ratione beneficii ante sententiam Judicis restituendum est .

XI. Pretium ob simoniam mentalem acceptum , si conjunctum sit cum injustitia , restituendum est jure naturæ danti .

XII. Idemque dicas de Usura mentali .

I. Explicandum prius , An qui pretium pro re spirituali accepit , & rem spiritualem non tradidit , teneatur pretium restituere , & cui ? Deinde , An teneatur ad restitutionem , qui pretium accepit , & rem spiritualem tradidit ? Demum , An quod restituendum est ex lege positiva Ecclesiæ , restituendum sit ante sententiam judicis?

Prima conclusio . Qui pretium accepit pro re spirituali , & illam non tradidit, tenetur jure naturali pretium restituere.

Probatur , tum quia datum ob causam retineri non potest causa non subsequuta ; censetur enim datum sub conditione: Tum etiam quia quodcunque accipitur ob turpem causam , v. g. ob adulterium , aut homicidium patrandum , antequam patretur delictum , restituendum est : ergo pretium simoniace acceptum restituendum est , antequam tradita sit res spiritualis : Præsertim quia tale pretium restituendum est , etiam post traditam rem spiritualem, ut dicemus conclusione tertia , ubi e contra pretium acceptum v. g. ob homicidium , patrato homicidio , restitui non debet.

II. Oppones . Datum ob causam retineri non potest causa non subsequuta : & tamen , si quis accepit rem spiritualem , verbi gratia , reliquias ob eam causam , ut donans fiat dominus pecuniæ sibi ob illas solutæ , nihilominus adhuc retinere potest talem rem spiritualem , quamvis donans non fiat dominus pecuniæ , sed teneatur pretium restituere , ut diximus articulo superiore : ergo etiam e converso poterit pretium simoniacum retineri , quamvis datum sit ob similem causam non subsequutam , videlicet quod tradatur res spiritualis.

Respondeo , dictum Axioma distinguendum ; quoties datum ob causam datur conditionate , concedo ; quoties datur absolute , nego . Hinc qui accipit rem spiritualem datam ob causam , ut pretium pro illa recipiatur , potest illam retinere, causa non subsequuta , quia datur absolute ; ut infra ostendemus : Contra vero pretium datum ob causam accipiendi rem spiritualem retinere non potest , causa non subsequuta , quia datur sub conditione ob eandem rationem : Sicut in qualibet emptione pretium restitui debet , si res vendita non obtineatur.

III. Secunda conclusio . Hujusmodi pretium restituendum est ipsi danti . Ita communiter contra Azor., & alios apud Less. putantes , restituendum Ecclesiæ.

Probatur, quia qui dedit pretium , posito quod dederit ex pacto oneroso, & sub conditione, quod sibi tradatur res spiritualis, non habuit intentionem transferendi dominium, conditione non adimpleta ; ut dicitur in omnibus aliis contractibus onerosis : ergo conditione non adimpleta , qui dedit pretium remanet illius dominus ; atqui res restituenda est domino suo , quoties in pœnam delicti alteri per sententiam judicis non est danda : ergo cum nullo jure ostendatur , tale pretium esse dandum Ecclesiæ , debet restitui ipsi danti.

Neque dicas , lucrum turpiter acquisitum non esse restituendum danti , ex leg. *Si ob turpem causam* . Nam id intelligendum , quando Judex in pœnam delicti decernit , ut detur pauperibus , vel Ecclesiæ : quare quoties id non decernit Judex, restituendum est domino suo.

IV. Tertia conclusio . Pretium simoniace acceptum pro re spirituali jam tradita , quæ importat incommodum aliquod temporale conferenti illam in gratiam alterius , verbi gratia , pro renunciatione proprii beneficii , non est obnoxium restitutioni de jure naturali , & divino ; quamvis de jure Ecclesiastico restitui debeat, & quidem ante sententiam Judicis , si res hæc spiritualis sit beneficium , ex cap. *Cum detestabile de simonia*.

Probatur , quia Titius v. g. renuncians tibi simoniace suum beneficium, accepto pretio, quamvis peccet contra religionem , non peccat tamen contra justitiam commutativam ; ergo non tenetur jure naturæ ad restitutionem, ad quam datur solum obligatio ex læsione justitiæ commutativæ. Antecedens probatur. Privatio commodi temporalis , quam recipit renunciando tibi suum beneficium, est pretio æstimabilis: ergo, si pro illa pretium proportionatum accipiat , non peccat contra justitiam commutativam; unde jure naturali pretium restitui non debet. Nec debet restitui ex jure Divino positivo; quia nullibi datur hujusmodi præceptum Divinum . Et quamvis Christus Dominus dixerit , *Gratis accepistis* , *gratis date* , præceptum hoc solum præscribit modum conferendi spiritualia, non vero irritat actum aliter de spiritualibus disponentem; nec imponit onus restitutionis, si acquisitum lucrum correspondeat juri secundum se pretio æstimabili, quo aliquis privet se conferendo spirituale in gratiam alterius.

V. Oppones : Jure naturæ contractus simoniacus est irritus : ergo jure naturæ restituendum est , quicquid per contractum simoniacum accipitur .

Respondetur primo cum Bonac. concesso antecedente, negatur consequentia; quia pretium non retinetur ratione contractus invalidi , sed ratione rei materialis traditæ cum proprio incommodo, quod pretio compensandum est . Secundo , distinguitur antecedens , jure naturæ est irritus contractus simoniacus, si obliget de futuro, v.g. ad tradendum spirituale pro temporali, vel e contra, conceditur ; si ita sit de præsenti, ut solum detur exequutio ipsius contractus, tradendo temporale pro spirituali, negatur

ante-

antecedens, & consequentia. Sic invalidus est contractus, quo meretrix accepto pretio obligat se ad turpitudinem: ea tamen sequuta licite pretium retinetur. Quare sicut invalide quis se obligat ad dandos Ordines sacros pro pecunia, valide tamen confert Ordines; ita invalide quis se obligat ad dandum pretium pro beneficio, quod tu illi resignes, valide tamen tradit pretium, & sine onere restitutionis de jure naturæ; Quamvis de jure canonico restitutio facienda sit in tribus duntaxat casibus, videlicet in materia beneficii, in collatione Ordinum, aliorumque sacramentorum, & in ingressu in religionem, prout infra dicemus numer. X.

VI. Rogabis, an sicut qui renunciat beneficium suum in gratiam alterius, potest de jure naturæ pretium retinere, eo quod privet se commodo temporali pretio æstimabili, ita possit pariter de jure naturæ, qui vendit reliquias, coronam benedictam, aut aliam rem sacram, retinere pretium, eo quod privat se commodo spirituali in gratiam alterius?

Affirmativa sententia probabilis videtur Lessio n. 158., quia privare se rebus spiritualibus est magnum incommodum subire, quod nemo tenetur subire gratis. Unde infert, quod si tibi hujusmodi res spirituales subripiantur, possis exigere compensationem in pecunia taxanda juxta prudentis judicium pro damno accepto: ita ut hoc ne jure quidem canonico prohibeatur, sicut prohibetur in materia beneficiorum.

Sed communiter id negatur cum Suar. lib. 4. de Relig. c. 59., & Bonac. q. 7. p. 3. quia commoditas spiritualis, qua hic se privat, non est vendibilis, nec prætio æstimabilis; unde non solum contra religionem, sed etiam contra justitiam peccaret, qui venderet alteri actiones suas satisfactorias ob commodum spirituale, quo se privat in gratiam alterius; si enim nihil dandum est pro mutilatione membri, pro cicatrice, pro vita erepta, &c. ut communius docent contra Less. c. 11. n. 97., quia hæc sunt ultra omne pretium; a fortiori idem dicendum in casu nostro.

VII. Quarta conclusio. Pretium simoniace acceptum pro re spirituali jam tradita, quæ nullum ferat incommodum conferenti, puta si detur pretium Episcopo pro collatione beneficii, de jure naturæ restituendum est. Ita Suar. c. 59. n. 36., Bon. qu. 7. p. 3. Less. contra Victoriam, Nav., Cajet., & Canonistas communiter apud eundem Bonac. putantes, jure tantum Ecclesiastico faciendam esse restitutionem in tribus illis casibus Beneficii, Ingressus in religionem, & Ordinum, aut administrationis aliorum Sacramentorum.

Probatur, quia Episcopus v. gr. conferens simoniace beneficium nullo se commodo temporali privat in gratiam beneficiarii, cum beneficium non possit retinere sibi, sed debeat ex proprio munere alteri conferre: ergo etiam contra justitiam peccat accipiendo pretium; atque adeo jure naturæ ad restitutionem illius tenetur, etiamsi rem sacram tradiderit. Neque enim retinere potest pretium ob commodum temporale, quod tibi confert conferendo beneficium, ut constat ex propositione 22. damnata ab Alex. VII. Ad eum modum quo obligatus v. g. dispensare centum in dotem alicui puellæ ad suum arbitrium determinandæ, contra justitiam peccaret, si acciperet decem a Berta, ut illam potius, quam aliam eligeret, ut communiter Doctores docent, quamvis conferret Bertæ commodum temporale, quod non tenetur illi determinate conferre. Et ratio est, quia sic non dispensaret puellæ centum, sed nonaginta contra voluntatem testatoris. Ita prorsus in casu nostro.

VIII. Oppones. Nemo tenetur restituere rem suam: sed Episcopus post collatum simoniace beneficium factus est Dominus pretii accepti: ergo non tenetur jure naturæ illud restituere. Minor probatur, quia tradens pecuniam habet voluntatem absolutam abdicandi a se dominium, & transferendi in Episcopum conferentem beneficium. Neque dici potest, quod habeat voluntatem conditionatam, (videlicet, si debeat ex justitia) unde non purificata hac conditione, non transfertur in Episcopum dominium pecuniæ. Nam, ut supra diximus, valide transfertur dominium rei spiritualis, quæ simoniace vendatur, quamvis restitui debeat pretium, quia res spiritualis datur absolute, & non conditionate, (videlicet, si pro re spirituali pretium accipi potest) ergo etiam valida est collatio simoniaca pretii, quia pariter pretium datur absolute, non conditionate, videlicet, si ex justitia debeatur.

Respondetur negando minorem: Ad probationem negatur assumptum; tradens enim pecuniam non vult illam absolute donare, sed solvere, quatenus Episcopus potest juste illam exigere; sicut mutuatarius solvens usuras non intendit dare illas liberaliter, sed solum quatenus ex justitia debentur; cum ergo in neutro casu debeatur quicquam ex justitia, ideo in neutro casu transfertur dominium. Neque obstat paritas adducta; constat enim rem sacram simoniace collatam conferri absolute. Nam qui confert, verbi gratia, Ordines sacros simoniace, vel qui vendit reliquias, non habet intentionem conditionatam, cum communiter ita contingat; quamvis solvens pretium intentionem habeat conditionatam non transferendi dominium, si non detur res spiritualis. Ita prorsus evenit in mutuo, in quo mutuans habet voluntatem absolutam transferendi dominium pecuniæ mutuatæ, non vero conditionatam; (videlicet, si potest juste usuras exigere) Contra vero mutuatarius habet voluntatem conditionatam transferendi dominium usurarum, videlicet si ex justitia debentur.

IX. Oppones ulterius. Res spiritualis simoniace accepta restitui non debet: ergo nec pretium simoniacum. Probatur consequentia, quia contra justitiam est, & rectæ rationi adversatur, ut pretium restitui debeat, non vero res sacra; alioquin emens rem sacram commodum reportaret ex delicto; nam & rem sacram retineret, & pretium recuperaret.

Respondeo, nego consequentiam; nec id adversatur rectæ rationi: nam in acceptatione pretii simoniaci facta est injuria tradendi pretium, quod ab ipso exigi non poterat pro re spirituali; Contra vero in acceptatione simoniaca rei spiritualis non est facta injuria tradenti illam, quia gratis omnino conferri debebat, quamvis injuria facta sit rei sacræ. Neque est inconveniens, quod emens rem sacram & illam retineat, & pretium recuperet; quia pretium est illi debitum ex justitia, & rem sacram habere debet gratis ex voluntate supremi domi-

dominii; unde non reportaretur commodum ex delicto, sed solum ex voluntate Dei volentis sine pretio res spirituales conferri; quamvis per sententiam judicis a simoniaco sint auferendæ.

Ex dictis sequitur primo, cum, qui ex justitia tenetur præstare functionem aliquam spiritualem, (ut Parochus tenetur administrare Sacramenta, & Episcopus concedere dispensationes, consecrationes, &c.) peccare etiam contra justitiam, si pretium pro iis accipiat; non secus ac miles, qui ex justitia tenetur militare, peccaret contra justitiam, si nollet militare, nisi accepto novo stipendio. Contra vero qui non tenetur ex justitia v. gr. audire confessiones, si quid simoniace accipiat ultra sustentationem jure naturæ debitam ratione laboris intrinseci, ad restitutionem non tenetur jure naturæ; Sicut non tenetur jure naturæ pretium acceptum restituere, qui suum beneficium in alium transfert privando se in gratiam illius commodo temporali; aut qui carius vendit fundum, cui annexum est jus patronatus, ob commodum temporale, quo se privat in gratiam alterius.

Sequitur secundo, Prælatum vendentem beneficia, & officia Ecclesiastica ad restitutionem pretii accepti jure naturæ obligari; sicut etiam qui pecuniam accipit, tanquam pretium v. g. reliquiarum, aut coronæ benedictæ excedens valorem illius materiæ; At monasterium ad restitutionem jure naturæ non tenetur, si pretio aliquem ad religionem admittat, modo non plus accipiat, quam ferat onus alimentorum.

X. Rogabis, An restitutio pretii simoniace accepti facienda sit ante sententiam judicis in tribus illis casibus, videlicet in ingressu religionis, in provisione beneficiorum, & in collatione Ordinum, in quibus jure Ecclesiastico obligamur ad restitutionem?

Respondent communiter contra Ugol. apud Bon. solum faciendam esse restitutionem ante sententiam judicis, si pretium simoniace acceptum sit pro collatione beneficii, aut alia simili actione ad provisionem beneficii ordinata, puta pro electione, confirmatione, præsentatione, &c. quod constat ex cap. *De hoc de sim.*, ubi dicitur tale pretium sine gravi salutis periculo retineri non posse. Ratio est, quia ex dictis in ultima conclusione jure etiam naturæ talis restitutio facienda est; quamvis, ut constat ex eodem cap. juxta sententiam Bonac. contra Sot., & Less., non sit facienda ipsi danti, sed Ecclesiæ, adversus quam commissa fuit simonia, nisi obtineatur compositio a sacra Pœnitentiaria, si delictum sit occultum, aut a Dataria, si publicum. In aliis vero duobus casibus, videlicet in ingressu religionis, & collatione Ordinum, & Sacramentorum, restitutio pretii simoniaci non est facienda ante sententiam judicis, quia talis restitutio ex dictis in tertia conclusione non est facienda jure naturæ, quamvis pretium excedat congruam sustentationem; nam ea conferens privat se commodo temporali in gratiam alterius, ad quod non tenetur ex justitia; neque in jure Ecclesiastico assignari potest textus obligans ad hanc restitutionem ante sententiam judicis.

XI. Denique dubitatur, num facienda sit restitutio pretii accepti per simoniam mentalem supra explicatam, videlicet non quæ sit solum mente concepta absque ullo opere externo, sed quæ trahit opus externum ex animo simoniaco, absque ullo tamen pacto: v. g. si quis stipendium missæ accipiat putans sibi deberi in pretium, absque ullo tamen pacto ne implicito quidem?

Affirmant Sot., & Azor., eo quod eadem sit malitia simoniæ realis, & mentalis; atque adeo, sicut restitutio hæc facienda esset, si simonia fuisset realis, ita facienda est, si sit mentalis. Negant vero Valent. Nav., Cajet. verbo *Simonia*. Sed melius distinguunt Less., Reginald. lib. 20. num. 430., & Suar. c. 59. n. 43. apud Bon., dicendo, restitutionem faciendam esse jure naturæ, quoties simonia mentalis conjuncta est cum injustitia, & damno alterius; secus vero si cum injustitia non conjungatur. Quare, si quis accipiat pecuniam pro Missa, pro ingressu in religionem, &c. putans, illam sibi dari in pretium, ita ut non constet dari titulo sustentationis, vel alio justo titulo, tenetur ad restitutionem; quia omnis actio injusta obligat ad restitutionem. Contra vero, si quis emat justo pretio aliquid, quod Ecclesia intuitu religionis vendi interdixit, v. g. Chrisma, ad restitutionem non tenetur, neque jure naturæ, quia justo pretio vendidit; neque jure Ecclesiastico; nam in cap. ultim. *de Sim.* expresse habetur, Acquisita per simoniam mentalem non esse obnoxia restitutioni.

XII. Dices. In cap. *Consuluit de Usur.* definitum est, usuram mentalem obligare in conscientia ad restitutionem: v. gr. si quis pretium accipiat, putans illud sibi dari pro mutuo: ergo etiam simonia mentalis.

Respondeo cum Bonac. contra Rosignol., idem dicendum de Usura mentali, ac de simonia mentali, videlicet tunc usuram mentalem obligare ad restitutionem, quoties conjuncta est cum actione injusta, & damnificativa, ut si constaret, pecuniam non dari alio justo titulo damni emergentis, vel lucri cessantis, sed solum titulo mutui; Sicut, si constaret, stipendium missæ dari solum in pretium, non titulo sustentationis. Quod si aliud constet, quamvis peccet tam qui animo usurario recipit pecuniam titulo mutui, quam qui animo simoniaco recipit pecuniam in pretium missæ, non tenetur tamen ad restitutionem. Et sane qui bona fide contractum usurarium celebravit, putans esse licitum, probabiliter, ut docent Sa, & Tannerus apud Dian. p. 1. tr. 8. res. 47. & p. 2. tr. 5. res. 92., non tenetur ad restitutionem, si posset lucrum illud retinere ratione alterius contractus liciti, quem inire potuisset; & uterque contrahentium censeatur implicite in id consentire; (quamvis Less. disp. 20. n. 102. velit, quod expresse in id consentiant). Si tamen mala fide illum celebravit, nullatenus eximitur ab onere restitutionis, ut communissime docent contra Vercelli apud Tambur. cap. 8. §. 3. Idemque dicendum videtur de contractu simoniaco.

ARTICULUS III.

De aliis pœnis Simoniacorum.

I. Præter invaliditatem collationis beneficii datur inhabilitas ad alia obtinenda. Et num Episcopus in hoc dispensare possit?

II. Ad incurrendam hanc pœnam num requiratur sententia declarativa criminis?

III. Cur inhabilitas ad idem beneficium obtinendum incurratur ipso facto, non tamen inhabilitas ad alia obtinenda?

IV. Me-

IV. Mediatores hac in re excommunicantur, effectu tamen sequuto.
V. Ob collationem ordinum simoniacam incurruntur etiam variæ suspensiones præter excommunicationem; sed nomine ordinum non venit prima Tonsura.
VI. Pariter ob ingressum in religionem simoniacum incurritur excommunicatio, & nomine talis ingressus solum venit admissio ad professionem.
VII. Aliæ pœnæ incurruntur ob simoniam confidentialem, quamvis non sit ex utraque parte completa.
VIII. Tunc spes in resignante fert simoniam confidentiæ, quando conjungitur cum animo obligandi resignatarium ad pensionem, aut iterum resignandum illud beneficium sibi, vel alteri; quod si advertat resignatarius, erit pariter ipse simoniacus.
IX. Dispar est ratio inter mutuatarium advertentem ad animum usurarium mutuantis, & resignatarium advertentem ad animum simoniacum resignantis beneficium.

I. PRæter nullitatem actus simoniaci, & onus restitutionis, dantur aliæ pœnæ in jure canonico adversus simoniacos. Et primo, si in beneficio aliquo commissa sit simonia, quamvis ignorante beneficiario, non solum invalida est, ut diximus, beneficii collatio, sed etiam beneficiarius fit inhabilis ad illud iterum obtinendum: In qua inhabilitate solus Pontifex dispensare potest, si beneficium sit curatum; si vero simplex, etiam Episcopus, ex cap. *Quicumque* 1. qu. 3. Imo jure novo Pii V. ut notat Regin. l. 30. n. 176., idem beneficiarius redditur inhabilis ad alia etiam beneficia obtinenda; Quamvis, si crimen sit occultum, possit etiam probabiliter super hoc ab Episcopo dispensari, ex Less. num. 140. propter concessionem Trid. in cap. *Liceat*.

II. Dubitatur tamen, an inhabilitas ista ad alia beneficia obtinenda ante sententiam judicis incurratur statim completa simonia reali?

Affirmat Bonac., quia in ipso motu proprio Pii V. dicitur ipso jure incurri; sed probabilius negant Nav., & Suar. c. 58. n. 11., quia ut communius docent in de legibus, hæc verba, Ipso jure, ipso facto, &c. solum significant non esse expectandam sententiam judicis præceptivam pœnæ, cum pœna ab ipsa lege imponatur; non vero significant non esse expectandam sententiam judicis declarativam criminis, & pœnæ. Quod si aliquando dicatur in lege pœna incurri ipso facto absque alia declaratione, sensus est, non esse expectandam sententiam judicis declarativam pœnæ, non vero declarativam criminis. Solum censuræ latæ sententiæ, & irregularitates, ut notat Sanch. l. 6. c. 11., incurruntur in foro conscientiæ absque ulla judicis sententia, etiam declarativa criminis; quia sic usus obtinuit, & ratio postulat: Aliter sæpe pœna censurarum medicinalis declinaretur. Addit Suar., in casu nostro requiri sententiam declarativam criminis, quia non fuit cum eo summo rigore recepta ea Bulla, ut pœnæ in ea contentæ ante omnem judicis sententiam incurrantur.

III. Dices cum Bonac. Inhabilitas ad obtinendum idem beneficium, in quo patrata fuit simonia, incurritur statim ante quamcumque judicis sententiam, ut Nav., & Suar. etiam concedunt: ergo etiam inhabilitas ad alia beneficia obtinenda. Ratio utriusque videtur esse, quia pœna ipso jure imposita, quæ ad sui exequutionem non requirit actionem hominis, ipso facto incurritur ante judicis sententiam, ut dicitur de irregularitate, & censuris.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas alia assignari non potest, nisi quia in primo casu usus obtinuit, quod statim ea pœna incurratur, ut diximus de censuris, & irregularitate, non vero in secundo.

IV. Præterea non solum dantes, & accipientes aliquid simoniace ratione beneficii, sed etiam mediatores ipso facto excommunicantur excommunicatione Papæ reservata; ut constat ex Extravag. *Cum detestabile de Sim.*, & motu Pii V. Mediatores tamen, ut notat Bon. excommunicationem hanc non incurrunt, donec effectus sequatur, quia actio ista videtur accessorie prohibita: Sicut non incurritur excommunicatio, si obscæna epistola scribatur moniali, donec ea in manus monialis perveniat.

In collatione autem ordinum, si quid simoniace accipiatur, non solum excommunicantur ordinans, ordinatus, & mediator, sed etiam ordinans, & ordinatus certas suspensiones incurrunt.

V. Dubium tamen est, an nomine ordinum veniat etiam prima Tonsura? Affirmat Suar. cap. 56. cum Laym., & aliis communius, quia per primam Tonsuram dicitur quis ordinari, sive constitui in ordine Clericorum; sed probabilius negat Less. cap. 35. dub. 23., eo quod verba pœnalia non sint extendenda; prima autem tonsura non est ordo, sed janua, & veluti novitiatus relate ad ordines; unde per primam tonsuram non dicitur quis constitui in ordine Clericorum, quia ordinatur; sed solum quia ponitur in statu clericali, & in via ad ordines.

VI. Pariter, si contingat simonia in ingressu ad religionem, præter similem excommunicationem, aliæ etiam pœnæ apud Less. videndæ incurruntur, tam ab admittentibus, quam ab admisso, si quid simoniace dederit, ut recipiatur; non vero, si quid a Monasterio acceperit, ut illud ingrediatur. Dubium tamen est, an hæ pœnæ incurrantur, per hoc quod quis in Novitiatum recipiatur, antequam professionem emittat? Verba enim textus procedunt de receptione, & Novitius vere dicitur in religionem recipi. Communius tamen cum Laymann., Suar., Pal. docent, ante professionem pœnas istas non incurri, quia pretium non ordinatur ad ingressum in religionem, sed ad professionem. Unde sequitur, recepto pretio in ingressu, & ante professionem restituto, pœnas non incurri.

VII. Denique contra committentes simoniam confidentialem, de qua diximus quæst. 6. artic. 2. §. 3., sunt aliæ etiam pœnæ statutæ præter illas communes contra quamlibet simoniam beneficialem. Nam non solum irrita est beneficii resignatio, & collatio confidentialis, sed etiam præter inhabilitatem ad illud beneficium iterum obtinendum, incurritur privatio omnium beneficiorum, & pensionum, & inhabilitas ad alia; quamvis post sententiam judicis declarativam criminis. Incurritur etiam excommunicatio Papæ reservata, si hujusmodi simoniacus sit Episcopo inferior; Episcopus vero incurrit interdictum ab ingressu ecclesiæ. Et omnes istæ pœnæ incurruntur, etiamsi simonia

realis non sit ex utraque parte completa, quod non contingit in pœnis contra alios simoniacos.

Ubi recolo simoniam confidentialem istam tunc haberi, quando quis beneficium aut confert, aut resignat alteri, aut ad illud præsentat, & eligit, &c., cum pacto tacito, vel expresso, ut illud beneficium aut sibi, aut alteri deinde resignet, aut pensionem ex eo, vel partem fructuum solvat.

VIII. Difficultas tamen est, An si nullum interveniat pactum, sed solum in resignantis mente habeatur intentio, vel spes, quod resignatarius beneficium illud sit iterum resignaturus vel resignanti, vel amico, inducatur simonia confidentiæ, & ejus pœnæ incurrantur?

Negat Rosign. dicens, talem spem nec jure naturali, nec Ecclesiastico prohiberi; sicut non committitur usura, si habeatur spes remunerationis sine ullo pacto. Bon. tamen verius docet qu. 7. §. 1., quod, licet nullum interveniat pactum, & quamvis spes ista nullum sit peccatum, adhuc simonia confidentialis committatur, & ejus pœnæ incurrantur, si resignans ita habeat spem illam, ut velit implicite ad id obligare resignatarium, qui talem animum resignantis advertens beneficium recipiat absque animo se mutuo obligandi. Ratio est, quia per hoc, quod beneficium recipiat advertens ad illum animum simoniacum resignantis, censetur in ipsum consentire, & quamvis revera non consentiat, sed solum ficte simoniam committat, adhuc peccat fingendo hanc simoniam, & pœnas simoniæ confidentialis incurrit; quia in textu bullæ hæc verba habentur, *Etiamsi sola dimittentis intentione beneficium receperit*.

IX. Dices. Non peccat, qui mutuum accipit ab usurario advertens, quod usurarius spem habeat lucri, tanquam debiti ex justitia, & quod habeat animum ad id obligandi mutuatarium; ergo pariter neque peccat, & consequenter pœnas simoniæ confidentialis non incurrit, qui recipit beneficium a resignante, advertens, quod spem habeat, ut sibi, vel amico ex obligatione resignetur.

Respondeo primo per instantiam, non peccat mutuatarius, si videns animum usurarium mutuantis obliget se ad solvendas usuras; ergo neque peccat recipiens beneficium, si videns animum simoniacum resignantis obliget se ad illud resignandum; quod nemo dixerit. Secundo, concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia mutuatarius non petit peccatum usurarii, dum petit mutuum; & quamvis promittendo, & solvendo usuras cooperetur materialiter peccato illius, excusatur tamen propter indigentiam, quam patitur: (si enim absque ulla indigentia, & necessitate concurreret ad peccatum usurarii, petendo mutuum, procul dubio peccaret). In casu autem nostro nulla datur similis necessitas, quæ excuset. Præterea, qui solvit usuras, non censetur consentire in animum usurarium, sed involuntarie, & coacte eam obligationem subire, eo quod non possit aliter subvenire propriæ indigentiæ: Contra vero, qui recipit beneficium a resignante illud animo simoniaco, censetur sponte velle se obligare. Demum qui obligat se ad solvendas usuras non peccat, quia obligat se ad solvendam pecuniam, quæ sine peccato solvi potest, quamvis non possit illa sine peccato exigi a mutuante, tanquam debita ex justitia. Contra tamen, qui obligat se, aut censetur se obligare ad solvendam, v. g. pensionem juxta mentem resignantis sibi beneficium, procul dubio consentit, aut censetur consentire in obligationem ab ecclesia graviter prohibitam.

Quæres hic primo, an qui Simoniace beneficium obtinuit, teneatur illud cum gravi incommodo resignare ratione invalidæ collationis, puta si Simonia sit occulta, & citra gravem infamiam illud resignari non possit?

Ad quod dicendum, facile timeri gravem infamiam incurrendam esse ex beneficii dimissione, & beneficiarium ex passione sæpe hallucinari, cum non desint prætextus, quibus possit citra infamiam illud dimitti. Nihilominus, si vere tale periculum subsit, poterit illud retinere, quousque perseverat hujusmodi periculum, ut communiter docent apud Dian. p. 11. tr. 5. res. 56. quia Doctores communiter cum Sanch. l. 1. c. 18. num. 16. docent, leges humanas universim cum gravi incommodo non obligare. Notandum tamen, quod fructus beneficii interim retineri non possunt, sed debent aut ecclesiæ, aut pauperibus restitui; cum enim talis beneficii collatio ratione Simoniæ fuerit nulla, ejus fructus non pertinent ad beneficiarium; unde illos sibi retinere non potest. Et eodem modo discurrendum in casu, quo excommunicatus occultus subiret notam gravis infamiæ, si beneficium non acceptaret; posset enim hic, & nunc illud acceptare, & deinde petere dispensationem; quæ facile potest obtineri ab eo, qui obtenta absolutione ab excommunicatione subjicit se mandatis Ecclesiæ; cum simoniaco tamen, quantumcumque resipiscat, nunquam solet Pontifex dispensare, ut beneficium retineat, etiamsi opponat millies, quod non possit illud citra gravem famæ jacturam resignare; semper enim Sacra Pœnitentiaria respondere solet, quod intra semestre ansam arripiat dimittendi illud sine gravi infamia: Aliter, si facile cum Simoniacis istis dispensaretur, innumeræ perpetrarentur Simoniæ sub spe, quod beneficii collatio a sacra Pœnitentiaria esset revalidanda.

Quæres ulterius, quisnam possit in pœnis Simoniæ dispensare?

Respondeo, universim pro dispensatione in his pœnis ad Pontificem recurrendum, exceptis nonnullis casibus. Primo enim ab excommunicatione ob Simoniam contracta potest etiam absolvere, qui privilegium habet absolvendi a Papæ reservatis. Secundo, si delictum sit occultum, & nondum deductum ad forum contentiosum, possunt ab eadem excommunicatione (necnon a suspensione propter Simoniam contracta) Episcopi absolvere juxta facultatem iis a Tridentino traditam sess. 24. c. 6. de Reform. Tertio inhabilitatem ad alia beneficia acquirenda probabiliter putant Baunius, Tancred. & alii apud Dian. part. 11. tract. 5. res. 281. posse tolli ab Episcopo, veluti quandam occultam irregularitatem. Quarto, quando beneficium est simplex, & Simonia fuit ignorata a beneficiario, qui bona fide processit, poterit Episcopus post factam liberam ejus resignationem dispensare cum illo, eidemque statim iterum illud conferre, ut habet idem Croix ex Pal., & Pirh. lib. 5. tr. 3. num. 171. Imo Baunius apud Dian. loc. cit. res. 56. putat, quod universim, si Simonia fuerit beneficiario ignota, & bona fide hic processerit, tunc beneficii collatio fuerit in foro conscientiæ valida, fructusque percepti retineri possint; Siquidem Pontifices, qui decernunt invalidam esse collationem beneficii Simoniacam, videntur loqui de iis, qui conscii sunt Simoniæ; cum enim pro-

propter Simoniam in beneficio imponatur pœna excommunicationis, & talis pœna supponere debeat culpam, ideo solum videntur loqui de beneficiariis consciis Simoniæ, dum decernunt collationem beneficii Simoniacam esse invalidam. Sed non est recedendum a communi sententia, quod quælibet Simoniaca beneficii collatio sit invalida; aliter Pontifices non facile occurrerent tali delicto; eo quod passim a consanguineis beneficiarii Simonia patraretur, ipso inscio, ne cogatur deinde beneficium resignare, & fructus ante sententiam judicis restituere, quando ad notitiam Simoniæ per alios in sui favorem commissæ deveniret.

Ubi notandum, quod obtenta dispensatione a beneficiario isto, probabiliter ex Pal., & Croix, non sit opus nova beneficii collatione, ut prior collatio validetur; (dummodo delictum sit occultum, & collatio non fuerit contra jus alterius simul electi) siquidem prior voluntas collatoris censetur moraliter perseverare, adeo ut impedimento sublato valorem suum obtineat. Pariterque notandum, quod, si Pontifex in bulla confirmante aliquam electionem ad beneficium dicat supplere omnes defectus in eo commissos, non censetur sanare vitium Simoniæ, eo quod opus sit speciali mentione de tali delicto, quod ab ecclesia passim appellatur immane, detestabile, & horribile scelus. De quo satis superque jam diximus. Sit itaque hujus Opusculi finis.

„ Ne quid huic de re Beneficiaria opusculo desit, addendum est, ne ipsos quidem Beneficiorum fructus alienari posse sub prætextu cedendi commodum, seu utilitatem eorumdem præcipi percipiendorum. Gravissima edita Constitutione vetuit id Benedictus XIV. Illam heic recitabimus, ut Pontificis mens melius intelligatur.

BENEDICTUS

EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

ad perpetuam rei memoriam.

„ UNivesalis Ecclesiæ cura, quam inscrutabilis Divinæ Sapientiæ, atque bonitatis altitudo humilitati nostræ committere dignata est, inter cæteras sollicitudines exigit etiam ac postulat, ut diligenter invigilemus, ne Clerici Ecclesiasticis Beneficiis, quæ e liberali Ecclesiæ manu acceperunt, abutentes, eorum reditus non sine aliorum fidelium scandalo inconsulta prodigalitate disperdant, sed tanquam boni dispensatores ita administrent, ut & vitæ suæ necessaria provideant, & pauperum inopiæ, & Ecclesiarum necessitatibus succurrant.

„ Relatum est ad aures nostras, quosdam Clericos Ecclesiasticis Beneficiis cum onere, vel sine onere residentiæ provisos turpibus ut plurimum ex causis impulsos, annuos eorumdem Beneficiorum reditus, quos, donec viverent, percipere possent, unico actu alienare sub nomine cedendi commodum, seu utilitatem percipiendi fructus eorumdem Beneficiorum, quos alteri, quoad vixerint, vendunt, recepta pecunia ad eam summam, & quantitatem, quam ipsi, habita ratione eorum ætatis, & corporis valetudinis, durante vita, verisimiliter consequi potuissent. Cum autem isti improvidi Clerici instar illius prodigi filiifamilias, de quo in Evangelio scriptum est: cum substantiam suam a Patre recepisset, totam statim consumpsisse luxuriose vivendo, & deinde, facta fame valida, coactum esse vivere de siliquis immundorum animalium; pia Ecclesiæ subsidia, & Ecclesiasticos proventus in suas explendas cupiditates improbo hujusmodi contractu profundant; multa hinc & gravia mala, ut experientia ipsa compertum est, evenire solent. Nam primum non leve dedecus Ecclesiastico Ordini inuritur, & grave reliquis fidelibus scandalum generatur, dum vident Ecclesiasticas pecunias, quæ sunt vota fidelium, bona pauperum, patrimonium Christi, in pravos usus insumi, vel improvida profusione dissipari, quæ ab Ecclesiasticis, tanquam probis dispensatoribus, in solamen pauperum, & Ecclesiarum restaurationem impendi deberent. Præterea sæpe hujusmodi Clerici ad summam rediguntur egestatem, & ut se sustentare possint, vel indecore non sine infamia Clericalis gradus mendicant, vel indignis quæstibus, & negotiis operam præbent; Ecclesiam autem, & Ecclesiasticas res quodammodo aversantur, quasi fraudati mercede, vel stipendiis suis, quæ nullius culpa, sed solum vitio, & flagitiis suis amiserunt; Ideo Ecclesiastica munera, vel nunquam, vel negligenter obeunt, Divinam psalmodiam, si ad eam in publicis Ecclesiis ratione suorum Beneficiorum teneantur, frequenter omittunt, vel oscitanter persolvunt, Ecclesiasticos cœtus non frequentant, animarum salutem non curant, Divina fastidiunt, mundana sectantur.

„ Volentes igitur hanc improbam consuetudinem, & non ferendam pravitatem, qua non mediocriter Clericalis ordinis fama minuitur, & honor conculcatur, Ecclesiæ autem debito servitio, pauperes opportunis subsidiis, & sacræ ædes necessariis reparationibus, & ornamentis fraudantur, penitus abolere, motu proprio, ac certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnibus Clericis quacumque dignitate, præeminentia, honore, & privilegio insignitis interdicimus, & prohibemus, ne in posterum audeant sub nomine alienandi utilitatem, & commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo, prætextu, & colore vendere, ac distrahere suorum respective Beneficiorum reditus, & proventus, vel ad vitam, vel in longum tempus recepta ab Emptore per unam, vel plures solutiones pecuniarum quantitate, quam ipsi Beneficiati per ejusdem temporis, vel vitæ spatium probabiliter consequi potuissent, sub pœna excommunicationis, & nullitatis actus, seu contractus, & omnium inde consecutorum, aliisque pœnis inflictis, præscriptis, & statutis contra alienantes bona Ecclesiæ, quas rursus hic contra eosdem Clericos sic contrahentes renovare, decernere, ac statuere intendimus, & volumus. Et insuper

„ ad

„ ad uberiorem cautelam, & quatenus opus sit, „ omnes hujusmodi contractus, quos in futurum „ fieri contigerit, motu, scientia, deliberatione, „ & potestate simili damnamus, reprobamus, cassamus, irritamus, & annullamus, eosque nullos, cassos, ac irritos decernimus, & declaramus, illosque suis auctoribus tanquam invalidos, cassos, irritos, atque inanes, viribusque „ & effectu ab initio vacuos neque in judicio, neque extra ad ullum effectum suffragari debere, „ neminemque ad eorum observantiam obligari, „ etiam si pluries juramento firmati, & vallati „ sint, sed nullum inde jus cuicumque, aut actionem, vel titulum etiam coloratum possidendi, „ aut præscribendi per quodvis longissimum temporis spatium acquiri unquam posse pariter præcipimus & jubemus.

„ Decernentes easdem præsentes literas, & in „ eis contenta quæcumque nullo unquam tempore „ impugnari, & retractari posse, sed semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, „ suosque plenarios & integros effectus sortiri, & „ obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos „ spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari: Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam „ Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam „ de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ præfatæ „ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, „ sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum & „ inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus quibuscumque privilegiis, indultis, concessionibus, & gratiis Apostolicis tam generalibus, quam particularibus quantumvis speciali mentione, & nota dignis quibuscumque Archiepiscopis, Episcopis, & aliis superioribus, & inferioribus Ecclesiarum Prælatis etiam S. R. E. Cardinalibus, ac eorum & nostris „ familiaribus continuis commensalibus, nec non „ literarum Apostolicarum Scriptoribus, Abbreviatoribus, cæterisque Romanæ Curiæ Officialibus „ concessis, & confirmatis, cæterisque contrariis „ quibuscumque.

„ Ut autem facilius præsentes Literæ omnibus „ innotescant, & nemo prætextu illarum ignorantiæ excusari possit, jubemus easdem ad valvas „ Ecclesiæ Lateranensis, & Principis Apostolorum, „ nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi „ Floræ de Urbe, aliisque locis solitis, & consuetis, ut mortis est, publicari, earumque exempla affigi: Volumusque, eas sic publicatas omnes, „ & singulos perinde afficere, & obligare, ac si „ illis ipsis fuissent singulariter intimatæ: Exemplis quoque prædictis etiam impressis, manuque „ Notarii publici & Sigillo Prælati Ecclesiastici, „ vel ejus Curiæ obsignatis eamdem prorsus fidem „ adhiberi, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si „ forent exhibitæ, vel ostensæ: Nulli ergo omnino „ hominum liceat, hanc paginam nostri decreti, „ constitutionis, declarationis, annullationis, infirmationis, prohibitionis, interdicti, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, „ indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, „ & Pauli, Apostolorum ejus se noverit incursurum.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem „ Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, quarto Calendas „ Septembris, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

(Sed oh ubi Æternitatis!)

F I N I S.

Ad majorem Dei gloriam, ac Deiparæ sine labe Conceptæ.

I N-

INDEX RERUM NOTABILIUM.

Primus numerus Quæstionem denotat: Secundus Articulum: Tertius Numerum marginalem.

A

Abbatissa, & Priorissa non potest eligi, nisi quadragesimum ætatis annum compleverint, & octavum post professionem 1. 4. 1.

Absolvendi a Censuris facultas censetur concessa per hoc, quod illæ non reserventur; secus vero facultas dispensandi universim in aliqua lege. 1. 3. 9.

Absolvendi facultas a casibus Papæ reservatis num extendatur ad casus reservatos Episcopo, nisi aliud exprimatur? 2. 6. 14.

Absolutio collata indigno, aut non collata digno ob pecuniam, num sit materia Simoniæ? 7. 1. 2.

Ætas pro singulis Beneficiis quænam sit? 1. 4. 1. *Ætatis requisitæ defectus reddit irritam Beneficii collationem; sicut etiam Electionem, ac Præsentationem ad Beneficium.* 1. 4. 3. *Num detur in illa parvitas materiæ? ibid.*

Arbitrium vendendo in collatione Beneficii, venditur ipsum Beneficium simoniace simul, & injuste. 8. 1. 4.

B

Beneficium quid sit, & quotuplex? 1. 1. 1. *Unde Institutio, & Origo Beneficiorum?* 1. 1. 6.

Beneficium simplex num possit conferri digno, omisso digniori? 7. 2. 5. *Num obliget ad Residentiam?* 3. 5. 2.

Beneficium num sit jure divino invendibile? 8. 1. 1.

Beneficiarii bona Patrimonialia, quasi Patrimonialia, & mere Ecclesiastica quænam sint? 1. 1. 1.

Beneficiarii num sint domini fructuum Beneficii ad congruam sustentationem necessariorum? 2. 3. 1. *Num etiam superfluorum?* 2. 3. 1.

Beneficiarii, si non expendant in usus pios Beneficii fructus, non peccant contra justitiam, sed contra virtutem misericordiæ, aut religionis. 2. 4. 8. *Ac similiter recipientes hujusmodi bona, ut proinde ad restitutionem non teneantur. ibid. Quomodo strictius Beneficiarii, quam Laici ad eleemosynas erogandas obligentur?* 1. 4. 9. & 2. 4. 12. *Num sit mortale, si Beneficiarius quartam, vel tertiam partem superfluorum in usus profanos expendat? ibid.*

Beneficiarii jure naturali tenentur expendere bona Ecclesiastica in usus virtuosos, & jure humano in usus pios. 2. 5. 2. *Quid de Pensionariis?* 2. 5. 3.

Beneficiariis non licet fructus superfluos applicare ad statum altiorem acquirendum. 2. 4. 8. *An iis liceat aliquid reservare ad conservandam dignitatem altiorem proxime futuram?* 1. 2. 10.

Beneficiarii Regulares. V. Regulares.

Bigamus. V. Irregularis ratione Bigamiæ.

C

Cappellaniæ non collativæ vendi possunt citra Simoniam, sed non citra injustitiam. 8. 4. 4. *Intercessor accipiens pretium non est Simoniacus. ibid.*

Clericatus essentialiter requiritur ad Beneficium. 1. 4. 4. *Conjugatus Clericus potest minores ordines exercere, nisi sit Bigamus.* 1. 3. 7.

Coadjutoriæ Beneficiariorum num vendi possint? 8. 4. 5.

Compensari pecunia non potest res sacra. 6. 3. 6.

Commendæ militares venduntur injuste; sed Clericales etiam simoniace. 8. 4. 1.

Confirmatio a superiore Prælato quandonam debeat fieri post electionem? 4. 3. 3.

Confidentialis Simonia in re Beneficiaria quandonam habeatur? & quas pœnas trahat. 10. 2. 10. & 10. 3. 7.

Congrua sustentatio Beneficiariorum quid ferat? 1. 3. 1. *An comprehendat sustentationem pauperum consanguineorum?* 3. 2. 2. *Num spurii sustentationem, aut spuriæ dotem, quamvis Beneficiarius habeat patrimonialia?* 1. 3. 3. *Num solutionem debiti ob actiones peccaminosas contracti?* 1. 2. 4. *Quid de congrua sustentatione personarum illustrium? dignitatine duntaxat, an etiam nobilitati personæ ea debet esse congrua?* 2. 3. 5. *Et quid si persona sit valde docta?* 1. 2. 6. *Num ad congruam Beneficiarii sustentationem spectet, quod requiritur ad altiorem statum mox acquirendum?* 1. 2. 7. *Num saltem ad conservandam dignitatem ampliorem probabiliter mox futuram?* 1. 2. 10.

Congrua sustentatio Beneficiarii quoad fructus aut necessarios, aut superfluos. V. Fructus Beneficii.

Consuetudo dari quidem potest adversus Simoniam juris Ecclesiastici, non vero naturalis. 6. 2. 4.

Consuetudines diu permissæ a Prælatis non sunt illico damnandæ, ut simoniacæ, quamvis prima

fronte appareant tales. 7. 1. 7. Sex quippe titulis sæpe depuratur a simonia donatio rei temporalis pro spirituali. ibid.

D

Debita ob actiones peccaminosas a Beneficiario contracta num possint solvi ex reditibus Beneficii? 2. 2. 4.

Dispendandi facultas universim non censetur concessa per hoc, quod non reservetur. 1. 3. 9. *secus vero facultas absolvendi a censuris. ibid.*

Dispensare potest Pontifex, ne fructus Beneficii in usus pios expendantur, non tamen ne in usus virtuosos. 2. 6. 5. *Num peccet mortaliter Pontifex, si hac in re citra causam dispenset?* 2. 5. 6.

Dispensare quinam possit in pœnis Simoniacorum? 10. 3. 11.

Dispensatio presse dicta non cadit in iis, quæ jure naturali præcipiuntur, ut est residentia, observantia votorum, &c. 3. 1. 4.

Dispensationes in impedimentis Matrimonii, in jejuniis, votis, in festorum observantia gratis dandæ sunt. Sed quomodo Dataria exigat pro iis pecuniam citra Simoniam? 8. 5. 3. *Num id liceat Etiam Episcopis? ibid.*

Doctoratus in quibusnam Beneficiis requiratur? 1. 5. 4. *Si Doctoratus obtineatur a parum docto, num sit valida collatio Beneficii?* 1. 1. 5.

Donationes gratuitæ pro Ordinum collatione num sint Simoniacæ? 4. 2. 5. *Num etiam donationes conditionatæ, saltem in materia Beneficiorum?* 5. 3. 4.

E

Electio ad Beneficium in quo differat a Postulatione? 4. 3. 3.

Eleemosyna. V. Laici.

Episcopus dispensare potest cum Homicida, & alio irregulari, ut possit Beneficium simplex acquirere. 1. 3. 6.

Episcopus dispensare potest in legibus Synodi Diœcesanæ; at in legibus Concilii Provincialis ne Archiepiscopus quidem. 1. 2. 11. *nisi forte ex tacita Pontificis concessione in casibus, qui frequenter occurrunt. ibid.*

Episcopus quandonam possit in inhabilitate ad Beneficia dispensare? 1. 3. 6. *Non possunt Episcopi dispensare in irregularitate non expresse reservata; secus vero in censuris, & votis non expresse reservatis.* 1. 3. 9. *Non est verum, quod possit Episcopus pro sua Urbe quicquid potest Pontifex pro toto Orbe.* 1. 3. 11. *Quandonam possit dispensare, ut Parochus ultra annum suscipiat Sacerdotium?* 1. 4. 8.

Episcopus quid possit in permutatione Beneficiorum ratione transactionis. 9. 4. 4. *Potest Pensiones imponere ratione transactionis dumtaxat. ibid. Quandonam possit in pœnis Simoniacorum dispensare?* 10. 3. 11.

Episcopus num possit pecuniam exigere, quando dispensat in festorum observantia, aut in jejuniis ex justa causa? 8. 5. 4.

Episcopus ordinari non potest, nisi per sex saltem menses prius fuerit in Sacris. 1. 1. 4.

Excommunicatio lata contra Simoniam Confidentialem non incurritur a Mediatore. 9. 3. 5.

Excommunicatio minor non reddit irritam, sed illicitam Beneficii collationem; sicut etiam præsentationem, & electionem. 1. 2. 7.

Excommunicatio non privat Beneficiis antea obtentis: At reddit hominem novi Beneficii incapacem, etiamsi suam censuram ignoraret. 1. 2. 3. *Num per excommunicationem amittantur fructus Beneficii ante sententiam judicis?* 1. 2. 2. *Num sit incapax Pensionis Excommunicatus?* 1. 2. 11. *Num etiam Excommunicatus toleratus sit Beneficii incapax Pensionis Excommunicatus?* 1. 2. 11. *Num etiam Excommunicatus toleratus sit Beneficii incapax?* 1. 2. 12.

Excommunicato tolerato non licet petere, quamvis alii possint multa conferre, quæ redundant in ejus favorem. 1. 2. 12.

Excusantur sæpe sex titulis, quæ prima fronte apparent esse simoniaca. 7. 1. 7.

F

Fama num possit pecunia compensari? 6. 3. 6.

Finis fidelium donantium bona Ecclesiæ, ut expendantur in opera pietatis, non obligat, ut ad tales usus expendantur, quando non donantur cum hoc onere. 1. 6. 4.

Fructuum Beneficii ad congruam sustentationem necessariorum num Beneficiarii sint domini? 1. 2. 2. *Quid de superfluis?* 1. 4. 1. *Quid de fructibus industrialibus?* 1. 2. 6.

Fructus Beneficii in quonam sensu in jure dicantur esse Patrimonia pauperum? 1. 4. 7.

Fructus Beneficii num possint expendi in usus profanos? 1. 6. 8. *Num jure naturæ, an Pontificio expendendi sint in usus pios? ib. Num Pontifex dispensare possit, ne in usus pios expendantur?* 1. 6. 5. *Num peccet graviter Pontifex, si citra causam dispenset?* 1. 6. 6. *Et an qui utitur tali dispensatione?* 1. 6. 7.

Fructus Beneficii num sint restituendi ante sententiam judicis ab eo, qui suscipit Beneficium Parochiale absque animo suscipiendi Sacerdotium intra annum? 2. 3. 7.

Fructus Beneficii sive percepti, sive culpabiliter non percepti a beneficiario simoniaco, cuinam sint restituendi? 10. 1. 5.

Fructus restituendi ante sententiam judicis a Parocho, qui non habet animum suscipiendi ordinem requisitum. 2. 3. 5.

Fructus restituendi a non residentibus, & quomodo? 3. 3. 1.

H

Habitus, & tonsura essentialiter requiruntur in receptione beneficii. 2. 2. 4.

Habitus, & tonsura beneficiariis graviter imponitur, non secus ac iis, qui sacris ordinibus sunt initiati. 3. 7. 2. *Quandonam excusari in hoc possint a mortali?* 3. 7. 5. *Qualis debeat esse Beneficiariorum vestis?* 3. 7. 6.

Hæretici, eorumque fautores sunt beneficii incapaces. 2. 2. 2.

Horas canonicas sub mortali tenetur beneficiarius recitare ex Ecclesiæ traditione. 3. 6. 1. *non recitans culpabiliter ante sententiam judicis tenetur restituere fructus respondentes tali oneri.* 3. 6. 5. *Quid, si beneficium sit tenue? ibid. Quænam theses hac in re sint proscriptæ?* 3. 6. 3. *Num peccet contra justitiam non recitans, etiamsi nolit facere fructus suos?* 3. 6. 8. *Quanam via restitutio isthæc suppleri possit?* 3. 6. 5.

Hospitalium administrationes num vendi possint citra simoniam? 8. 4. 3.

I

ILliterato invalide beneficium confertur. 1. 5. 2. *An possit in hoc Pontifex dispensare?* 1. 5. 3.

Inhabilitas ad beneficia obtinenda quandonam possit ab Episcopo dispensari? 1. 3. 6.

Inhabilitas ad idem beneficium obtinendum incurritur a simoniaco beneficiario ipso facto; sed inhabilitas ad alia obtinenda non incurritur ipso facto. 10. 3. 3.

Institutio beneficii in quo differat ab ejusdem collatione? 4. 3. 1.

Intercessor pro beneficio obtinendo. Vide Mediator.

Intentio in beneficiario requisita quænam sit? 1. 4. 5

Interdictus non videtur incapax novi beneficii. 1. 2. 10.

Irregularis non semper est universaliter irregularis. 1. 3. 2.

Irregularitas non privat hominem beneficiis antea obtentis; sed probabilius reddit illum novi beneficii incapacem. 4. 3. 1.

Irregularis ratione bigamiæ num sit incapax beneficii? 1. 3. 7.

Intrusus ad beneficium est inhabilis ad idem obtinendum. 1. 3. 3.

Investitura, Inthronizatio, Installatio quid importent? 4. 3. 4.

Juri patronatus quinam possit derogare? 4. 3. 6.

Judicatura temporalis Episcopi vendi potest citra simoniam; non tamen ea, quæ est relate ad Clericos. 8. 5. 2.

Jus patronatus etiam jure naturali est invendibile; quamvis ab Ecclesia institutum sit, & etiam laicis competere possit. 8. 2. 3.

Jus patronatus quid, & quotuplex sit? 4. 1. 2. *In quibus differat Ecclesiasticum a laico?* 4. 1. 4. *Qualem Patronus præsentare teneatur?* 4. 2. 1. *Num possit dignum omisso digniore præsentare?* 4. 2. 3. *Num etiam dignior ad beneficium simplex præsentandus sit?* 4. 2. 6. *Quinam sit incapax Jurispatronatus?* 4. 3. 5.

L

LAicalis Pensio num sit invendibilis citra simoniam juris Ecclesiastici? 8. 3. 1. *Num ea redimi possit a beneficiario?* 8. 3. 4.

Laici quomodo a beneficiariis discriminentur in hoc, quod possint fructus superfluos statui reservare ad statum in melius mutandum? 2. 3. 9.

Laici sub mortali tenentur pauperi succurrere in extrema necessitate. 2. 4. 2. *Et probabilius tenentur donare, non mutuare.* ibid. *Non tenentur tamen destruere proprium statum, ut illi succurrant.* 2. 4. 3. *Solum tenentur ad id cum aliquo, non vero cum notabili proprii status detrimento.* 2. 4. 6. *Idemque dicas, si necessitas pauperis sit valde gravis, seu quasi extrema.* 2. 4. 7. *In gravi vero necessitate, quæ non æquiparatur extremæ, solum tenentur de superfluis statui stipem illi erogare.* 2. 4. 8. *At non obligantur ingentem vim pecuniæ ad id profundere.* 2. 4. 9. *Nec datur obligatio succurrendi illi cum gravi incommodo, ut statum pristinum recuperet.* 2. 4. 10. *Num in necessitatibus communibus proximi detur gravis obligatio illi subveniendi?* 2. 4. 11. *Propositum nunquam elargiendi stipem in necessitatibus communibus non vacat culpa gravi. ibid.*

Laicis competere potest Juspatronatus. 8. 2. 5.

Lessius per calumniam a Montaltio carpitur, quasi dixerit, Permissum esse furari in necessitate gravi. 2. 4. 7.

Lex disponens de uno casu quandonam censeatur pro aliis similibus casibus etiam disponere? 1. 2. 5.

M

MEdiator in electione simoniaca quas pœnas incurrat? 1. 1. 1.

Mediator non incurrit excommunicationem latam contra simoniam confidentialem. 9. 3. 5. *Mediator accipiens pecuniam pro beneficio obtinendo est simoniacus; & verius simonia hæc est juris naturalis.* 9. 6. 1. *Quid, si id fiat ab intercessore mediato?* 9. 6. 3. *Quid, si mediator immediatus pecuniam accipiat, solum ut informet Episcopum, non ut intercedat?* 9. 6. 2.

Missæ stipendium qua ratione in pactum deducatur citra simoniam? 4. 4. 5. & 7. 2. 6.

Monasterium num possit recipere pretium pro sustentatione Monachi citra simoniam? 7. 1. 5. *Et quid de praxi Monialium, quæ dant popinas occasione professionis?* 7. 1. 6.

N

NEcessitas valde gravis, seu quasi extrema in quo differat ab extrema, & gravi? 2. 4. 1. & 2. 4. 7.

P

PActum quodcumque in re Beneficiaria est simoniacum. 9. 1. 1. *Hinc simoniacum est pactum de danda pecunia, dummodo non opponatur concurrenti ad beneficium defectus verus, quamvis improbabilis.* 9. 1. 4.

Parochi assistentia matrimonio ob pecuniam num sit simoniaca? 7. 1. 3.

Parochus non habens animum suscipiendi ordinem requisitum non facit fructus beneficii suos. 1. 4. 5. *Num possit sine licentia Episcopi abesse a Parochia quotannis per bimestre sibi permissum?* 3. 2. 4. *Ex justitia tenetur ovibus suis Sacramenta ministrare.* 3. 6. 10.

Parvitas materiæ num detur in simonia, ita ut excuset a mortali? 6. 4. 1. *Quandonam datur universim isthæc materiæ parvitas?* 6. 4. 5. *Num ea* detur

detur in ætate ad Ordines requisiti? 1. 4. 3.
Pauperibus quota pars debetur fructuum beneficii, qui congruæ sustentationi supersunt? 2. 3. 6. & 4. 1. 2.
Paupertatem simulantes num restituere teneantur, quæ titulo eleemosynæ accipiunt? 2. 1. 8.
Pensio laicalis num possit vendi citra simoniam juris ecclesiastici? 8. 3. 1. *Clericalis Pensio, seu jus colligendi fructus vendi non potest.* 8. 3. 3. *Fructus tamen pensionis vendi possunt, etiam per totam vitam.* 8. 3. 2. *Pensiones laicales redimi possunt a beneficiario; sed quid de Clericalibus?* 8. 3. 5.
Pensio quomodo a beneficio discriminetur? 1. 1. 2. *Num sit incapax pensionis excommunicatus?* ibid.
Pensionarii num teneantur fructus superfluos expendere in usus pios? 2. 6. 3.
Permutatio beneficiorum auctoritate propria fert simoniam juris Ecclesiastici. 9. 2. 1. *sed quid de Permutatione superioratus regularis?* ibid. *Quinam Prælatus possit permittere beneficiorum permutationem?* 9. 2. 3.
Permutare spirituale cum spirituali non est simonia. 5. 4. 10. *Sed quid, si superioratus cum superioratu ex pacto commutetur?* ibid.
Persona illustris, aut valde docta num exigat sustentationem ampliorem, quam exigat dignitas beneficii? 2. 2. 5.
Pœnæ simoniacorum plures. Inter quas est irritatio actuum jurisdictionalium relate ad beneficii provisionem. 10. 1. 5. *Beneficii collatio est invalida, quamvis simonia facta sit per alium inscio beneficiario, qui tamen non contradicat; nec in ejus odium fiat.* 10. 1. 7. *Pretium simoniacum restituendum est, licet retineri possit res spiritualis sic accepta.* 10. 1. 10. *Pretium quippe simoniacum datur conditionate; res vero spiritualis datur absolute.* 10. 2. 8. *Hinc emens rem spiritualem simoniace potest illam sibi retinere, & pretium recuperare.* 10. 2. 9. *Pretium simoniacum restituendum est danti.* 10. 2. 3. *At si tale pretium acceptum sit ratione beneficii, restituendum est Ecclesiæ ante sententiam judicis.* 10. 2. 10. *Pretium acceptum ob simoniam mentalem tunc est restitendum, quando conjungitur cum injustitia.* 10. 2. 11. *Idemque dicendum de usura mentali.* 10. 2. 12. *Collatio beneficii simoniaca trahit etiam inhabilitatem ipso facto ad idem beneficium obtinendum, & inhabilitatem (quamvis non ipso facto) ad alia obtinenda.* 10. 3. 3. *Mediatores in hac re excommunicantur effectu sequuto.* 10. 3. 4. *Pœnæ ob collationem Ordinum simoniacam.* 10. 3. 5. *Quænam sint pœnæ ob ingressum simoniacam.* 10. 3. 6. *Quænam ob simoniam confidentialem, quamvis non ex utraque parte completam?* 10. 3. 7. *Ad quem spectet in iis dispensare?* 20. 3. 11.
Pœnæ adversus simoniam in beneficio incurruntur etiam ob simoniam juris Ecclesiastici. 10. 1. 5.
Pontifex cur nequeat dispensare, ut reditus beneficii in usus profanos expendantur; possit vero dispensare in voto, & relaxare juramenta, in quibus pariter inest obligatio jure naturæ? 2. 5. 9. *Cur pariter nequeat in impedimentis matrimonii jure naturali dirimentibus dispensare?* ibid.
Pontifex esset simoniacus, si beneficia venderet. 8. 1. 3. *& peccaret etiam contra justitiam.* 8. 1. 4.
Pontifex potest secummet dispensare in votis, & juramentis, & sibimet Indulgentias largiri; non tamen semet ligare, aut absolvere a censuris, aut peccatis. 6. 2. 2.
Pontifex num possit dispensare, ut illiterato beneficium conferatur? 1. 5. 3.
Pontifex simoniace electus num sit valide electus? 10. 1. 8.
Possessio beneficii quid ferat? Quid investitura, & installatio? 4. 3. 4.
Pretium simoniacum cur sit obnoxium restitutioni, quin sit obnoxia restitutioni res spiritualis accepta simoniace? 10. 2. 8.
Pretium simoniacum ob rem spiritualem, cujus utilitate aliquis se privat in gratiam alterius, num sit restituendum? 10. 2. 4.
Prima tonsura non venit nomine Ordinum in pœnalibus. 10. 3. 5.
Præstimonia quid sint? 1. 1. 5.
Privilegium uni concessum quandonam potest in alterum derivari, in quo eadem ratio militat? 2. 6. 13.
Probitas in Beneficiario requiritur quidem; sed non est irrita Beneficii collatio, si desit probitas; sicut est irrita, si desit scientia requisita. 1. 5. 6.

R

Regulares beneficiarii num sint domini, an solum usuarii fructuum beneficii? 7. 7. 1. *Videtur esse compossibile dominium talium fructuum cum statu religioso, ac voto paupertatis.* 7. 6. 3. *Sicut est compossibile votum solemne castitatis cum dominio, quamvis quoad usum impedito in corpus uxoris.* ibid. *Num possint citra simoniam ex pacto permutari Superioratus, quatenus non sunt beneficia presse dicta?* 5. 4. 10.
Religiosus ad Episcopatum promotus cur teneatur habitum sui Ordinis gestare? 2. 6. 6. *Non amittit statum religiosum, & cum Episcopatu cohæret etiam votum obedientiæ.* 2. 6. 7. *Quomodo dicatur absolvi a jugo regulæ Monasticæ?* 2. 6. 8. *Num teneatur servare regulas sui Ordinis cum suo statu compossibiles?* ibid. *Num etiam vota alia, & præcepta suæ religionis?* 2. 6. 9. *Num hæc, quæ competunt Episcopo religioso, competant aliis perpetuis beneficiariis pariter religiosis?* 2. 6. 13.
Religiosi, si promittant invicem suum suffragium in ordine ad Superioratum, probabilius sunt simoniaci. 9. 2. 1.
Reservatio casus simoniæ confidentialis, & realis. 6. 2. 10. & 10. 3. 7.
Residentia Pastorum an sit de jure divino? 3. 1. 2. *Quomodo possit in ea Pontifex dispensare?* 3. 1. 3. *Invalida est dispensatio, si non detur sufficiens causa.* 3. 1. 8. *Exiguus numerus ovium non excusat a residendo.* 2. 5. 5. *Levis causa sufficit, ut Episcopi per trimestre quotannis non resideant.* 3. 2. 1. *Sed gravissima debet esse causa, ut Pontifex cum iis per longum tempus dispenset.* 3. 2. 8. *Recensentur ex Tridentino causæ, ob quas possit Episcopus abesse.* 3. 2. 7. *Num Parochi sine licentia possint abesse per bimestre sibi permissum?* 3. 2. 4. *Num jure naturæ ante sententiam judicis restituendi sint fructus a non residentibus?* 3. 3. 1. *Quid, si inculpabiliter non resideant?* 3. 3. 10. *Et quid, si resideant tantum materialiter?* 3. 3. 8.

3. 8. *Quibusnam facienda sit isthæc restitutio?* 3. 4. 2. *Restitutio a non residentibus fieri nequit in utilitatem domus beneficii, licet ea fieri possit a non recitantibus horas.* 3. 4. 2. *De aliis non residentium pœnis.* 3. 4. 6. *Olim jure canonico obligabantur ad residentiam beneficiarii non habentes curam animarum, nunc, exceptis Canonicatibus, & Dignitatibus, per consuetudinem non obligantur.* 3. 5. 2.

Resignans beneficium num possit resignare illud digno, omisso digniori? 7. 2. 7.

Resignari quandonam debeat beneficium ab irregulari? 1. 3. 1.

Resignatio beneficiorum absoluta quibus de causis possit fieri? 9. 3. 2. *Conditionata, præsertim si sit qualificata, est simoniaca, nisi fiat coram Pontifice.* 9. 3. 3. *Confidentialis est pariter simoniaca.* 9. 3. 4. *Sicut si renuncietur Beneficium Cajo, cum pacto, quod ipse solvat expensas.* 8. 3. 9. *Quonam pacto possit in hoc Pontifex veluti dispensare?* 8. 3. 10. *Quid de renunciatione Beneficii in favorem tertii?* 8. 3. 11. *Num cum gravi incommodo resignandum sit Beneficium a simoniaco?* 10. 3. 10.

Resignatarius advertens ad animum simoniacum resignantis incurrit pœnas Simoniæ Confidentialis. 10. 3. 8. *Hoc non procedit in usura, & quare?* 10. 3. 9.

Restitutio ob omissionem Horarum a Beneficiariis debita quomodo possit suppleri? 3. 6. 5.

S

Scientia pro singulis Beneficiis requisita quænam sit? 1. 5. 1. *Num defectus scientiæ requisitæ irritet beneficii collationem?* 1. 5. 2.

Simonia quid sit? 5. 1. 1. *Relate ad simoniam habet rationem pretii munus a manu, munus a lingua, munus ab obsequio.* 5. 1. 2. *Tripliciter aliquid dicitur esse connexum cum spirituali: Antecedenter, Consequenter, & Concomitanter.* 5. 1. 4. *Num sit simoniaca donatio gratuita rei temporalis pro obtinenda re spirituali?* 5. 2. 1. *In praxi id est periculosum, si res, quæ donatur, non sit levis momenti.* 5. 2. 2. *Quid si ponatur res spiritualis principaliter ad obtinendam rem temporalem?* 5. 2. 4. *Quid de donatione conditionata rei utilis ipsi donatario, ut ponatur ab illo res spiritualis?* 5. 3. 3. & 5. 4. 11. *In praxi periculosum est, si talis res cedat in utilitatem donantis.* 5. 3. 4. *In materia beneficiali, etiam donatio conditionata est simoniaca.* ib. *Obligatio ex gratitudine dandi temporale pro spirituali est simoniaca.* 5. 4. 6. *In praxi periculosum est dare spirituale dicendo, quod non renuncietur juri antidorali.* ibid. *Simonia non habetur, si detur res spiritualis ad extinguendum debitum ex gratitudine; secus si detur ad extinguendum debitum ex justitia.* 5. 4. 9. *Donatio conditionata rei temporalis pro spirituali, quæ cedat in utilitatem donatarii, non est simoniaca; secus vero, si cedat in utilitatem ipsius dantis, aut si contractus sit utrinque onerosus.* 5. 4. 11.

Simonia confidentialis in beneficiis quadrupliciter haberi potest. 6. 2. 8. *Quid de reservatione talis casus, & de ejusdem pœnis?* 6. 2. 10. & 10. 3. 7.

Simonia mentalis habetur, etiam quando transit in opus externum, dummodo animus simoniacus non innotescat. 6. 1. 1. *Conventionalis fert pactum, saltem implicitum; quod si res tradatur, est realis.* 6. 1. 2. *Conventionalis non habetur per solam acceptationem promissionis sine repromissione, nec per fictam promissionem.* 6. 1. 3.

Simonia mentalis num trahat onus restituendi pretium simoniacum? 10. 2. 11.

Simonia in quo differat ab Usura? V. Usura.

Simonia non haberetur, si conferretur beneficium Titio sub conditione, quod doceat; Potest tamen Præbendæ vacanti annecti tale onus moderatum. 9. 1. 2. *Simonia committitur offerendo pecuniam alteri, ne concurrat ad beneficium.* 9. 5. 8.

Simonia quandonam contrahatur vendendo aliquid connexum cum re spirituali? 7. 2. 1. *Regula hæc est, quod si temporale antecedat connexionem cum spirituali, vendi potest? Secus vero, si consequatur.* 7. 2. 4. *Sed quid si connectatur concomitanter?* 7. 2. 5. *Quomodo pro labore, qui est Missæ intrinsecus, exigi possit sustentatio?* 7. 2. 6.

Simonia num admittat materiæ parvitatem, quæ excuset a mortali? 6. 4. 1. *Unde mensuranda sit materiæ parvitas in Simonia juris Ecclesiastici?* 6. 4. 8.

Simonia num sit etiam contra justitiam, & quando? 6. 3. 1.

Simoniacus inhabilis est ad beneficia obtinenda, etiamsi ipso ignorante simonia suo nomine sit commissa. 1. 3. 4. V. Inhabilitas ad Beneficia.

Simoniacorum pœnæ. V. Pœnæ Simoniacorum.

Simonia sæpe non contrahitur conferendo temporale pro spirituali, idque ex sex titulis. 7. 1. 7.

Simoniæ juris naturalis materia quænam sit? 7. 1. 1. *Num assistentia Parochi matrimonio sit hujusmodi?* 7. 1. 3. *Num absolutio Sacramentalis collata indigno, aut non collata digno?* 7. 1. 2. *Num collatio pecuniæ facta Monasterio pro Monachi sustentatione?* 7. 1. 5. *Et quid de praxi Monialium, quæ præter dotem dant popinas occasione professionis?* 7. 1. 6.

Simoniæ realis pœnæ non incurruntur per traditionem solius rei spiritualis, aut solius temporalis. 6. 1. 5.

Simoniam juris ecclesiastici potest etiam Pontifex incurrere, nisi ex justa causa secummet dispenset; licet non possit ob illam puniri. 6. 2. 2. *Utraque Simonia juris naturalis, & Ecclesiastici est ejusdem speciei, & easdem pœnas trahit.* 6. 2. 7. *Consuetudo tamen solum adversus Simoniam juris Ecclesiastici dari potest.* 6. 2. 4. *In quo differat utraque Simonia?* 6. 2. 3.

Spurius beneficiarii an possit ex fructibus beneficii sustentari? 2. 4. 3.

Studiorum causa potest Episcopus dispensare, ut Parochus ultra annum differat in Sacerdotem promoveri. 1. 4. 8.

Subornatio facta collatori beneficii est Simoniaca, etiamsi fiat ad resistendum subornationi ab alio factæ; nec licet hanc vim tali vi repellere. 9. 5. 8.

Superfluum statui quomodo in usus pios a beneficiariis, & quomodo a Laicis debeat impendi? 2. 4. 7.

Suspensus ab Officio non est beneficii incapax. 1. 2. 8. *beneficii collatio facta suspenso non est irrita, sed irritanda.* 1. 2. 9.

Sustentatio beneficiariorum. V. congrua sustentatio.

T

Temporale connexum spirituali quandonam vendi possit citra Simoniam? 7. 2. 4.
Testamentum beneficiarii in jure non declaratur irritum, sed irritatur; idque ne nimis avide pecuniæ inhiet beneficiarius. 2. 3. 4.
Testes citra Simoniam emuntur, ut matrimonio assistant, non vero ut testificentur. 7. 1. 4.
Testari possunt ex concessione Julii III. beneficiarii morientes in Curia; non tamen in usus malos. 2. 5. 10.
Transactio in re beneficiaria, nisi fiat auctoritate Superioris, vel judicis, aut per arbitros, est Simoniaca. 9. 4. 5.
Triennalis possessionis regula prodest beneficiario bona fide possidenti beneficium obtentum per Simoniam ab alio factam. 10. 1. 7.

V

Vasquius per summam injuriam a Montaltio carpitur, perinde quasi proscriptam ab Innoc. XI. thesim 22. docuerit in ordine ad Eleemosynas erogandas de superfluis statui. 2. 5. 12.
Venditio rei sacræ invalida simul est, & injusta. 6. 3. 4.
Vexatio injusta redimi non potest ab eo, qui potest prodesse, quatenus tali, citra Simoniam; Potest tamen ea redimi ab eo, qui potest obesse. 9. 5. 5. *Quid si vexatio sit injusta relate ad possessionem beneficii jam obtenti?* 9. 5. 9. *Vexatio injusta in aliis rebus spiritualibus extra materiam beneficialem redimi potest.* 9. 5. 2. *Vexatio vero justa universim redimi non potest.* 9. 5. 1. *Subornatio est Simoniaca, si fiat ad resistendum subornationi factæ ab alio erga collatorem beneficii.* 9. 5. 8.
Votum obedientiæ quomodo perseveret in regularibus assumptis ad Episcopatum? 2. 6. 7.
Votum paupertatis professorum regularium num sit compossibile cum dominio erga fructus beneficii, ad eum modum, quo votum castitatis religiosorum, ante ingressum in religionem conjugatorum, compossibile est cum dominio, quamvis impedito, & quoad usum in corpus alterius. 2. 7. 3.
Usura saltem large dicta committitur a mutuante cum pacto, quod detur res spiritualis. 5. 4. 10.
Usura in quo differat a Simonia? 5. 3. 6., & 5. 4. 10., & 10. 3. 9.
Usura mentalis tunc trahit onus restitutionis, quando conjungitur cum injustitia; non secus ac Simonia mentalis. 10. 2. 12.
Usura in temporalibus est Simonia in spiritualibus. 9. 7. 3.
Uxoratus in quo casu capax est beneficii? 1. 3. 5.

F I N I S.

Ad majorem Dei gloriam, ac Deiparæ sine labe Conceptæ.

P. DOMINICI VIVA
SOCIETATIS JESU
OPUSCULA THEOLOGICO-MORALIA.
OPUSCULUM QUARTUM
DE USURIS.

INDEX
QUÆSTIONUM,
ET
ARTICULORUM,
Qui in hoc Opusculo IV. DE USURIS continentur.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Usura, & quonam jure prohibita? 1

ART. I. *Quid sit Usura?* 2
II. *Quotuplex sit Usura?* 3
III. *Quonam jure prohibeatur Usura?* 5

QUÆSTIO II.

Quænam pacta in mutuo reddant contractum usurarium? 8

ART. I. *An sit Usura alium contractum justum a mutuatario exigere de præsenti, ac statim?* 9
II. *An sit usura mutuare cum pacto, quod mutuatarius ad aliquid præstandum in futurum se obliget?* 11
III. *Quid de pacto, quod mutuatarius conferat aliquod officium, vel beneficium?* 12
IV. *De pactis additis mutuo pro quando variandus est valor rei mutuatæ.* 14
V. *An possint citra usuram fructus pignoris a mutuante retineri, non computando illos in partem sortis?* 16
VI. *De aliis pactis mutuo additis.* 19

QUÆSTIO III.

Quibus de causis possit aliquid a mutuante ultra sortem exigi citra Usuram? 21

ART. I. *An sit usurarium lucrum, quod accipitur in Montibus Pietatis a deponentibus ibi pecuniam suam?* ibid.
II. *Utrum usurarie in Montibus Pietatis auctarium aliquod exigatur pro eorumdem augmento?* 24
III. *Utrum in contractu Trium lateat usura?* 28
IV. *An ratione damni emergentis possit mutuator aliquid supra sortem exigere?* 29
V. *An etiam pro lucro cessante possit aliquid ultra sortem exigi?* 30
VI. *An possit aliquid ultra sortem accipi pro periculo proximo amittendi illam?* 32
VII. *An pœna conventionalis licite apponatur in mutuo?* 35
VIII. *Utrum etiam pactum legis commissoriæ licite apponatur in mutuo?* 36

QUÆSTIO IV.

De Usura palliata in contractu emptionis, & venditionis. 37

ART. I. *An possit res vendi pluris ob dilatam solutionem?* 38
II. *An possint res emi vilius ob solutionem anticipatam?* 39

III. *An*

III. *An possit citra usuram minoris emi Chirographa?* 41
IV. *An Contractus Mohatra semper sit usurarius?* 42
V. *An sit usuraria emptio fructuum agrestium vilius ac si essent maturi?* 43

QUÆSTIO V.

De Pœnis usurariorum, ac restitutione ab iis facienda. 44

ART. I. *Quænam sint usurariorum pœnæ?* ibid.
II. *Utrum Usurarius dominium usurarum acquirat?* 45
III. *Utrum restitui debeant, quæ ab usurario, vel fure donantur?* 46
IV. *Ad quid teneatur ipsemet usurarius, præsertim quando lucrum ex contractu usurario bona fide reportatum est?* 48
V. *Ad quid teneantur hæredes usurariorum?* 50
VI. *Quinam ordo servandus sit in restituendis usuris?* 51

QUÆSTIO VI.

De Cooperantibus ad Usuras. 52

ART. I. *An peccent, & ad restitutionem teneantur concurrentes ad usuras?* ibid.
II. *Quid de consulentibus Usuras?* 53
III. *Quid de concurrentibus ad Usuras, exhibendo pecuniam, aut auxilium?* 54
IV. *Quid de Tabellionibus, & Proxenetis, aliisque ad Usuras concurrentibus?* ibid.
V. *Quid de famulis, & de creditoribus usurariorum?* 55
VI. *An peccet mutuatarius petendo mutuum sub usuris?* 56

OPU-

OPUSCULUM QUARTUM.

DE USURIS.

PROŒMIUM.

USURA, infelix illa avaritiæ soboles, iniquæ matris iniquissimos mores æmulata, turpitudinem suam ascititiis ornamentis ita obduxit, ut non raro pluribus imposuerit. Nostrum erit in hoc Opusculo quæsitos hujusmodi colores, & pigmenta detrahere, usuræque fraudes, ac meretricias artes exponere. Quia tamen ea labes multos percurrit contractus, idcirco ejus indoles plene dignosci non poterit, non inspecta simul plurimorum contractuum natura. Latissimum proinde, ac utilissimum molimur opus, quod in prospectu ponens sordida injusti lucri senticeta, ad licite lucrandum viam aperit consularem. Consulto, postquam de Simonia disputavimus anno superiore, disputamus nunc de Usuris, quia universim, Quod in spiritualibus est Simonia, in temporalibus est Usura; propterea quæ de Simonia dicta sunt, facem præferunt plurimis difficultatibus, quæ pariter circa Usuram occurrunt; & quæ de Usura dicentur, in meliori lumine collocabunt ea, quæ diximus de Simonia. In utraque enim materia plurimæ passim opiniones, quæ, speculative loquendo, censentur probabiles, in praxi deinde sunt omnino improbabiles; eo quod in praxi fere nunquam ab iis adjunctis subtrahuntur, quibus positis, a culpa depurari non possunt; quia tamen ab iis circumstantiis possunt per intellectum abstrahi, idcirco dicuntur esse speculative dumtaxat probabiles. Sed ne longum faciamus, omissis iis, quæ passim de Mutuo Doctores docent, utpote facilioribus, inquiremus primo, Quid, & quotuplex sit Usura, & quo jure prohibeatur? Secundo, quænam facta addita mutuo contractum reddant usurarium? Tertio, quotupliciter possit citra usuram lucrum exigi ultra sortem? Quarto de Usura palliata in Emptione, & Venditione, ac nonnullis aliis contractibus celebrioribus, de quibus multa summatim delibabimus, ne Theologus in hac materia difficillima simul, ac usu frequentissima hospes sit, & peregrinus. Quinto de Pœnis, ac de Restitutione ab Usurariis facienda. Sexto demum de Cooperantibus ad Usuras.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Usura? Et quo Jure prohibita?

MIssas facimus varias Usuræ acceptiones, quas videre est apud Molinam disp. 35. ac de Usura, prout facit ad rem nostram, inquiremus seorsim, quæ in titulo proposuimus.

ARTICULUS I.

Quid sit Usura?

I. Lucrum ad usuram spectans debet esse pretium mutui.
II. Immo immediate debet a mutuo provenire.
III. Sufficit pactum implicitum, sicut ad simoniam, ita ad usuram.
IV. Quid si citra pactum detur a mutuatario auctarium ex gratitudine, & illud a mutuante accipiatur, ut pretium mutui?
V. Quid si viceversa detur ut pretium, sed accipiatur, tanquam gratis datum?
VI. Num usurarius mentalis ad restitutionem teneatur?

I. Communiter definitur Usura; quod sit *lucrum ex mutuo immediate proveniens*. Dicitur primo *Lucrum*, hoc est, acquisitio rei ultra sortem, pretio scilicet æstimabilis, & alias non debitæ ex justitia; ut si mutuans centum recipiat centum & quinque. Quare si auctarium, seu quod acquiritur ultra sortem, sit rei non æstimabilis pretio, ut sunt Reliquiæ, & aliæ res spirituales, non habebitur proprie lucrum pertinens ad usuram stricte dictam, cum lucrum spirituale sit objectum simoniæ potius, quam usuræ. Neque committitur usura ab eo, qui mutuat, ut sibi restituatur depositum, vel solvatur debitum, sive ut desinat inimicus nocere, quia non acquiritur ultra sortem, nisi quod erat alias debitum ex justitia: Contra vero erit usura, si mutues, ut præstentur tibi, quæ solum ex charitate, gratitudine, fidelitate, vel ex alia virtute a justitia debentur, ut communiter docent apud Bonac. punct. 3. contra Medin. Nav. Valent. quia sic lucrum reportas imponendo mutuatario novum gravamen, ratione cujus tenetur ad damna subsequuta, ad quæ non tenetur, qui omittit, quæ debentur ex charitate, aut alia virtute a justitia, ut explicabimus qu. 2. art. 6. n. 5.

Dicitur secundo, *Proveniens ex Mutuo*: Si enim lucrum aliunde proveniat, non erit usura, puta si vendas ultra justum pretium; hujusmodi enim lucrum ex venditione injusta reportatur, non ex mutuo, tanquam pretium illius: Item si pecuniam commodes ad ostentationem, vel ad alium finem, lucrum inde reportatum non est usura; quia non est ex mutuo, sed magis ex locatione pecuniæ, ut proinde, si forte pecunia pereat, commodanti pereat, non commodatario. Sufficit autem ad usuram non solum mutuum formale, sed etiam virtuale, quale reperitur, quando v. g. res carius venditur propter dilatam solutionem pretii, vel vilius propter solutionem anticipatam; in utroque enim casu intervenit mutuum pretii virtuale, cujus solutio differtur, vel anticipatur, ut solvatur cum lucro in excessu, vel diminutione justi pretii.

II. Dicitur demum *Immediate*: nam, si lucrum proveniat quidem ex mutuo, sed mediate, non erit usura; ut quando mutuans intendit lucrum ex amicitia, vel ex gratitudine mutuatarii causanda in ipso ratione mutui: dummodo tamen hujusmodi lucrum ex gratitudine, vel amicitia reportandum non deducatur antecedenter in pactum; tunc tamen ratione talis pacti fieret etiam debitum ex justitia, atque adeo committeretur usura. Et in hoc sensu damnata est ab Innoc. XI. propos. 42. dicens, *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur, tanquam debitum ex justitia*. Sicut enim committitur simonia, si deducatur in pactum, quod pro re spirituali detur res temporalis, tanquam debita ex gratitudine; quia hoc ipsum deducere in pactum est velle permutare rem spiritualem cum temporali: secus vero si detur res spiritualis non quidem *tanquam pretium, neque tanquam motivum conferendi temporale, aut e contra, neque tanquam gratuita compensatio*, (quod pariter damnatur ab Innoc. XI. in propos. 45.) sed pure sperando absque ullo pacto etiam implicito aliquid ex gratitudine; ut in illarum thesium expositione elucidatur: ita in casu nostro committitur usura, si deducatur in pactum lucrum, tanquam ex gratitudine debitum. Et ratio a priori in utroque casu est, quia obligationi gratitudinis antidorali nemo tenetur satisfacere reddendo aliquid ex obligatione justitiæ; satis enim erit gratus, qui pro mutuante, aut conferente beneficium Ecclesiasticum orat, jejunat, aut aliter gratum animum ostendit, unde, dum determinate exigitur vi pacti pro mutuo, vel pro beneficio aliquid temporale, imponitur gravamen, quod non oritur ex sola gratitudine, sed ex novo pacto, atque adeo ex justitia.

Confirmatur, quia vi pacti obligationi ex gratitudine superadditur obligatio civilis; obligatio autem civilis, quæ est ex justitia, est longe major, quam sit obligatio naturalis ex gratitudine; quia hujus adimpletio sæpe sine culpa etiam veniali omitti potest; contra vero obligatio civilis ex genere suo obligat sub mortali; quinimo obligat etiam ad damna subsequuta: tantum autem obligationis incrementum subire pretio æstimabile est: ergo deducendo in pactum lucrum, tanquam ex gratitudine debitum, procul dubio usura committitur, & simonia.

III. Ubi notandum ex Molin. disp. 306. ad simoniam, & usuram committendam non requiri pactum explicitum, sed satis esse implicitum; satis enim est, quod lucrum conferatur, & accipiatur non tanquam ex gratitudine, sed tanquam absolute debitum; nam qui dat tanquam debitum, non habet animum donandi, aut satisfaciendi obligationi antidorali, sed solum habet animum dandi, perinde ac si pactum præcessisset; unde simpliciter, & absolute non donat, nisi oretenus, ac proinde non transfert dominium. Cum enim solvat tanquam ex justitia debitum, quod revera ex justitia non debetur, non habet animum donandi, aut dominium transferendi absolute, sed solum sub conditione, quod ex justitia illud debeatur, quæ conditio non purificatur; & ideo absolute dominium non transfertur. Hujusmodi autem pactum, sive implicitum, sive præsuppositum contingit, ut notat Lugo ex Lessio num. 41. quando mutuatarius habens notam indolem mutuantis, quod nolit gratis mutuare, habet animum solvendi usuras, quatenus præsumit ad usuram datum esse mutuum ex intentione mutuantis.

IV. Hinc resolvitur primo celebris illa quæstio, An ad restitutionem teneatur mutuans, quando mutuatarius solvit aliquid ultra sortem, tanquam debitum, ipse vero accepit, quasi datum sibi ex gratitudine, eo quod nullum pactum præcesserit? Ne-

Negant aliqui apud Salas dub. 8. nu. 4. Sed communiter cum Molina, & Lugo nu. 32. affirmant, quia in hoc etiam casu datio fuit involuntaria, & conditionata, atque adeo insufficiens ad transferendum dominium. Quare solum bona fides accipientis poterit eum a restitutione liberare, postquam bona fide rem acceptam consumpsit, si non est factus locupletior: Quod si dubia fide cœpit possidere, recurrunt regulæ, quas in tractatu de conscientia dubia tradidimus de eo, qui cœpit dubia fide possidere rem alienam. Denique, si dubium postea superveniat, debet inquirere veritatem, & animum mutuatarii, quod si dubium superari non possit, Lessius docet, censendum esse, gratis donasse, quando mutuans nullum signum petendi dederat, & mutuatarius nullam tristitiam præsetulit in solvendo, aut coactionem, nec est avarus. Molina vero disput. 305. cum Salas putat, perseverante hoc dubio, auctarium illud datum supra sortem restituendum esse, sive bona, sive mala fide acceptum fuerit, quia non præsumitur datum liberaliter. Equidem cum Lugo probabiliorem censeo sententiam Lessii, cum in hoc casu procedat regula de incipiente possidere rem alienam bona fide, qui nequit deinde dubium superveniens superare; quod scilicet in tali dubio melior sit conditio possidentis; unde restituere non tenetur.

V. Resolvitur secundo, quid dicendum, si viceversa mutuatarius gratis, & liberaliter dedit aliquid supra sortem, mutuans vero mala fide accepit, putans sibi dari in pretium mutui? Plures cum Tabiena, & Panorm. apud Sal. docent, restituendum esse vel danti, vel saltem pauperibus, quia licet dans abjecerit a se dominium illius auctarii, accipiens tamen illius dominium non acquisivit, eo quod non acceptarit, ut donum, sed ut pretium. Communius tamen, & probabilius cum Less. nu. 42. & Molin. negant esse restituendum, quando mutuans animum illum mutuantis præteritum deprehendit, quia ex parte dantis fuit voluntas sufficiens ad dominium transferendum, ex parte vero accipientis, quamvis defuerit tunc acceptatio formalis illius doni, fuit tamen acceptatio virtualis, quatenus, licet putaverit non dari gratis, voluit tamen accipere omni meliori modo, quo poterat. Illud certum videtur, quod si animus ille dantis mortaliter perseveret, possit ab accipiente poni tunc acceptatio formalis, & sic acquirere dominium auctarii liberaliter dati.

VI. Resolvitur demum celebris alia quæstio, Utrum universim ad restitutionem teneatur usurarius mentalis, hoc est qui animo usurario, absque ullo pacto externo, etiam implicito, aliquid ultra sortem accepit intuitu mutui? Dicendum enim, quod si non solum mutuans accepit animo usurario, sed etiam mutuatarius illud dedit in pretium mutui, detur procul dubio onus restituendi, quia auctarium non est datum liberaliter, & absque titulo acceptum est; Idemque dicas, si detur aliquid a mutuatario in pretium mutui, mutuans vero illud bona fide accipiat; Quod si mutuatarius dederit aliquid liberaliter, mutuans vero acceperit in pretium mutui, existimans sic dari a mutuatario, quando reprehendit, liberaliter sibi donatum esse, probabilius est, ut diximus, quod non debeat illud restituere, quia quamvis mutuans acceptarit ut pretium, virtualiter tamen acceptavit omni meliori modo, atque adeo etiam ut donum. Neque obstat, quod in cap. *Consuluit* ab Urbano III. dicatur mentalis usurarius inducendus esse ad restituendum. Nam ibi loquitur Pontifex, quando mutuatarius non dedit liberaliter, sed coacte, & in pretium mutui.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit usura?

I. *Quid sit usura mentalis? & quotupliciter usuræ nomen sumatur?*

II. *Quomodo usura pallietur?*

III. *Non est usura mentalis sperare, ac intendere lucrum ex mutuo mediate, puta si absque ullo pacto, mediante amicitia, vel ex gratitudine illud conferendum sit: Secus vero, si illud immediate intendatur ratione mutui.*

IV. *Quomodo citra culpam bonum præstantius ad minus præstans ordinetur?*

V. *Non est præceptum, sed consilium, quod citra lucri spem detur mutuum.*

VI. *Num liceat excitare mutuarium ad gratitudinem?*

VII. *Num usurarie accipiatur, quod a mutuatario datur, ne subeat notam ingrati, aut timens, ne sibi iterum mutuandum sit, quando indigebit?*

I. Dividitur Usura primo in Realem, & Mentalem. Realis est, quando lucrum de facto recipitur, aut in pactum deducitur recipiendum, sive pactum sit explicitum, sive implicitum, v. g. si mutuans dicat: Nosti consuetudinem; memento, me habere familiam, & tui causa carere hac pecunia; confido, illam non reversuram vacuam. Mentalis vero dicitur, quando nullo interveniente pacto, ne implicito quidem, intenditur vi mutui lucrum non ex gratitudine, & liberalitate, sed tanquam ex justitia conferendum. Quare mentalis usura non est illa, quæ in actum externum non prodit, (ut dicitur etiam de simonia mentali) sed quæ procedit sine pacto externo ex animo usurario; unde definitur, quod sit *Voluntas accipiendi lucrum ex mutuo*: ubi usura realis definitur, quod sit *Mutuatio cum pacto accipiendi lucrum pro usu rei mutuatæ*. Hinc Doctores colligunt, tribus modis accipi posse Usuram; primo pro ipso lucro supra sortem; secundo pro contractu, quo tacite, vel expresse promittatur lucrum ex mutuo; Tertio pro voluntate accipiendi lucrum ex mutuo.

II. Dividitur secundo in Manifestam, & Palliatam, seu implicitam, quam minus propriam vocat Palaus: Manifesta est, quando pactum de lucro est explicitum: Palliata vero, quando mutuum est virtuale, & palliatur lucrum colore alterius contractus, ut si vendas centum credito rem, quæ numerata pecunia valet nonaginta; idem enim hoc esset, ac mutuare nonaginta, ut reddantur deinde centum.

III. Dubitatur hic, An sit usura mentalis mutuare cum sola spe, & intentione lucri ex mutuo? Videtur enim in hoc usura contineri: tum quia Christus Dominus Lucæ 6. dicit, *Mutuum date, nihil inde sperantes*; tum etiam quia in cap. *Consuluit* de usuris, Urbanus Papa respondet, eum, qui mutuat alias non mutuo daturus, eo proposito, ut licet omni conventione cessante plus tamen sorte reci-

recipiat, pro hujusmodi lucri intentione, quam habet, judicandum esse male agere, & efficaciter ad restitutionem inducendum.

Dicendum tamen primo cum communi, illicitum esse sperare efficaciter, seu intendere lucrum immediate ex mutuo, tanquam pretium mutui, ac debitum ex justitia, sive principaliter, sive minus principaliter tale lucrum intendatur. Ratio constat ex dictis, quia scilicet tale lucrum usurarium est, & consequenter intentio talis objecti est mentaliter usuraria; Et hoc est, quod prohibetur a Christo Domino Lucæ *6.* & damnatur ab Urbano Papa loco laudato.

Dicendum secundo, licitum esse sperare etiam efficaciter, seu intendere lucrum mediate ex mutuo, videlicet reportandum mediante amicitia, vel gratitudine causata ex mutuo. Sicut enim absque labe simoniæ potest quis mutuare, & obsequium quodvis præstare Episcopo, sperans, & intendens ejus benevolentiam, & ex benevolentia beneficium Ecclesiasticum, dummodo nullum interveniat pactum ne implicitum quidem, sed sola spes gratitudinis; ita absque labe usuræ poterit quis mutuare Principi indigenti, ut captet ejus benevolentiam, & ex benevolentia officium, aut aliud lucrum. Ita Lugo, Less. Molin., Turrian., & alii communiter, qui in utraque conclusione conveniunt. Neque quoad hoc est discrimen ullum inter motivum principale, & minus principale, vel inter causam motivam, aut impulsivam. Et ratio horum omnium est, quia quod desiderare possumus, pariter possumus illud intendere principaliter, & finaliter pe media nobis non prohibita; atqui desiderare possumus collationem beneficii Ecclesiastici, vel officii faciendam ab Episcopo, vel Principe ex gratitudine, nec prohibetur nobis dare mutuum, quod est medium ad eos actus gratitudinis: ergo possumus dare mutuum intendendo principaliter, ut ex gratitudine conferatur beneficium, aut officium: Contra vero, quia lucrum tanquam debitum ex justitia vi mutui desiderare non possumus, nec poterimus illud etiamsi minus principaliter intendere.

IV. Neque dicas esse inordinationem quandam ordinare bonum præstantius, scilicet amicitiam, tanquam medium ad id, quod est minus præstans, videlicet ad lucrum: ergo non licet mutuare ad captandam amicitiam mutuatarii, ut ex ea lucrum reportetur.

Nam contra est primo, quia quamvis mutuans sperando lucrum mediante amicitia peccaret peccato avaritiæ, si affectu inordinato intenderet lucrum, non per hoc peccabit peccato usuræ.

Contra secundo, quia, ut notat Molin. disp. 35. & Bonac. neque peccabit peccato avaritiæ, qui mutuat v. g. Principi, sperans mediante amicitia officium aliquod quæstuosum, quod ordinet ad bonum finem; hujusmodi enim affectus ad lucrum non esset inordinatus, quia affectus specificatur a motivo.

V. Contra demum, quia si bonum præstantius est utile ad minus præstans, potest absque ulla inordinatione, & culpa illud ad hoc ordinari; Sic ordinamus Sacrificium, quod est bonum excellentius, ad obtinenda a Deo bona, etiam temporalia: Immo etiam potest sine culpa Sacerdos velle celebrare propter eleemosynam, tanquam propter motivum occasionale, & extrinsecum, & quodammodo principale, quatenus cessante eleemosyna non esset celebraturus. Et ratio a priori est, quia celebrans occasione stipendii non ordinat Sacrificium ad stipendium tanquam ad finem intrinsecum Sacrificii, sed illud ordinat immediate ad Dei cultum ex occasione stipendii, quod etiam intendit: Ad eum modum, quo ex metu naufragii potest quis elicere actum perfectæ contritionis, ita ut metus non sit finis talis actus, sed occasio, qua sublata, actus contritionis non eliceretur. Quare sicut metus naufragii potest esse motivum quodammodo principale, non tamen intrinsecum contritionis, ita spes lucri potest esse motivum quodammodo principale, non tamen intrinsecum mutui. Verum sicut sanum consilium est ad contritionem excitari etiam circumscripto quovis metu, & Sacrificium offerre Deo, etiam secluso stipendio; ita dignum Christi Domini consilium est, non vero præceptum, dare mutuum etiam præcisa quavis spe mutui; Illudque solum vetatur, quod detur mutuum sperando aliquid, tanquam debitum ex justitia.

VI. Dubitatur ulterius, an sicut licitum est, intendere remunerationem ex gratitudine mutuatarii, ita liceat etiam eundem verbis ad id excitare, & inducere?

Prima sententia negat cum Cajet., Sot., Medin., & aliis apud Salas dub. 7. quia illa insinuatio videtur esse quoddam pactum implicitum, & quia, ea præcedente, non videtur sponte mutuatarius dare, sed rubore, & necessitate compulsus.

Secunda sententia cum Molin. disp. 305., Bann., Salon., Salas, Rebel., Bonac. apud Dian. par. 1. tr. 8. resol. 52. nec pactum implicitum, nec usuram in hac excitatione cognoscit, nec putat per hujusmodi petitionem reddi donationem involuntariam, & consequenter nec acceptationem injustam.

Tertia sententia distinguit cum Lugo dicendo, hujusmodi excitationem licere, si subsequatur mutuum, secus vero si illud antecedat; tum enim juxta communem acceptationem censeretur habere rationem pacti impliciti.

Equidem censeo, speculative loquendo, in hujusmodi excitatione usuram posse non contineri, secus vero practice; quia practice semper videtur peti implicite aliquid tanquam debitum ex justitia, etiamsi petitio mutuum subsequatur. Proinde Bonac. nu. 10., quamvis in tali excitatione usuram non agnoscat, putat tamen illam esse acriter reprehendendam ob usuræ periculum.

Confirmatur, quia ex quodam motu proprio Pii V. censetur simoniacus, qui confert beneficium, explicans se confidere recepturum pro eo aliquid temporale: ergo pariter erit usurarius, qui idem significat; quatenus, saltem practice, ita esse soleat; ut proinde talis præsumatur in foro externo.

VII. Idem respondendum videtur ad quæstionem illam, utrum usurarie accipiatur a mutuante, quod dat mutuatarius ultra sortem, absque ullo prævio pacto, sed solum timens se non accepturum iterum mutuum, quando indigebit, vel ne videatur, vel ne vocetur ingratus?

Usurarie id accipi affirmant Cajet., Molin., Navar., & alii apud Dian. loc. cit., quia talis timor efficit, ut non sponte, sed coacte detur lucrum ultra sortem.

Negant vero Salas, Lugo, & alii, si desit animus accipiendi, vel extorquendi illud, tanquam debitum ex justitia, seu ex vi pacti. Et ratio hujus opinionis est primo, quia Doctores communiter cum D. Thoma, Salon., Valent, Soto, Lessio dub.

5. &.

5. & 6. docent, ad usuram requiri, quod detur, vel accipiatur aliquid, tanquam pretium mutui, vel tanquam debitum ex justitia; ergo, si in casu nostro non extorqueatur lucrum, tanquam debitum ex justitia, non habebitur usura. Secundo ex Lugo, quia non est simonia, quando Episcopus confert famulo beneficium, timens, ne alioqui a suo obsequio discedat, quia nullum pactum præcessit, nec intervenit pretium: ergo nec habetur in simili casu usura. Tertio, quia communiter docent cum eodem Molin. disp. 308. posse me nolle mutuare Titio, quem scio mihi indigenti non esse mutuaturum, vel Cajo, qui mihi heri non mutuavit, postquam ego illi mutuaveram: ergo, sicut potest Titius induci ad remutuandum, eo timore ductus, ne postea illi non mutuem amplius tanquam ingrato; ita poterit ex eodem timore induci ad aliter mihi gratificandum liberaliter ob mutuum acceptum. Unde absque labe usuræ poterit accipi, quod ita donatur. Demum ratio a priori est, quia dari aliquid ex timore, non facit, quod detur ut pretium, cum possit dari gratis ad alliciendum animum mutuantis, ut novum conferat beneficium. Quamvis ergo illa donatio non sit ita spontanea, sicut si esset ex affectu benevolentiæ, adhuc tamen est vera donatio, quia non infirmatur ab ullo metu injuste incusso; sicut certe infirmaretur, si inferretur injuste metus, v. g. minando infamiam injustam ob ingratitudinem, vel minando, te non mutuaturum illi, quando deberes mutuare; Sic enim donatio, utpote injuste extorta, esset involuntaria, atque adeo daretur obligatio restituendi, quamvis nihil daretur in pretium mutui.

Equidem tamen pariter censeo, rationes istas efficaciter evincere, quod speculative loquendo in hoc casu nulla intercedat usura; at non evincunt quominus in praxi periculum subsit usuræ, quia practice mutuatarius dans aliquid ultra sortem ducitur sæpissime metu aliquo, quem putat sibi injuste incuti; timet enim ne mutuans non solum cesset a benefaciendo, sed etiam exprobraturus sit ingratitudinem, aut aliter nociturus, atque adeo ob usuræ periculum hujusmodi opinio dissuadenda est, & in praxi inhibenda.

Ad pleniorem intelligentiam hujus doctrinæ recolantur, quæ habentur in expositione thesis XLII. ab Innoc. XI. proscriptæ, ubi dicitur: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur, tanquam ex justitia debitum.* Recolantur etiam, quæ diximus in de simonia qu. 5. art. 4. ad hanc rem spectantia.

ARTICULUS III.

Quonam jure prohibeatur Usura?

I. *Etiam naturali jure Usura vetatur.*

II. *Aliter Hebræi, qui cupiunt baptizari, non obligarentur ad Usuras restituendas.*

III. *Non potest assignari justus titulus, ratione cujus possit auctarium exigi a mutuante.*

IV. *Pecunia numerata secundum se non est æstimabilior pecunia numeranda.*

V. *Mutuans obligando se ad non repetendam pecuniam per annum, percipit aliquam utilitatem, quatenus si pecunia forte interim perit, non sibi pereat, sed mutuatario.*

VI. *Pro obligatione mutuandi per annum potest aliquid accipi, non vero pro obligatione non repetendi per annum pecuniam mutuatam.*

VII. *Pro obligatione non repetendi mutuum per quodcumque tempus, secundum se, non potest aliquid accipi.*

VIII. *Usuræ neque in scripturis, neque in jure canonico, aut civili permittuntur.*

IX. *Cur pro beneficio mutui nihil possit accipi a mutuante? Nec pro periculo remoto, cui ille se exponit, amittendi sortem, & occasionem lucrandi?*

I. Hæretici Albanenses, Carolus Molinæus, aliique nostri temporis Heterodoxi apud Salas dub. 3. putarunt usuram esse licitam: quod tamen communis, & catholica doctrina negat, ut definitum est in Viennensi, Lateranensi, Nicæno, & Lugdunensi apud Lugo sect. 21. Utrum vero prohibeatur solum jure positivo, an etiam jure naturæ? Abulensis apud Less. dub. 4. putavit, solo jure positivo; Communiter tamen Theologi, & Juristæ docent jure etiam naturali prohiberi. Quod constat, quia Concilia, & Pontifices ostendunt ex testimoniis Scripturæ, præsertim veteris Testamenti, usuram esse illicitam: Ex quo rite infertur esse contra jus naturæ. Et ratio illationis est, quia alioqui inepte probaretur ejus inhonestas ex veteri Testamento (ubi dicitur Ps. 14. *Quis ascendet in montem Domini?* &c. *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*) Quandoquidem præcepta positiva, quæ non sunt de jure naturæ, lata in veteri Testamento cessarunt jam in novo; ubi Christus Dominus fere nonnisi de Sacramentis, aut ad fidem spectantia dedit præcepta.

II. Confirmatur, quia præcepta veteris Testamenti non amplius obligant; præcepta vero novi obligant Christifideles; Ecclesia autem obligat etiam Judæos ad restitutionem usurarum, si velint Baptismum suscipere: ergo non vi præcepti positivi, sed vi juris naturalis illicita est usura.

III. Difficultas tamen est in assignanda ratione a priori. Molin. disp. 34. & Salas plures rationes adducunt, & refellunt; Illa videtur efficacissima, tum quia non licet fructum percipere ex re aliena, cum res domino fructificet; res autem mutuata per mutuum alienatur, & fit mutuatarii; ergo non debet mutuanti fructificare, sed mutuatario: tum etiam quia contra justitiam est in commutatione rerum plus exigere, quam res valeat, nisi justus aliquis titulus intercedat, ratione cujus illud plus accipiatur. In casu autem justus titulus non potest esse primo, quia mutuatarius utitur re mutuata, ut accidit in commodato; Nam per mutuum transfertur dominium, & consequenter jus plenum utendi: Quare sicut non potest seorsim ab equo vendi jus utendi equo jam vendito; ita non potest aliquid accipi pro jure utendi pecunia mutuata præter pecuniam reddendam. Ideo autem pro usu rei commodatæ potest aliquid accipi, quia per commodatum non transfertur dominium, & consequenter si res commodata interim pereat, ipsi commodanti perit, sicut ipsi etiam fructificat; & idcirco, si pecunia commodatur ad ostentationem, potest pro usu pecuniæ commodatæ aliquid accipi. At si pecunia detur mutua, transfertur dominium; & consequenter sicut periret mutuatario, si interim periret; ita mutuatario debet fructificare. Universim enim res domino perit, & domino fructificat.

Hinc

Hinc neque secundo potest justus titulus esse utilitas, quam ex re mutuata percepturus est mutuatarius; quia, posita translatione dominii, hæc utilitas ad ipsum spectat; Sicuti, posita venditione equi, ejus utilitas spectat ad emptorem; unde non potest pro ea aliquid exigi, ut communiter docent cum D. Thoma 2. 2. qu. 77. art. 1.

Neque tertio potest aliquid ultra sortem accipi, quatenus datur a mutuatario sciente, & volente, atque adeo titulo donationis. Etenim mutuatarius non dat plene volens, sed cum admixtione involuntarii; nollet enim, & quidem rationabiliter, auctarium conferre, nisi mutuans illud exigeret; hæc autem voluntas mixta rationabili involuntario non satis est ad donationem, & ad translationem Dominii.

Neque dicas quarto, conferri ob alios titulos mutuo extrinsecos, puta ob damnum emergens, ob lucrum cessans, ob periculum probabile amittendi sortem, pro labore numerandi, vel ponderandi rem mutuatam, aut pro sumptibus in ea recuperanda; Nam hujusmodi lucrum licite quidem accipitur, si servetur æqualitas, sed non est usurarium, quia non provenit præcise ob mutuum, sed ob alias causas accidentales, & mutuo extrinsecas.

Neque dicas quinto, exigi ob dilationem solutionis: Nam ista dilatio præcisa, seclusis aliis damnis, non est pretio æstimabilis; Centum enim tam hodie, quam sequenti anno nonnisi centum valent, si interim nullum cesset lucrum ex dilatione; sicuti ager tanti æstimatur nunc, & post annum, si interim nullam afferat utilitatem.

IV. Dices cum Joan. Medin. cod. de rest. quæst. 32., Ledes., Cœlest. & aliis apud Dian. part. 1. tract. de contract. resol. 48. posse aliquid ultra sortem accipi a mutuante, quia privat se utilitate pecuniæ mutuatæ, & facultate illam expendendi spatio alicujus temporis, quo forte illa indigebit, nec poterit ea uti, eo quod se obligaverit ad non repetendam ante illud tempus determinatum.

Et confirmatur, quia pecunia præsens videtur juxta communem æstimationem magis valere, quam absens; illa enim est apta negotiationi, & lucro; ubi e contra ex pecunia absente plurima sæpe damna eveniunt, & lucra cessant: ergo poterit ex hoc titulo aliquid juste ultra sortem exigi.

Respondeo, sententiam istam Medinæ, ut notat Val. esse valde periculosam in fide, cum viam aceriat usuris: imo nullatenus nunc potest defendi, pum damnata sit tam prop. 42. ab Alex. VII. dicens, *Licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus*, quam prop. 41. ab Innoc. XI. dicens, *cum numerata pecunia pretiosior sit, quam numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari*. Ad rationes adductas primo aspectu efficaces respondent alii aliter, & prolixe. Conveniunt fere omnes in hoc, quod de ratione intrinseca mutui sit obligare se ad non repetendam sortem ante aliquod tempus determinatum; aliter esset contractus Precarii, si quandolibet ad arbitrium posset pecunia mutuata repeti. Quod autem pro hujusmodi obligatione mutuo intrinseca non possit aliquid exigi, debent concedere quotquot negant licitas esse usuras, ut patet; quia accipere aliquid pro tali obligatione mutuo intrinseca est accipere aliquid supra sortem, præcise ex vi mutui, in quo consistit usura. Debemus tamen contra hæreticos, putantes, non prohiberi usuras jure naturali, assignare rationem, cur contra justitiam sit accipere aliquid supra sortem pro hac obligatione mutuo intrinseca non repetendi illam v. g. per annum.

V. Ea videtur ratio adæquans & solida ex Salas dub. 9., quia obligans se ad non repetendam sortem, v. g. per annum, vel habet spem proximam interim lucrandi, aut probabile periculum alicujus damni ex carentia pecuniæ, vel habet tantum spem remotam, & periculum remotum damni possibilis: Si dicatur primum, potest quidem aliquid ultra sortem exigi, ut infra dicemus, titulo lucri cessantis, aut damni emergentis, in quo non habetur usura, quia hoc lucrum accipitur ob rationes mutuo extrinsecas: Si vero dicatur secundum, nullatenus potest aliquid ultra sortem exigi, ut constat ex propositionibus damnatis, (in quarum expositione plurima diximus huc spectantia). Et ratio est, quia sufficienter hæc spes, & periculum compensantur cum utilitate, quam percipit mutuans mutuando, videlicet quod non inutiliter rem mutuatam expendat, & si interim pereat furto, vel alio infortunio, non sibi pereat, sed mutuatario.

Et per hæc patet ad confirmationem, necnon ad illam instantiam apud Cardinalem de Lugo num. 20. Qui non vult colere agrum, & se obligat alteri ad illum non colendum, potest aliquid accipere pro tali obligatione; ergo pariter qui non vult uti pecunia, & mutuat illam, obligando se ad non repetendam, poterit etiam aliquid accipere pro tali obligatione. Negatur enim consequentia: & disparitas est, quia mutuans obligando se ad non repetendam pecuniam per annum, percipit ex mutuo aliquam utilitatem, quod scilicet interim pecunia non possit sibi perire, quæ utilitas compensat illam obligationem: Contra vero qui obligat se alteri ad non colendum suum agrum per annum, nullam utilitatem percipit ex tali obligatione, cum non alienetur ager, & ideo pro illa potest aliquid accipere.

VI. Oppones primo cum eodem Medina, potest aliquod pretium exigi pro obligatione per annum suscepta mutuandi alteri, vel fidejubendi, ut fert communis Doctorum sententia: ergo etiam poterit aliquid exigi pro obligatione non repetendi pecuniam mutuatam per annum. Consequentia videtur sequi, quia moraliter videtur idem esse obligare se ad mutuandum per annum, ac obligare se ad non repetendam pecuniam mutuatam per annum.

Confirmatur, quia saltem qui mutuat per annum posset contrahere sic dicendo: mutuo tibi gratis per mensem, & obligo me ad mutuandum deinde per alios undecim menses, & pro hac obligatione posset aliquid accipere juxta communem Doctorum sententiam.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia illa obligatio mutuandi per annum ad libitum alterius, vel fidejubendi est pretio æstimabilis, quandoquidem possunt interim multa evenire, quæ si fuissent prævisa, non fuisset posita ea obligatio: & præterea hoc non compensatur illa utilitate, quod scilicet pecunia pereat mutuatario; nam, si obligans ad mutuandum per annum non mutuet, & pecunia interim pereat, peribit ipsi mutuanti: Contra vero obligatio non repeten-

petendi mutuum compensatur ea utilitate: ergo pro illa obligatione mutuandi per annum potest aliquid exigi, secus vero pro obligatione non repetendi mutuum per annum.

Ad confirmationem, qui rogatur ut mutuet per annum, non potest respondere, mutuo per mensem, & obligo me ad mutuandum singulis aliis undecim mensibus, ac pro tali obligatione aliquid accipere: quia, ut notat Lugo num. 20. in morali æstimatione non differt mutuum per annum ab hoc mutuo per mensem cum ea obligatione, & consequenter sicut nequit aliquid accipi pro mutuo per annum, ita neque pro hac obligatione: Secus vero si obligatio ad mutuandum in posterum sit longe ante occasionem mutui: de hac tamen obligatione communis Doctorum sententia loquitur, dum permittit pro ea aliquid accipi, ut infra explicabimus.

VII. Oppones secundo, quamvis sit intrinseca mutuo obligatio non repetendi sortem per aliquod tempus commodum, v. g. si mutuetur triticum, quod non repetatur usque ad messem; at quando obligatio est ad non repetendam sortem per longum tempus, puta per decennium, non est, cur non possit aliquid accipi pro hac obligatione, quæ mutuo est extrinseca; sicut potest aliquid accipi pro lucro cessante, quia hoc est extrinsecum, & accidentale mutuo. Et ita videtur sentire Tamburinus §. 5. de Usura n. 10. ex Dicastillo.

Respondeo doctrinam hanc nullatenus esse admittendam, & pugnare cum propositionibus damnatis, ex ea enim sequeretur, quod pro obligatione non repetendi sortem eo plus posset accipi, quo per longius tempus ea obligatio fieret: quod est aperire ostium usuris. Dicendum itaque, quod si nullum sit probabile periculum amittendi sortem, & mutuatarius se obliget ad compensandum quodcumque damnum emergat, aut lucrum cesset, contra justitiam sit aliquid accipere pro obligatione non repetendi sortem pro quocumque longissimo tempore; idque propter eandem rationem, propter quam non licet citra usuram aliquid accipere pro eadem obligatione ad tempus modicissimum, quia scilicet non datur justus titulus accipiendi tale lucrum; unde prop. 42. ab Alex. VII. confixa explicanda est illimitate.

VIII. Oppones ultimo: In Scripturis, & jure civili, & canonico permittuntur usuræ: ergo non sunt intrinsece malæ, & contra justitiam. Antecedens probatur. Nam Deut. 23. dicitur, *Non fœnerabis fratri tuo, sed alieno*: Lucæ 19. servo pigro dictum est, *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam?* Præterea in ff. & Cod. de Usuris manifeste permittuntur, & approbantur usuræ. Sic in jure canonico in c. *Conquestus de Usuris*, & c. *Salubriter* datur facultas percipiendi fructus pignoris, non computatis illis in sortem, quod videtur usura.

Confirmatur primo, quia pro quolibet beneficio, quod non teneor ex justitia impendere, possum aliquid accipere; atqui non teneor ex justitia mutuum dare; ergo.

Confirmatur secundo, quia qui ad aliquod tempus privat se aliquo instrumento ad lucrandum in gratiam alterius, potest aliquid in compensationem accipere; atqui mutuans privat se pecunia, quæ est instrumentum ad lucrandum in gratiam mutuatarii: ergo potest ex hoc aliquid lucrari.

Respondeo negando antecedens. Ad primam auctoritatem dicendum, Deum dedisse dominium Judæis expoliandi hac via Gentiles, tanquam hostes, sicut dederat ad expoliandos Ægyptios. Ad secundam, ibi pro usura intelligitur lucrum ex negotiatione licita, ut colligitur ex verbo, *dandi ad mensam*, quod non est dare mutuo, sed dare mercatoribus ad negotiandum. Ad tertiam, Leges civiles prohibuerunt usuras usurarum duntaxat in leg. ult. cod. *de Usuris*, permiserunt tamen in leg. *Eos eodem Cod. de Usuris* mutuantibus quatuor pro centum, si sint nobiles, octo vero pro centum, si sint mercatores, aliis autem sex pro centum singulis annis, ac decem pro centum, si pecunia sit trajectitia; (quæ scilicet datur, ut mari deferatur a mutuatario, ita tamen, ut periculum pecuniæ ad mutuantem pertineat) & ratio est, quia Leges præsumunt, quod plerumque contingit; plerumque autem contingit, quod hæc possint exigi a mutuatario ratione lucri cessantis, & periculi amittendi sortem, & ideo videntur leges civiles permittere usuras; quia tamen non semper contingit lucrum cessare, & periculum subesse, ideo illæ leges pro foro interiori non semper sunt justæ, ac proinde abrogatæ sunt jure canonico; præsertim in Concilio Viennensi; Et quia juri canonico omnes Principes Christiani obediunt, ideo nunc datur actio in foro externo ad repetendas usuras solutas, ex Leg. 8. novæ collectionis tit. 6. Ad ultimam, nusquam in jure canonico permittuntur usuræ; permittitur quidem quod fructus pignoris percipiantur a Genero, quin computentur in sortem; id tamen permittitur propter onera matrimonii, quæ ex fructibus dotis nondum solutæ maritus sustinere debet, atque adeo fructus non percipiuntur ex vi mutui virtualis, sed ratione lucri cessantis, & damni emergentis, in quo non habetur usura.

IX. Ad primam confirmationem, pro beneficio mutui nihil aliud potest accipi præter summam æqualem rei mutuatæ; Sicut pro beneficio venditionis nihil aliud potest accipi, præter pecuniam æqualem rei venditæ. Et ratio est, quia mutuatio non est utilis, nisi ratione pecuniæ mutuatæ, & consequenter non debet pro ea reddi, nisi pecunia æqualis pecuniæ mutuatæ; Sicut venditio non est utilis, nisi ratione rei venditæ, unde non debet pro ea reddi, nisi pecunia eidem rei venditæ æqualis. Quare falsum omnino est, quod universim possit aliquid accipi pro beneficio, quod non teneor ex justitia impendere. Quis enim dixerit posse aliquid accipi a donante per hoc, quod beneficium donationis conferat, ad quod ex justitia non obligatur?

Ad secundam confirmationem, qui locat instrumentum, potest pro locatione aliquid accipere, quia privat se facultate lucrandi per illud, nec id compensatur ulla utilitate: Contra vero, qui mutuat pecuniam, nihil potest accipere ultra sortem, quia ita privat se facultate, & spe remota lucrandi per pecuniam, ut id compensetur ea utilitate, quod interim pecunia mutuata non sibi pereat, sed mutuatario.

Neque dicas cum Lugo, hanc rationem ex Salas adductam esse frivolam, quia non videtur sufficienter compensari periculum amittendi sortem, & occasionem lucrandi cum hac utilitate, quod scilicet interim res pereat mutuatario; hæc enim utilitas pro nihilo æstimari solet; quandoquidem magis tuta pecunia est penes ipsum mutuantem, quamvis interim sibi pereat, quam penes mutuatarium, a quo non facile recuperari potest.

Nam

Nam contra eſt, quia, ſi periculum amittendi ſortem, vel occaſionem lucrandi ſit probabile, & proximum, procul dubio non compenſatur cum ea utilitate; & ideo poterit aliquid pro eo accipi, quin tale lucrum ſit uſurarium, ut explicabimus quæſt. 3.; at ſi periculum ſit ſolum remotum, falſum eſt, quod ea utilitate non compenſetur; Unde fit, falſum eſſe, quod pecunia præſens, & numerata magis æſtimari debeat, quam abſens, & numeranda, ſi dictum periculum ſit remotum, & ea utilitate compenſetur, quod aperte eruitur ex prop. 41. damnata ab Innoc. XI.

QUÆSTIO II.

Quænam pacta in mutuo reddant Contractum uſurarium?

HAc in re regula generalis, & ab omnibus admiſſa, hæc eſt. Quodcumque pactum adjicitur mutuo, per quod mutuatario imponitur novum gravamen præter id, quod mutuo eſt intrinſecum, & proprium, reddit contractum uſurarium. Ratio ex dictis eſt, quia cum id totum, quod dat mutuator, compenſetur ad æqualitatem, quando a mutuatario tantumdem redditur, aperte ſequitur, ut quicquid amplius exigitur, injuſte omnino exigatur.

Confirmatur. Uſura eſt lucrum ex mutuo; omne autem novum gravamen mutuatarii eſt novum lucrum mutuantis; ergo, ſi præter gravamen proprium mutui, novum aliud gravamen imponatur mutuatario, novum aliquod lucrum acquirit mutuator, atque adeo uſuram committit.

Ex hac regula decidendæ ſunt plurimæ quæſtiones, quæ circa nonnulla pacta addita mutuo inſtituuntur. Sequitur itaque primo, uſuram committi, ſi obligetur mutuatarius ad non reddendum mutuum ante finem anni; nam ſi mutuaſti, v. gr. triticum, & periculum ſit, quod in fine anni corrumpatur triticum, quod habet mutuatarius, oneroſum huic erit, non poſſe illud reſtituere, antequam corrumpatur.

Sequitur ſecundo, uſuram committi a miniſtris Regiis, qui aliquid accipiunt vel a debitoribus Regiis, ut eos expectent, vel a creditoribus Regiis, ut anticipata ſolutione eis ſolvant, quia in utroque caſu recipitur tale lucrum ex mutuo virtuali.

Sequitur tertio, uſuram committi, ſi obligetur mutuatarius ad recipiendam partem pretii in mercibus, quibus non indiget, quia oneroſum eſt obligare illum ad emendum. Utrum autem apponi poſſit hæc conditio, quod mutuatarius emat ab ipſo mutuante merces, quibus indiget, eodem pretio, quo ab aliis emeret? dicemus mox articulo primo.

Sequitur quarto, uſuram palliatam eſſe mutuatario vendere credito merces pretio juſto ſummo, v. gr. centum, cum pacto, quod eas iterum vendat eidem mutuanti ſtatim pretio infimo pecunia numerata, v. gr. nonaginta, quia hoc re vera eſt mutuare nonaginta, cum pacto, quod reddantur centum, qui contractus dicitur Mohatra, & damnatus eſt ab Innoc. XI. prop. 40. & de eo dicemus qu. 4.

Sequitur quinto, uſuram committi, ſi obligetur mutuatarius ad munus aliquod ſive a lingua, ſive ab obſequio, ſive a manu, quia hæc omnia ſunt pretio æſtimabilia; dicitur autem munus a lingua, alloqui v. g. & intercedere apud Regem; dicitur munus ab obſequio exhibere ſigna amicitiæ, & obſequii, ut comitari dominum; Dicitur munus a manu ex. gr. colere agrum, aut quid ſimile præſtare ex pacto in gratiam Mutuantis.

Sequitur ultimo, uſuram eſſe nolle mutuare, niſi mutuatarius fidejuſſor pro te exiſtat, etiamſi fidejuſſio non ſit periculoſa, ut communiter docent apud Salas dub. 11., quia fidejuſſio ex ſe oneroſa eſt, & pretio æſtimabilis; atque adeo novum gravamen imponitur mutuatario, ſi obligetur, ut fidejuſſionem præſtet pro te relate ad aliquod debitum tuum.

Sed ad difficiliora pergentes examinabimus ſeorſim primo; An ſit uſura nolle mutuare, niſi mutuatarius alium contractum juſtum ſimul celebret de præſenti in gratiam mutuantis: Secundo, An ſit uſura nolle mutuare, niſi mutuatarius ſe obliget ad aliquid præſtandum in poſterum? Tertio, An uſurarie addatur pactum, quod mutuatarius conferat officium, vel beneficium, gratis cæteroqui conferendum? Quarto, ſi valor rei mutuatæ ſit variandus, quænam pacta addita mutuo reddant contractum uſurarium? Quinto, An poſſint citra uſuram fructus pignoris a mutuante retineri? Demum de nonnullis aliis pactis mutuo additis quærendum quandonam uſuram redoleant?

ARTICULUS I.

An sit usura alium contractum justum a Mutuatario exigere de præsenti, ac statim?

I. Potest speculative loquendo citra usuram nolle mutuans mutuare, si mutuatarius renuat inire alium contractum justum non magis onerosum, quam sit mutuatio.

II. Immo potest id in pactum deducere; at neutrum practice licet.

III. Nequit tamen a mutuatario exigi, quod se obliget ad alium contractum justum in posterum ineundum.

IV. Quare practice non possit mutuatarius obligari ad ineundum de præsenti alium contractum justum?

V. Mutuare Sorti, donec tuam apothecam, vel molendinum frequentat, non fert usuram speculative, sed practice.

VI. Speculative mutuum virtuale immune est ab usura, quoties v. gr. Sortes, cui centum debentur post annum, petit nunc quinquaginta, contentus, quod post duos annos solvantur alia quinquaginta; dummodo mutuatio isthæc sit æqualiter utrique parti onerosa.

VII. Exigi potest, quod mutuatarius ponat contractus necessarios ad mutuantis indemnitatem.

VIII. Potest mutuans exigere a mutuatario, quod desistat a vexatione injusta, non tamen a justa.

IX. Usurarie mutuans exigit a mutuatario, quod remittat sibi onus compensandi injuriam in fama, aut honore illatam.

X. Sicut etiam si exigat remissionem pœnæ debitæ, quamvis hæc nonnisi post sententiam Judicis debeatur.

I. Dupliciter proponi potest hæc difficultas. Primo, ut sensus sit, An liceat v.g. mutuanti nolle mutuare pecuniam, nisi mutuatarius de præsenti remutuet, v. g. triticum, aut vendat illud justo pretio? Secundo, ut sensus sit, An liceat mutuare pecuniam deducendo in pactum, quod mutuatarius statim remutuet, vel vendat v. g. triticum, aut emat oleum, vel alium contractum ineat de præsenti?

Dico primo: sine ulla usuræ labe potest, speculative loquendo, mutuator nolle mutuare pecuniam, nisi mutuatarius remutuet, vel vendat justo pretio, v. g. triticum de præsenti juxta primum sensum explicatum; Dummodo tamen remutuatio, vel venditio, quæ exigitur, non sit gravior mutuatario, quam sit tibi mutuatio pecuniæ. Ita D. Th. 2. 2. qu. 78. art. 2. ad 4. ubi habet, *licet simul mutuanti unum aliquid aliud mutuum recipere, non autem licet eum obligare ad mutuum in posterum faciendum.* Hæc Angelicus, quem sequuntur Molina, Less. cap. 20. dub. 8., Suar. tom. 1. de Rel. lib. 4., c. 4., Rebel. l. 8. qu. 4. & alii apud Dian. par. 1. tract. 8. resol. 59. & 60.

Probatur nunc, quia nolle inire unum contractum justum, puta mutui, nisi ineatur simul a mutuatario alius contractus, v. g. venditionis justo pretio, dummodo non exigatur ab eodem obligatio in futurum, non fert imponere mutuatario obligationem ullam pretio æstimabilem, sed solum importat concomitantiam duorum contractuum, quos potest mutuans velle simul facere, non seorsim; Sicut potest quis velle mutuare triticum alteri, dummodo ille remutuet vinum: ergo vacat labe usuræ. Et ratio a priori est, quia, ut notat Laym. l. 3. tract. 4. cap. 16., qui mutuat, v. g. triticum, ut sibi remutuetur, vel vendatur vinum, non petit hunc alium contractum in pretium mutui, sed ut meram conditionem, sine qua non mutuaret; Petere alium contractum in pretium procul dubio est usura, secus vero petere, ut conditionem; quia sicut potes non mutuare ei, quem expertus es ingratum, ita potes non mutuare ei, quem nunc experiris ingratum, cum videas posse illum absque ullo gravamine remutuare, aut vendere, & nolle. Tunc haberetur usura, quando ab illo peteres, tanquam conditionem, quod se obliget ad mutuandum in futurum, quia hoc ferret novum gravamen; Sicut etiam si peteres ab illo alium contractum, quem inire non potest sine speciali gravamine, v. g. si velles, quod vendat tibi triticum pretio infimo, aut quod vendat nunc triticum recens, quod vis servare vendendum carius mense Majo.

Confirmatur a simili, quia si quis a me petat officium amicitiæ, poterit a me rogari, quod simile officium mihi præstet, si autem nolit præstare, tanquam ingratus repelli: ergo mutuans potest pariter alium contractum justum petere a mutuatario, aliter non mutuaturus. Actio enim mutuandi dupliciter considerari potest, primo in quantum est contractus, quo reddenda est certa summa pecuniæ, & sic respondet ei redditio sortis, ita ut nihil amplius, tanquam ex justitia debitum possit exigi. Secundo potest considerari in quantum est officium amicitiæ, quod ab amico in commodum amici præstari solet; (idemque dicas de venditione in gratia ementis facta) & sic debetur illi compensatio per aliud officium amicitiæ; quod in præsenti potest exigi: Ideoque dixi in conclusione, dummodo remutuatio non sit gravior mutuatario, quam sit mutuatio tua; aliter committeretur usura; quia quæ gravamen afferunt notabile, non solent gratis rependi in officium amicitiæ. Ex quo sequitur, speculative tantum loquendo, ut notavimus, opinionem istam sustineri posse, practice vero periculosam esse, & dissuadendam, cum plerumque remutuatio, aut venditio gravamen afferat notabile.

II. Dico secundo, potest pariter speculative, loquendo, juxta secundum sensum sine labe usuræ deduci in pactum, ut mutuatarius in præsenti aliquid aliud remutuet, aut vendat, vel emat. Ita Less. loc. laud. Navar., & alii apud Dian. part. 1. tract. 8. res. 60. contra Salon., Salas, Rebel. Ratio est, quia etiam in hoc secundo sensu habetur concomitantia duorum contractuum, quos potest quis scilicet velle celebrare, non tamen unum sine alio; Sicut potest v. g. Petrus vendere tibi equum justo pretio deducendo in pactum, ut tu vendas illi bovem.

Confirmatur, quia obligatio ista ad statim remutuandum non est pretio æstimabilis; ergo qui illam exigit a mutuatario, non committit usuram. Consequentia sequitur, nam non habetur usura, quoties nihil supra sortem exigitur, quod sit pretio æstimabile. Antecedens probatur, quia si esset pretio æstimabilis obligatio ad statim sive remutuandum, sive mutuandum, sequeretur, quod dives, a quo petitur mutuum sub usuris, posset dicere, nolo sub usuris mutuare, sed volo obligare me ad mutuan-

tuandum tibi nunc, & pro tali obligatione aliquid supra sortem exigere: sequela autem est absona: ergo talis obligatio ad statim mutuandum non est pretio æstimabilis.

III. Dices; obligatio ad mutuandum in posterum est pretio æstimabilis, & pro ea potest aliquid exigi: ergo etiam obligatio ad mutuandum de præsenti.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia obligatio ad mutuandum, vel vendendum statim non est de se onerosa, quod ex eo constat, quia non magis æstimatur mutuatio cum prævia obligatione mutuandi de præsenti, quam sola mutuatio sine hac obligatione prævia: Contra vero obligatio ad mutuandum in posterum est de se onerosa, & pretio æstimabilis, quia multa possunt in futurum accidere, quæ non prævidentur, quibus positis nollet mutuator mutuare, & tamen ad id tenetur ex præterita obligatione.

IV. Infertur ex dictis primo, non committi secundum se, & speculative usuram ab eo, qui mutuat exigendo a mutuatario obligationem, quod alium contractum justum statim celebret: v.g. quod vendat triticum justo pretio, quamvis tale triticum non sit statim tradendum; nam obligatio tradendi triticum in posterum non oritur ex mutuo, sed ex venditione. Ita Navar. 3. de Rest. cap. 2. n. 270. Sed optime notat Lanfran. opusculo 17. quod hujusmodi contractus, quamvis speculative loquendo non sint usurarii, (quando scilicet contractus, qui exigitur a mutuatario, non est illi magis onerosus, quam sit tibi tua mutuatio, ut supra diximus) in praxi tamen non sunt celebrandi, tum propter turpis lucri, & fœnoris speciem, quam præseferunt; tum etiam quia res est lubrica, & sub his technis frequenter usurarius affectus latet, quod accideret manifeste, si quis v. g. nollet mutuare, nisi sub conditione, quod mutuatarius vendat domum, qua indiget, aut sub conditione, quod aliquid vendat justo pretio, sed infimo, quando scilicet onerosum est illi aut vendere, aut tali pretio vendere.

V. Infertur secundo, non esse, speculative loquendo, usurariam illam conventionem, Mutuo tibi centum pro toto illo tempore, quo meam apothecam, vel molendinum frequentabis, dummodo non sint hæc magis onerosa mutuatario, quam sit onerosa mutuanti mutuatio. Ita Less. cap. 20. dub. 8. Molin. disp. 39. Salas dub. 8. & alii. Ratio est, quia non cogitur mutuatarius ad frequentandam apothecam, sed solum præscribitur pro termino cessationis mutui cessatio frequentationis; si enim non est illi magis molestum frequentare meam potius, quam alienam apothecam, vel molendinum, quam sit mihi molestum mutuare, potero nolle amplius præstare officium mutuationis erga illum, qui non vult amplius præstare erga me officium frequentandi meam apothecam. Quare non exigitur frequentatio in pretium mutui, sed solum subtrahitur beneficium mutuationis ei, qui beneficium frequentationis non vult rependere. Sed pariter dicendum ex Cajet. 2. 2. qu. 78. art. 21. & Lugo, id etiam in praxi esse periculosum, & dissuadendum, tanquam usurarium: tum quia videtur exigi gravamen illud a mutuatario; tum etiam quia in omni mutuo posset ab usuræ malitia excusari lucrum dicendo, quod non accipiatur in pretium mutui, sed in experimentum gratitudinis, qua cessante, exigitur, quod restituatur res mutuata.

VI Infertur tertio ex Molin., Malder., Salas apud Dian. part. 1. tract. 8. res. 63. hæc omnia, quæ dicta sunt de mutuo formali, locum habere in mutuo virtuali; unde quando alicui debentur v. gr. centum aurei solvendi post annum, nulla intervenit usura, si debitor cum creditore ita pacifcatur; Solvam tibi quinquaginta nunc, dummodo concedas, ut alii quinquaginta solvantur post duos annos. Quicquid in contrarium dicant Navar. & Bonac. apud eundem Dian. putantes hunc contractum esse usurarium, quia creditor, dum prorogat terminum solutionis relate ad alios quinquaginta, virtualiter illos mutuet per alium annum cum pacto, quod debitor anticipate solvat nunc quinquaginta, atque adeo imponendo onus ex vi mutui, in quo consistit usura. Nos tamen contractum hunc speculative ab usura absolvimus. Et ratio est, quia creditor obligans se ad expectandum per duos annos pro quinquaginta, quæ debentur post annum, non se obligat ad mutuandum per alium annum, sed statim mutuat per alium annum sequentem, (quia scilicet prorogat terminum solutionis, quod est virtuale mutuum) exigendo, quod alter de præsenti virtualiter remutuet alios quinquaginta, videlicet solvendo illos nunc, quamvis debeantur post annum. Unde in hoc contractu unum mutuum datur pro alio, seu virtualiter mutuantur per annum quinquaginta, deducendo in pactum, quod mutuatarius in præsenti alios quinquaginta remutuet per alium annum, in quo ex dictis non habetur usura speculative loquendo, quoties virtualis isthæc mutuatio reciproca est utrinque æque onerosa; quod tamen practice perraro contingit; & ideo practice non est id consulendum, nisi constet de æqualitate oneris, quod utrinque imponatur.

VII. Infertur quarto, nullatenus etiam in praxi committi usuram ab eo, qui mutuat cum pacto, quod mutuatarius statim celebret contractus necessarios ad indemnitatem mutuantis, v. g. si velit, quod mutuatarius se obliget ad pignorandum aliquid mutuanti pro securitate sortis, vel quod juramento, aut alia speciali obligatione se obstringat ad reddendam sortem mutuo acceptam. Ratio est, quia hoc non est lucrari ex mutuo, sed damnum vitare, quod unicuique est licitum.

VIII. Infertur ultimo, quid dicendum quæsitis illis: Primo, an liceat mutuare, exigendo a mutuatario, quod cesset vexare? Secundo, an sit usura obligare mutuatarium, ut remittat damnum sibi illatum in honore, vel fama? Tertio, An liceat eumdem obligare, ut remittat pœnam, ad quam damnatus est mutuator pro injuria illata?

Ad primum enim respondetur cum Less., Molin., Rebel., & Azor. licitum esse mutuare exigendo a mutuatario, ut desistat a vexatione injusta, quia hujusmodi cessatio inter debita justitiæ computatur. Unde mutuans ita pacifcens non videtur aliquid lucrari, sed potius vitare damnum, quod sibi timet injuste eventurum. Adde, quod si licet mutuare ad recuperandum suum, ut omnes concedunt, poterit pariter quis mutuare ad suum conservandum, quod per injustam vexationem timetur amittendum. At si vexatio esset justa, non poterit sine usura quis mutuare ad illam redimendam: v. g. non potest mutuare cum pacto, quod eximatur a solutione gabellæ justæ, hoc enim proprie esset ex mutuo immediate lucrari.

IX. Ad

IX. Ad secundum de compensatione damni in honore, vel fama, dicendum cum communi contra Sotum l. 6. de Just. quæst. 1. art. 2. usuram committi, si mutuans deducat in pactum, quod mutuatarius remittat illi tale debitum, quia quamvis fama, & honor pretio non æstimentur, sed sint supra omne pretium pecuniarium, onus tamen, & obligatio restituendæ famæ pretio æstimatur, cum sit opus valde molestum, ac plenum verecundiæ, quod homines sæpe magno redimunt. Unde qui remissionem talis oneris ex justitia debiti lucratur ex mutuo, lucratur aliquid pretio æstimabile, atque adeo usuram committit.

X. Ad tertium, Navar. negat committi usuram a mutuante cum pacto, quod mutuatarius condonet pœnam, quam juste potest exigere, vel ab eodem mutuante, vel a tertio, quia talis pœna ante Judicis sententiam non debetur in conscientia; In quam sententiam videtur inclinare Azor. tom. 3. lib. 5. cap. 7. quæst. 14. Sed communiter rejicitur, quia quamvis talis pœna ante sententiam non debeatur, jus tamen ad illam est pretio estimabile, atque adeo exigens vi mutui cessionem talis juris lucratur ex mutuo aliquid pretio æstimabile. Non est tamen negandum, quod sicut ex mutuo potest intendi, non tamen deduci in pactum amicitia, ita possit intendi, ut mutuatarii odium, & rancor cesset, unde ad remittendam pœnam inclinetur. Ubi advertit Aragon., quod mutuans exigendo usurarie remissionem pœnæ, non teneatur ad restitutionem valoris pœnæ, nondum lata sententia, sed solum ad valorem juris ad exigendam illam pœnam æstimandi arbitrio prudentis viri.

ARTICULUS II.

An sit Usura mutuare cum pacto, quod mutuatarius ad aliquid præstandum in futurum se obliget?

I. Universim usurarie petitur a mutuatario, quod se obliget ad remutuandum in posterum.
II. Licita tamen est utrinque obligatio ad mutuandum pro tempore futuro.
III. Quid restituendum mutuatario, qui mutuum accepit cum pacto injusto remutuandi in posterum?
IV. Praxis dandi anticipato pecuniam cum pacto, quod pro pecunia detur triticum tempore messis, quomodo ab usura vindicetur? Et quid si interim interusurium exigatur?
V. Usurarie imponitur mutuatario onus ostendendi signa benevolentiæ, & amicitiæ; aut etiam exercendi internos actus amicitiæ.

I. PRima difficultas in hac materia est, 'An sit usura mutuare cum pacto, quod mutuatarius remutuet, quando mutuator indigebit, aut cum pacto, quod teneatur mutuatarius v. g. ex officina mutuantis emere.

Plures apud Molin. disp. 308. negant, quando pactum sit de iterum mutuando cum æquali indigentia ex parte petentis, & æquali commoditate ex parte dantis, vel de frequentanda officina, molendino, &c., si inde nullum damnum incurratur; Ad quod videtur etiam Less. num. 58. inclinare, quamvis contrariam sententiam sustinendam putet.

Dicendum tamen nobis cum communi apud Salas dub. 8., & Lugo num. 44., usuram in his pactis contineri, quia imponeretur mutuatario novum gravamen ultra sortem pretio æstimabile, & per consequens sine titulo, & injuste, ut supra ostendimus. Quod autem hujusmodi gravamen sit pretio æstimabile patet, quia potest aliquis licite certam mercedem recipere a Republica, vel a mutuatariis, ut se astringat ad mutuandum iis, qui velint mutuum accipere, quamvis nihil deinde possit ultra sortem exigere pro mutuo dato; sic potest aliquid accipi a Sorte pro obligatione frequentandi hanc officinam, quamvis, dum frequentat, teneatur solvere justo pretio id quod emit. Pariter pro obligatione præstandi id quod debetur ex charitate, vel gratitudine, potest aliquid accipi, prout dicemus art. 6. n. 5. quamvis nihil accipi possit pro eo, quod ex charitate, vel gratitudine debetur. Et ratio a priori est, quia hæc nova obligatio ex pacto est novum vinculum, si minus justitiæ (ut probat Molin. disp. 309., quia pactum usurarium non obligat in conscientia) saltem promissionis humanæ, quod magni fieri solet apud homines, ægre ferentes illo astringi; unde pretio æstimabilis est hæc nova obligatio.

II. Illud videtur concedendum cum Lugo, quod si tu obligeris ad mutuandum Petro anno sequenti triticum, ut Petrus obligetur ad mutuandum tibi anno pariter sequenti v. g. oleum, non committatur usura, quia utrinque obligatio est æqualis, & digna recompensatione.

III. Oppones primo; Usura non committitur sine injustitia; nulla autem committitur injustitia, si mutues Petro cum pacto, quod in posterum remutuet, vel agrum tuum colat, &c. dummodo tamen post pactum observatum reddas mutuum acceptum, aut solvas ei pro labore mercedem justam; ergo in his casibus non habetur usura. Minor probatur, quia si interveniret injustitia, daretur obligatio restitutionis, non apparet autem quid debeat in his casibus restitui.

Respondent communiter negando minorem; nam contra justitiam imponitur tale gravamen, ut contra justitiam est quodvis lucrum usurarium. Ad quæsitum autem, quid restituendum sit? alii aliter. Est qui velit lucrum, quod forte inde reportaveris, restituendum esse pauperibus, si mutuatarius ex illo pacto nullum damnum passus est; quod tamen non probatur, quia restitutio facienda solum est ei, cui injuria est illata. Alii docent, nihil restituendum esse, si nullum inde damnum sequutum est, quia injuria nuda non æstimatur pecunia; Sic si aliquem in carcerem detrudas, injustitiam committis, nec tamen ad restitutionem teneris, si nullum damnum inde sequatur; Sic pariter si mutues confessario tuo cum pacto, quod per annum tuas audiat Confessiones, peccas contra justitiam, ut notat Lugo num. 45. (quicquid sit, an hæc appellanda esset usura, quæ est quæstio de nomine) cum sine titulo cogas Confessarium ad subeundam hujusmodi obligationem; non tamen ad restitutionem teneris post confessiones auditas, sed solum teneris contractum rescindere, re infecta: Idem dicas, si mutues Petro cum pacto, quod audiat missam die festo, ut docet Salas dub. 9. quicquid in contrarium sentiat Palaus punct. 14. putans obligationem hanc cedere potius in utilitatem ipsius mutuatarii, quam mutuantis. Censeo equidem dicendum verius cum Molin. disp. 308., & Lug. restituendum esse in ca-

in casu adducto aliquid pro gravamine imposito, quanti æstimari poterat arbitrio prudentis, & quanti in iis circumstantiis redimi a prudenti potuisset.

IV. Oppones secundo; si hujusmodi pacta essent usuraria, damnari deberet communis praxis eorum, qui passim colonis suis pecuniam, & frumentum mutuant cum pacto, quod suos deinde agros colant; & praxis eorum, qui operariis mutuant cum pacto, quod tempore messis suam messem metant, vel aliud opus præstent.

Respondeo, ab aliis aliter hujusmodi praxim ab usura liberari contra Sotum apud Molin. disp. 309. ut dicemus art. 6. num. 4. Facile tamen excusari potest, dicendo, quod dominus conducat operarios pro tempore messis, sicut etiam colonos, & anticipata solutione pretium solvat conductionis: sic excusantur, qui videntur mutuare pecuniam cum pacto, quod tempore messis pro pecunia reddatur triticum pretio tunc currenti æstimandum: in hoc enim casu non habetur mutuum, sed emptio tritici futuri cum anticipata solutione pretii: Illud tamen advertendum, quod propter solutionem anticipatam nihil detrahatur de justo pretio tritici, aut conductionis; & præterea quod accipiens pecuniam revera habeat suum triticum vendendum tempore messis, aliter esset usura palliata. Praxis etiam negotiatorum est, quod emant triticum v. g. tradendum tempore messis, & dent pecuniam anticipato, puta mense Januario, ita tamen, ut exigantineresse correspondens sex illis mensibus, quibus carent sua pecunia, quam possent tradere venditoribus tritici pariter tempore messis, quando traditur triticum, sed in gratiam venditoris pecunia solvitur anticipato. Ea tamen praxis ab usura non erit immunis, si non detur in negotiatoribus revera lucrum cessans, aut damnum emergens correspondens illi interusurio, quod exigitur a venditoribus tritici, ut perspicuum est.

V. Secunda difficultas est, An sit usura mutuare cum pacto, quod mutuatarius sit tibi amicus, & urbanitatis, ac benevolentiæ signa ostendat?

Ante solutionem adverto, ad usuram requiri, ut lucrum, quod petitur ultra sortem, exigatur, tanquam ex justitia debitum, non quia ex justitia debitum sit, aut esse possit, sed quia exigitur, perinde ac si debitum esset, seu ex illo titulo, quo debita ex justitia exiguntur, videlicet ex pacto, quod tamen cum sit irritum, & nullum, obligationem ex justitia parere non potest. Difficultas nunc est, An possit amicitia exigi, tanquam ex justitia debita vi pacti; si enim vi pacti posset sic exigi, procul dubio usura committeretur adjiciendo mutuo pactum de amicitia, ut notat Salas dub. 11. Negant aliqui apud Lugo num. 59. amicitiam, ac benevolentiam internam esse materiam pacti humani; Sicut enim lex humana non potest obligare ad actus mere internos, ita nec potest contractus humanus esse de actibus mere internis.

Dico tamen primo cum Lugo loc. cit. etiam actus mere internos benevolentiæ posse esse materiam pacti humani. Probatur, quia potest aliquis pactum inire cum scholari de eo alendo cum pacto, quod studeat, & doctus fiat, qui sunt actus mere interni, ad quos scholaris vi contractus onerosi obligatur: ergo pariter poterit iniri pactum cum mutuatario de actibus internis amicitiæ.

Neque obstat, quod superior humanus non possit actus mere internos imperare. Nam superior humanus solum habet gubernationem humanam, & visibilem: Contra vero unusquisque potest sibi imperare actus mere internos. Quare sicut potest se ad illos obligare voto, seu vi promissionis factæ Deo, ita potest ad illos se obligare vi contractus, seu promissionis factæ hominibus, quamvis non daretur actio civilis in foro externo pro omissione talium actuum.

Dico secundo; pactum additum mutuo tam de actibus internis benevolentiæ, quam de signis externis amicitiæ reddit contractum usurarium. Ratio est, quia additur gravamen ultra id, quod mutuum exigit. Neque obstat, quod amicitia, & ejus actus non sunt pretio æstimabiles. Nam primo plures effectus amicitiæ sunt pretio æstimabiles, ut est v. g. remissio injuriæ. Secundo, esto non sint pretio æstimabiles actus amicitiæ, & signa urbanitatis, obligatio tamen ad illa est pretio æstimabilis; unde, si mutuans præter redditionem sortis exigat obligationem ad hos actus, exigit ultra sortem aliquid pretio æstimabile, & eatenus usuram committit. Sic beneficia Ecclesiastica, Sacrificium, Orationes, & alia spiritualia non sunt pretio æstimabilia, sed obligatio ad illa est pecunia æstimabilis; & ideo qui mutuat deducens ista in pactum, usuram committit, ut docet Salas dub. 15.

Hinc rejiciendum videtur cum Pal. punct. 10. quod idem Salas addit, videlicet sine usura exigi posse a mutuatario actus amicitiæ, quos sine incommodo, molestia, ac periculo præstare potest. Et ratio est eadem, quia quamvis sine incommodo mutuatarii actus amicitiæ præstentur, adhuc tamen obligatio ad illos est incommoda, & pretio æstimanda; tum quia voluntatem liberam astringit; tum etiam quia obligato imponitur per illam onus probandi sibi esse incommodo, si velit familiaritatis signa omittere. Quare D. Th. 2. 2. quæst. 78. art. 2. dum docet non esse usuram exigere signa amicitiæ a mutuatario, intelligendus est, si exigantur ex gratitudine absque prævio pacto, non vi mutui.

ARTICULUS III.

Quid de pacto, quod mutuatarius conferat aliquod officium, vel beneficium?

I. *Usurarium est pactum istud de conferendo officio, vel beneficio; esto non esset aliquando usurarium pactum de vendenda merce justo pretio.*

II. *Beneficium sic collatum esset resignandum, utpote invalide collatum.*

III. *Non tamen invalide confertur officium; sicut nec quodcumque contractu oneroso acquiritur ex mutuo.*

IV. *Quia usuræ donantur quatenus debitæ vi mutui, non transfertur earum dominium; Hinc quod traditur vi mutui contractu oneroso, puta venditionis, non datur in pretium mutui, sed propter pretium collatum ab emptore.*

V. *Mutuatarius, qui officium aliquod contulit, ut haberet mutuum, reintegrandus est vel renunciatione illius officii, si fieri potest, vel compensatione gravaminis illati.*

VI. *Circa fructus a tali officio perceptos a mutuante, pariter reintegrandus est mutuatarius.*

I. Quæ-

I. QUæritur, an sit usura mutuare cum pacto, quod mutuatarius conferat tibi officium aliquod gratis, cæteroqui alicui vage conferendum, vel beneficium ecclesiasticum? Negant Navar. apud Bonac. punct. 3. & Pal. punct. 11. quia videtur, quod mutuans possit exigere, tanquam conditionem, ut hujusmodi signum benevolentiæ sibi rependatur a mutuatario, cui id non est onerosum, posito quod gratis alicui conferre debeat officium, aut beneficium.

Dicendum tamen cum communi apud Lugo n. 41. Less. dub. 9. Salas dub. 13. & Bonac. loc. cit. usuram committi, sive pactum sit de conferendo officio, vel beneficio in posterum, sive de præsenti. Ratio est, quia magnum onus mutuatarii est privari libertate ad conferendum officium, vel beneficium cui maluerit. Quare esto possit, speculative loquendo, apponi, tanquam conditio in mutuo, v. g. olei, quod remutuetur de præsenti, aut vendatur justo pretio triticum, vel alius ineatur contractus non onerosus mutuatario, juxta dicta art. 1. non potest tamen poni, ut conditio, quod conferatur ipsi mutuanti officium, vel beneficium. Disparitas est, quia non posse aliis amicis benefacere ad libitum, conferendo iis officium, aut beneficium gratis conferendum, est maxime onerosum mutuatario: Contra vero, vendere mutuanti potius, quam alteri justo pretio, quæ vendenda sunt, non est de se onerosum.

II. Hinc sequitur resignandum esse beneficium sic collatum, simoniace scilicet, & usurarie, cum invalide sit collatum, juxta dicta in de Simonia; At circa officium, puta Gubernatoris, vel Judicis sic usurarie collatum dubitant Doctores primo, an sit valide collatum; Secundo, dato quod valide conferatur, an sit restituendum.

III. Circa primam difficultatem, Molin. Medin. Lop. negant valide officium conferri, quia collatio hujusmodi involuntaria non est sufficiens ad transferendum dominium officii: Sicuti, quando quis ex pacto mutui accipit, v. g. a mutuatario equum ultra sortem, non comparat dominium equi juxta communem Doctorum sententiam docentium apud Pal. punct. 15. ab usurario nullatenus acquiri dominium usurarum; quia scilicet ad translationem dominii non sufficit sola rei traditio; (aliter posset acquiri dominium eorum, quæ per errorem traduntur) sed requiritur traditio rei cum causa legitima, seu titulo, ut constat ex Lege *Nunquam ff. de acquirendo rerum dominio*: usurarius autem causam, & titulum legitimum habere non potest, ut usurarum dominium acquirat; Nam hujusmodi titulus esset mutuatio, ob quam tamen jure ipso naturali nequit pretium exigi, illiusque exactio, & promissio est nulla: ergo usurarius dominium usurarum non acquirit; Quicquid in contrarium doceat Lugo n. 206. cum aliis putantibus, ab usurario acquiri dominium quoddam usurarum debile, quia scilicet cum obligatione statim eas restituendi, ut dicemus quæst. 5.

Dicendum nihilominus cum eodem Lugo num. 42. & Salas dub. 13. collationem officii usurarie factam esse validam, dominiumque talis officii ab usurario acquiri; esto vera sit communior opinio, quod usurarius non acquirat dominium rei donatæ usurarie. Ratio, & disparitas desumenda est ex diversitate contractuum gratuitorum, & onerosorum; contractus enim gratuiti, ad quos ex vi mutui ultra sortem mutuatarius obligatur, cujusmodi sunt donatio, institutio in hæredem, vel legatarium, resignatio officii in favorem alicujus, & similes, invalidi sunt, ideoque accepta vi eorum restituenda sunt mutuatario ab usurario: Contra vero contractus onerosi, ad quos mutuatarius obligaretur ultra sortem ex vi mutui, (cujusmodi sunt emptio, & venditio, locatio, & conductio, & contractus innominati, do, ut des, facio, ut facias, do, ut facias, facio, ut des) sunt validi, & ideo accepta ex vi illorum non sunt restituenda ab usurario, nisi quando mutuatarius plus dedit, quam acceperit; in quo casu solum excessus restituendus est, ut communiter docent apud Salas dub. 13. Collatio autem officii est onerosa, cum recipiens officium obligetur ad ejus administrationem, & aliquando ad aliquas expensas, & consequenter valida est, & solum irritanda; quamvis nonnihil involuntarii ex parte mutuatarii, & nonnihil injustitiæ ex parta mutuantis contineat. Sicuti nonnulli docent apud Dian. part. 2. tract. 5. ref. 118. contractus factos metu gravi directe, & injuste incusso, si gratiosi sint, esse irritos; si vero sint onerosi, esse validos, quamvis auctoritate Judicis irritandos, quia ad contractus gratiosos plus voluntarii requiritur ex parte coacti, & minus injustitiæ ex parte cogentis, quam ad onerosos. Et ratio a priori est ex Lugo disp. 22. sect. 7. num. 125. quia contrahens magis limitat suam intentionem in contractibus gratuitis, qui liberaliter fiunt, quam in onerosis, in quibus decet se accommodare etiam ad sensum, & animum alterius contrahentis.

IV. Confirmatur, & explicatur, nisi quis mutuet Petro cum pacto, quod v. g. vendat domum suam, talis venditio, quamvis mixta involuntario, est valida, quia est contractus onerosus: Contra vero, si quis mutuet Petro cum pacto, quod donet domum suam, talis donatio, utpote contractus gratuitus, juxta communem opinionem est invalida: ergo collatio officii facta a mutuatario, cum sit contractus onerosus, est valida, quamvis usurarie facta.

Dices: ideo non acquiritur ab usurarie dominium usurarum, juxta veriorem sententiam, quia, ut notat Lugo loc. cit. n. 119. qui solvit usuras, non intendit illas donare, sed solvere, tanquam debitas, seu si eas debet; unde cum nullum sit debitum, & non purificetur ista conditio, dominium usurarum non transfertur; atqui hoc etiam probat nec transferri dominium officii usurarie collati: ergo talis collatio non est valida.

Sed neganda est minor, quia collatio officii est debita, quamvis non in pretium mutui, sed quia est contractus onerosus, ratione cujus alter subit onus administrandi officium, & faciendi expensas necessarias: Sicuti, quando mutuas Petro cum pacto, quod vendat tibi domum justo pretio, venditio ista est valida, quia debita, licet non in pretium mutui, sed propter pretium collatum ab emptore; unde transfertur dominium domus titulo emptionis, etiamsi emptio sit partim injusta, utpote coacta, atque adeo cum obligatione compensandi injustitiam, ubi e contra dominium usurarum non transfertur, quia deest titulus etiam donationis, cum non intendat mutuatarius donare, sed solum solvere usuras, quatenus debitas.

V. Circa secundam vero difficultatem, An officium usurarie collatum, esto valide collatum sit, adhuc

adhuc relinquendum sit, ac resignandum? Affirmant D. Th. opusc. 21. ad Ducissam Brabantiæ, & alii apud Lugo n. 42. Negat Salas cum aliis, dicendo satis esse, quod restituatur aliquid ad arbitrium viri prudentis pro gravamine obligationis impositæ mutuatario. Distinguit Lugo putans, quod, si officium resignari possit mutuatario, qui valeat illud ad arbitrium alteri conferre, resignari debeat, ut reponatur mutuatarius in pristina libertate conferendi, cui maluerit, qua injuste privatus fuit; si vero mutuatarius non possit amplius alteri illud conferre, non debeat resignari, quia acquisita per usuram ei tantum restituenda sunt, qui injuriam passus est: unde satis erit in hoc casu juxta secundam sententiam Salas restituere aliquid pro gravamine obligationis injustæ imposito arbitrio boni viri.

VI. Demum, num fructus ex tali officio percepti restituendi sint, adhuc dubitatur. Affirmant Navar. Medin. & alii, quando excedunt industriam, laborem, & expensas officialis. Negant Molin. & Salas n. 6. cum aliis putantes, fructus officii esse stipendium justum pro tali officio valide collato: Sicut enim qui mutuavit cum pacto, quod mutuatarius frequentet suam officinam, non debet restituere pretium justum mercium venditarum, ita in casu nostro. Sed Lugo cohærenter ad superiorem doctrinam verius distinguit: si fructus debebant ad mutuatarium pertinere, nisi coactus fuisset conferre officium mutuanti, restituendi sunt eidem mutuatario: contra vero poterit sibi mutuator eos retinere, si ad alium spectassent, ob rationem supra adductam, quia scilicet injustitia solum commissa est adversus mutuatarium, non adversus alium.

ARTICULUS IV.

De Pactis additis mutuo, pro quando variandus est valor rei mutuatæ.

I. Pactum de reddenda re mutuata in eadem mensura non est usurarium, si æque dubium est, quod ejus valor deinde crescat, aut decrescat.

II. Si triticum servandum sit a mutuante pro quando carius vendi poterit, debet ille servari indemnis.

III. Si prævidetur, triticum minoris valiturum, potest mutuator exigere, quod reddantur tot mensuræ, quot adæquant pretium. Quicquid sit, num hic contractus sit mutui, an potius emptionis?

IV. Mutuans triticum vetus num pacisci possit, quod restituatur novum?

V. Num res mutuata secundum se restitui debeat in eadem mensura, an in eodem valore, quando nihil exprimitur?

VI. Moneta mutuata reddi ne debeat in eadem specie, an in eodem valore?

VII. Num conscius, quod monetæ valor mox sit minuendus, possit illam data opera distrahere mutuatariis, & venditoribus id ignorantibus, ne ipse damnum diminutionis patiatur?

VIII. Vitium rei occultum, quod non est præsens, sed futurum, non est manifestandum emptori.

IX. Existimatio communis est fundamentum valoris rei, esto sit erronea.

X. Qui sic mutuat, aut vendit, non peccat contra charitatem.

XI. Etiam Ministri Regii possunt notitia hujusmodi privata uti in proprium commodum, dummodo non differant publicare edictum de diminuendo valore monetæ.

XII. Mutuans cum tali notitia interrogatus, num sit variandus monetæ valor? peccat contra justitiam, si neget; secus vero, si dissimulet.

I. Controvertitur, An licite apponatur pactum, quod mutuatarius restituat in eadem mensura, vel genere rem mutuatam, puta pecuniam, aut mercem, etiamsi valor monetæ, aut mercis sit in posterum augendus, vel minuendus?

Certum est in hac controversia primo ex Molin. & Less. num. 45. licite posse hujusmodi pactum apponi, quando æque dubium est, an postea crescere, vel decrescere debeat valor, v. g. tritici, aut monetæ; secus vero, si non sit æque dubium.

II. Certum est secundo, quod, si mutuans servaturus sit triticum pro quando plus valebit, poterit pacisci, quod in eadem mensura, & bonitate tunc reddatur, quia adest titulus lucri cessantis. Ita communiter Doctores apud Salas: Qui tamen advertunt aliquid in hoc casu detrahendum esse, tum pro sumptibus, quos faceret mutuans conservando triticum apud se toto illo tempore; tum pro periculo, quod penes ipsum interim corrumperetur, aut deterioraretur, aut furto, vel alio infortunio periret.

III. Certum est tertio, quod, si prævideatur triticum esse minoris valiturum, possit mutuator exigere, quod reddantur plures mensuræ tritici adæquantes præsentem tritici valorem. Ita communiter cum Less. Molin. contra nonnullos apud Salas; hoc enim justitia postulat, non ut res, quæ mutuatur, æqualis sit rei, quæ restituitur, sed quod valor rei mutuatæ æquet valorem rei, quæ restituitur.

Neque dicas: Mutuans centum mensuras tritici, v. g. tempore quo valet quinque regalibus, potest exigere totidem mensuras tritici tempore, quo prævidetur valiturum decem regalibus, si eas pro illo tempore servaturus esset, ut modo diximus: ergo e contra mutuans centum mensuras tempore, quo valet decem regalibus, debet esse contentus totidem mensuris tempore, quo prævidetur valiturum quinque; aliter non servaretur æqualitas. Nam contra est, quia in primo casu potest illud exigere præcise ratione lucri cessantis, non ratione mutui; in secundo vero casu mutuans manifestum damnum pateretur; quare tunc solum debet esse contentus totidem mensuris, quando æque dubium est, quod valor tritici crescere debeat, aut decrescere; non vero quando prævidetur, quod debeat decrescere; quia quando hoc prævidetur, mutuans statim venditurus esset triticum, nisi mutuaret; cum autem in gratiam mutuatarii non vendat statim, sed mutuet, ideo debet mutuatarius hoc damnum compensare reddendo totidem mensuras, quæ æquent valorem rei mutuatæ, videlicet in casu adducto bis centum.

Utrum autem in hoc casu habeatur mutuum, ut vult Less. n. 145. an contractus venditionis tritici pro pretio justo præsenti, & simul emptio alterius tritici pro pretio justo, quod futurum est tempore,

pore, quo traduntur bis centum mensuræ, dilata solutione pretii prioris venditionis, ut docet Mol. disp. 311. est quæstio de nomine, non de re. Nam si nomine mutui veniat, quandocumque est obligatio solvendi postea in eadem specie, & quantitate, contractus adductus non est mutui, quia traduntur centum mensuræ, & redduntur biscentum. Si vero nomine mutui veniat quandocumque est obligatio solvendi in eadem specie, sed moderando quantitatem; ita ut valor rei restituendæ adæquet valorem rei acceptæ, hic contractus erit mutui, quia centum mensuræ acceptæ singulæ valent decem regalibus, & ducentæ, quæ redduntur, valent singulæ solum quinque regalibus.

IV. Certum est quarto, licitum esse mutuare triticum vetus cum pacto, quod reddatur novum, si æque est valiturum, quamvis hoc cedat in commodum mutuantis, qui non facile poterit vetus triticum conservare. Ita Mol., Navar., Lugo n. 117. Ratio est, quia non est illicitum capere ex mutuo commodum; quod nullum gravamen afferat mutuatario, ut accidit in casu. Certe, si mutuatarius gravamen aliquod pateretur reddendo triticum novum, ad illud non teneretur, dummodo mutuanti reddatur triticum vetus, quod non sit deterius tritico mutuato; neque ex restitutione tritici veteris damnum ullum ille subiret: Quia tamen hoc non solet accidere, ideo triticum novum restitui debet, quamvis sit utilius mutuanti sine damno mutuatarii.

V. Difficultas nunc est primo, quando in mutuo nihil explicatur de reddenda eadem mensura, vel potius eodem valore, ad quid obligandus sit mutuatarius? poterit ne hic alterutram solutionem eligere, an vero poterit mutuans alterutram exigere?

Doctores hac in re obscure loquuntur, ut notat Lugo. Docet Less. nu. 149. usu receptum in mutuo, ut reddatur æquale in quantitate, non in valore, nisi aliter sit conventum, quia hæc est conditio mutui, cui non miscetur implicite emptio, & venditio. Navar. e contra oppositum docet reddendum esse æquale in valore, non in mensura; aliter non servaretur æqualitas. Et Rebel. addit, ideo usu receptum, ut reddatur æquale in quantitate, non in valore, ut notat Less., quia æque dubium esse solet, quod valor rei debeat crescere, aut decrescere.

Equidem censeo, quod, si non prævideatur augmentum, vel decrementum valoris rei, restitui debeat res mutuata in eadem mensura, non in eodem valore: secus vero, si illud prævideatur. Ratio est, quia, quamvis non sit expresse conventum de reddenda re cum æqualitate valoris, si hic prævideatur variandus, præsumitur tamen ea fuisse utriusque contrahentis intentio; etenim delicta non præsumuntur in dubio; atqui delictum esset velle, quod restituatur res in eadem mensura, quando prævidetur, quod ejus valor debeat crescere; ergo hoc non præsumitur, sed potius oppositum, quod scilicet res restituenda sit cum valoris æqualitate.

VI. Difficultas est secundo circa variationem valoris monetæ; reddenda ne sit moneta mutuata in eadem specie, an in eodem valore? Theologi communiter docent apud Lugo num. 124., monetam non debere reddi in eadem specie, sed in eodem valore, sive crescat, sive decrescat; quare si carolenus valebat decem asses tempore mutuationis, & deinde valeat tredecim, non debet reddi carolenus, sed decem asses: Sicuti, si accepisti mutuo duos modios tritici, & deinde lege publica augetur mensura modii, non teneris reddere duos modios integros, sed quantum correspondet duobus modiis præcedentibus. Et idem dicas, si mensura modii, aut valor monetæ decrescat; quod etiam definitum est a Pontificibus in cap. *Olim*, & cap. *Cum Canonicis*, *de Censibus*.

Hoc autem verum est, sive mutuans servaturus esset monetam pro tempore augmenti, sive non, quia lucrum cessans non debet a mutuatario solvi, ut infra dicemus, nisi deducatur in pactum, antequam sit in mora; si enim ex mora mutuatarii proveniat mutuanti cessatio talis lucri, quia scilicet non recuperarit pecuniam suam tempore debito, debet tale lucrum cessans a mutuatario resarciri. Utrum autem possit mutuo apponi pactum de reddenda eadem moneta, sive valor ejus crescat, sive decrescat? recurrunt regulæ jam adductæ de mutuo tritici, num scilicet reddendum sit in eadem mensura, sive ejus valor crescat, sive decrescat.

VII. Dubitatur demum, an sciens mox minuendum valorem monetæ possit id ignoranti illam mutuare, ut damnum diminutionis vitet, & transferat in mutuatarium? similiter etiam agitatur quæstio, an id sciens possit emere justo pretio res, ut damnum diminutionis valoris monetæ ipse non subeat, sed transferatur damnum in vendentes?

Negat Abul., & alii apud Salas dub. 25., & apud Lugo disp. 26. sect. 8. Affirmant tamen communius cum D. Th. quæst. 77. art. 3. ad 4., Molin. disp. 354. Less. Rebel., Valent., Salas, Lugo apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 40., nisi tamen ipsi magistratus de industria legis promulgationem differrent, ut res carius vendant. Ratio est, quia moneta expendi juste potest justa valorem suum, quem de præsenti habet taxatum a lege, vel communi æstimatione; quod autem talis valor proxime minuendus sit, non facit, quominus nunc retineat suum valorem: ergo sine ulla injustitia potest moneta juxta valorem præsentem distrahi cum mutuatariis, & venditoribus ignorantibus valorem monetæ esse mox minuendum. Sicut Joseph præscius sterilitatis futuræ sine ulla injustitia emit triticum tempore abundantiæ pretio vili ab ignorantibus futuram sterilitatem. Et ratio a priori est, quia valor monetæ non minuitur de præsenti per hoc, quod proxime minuendus sit; aliter ignorantes valorem monetæ mox esse minuendum non venderent res justo pretio, atque adeo re deinde cognita deberent restituere partem pretii accepti, etiamsi vendidissent res juxta taxam; nam excessus pretii restituendus est etiam ab ignorante, & a bona fide accipientibus.

VIII. Oppones. Vitium occultum manifestari debet emptori, quando scilicet res vendenda ob tale vitium redditur notabiliter minus utilis ementi, ut proinde diminui debeat pretium rei habentis tale vitium: ergo pariter vitium hoc occultum monetæ, quod scilicet ejus valor mox minuendus sit, manifestari debet mutuatariis, & venditoribus.

Respondeo, concesso antecedente, negatur consequentia, quia vitium hoc monetæ occultum non est præsens, ut ostendimus, sed futurum; vitium autem rei mere futurum non debet manifestari, nec diminuit valorem præsentem, cum non lædat adæquatum valoris fundamentum, quod est communis existimatio.

IX. Neque urgeas, quod existimatio illa communis fundetur in errore; pretium vero justum rei fundari debeat in veritate, non in errore. Nam universim regula immediata valoris rei est communis existimatio, in quocumque fundetur, sive prudens ea sit, sive imprudens, & erronea. Tunc error communis variaret rei valorem, quando esset error circa substantiam, ut si communiter aliquid existimetur gemma, quæ postea comperiatur esse vitrum: solus enim hic error faceret simpliciter involuntarium.

X. Utrum autem peccet saltem contra charitatem, qui sic mutuat, aut vendit, prævidens damnum ab aliis incurrendum? Affirmare videtur Covar., & Rebel. lib. 9. quæst. 6. dicens, esse quandam inordinationem contra charitatem, rationem, & humanitatem, velle cum notabili aliorum jactura locupletari. Negant tamen communiter cum Molin., Less., Salas, Salon., & aliis apud Lugo de emptione, & venditione num. 141. quia unusquisque potest uti jure suo, & rebus suis consulere, quamvis æquale damnum proximo sequatur; aliter peccaret contra charitatem, qui petit a testatore, ut, abrogato priori testamento, ipsum instituat hæredem. In eo casu peccaretur contra charitatem, quando scilicet proximus ob tale mutuum in extremam, vel gravem necessitatem incurreret, aut si notabile damnum immineret communitati.

XI. Infertur hinc primo cum Turrian., Cord., Covar. apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 42., & Lugo disp. 26. num. 143., posse sic mutuare, & emere etiam ipsos ministros Regios, ad quos secreto pervenit, quod valor monetæ mox sit minuendus, dummodo non differant consulto promulgationem legis de diminutione valoris monetæ. Ratio est, quia ministri Regis possunt universim uti in proprium commodum notitia rerum, quam occasione suorum munerum habent. Sic consiliarius Regis sciens secreto aliquem a Rege promovendum ad aliquam dignitatem, potest illi filiam suam dare in conjugem, contrahendo juxta ejus statum præsentem, non futurum.

Neque dicas cum Molin., legem publicam debere esse omnibus communem, & æqualiter omnes gravare; ergo non possunt ministri Regis ejus arcana scientia uti in præjudicium aliorum. Nam licet lex debeat esse omnibus communis, ejus tamen scientia, antequam promulgetur, non debet esse communis omnibus, sed aliquibus ratione sui muneris potest antea competere. Uti autem ea notitia ministros Regios, non est abuti sua potestate, quia usus illius notitiæ non est usus, vel exercitium potestatis, sed est actus prudentiæ œconomicæ ordinans illam ad privata commoda. Quare cum tot, tantisque Doctoribus id illis permittendum videtur, dummodo notabile inde publicum damnum non proveniat.

Infertur secundo cum Molin. disp. 354., & Lugo contra Valent. posse pretio currenti locari domum ab eo, qui scit aulam Regiam brevi in alium locum discessuram; quamvis enim post aulæ discessum minus erit pretium locationis, at non attenditur pretium locationis ab eo, quod erit in decursu anni, sed ab eo, quod communiter existimatur in principio anni, quando locatur; aliter frequenter ex futuro eventu deberent locatores, & conductores pretium minuere, vel augere.

XII. Infertur tertio, quid dicendum, si mutuatarius, vel venditor interrogent ante contractum, num variandus sit valor monetæ? Lopez lib. 1. de contractibus cap. 47. putat, mutuantem peccare contra justitiam, si dissimulans, & nihil respondens det causam contractui. Salon. vero, Baguez, & alii apud Salas, quos approbat Less. num. 43., putant peccare tantum contra veracitatem, non contra justitiam, si positive respondeat monetæ valorem non esse variandum, quia ille in hoc non est censendus fide dignus, cum passim mercatores mentiantur, ut lucrentur; unde levitati credentis imputari debet, si incommodum patiatur.

Equidem cum Lugo censeo, non peccare contra justitiam, si dissimulet, peccare vero contra justitiam, si positive respondeat valorem monetæ non esse variandum, quia dolo, & fraude dat causam contractui; unde ex dolo tenetur restituere excessum, & damnum, quod contrahens pateretur.

ARTICULUS V.

An possint citra usuram fructus Pignoris a mutuante retineri, non computando illos in partem sortis?

I. *Exceptis casibus Dotis, ac Feudi, sicut etiam rei Emphyteuticæ, absolute id est usurarium.*

II. *Poterit citra usuram pignus emi cum pacto retrovendendi, & sic poterunt fructus talis pignoris ab emente retineri.*

III. *Ne in praxi usura sic pallietur, requiritur tum intentio emendi, tum pretium justum, tum etiam quod res sicut emptori fructificat, ita etiam eidem pereat.*

IV. *Pretium justum pignoris, seu rei, quæ venditur cum pacto retrovenditionis, crescit tertia parte, si pactum sit in favorem emptoris; quarta vero parte decrescit, si sit in favorem venditoris; crescit denique decima parte, si sit in favorem utriusque.*

V. *Vendens rem suam cum pacto retrovenditionis poterit deinde illam sibi locare, dummodo ad id non cogatur; aliter usura palliaretur, ut dicitur in contractu Mohatra.*

VI. *Usurarius est secundum se contractus vulgo dictus* Godere a Godere, *si detur pecunia pro pignore fructifero.*

VII. *Num possit ab usura excusari, qui loco hujus contractus, duplicem alium contractum super tali pigniore instituit, alterum census redimibilis, alterum locationis?*

VIII. *In praxi ab usura non excusatur, qui accipit bona fide lucrum ex mutuo per hoc, quod possit instituere censum personalem.*

IX. *Quicquid sit, an possit hic ratione bonæ fidei a restitutione liberari.*

I. CErtum est, usuram committi a mutuante cum pacto, quod fructus pignioris sibi retineat, illos in partes sortis non computando, ut constat ex c. 1. *de Usuris*. Et ratio est, quia pignus est mutuatarii, res autem Domino fructificat; ergo fructus pignoris ad mutuatarium spectant, non ad mutuantem, qui solum ratione lucri cessantis, vel damni emergentis posset illos sibi aliqualiter retinere, aut etiam ratione expensarum, quæ forte fiunt in pignore conservando. Hinc qui agrum sterilem, quem dominus non colebat, accepit in pignus, seu hypothecam, & inde sua diligentia fru-

fructus percipit, tenetur illos, deductis expensis, labore, & industria, in sortem referre; Quicquid in contrarium dicere videatur Sot. de Just. lib. 6. art. 2. fructus enim si non sint mere industriales, (sicut non sunt fructus agri) ad dominum rei pertinent. Hinc etiam fit, quod utens pignore injustitiam committat, si illud usu atteratur.

In duobus casibus fructus pignoris non computantur in partem sortis. Primo, si detur marito pignus fructiferum, donec solvatur Dos, ex cap. *Salubriter de Usuris*; conceduntur enim tales fructus marito ad sustinenda onera matrimonii, & ad uxorem alendam. Secundo, si dominus directus feudi accipiat in pignus a suo debitore rem sibi feudalem gratis illi concessam, ex cap. 1. *de Feudis* apud Molin. disp. 323., & Salas dub. 31. dummodo tamen fructus non proveniant ex melioramentis factis a Feudatario. Et ratio est, quia cum tali onere conceditur Feudum; Et idem dicas, si Emphyteuta det pignori rem emphyteuticam domino directo.

II. Quod dubitatur est, primo, An ad vitandam usuram possit mutuator nolle mutuare accepto pignore, sed velle pignus fructiferum emere cum pacto retrovendendi eodem pretio, quandocumque sibi pecunia restituetur, & sic fructus pignoris facere suos, cum ipse interim dominus sit pignoris empti?

III. Conveniunt Doctores apud Less. c. 21. num. 120., & Lugo disp. 6. num. 135. tunc hujusmodi emptionem pignoris cum pacto retrovenditionis esse palliatam usuram, quando deficiunt conditiones requisitæ ad veram emptionem; secus vero non esse contractum usurarium; & consequenter posse ementem licite facere suos fructus pignoris. Ratio est, quia tunc habetur verissima emptio, quoties conditiones ad constitutionem emptionis non desunt. Istæ autem conditiones ad emptionem requisitæ sunt; Prima, intentio emendi: tota enim contractuum obligatio pendet ab intentione, & voluntate contrahentium, & consequenter, si desit intentio emendi, deerit contractus emptionis, & erit usura palliata; pallio siquidem emptionis tegitur contractus mutui usurarius.

Secunda conditio est, quod justo pretio res ematur: aliter non servaretur æqualitas: illud autem dicitur pretium justum, quod tale arbitrio prudentum existimatur.

IV. Ubi notandum, quod si vendatur aliquid cum pacto retrovenditionis in favorem, seu ad arbitrium solius emptoris, debeat hoc onus venditoris compensari emendo rem tertia parte circiter pluris, quam valeat, ut notat Gaspar Hurtad. disput. 3. diff. 16. v. gr. si res valeat triginta, emi debet quadraginta, ut pretium sit justum; si vero pactum retrovenditionis addatur in favorem solius venditoris, ita ut quandocumque voluerit redimere rem venditam, teneatur emptor accepto suo pretio rem illam illi retrovendere, (quæ est forma consueta talis contractus) in tali casu debet hoc onus emptoris compensari, ita ut ematur res quarta ejus parte minoris, quam valeat: v. gr. si res valeat triginta, emi debet viginti duo cum dimidio circiter; non vero viginti, seu tertia parte minoris, quam valeat. Etenim magis debet crescere pretium, quando pactum retrovenditionis est in favorem emptoris, quam debeat decrescere, quando est in favorem venditoris. Et ratio est, quia onus impositum venditori in casu nostro est gravius onere imposito emptori; nam, ut venditor possit redimere rem suam, debet habere pecuniam paratam; contra vero, ut emptor possit retrovendere rem, satis est, quod habeat rem ipsam paratam; facilius enim est habere paratam rem emptam, quam pecuniam reddendam; ergo onus impositum venditori gravius est onere emptoris. Denique, si pactum retrovenditionis sit ad arbitrium, & in favorem utriusque partis, res debet pluris emi, quam valeat, prout favor emptoris est major, quam favor venditoris in pacto retrovenditionis, videlicet si res valeat triginta, pretium justum cum pacto retrovenditionis ad arbitrium utriusque partis erit triginta tria, idest decima parte pluris, quam valeat res. Quod si facultas redimendi non sit perpetua, sed ad tempus, pro diuturnitate majori, vel minori temporis, spectatis aliis circumstantiis, aut oneribus superadditis, crescere debet, vel decrescere pretium justum rei judicio prudentum.

Tertia conditio est, quod fructus rei venditæ cum pacto retrovenditionis spectent ad emptorem, quia res domino fructificat; unde etiam fit, quod si interim res pereat, emptori pereat; quia res domino perit. Notandum etiam, quod huic contractui emptionis cum pacto retrovenditionis possit superaddi contractus locationis; ita ut venditor conducat sibi rem venditam; in quo casu fructus rei venditæ pertinent ad venditorem, non in quantum dominus est rei venditæ, sed in quantum est locatarius; id tamen fieri non debet ad palliandam usuram: Hoc autem accideret, si onerosum esset venditori rem venditam sibi locare, & ad id cogeretur; debet enim esse liberum venditori rem venditam sibi, si ita voluerit, locare. Quare si ad tale pactum adigeretur, contractus esset usurarius; non secus ac usurarius est contractus Mohatra, (quem infra explicabimus) per quem emptor mercis ex pacto obligetur ad vendendam iterum mercem pretio infimo eidem venditori.

V. His explicatis, constat, quid possit facere Petrus indigens nummis, nec reperiens mutuantem. Poterit enim, si habeat domum valentem v. gr. centum, vendere illam mercatori cum pacto retrovenditionis ad arbitrium utriusque; sed nonnisi centum decem; ac deinde annuente mercatore, & absque prævio pacto illam sibi locare v. gr. quinque in singulos annos, prout est valor locationis domus valentis centum; unde acceptis centum, & decem a mercatore, tenetur vendens domum post ejus locationem solvere quotannis quinque, ita tamen, ut si domus interim pereat, aut deterioretur, pereat mercatori, qui interim dominus est, donec retrovendatur. Si vero idem Petrus indigens nummis velit vendere suam domum valentem centum cum pacto retrovenditionis ad sui tantum arbitrium, debet illam vendere solum septuaginta quinque circiter, idest quarta parte minoris, quam valeat. Quod si velit eandem sibi locare, debet eodem modo solvere quinque; scilicet quotannis, prout solet esse pretium locationis domus valentis centum. Demum, si idem Petrus velit vendere suam domum valentem centum cum pacto retrovenditionis ad arbitrium emptoris, poterit illam vendere centum triginta circiter, idest tertia parte circiter pluris, quam valeat; & si velit illam sibi locare, debet etiam quinque quotannis solvere,

prout est pretium locationis domus valentis centum. Et hic est potissimus, & facillimus modus, quo possent citra usuram mercatores lucrari, inter reliquos, de quibus quæst. sequ. Sed in praxi sedulo cavendum, ne ullum onus imponatur extrinsecum contractui venditionis, & locationis; aliter sub hoc colore mutuum usurarium tegeretur, ut dicemus articulo *6.* num. 5.

VI. Dubitatur ulterius, An possint a mutuante citra usuram fructus pignoris retineri vi illius contractus Anticriseos, qui Italice dicitur *Godere a Godere;* quando scilicet Titius dat verb. gr. mille Cajo, ut iis utatur, & Cajus vicissim dat illi suam domum valentem mille, non vendendo illam, sed ut ea uti, ac frui possit, quousque restituantur mille illi aurei mutuo accepti?

Certum est, quod si utrinque detur res fructifera, v. gr. domus, & ager, contractus sit licitus, & justus, dummodo serveretur æqualitas inter valorem usus agri, & domus. Quod si ab uno detur pecunia, quæ de se est sterilis, ab altero vero detur pignus fructiferum, & non fiat contractus venditionis cum pacto retrovendendi modo explicato, communiter docent hunc contractum esse usurarium, nisi mutuans pecuniam retineat fructus pignoris ratione lucri cessantis. Ita Azor. 3. part. lib. *9.* c. 20.; Bonac. disp. 3. quæst. 7. punct. 7.; Lugo disp. 25. num. 1*36*. Ratio est, quia fructus pignoris nisi accipiantur ratione lucri cessantis, sunt lucrum unice proveniens ex mutuo: ergo sunt lucrum usurarium.

VII. Dices, posse hujusmodi contractum ab usura excusari, si fingamus in hoc casu duos contractus intervenire, alterum census redimibilis super illa domo, alterum conductionis ejusdem domus. Nam Titius v. gr. dans Cajo mille, emit censum, seu pensionem aliquam super illa domo Caji, videlicet quinquaginta quotannis; Cajus vero pro istis quinquaginta solvendis quotannis locat Titio eandem suam domum, cujus locationis pretium est pariter quinquaginta, quo posito Titius, qui dedit mille, ita fruitur domo Caji, ut tam ipse possit ad libitum cessare a conductione domus, quam Cajus possit redimere censum restituendo mille aureos, quos accepit: ergo potest excusari ab usura contractus iste usitatus, etiamsi ex una parte detur pecunia sterilis, & ex altera pignus fructiferum, dummodo servetur æqualitas tam in contractu census redimibilis, quam in contractu locationis; Sicut excusatur, ut diximus, per venditionem domus cum pacto retrovendendi, adjecto contractu locationis, quando in his contractibus non intervenit injustitia.

Respondeo concedendo, quod si sit intentio celebrandi utrumque istum contractum emptionis census, & locationis modo explicato, nulla interveniat usura. At hic contractus dictus *Godere a Godere*, prout communiter fit, est usura palliata, quia non solent servari conditiones requisitæ ad contractum census; quarum primaria est, ut domus hypothecata veluti alienetur, dum venditur jus exigendi annuam pensionem ex illa. Hinc enim fit, ut pereunte domo, pereat obligatio solvendi quinquaginta quotannis, & restituendi mille; & præterea decrescente inculpabiliter valore locationis domus, debeat eodem passu, & ad ratam decrescere reditus census in eo solo constituti. Adde, quod si fiat verus census, Titius non tenetur reddere mille, quando tu reddis illi domum, cessando a conductione; quia quamvis tu possis libere cessare a conductione, ille tamen tenetur redimere censum, sed potest libere accepta sibi domo solvere quotannis quinquaginta, nunquam reddendo mille. Si hæc fiant, aberit ab isto contractu usura, secus excusari non potest; nisi forte ex titulo lucri cessantis, si revera cesset, juxta dicenda quæst. sequenti.

VIII. Putant Hurtad. disp. 4. diff. 5. Less. Laym., Becan. quod indocti, ignorantes conditiones census, sæpe utantur titulo mutui dando sortem, & accipiendo pensionem eo titulo, quo potest accipi, prout vident passim fieri sine scandalo: Qui proinde si bona fide contraxerunt, excusari poterunt per hoc, quod dederint v. gr. centum in censum personalem utrinque redimibilem, ac proinde quotannis recipiant v.gr. quinque; Nam jure naturæ emi potest census personalis, tam redimibilis ad arbitrium alterutrius contrahentis, vel utriusque, quam irredimibilis, dummodo justo pretio hæc onera compensentur. Quamvis autem hæc doctrina sit tantorum virorum, illi tamen acquiescere non possum, nec hujusmodi indoctos facile excusarem ex hoc titulo. Ratio est, quia qui dedit centum, si emisset censum personalem utrinque redimibilem, pereunte debitore, nihil amplius posset exigere; cum tamen passim qui pecuniam mutuavit, velit ab hæredibus debitoris debitum exigere, quod est contra naturam talis census.

Neque dicas, censui personali posse ad securitatem addi hypothecam generalem omnium bonorum debitoris, ex qua exigantur pensiones mortuo debitore, compensando justo pretio hanc obligationem, ut communius docent cum Less., Filliuc., Hurtad. disp. 4. diff. *6.*, & sic censendi sunt indocti juxta has auctoritates hujusmodi contractum bona fide implicite celebrare.

IX. Nam contra est, quia, si hæc doctrina subsistit, nunquam ab accipiente lucrum ultra sortem committetur usura, nisi ignoranter, & ex prava intentione recipiat lucrum vi mutui, aut nisi accipiat lucrum ultra pretium justum census personalis utrinque redimibilis, cum hypotheca generali omnium bonorum debitoris pro securitate; quod videtur absurdum. Nam hac doctrina posita, quilibet poterit pecunia sua lucrari ad quodcumque tempus non mutuando, sed hujusmodi censum personalem emendo, quod est usuris magnum ostium aperire. Quare hujusmodi contractum non consulerem propter usuræ speciem, quam præsefert: Quamvis propter auctoritatem tot, ac tantorum Doctorum excusarem a restitutione indoctos, qui bona fide moderatum lucrum ex mutuo reportarunt, si potuissent hujusmodi contractum census celebrare; quia licet de facto non celebrarint contractum census, sed mutui, sufficit tamen, quod potuissent justum illum, & licitum contractum celebrare, & quod bona fide intenderint reportare lucrum illud moderatum eo meliori modo, quo potest, ut probabiliter docent Lugo, Sà, Tanner. & alii apud part. 2. tract. 5. resol. *92.* contra Azor., Salon., Sylvestr. quod infra examinabimus quæst. 5. art. 3.

Adde, hujusmodi censum personalem celebrari non posse, ubi recepta est Bulla Pii V. præcipientis, ut census instituantur super re immobili fructifera certis finibus designata, & quod census solum sit redimibilis ex parte censuarii, non ex parte

te censitoris, seu ementis jus ad pensionem; quamvis putet Salas dub. 6. de censibus Bullam hanc in Regno Neapolitano citra, & ultra Pharum non esse receptam. Sed de his fusius cum de usura palliata in contractu census.

ARTICULUS VI.

De aliis Pactis mutuo additis.

I. Quandonam possit repeti mutuum citra injustitiam; præsertim si res mutuata sit pluris valitura?
II. Num usurarie petatur pretium rei mutuatæ pro quando est pluris valitura?
III. Practice usuram redolet, si Mutuator pro Fidejussore sese offerat.
IV. Pretium justum fidejussionis quodnam sit?
V. Mutuare Colonis cum pacto, quod agrum Mutuantis colant, num practice sapiat usuram?
VI. Pactum, quod Mutuatarius satisfaciat obligationibus suis sive ex justitia, sive ex alia virtute, quandonam est usurarium?
VII. Num loco mutui possit emi res aliqua petentis mutuum, eidemque locari, quousque restituatur pecunia mutuata?

I. Dubitatur primo, An sit usurarium pactum mutuo additum de reddenda re mutuata tempore præfixo, quando probabiliter pluris erit valitura?

Ad quod dicendum, contractum mutui requirere, ut per aliquod tempus mutuatario opportunum non repetatur res mutuata; aliter beneficium mutui esset illusorium, si statim res repeteretur; imo sæpe damnum inferret mutuatario, si hic postquam suæ indigentiæ consuluerit, illico deberet cum gravi impendio mutuum restituere. At post aliquod tempus congruum, præsertim si præfixum sit tempore contractus, potest mutuator ad arbitrium mutuum repetere, etiamsi res mutuata sit pluris valitura; non secus ac potest mutuatarius illam restituere, etiamsi esset valitura minoris. Præterea, si æque probabile est, quod rei mutuatæ, puta frumenti, pretium possit crescere, aut decrescere, poterit licite tempore contractus superaddi pactum, quod præfixo tempore, v. gr. post tres menses restituatur; & in tali casu non tenetur mutuator rem illam accipere tempore intermedio, si forte velit illam mutuatarius restituere. Quod si probabilius futurum erit, quod pretium crescat, tunc usurarie cogitur mutuatarius, ut rem mutuatam tempore præfixo restituat, sublata illi facultate, quod restituat tempore intermedio. Poterit tamen usura declinari, si non celebretur contractus mutui, sed venditionis, si scilicet vendatur nunc v. gr. frumentum, quo petitur mutuum, sed vendadatur pretio, quo valebit post tres menses, v. gr. mense Majo, dummodo vendens conservaturus sit illud pro eo tempore vendendum, & simul aliquid de tali pretio detrahat pro expensis faciendis ad illud interim conservandum, necnon pro periculo, ne interim corrumpatur; aliter sub prætextu venditionis usura tegeretur. Poterit etiam contractus mutui celebrari, si solum a mutuatario exigatur ultra sortem lucrum, quod sibi cessaret vi talis mutui, pensitatis pariter expensis, & periculis.

II. Dubitatur secundo; An possit mutuans mense Julio frumentum reddendum mense Majo (detractis expensis, & periculis in eo conservando usque ad illud tempus) superaddere pactum, quod si non restituatur mense Majo frumentum mutuatum, aut ejus pretium, restitui debeat frumentum novum mense Julio insequenti, juxta valorem pretii, quo currebat mense Majo. Fingamus autem, quod mense Julio hoc anno pretium unius modii tritici sit unus aureus, & mense Majo sit aureus cum dimidio; ac deinde iterum mense Julio insequenti pretium sit unius aurei: Quæritur, num possit mutuans frumentum mense Julio obligare mutuatarium ad reddendum Mense Majo frumentum, (quod scilicet erat usque ad illud tempus conservaturus, detractis expensis, & periculis in eo conservando) aut ad reddendum ejus pretium, videlicet aureum cum dimidio; aliter restituat mense Julio insequenti modium cum dimidio, si iterum pro eo tempore valiturus erit modius frumenti unum aureum? Quod si non restituatur hic modius cum dimidio, restitui debeat ejus pretium altero mense Maji, & sic deinceps?

Respondetur, speculative loquendo, id esse licitum, quia titulo lucri cessantis poterit exigi pretium illud majus, quo valiturum est triticum mense Majo; Et quia pretio illo accepto, videlicet unius aurei cum dimidio, poterit mutuans mense Julio insequenti emere unum modium cum dimidio, idcirco poterit hanc mensuram a mutuatario exigere, & deinde iterum velle pretium istius modii cum dimidio pro altero mense Maji, & sic deinceps. At practice loquendo, sub his pactis latet animus usurarius, & sub prætextu lucri cessantis, aut venditionis frumenti, ac novæ emptionis exigitur a mutuatario auctarium valde onerosum titulo lucri cessantis, quod perraro accidit, ut cesset, & solum speculative loquendo potest accidere. Sicut autem in cambio, & recambio cum recursa sæpissime latet usura; ita in his contractibus, sive mutui, sive venditionis frumenti, si ad nova, & nova gravamina adigatur pauper indigens mutuo.

III. Dubitatur tertio, Num usuram redoleat mutuum cum pacto, quod detur fidejussor, & mutuator exhibeat se fidejussorem animo lucrandi v. gr. quatuor pro centum ob præstitam fidejussionem?

Respondetur, non posse mutuatarium obligari ad dandum fidejussorem pro securitate sortis, si præstet pignus, aut aliter sortem assecuret. Quod si nequeat aliter sortem assecurare, quam exhibendo fidejussorem, potest hic licite a mutuante peti; at dum sese offert ad præstandam fidejussionem, revera ac practice vult cogere implicite mutuatarium ad solvendum mutuanti ultra sortem, quicquid alteri solveret pro fidejussione; quod certe usuram continet, si non datur periculum proximum amittendæ sortis; aut, si quod solvitur pro fidejussione, excedit valorem periculi hujus proximi. Quod si tantundem accipiat mutuator pro fidejussione, quantum alteri daretur, & quantum exigit periculum proximum amittendæ sortis, adhuc usurarie pacto illo implicito cogitur mutuatarius ad dandum pro fidejussore ipsum potius mutuantem, quam alium; tum quia forte alius pro minori pretio fidejussionem præstaret; tum etiam quia per hoc præcise, quod tollatur a mutuatario libertas exhibendi fidejussorem, quem maluerit, imponitur illi gravamen extra rationem mutui. Propterea, quamvis

juxta ea, quæ diximus art. 2. num. 3. mutuator ad restitutionem non teneatur pretii pro fidejussione accepta, si illud correspondeat periculo amittendi sortem, nihilominus, ut notant Lug., Molin. disp. 309., Salas, Bonac. disp. 3. quæst. 3. tenetur compensare gravamen istud usurarie impositum, ratione cujus non poterat alium fidejussorem exhibere; præsertim si alius fidejussor minori pretio esset contentus: Ad eum modum, quo mutuans cum pacto, quod mutuatarius frequentet apothecam, molendinum, & scholam mutuantis, solum debet compensare tale gravamen; præsertim si frequentando aliam apothecam, molendinum, aut scholam, aliquod commodum reportaret: Sicut etiam mutuans cum pacto, quod uni præ altero detur officium gratis alicui vage conferendum, debet etiam tale gravamen usurarium compensare.

IV. Quod si quæras, quodnam sit justum pretium fidejussionis? Dicendum, pro ratione majoris, vel minoris periculi amittendi sortem, esse majus, vel minus pretium justum fidejussionis. Regula tamen universalis in his casibus est ex Lessio; Illud censeri pretium justum talis fidejussionis, quod tu libenter, & rationabiliter alteri solveres, ut pro te fidejuberet in pari periculo: Sicut pretium justum lucri cessantis in mutuante censeri debet esse illud, quod mutuans libenter, & rationabiliter alteri exhiberet pro tali lucro obtinendo. Quamvis enim mutuans speret ex negotiatione pecuniæ, quam mutuat, posse lucrari, v. gr. quindecim, non propterea potest a mutuatario exigere quindecim titulo lucri cessantis, sed potest exigere duntaxat, quod ipse alteri solveret pro assecurando tali lucro sperato, v. gr. sex, aut septem.

V. Dubitatur quarto, An sit usura mutuare pecuniam, seu frumentum colonis cum pacto, quod agros ipsius mutuantis colant?

Respondeo cum Molin. disp. 310. apud Lug. nu. 51. esse procul dubio usuram, si coloni vi mutui graventur, aut ad agros colendos, quos forte colere nolebant, aut ad colendos agros mutuantis potius, quam alterius, adimendo eis libertatem ad colendos agros, quos maluerint; præsertim si in aliis agris colendis mercedem pinguiorem, aut aliud emolumentum essent percepturi. Quare juxta nuper dicta gravamen hoc esset compensandum; Sicuti etiam contractus deberet rescindi, si rescindi posset re integra. Advertit tamen, quod si coloni vellent agros conducere, & ad eos colendos indigerent pecunia, non esset usura utrumque simul contractum conductionis, & mutui celebrare; quia in tali casu ex mutuo non reciperent ullum gravamen, sed potius levamen, quatenus ratione mutui possent ad finem intentum conducendi agros devenire: tunc autem ex mutuo reportarent gravamen, quando non possent aliter mutuum reperire, quam obligando se ad hos agros colendos, quos colere nollent. Neque esset usura, si forte titulo damni emergentis, aut lucri cessantis tale gravamen mutuatario imponeretur, quatenus si pecuniam non mutuaret huic colono, reperiret alios, qui sine ullo gravamine utrumque contractum, conductionis agri, & mutui vellent celebrare. Neque haberetur usura, ut advertit Salas hic num. 5. si duo isti contractus separatim celebrentur, ita ut unus ab altero non dependeat; aut si colonus obliget se ad agros Titii colendos, & Titius obliget se ad mutuandum in posterum pro sumptibus necessariis; quia obligatio ad mutuandum in posterum est pretio æstimabilis, prout explicavimus art. 1. num. 3. Denique ex Molin. disput. 309. praxis hæc dandi colonis pecuniam, aut frumentum cum pacto, quod tuos agros colant, aut tuam messem deinde metant, excusari potest ab usura, prout diximus art. 2. num. 4. si non ineatur contractus mutui, sed solum contractus conductionis colonorum, quibus anticipato solvitur pecunia pro eorum labore futuro in colendis agris, ac in metendo tempore messis, dummodo nihil de justo pretio ob anticipatam solutionem adimatur.

VI. Dubitatur quinto, num citra usuram possit addi mutuo pactum, quod mutuatarius gravibus suis obligationibus faciat satis; puta quod audiat Missam die festo, jejunet, solvatque debita, quibus astringitur?

Respondetur, citra usuram superaddi obligationem satisfaciendi debitis ex justitia, si ea sint certa, non tamen si sint dubia. Et ratio est, quia vi talis pacti nullum gravamen imponitur, nec onus indebitum. Quamvis enim videatur nova obligatio ex justitia superaddi, ea tamen moraliter non æstimatur novum gravamen. Immo hac etiam de caussa Molin., Castro, Pal., & alii putant, neque esse usuram mutuare cum pacto, quod mutuatarius satisfaciat obligationibus ex charitate, obedientia, & similibus, quia scilicet moraliter non est novum gravamen isthæc nova obligatio, præsertim quia redundat in utilitatem ipsius mutuatarii, & non mutuantis. Equidem tamen cum communiori censeo, usurarie exigi a mutuatario, quod satisfaciat obligationi ex charitate, quoties vi talis pacti non solum imponitur obligatio ex justitia, sed præterea consurgit onus compensandi damnum emergens ex violatione talis obligationis; quia tale novum onus est gravamen indebitum: Ex. gr. si quis vi talis pacti teneatur non solum ex charitate, sed etiam ex justitia succurrere pauperi graviter indigenti, certe teneretur compensare damna, tanquam homicida, omittendo subministrationem stipis illi debitæ ex charitate, atque adeo novum gravamen indebitum subiret vi illius pacti. Contra vero, si quis ex charitate teneatur scandalum vitare, aut ex obedientia, vel religione audire sacrum, citra usuram poterit mutuator obligare mutuatarium vi mutui ad satisfaciendum his obligationibus; siquidem istud novum ligamen in morali æstimatione non afferret novum gravamen, eo quod non teneretur ad compensationem ullius damni ea omittendo; & præterea ex hac nova obligatione utilitatem reportaret mutuatarius duntaxat, non vero mutuator.

Quod vero attinet ad pactum additum mutuo de satisfaciendo obligationi antidorali ex gratitudine, si solum imponatur vi pacti mutuatario alia obligatio satisfaciendi in genere illi obligationi, (cui certe potest satisfacere, orando pro benefactore, præbendo illi sanum consilium, ac aliis similibus viis) videtur, quod hæc nova obligatio non imponeret moraliter novum gravamen, sed potius utilitatem, impellendo illum ad actum virtutis debitum; ac propterea tale pactum additum mutuo forte non esset usurarium; Secus vero, si pactum esset de dando ultra sortem aliquid temporale mutuanti, quod exigi potest tanquam debitum ex benevolentia, & gratitudine, & non tanquam debitum ex justitia, ut constat ex Thesi 42. proscripta ab Innoc. XI. id enim procul dubio esset onerosum;

quia

quia vi talis pacti exercite obligationi præviæ antidorali ex gratitudine superadderetur obligatio vi promissionis, ut videre est in expositione hujus Thesis. Neque obstat, quod pactum fœnerativum neque in foro interno, neque in foro externo obliget: Etenim adhuc imponeret novum gravamen talis promissio, quatenus si mutuatarius illi non satisfaceret, non effugeret notam infidelitatis.

VII. Dubitatur sexto, Num practice lateat usura in hoc casu? Titius nolens sine lucro pecuniam alienare, petenti illam mutuo dicit, nolo tibi mutuare centum aureos, sed volo centum aureis emere boves tuos, quos loco tibi pretio justo locationis, quousque pecuniam restituas.

Respondetur juxta dicta art. sup. n. 5. in hisce duobus contractibus emptionibus bonorum, & locationis eorumdem nullam adesse injustitiam, si serventur leges eorumdem contractuum, ita ut habeatur intentio emendi, & consequenter boves emptori pereant, sicut emptori fructificant; sicut etiam, quod pretium tam emptionis, quam locationis sit justum. Practice tamen, ut notant nonnulli apud Croix n. 899. sæpe latet in iis usura, quatenus practice sæpe indigens mutuo cogitur ad vendendam, & ad locandam sibi rem venditam pretio injusto, ad quod adigitur ex indigentia pecuniæ. Quare non solum dives denegando mutuum, animo immisericordi respicit miserias alienas, sed præterea animo lucri avido ex alienis miseriis vult ditescere; quod sapit avaritiam, & inhumanitatem.

QUÆSTIO III.

Quibus de Causis possit a Mutuatario aliquid supra sortem exigi citra Usuram?

PEcunia de se sterilis, & infœcunda multifariam potest reddi suo modo fructifera citra labem Usuræ, videlicet aut deponendo illam in Montibus Pietatis mixtis, unde auctarium reportetur: aut ineundo alios contractus a mutuo, puta contractum societatis, præsertim trium, sive contractum census, cambii, emptionis cum pacto retrovenditionis, obligationis ad mutuandum, fidejussionis, & similes, servando tamen leges eorumdem contractuum, ne pallietur usura; Aut etiam ineundo quidem contractum mutui, sed auctarium reportando, non ex vi mutui, sed ex aliis titulis mutuo extrinsecis, videlicet ratione lucri cessantis, damni emergentis, periculi extraordinarii amittendi sortem, pœnæ conventionalis, &c. Discutiemus hic primo, num Montes Pietatis universim immunes sint ab usura per hoc, quod aliquid supra sortem a mutuatariis exigant pro expensis necessariis montis, aut etiam pro solvendo interesse iis, qui deponunt in monte suam pecnniam indigentibus mutuandam? Secundo, utrum Montes, præsertim frumentarii, usurarie exigant aliquid a mutuatariis pro montis augmento? Tertio, num contractus societatis, qui dicitur Trium, usuram contineat palliatam? ac demum seorsim agemus de aliis titulis mutuo extrinsecis, quibus solet auctarium exigi a mutuatariis.

ARTICULUS I.

Utrum Montes Pietatis exigendo auctarium a mutuatariis immunes sint a labe usuræ?

I. *Mons pietatis quid sit, & quibus conditionibus constituatur?*

II. *Citra usuram a mutuatariis aliquid moderatum ultra sortem exigitur pro expensis ad montis conservationem necessariis.*

III. *Titulo damni cæteroqui emergentis rationabiliter hoc auctarium exigitur.*

IV. *Deponentes pecuniam pauperibus mutuandam in montibus Pietatis mixtis, num usurarie lucrum reportent?*

V. *Excusari possunt ratione liberalis donationis, quæ illis a Pontifice, vel a Republica fiat in remunerationem beneficii, quod præstant communitati.*

VI. *Num possint etiam excusari vi dispensationis factæ a Pontifice in lege naturali vetante usuras?*

VII. *Num pariter vi contractus census personalis, quem ineant cum mutuatariis?*

I. MOns pietatis dicitur pecunia quædam (& eadem est ratio de tritico, & similibus, quæ mutuari solent) destinata ad hoc, ut in promptu sit ad mutuandum gratis indigentibus, & occurrendum usuris. Cujus montis tres potissimum leges sunt. Prima, ut solum pauperibus detur mutuum, ita ut, si in alios usus, quam pauperum ea pecunia ab Officialibus montis distrahatur, excommunicatio incurratur Papæ reservata a Paulo V. lata anno 1615. in Bulla, quæ incipit *Onerosa*. Secunda, ut pignus ab iis in securitatem accipiatur, quod præfixo tempore vendi possit a monte, si pecunia mutuata non restituatur; ita tamen, ut mons retineat sibi, quod ei debetur, & quod reliquum est reddat ipsis mutuatariis. Tertia, ut parum aliquid ultra sortem a mutuatariis exigatur pro expensis faciendis in conservatione pignorum, pro conductione domus, pro rationibus scribendis, & pro stipendiis ministrorum.

Ubi notandum, quod pro expensis montium pietatis minus requiratur, si in iis conservetur pecunia, quam si conservetur triticum, adeo ut possint sufficere duo, vel tria pro centum, si mons sit pecuniarius, sive etiam quatuor, (ut notat Clericatus in Erotematis cap. 8. n. 7.) aut ad summum sex juxta nonnullorum montium praxim tum Neapoli,

poli, tum in aliis Urbibus; non sufficiant tamen septem, vel octo, ac amplius, si mons sit frumentarius. Et ratio est, quia frumentum indiget horreo, & expensis, ut conservetur, est expositum corruptioni, & fere semper ejus pretium decrescit in damnum montis. Vilius quippe valere solet triticum mense Julio, quando restituitur, quam quando recipitur a monte; quod certe in monte pecuniario non contingit.

II. In dubium autem revocatur, An possit auctarium a montibus pietatis citra usuram exigi, quod solum deserviat pro expensis necessariis, & ad reddendum montem indemnem. Cajetan. Sot. Sylv. & alii apud Lugo n. 188. putarunt illud exigi usurarie. Sed communis, & verissima sententia tenet, nullam in hoc usuram contineri, quia lucrum hoc ultra sortem non accipitur vi mutui, sed ratione damni cæteroqui emergentis, ut constat, atque adeo in gratiam, non in gravamen mutuatariorum; cæteroqui brevi mons exhauriretur; & ideo plures Pontifices montes hujusmodi approbarunt, necnon Concilium Lateranense sub Leone X. cujus hæc sunt verba: *Sacro approbante Concilio declaramus, & definimus, montes pietatis, in quibus pro eorum expensis, & indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illarum conservationem, ut præfertur, pertinentium pro eorum indemnitate duntaxat ultra sortem absque lucro eorumdem montium recipitur, neque specimen mali præferre, neque peccandi incentivum præstare; quinimo meritorium esse, ac laudari, & probari debere tale mutuum, & minime usurarium putari.* Additque Pontifex Indulgentias ob hanc causam esse concessas, & in excommunicationem incidere, qui montes istos damnat, quorum in Italia primus Institutor dicitur fuisse anno 1494. S. Bernardinus a Feltre Ordinis Seraphici.

III. Neque obstat primo, quod si ratione damni emergentis tale lucrum acciperetur, non deberet tantundem solvere ultra sortem, qui gemmam, v. gr. aut vas aureum pignorat, quod facili negotio custoditur, quam qui dat in pignus vestes, v. gr. quæ pluribus expensis indigent ad sui custodiam. Nam præsumitur voluntas mutuatariorum in hac æqualitate auctarii solvendi, quia impossibile moraliter est examinare, quantum quisque contribuere deberet, essetque Seminarium litium, quibus dirimendis majores expensæ requirerentur; & ideo in tributis communibus imponendis non fit injustitia, si sæpe non exigatur plus ab eo, qui potest plus contribuere, quando scilicet non est id facile assequi.

Neque obstat secundo, quod qui diutius retinet pecuniam mutuatam, majus auctarium solvat; Unde videtur solvere ratione mutui, seu ratione dilatæ solutionis. Nam majus illud auctarium solvitur, tum quia plures expensæ faciendæ sunt ad custodiendum pignus diutius; tum etiam quia mutuatarius differendo solutionem est causa, ne illa pecunia interim aliis mutuetur, qui novum auctarium solverent. Constat itaque hujusmodi montes nullam usuram continere (*a*).

„ (*a*) De Montibus Pietatis accuratissime, eru-
„ ditissimeque differit Cl. P. Zech Diss. II. in En-
„ cyclicam Benedicti XIV. quam infra suo loco ex-
„ hibebo, c. I. sect. VI. quem vide. Adde & Bene-
„ dictum XIV. de Synodo Diœcesana *lib.* X. *cap.*
„ V. *num.* I. *segg.*

IV. Difficultas major est de aliis montibus pietatis, qui vocantur mixti, eo quod utrinque detur pecunia mutua, & partim pii sunt, partim videntur a pietate degenerare. In iis enim præter pecuniam destinatam ad mutuandum indigentibus, accedit alia pecunia ab aliis ibi eam deponentibus, a quibus mons illam accipit, ut possit uberius mutuare, & interim dat iisdem quatuor v. g. pro singulis centenariis. Ex quo fit, ut mons debeat a mutuatariis suis exigere etiam ista quatuor in centum ultra id, quod suis expensis exigere debebat, ut servet se indemnem.

Usuram in his montibus contineri putant nonnulli, non quidem ex parte montis, qui auctarium accipit præcise ad vitandum damnum emergens, sed ex parte deponentium ibi pecuniam, & accipientium quatuor pro centum; idque sæpe absque titulo lucri cessantis, aut damni emergentis, quando pecuniam illam deberent servare otiosam per aliquot annos dandam v. g. puellæ in dotem. Quia tamen hujusmodi montes a Republica, & Pontificibus approbantur, & eorum auctoritate eriguntur, dicendum, nullam usuram continere. Unde excusari possunt, qui pro pecunia depositata quatuor pro centum a monte accipiunt; Primo si dicantur illi cum monte (qui forte negotiationi exponit pecuniam depositam) celebrare implicite contractum trium, de quo dicemus articulo tertio, si vere mons in lucrosa negotiatione exerceatur. Secundo, si dicantur deponentes pecuniam emere censum utrinque redimibilem, juxta dicta in calce quæstionis præcedentis, dummodo detur sufficiens hypotheca, & Pontifex dispensarit in tali mutua census redimibilitate. Tertio, si dicatur cum Pellizzario in Manuali Regularium tract. 6. cap. 8. num. 78., & aliis ab eo laudatis, & a Croix l. 3. n. 866., posse Summum Pontificem, tanquam supremum Principem, necnon Rempublicam, quando ita expedit, in bonum communitatis bona unius alteri concedere, idque in his montibus fieri, dum dantur quatuor pro singulis centenariis: nam, ut homines alliciantur ad pecuniam ibi deponendam, qua uberius mutuum detur indigentibus, debuerunt allici donatione ista liberali.

Ubi tamen Doctores communius advertunt, quod juxta hanc tertiam viam, & ratiocinationem, hujusmodi montes mixti a personis privatis erigi non possunt, utpote quæ non possunt de bonis civium in bonum publicum disponere: Quicquid in contrarium opinentur Del Bene p. 2. dub. 259. de Inquis. & P. Felix Potestas in Examine Confessar. t. 1. p. 2. n. 14. 16. Etenim quamvis libentissime mutuatarius daret v. g. huic privatæ personæ montem pietatis erigenti octo pro centum supra sortem, ne cogatur solvere duodecim usurariis; nihilominus non daretur secundum se justus titulus, ratione cujus privata illa persona (aut alii contribuentes huic personæ pecuniam) acciperet tale auctarium; Si vero montes isti pietatis a supremo Principe, vel a Communitate constituantur, datur justus titulus, prout ostendimus, cur possint deponentes ibi pecuniam auctarium accipere, videlicet in remunerationem, quæ a publica potestate fiat de bonis civium in bonum publicum. Quare persona privata montes mixtos erigere non potest. Tunc solum persona privata posset illos instituere, ut notat Less. loc. cit., quando pecunia deponeretur in his montibus ab iis, quibus ea de causa lucrum cessat: Sic enim nullum rationabile damnum paterentur mutuatarii, com-

compensando illis lucrum cessans, nec opus esset remuneratione Principis. Montes vero non mixti, seu simplices, in quibus auctarium duntaxat pro necessariis expensis exigitur, etiam a privatis personis erigi possunt, ut concedunt Molin., Salas, Rebel. lib. 8. qu. 14., & Less. num. 154.

Confirmatur isthæc Pellizzarii doctrina, & aliorum apud ipsum, & apud Croix locis laud. hausta ex D. Antonino part. 2. tract. 1. cap. 11. §. 2. allegante Laurentium de Rodulpho, & alios antiquiores; quia Paulus III. in suis Bullis pro montibus mixtis Florentiæ, Bononiæ, Mutinæ, ac Ferrariæ erectis relatis a Pasqualig. disp. 201., approbat eorum praxim, ac declarat posse sine ullo conscientiæ scrupulo deponentes pecuniam in iis Pietatis montibus auctarium (videlicet quinque pro singulis centenariis) reportare, addendo hæc verba, ut videre est apud eundem Felicem Potestatem loc. laud. numer. 2413. *Etiamsi pecunia sine lucro esset otiosa permansura, & non fructificatura*. Id autem non videtur potuisse Pontifex decernere, nisi dicatur, quod propter bonum publicum tale præmium a Principe liberaliter statutum sit, ne pecunia in iis montibus aliquando desit in subsidium indigentium. Esto enim hac de causa indigentes deberent quotannis auctarium solvere, non solum prout necessarium est ad expensas montis necessarias, sed etiam ut satisfiat pro tali præmio debito deponentibus pecuniam; id tamen indigentibus rationabiliter gratum est, ne cogantur ab usurariis mutuum petere cum longe majori auctario; & idcirco ad solvendum auctarium monti pietatis juxta taxam a Principe statutam, saltem ex tacito ejus consensu, antiquam, ac notam consuetudinem firmante, non dicuntur mutuatarii esse rationabiliter inviti; secus vero ad solvendum auctarium usurariis.

V. Ubi notandum ex Sa V. *Contractus* num. 4., & ex Navar., Bart. Tiraquel., & aliis apud Laym. lib. 3. tract. 4. cap. 18. numer. 12., & apud Wadingum disp. 6. dub. 8. Contractum, qui solet communiter in aliqua regione celebrari, præsertim a viris doctis, & honestis, quamvis præseferat aliquam speciem usuræ, non esse statim condemnandum ut usurarium, sed solum esse perverstigandum titulum, ratione cujus possit ab usura liberari, quoties de illa non constat dilucide; & multo magis si talis contractus sit Reipublicæ utilis, & a Principe saltem tacite approbatus. Credendum quippe est, quod Respublica ex potestate, & alto dominio, quod habet disponendi de bonis civium in bonum communitatis, suppleat quantum potest, si quid forte desit illi contractui. In casu autem nostro multis in locis habentur montes isti pietatis mixti, approbanturque a Pontificibus, ac a Principibus; propterea quamvis speciem aliquam præseferat usuræ auctarium illud, quod reportatur a deponentibus ibi pecuniam mutuandam indigentibus; nihilominus conandum nobis est justum titulum pervestigare ad purgandum illud a tali labe, & credendum, quod Respublica suppleat, quantum potest, si quid desit. Cum autem alius justus titulus non facile reperiatur ad usuram purgandam, nisi dicendo, quod Princeps, (prout potest ex alto dominio in bona Civium) liberaliter in bonum publicum quatuor, aut quinque pro singulis centenariis donet deponentibus pecuniam in præmium, & ut alliciat divites ad hæc deposita, idcirco sufficienter ex tali titulo montes pietatis mixti dicendi sunt ab usura immunes, etiam relate ad deponentes ibi pecuniam otiosam, exigendo ex illa quotannis auctarium. Hoc autem titulo purgari ab usura videntur etiam montes pietatis mixti, in quibus deponentes pecuniam possunt illam ad arbitrium repetere; si enim non possent illam repetere, facile ab usura essent immunes titulo census, ut advertit Lessius in appendice ad disputationem de montibus pietatis num. 27. dicens: *Thomas Boninsignius disputat, quo titulo deponentes pecuniam &c. possint auctarium reportare; & supponit titulo pensionis annui census, si non reservarent sibi jus repetendi pecuniam suam pro arbitratu*. Et de his pariter loquitur Pasqualigus quæst. 205. num. 5.

Et sane Respublica, & Principes ratione alti dominii solent remunerari eos, qui aliquo pacto benemeriti sunt erga bonum publicum, ut Doctores, Milites, &c. eximendo illos a collectis, & communibus oneribus; cum autem deponentes pecuniam in montibus pietatis in subsidium indigentium vere sint, & a Paulo III. appellentur de publico bono benemeriti, rationabiliter poterit Princeps præmium constituere, ita ut pro singulis centenariis quatuor, vel quinque percipiant, non tanquam lucrum ex mutuo, sed tanquam remunerationem propter beneficium, quod conferunt communitati, deponendo in his montibus pecuniam suam.

VI. Putat etiam Pasqualig. decis. 183., quod sicut potest Pontifex, data sufficienti causa, dispensare in juramentis, ac votis, interpretando legem naturalem, & Divinam de iis observandis; ita legem naturalem, & Divinam de abstinendo ab usuris possit pariter interpretari, & sic suo modo dispensare, data causa sufficiente, qualis est bonum publicum; ut proinde ex dispensatione Pontificis licitum sit deponentibus pecuniam in montibus pietatis mixtis auctarium reportare propter ingens publicum bonum, quod ex his montibus provenit. Præsertim quia lucrum ex mutuo, quod prohibetur ut injustum, & venit nomine usuræ, est mutuum, quod cedit in gravamen mutuatarii, & est illi onerosum. Quare si tale lucrum cedat in utilitatem communitatis, immerito dicitur onerosum, ac prohibitum, eo quod bonum publicum præstantius sit bono privato, & libenter quilibet amplecti debet malum leve proprium, si aliter haberi nequit bonum ingens publicum; sicut libenter quis patitur sectionem brachii ad vitam conservandam. Hæc tamen Pasqualigi sententia, & ratiocinatio, quamvis rite explicata errorem non sapiat, cum non permittat rigorosam dispensationem in lege naturali usuram vetante tanquam injustam; non videtur tamen amplectenda; quia Alexander III. in cap. *Super eo de Usuris*, dicit, *Super crimine usuræ dispensationem aliquam posse fieri non videmus*; nec est opus tali dispentatione ad defendendam praxim montium mixtorum, & ad purgandam usuram relate ad illos, qui lucrum reportant ex pecunia otiosa in illis deposita; Cum universalis praxis ista defendi possit juxta traditam doctrinam D. Antonini, & aliorum apud Pellizzarium laudatum, quod scilicet supremus Princeps, sive Ecclesiasticus ille sit, sive sæcularis, seu etiam communitas, & Respublica ratione alti dominii, quod habet disponendi de bonis singulorum in bonum communitatis, liberaliter donet auctarium deponentibus pecuniam in montibus mixtis solvendum a mutuatariis, idque in præmium, ut eos alliciat ad pecuniam ibi deponen-

nendam, & sic indigentes mutuo illam facili negotio reperire possint, vitando auctarium majus, quod aliter usurariis solvere tenerentur; aut vitando malum deterius, quod indigentes pecunia sæpe subeunt, videlicet vendendo ultronee res suas pretio vilissimo, quo solent vendi merces ultroneæ. Quod autem tale dominium altum competat supremo Principi, patet ex lege Præscriptionis, qua dominium transfertur a propriis dominis in illos, qui tempore præscripto eas possident bona fide, & ex aliis legibus apud Molin. disp. 149., necnon ex consensu Doctorum apud Pasqualigum disp. 206.

VII. Denique discutit Pasqual. qu. 205. Num auctarium, quod reportant deponentes pecuniam in montibus pietatis, justificari possit etiam titulo census personalis; Et inclinat ad affirmandum, quatenus, si alius titulus deesset, hic esset sufficiens ad dicendum quod Pontifex approbando hos montes, censeatur permittere hunc censum personalem utrinque redimibilem jure tantum Ecclesiastico, ubi Bulla Piana recepta est, & non jure naturæ vetitum. Cum enim mutuatarii soleant ex propria industria vivere, possunt vendere fructus propriæ industriæ deponentibus pecuniam in hisce montibus, & sic cum illis contractum census personalis utrinque redimibilis celebrare. Quia tamen hic contractus, sub quo usura facile palliatur, a Pio V. prohibetur, nec datur causa ad asserendum, quod Pontifex in hac sua lege dispenset, posito quod aliter possit modo jam exposito usura relate ad deponentes pecuniam ab his montibus declinari; ideo ad difficiliora pergamus.

ARTICULUS II.

Utrum usurarie in Montibus Pietatis Auctarium aliquod exigatur pro eorumdem augmento?

I. *Ab Auctoribus gravissima isthæc quæstio communiter prætermittitur; At si id liceat, valde utile, ac pium est, montes Pietatis ubilibet erigere, aut augere.*

II. *Primo aspectu videtur id adversari definitioni Concilii Lateranensis, & ipsi justitiæ, adeo ut non possit Auctarium istud ab usura purgari.*

III. *Contractus in speciem usurarius non est damnandus, nisi dilucide constet de usura, quoties passim a viris piis, & doctis exercetur.*

IV. *Olim Archiepiscopus Sipontinus ad normam aliorum hujusmodi montes frumentarios erexit summa cum laude.*

V. *Eminentissimus Ursinus Archiepiscopus Beneventanus hactenus octo supra sexaginta montes frumentarios similiter erexit, qui a Pontifice regnante in Brevi dato commendantur.*

VI. *Ab usura sunt immunes, non secus ac montes mixti, in quibus Auctarium exigitur ad solvendum aliquid deponentibus ibi pecuniam suam.*

VII. *Auctarium, quod sit octava pars modii, non est onerosum, sed rationabiliter pergratum mutuatariis.*

VIII. *Potest sic etiam Auctarium accipi pro constructione domus Monti utilis; necnon pro erectione montis a fundamentis.*

IX. *Pariter excusari potest ab usura tale Auctarium titulo lucri cessantis ex negotiatione prætermissa, aut titulo census personalis, vel titulo obligationis ad mutuandum, aut demum ratione conventionis inter cives initæ; prout in montibus Sodalitiorum.*

X. *Concilium Lateranense non damnat hoc Auctarium, quippe quod non affert monti lucrum titulo mutui; sed ex aliis titulis mutuo extrinsecis.*

I. Difficultas hac in re, quæ magnum facessit negotium, est, num sicut potest in montibus Pietatis mixtis exigi a mutuatariis auctarium, quantum præcise necesse est ad Montis indemnitatem, & conservationem, ita pariter possit auctarium majus per aliquod tempus exigi, quod deserviat ad augendum, seu erigendum montem usque ad certum terminum, ita ut possit omnibus indigentibus illius communitatis pecunia, seu frumentum mutuari, quin cogantur ad usurarios majus auctarium exigentes confugere: quando vero mons ad tale incrementum pervenit, tunc auctarium debeat minui, adeo ut solum deserviat ad montis conservationem, & non amplius ad montis augmentum?

Hujusce gravissimæ difficultatis ab Auctoribus communiter prætermissæ, operæ pretium videtur momenta rationum pro utraque parte pensitare; cum possit hujus quæstionis decisio esse valde utilis tum pauperibus, tum etiam ipsis communitatibus. Pauperibus quidem valde utile est montes hujusmodi habere paratos in Patria sua, ne cogantur ad usurarios adire cum maximo impendio. Communitatibus etiam id erit valde utile; tum quia civium pecunia remanet in Patria; tum etiam quia cives divites habent modum facilem lucrandi, emendo census in his montibus fundatos. Præterquamquod sic a Patriæ finibus exulat usuræ crimen, Deo, & hominibus maxime detestabile. Propterea si minus possent montes Pietatis pecuniarii ubilibet erigi; saltem in quolibet Oppido mons Pietatis frumentarius ad levamen pauperum ab ipsa communitate erigendus esset, (Episcopo assentiente, ac illum dirigente, utpote sibi subjectum, cui pauperum cura a Christo Domino demandata est) si juxta hunc facilem modum citra usuram, ac licite erigi posset, & augeri.

II. Verum prima fronte videtur usurarie a monte accipi auctarium, quod deserviat ad illius incrementum, quamvis hoc ordinetur ultimate ad pauperum subsidium, & libenter a mutuatariis solvatur. Ratio videtur esse, tum auctoritas Concilii Lateranensis laudati, ubi declaratur immune ab usura moderatum auctarium, quod a Pietatis montibus recipitur *pro expensis necessariis duntaxat absque eorundem montium lucro*; tum etiam a priori, quia auctarium, quod reciperetur pro montium incremento, esset lucrum immediate proveniens ex mutuo, atque adeo verissima usura. Ex hoc autem quod libenter a mutuatariis illud solvatur, ne cogantur majus auctarium usurariis persolvere, nullatenus arguitur, illud non esse usurarium relate ad ipsum montem, qui tale lucrum reportaret, siquidem ex nullo titulo tale auctarium justificaretur. Sic libentissime mutuatarius persolvit Petro diviti servanti pecuniam otiosam duo pro centum, ne cogatur adire mercatorem, cui persolvat quinque pro centum ultra sortem titulo lucri cessantis tali mercatori; & tamen nemo dixerit, non usurarie a Petro accipi duo illa pro centum, quippe quæ nullo titulo justificarentur.

Neque

Neque dici poteſt, licitum eſſe Monti auctarium iſtud pro ſui incremento accipere, ut poſſit pauperibus ſubvenire, atque adeo illud accipere titulo eleemoſynæ, quæ a mutuatariis ſponte conferatur. Nam qua ratione eſt illicitum furari ad ſtipem pauperibus erogandam, eadem ratione illicitum eſt ad hunc finem fœnerari. Unde in cap. *Super eo de Uſuris* definitur, *Pro opere pio Uſuras non eſſe permittendas*. Præterquamquod quiſnam dixerit, pauperes mutuatarios velle ſponte titulo eleemoſynæ Monti Pietatis auctarium elargiri deſerviens ad Montis augmentum, ut hic poſſit aliis pauperibus indigentibus mutuo ſubvenire? Si auctoritate Principis, aut etiam Epiſcopi, Univerſitate annuente, (ad quem ſcilicet ex proprio munere ſpectat ſubvenire pauperibus, eoſque a graviſſimo uſurarum onere quoad ejus fieri poteſt eripere) Mons Pietatis hac via eſſet erigendus, ut quilibet ex mutuatariis aliquid moderatum conferret ad Montem erigendum, aut augendum, credi poteſt, quod mutuatarii non eſſent rationabiliter inviti, quia ex tali Montis erectione, & incremento & ſibi in poſterum, & ſuis poſteris, & aliis pauperibus, ac civibus magnum inde emolumentum reportandum eſſet; At ſecluſa hac mutuatariorum conventione, & publica auctoritate, nemo ex indigentibus vult ſponte quicquam erogare in aliorum modiciſſimam utilitatem.

III. His de cauſis auctarium deſerviens ad Montis erectionem, & augmentum primo aſpectu injuſtum videtur eſſe, & uſurarium. Nihilominus recurrit hic doctrina, articulo præcedenti ex Sà, Navar., & aliis tradita, quod contractus, qui in ſpeciem apparet uſurarius, niſi de tali uſura conſtet, non ſit damnandus, quoties a viris piis, ac doctis palam, Prælatis ipſis, & ipſo Pontifice conſciis, exercetur. Fertur autem hujuſmodi auctarium ad Montis erectionem collatum palam multis in urbibus, præſertim Dominii Eccleſiaſtici, palam exerceri, Pontifice non ignaro, ac Prælatis ipſis piis, ac doctis non ſolum conſciis, & annuentibus, ſed ad id etiam laudabiliter cooperantibus. Quare niſi aperte conſtet eſſe uſurarium, (quod procul dubio non conſtat, quinimo eſſe innocens, & commendabile mox oſtendemus) non eſt damnandum; ſed perveſtigandus eſt a Doctoribus titulus, ratione cujus immune ſit ab uſura.

IV. Ad normam Montium iſtorum, in quibus auctarium a mutuatariis datur ad illorum conſervationem ſimul, & augmentum, fatebatur Archiepiſcopus Sipontinus Cappelletti ſacrorum Canonum peritiſſimus, ſe erexiſſe olim anno *1661.* in Monte Gargano S. Angeli montem frumentarium, in quo mutuum triticum accipientes tenebantur pro ſingulis modiis octavam modii partem ſupererogare ad ejus conſervationem, & incrementum.

V. Quod ſi nuſquam ea praxis fuiſſet, & nemini in mentem hactenus veniſſet de tali auctario, inſtar millium ſit praxis Archidiœceſis Beneventanæ, juxta leges ſapientiſſime latas jam inde ab anno *1694.* ab ejus Eminentiſſimo Archiepiſcopo Urſino (cujus nomen pro Panegyri eſt). Hic eximia pietate, ac doctrina in primis ornatus, præter alia innumera beneficia Eccleſiæ ſuæ Sponſæ collata, impendio ſupra ſexcenties & quinquagies mille aureorum, re bene perpenſa, & non paucis Theologis in conſilium convocatis, tam in ipſa Beneventi Urbe, quam in ejus Oppidis, ſumma cum laude, ac gratiarum actione hactenus centum ac ſexaginta octo Montes pietatis frumentarios erexit, inſtar illius, quem Archiepiſcopus Cappelletti in Monte S. Angeli olim erexerat; videlicet, ita ut ad illos conſervandos, & augendos uſque ad certum terminum pro ſingulis uniuſcujuſque loci indigentibus opportunum, octava pars modii pro auctario ſuperadderetur; ita tamen, ut quando Montes ad ſufficientem cumulum frumenti pervenerint, auctarium decreſcere debeat, ut ſolum ad Montium conſervationem, & indemnitatem deſerviat, & non amplius ad eorumdem incrementum. Quis autem damnare auſus fuerit praxim, quam tantus vir cum plurium Theologorum ſuffragio per tot annos palam, nemine contradicente, exercuit? Quinimmo ab ipſo Regnante Pontifice Clemente XI. in Brevi ad eundem Archiepiſcopum directo ſub die 14. Octobris 1718. maxime commendatur ejuſdem pietas in his Montibus erigendis ad ſubſidium egenorum; Et ipſa Montium erectio auctoritate Apoſtolica confirmatur, & approbatur. Veſtigiis pariter hujus Purpurati Præſulis inhærentes idipſum præſtitere Archiepiſcopi in diœceſi Sipontina ejus ſucceſſores; quos inter Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Jo: Lerma omnigena literatura, ac virtute affatim cumulatus.

VI. Quia tamen praxis iſthæc non ſola extrinſeca auctoritate propugnanda eſt; ideo multifariam oſtendo, auctarium moderatum pro augendis Montibus pietatis citra uſuram licite, & laudabiliter poſſe exigi. Et primo quidem a pari ſic. Poteſt in Montibus Pietatis mixtis exigi a mutuatariis auctarium, quod deſerviat non ſolum pro expenſis neceſſariis, ſed etiam ut ſolvantur quinque pro centum iis, qui in iis montibus pecuniam deponunt, ut ea poſſit mutuo dari indigentibus; ergo a fortiori poteſt exigi ab iiſdem mutuatariis auctarium, quod deſerviat non ſolum pro expenſis neceſſariis, ſed etiam aliquid moderatum, puta quinque pro centum, ad montem augendum uſque ad cumulum opportunum, qui ſatis ſit ad ſublevandam indigentiam pauperum loci. Antecedens conſtat ex jam dictis, & præſertim ex Bulla laudata Pauli III. Conſequentia ſequitur; nam ſi poſſunt quinque pro centum a mutuatariis exigi, ut ſolvantur in præmium deponentibus in Monte pecuniam, (qui plerumque ſunt divites) quia id expedit in bonum publicum, ne cogantur indigentes adire uſurarios cum multo majori impendio; a fortiori poterunt quinque pro centum exigi a mutuatariis, ut Pietatis mons (qui pauperum cœtum repræſentat) augeatur; Siquidem id etiam ad ſimile bonum publicum ſpectat. Præſertim, quia quinque illa, quæ danda ſunt deponentibus pecuniam, quamvis ſint divites, exigentur a mutuatariis in perpetuum; quinque vero, quæ deſerviunt ad augendum montem, atque adeo in bonum ipſorum pauperum, exigentur a mutuatariis per aliquod duntaxat tempus, videlicet, quouſque mons ſurgat ad cumulum opportunum. Quare ſicut in primo caſu illud auctarium non dicitur eſſe uſurarium, quia non exigitur a mutuatariis titulo mutui accepti, ſed ab iis exigitur, ut poſſit Princeps, ſeu Reſpublica, aut Epiſcopus ipſe de Univerſitatis conſenſu remunerari deponentes ſuam pecuniam in Montibus propter bonum publicum pauperum; & idcirco iſti pecuniam deponentes ſunt immunes ab uſura, quia auctarium illud recipiunt titulo liberalis donationis ſibi factæ, non ab ipſis mutuatariis, ſed a Principe propter bonum Communitatis: ita in ſe-

in fecundo cafu auctarium neque eft ufurarium, quia non exigitur a mutuatariis titulo mutui accepti, fed ab iis exigitur, ut poffit Princeps, feu Refpublica, necnon Epifcopus cum Univerfitatis magiftratu Montem augere in bonum ipfius Communitatis; Unde mons eft immunis ab ufura, quia auctarium illud accipit titulo donationis liberalis fibi factæ, non ab ipfis mutuatariis, fed à Principe propter bonum Communitatis. Poteft fiquidem Princeps, ut fupra oftendimus, ob altum dominium de bonis civium difponere, quando valde id expedit ad bonum Communitatis.

VII. Neque opponas, id verum habere, quoties auctarium effet moderatum, & non valde onerofum, quale videtur effe auctarium Montis frumentarii in Archidiœcefibus Beneventana, ac Sipontina, quod eft octava pars modii, atque adeo duodecim cum dimidio pro centum.

Sed auctarium hoc, quod primo afpectu eft ingens, & onerofum, revera eft valde moderatum, & egenis non ingratum. Id liquet, fi advertatur, quod præmifimus articulo fuperiore, videlicet, ad confervationem montis frumentarii plus requiri, quam ad confervationem montis pecuniarii, eo quod frumentum facile corrumpatur, cautius cuftodiendum fit, ne pereat; & pretium frumenti in damnum montis fere femper decrefcat, cum minoris foleat valere frumentum menfe Julio, quando reftituitur, quam aliis deinde menfibus, quibus poteft mutuo accipi; ut proinde ad confervationem montis pecuniarii foleant fufficere duo, vel tria, aut etiam quatuor, ex Clericato loco laudato; vel demum fex, juxta nonnullorum Montium praxim, præfertim Neapoli: Juxta praxim vero Montium Patavinorum ex eodem Clericato in Decifionibus Mifcellaneis decif. 41. n. 7. exiguntur quinque pro centenario. Ad confervationem tamen montis frumentarii requiruntur v. gr. feptem, vel octo, aut amplius. Hinc pro augmento montis frumentarii quinque duntaxat circiter pro centum remanent ex auctario, quod fit octava pars modii. Præterea quod octava pars modii non fit auctarium immoderatum, & egenis ingratum, ex eo etiam conftat, non folum quia illud folvitur in bonum publicum, atque adeo etiam in bonum proprium, & pofterorum; fed etiam quia fi egeni recurrerent ad perfonas privatas pro mutuatione tritici, iftæ pro lucro ceffante folent exigere, quod modii reftituantur menfe Julio in menfura fupereffluente, quæ vulgo dicitur, *con la colmatura*, quæ folet effe fexta, vel feptima pars modii, atque adeo exigunt fexdecim cum dimidio, aut faltem fupra quatuordecim pro centum. Quomodo autem poteft effe egenis ingratum, quod potius folvant duodecim cum dimidio pro centum in bonum publicum, quam fexdecim cum dimidio, aut quatuordecim pro centum in bonum privatum mutuantis?

Adde, quod, ut notat Leff. in Append. ad dub. 23. c. 20. lib. 2. in Belgio etiam quindecim pro centum libentiffime folvuntur Montibus pecuniariis a pietate Principum erectis, ne cogantur egeni ufurariis folvere trigintaquinque pro centum; Et quindecim illi aurei deferviunt tum ad Montis confervationem, tum ad folvendum intereffe deponentibus ibi pecuniam, quod cedit in bonum privatum illorum: ergo a fortiori pergratum egenis erit folvere Monti frumentario octavam modii partem, ex qua nonnihil deferviat ad augmentum Montis in bonum publicum. Pariterque Croix lib. 3. num. 879. advertit, licite in nonnullis Montibus pecuniariis legitime erectis exigi ad quindecim pro centum, tefte Steph. tom. 4. dub. 9. num. 124. Nihil itaque caufæ eft, cur ingratum, & onerofum dicatur auctarium octavæ partis modii in Montibus frumentariis, in quibus plurimum ad eorum confervationem contribuendum eft.

VIII. Oftenditur fecundo, poffe licite ab hifce Montibus exigi auctarium, quod non folum deferviat ad confervationem, fed etiam ad augmentum Montis ufque ad certum terminum. Etenim licitum eft (ut oftendit Leff. loc. laud., & praxis confirmat) auctarium a mutuatariis exigere, cujus pars aliqua deferviat ad conftructionem domus fixæ pro miniftris, & pro confervandis pignoribus utilis; ita ut poft conftructionem talis domus debeat auctarium decrefcere, ut poftmodum folum deferviat ad Montis confervationem; ergo pariter in cafu noftro poterit auctarium per aliquod tempus exigi, cujus pars aliqua deferviat ad montis augmentum. Probatur confequentia, quia in utroque cafu modica ifta auctarii pars ad bonum publicum ordinatur, & ideo fponte, & non coacte folvitur. Neque dicas domum illam effe neceffariam ad montis confervationem; augmentum vero Montis non effe ad id neceffarium. Nam ad confervationem Montis non eft neceffaria domus, quæ fit Montis propria, fed fufficit, quod aliqua domus parvo pretio locetur, unde mutuatarii parum potius pro tali locatione vellent folvere hic, & nunc, quam multum pro domus fixæ erectione; quia tamen ad bonum publicum fpectat, quod pro monte erigatur potius ftabiliter domus aliqua, quam locetur fingulis annis, ideo non invite mutuatarii ad hanc domus conftructionem per aliquod tempus concurrunt, quoufque domus extructa fit.

Quare fimiliter dicendum, quod libenter a mutuatariis per aliquod tempus nonnihil folvatur pro Montis augmento ufque ad terminum opportunum; Et ficut citra ufuram a monte accipitur auctarium pro domus conftructione, ita etiam pro Montis augmento: Præfertim, quia magis ad bonum publicum confert Montis augmentum, quam erectio domus, quæ fit montis propria, & non locata.

Oftenditur idipfum tertio, promovendo ratiocinationem Leffii in cafu fimili. Cum Sereniffimus Albertus Auftriacus Belgii Princeps videret pauperes ab ufurariis opprimi, exigendo pro mutuo etiam triginta quinque in centum, adhibito confilio cum Archiepifcopis, & fex Epifcopis Belgii ftatuit, Montem pietatis mixtum e fundamentis erigere hoc pacto: A plurimis divitibus plurima aureorum millia habuit, promittendo illis congruum intereffe; illam vero pecuniam exhibebat mutuam egenis, qui tenerentur quindecim pro centum folvere ad montem fervandum indemnem, & ad folvendum intereffe promiffum illis divitibus. Confilium hoc pauperibus in primis utile, & gratum, quamvis a tot Epifcopis approbatum, ab ufurariis fuas ufuras amittentibus, & ab indoctis damnabatur; tum quia fine facultate Pontificis erectum fuerat, tum etiam quia ufuras foveret; lucrum quippe in tali Monte reportatur ex mutuo; quod tum jure naturæ, tum etiam a Leone X. in Concilio Lateranenfi vetabatur. Ad fedandum tale murmur Patri Leffio doctrina fimul, ac pietate affatim prædito injunctum fuit, ut hac de re fcri-

ſcriberet. Hic multis in Appendice laudata de Monte pietatis oſtendit, ad erectionem horum Montium non requiri facultatem Pontificis, ſed ſatis eſſe, quod auctoritate publica erigerentur cum conſenſu Epiſcopi, ad quem ſpectat cura pauperum, atque adeo Montium pietatis ad pauperes pertinentium: Oſtenditque pariter, citra uſuram potuiſſe decerni, quod mutuatarii egeni quindecim, (aut quod a peritis exiſtimatur ſufficiens ac neceſſarium) pro centum ſolverent, tum pro expenſis Montis, tum etiam, ut divitibus illis pro intereſſe debito fieret ſatis. Hæc autem fuit Leſſii efficax ratiocinatio: In montibus pietatis mixtis jam erectis nulla intervenit uſura, ſi mutuatarii cogantur ſolvere auctarium, quod deſerviat tum ad expenſas Montis, tum etiam ad ſolvendum quinque pro centum deponentibus ibi ſuam pecuniam, quæ mutua detur indigentibus: ergo pariter neque ulla intervenit uſura, ſi Mons de novo erigatur cum ea lege, ut mutuatarii ſolvant auctarium tum pro expenſis Montis, tum ad ſolvendum intereſſe promiſſum divitibus, ut pecuniam exhibeant ad Montis erectionem. Antecedens conſtat ex ſupradictis. Conſequentia ſequitur dilucide. Hanc autem ratiocinationem equidem ad caſum noſtrum extendi facile poſſe exiſtimo, addendo hanc aliam illationem: Ergo neque ulla uſura intervenit, ſi auctarium a mutuatariis exigatur tum ad montis expenſas, tum ad moderatum Montis augmentum, quouſque ſufficiat ad proſpiciendum indigentiæ omnium pauperum loci. Si enim propter bonum communitatis decerni poteſt a publica Poteſtate, quod mutuatarii aliquid ſolvant pro Montis erectione divitibus pecuniam exhibentibus ad Montem fundandum; multo magis propter bonum univerſitatis decerni poteſt a Poteſtate publica, quod mutuatarii aliquid ſolvant pro Montis augmento. Dixi multo magis; tum quia hoc ſolvitur in beneficium ipſius Montis, atque adeo pauperum; illud vero, quod ſolvitur pro Montis erectione, ſolvitur in beneficium divitum; tum etiam, quia quod ſolvitur pro Montis augmento, ſolvitur ad tempus, quouſque perveniat ad terminum opportunum; quod vero ſolvitur pro Montis erectione divitibus ſolvitur in perpetuum. Hæc autem auctaria a Leone X. non vetari, utpote non uſuraria, infra explicabimus cum eodem Leſſio.

IX. Oſtenditur quarto eadem concluſio, quia auctarium iſtud moderatum pro augmento Montis frumentarii poteſt Mons a mutuatariis exigere titulo lucri ceſſantis. Etenim cum poſſit Epiſcopus ipſe (ut opinatur Genuenſis in Manuali Paſtorum cap. 53.) ad opem egenis ferendam negotiationi operam dare ubi oportuerit; a fortiori Univerſitas de conſenſu Epiſcopi poſſet ſummam erectioni Montis deſtinatam velle negotiari, ubi neceſſitas urgeat ad opitulandum egenis, vendendo ſcilicet caro pretio frumentum, (prout ſolet contingere) menſe Majo, & emendo novum pretio mitiori menſe Julio, & ſic negotiationem iſtam protrahere quouſque perveniatur ad congruam Montis altitudinem: Dum autem negotiatio iſta negligitur, ut detur ex nunc mutuum in ſubſidium indigentium, poterit ab his titulo lucri ceſſantis exigi ultra ſortem octava pars modii; cum pro certo habeatur, amplius lucrum ab ea negotiatione poſſe reportari. Et ideo communiter perſonis privatis mutuantibus triticum reſtituitur illud in menſura ſupereffluente, ſeu *con la colmatura*, ideſt cum ſexta, vel ſaltem ſeptima parte modii pro auctario titulo lucri ceſſantis.

Ut id oculis ſubjiciatur, fingamus, triticum menſe Maji valere novem carolenis, & menſe Julii ſolum octo; qui vellet negotiari pro pretio, quo venderet modium menſe Maji, emeret deinde menſe Julii modium cum octava parte, ut patet; quod ſi magis diſtarent inter ſe hæc pretia veteris, & novi tritici, ut ſolet accidere, majus lucrum reportaretur. Quare qui in gratia mutuatariorum abſtinet ab hac licita negotiatione, poterit titulo lucri ceſſantis pro auctario reportare octavam modii partem; & ideo mons frumentarius citra uſuram poteſt ex hoc titulo auctarium hoc a mutuatariis exigere.

Oſtenditur quinto, quia auctarium pro montis frumentarii augmento poſſet itidem a mutuatariis exigi ratione cenſus perſonalis, qui ex natura ſua non eſt injuſtus, & poſſet a monte conſtitui in perſona mutuatariorum, qui ſolent ex propria induſtria multum lucrari; prout diximus in calce articuli præcedentis ex Paſqual. quæſt. 205., ita ut ſi alius titulus deeſſet ad uſuram purgandam, hic ſufficeret, & in illum cenſeretur implicite Pontifex conſentire, permittendo leges iſtorum Montium, & multo magis eorum erectionem approbando, ac ſupplendo quicquid iis forte deſit, ut habetur in Brevi laudato Regnantis Pontificis. Diximus quidem loco laudato non eſſe præſumendum, quod Pontifex in lege vetante cenſum perſonalem utrinque redimibilem diſpenſet, poſito quod alia via poſſint ab uſura purgari Montes mixti relate ad deponentes ibi pecuniam ſuam, & Auctarium reportantes; At ſi alia via in caſu noſtro uſura purgari non poſſet relate ad Montem, qui Auctarium reportat, dicimus, quod Pontifex approbando Montes iſtos cenſetur in ea lege diſpenſare.

Oſtenditur ſexto, quia pro obligatione mutuandi poteſt aliquid accipi, non ſecus ac pro obligatione fidejubendi; atqui Mons Pietatis ſuam pecuniam, aut frumentum conſervat cum obligatione mutuandi indigentibus; ergo poteſt pro tali obligatione auctarium aliquod a mutuatariis accipere citra uſuram. Antecedens conſtat ex dictis quæſt. 2. art. 2., ubi oſtendimus, uſurarie a mutuante exigi, quod mutuatarius obliget ſe ad remutuandum in poſterum, quia talis obligatio eſt pretio æſtimabilis: ergo poteſt mutuator ad id ſe obligans aliquid accipere pro tali obligatione citra uſuram, prout explicavimus articulo ultimo præcedentis quæſtionis.

Oſtenditur ſeptimo, quia poſſet illud auctarium exigi ex conventione civium ad id ſe mutuo obligantium: Sicut enim in Confraternitatibus, & Sodalitiis de mutuo conſenſu ſodalium paſſim montes eriguntur ex menſtrua illorum contributione, ut poſſit aliquid pro ſodalibus infirmis, pro defunctis, pro feſtivitatibus, &c. erogari; quare non poterunt ſimiliter cives convenire, ut mons expenſis mutuatariorum erigatur, ex quo deinde dari poſſit mutua pecunia, vel triticum gratis ipſis civibus indigentibus, & non aliis? Et ſicut montes ſodalitiorum Ordinariis loci ſubjiciuntur, cum ſint bona pauperum, poſt donationem iis factam a ſodalibus; ita Montes Pietatis Ordinariis loci pariter ſubjiciuntur natura ſua. Aliis etiam viis poſſet hoc auctarium ab uſura purgari; ſatis tamen ſint iſtæ hactenus expoſitæ, præſertim prima, videlicet ratione liberalis donationis factæ ipſi Monti a Poteſtate publica in bonum communitatis. Hujus quippe doctrinæ fundamentum

 ſoli-

solidum videtur, & sua auctoritate communitum: Præsertim quia juxta hanc viam auctarium, quod in monte frumentario sit octava pars modii, non potest dici excessivum; tum quia est minus eo, quod personæ privatæ exigunt ratione lucri cessantis; tum etiam, quia exigitur ad tempus, videlicet quousque mons ad terminum congruum exurgat. Utrum autem juxta alias vias tale auctarium dici possit excessivum, utpote in perpetuum ita solvendum, hoc discutiendum esset a Theologis simul cum peritis negotiatoribus: Judicium quippe Theologorum in his materiis est conditionatum, (si scilicet tale lucrum a tali negotiatione, & contractu, demptis periculis, & expensis, reportari soleat) quod ut evadat absolutum, requiritur judicium negotiatorum, a quo conditio purificetur.

X. Ad id, quod opponitur ex Concilio Lateranensi approbante Montes Pietatis cum auctario pro expensis dumtaxat Montis, absque ullo illius lucro, respondetur primo, quod Pontifex solum approbat hujusmodi Montes simplices, de quibus tunc temporis erat controversia, & præscindit ab aliis Montibus mixtis postmodum erectis. Quare sicut per illa verba non reprobatur lucrum, quod a Montibus mixtis acquiritur ad solvendum quinque pro centum deponentibus ibi pecuniam, ut ostendimus, præsertim ex Bulla Pauli III. ita nec reprobatur lucrum, quod deserviat ad augmentum consentaneum Montis. Deinde transmisso, quod a Lateranensi reprobetur lucrum reportandum in Montibus Pietatis, illud solum lucrum reprobat, quod immediate provenit ex mutuo, & ideo est usurarium. At in casu nostro lucrum, quod Montes reportant, sive ad solvendum quinque pro centum deponentibus ibi pecuniam, sive ad incrementum ipsius Montis, non provenit immediate ex mutuo, sed provenit ex liberali donatione facta Monti a Principe, seu Republica ratione alti dominii, quod habet disponendi de bonis civium in bonum publicum, ut explicavimus, vel provenit ratione lucri cessantis ob omissam negotiationem licitam; vel ratione census personalis, aut obligationis ad mutuandum, vel ratione conventionis inter cives juxta modo explicata; ergo hujusmodi lucrum, seu auctarium a Lateranensi non prohibetur. Nequit enim dici usurarium, sed valde commendabile, cum sic egenorum indigentiis prospiciatur citra rationabile gravamen mutuatariorum.

Neque replices, auctarium istud ad Montem augendum, esto immune sit ab usura, speciem certe quandam malam usuræ præseferre, quæ aliis ansam præbet fœnerandi: ergo ab eo abstinendum, juxta præscriptum Apostoli 1. ad Thessal. 5. *Ab omni specie mala abstinete vos.*

Nam contra est, quia speciem malam usuræ solum præsefert, si ab indispositis, aut malignis oculis imperitorum, aut fœnerantium inspiciatur, qui hinc conantur suas usuras excusare; at si a sapientum, ac piorum oculis introspiciatur, solum commiserationem erga pauperes ostentat: Ad eum modum, quo unguentum, quo Magdalena unxit pedes Domini, solum pravis Judæ oculis speciem malam prodigalitatis præferebat, quia *fur erat*, ut dicitur Jo. 12. de se tamen nonnisi amorem erga Christum Dominum exhalabat. Non est itaque sub tali prætextu ab hisce Pietatis Montibus abstinendum, sed promovenda est quoad ejus fieri potest eorum erectio.

Hæc fusiore calamo præter morem prosequutus sum; tum quia gravissima isthæc quæstio ad praxim pernecessaria, ex cujus favorabili decisione ingens utilitas Universitatibus provenire potest, ab Auctoribus prætermittitur; tum etiam, ut Urbes omnes, necnon Oppida hisce ratiocinationibus, & exemplis ad curandam Montium istorum, præsertim frumentariorum, erectionem extimulentur; quippe qui facile erigi possunt, & summa cum laude, ac Universitatum ipsarum, nedum egenorum, ac etiam divitum emolumento, instar Beneventanorum, posthabito imperitorum, ac usurariorum latratu, qui passim Montibus hisce Pietatis incassum adversantur, & tanquam canes ad Lunam oblatrant. Faxit Deus, ut ubique Gentium Universitates omnes ad pientissimum hoc opus excitentur; Ubilibet enim est reperire locupletes, qui facile velint aliquot centena modiorum tritici ad hunc finem liberaliter erogare, ut indigentibus mutuari possint: Convenientibus deinde civibus, qui Magistratum repræsentant, ac sponte consentientibus statuere fas est, ut ad hujus Montis conservationem, & augmentum, auctarium, quod sit octava pars modii, a mutuatariis superaddatur, servatis legibus ab Ordinario loci firmandis, prout in Archidiœcesi Beneventana, quæ jure merito normam dare posset sub tanto Archiepiscopo.

Denique adverto, ad Episcopi, ac Magistratus vigilantiam spectare, quod duo hac in re scopuli declinentur: Alter est, ne diutius, quam oportet, Auctarium exigatur ad Montis augmentum: Alter vero, ne Montes Pietatis ad pauperes sublevandos instituti, & ex eorundem contributionibus aucti deserviant deinde ad locupletandos consanguineos, aut amicos Ministrorum. Quod facile eveniet, tum si tempore caritatis frumentum non detur mutuum egenis, sed locupletibus, qui illud vendant, aut usurarie pauperibus dent mutuum, ut lucrentur; tum etiam si pauperibus detur mutuum frumentum deterioris conditionis ab eo, quod est proprium Montis, & frumentum, quod est Montis purgatum, a Ministris vendatur, subrogando Monti frumentum deterius, quod detur mutuum egenis. Scelus hoc diligenter avertendum, & si evenerit (quod Deus avertat) acriter puniendum est.

ARTICULUS III.

Num in contractu Trium lateat usura?

I. *Explicatur contractus Societatis dictus Trium.*
II. *Licitus est, si pecunia a socio negotiationi revera exponatur, & pretium, spectatis omnibus, sit justum.*
III. *Non habetur in hoc contractu mutuum virtuale.*
IV. *Sixtus V. damnat contractum societatis, salvo capitali; at non quando hoc per alium contractum assecuratur.*
V. *Satis est, quod implicite tres contractus celebrentur, videlicet societatis, assecurationis capitalis, & partis lucri.*
VI. *Quandonam in praxi hoc contractu pallietur usura?*

I. Diximus quæstione superiore, citra usuram posse secundum se loco mutui celebrari tum contractum venditionis cum pacto retrovendendi, sicut etiam contractum emptionis census fal-

saltem realis redimibilis ex parte censuarii, & similes; sic enim ex pecunia de se sterili lucrum poterit reportari, servando leges illorum contractuum, ne usura pallietur. Examinandum nunc, an idem accidat, si loco mutui celebretur contractus societatis, dictus trium, qui est contractus complectens simul tres contractus, videlicet societatis, assecurationis sortis, & venditionis lucri incerti majoris pro lucro certo minori. Hic autem contractus trium sic procedit; Titius habens pecuniam otiosam dat mercatori, v. g. centum exponendos negotiationi, & cum eo init primo contractum societatis; deinde quia ex his centum negotiandis a mercatore sperat Titius pro sua parte viginti circiter quotannis, vendit eidem mercatori hos viginti aureos incertos pro duodecim certis, unde mercator teneatur quotannis solvere Titio duodecim, quantumcunque sit lucrum, quod a negotiatione reportatur. Demum, quia in negotiatione periculum est amittendi sortem, videlicet illos centum, Titius init cum mercatore tertium contractum, & ut assecuret capitale, remittit illi quatuor, vel quinque ex iis duodecim certis, quos debebat solvere; unde vi horum trium contractuum tenetur mercator dare Titio septem, vel octo quotannis, & restituere eidem capitale, quoties voluerit hos contractus rescindere. Quæritur nunc, an hic contractus trium ferat palliatam usuram?

II. Dico cum Less., Molin., Hurtad., Bonac., & aliis communius contra Sotum, Rodriq. Azor. apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 30. hujusmodi contractum esse licitum, & justum, dummodo vere negotiatio illa mercatoris apta sit fructificare, prout dictum est, & dummodo justo pretio pro ratione periculi vendatur lucrum incertum majus pro certo minori, ac justo pretio assecuretur capitale; aliter erit usura palliata. Ratio est, quia cum tres isti contractus possint juste, ac licite celebrari cum tribus personis diversis seorsim, non est ratio, cur non possint etiam simul omnes cum eodem celebrari, dummodo non cogatur mercator ad illos, ut pallietur usura.

III. Neque est verum, quod mercator, assecurando sortem, accipiat virtualiter mutuum, unde lucrum reportetur ex mutuo virtuali, quod certe esset usurarium. Nam si mercator reciperet mutuum assecurando sortem, eo ipso evaderet dominus illius, unde ex tali sorte posset v.g. emere prædium, aut aliter de illa disponere; quod tamen est falsum, quia tantum uti debet ad negotiandum, ne pallietur usura. Præterea si acciperet mutuum, sequeretur quod quando mercator fieret impotens ad solvendum aliis creditoribus, non posset Titius, qui tradidit centum, quamvis extarent, eos sibi extrahere ante omnes creditores; quod etiam est falsum, quia cum Titius sit illorum dominus, ipsi debentur, & ipsi pereunt, si pereant, quamvis mercator debeat eos resarcire vi assecurationis. Quod si mercator misceat centum aureos Titii cum pecunia sua, ita ut non possint discerni, uterque erit dominus totalis totius acervi, totalitate tamen dominii, non totalitate acervi, cum solum habeant jus adæquatum erga summam suam, unde utrique detrimentum erit commune.

IV. Neque dicas, Sistum V. in Bulla incipiente *Detestabilis avaritia* damnare contractum societatis, per quem periculum capitalis non remanet penes apponentem illud. Nam ut docent Bonac. & Reginal. contra Azor., & Rebel. damnatur a Pontifice illa societas, per quam periculum capitalis transfertur in accipientem illud, sistendo in mero contractu societatis, non vero si periculum sortis transferatur per alium contractum assecurationis; cum non intendat Pontifex damnare contractum jure naturæ licitum, ut constat ex decisione Rotæ apud Farinac. decis. 136. & 180.

V. Hic autem advertit Hurtad., non esse opus, quod hic contractus trium fiat explicite; satis enim est, quod fiat implicite, ut regulariter accidit, quando dantur mercatori, v. g. centum, ut solvat quotannis sex, vel septem, salvo capitali, intendendo id efficere eo modo, quo fieri potest, vel quia creditur id licite fieri posse; Inspicere tamen debet, qui sic pecuniam suam impendit, num revera mercator in negotiatione sufficienter lucrosa illam expendat, ne pallietur usura; Ex quo fit, eo plus posse exigi, quo negotiatio est lucrosior, & eo minus, quo est lucrosa minus.

VI. Præterea putat Rosignol. disp. *6.* §.8. ex Tolet., Sylv., Salas, Cajet., quod volens societatem inire cum altero debeat illi relinquere liberum, & non cogere ad contractum assecurationis, ne sit usura palliata. Equidem tamen censeo, plerumque in praxi ita esse: cæterum si revera ab altero pecunia exponatur lucrosæ negotiationi, si conferens pecuniam nolit societatem sine assecuratione celebrare, non videtur hic damnandus usuræ palliatæ, modo justum pretium in his contractibus servetur.

Ex dictis infertur cum Bonac. punct. 11., & Navar. contra Azor., licitum esse Titio testamento relinquere certam pecuniam cum onere, quod tradatur mercatori ad societatem, qui teneatur solvere quotannis quatuor, vel quinque sacerdoti alicui pro celebratione Missarum. (*a*)

(a) „ De contractu Trino nuperrime egit P. Zech. „ *decis.* 11. *in Encyclicam Benedicti XIV. cap.* 11. *Sect.* „ *VI.*, dignus qui legatur. Confer etiam Benedictum „ XIV. *de Synodo Diœcesana lib. X. cap. VII.*

ARTICULUS IV.

An ratione damni emergentis possit mutuator aliquid supra sortem exigere?

I. Potest auctarium exigere, ut reddat se indemnem.
II. Non potest mutuatarius cogi ad certam quantitatem ex hoc titulo solvendam, si se obliget ad compensandum quodcumque damnum emerserit.
III. Debet tamen tempore contractus in pactum saltem implicitum id deduci.
IV. Si res mutuata non restituatur tempore præfixo inculpabiliter, non datur obligatio compensandi damnum emergens; secus si culpabiliter.
V. Num debeat mutuatarius moneri a creditore de damno emergente, ut teneatur damnum compensare, si culpabiliter non restituit?
VI. Num debeat compensari etiam damnum voluntarium mutuantis?

I. PRæcipuus titulus purgans mutuum a labe usuræ, quando aliquid supra sortem exigitur,

gitur, eſt damnum emergens, ſub quo nomine venire non ſolet lucrum ceſſans, (quod eſt damnum veluti negativum afferens jacturam eorum, quæ ſperabas, non quæ habebas) nec non periculum amittendi ſortem. Seorſim tamen de ſingulis agemus; & primo de damno emergente ſtricte dicto, prout affert jacturam eorum quæ habebas, ut ſi occaſione mutui carius empturus ſis deinde alimenta, aut ſi domus exponeretur ruinæ, eo quod non reparetur, aut ſi cogaris res tuas vendere viliori pretio, quam valeant: Circa quod ſolus Scotus docuit in 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 3. non debere a mutuatario compenſari, quia mutuum gratis dandum eſt, & actus miſericordiæ non eſt vendendus.

Communiter tamen docent, compenſationem damni emergentis exigi poſſe a mutuatario, quia æquitas non poſtulat, quod mutuans ratione mutui damnum patiatur. Et præterea per hujuſmodi compenſationem nulla irrogatur mutuatario injuria, nec illi venditur mutuum, ſed mutui jactura; ergo pactum de compenſando damno emergente non eſt uſurarium.

II. Notandum tamen dupliciter poſſe hoc pactum fieri; primo quod mutuatarius teneatur ſolvere damnum, ſi forte emerſerit; ſecundo ſi ſtatuatur certa quantitas ſolvenda pro timore talis damni, etiamſi deinde aut nullum, aut majus damnum contingat; ſi mutuatarius velit primo modo pactum inire, non poterit citra uſuram cogi ad illud ſecundo modo ineundum, ut docet Leſſ. num. 76., quia obligaretur ad contractum, ad quem vi mutui non obligatur, cum vi mutui ſolum obligetur ad ſervandum indemnem mutuantem; quod abunde præſtat, ſi ſolvat damnum quodcumque contingat. Quando autem datur probabilis timor damni emergentis, tunc minus ſolvendum a mutuatario, quam ſi certo damnum mutuanti emergendum ſit ob mutuum, & eo minus ſolvendum, ſeu compenſandum, quo timor hic erit minor, unde minoris ſit æſtimandus.

III. Præterea communiſſime docent cum Leſſ., Filliuc., Salas contra Medin., Major., & Pitig. apud Dian. par. 1. tract. 8. reſol. 91., quod ut mutuatarius teneatur compenſare damnum emergens uſque ad tempus præfixum mutui, debeat id in pactum deduci tempore contractus; tum quia mutuatarius forte noluiſſet accipere mutuum cum tanto onere; tum etiam quia eo ipſo, quod mutuans non init pactum de damno emergente, cenſetur damnum aut non imminere, aut condonare. Sufficit tamen, ut Leſſ. notat n. 64. contra Salas dub. 18. paciſci de exceſſu ultra ſortem, quin explicetur illud eſſe propter damnum emergens, quia non debet præſumi, quod ex injuſto titulo ratione mutui talis exceſſus exigatur.

IV. Dubitatur tamen, an ſi tempore præfixo mutuatarius non reſtituat rem mutuatam, teneatur compenſare damnum poſt illud tempus emergens, etiamſi nullum pactum de illo præceſſerit? Ad quod cum diſtinctione reſpondendum: nam ſi abſque culpa non reſtituatur mutuum præfixo tempore, v. gr. ex impotentia, nulla datur obligatio compenſandi damnum emergens; quandoquidem neque ex re accepta, neque ex injuſta acceptione, neque ex vi contractus ad id tenetur; communiter quippe apud Pal. punct. 15. rejicitur opinio Molin. diſp. 315., & Sà docentium mutuatarium eo ipſo, quod accipit mutuum, implicite velle ſe obligare ad damnum emergens, etiamſi abſque ſua culpa ſtatuto tempore non reſtituat: Si vero culpabiliter mutuatarius non reſtituat, tenetur damnum compenſare, quia quoties præfigitur tempus ſolutionis, cenſetur tacite fieri pactum de compenſando damno emergente ex defectu ſolutionis, ex Leg. 2. §. *Non utique*. Ita Leſſ. Molin., & alii communiter apud Bonac.

V. Utrum autem mutuatarius culpabiliter non reſtituens præfixo tempore, ut teneatur compenſare damnum emergens, debeat antecedenter de eo a creditore moneri? Dubitant cum Doctoribus Azor. apud Dian. part. 1. tr. 8. reſol. 87., & Tambur. cap. 8. §. 3. & putant, monendum eſſe, ut teneatur compenſare, ſeu ut debitor ponatur in mora, quia forte, ſi de novo hoc onere moneatur, omnibus viis debitum extinguere ſataget, ne tale onus ſubeat. Communius tamen Doctores negant hujuſmodi monitionem requiri, quia dies definita interpellat pro creditore, ex cap. final. *de locato, & conducto*. Quod ſi nullus eſt præfixus terminus ſolutionis, non videtur mora mutuatarii, aut alterius debitoris eſſe graviter culpabilis, obligans ad compenſandum damnum emergens, niſi quando creditor ob timorem, vel impotentiam, vel oblivionem non petit ſolutionem; Etenim quando ſciens, & potens petere non petit, cenſetur dilationem concedere, ut notat Bonac. diſp. 1. quæſt. 8.

VI. Adde ex Azor., Molin. diſput. 315., & Reginald., mutuatarium, qui fuit in mora culpabili reſtituendi mutuum tempore præfixo, teneri quidem ad compenſandum damnum neceſſarium creditoris, non tamen ad voluntarium. Quare ſi creditor, v. gr. propter dilationem ſolutionis cogatur accipere pecuniam ad uſuras propter uſus ſibi neceſſarios, tale damnum compenſandum eſt; ſi vero pecuniam accipiat ad uſuras propter uſus vanos, & non utiles, v. gr. ad ludendum, tale damnum non eſt compenſandum, quia creditor cenſetur illud voluntarie pati; tenetur tamen damnum tam neceſſarium, quam voluntarium mutuatarius compenſare, (etiamſi nullum pactum de eo reſtituendo præceſſerit) ſi injuſte coegerit mutuantem ad mutuandum, utpote qui fuit cauſa injuſta talis damni, extorquendo mutuum: Etenim cauſa injuſta damni ad reſtitutionem tenetur, etiam ſecluſo pacto, ut notat Molin. loc. laudato.

ARTICULUS V.

An etiam pro lucro ceſſante poſſit aliquid ultra ſortem exigi?

I. Eodem prorſus modo compenſandum eſt mutuanti lucrum ceſſans, ac damnum emergens, videlicet ineundo ad id pactum ſaltem implicitum tempore contractus.

II. Lucrum, quod compenſandum eſt, debet ceſſare vi mutui, & ex ſolo contractu licito.

III. Tanti æſtimandum eſt lucrum ceſſans, quanti a mutuante alteri venderetur.

IV. Injuſte lucrum ceſſans exigeretur ſtatim ſolvendum.

V. Debet de tali lucro mutuatarius moneri, & taxari, vel relinqui taxandum a peritis.

VI. Sententia Judicis de ſolvendo intereſſe quandonam obliget in conſcientia?

VII.

VII. Qui subtrahit a negotiatione pecuniam, ut possit illam mutuare petituro, num possit lucrum cessans exigere?

VIII. Qui credito merces vendunt, non possunt aliquid plus exigere ratione lucri cessantis.

I. QUæ diximus de damno emergente, militant etiam pro lucro cessante, quod pariter deduci debet in pactum tempore contractus, ut compensetur. Ita communiter docent contra Sot., quia carentia lucri damnum aliquod æstimatur, quod pluris aliquando fit, quam alia damna emergentia minora. Non tenetur autem mutuans cum suo damno mutuare: ergo neque tenetur mutuare, quin possit a mutuatario exigere lucrum cessans. Sicuti enim, si petas ab operario, ut a labore desistat, & te ad recreationem comitetur, teneris illi lucrum cessans compensare; vel si quis vendat merces nunc in tui gratiam, quas decreverat vendere, quando pluris erant valituræ, ut colligitur ex cap. *Naviganti de usuris;* ita in casu nostro: Idque verum est, etiamsi mutuans offerat se ad mutuandum, ut communiter docent contra Corrad. apud Sà. Ex quo etiam fit, quod mutuatarius eodem modo teneatur compensare lucrum cessans, ac damnum emergens, quando est in mora culpabili solvendi præfixo tempore, juxta dicta articulo superiore.

II. Quatuor autem ad hoc conditiones requiruntur. Prima est, ut vere mutuatio sit causa, cur cesset lucrum in spe certa, vel probabili. Quare si quis mutuet mille, quos negotiationi destinaverat, non potest quicquam accipere ratione lucri cessantis, si habeat aliam pecuniam otiosam, quam possit commode negotiationi substituere, ut communiter docent contra Molin. disp. 316., quia non videtur ullum damnum pati ratione mutui. Et propter eandem rationem, lucrum, quod compensandum est, cessare debet vi mutui ex solo contractu licito. Quare si mutuanti cesset lucrum, quod ex contractu illicito acquireret, nisi mutuaret, puta ex usuris, aut cambiis fictis, & siccis, non potest compensationem talis lucri a mutuatario exigere.

III. Secunda conditio est, ut non exigatur tantum, quantum est lucrum cessans, sed solum quanti æstimatur spes lucri, spectatis circumstantiis, & detractis expensis. Imo detrahenda est æstimatio laborum, & molestiarum, quas mutuans subiisset negotiando, ut communiter censent contra Bagn., & Salas apud Bonac., qui docet detrahendum esse quantum mutuans libenter dedisset pro redemptione laboris, ac molestiarum in negotiando. Et juxta hanc doctrinam pro praxi confessariorum notat Dian. part. 1. tract. 8. resol. 64., spem lucri tanti æstimandam esse, quantum de lucro sperato remanet, dempto eo, quod alteri quis daret pro assecuratione: Ex. g. si mutuans centum speret, demptis expensis, ad summum duodecim, & libenter daret alteri quinque, ut assecuret septem, qui supersunt, & sortem, hic nonnisi septem poterit pro lucro cessante accipere; quod est idem, ac dicere, spem lucri cessantis tanti æstimandam esse, quanti a mutuante alteri venderetur, vel quanti ipse illam emeret ab alio.

IV. Tertia conditio est, ut lucrum non exigatur statim; quare qui ratione lucri cessantis exigit, v. gr. quinque pro centum, non potest solum dare mutuatario nonaginta quinque cum pacto, quod reddantur centum, sed dare debet centum cum pacto, quod reddantur centum, & quinque, vel si det nonaginta quinque, non potest exigere nisi nonaginta novem cum dimidio circiter, aliter non redderentur quinque pro centum, sed plus, ut patet.

V. Quarta demum, ut moneatur mutuatarius de lucro cessante, juxta dicta de damno emergente, & ut pretium lucri cessantis, aut spei de illo vel taxetur initio contractus, vel relinquatur taxandum postmodum arbitrio viri prudentis inspectis circumstantiis. Ubi notandum, quod si a principio conventum sit de compensando lucro cessante, illud debeatur, etiamsi inculpabiliter mutuatarius non restituerit mutuum: Si vero non sit conventum de illo, non tenetur mutuatarius illud compensare, nisi fuerit in mora culpabili, aut nisi sit debitor ex delicto, non vero si sit debitor ex contractu, aut si ex impotentia, aut alia de causa non restituerit mutuum præfixo tempore, ut docent communius contra Molin. apud Dian. part. 1. tr. 15. resol. 49.

VI. Ex quo sequitur, quod quando Judices præcipiunt debitoribus, ut aliquid solvant pro interesse ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, vel etiam in pœnam moræ, non teneantur in foro conscientiæ illud solvere, si non fuerint in mora culpabili; nulla enim debetur pœna, ubi non præcessit culpa: Neque tenentur, si a principio de interesse non sit conventum, quando revera nullum damnum emersit, aut lucrum cessavit, quia sententia illa Judicis in tali casu nititur falsæ præsumptioni, quod damnum emerserit; unde tenentur duntaxat vitare scandalum, si non obediant. Quod si ab initio conventum sit de interesse, non ratione damni, sed ratione periculi damni, aut spei lucri, quando revera tale periculum fuit, vel talis spes, debetur tunc in conscientia solvendum solum quanti æstimatur periculum illud, & spes, etiamsi mora non fuerit culpabilis, quia id debetur ratione justi contractus.

VII. Dubitatur, an possit ratione lucri cessantis aliquid ultra sortem exigere mutuator, qui subtrahit pecuniam negotiationi, ut illam in promptu habeat, si forte petatur mutua? Videtur enim, quod non possit, quia hic non subtrahit pecuniam negotiationi in gratiam alicujus determinati, qui mutuum petat. Sed communis sententia apud Lugo num. 91. tenet licere, quia etiam in tali casu mutuum est causa lucri cessantis, si minus in genere causæ efficientis, (cum petitio mutui non antecedat prioritate reali cessationem lucri) saltem in genere causæ finalis; ideo enim a negotiatione, & lucro cessas, ut possis postea mutuare; non enim minus debeo ei, qui me petente aliquid patitur, quam illi, qui mei gratia patitur: Quamvis in primo casu preces sint causa moralis tali damni; in secundo vero casu meum bonum sit tantum causa finalis ejusdem damni; quod pluribus idem Lugo confirmat.

Notat tamen subtiliter, quod maxime advertendum, hallucinari mercatores, qui putant posse credito vendere merces pluris, quam valeant pecunia numerata, idque ratione lucri cessantis, quia scilicet, si pecuniam numeratam reciperent pro mercibus, quas vendunt, cum illa lucrarentur. Nam abunde compensatur lucrum censans per hoc, quod ven-

vendentes credito pluribus vendant, & consequenter a pluribus lucrentur, quam si venderent pecunia numerata. Ita etiam Salas, & Molin. disp. 316. apud Dian. part. 1. tract. 8. resolut. 34.

ARTICULUS VI.

An possit aliquid accipi ultra sortem pro periculo proximo amittendi illam?

I. Videtur non licere; quia restituta duntaxat sorte, satisfit etiam pro periculo eam amittendi, quod imbibitur in mutuo. Aliter fur equo restituto deberet aliquid aliud pro tali periculo restituere.

II. Sed communis sententia id permittit, si in pactum deducatur, quia anxietas animi pro tali periculo est pretio æstimabilis.

III. Ad eam redimendam prudentis arbitrio creditor aliquid solveret.

IV. Est autem tale periculum a mutuo separabile.

V. Fur satisfacit equo tantum restituto, quia anxietas, quam fert tale periculum, non compensatur pecunia, nisi præcesserit pactum.

VI. Justum pretium talis periculi est, quod libenter alteri daretur ad illud redimendum.

I. NEgant graves Auctores cum Soto, Navar., Tolet., Reginald. lib. 25. num. 286. Rebel. part. 1. tract. 9. quæst. 12. & aliis apud Dian. loc. cit. resol. 37. Quod probant, tum quia in cap. *Naviganti de Usuris* definitur, usurarium esse, qui recipit aliquid ultra sortem ex eo, quod suscipiat in se periculum mutui, seu periculum amittendæ sortis: tum etiam quia mutuatarius integre satisfacit tum quoad periculum, tum quoad sortem, si solum sortem restituat; ergo ultra sortem nihil potest exigi pro periculo.

Neque dicas: Potest fidejussor, & assecurator aliquid accipere pro periculo assecurationis: ergo etiam mutuator pro periculo amittendi sortem. Nam dispar videtur esse ratio, quia assecuratio, & fidejussio sunt a mutuo separabilia, & pretio æstimabilia ratione civilis obligationis, quam suscipit fidejussor, & assecurator, unde potest aliquid pro iis accipi: Contra vero periculum, & metus mutuantis non est quid separabile a mutuo, atque adeo gratis cum ipso mutuo subeundum periculum est.

Confirmant primo, quia nequit citra usuram cogi mutuatarius ad certam summam pro damno emergente, quando ipse obligat se ad resarciendum quodcumque damnum emergat: ergo neque poterit cogi ad certam summam pro periculo, ne sors amittatur, quando mutuatarius obligat se ad sortem reddendam; ea enim reddita, reparatur totum malum ex periculo circa sortem.

Confirmant secundo, quia si periculum sortis amittendæ esset damnum diversum a sorte, & cui correspondere posset diversa satisfactio, sequeretur, quod furans equum v.g. deberet non solum equum restituere, & damnum sequutum ex illius carentia, sed etiam aliquid aliud pro periculo, quod dominus incurrit amittendi semper equum sine spe recuperationis. Certum enim est majus esse periculum, quod non recuperetur equus a fure, quam quod non recuperetur pecunia a mutuatario. Sequela tamen non admittitur: ergo nec id, unde sequitur.

II. Communius tamen, & probabilius Doctores docent cum Molin. disp. 318. Less. dub. 13. Bonac. Lug. num. 81. pro periculo, quod sit verum, & proximum periculum amittendi sortem, posse aliquid ultra sortem exigi, dummodo fiat de eo pactum, quando datur mutuum, & dummodo mutuatarius nolit aliter huic periculo prospicere, videlicet dando aut pignus, aut fidelem fidejussorem, &c. Ratio doctrinæ est, quia periculum proximum amittendi sortem, & anxietas animi, donec recuperetur, est pretio æstimabilis: ergo pro ea potest aliquid exigi a mutuante. Antecedens patet, quia mutuans prudenter procedens facile daret aliquid pretio æstimabile pro assecuratione capitalis, & pro carentia molestiarum ad illud exigendum, & eo plus daret, quo majus apparet periculum.

Ad rationes in contrarium respondetur, in cap. *Naviganti* definiri, usuram esse, cogere mutuatarium ad assecurandum capitale cum obligatione dandi aliquid supra sortem, quando scilicet alio pacto capitale assecuratur. Ad id, quod additur, verum quidem est, quod restituta sorte, nihil aliud reddi debeat pro tali periculo, ubi e contra compensari debet v.g. damnum emergens; Et ratio disparitatis est, quia damnum emergens fert novum damnum in bonis fortunæ, periculum vero amittendi sortem, & metus, ac anxietas non ferunt ullum damnum in bonis fortunæ. Cæterum stat, quod hoc periculum, seu animi anxietas tale afferat damnum mutuanti, ut ad illud redimendum prudenter aliquid solveret; ac proinde potest prævio pacto aliquid pro illo exigi: quamvis non teneatur mutuatarius præciso pacto illud pecunia compensare; Sicut enim, ut notat Lug., contumeliæ non compensantur pecunia secluso pacto, potest tamen prævio pacto aliquid pro illis exigi, si forte irrogentur; ita prorsus ista animi anxietas, quam fert periculum amittendæ sortis.

III. Neque est verum, quod tale periculum sit a mutuo inseparabile. Nam posset mutuans exigere fidejussionem, vel pignus ad hujusmodi periculum declinandum. Quare sicut mutuatarius non gravatur, si carens pignore obligetur ad solvendum aliquid pro fidejussione, quam potest exigere mutuans pro assecuratione sortis; ita neque gravatur, si aliquid ultra sortem solvit pro periculo, quod sponte subit mutuans in ejus gratiam, quodque, ut vidimus, est pretio æstimabile.

IV. Ad Primam confirmationem, concesso antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia damnum emergens est damnum conditionatum; unde satis est, quod mutuatarius illud compenset conditionate, hoc est, si forte emerserit; at periculum istud est damnum absolutum; ergo pro eo potest aliquid ultra sortem exigi absolute.

V. Ad secundam confirmationem negatur sequela: Fur non debet aliquid pro molestia illata domino compensare, aut pro periculo, quod equus furto sublatus nunquam sit recuperandus: & ratio est, quia quamvis injuste tale periculum, & talis molestia illata sit, non debet tamen pecunia compensari, nisi pacto præcedente, ut diximus cum Lug. de contumeliis; quia scilicet hujusmodi damnum non est in bonis fortunæ, sed in bonis animi, ad quod subeundum in gratiam mutuatarii potest mutuans prævio pacto aliquid ultra sortem exigere. Quod ulterius probatur, quia communiter Doctores

res docent, debita periculosa posse minori pretio ab aliis emi, quia tale periculum est pretio æstimabile: Sic potest etiam anticipata solutione aliquid emi minoris, quam sit pretium justum, quando periculum subest propter infidelitatem venditoris, quod res empta non sit tradenda: ergo etiam in casu nostro poterit periculum amittendi sortem pecunia compensari prævio pacto.

VI. Quod si roges, quodnam sit justum pretium pro hujusmodi periculo? Respondet Dian. part. 1. tract. 8. resol. 57. esse illud, quod tu alteri libenter dares ad simile periculum redimendum. Illud tamen advertendum, quod si mutuatarius ad avertendum hoc periculum tradat mutuanti pignus, procul dubio pro periculo amittendi sortem nihil hic posset accipere, cum nullum subsit periculum vi pignoris. (*a*)

(*a*) „ Est heic nunc apud nostrates celebris quæstio „ discutienda. Nihil omnino licere ultra sortem a pau„ peribus exigere certum apud omnes est; quod ad „ divites spectat, duo etiam saltem catholicis „ Doctoribus comperta sunt; alterum est, non „ licere ab illis immoderatas exigere usuras; al„ terum ne licere quidem moderatas exigere ex „ mutuo *præcise vi mutui*. Illud igitur in quæ„ stione positum est, utrum in Cambialibus quas „ *Urbanas* vocant, sit titulus aliquis, quo „ ab usuræ labe defendi possint? Adfirmat cl. „ Maffejus in libro inscripto *dell' impiego del da*„ *naro*, ac sæpius edito. Negant Ballarinii, „ Concina, aliique. Antequam quid sentio, a„ perio, recitanda est, quæ an. 1745. prodiit Be„ nedicti XIV. hac de re Constitutio.

S S. D. N. D.

BENEDICTI DIVINA PROVIDENTIA

P A P Æ XIV.

Epistola Encyclica ad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & Ordinarios Italiæ.

BENEDICTUS

P A P A XIV.

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam Benedictionem.

„ Vix pervenit ad aures nostras, ob novam „ controversiam (nempe, an quidam con„ tractus validus judicari debeat (nonnullas per „ Italiam disseminari sententias, quæ sanæ doctri„ næ haud consentaneæ videretur; cum statim „ nostri Apostolici muneris partem esse duximus, „ opportunum afferre remedium, ne malum ejus„ modi, temporis diuturnitate, ac silentio, vires „ magis acquireret; aditumque ipsi intercludere, „ ne latius serperet, & incolumes adhuc Italiæ „ Civitates labefactaret.

„ Quapropter eam rationem, consiliumque su„ scepimus, quo Sedes Apostolica semper uti con„ suevit: Quippe rem totam explicavimus non„ nullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris San„ ctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui Sacræ „ Theologiæ scientia, & Canonicæ Disciplinæ stu„ dio ac peritia plurimum commendantur: Ac„ civimus etiam plures Regulares in utraque fa„ cultate præstantes, quorum aliquos ex Mona„ chis, alios ex Ordine Mendicantium, alios de„ mum ex Clericis Regularibus selegimus; Præ„ sulem quoque Juris utriusque laurea præditum, „ & in Foro diu versatum adhibuimus. Diem „ quartam indiximus Julii, qui nuper præteriit, ut „ coram Nobis illi omnes convenirent, quibus na„ turam totius negotii declaravimus; quod illis „ antea cognitum perspectumque deprehendimus.

„ Post hæc præcepimus, ut omni partium stu„ dio, omnique cupiditate soluti, rem totam ac„ curate perpenderent, suasque opiniones scripto „ exararent; non tamen expetivimus ab ipsis, ut „ judicium ferrent de contractu, qui controversiæ „ caussam initio præbuerat, cum plura documenta „ non suppeterent, quæ necessario ad id require„ bantur; Sed ut certam de usuris doctrinam con„ stituerent, cui non mediocre detrimentum inferre „ videbantur ea, quæ nuper in vulgus spargi cœpe„ runt: Jussa fecerunt universi; nam suas senten„ tias palam declararunt in duabus Congregationi„ bus, quarum prima coram Nobis habita est die „ 18. Julii, altera vero die prima Augusti, qui men„ ses nuper elapsi sunt; ac demum easdem senten„ tias Congregationis Secretario scriptas tradiderunt.

„ Porro hæc unanimi consensu probaverunt.

„ I. Peccati genus illud, quod usura vocatur, „ quodque in contractu mutui propriam suam se„ dem, & locum habet, in eo est repositum, quod „ quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tan„ tundem duntaxat reddi postulat, quantum rece„ ptum est, plus sibi reddi velit, quam est rece„ ptum; ideoque ultra sortem, lucrum aliquod, „ ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. „ Omne propterea hujusmodi lucrum, quod sor„ tem superet, illicitum, & usurarium est.

„ II. Neque vero ad istam labem purgandam, „ ullum arcessiri subsidium poterit, vel ex eo, „ quod id lucrum non excedens & nimium, sed „ moderatum; non magnum, sed exiguum sit; „ vel ex eo, quod is, a quo id lucrum solius „ caussa mutui deposcitur, non pauper, sed dives „ existat; nec datam sibi mutuo summam relictu„ rus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, „ vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis agi„ tandis negotiis, utilissime sit impensurus. Con„ tra mutui siquidem legem, quæ necessario in „ dati atque redditi æqualitate versatur, agere il„ le convincitur, quisquis, eadem æqualitate se„ mel posita, plus aliquid a quolibet, vi mutui „ ipsius, cui per æquale jam satis est factum, exi„ gere adhuc non veretur: proindeque si accepe„ rit, restituendo erit obnoxius ex ejus obligatio„ ne Justitiæ, quam commutativam appellant, „ & cujus est, in humanis contractibus æqualita„ tem cujusque propriam & sancte servare, & non „ servatam exacte reparare.

„ III. Per hæc autem nequaquam negatur, pos„ se quandoque una cum mutui contractu quos„ dam alios, ut ajunt, titulos, eosdemque ipsi„ met universim naturæ mutui minime innatos „ & intrinsecos, forte concurrere, ex quibus ju„ sta omnino legitimaque caussa consurgat quid„ dam

,, dam amplius supra sortem ex mutuo debitam
,, rite exigendi. Neque item negatur, posse mul-
,, toties pecuniam ab unoquoque suam, per alios
,, diversæ prorsus naturæ a mutui natura con-
,, tractus, recte collocari & impendi, sive ad
,, proventus sibi annuos conquirendos, sive et-
,, iam ad licitam mercaturam, & negotiationem
,, exercendam, honestaque indidem lucra perci-
,, pienda.

,, IV. Quemadmodum vero in tot ejusmodi di-
,, versis contractuum generibus, si sua cujusque
,, non servatur æqualitas, quidquid plus justo re-
,, cipitur, si minus ad usuram, (eo quod omne
,, mutuum tam apertum, quam palliatum absit,)
,, at certe ad aliam veram injustitiam, restituendi
,, onus pariter afferentem, spectare compertum
,, est; Ita si rite omnia peragantur, & ad Justi-
,, tiæ libram exigantur, dubitandum non est,
,, quin multiplex in iisdem contractibus licitus
,, modus & ratio suppetat humana commercia &
,, fructuosam ipsam negotiationem ad publicum
,, commodum conservandi, ac frequentandi. Ab-
,, sit enim a Christianorum animis, ut per usu-
,, ras, aut similes alienas injurias florere posse
,, lucrosa commercia existiment; cum contra ex
,, ipso Oraculo Divino discamus, quod *Justitia
,, elevat gentem, miseros autem facit populos pec-
,, catum.*

,, V. Sed illud diligenter animadvertendum est,
,, falso sibi quemquam, & nonnisi temere persua-
,, surum, reperiri semper, ac præsto ubique
,, esse, vel una cum mutuo titulos alios legiti-
,, mos, vel secluso etiam mutuo, contractus alios
,, justos, quorum vel titulorum, vel contractuum
,, præsidio, quotiescumque pecunia, frumentum,
,, aliudve id generis alteri cuicumque creditur,
,, toties semper liceat auctarium moderatum, ul-
,, tra sortem integram salvamque, recipere. Ita
,, si quis senserit, non modo Divinis Documen-
,, tis, & Catholicæ Ecclesiæ de Usura judicio,
,, sed ipsi etiam humano communi sensui, ac na-
,, turali rationi procul dubio adversabitur. Ne-
,, minem enim id saltem latere potest, quod
,, multis in casibus tenetur homo, simplici ac
,, nudo mutuo alteri succurrere, ipso præsertim
,, Christo Domino edocente: *Volenti mutuari a
,, te, ne avertaris*, & quod similiter multis in
,, circumstantiis, præter unum mutuum, alteri
,, nulli vero, justoque contractui locus esse pos-
,, sit. Quisquis igitur suæ conscientiæ consultum
,, velit, inquirat prius diligenter, oportet, vere
,, ne cum mutuo justus alius titulus; vere ne ju-
,, stus alter a mutuo contractus occurrat, quorum
,, beneficio, quod quærit lucrum, omnis labis
,, expers & immune reddatur.

,, His verbis complectuntur, & explicant Sen-
,, tentias suas Cardinales, ac Theologi, & viri
,, Canonum peritissimi, quorum consilium in hoc
,, gravissimo negotio postulavimus; Nos quoque
,, privatum studium nostrum conferre in eandem
,, caussam non prætermisimus, antequam Congre-
,, gationes haberentur, & quo tempore habeban-
,, tur, & ipsis etiam peractis; Nam præstantium
,, Virorum Suffragia, quæ modo commemoravi-
,, mus, diligentissime percurrimus. Cum hæc ita
,, sint, approbamus, & confirmamus quæcunque
,, in Sententiis superius expositis continentur;
,, cum Scriptores plane omnes, Theologiæ, &
,, Canonum Professores, plura Sacrarum Littera-
,, rum testimonia, Pontificum Decessorum nostro-
,, rum Decreta, Conciliorum, & Patrum autho-
,, ritas, ad easdem Sententias comprobandas pe-
,, ne conspirare videantur. Insuper apertissime
,, cognovimus Authores, quibus contrariæ Sen-
,, tentiæ referri debent; & eos pariter qui illas
,, fovent, ac tuentur, aut illis ansam, seu occa-
,, sionem præbere videntur; Neque ignoramus,
,, quanta sapientia, & gravitate defensionem ve-
,, ritatis susceperint Theologi finitimi illis Regio-
,, nibus, ubi Controversiæ ejusmodi principium
,, habuerunt. Quare has Litteras Encyclicas de-
,, dimus universis Italiæ Archiepiscopis, Episco-
,, pis, & Ordinariis, ut hæc Tibi, Venerabilis
,, Frater, & ceteris omnibus innotescerent; &
,, quoties Synodos celebrare, ad Populum verba
,, facere, eumque sacris doctrinis instruere con-
,, tigerit, nihil omnino alienum proferatur ab
,, iis sententiis, quas superius recensuimus. Ad-
,, monemus etiam vehementer, omnem solici-
,, tudinem impendere, ne quis in vestris Diœ-
,, cesibus audeat Litteris, aut Sermonibus con-
,, trarium docere: Si quis autem parere detrecta-
,, verit, illum obnoxium, & subjectum declara-
,, mus pœnis per Sacros Canones in eos propo-
,, sitis, qui mandata Apostolica contempserint ac
,, violaverint.

,, De contractu autem, qui novas has Contro-
,, versias excitavit, nihil in præsentia statuimus;
,, nihil etiam decernimus modo de aliis contracti-
,, bus pro quibus Theologi, & Canonum Inter-
,, pretes in diversas abeunt Sententias; attamen
,, pietatis vestræ studium ac Religionem inflam-
,, mandam existimamus, ut hæc, quæ subjicimus,
,, executioni demandetis.

,, Primum gravissimis verbis Populis vestris
,, ostendite, usuræ labem ac vitium a Divinis
,, Litteris vehementer improbari; Illud quidem
,, varias formas atque species induere, ut Fide-
,, les Christi Sanguine restitutos in libertatem &
,, gratiam, rursus in extremam ruinam præcipi-
,, tes impellat; Quocirca si pecuniam suam col-
,, locare velint, diligenter caveant, ne cupidita-
,, te omnium malorum fonte rapiantur, sed potius
,, ab illis, qui doctrinæ ac virtutis gloria supra
,, ceteros efferuntur, consilium exposcant.

,, Secundo loco, qui viribus suis, ac sapientiæ
,, ita confidunt, ut responsum ferre de iis quæ-
,, stionibus non dubitent, (quæ tamen haud exi-
,, guam Sacræ Theologiæ, & Canonum scientiam
,, requirunt;) ab extremis, quæ semper vitiosa
,, sunt, longe se abstineant: Etenim aliqui tan-
,, ta severitate de iis rebus judicant, ut quamli-
,, bet utilitatem ex pecunia desumptam accusent,
,, tanquam illicitam, & cum usura conjunctam;
,, Contra vero nonnulli indulgentes adeo, remis-
,, sique sunt, ut quodcunque emolumentum ab
,, usuræ turpitudine liberum existiment. Suis pri-
,, vatis opinionibus ne nimis adhæreant; sed prius-
,, quam responsum reddant, plures Scriptores exa-
,, minent, qui magis inter ceteros prædicantur;
,, deinde eas partes suscipiant, quas tum ratio-
,, ne, tum authoritate plane confirmatas intelli-
,, gent. Quod si disputatio insurgat, dum contra-
,, ctus aliquis in examen adducitur, nullæ omni-
,, no contumeliæ in eos confingantur, qui con-
,, trariam Sententiam sequuntur, neque illam

,, gra-

„ gravibus Censuris notandam afferant, si præsertim ratione, & præstantium Virorum testimoniis minime careat; siquidem convicia, atque injuriæ vinculum Christianæ charitatis infringunt, & gravissimam Populo offensionem, & scandalum præseferunt.

„ Tertio loco, qui ab omni usuræ labe se immunes, & integros præstare volunt, suamque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum solummodo percipiant, admonendi sunt, ut contractum instituendum antea declarent, & conditiones inserendas explicent, & quem fructum ex eadem pecunia postulent: Hæc magnopere conferunt non modo ad animi solicitudinem & scrupulos evitandos, sed ad ipsum contractum in foro externo comprobandum: Hæc etiam aditum intercludunt disputationibus, quæ non semel concitandæ sunt, ut clare pateat, utrum pecunia, quæ rite data alteri esse videtur, revera tamen palliatam usuram contineat.

„ Quarto loco vos hortamur, ne aditum relinquatis ineptis illorum Sermonibus, qui dictitant, de usuris hoc tempore quæstionem institui, quæ solo nomine contineatur, cum ex pecunia, quæ qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quam falsum id sit, & a veritate alienum, plane deprehendimus, si perpendamus, naturam unius contractus ab alterius natura prorsus diversam & sejunctam esse; & ea pariter discrepare magnopere inter se, quæ a diversis inter se contractibus consequuntur. Revera discrimen apertissimum intercedit fructum inter, qui jure licito ex pecunia desumitur, ideoque potest in utroque Foro retineri; ac fructum, qui ex pecunia illicite conciliatur, ideoque Fori utriusque judicio restituendus decernitur. Constat igitur haud inanem de usuris quæstionem hoc tempore proponi ob eam caussam, quod ut plurimum ex pecunia, quæ alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur.

„ Hæc potissimum vobis indicanda censuimus, sperantes fore, ut mandetis executioni quæcunque per has Litteras a Nobis præscribuntur: Opportunis quoque remediis consuletis, uti confidimus, si forte ob hanc novam de usuris Controversiam in Diœcesi vestra turbæ concitentur, vel corruptelæ ad labefactandum sanæ doctrinæ candorem & puritatem inducantur: Postremo vobis, & Gregi curæ vestræ concredito, Apostolicam Benedictionem impertimur.

„ Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 1. Novembris 1745. Pontificatus Nostri Anno sexto.

„ Jamvero huc tota redit quæstio, num Cambiales illæ a Maffejo adfertæ iis titulis careant, quos Bened. XIV. præscribit, ut ne usurarius sit contractus? Doctissimus vir, qui Johannis Baptistæ Chiarelli adscito nomine Lucæ an. 1751. Dissertationem edidit inscriptam, *la Dottrina della Chiesa Romana circa l' impiego del danaro difesa dalle recenti imputazioni*, nullum non lapidem movit, ut cum Benedicti, atque adeo Romanæ Ecclesiæ doctrina Maffejanum librum conciliaret. Sed ex eodem Lucensi typographio nuperrime prodiit Anonymi cujusdam libellus prænotatus: *Animavversioni sopra la dissertazione Critico-Canonica stampata in Lucca, che servono di compendiosa confutazione dell' Opera dell' Impiego del danaro*. Utrumque conferat librum, qui tuto hac de quæstione ferre sententiam velit, neque maledicentia, ac vesania tenebricosi hujusce Scriptoris a libelli lectione deterreatur.

ARTICULUS VII.

An pœna conventionalis licite apponatur in mutuo?

I. *Videtur usurarie apponi, quia pœna a superiore infligenda est.*
II. *Sed communiter docent, pœnam istam licite posse ex conventione partium apponi.*
III. *Dummodo non apponatur in fraudem, & sit moderata, ac debitor culpabiliter non solvat præfixo tempore, diuque solutionem differat.*
IV. *Num ea pœna debeatur ante sententiam Judicis, & ante petitionem partis?*
V. *Possunt expresse contrahentes pacisci, quod sic debeatur in conscientia.*
VI. *Si præscindant, probabilius videtur, quod ante sententiam Judicis ea debeatur, sed non antequam petatur a mutuante.*
VII. *Non debet hæc pœna naturam aliarum pœnarum sequi, ut ante sententiam Judicis non debeatur.*

I. SUb aliis terminis proponitur quæstio, An sit usura mutuare cum pacto, quod si mutuatarius statuto tempore non restituat mutuum, debeat in pœnam suæ moræ aliquid solvere ultra sortem? Affirmant Sot. Aragon. & alii apud Pal. punct. 16. quia solus superior imponere alteri potest pœnam, quam subire teneatur: ergo pœna conventionalis in mutuo est usuraria.

II. Sed communissime Doctores cum Lug. disp. 22. sect. 15. Less. n. 128. Sanch. Suar. l. 5. de leg. c. 6. negant in pœna ista conventionali usuram contineri. Et ratio est, quia mutuatarius non restituens tempore debito peccat contra justitiam: ergo dignus est aliqua pœna, quæ sicut imponi potest a superiore, ita etiam ex conventione partium. Nonne potest aliquis ipse sibi pœnam imponere ratione alicujus delicti luendam, si committatur, ut accidit in voto pœnali? ergo poterit pœna etiam ex conventione partium imponi delinquenti. Quamvis enim solus superior possit etiam invitum ad pœnam obligare; at si quis ad pœnam subeundam consentiat, obligando se ad illam ex justitia ad instantiam partis, potest etiam a privato ad illam cogi.

III. Plures tamen conditiones requiruntur, ne talis pœna sit usuraria. Prima est, quod non apponatur in fraudem usurarum, ut accidit ex Molin. & Less. quando datur mutuum ob lucrandam pœnam, quæ speratur, seu quando scis non posse facile debitorem solvere statuto tempore, & ad usuram palliandam uteris illo pœnæ prætextu, ut lucrum habeas, quod directe ex mutuo exigere non poteras. Secunda conditio est, ut mutuatarius sit in mora culpabili; si enim nulla præcessit culpa, sed ex mera impotentia inculpabili non solvit, nullam tenetur luere pœnam. Dixi, ex impotentia inculpabili;

nam si culpabiliter se reddidit impotentem, v. g. conversationibus, & ludis pecuniam consumpsit, prævidens se fore impotentem ad restituendum, adhuc tenetur poenam luere. Tertia conditio est, ut poena sit moderata, & proportionata culpæ. Sicut enim hoc requiritur tam in poena judiciali, quam in legali, ita etiam in conventionali. Quare poena non moderata non debetur: Et si quis præfixo tempore partem tantum debiti solvat, ad partem tantum pœnæ obligabitur; nisi forte multum intersit; quod integre debitum solvatur, ut observat Lug. ex Bonac. Quarta demum, ut dilatio sit notabilis: si enim mutuatarius solutionem differat, etiam per viginti dies, pœnam non incurrit, ut docet Mercat. apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 29. His positis,

IV. Dubitatur, An hujusmodi pęna conventionalis debeatur in conscientia ante sententiam Judicis. Prima sententia docet, illam deberi ante sententiam, imo etiam parte non petente, quia hæc pœna debetur ex contractu; quod autem ex contractu debetur, solvi debet etiam non petente parte. Ita Palud. Felin. & alii apud Sanch. lib. 1. disp. 37. Secunda sententia utrumque requirit, & petitionem partis, & sententiam Judicis. Ita Vasq. Palud. apud Dian. loco cit. quam sententiam probabilem putant Laym. & Less. num. 136. Ratio est, quia eo ipso, quod apponitur illud onus, ut pœna, sequi debet naturam, & conditionem pęnæ, quæ communiter ante condemnationem Judicis non debetur. Tertia sententia est Suar. Salas de Leg. disp. 15. sect. 3. num. 51. Sà, Bonac. putantium, illam deberi ante Judicis sententiam, non tamen antequam a parte petatur; quia ea videtur esse intentio contrahentium, præsertim mutuantis, (cui mutuatarius, dum sincere procedit, debet se conformare) quod ante sententiam Judicis debeatur pœna conventionalis, sicut debetur quodcumque ex pacto, & conventione debetur; non tamen ut debeatur ante petitionem, quia si non petatur, quando facile peti potest, præsumitur, quod illam velit mutuans condonare.

V. Equidem existimo cum Suar. loc. cit. posse juste, ac licite partes expresse pacisci, quod ea pœna debeatur in conscientia, etiam ante petitionem, nedum ante sententiam Judicis; Sicuti communiter Doctores docent apud Lug. disp. 22. num. 401. posse Legislatorem imponere transgressoribus pęnam aliquam legalem solvendam in conscientia ante Judicis sententiam. Ratio est, quia quod debetur ex pacto, debetur ex justitia; quod vero ex justitia debetur, ex natura sua non requirit aut sententiam, aut petitionem, ut debeatur; nisi ex voluntate contrahentium tales conditiones ad obligationem exigantur. Sic quoties ex pacto, & consequenter ex justitia debetur damnum emergens, debet illud mutuatarius solvere ante sententiam Judicis, aut petitionem partis.

VI. Quando vero nihil expresse de hac pœna conventionali sit conventum, existimo cum Lug. loc. cit. probabiliorem esse sententiam Suar. Bonac. Salas, quod scilicet ea debeatur ante sententiam Judicis, non tamen antequam petatur. Ratio est, quia hæc videtur esse intentio contrahentium, cui in foro conscientiæ standum est, ut non debeant ad Judicem recurrere, cujus judicium incertum est, & expensis, ac molestiis obnoxium.

VII. Neque dicas, in dubio præsumendum etiam, quod contrahentes velint ad pœnam obligare juxta regulam juris communis circa alias pœnas, quæ universim ante sententiam Judicis non debentur. Etenim velle ad pęnam obligare, est velle, quod per sententiam Judicis possit ad pœnam damnari mutuatarius, qui fidem culpabiliter non servavit.

Nam contra est primo, quia retorqueri potest argumentum. Omnes aliæ pœnæ debentur juxta voluntatem Legislatoris illas imponentis, ita ut ad hunc pertineat de illis judicare: ergo si hæc pęna conventionalis sequitur conditionem aliarum pœnarum, illa debetur juxta voluntatem mutuantis imponentis pœnam ex pacto, ita ut solus mutuans de illa sit Judex, & Arbiter. Præterea ille potest ad pœnam obligare, & illam exigere, qui potest eandem remittere, & in ea dispensare; imo major requiritur potestas ad dispensandum, quam ad exigendum pœnam, ut patet; quia Judices inferiores possunt pœnam exigere, non tamen in ea dispensare; atqui mutuans potest pęnam conventionalem remittere independenter a voluntate Judicis, ac veluti dispensare: ergo a fortiori illam exigere independenter a Judicis sententia.

Contra secundo, quia falsum est, hujusmodi pœnam debere aliarum pęnarum naturam universim sequi; tum quia, si Judex remittat pęnam a Lege taxatam, non tenetur ad restitutionem, ut communior fert Doctorum sententia; at si injuste Judex absolveret mutuatarium a pęnæ conventionalis solutione, procul dubio ad restitutionem teneretur. Ex quo apparet, pęnam conventionalem deberi ante Judicis sententiam, non vero pęnam legalem. Quod ex eo etiam elucescit, quia reus potest æquivocando negare suum delictum, ut pęnam effugiat, quando Judex interrogat sine semiplena probatione ad solam instantiam actoris; At mutuatarius non potest licite negare, ne cum æquivocatione quidem, pactum initum cum mutuante, si ad istius instantiam a Judice interrogetur, ut pœnam conventionalem effugiat.

ARTICULUS VIII.

Utrum etiam pactum legis commissoriæ licite apponatur in Mutuo?

I. *Vi hujus pacti incidit in commissum mutuatarius, & pignus amittit, si non solvat statuto tempore.*
II. *Reprobatur in jure tale pactum ex usuræ præsumptione.*
III. *Si pignus longe excedat debitum, tale pactum est usurarium; secus vero, si parum excedat.*
IV. *Pactum de vendendo pignore, si mutuatarius statuto tempore inculpabiliter non solvat, num, & quando sit usurarium?*
V. *In praxi usurarium est, si tollatur mutuatario libertas vendendi illud cui maluerit.*
VI. *Datur modus vitandi hanc usuram.*

I. Legis commissoriæ pactum, ut notat Pal. punct. 23. non provenit ab aliqua lege, sed a pura conventione hominum, quæ vim legis habet. Dicitur autem commissoria, quia sicut feudatarius, & Emphyteuta ob non solutam pensionem in commissum incidit, & Emphyteusim amittit, ex Leg.

Leg. 2. *Cod. de Jure Emphyteutico*, sic violans contractum, in quo apponitur hujusmodi pactum, incidit in commissum, & jure quæsito privatur.

Porro hujusmodi pactum apponi potest tam in emptione, & venditione, quam in pignoribus. Quando apponitur in venditione, tale pactum est validum; V. gr. si cum emptore convenias, ut si termino præfixo pretium non solverit, res sit inempta, & nullus sit contractus venditionis: Si vero apponatur in pignoribus, (v. g. ut si tempore præfixo mutuum non solvatur, pignus transeat in dominium mutuantis) tale pactum reprobatur, tanquam usurarium in Leg.ult.Cod. *de pactis pignorum*.

II. Quæstio tamen est apud Doctores, Utrum sit præsumptio duntaxat usuræ, an vero simpliciter usura apponere pactum legis commissoriæ in pignoribus a mutuante acceptis pro assecuratione sortis, ita scilicet, ut si mutuatarius non solvat debitum statuto tempore, pignus pro eo datum fiat mutuantis, & sic debitor incidat in commissum, seu amittat jus in rem suam propter culpam commissam? Certum enim est hujusmodi pactum reprobari, ac irritum reddi ob usuræ præsumptionem in Lege laudata apud Molin. disp. 324. & Lug. num. 175. Dubitatur tamen, an præciso isto jure positivo, & spectato tantum jure naturæ, pactum istud sit illicitum, & revera usurarium?

III. Ad quod dicendum, quod si pignoris valor longe debitum excedat, procul dubio pactum istud est usurarium; si vero pignus aut æquet, aut parum excedat debitum, adeo ut in pœnam conventionalem, juxta dicta articulo superiore, teneatur mutuatarius vendere pignus suum minoris, quam valeat, nulla aderit usura, dummodo concurrant conditiones omnes ad pœnam conventionalem requisitæ. Imo Molin. & Lug. l. c. cum Panormit. & Covar. probabiliter docent, simpliciter validum, & licitum esse pactum, quod mutuatario non restituente mutuum intra terminum præfixum, pignus remaneat venditum justo pretio ad arbitrium boni viri determinando; quia sic cessat ratio prohibitionis jure positivo factæ, quæ est, ne mutuatarius gravetur.

IV. Dubitatur ulterius, An sit usurarium pactum de vendendo pignus justo pretio, si mutuatarius etiam inculpabiliter non solvat statuto tempore?

Aliqui apud Covar. putant, usuram contineri, quia obligatur mutuatarius ad vendendum pignus præcise ratione mutui. Molin. tamen, & Lug. putant, tunc usuram in eo pacto contineri, quando ordinatur ad lucrandum ex mutuo, seu quando imponitur ut gravamen; secus vero si ordinetur ad hoc, ut mutuans assecuret pecuniam suam, reddatque se indemnem, sicut ordinatur pœna conventionalis: Omne enim, quod ordinatur præcise ad assecurandam sortem, licitum est in mutuo; & ideo licitum est nolle mutuare sine fidejussione, aut pignore. Quare si speciale gravamen haberet mutuatarius, quod teneatur pignus vendere justo pretio mutuanti potius, quam alteri, certe illud imponi citra usuram non posset; si vero nullum sit gravamen, sed potius levamen mutuatarii, quod reperiat emptorem, unde non cogatur ad compensandum in posterum damnum emergens mutuanti, si tunc non restituat, tale pactum usuram non continebit.

V. Equidem tamen censeo, absolute, & practice loquendo, tale pactum esse usurarium, si tollatur mutuatario libertas ad vendendum pignus, cui maluerit; nec ordinari hujusmodi pactum ad securitatem, sed ad lucrum ex mutuo; quia satis superque habetur securitas per hoc, quod obligetur mutuatarius ad vendendum justo pretio pignus, cui maluerit; & si alium non reperiat, teneatur tunc vendere mutuanti, qui ad id se offerat non in fraudem usuræ, sed in levamen mutuatarii. Quare solum in pœnam conventionalem moræ duntaxat culpabilis apponi potest pactum, quod pignus maneat justo pretio venditum eidem mutuanti, si mutuum non solvatur in termino præfixo.

VI. Ad vitandam tamen hujus pacti usuram, poterit mutuans nolle mutuare, sed emere statim pignus illud, cum pacto tamen retrovendendi usque ad tempus duntaxat, quo mutuum erat restituendum, dummodo in hoc contractu servetur pretium justum juxta regulas supra traditas art. ult. quæst. 2. sic enim emendo, & remanet simpliciter venditum, si præfixo tempore non restituatur pretium, & poterit interim mutuans ejus fructus percipere, tanquam dominus, cum onere tamen, quod si pereat interim, eidem, veluti ejus domino, pereat.

QUÆSTIO IV.

De Usura palliata in Contractu Emptionis, & Venditionis.

ANtequam de pœnis, ac de obligatione usurariorum disceptemus, agimus de usura palliata, quæ multipliciter accidere potest in contractu emptionis; ita ut appareat emptio, re tamen vera sit mutuum virtuale; ut proinde lucrum reportatum sit usurarium. Primo, scilicet vendendo rem pluris, quam valeat, ob dilatam pretii solutionem. Secundo, emendo minoris ob solutionem anticipatam. Tertio, emendo credita, seu chirographa minoris. Quarto, vendendo pretio rigoroso rem aliquam credito cum pacto, quod redimatur eadem res pecunia numerata pretio infimo, qui contractus dicitur Mohatra. Quinto, emendo fructus agrestes minoris, quam valeant, cum sunt maturi; idque non præcise ratione expensarum faciendarum, ac periculi illos amittendi, sed ratione solutionis anticipatæ. Sexto, emendo cum pacto retrovenditionis, ita tamen, ut periculum rei venditæ stet penes venditorem, non penes emptorem, aut ita, ut obligetur venditor ad rem venditam sibi locandam. De hoc tamen diximus quæst.2. art. ult. circa reliqua hic plura sunt discutienda.

ARTICULUS I.

An possit res vendi pluris ob dilatam solutionem?

I. Legale pretium etiam ab Ecclesiasticis servandum, & quomodo?
II. Pretium vulgare ex quinque capitibus potest crescere, aut decrescere; nec consistit in indivisibili.
III. Pretium conventionale procedit in rebus voluptuosis.
IV. Quodnam sit pretium justum in subhastatione, aut mercium ultronearum?
V. In subhastatione rogari solum possunt alii, ne offerant supra pretium justum infimum.
VI. Quandonam monopolium est licitum, quando vero est contra justitiam, & quando solum contra charitatem?
VII. Non est usura vendere merces credito pretio justo summo, quamvis venderentur pretio justo infimo pecunia numerata.
VIII. Num possit credito vendi carius, quam nunc valeat triticum, quod alias venderetur carius mense Majo, & quomodo?
IX. Ob alios etiam titulos mutuo extrinsecos vendi possunt merces carius credito, quam vendantur pecunia numerata.
X. Num merces, quæ in magna copia adveniunt, vendi possint credito pluris, quam valeant summo pretio pecunia numerata?

I. SUpponendum primo, Pretium rei triplex esse, Legale, Vulgare, & Conventionale. Legale dicitur, quod a Lege, aut a Principe taxatum est, ad quod etiam Ecclesiastici tenentur, quoad vim directivam duntaxat, non quoad coactivam, quatenus vel jure naturæ, ne peccent contra justitiam, debent res suas vendere illo pretio existimato justo, vel quia directe obligantur ipsis legibus civilibus immunitati Ecclesiasticæ non derogantibus, ut putant Sal., Rebel., Pal. de Just. disp. 5. punct. 5. quin tamen puniri possint a laicis, si contraveniant. Notat tamen Sanch. c. 21. num. 13. apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 70., quod si magistratus esset notabiliter negligens in decernenda taxa justi pretii, aut si constaret taxasse pretium ex odio ementium, vel vendentium; aut quod male instructus fuit de circumstantiis mercium; aut quod corruptus fuit muneribus; tunc licitum sit, omisso pretio legali, vendere res pretio vulgari, cum illa lex censeatur iniqua, atque adeo non obligatoria. Neque obligat taxa, quando sciente, & non puniente Principe violatur; quia censetur Princeps in ea lege dispensare. Imo probabiliter putant Molin., Reginald, Dian. loc. cit. resol. 52. contra Salas, quod si pretium v. gr. tritici sit taxatum, & aliquis habeat triticum longe præstantius, possit illud ultra taxam vendere: Sicut enim, si triticum sit notabiliter præstantius. Peccat tamen contra justitiam venditor ex Filliuc. apud Dian. resol. 35., si taxato pretio pro fructibus, piscibus, carnibus, & similibus seligat præstantiora, ut carius ea vendat, & reliqua vendat pretio taxato, quia pretium taxatur pro utrisque permixtim.

II. Pretium vulgare dicitur, quod juxta vulgarem peritorum æstimationem habetur, attenta scilicet primo multitudine, vel penuria mercium; secundo abundantia pecuniæ; Tertio paucitate emptorum, aut vendentium; Quarto magnitudine periculorum in mercibus asportandis; Quinto multitudine expensarum, & incommodorum in iis vendendis, ut quando res venduntur ad minutum, vel credito cum periculo amittendi pretium; ex his enim quinque capitibus pretium justum solet crescere, aut decrescere. Differt autem pretium vulgare a legali, quod hoc consistit in indivisibili, illud vero suscipit magis, & minus, & solet esse triplex, infimum, medium, & supremum, seu rigorosum: V. g. si res communiter vendatur vel novem, vel decem, vel undecim aureis, primum pretium dicitur infimum; secundum medium; tertium supremum; ita tamen, ut quodvis ex his sit justum.

III. Pretium Conventionale est, in quo partes conveniunt absque dolo, & fraude, habetque locum solum in rebus voluptuosis, raris, ac pertinentibus ad ornatum, ut sunt picturæ antiquæ, falcones, lapides pretiosi, equus formosissimus, &c. quæ quanti plurimi vendi possunt absque injustitia, ut probabiliter docent Sà, Reginald., Valent., & alii apud Dian. resol. 56. contra Less., Navar., & alios putantes, etiam in his rebus standum esse judicio prudentum mercatorum,

IV. Sic in subhastatione justum pretium ex Malder. & Bonac. apud. Dian. resol. 55. est, quod extorqueri potest sine fraude, ac dolo; Salon. vero putat, in subhastatione justum pretium medium esse, quo communiter res æstimari solet, infimum vero, & supremum esse, si medietas tollatur, aut excedatur: V. g. si res aliqua valeat communiter centum, possit a licitatoribus emi quinquaginta pretio infimo, & centum quinquaginta pretio summo: Quod etiam docet Trullench. de rebus, quæ a Proxenetis per vicos discurrentibus privatim venduntur: Ut etiam de mercibus ultroneis docent Rebell., Palat. & alii apud Dian. resol. 53. quia scilicet vilescunt pro medietate, quamvis communius cum Less. Sa, Bonac. putent solum pro tertia parte vilescere.

V. Illud in subhastatione communiter docent apud Dian. resol. 76. quod nec venditor possit immittere fictos emptores, aut occultare defectus rei, ut carius vendatur; nec emptor possit vi, aut metu, aut etiam precibus importunis impedire, ne alii majus pretium offerant, ut ipse vilius emat: Poterit solum rogare amicos, ne offerant plus certa quantitate, ut possit ipse rem emere pretio justo, licet infimo.

VI. Et ratio ex Navar. est, quia non quodcumque monopolium mercatorum, ut nonnisi certo pretio emant, aut vendant, est iniquum, si revera illud est justum pretium. Communiter enim docent contra Rebel. apud Molin. disp. 345. mercatores non peccare contra justitiam, si absque minis, & fraude conspirent in pretium rigorosum, dummodo justum, sed solum peccare contra charitatem, quando ob tale monopolium Respublica sentit grave incommodum; sicut contra charitatem peccat probabiliter ex eodem Molin. & Less. cap. 21. nu. 151. qui solus, aut cum paucis emit pretio infimo merces omnes alicujus generis, v. g. vinum, triticum, &c. ut deinde vendat pretio sum-

ſummo juſto; etſi in hoc caſu communius doceant, peccari contra juſtitiam, quia per hoc monopolium creſcit pretium juſtum rerum ex paucitate venditorum.

VII. Supponendum ſecundo, citra uſuram poſſe vendi rem pecunia credita pretio ſummo juſto, quamvis pecunia numerata venderetur pretio infimo, vel medio. Ratio eſt manifeſta, quia etiam pretium ſummum eſt juſtum. Ita communiter cum Leſſ., Laym., Reginal., Salas, Rebel., Dian. reſ. 20.

VIII. Supponendum tertio, quod ſi credito vendas rem, quam ſervaturus eras ad tempus, quo carius eſſet valitura, v. gr. vendas triticum, quod nunc valet decem, & eras illud ſervaturus uſque ad menſem Maji, quo valiturum eſt tredecim, poteris menſe Majo exigere tredecim, ut conſtat ex cap. *Ex civitate de Uſuris*, detrahendo aliquid pro expenſis, & pro periculo, quod corrumpatur, ut mox dicemus. Ratio eſt, quia ratione lucri ceſſantis in gratiam emptoris poſſunt licite exigi illa tria: Quod ſi dubitetur, quanti erit valiturum triticum menſe Majo, poſſet taxari nunc aliquod pretium determinatum, medium inter infimum, & ſummum, quod ſperatur; vel nihil taxando poſſet exigi pretium, quod tunc erit; Sed nonnihil demi debet pro expenſis faciendis a venditore pro illius conſervatione uſque ad illud tempus, & pro periculo, quod interim corrumpatur.

IX. Supponendum ultimo, poſſe aliquod ſupra juſtum pretium exigi a vendente credito non ſolum ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis, ſed etiam ratione periculi proximi amittendæ ſortis, ex Leſſ. c. 21. num. 54. apud Dian. reſol. 57. contra Navar. & alios, juxta dicta quæſt. ſup. artic. 6. dummodo hæc omnia exprimantur emptori, ut videat, num velit aliter his incommodis venditoris occurrere, videlicet exhibendo pignus, aut adeundo alios venditores, quibus nullum lucrum ceſſet. Adde, quod ex alio etiam titulo poſſit aliquanto carius vendi ſæpe res credito, quam vendatur pecunia numerata, quia ſcilicet dum venditur credito, multiplicantur emptores, & ex multitudine emptorum creſcit pretium juſtum vulgare rerum. Cæterum ex ſola dilatione pretii, ſecluſo omni alio titulo, nullatenus poterunt citra uſuram vendi merces ſupra pretium juſtum rigoroſum, ut de ſe eſt manifeſtum: quidquid in contrarium nonnemo dixerit citra ullam probabilitatem apud Lug. de empt. num. 105. His poſitis,

V. Dubitatur acerrime, Utrum illæ merces, quæ communiter credito, ſeu ad terminum vendi ſolent, poſſint licite pluris vendi, quam ſit pretium rigoroſum, quo numerata pecunia venderentur? Procedit quæſtio de mercibus, quæ in magna copia veniunt vel ex India, vel aliunde, & per varia emporia diſtrahuntur, quin poſſint ſtatim vendi pecunia numerata ob earum multitudinem.

Navar., Cajet., Sot., & alii apud Salas dub. 42. putant, venditionem hanc ultra pretium ſummum juſtum credito factam, continere uſuram palliatam. Excuſant autem ab uſura Molin. diſp. 357. Turrian., Leſſ. num. 56. Tolet., Rebel. Ratio eſt, quia juſtum pretium eſt illud, quo communiter res vendi ſolet; atqui communiter merces iſtæ vendi credito ſolent pretio ultra ſummum, quo pecunia numerata venderentur: ergo ſic vendendo, venduntur pretio juſto, atque adeo ſine uſura. Sed hæc ratio non videtur urgere. Pretium enim juſtum eſt, quo res vendi ſolent pecunia numerata; ergo ſi credito pluris vendantur, venduntur ultra juſtum pretium ratione dilatæ ſolutionis, & ſic committitur uſura palliata propter lucrum ex mutuo virtuali.

Efficacius alii id probant, quia pretium juſtum rerum eſt, quo res venderentur pecunia numerata, ſi ea præſto eſſet; atqui ſi eſſet in promptu pecunia numerata ad emendas omnes illas merces, pluris venderentur, & per accidens venduntur minoris pecunia numerata, quam credita, quia vendentes indigent pecunia numerata ad ſumptus præſentes, & ideo offerunt merces ultroneas, quarum pretium proinde decreſcit: ergo non committitur uſura vendendo pluris pecunia credita, quam numerata.

Neque dicas cum Lug. num. 106., quod ex multitudine mercium decreſcat earum pretium; unde adveniente copia aliquarum mercium, debeant minoris vendi, quam prius valebant pecunia numerata. Nam totum hoc conceditur; venduntur enim hujuſmodi merces pecunia credita minoris, quam prius pecunia numerata, ſed pluris pecunia credita, quam numerata. Probatur ratione adducta, quia ſcilicet venduntur pretio, quo venderentur pecunia numerata, ſi poſſent omnes merces ſic vendi, ſeu ſi adeſſet copia pecuniæ, uti adeſt copia mercium; quamvis enim aliquis minoris eas emat pecunia numerata, quia indiget ad ſumptus neceſſarios, hoc non facit, quod pretium vulgare illarum non ſit majus, quanti ſcilicet venduntur credito; ſicuti quamvis ſub haſta aliquod ematur vilius, hoc non facit, quominus pretium talis rei vulgare non ſit altius: Si non pauci, ſed multi eas merces emerent pecunia numerata, tunc creſceret earum pretium ex multitudine emptorum; ſicut creſcit, dum emuntur pecunia credita.

Alii cum Sà apud Dian. part. 1. tract. 8. reſol. 21. excuſant ab uſura ex aliis capitibus venditionem iſtam factam pluris credito, quam ſit ſummum earum rerum pretium; primo ſcilicet ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis; ſecundo ratione difficultatis in pretio recuperando; Tertio ratione multitudinis emptorum, quæ facit pretium creſcere. Unde Bonacin. diſp. 3. quæſt. 2. punct. 4. & Filliuc. putant, quod ſi hujuſmodi motiva non interveniant, non poſſit vendi res ultra pretium juſtum rigoroſum. Sed vi rationis a nobis adductæ, ſecluſis his motivis, poſſunt eo pacto res vendi, dummodo verum ſit, quod eo pretio venderentur, ſi præſto eſſet pro omnibus emendis pecunia numerata: Aliter ad hæc alia capita, præſertim lucri ceſſantis, recurrendum eſt, ut vitetur palliata uſura.

ARTICULUS II.

An poſſint res emi vilius ob ſolutionem anticipatam?

I. Quæſtio iſthæc reſolvenda, ut præcedens.

II. Pretium rerum deſumendum eſt ab eo, quod valent non nunc, ſed tempore traditionis.

III. Excuſari poteſt hic contractus plurimis ex titulis; iis tamen deficientibus eſt uſurarius.

IV.

IV. Nec usuram continet, si merces vendantur anticipata solutione minoris, quam valeant tempore traditionis, sed non minoris, quam tunc valerent, si pecunia numerata venderentur.

V. Regula ad dignoscendum pretium justum mercium istarum quænam sit?

VI. Non est eadem ratio de his mercibus, quæ nonnisi anticipato possunt commode emi, ac de tritico, si anticipata solutione minoris ematur, quam valeat tempore traditionis.

VII. Pretium justum vulgare rerum est diversum relate ad merces, quæ solent emi in magna quantitate, ac relate ad eas, quæ in modica quantitate emuntur.

I. QUæstio hæc affinis est superiori, & proportionaliter decidenda; sæpe enim vendi solent lanæ, frondes, triticum, vinum, caseus, oleum, & alia hujusmodi anticipata solutione vilius, quam sit eorum pretium justum infimum. Quapropter quæritur, an in tali emptione contineatur usura palliata?

II. Ante resolutionem prænotandum, pretium justum rei non esse desumendum ex valore præsenti, sed ex valore, quem habebit res tempore, quo tradenda est emptori; Etenim res emuntur in usum, tunc autem veniunt in usum emptoris, quando traduntur; Quare cum venditur res in posterum tradenda, vel vendi debet pretio currente tempore traditionis, vel taxari potest nunc pretium medium inter summum, & infimum, quod probabiliter pro tunc erit, inspectis omnibus circumstantiis. Quod verum est, sive pretium anticipato solvatur, sive non, sive contractus fiat arrha data, sive non data. Hoc posito,

Multi cum Navar., Gutt., Rebel., Valent., utroque Medin., & aliis apud Lug. num. 110. putarunt, usurarium esse prædictum contractum, quia cum ematur res minoris, quam valeat tempore traditionis ob anticipatam solutionem, videtur acquiri lucrum illud præcise ob mutuum virtuale.

III. Plurimi vero apud eundem Lug. contractum hunc ab injustitia excusant in solitis circumstantiis cum Less., Molin., Sà, Salon., Sanch. Et præsertim certum est posse licite anticipata solutione merces minoris emi, quam sit justum earum pretium tempore traditionis; Primo, ratione damni forte emergentis; Secundo, ratione lucri cessantis, si emens eo tempore pecuniam anticipato datam negotiaturus esset; Tertio, ratione periculi aut non recuperandi merces, aut non recuperandi tales, quales offerunt venditores; Quarto, quia sic emendo multiplicantur venditores indigentes anticipato pecunia numerata; unde minuitur justum pretium vulgare rerum; Quinto, quia sic emendo sæpe rogantur emptores, ut emant; ita ut solum in gratiam venditoris emant; unde decrescit etiam ex hoc capite pretium justum mercium, utpote ultronearum; Sexto, quia si hujusmodi merces emerentur omnes numerata pecunia tempore traditionis, vilius venderentur propter earum multitudinem, & necessitates vendentium, quæ in causa essent, ut emptores rogarentur, præsertim ad vitandos sumptus in iis conservandis. Quod si hujusmodi tituli deficiant ad justificandum defectum pretii, communius cum Bonac. hic num. 120. docent contractum esse usurarium.

IV. Equidem censeo juxta dicta articulo superiore, quod si merces istæ anticipata solutione emantur minoris quidem, quam valeant tempore traditionis, sed non minoris, quam tunc valerent, si omnes tunc venderentur pecunia numerata; (in quo casu decresceret earum pretium propter multitudinem vendentium) nulla usura, aut injustitia committatur ab ementibus. Ita Molin. disp. 360. Et ratio ex dictis est, quia pretium justum rerum tradendarum in posterum est illud, quo communiter venderentur pecunia numerata, si tunc venderentur; atqui si tunc venderentur omnes istæ lanæ, frondes, segetes, &c. pecunia numerata, minoris venderentur propter multitudinem venditorum, quam de facto tunc vendantur, dum traduntur; ergo possunt nunc justo pretio minoris emi pecunia anticipata, quam de facto vendantur tempore traditionis.

V. Videndum tamen, ne ex hoc capite immoderate minus pretium solvatur, quia sic certe usura palliaretur. In dubio autem, an pretium sit immoderate minus, & usuram contineat, regula generalis esse debet, quod consulatur praxis communis etiam timoratorum; quod enim communiter fit, dicendum usuram non continere, nisi constet de illa. Signum vero usuræ est, si eo vilius res emitur, quo majus intercedit tempus inter solutionem pretii, & traditionem rei venditæ, nisi excessus hic pretii accipiatur ratione lucri cessantis. Est pariter palliata usura, quando emuntur sic merces ab eo, qui nec in re, nec in spe illas habet; v. g. si emas minoris anticipata solutione centum modios tritici ab eo, cujus fundus non solet tot modios reddere.

VI. Dices; si lanæ istæ, & alia hujusmodi possent minoris emi anticipata solutione, quam sit justum pretim earum infimum tempore traditionis, sequeretur quod posset pariter ab usura excusari, qui v. g. anticipata solutione emit ab Agricola triticum colligendum, & tradendum tempore messis, minoris, quam ab Agricola venderetur eo tempore; sequela non admittitur a Doctoribus; ergo nec id, unde sequitur.

Respondetur, distinguo sequelam; si concurrat aliquis ex illis sex titulis adductis, videlicet lucri cessantis, &c., aut ratio exposita, quod scilicet minoris venderetur triticum tempore messis, si non venderetur passim anticipata solutione, concedo sequelam; si hæc non concurrant, nego sequelam; quæ in hoc tantum sensu non admittitur a Doctoribus. Certe triticum non est ex iis mercibus, quæ emi commode non possunt, nec solent, nisi solutione anticipata, ut sunt lanæ alio transvehendæ, frondes, &c. unde non est eadem omnino ratio de tritico, ac de his aliis mercibus.

Ex dictis sequitur, ut notat Ban., & Salon. apud Salas dub. 42. duo dari justa pretia vulgaria rerum; alterum quo venduntur, aut emuntur in magna quantitate, alterum quo venduntur, aut emuntur communiter pecunia numerata in modica quantitate; illa autem duntaxat, quæ in magna copia distrahuntur, aut venduntur pluris pecunia credita quam numerata, aut emuntur minoris pecunia anticipato soluta, propter rationes adductas.

ARTICULUS III.

An possint citra usuram minoris emi chirographa?

I. Non dubitatur posse minoris emi, si difficilis exactionis ea sint, aut si forte lucrum probabile cesset, vel ex alio motivo extrinseco.
II. Plures, & graves Doctores id permittunt. Præsertim quia communiter pluris æstimatur pecunia præsens, quam futura.
III. Ac proinde ab ipso etiam debitore possent credita istbæc immatura minoris emi.
IV. Sed communior, & vera sententia docet, usuram in hoc contractu latitare; pecunia quippe præsens non est pretiosior, quam futura.
V. Æstimatur illa pluris ob rationes extrinsecas, videlicet quia pecunia futura non facile recuperatur, nec potest ad negotiandum deservire.
VI. Potest minoris emi Apodixa difficilis exactionis, etiamsi emptor ob gratiam apud Judicem facile sit illam exacturus.
VII. Res tanti valet, quanti æstimatur communiter, quamvis ementi sit longe pretiosior.
VIII. Injuste tamen emitur res pretiosa pro vili, si solum a venditore ejus valor ignoratur.
IX. Chirographum non potest minoris emi a debitore, si ex prava sua voluntate sit difficilis exactionis.

I. Quæritur, utrum, si Titius v. g. debeat Cajo centum aureos solvendos post annum, possis tu emere nunc a Cajo nonaginta quinque aureis pecunia numerata tale creditum immaturum; an vero in hac emptione pallietur usura, quatenus virtualiter tu mutuas Cajo nunc nonagintaquinque, ut ille reddat post annum centum, quos illi debet Titius?

Certum est, quod si debitum non sit liquidum, vel si ejus solutio sit difficilis, & ambigua, nec sine expensis, laboribus, ac molestiis obtinenda, possit sine injustitia minoris emi, quam sit integra summa; sicut etiam ratione lucri forte cessantis, vel damni emergentis. Dubitatur itaque si nihil horum subsit.

II. Salon., Armil., & alii apud Salas dub. 39. affirmant, posse hujusmodi apodixas, seu pagas acerbas minoris emi pecunia numerata citra usuram. Quod etiam docuit Bellarm. Lovanii, & Petrus Parra Romæ, teste Less. c. 21. dub. 8.; & Azor. apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 49. damnare non audet sententiam istam, quæ pariter est Cajet. & Navar.

Suadetur autem primo, quia communi omnium judicio magis æstimatur pecunia præsens, quam futura; atqui chirographa ista continent pecuniam futuram: ergo minoris æstimantur centum aurei solvendi post annum, quam v. g. nonaginta quinque præsentes; & consequenter poterunt chirographa minoris emi. Major probatur, quia tanti res æstimatur, quanti communiter offerrent, si venderetur; atqui si vendas jus ad centum solvendos post annum, nemo offerret nunc centum, imo vix nonaginta quinque: ergo non æque, sed magis æstimatur pecunia præsens, quam futura.

Secundo, quia minus est habere actionem, quam rem, ex Leg. *Minus ff. de regulis juris*: ergo potest actio, seu jus ad centum vendi minoris, quam centum.

Tertio, plus solvit, qui ante tempus solvit, ex cap. unico *de plus petitionibus*: ergo plus valent centum de præsenti, quam centum in futurum, ergo ut supra.

Quarto demum quia aliter injustæ essent emptiones censuum personalium, quia in illis nil aliud emitur, quam jus ad pensiones quotannis recipiendas, quæ spatio aliquorum annorum longe superant pretium datum. Quare sicut potest emi jus ad pensiones minoris, quam sint ipsæ pensiones, (v. gr. centum aureis emitur jus ad octo quotannis, qui spatio viginti annorum conficiunt centum sexaginta aureos) ita poterit emi chirographum, quod est jus ad centum, minoris, quam centum.

III. Addit Navar. apud Salas, & Dian. loco laudato cum Tambur., quod hæc chirographa possint emi minoris ab ipso eodem debitore. Quare, qui debet centum post annum, potest sibi hoc creditum emere, solvendo nunc v. g. nonaginta quinque. Putant enim hi Doctores, non intercedere in hoc contractu mutuum virtuale, atque adeo usuram palliatam, sed emptionem veram juris ad centum: Sicut enim emitur jus transeundi, v. gr. per viam, ita potest emi jus ad centum post annum solvendos; quod minoris æstimatur communiter, quam centum nunc; & ideo potest juste minoris emi.

IV. Sed communior, ac vera sententia docet, in hoc contractu usuram palliatam contineri; quod aperte deduci videtur ex propositione 41. damnata ab Innoc. XI., ubi dicitur. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non pluris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest aliquid creditor ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.* Sicut ergo injustus est mutuator, si exigat aliquid ultra sortem ex eo, quod dans centum recipiat a mutuatario jus ad centum, quod dicitur minoris communiter æstimari; ita injustus esset venditor, si dans nonaginta quinque pecunia numerata, velit recipere chirographum, quod est jus ad centum, eo quod minoris æstimetur jus ad centum, quam centum de præsenti. Ratio hujus a priori est, quia præciso lucro cessante, damno emergente, ac periculo non exigendi creditum, non debet pluris æstimari centum de præsenti, quam jus ad centum: ergo si deficientibus istis titulis non potest aliquid ultra sortem accipi a venditore, aut a mutuatario; neque poterit accipi ex eo capite, quod pecunia numerata sit pretiosior numeranda. Antecedens constat ex dictis quæst. 1. art. ult., ubi ostendimus nihil posse mutuantem accipere a mutuatario pro obligatione non repetendi mutuum, v. g. per annum; quia scilicet quando periculum amittendi sortem non est proximum, & spes lucrandi pro illo anno est tantum remota, hæc sufficienter compensantur cum beneficio, quod mutuans recipit, videlicet quod si eo anno pecunia mutuata pereat, non sibi, sed mutuatario pereat. Huc facit eadem doctrina; nam jus ad centum solvendos post annum non valet minoris, quam centum de præsenti, si remotum sit periculum non recuperandi illos, & spes lucrandi iis nummis hoc anno sit pariter remota; quia scilicet hæc compensantur cum eo, quod si interim pecunia credita pereat, non pereat habenti jus ad illam, sed habenti illam; habens enim pecuniam est illius dominus, habetque jus in re; habens vero chirographum habet tantum jus ad rem.

Confirmatur primo, quia aliter posset usurarius dicere, Nolo tibi mutuare nonaginta quinque, sed

sed volo nonaginta quinque aureis emere a te jus ad centum solvendos post annum, quia jus ad centum minoris valet, quam centum nunc, & sic omnes usuræ possent palliari.

Confirmatur secundo, quia aliter debens centum post annum satisfaceret creditori, si nunc daret nonaginta quinque, quod nemo dixerit.

Confirmatur tertio, quia aliter mutuatarius accipiens centum injuste ageret offerendo centum post annum; offerret enim jus ad centum, quod est minus, quam centum de præsenti. Hinc merito Ban., & Salas dub. 29. docuerunt, opinionem oppositam (quamvis Doctorum magni nominis) esse penitus improbabilem; & hujusmodi censenda a fortiori nunc est post propositionem adductam ab Innoc. XI. damnatam.

V. Ad primam rationem in contrarium. Ideo communiter pluris æstimatur pecunia præsens, quam futura, quia sæpissime in pecunia futura est periculum eam amittendi, anxietas, ac molestia, & difficultas ad illam recuperandam: Contra vero in pecunia præsenti sæpe spes est lucrandi propter illam. Quod si hæc capita cessent, imprudenter æstimaretur minoris pecunia futura, quam præsens, cum præsens possit interim furto tolli, aut alio infortunio perire, secus vero futura.

Ad secundam, minus est habere actionem litigiosam, quam rem; secus vero si actio vacet lite, periculo, & incommodo. Unde Bal., & Bartol. apud Salas dicunt, tantum valere actionem, quantum valet res, ad quam est, deductis laboribus, & expensis.

Ad tertiam, plus solvit, qui ante tempus solvit, si scilicet solvat interveniente lucro cessante, aut damno emergente sibimet solventi, ut communiter contingit; si tamen absque proprio damno, aut cessatione lucri ante tempus solvat, non solvit plus quoad substantiam, sed quoad circumstantiam.

Ad quartam, jus ad pensiones in longa serie annorum subjacet multis periculis, & expensis; & ideo jus ad centum multis annis solvendos minoris æstimatur, quam centum, quibus emitur census personalis, ut docet Less.

VI. Dubitatur hic: Si creditor modicam habet spem recuperandi centum a debitore, Titius vero amicus Judicis sperat sua industria creditum istud integre recuperaturum, poteritne Titius emere tale creditum minoris, quam scilicet communiter offerrent creditori pro tali credito molesto?

Negat Salas loc. cit., quia in tantum posset minoris emi a Titio, in quantum damnum aliquod sibi emergeret in illo recuperando: ergo cum supponamus sine damno posse illud recuperare, non est ratio, cur possit minoris emi. Secundo, quia si debitum esset dubium creditori, non tamen Titio, non posset Titius illud minoris emere, tanquam debitum dubium: ergo neque si sit difficile creditori, & facile Titio.

Equidem tamen censeo cum Molin., posse minoris emi a Titio, quia pretium justum rei non est quantum valet res illa emptori, præsertim ob suam industriam, & favorem apud aliquem, sed quantum res illa valet communiter, aut ipsi creditori.

VII. Ad primam rationem in contrarium nego causalem illam esse præcisam; potest enim chirographum minoris emi, si minoris communiter æstimatur, etiamsi emptori nullum damnum emergat in eo recuperando. Sic communiter docent cum Bonac., Less. Molin., apud Dian. part. 1. tr. 4. res. 79 contra Turrian. Quod si quis sciret in fundo alterius latere thesaurum, vel venam metalli, aut fontem, posset illum emere pretio ordinario, seu quanti communiter æstimatur: Pariter si in fasce herbarum, vel lignorum, quæ venduntur, inveniatur herba magnæ virtutis solum nota Titio, poterit hic fascem illum emere pretio currenti, quia pretium justum rerum est quanti communiter æstimantur, non vero quanti æstimantur ab aliquo particulari, & quantum huic prodesse possunt. Unde inferunt Doctores, quod si res aliqua pretiosa parvi æstimetur alicubi communiter, eo quod ignorent incolæ ejus valorem, possit res illa parvi emi; ut fecerunt Hispani ementes aurum ab Indis: Et si lapidario esset ignota virtus alicujus lapidis pretiosi, poterit Titius conscius valoris illius emere lapidem illum pretio communi, quia scilicet in pretio taxando habenda solum est ratio æstimationis communis. Hinc etiam fit, quod si quis ex ignorantia vendat adamantem pro vitro, emptio sit injusta, quia communiter adamas non æstimatur ut vitrum, quamvis vendens putet illum esse vitrum.

VIII. Et per hæc patet ad secundam rationem adductam a Salas; debitum enim si est dubium soli creditori, qui ex ignorantia putat esse dubium, non poterit a Titio, qui sciat illud esse certum, emi tanquam dubium; Sicut non potest adamas emi, tanquam vitrum, quando id procedit ex ignorantia venditoris. Contra vero, quando debitum est in se, & apud alios communiter difficile, potest minoris emi, quanti communiter æstimatur, quamvis Titio facile sit illud exigere.

IX. Notat tamen optime Lug. de emptione num. 102. non posse ipsum debitorem emere minoris debitum suum, quando tale debitum difficultatem habet præcise ex sua prava voluntate; quia tenetur ex justitia talem difficultatem tollere. Quare sicut Rex v. g. non potest minoris emere sua debita; ita nec Ministri Regis poterunt minoris emere debita regia, quia loco Regis ea solvere tenentur, ut notat Molin. disp. 313. & consequenter nec poterunt Ministri Regis dicere amico, ut ea debita minoris emat, quæ postea integre illi solventur diviso lucro. Nec possunt ministri Regis, ut notat Salas de usuris dub. 26., aliquid accipere citra injustitiam a creditoribus Regiis, ut in solutione aliis præferantur; Sicut nec potest ipse Rex accipere ea de causa remissionem partis debiti; quia ex justitia tenetur præferre habentes jus prælationis, & dividere inter reliquos, quod superest, si non sufficiat omnibus.

ARTICULUS IV.

An contractus Mohatra semper sit usurarius?

I. Exponitur contractus Mohatra secundum se.

II. In terminis propositionis confixæ ab Innoc. XI. procul dubio usuram continet sub pallio, & prætextu emptionis, & venditionis.

III. Potest accidere, quod in tali contractu neque contra justitiam peccetur, neque contra charitatem.

IV. Quamvis secluso pacto retrovenditionis usura, & injustitia non contineatur in hoc contractu, facile

facile tamen in eo peccatur contra charitatem, & peccato scandali.
V. In praxi redolet etiam usuram.

I. Dicitur Mohatra emptio, & venditio reciproca ejusdem mercis facta diverso pretio: Ex. gr. indiget aliquis pecunia præsente, & quia non reperit mutuantem, adit mercatorem ab eo empturus merces, puta pannum pretio justo rigoroso, v. g. centum, pecunia tamen credita; & deinde eidem mercatori eandem mercem vendit pecunia numerata pretio justo infimo, puta nonaginta, & hoc pacto pauper amittendo decem habet pecuniam, qua indiget, absque ullo mutuo formali.

Quæritur nunc, Utrum in hoc reciproco contractu emptionis, & venditionis interveniat usura palliata, & quoddam mutuum virtuale?

II. Certum est, usuram contineri, si contractus procedat in terminis propositionis 40. proscriptæ ab Innoc. XI., in qua habetur: *Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri;* prout fuse illam explicavimus in Trutina Thesium damnatarum.

III. Certum etiam est, quod si mercator impotens ad pecuniam mutuandam indigenti offerat merces vendendas pretio justo summo ad creditum, ut eas ipse alteri vendat ad obtinendam pecuniam numeratam, non peccat neque contra justitiam, quia vendit pretio justo, licet summo, neque contra charitatem, quia non potest alia via præcavere damnum proximi, (quod scilicet debeat eandem mercem revendere minoris, quam emerat) cum non habeat pecuniam, ut supponimus, ad mutuandum; si enim haberet, & sine gravi incommodo mutuare posset, facile contra charitatem erga proximum peccaret mercator sic vendendo, ut Doctores advertunt.

IV. Difficultas primo est, utrum contineatur palliata usura, si mercator vendat mercem pretio summo ad creditum Titio, prævidens quod illam sibi revenditurus sit idem Titius pretio justo infimo pecunia numerata, sed sine pacto prævie inito, ne implicito quidem? Less. cap. 21. dub. 16. Navar., Tolet., Rebel., Salas de emptione dub. 37. putant, injustitiam, & usuram in contractu Mohatra sic procedente non contineri. Nam vendere rem ad creditum carius, quam deinde illam redimas pecunia numerata, non fert injustitiam, modo intra latitudinem justi pretii consistatur; quod vero post venditionem mercis illam mercator statim redimat absque ullo etiam implicito prævio pacto, neque fert injuriam venditori; imo potius est illi beneficium, quod non debeat alios emptores inquirere, non facile inveniendos sine sumptibus in proxenetas erogandis. Quamvis autem in hoc reciproco contractu Doctores laudati usuram palliatam, aut injustitiam non agnoscant; docent tamen plerumque peccari contra charitatem, si posset mercator sine magno incommodo pecuniam mutuare, & liberare proximum a magna necessitate, & impendio; Necnon peccari peccato scandali, aliis putantibus, aut præcessisse pactum, saltem implicitum de retrovendenda eadem merce vilius, aut in emptione, & venditione justum pretium non esse servatum.

V. Equidem censeo, speculative solum loquendo, hanc sententiam esse probabilem, non tamen practice. Ratio est, quia vix fieri potest in praxi, quod mercator prævidens mercem mox sibi revendendam non intendat eo colore mutuum, & usuram palliare. Hinc pluribus in Regnis, præsertim Lusitaniæ, & Castellæ, ut notat Pal., puniuntur gravibus pœnis mercatores sic contrahentes cum indigentibus pecunia, perinde ac in fraudem usurarum vendant, ac redimant.

ARTICULUS V.

An sit usuraria emptio fructuum agrestium vilius, ac si essent maturi?

I. Est usuraria talis emptio, nisi solum dematur a pretio, quod requiritur pro expensis faciendis, labore, periculo, ne maturescant.
II. Agnus minoris valet, quam ovis ratione majorum expensarum, ac periculi in ejus nutritione.
III. Damnificans agrum fructuum agrestium restituere debet, quasi perinde ac essent jam maturi.
IV. Similiter scindens arbores in augmento resarcire debet damnum, quod irrogatur de præsenti non minus eo, quod sperabatur ex iis in pleno augmento.

I. Dicendum cum communi, quod si fructus agrestes emantur vilius, ac si essent maturi, idque solum attentis expensis faciendis usque ad maturitatem, labore, industria, ac periculo illos amittendi, contractus sit licitus; si vero adhuc vilius emantur ratione anticipatæ solutionis, contractus est usurarius. Ratio est perspicua; nam sicut est usura rem carius vendere ratione dilatæ solutionis; ita est usura rem vilius emere ratione solutionis anticipatæ.

II. Dices: Oves, & hujusmodi animalia vilius emuntur vix orta, quam aucta: ergo etiam fructus agrestes, quia scilicet non possunt inservire ad usus, ad quos deserviunt, cum sunt maturi.

Sed contra est, quia ovis aucta magis valet ratione majorum expensarum, vel majoris periculi in ejus educatione, quæ licet etiam concurrant, quo tempore fructus maturandi sunt, nihilominus longe minores expensæ, & pericula concurrunt, ut fructus maturescant, quam ut ovis educetur; unde non longe majus æstimandum est pretium fructuum maturorum pretio agrestium; unde e pretio solummodo detrahendum est quanti æstimatur parum illud laboris, industriæ, ac periculi, quæ exigunt.

III. Sequitur hinc primo, damnificantem in agro fructuum agrestium teneri ad valorem eorumdem non solum ut agrestium, sed etiam fere ut maturorum; tum quia tanti fere æstimantur utrique; tum etiam, quia ille est causa, ne maturescant. Quare illud tantum detrahendum esset, quod expendendum fuisset ut maturescant, nec non quanti æstimatum periculum ne perveniant ad maturitatem.

IV. Sequitur secundo, scindentem arbores in augmento teneri ad resarcienda damna earumdem, ac si essent in toto augmento, quia pariter est causa talis damni.

QUÆSTIO V.

De Pœnis Usurariorum, ac de Restitutione ab iis facienda.

NE longum faciamus, omittimus inquirere de Usura palliata in aliis contractibus, præsertim in Censibus, & Cambiis; Commodius quippe, ac magis dilucide discutiemus id, Deo dante, in tractatu de Contractibus. Inquirimus hic primo, Quænam sint Usurariorum pœnæ? Deinde, Num Usurarii usurarum dominium acquirant? Tertio, An restitui debeant quæcumque donantur ab usurario, vel fure? Quarto, Quid teneatur ipsemet Usurarius restituere, præsertim si contractus usurarius bona fide ab eo celebratus sit ut licitus? Quinto, Quid restituere debeant Hæredes Usurariorum? Sexto, Quonam ordine facienda sit restitutio? In sequenti vero quæstione agemus de Gooperantibus ad Usuras.

ARTICULUS I.

Quænam sint usurariorum Pœnæ?

I. Enumerantur sex præcipuæ pœnæ, nempe Infamia, Impedimentum ad sacros Ordines, Suspensio ab Officio, & Beneficio, Privatio sacræ Synaxis, necnon sepulturæ, ac Testamenti irritatio non præstita satisfactione, aut cautione.

II. Quinam dicantur usurarii notorii, qui his pœnis sint obnoxii?

III. Usurarius occultus punitur pœna extraordinaria, sive a Judice Ecclesiastico, sive a Laico, cum delictum sit mixti fori.

IV. Datur in usuris materiæ parvitas, quæ a mortali excuset, necnon a pœnis annexis.

I. USurariis notoriis, ac manifestis variæ pœnæ impositæ sunt tam in jure civili, quam canonico. Prima est infamia, ex cap. *Improbum fœnus cod. Quibus ex causis?* quamvis probabiliter ex Bald. apud Pal. punct. 10. si pœnitentiam agant, famam recuperent. Secunda, quod non possint sacros Ordines suscipere. Tertia est suspensio ab officio, & beneficio; quinimo, quod ab officio, & beneficio adepto deponantur, ex cap. 1. *de Usuris*. Quarta, ut ad communionem altaris non admittantur: Nomine autem Communionis num veniat etiam sacrificium missæ, ita ut ab eo tamquam excommunicati arceantur? Affirmant Molin., & Salas; Negant vero Panormit., & Angelus; Pœnæ enim non sunt extendendæ. Quinta, quod priventur Ecclesiastica sepultura, si in peccato decedant; Et excommunicantur, qui eos sepelire præsumpserint: Non dicuntur autem sepelire, qui funeri honoris causa assistunt, aut funus comitantur, ut docet Less. contra Salas, sed dicuntur sepelire Vespillones, qui tumulant cadaver, Parochus, qui præest funeri, Clerici, & alii, qui cereos portant: idque observandum est, si usurarii in testamento præcepissent usuras restitui, donec aut de facto restitutæ sint, aut sufficiens cautio præstita sit ab hæredibus. Sexta, quod eorum testamenta irrita sint, non præstita satisfactione, vel cautione. Nec absolutio sacramentalis danda est illis, non præstita pariter satisfactione, vel sufficienti cautione; Quod si morte instante hæc præstare non possint, jurent saltem sed id præstituros, si supervixerint, & protestentur coram astantibus quidnam debeant restituere; petatque Confessarius ab iis facultatem manifestandi ea omnia Ordinario, ut hæredes cogat ad ea implenda, ex cap. *Quamquam de Usuris* in 6.; Et hæ sunt præcipuæ pœnæ usurariorum.

II. Dubitatur tamen, quinam dicantur usurarii notorii, seu manifesti, qui his pęnis sint obnoxii? Respondeo, dici notorios, qui tales sunt vel notorietate facti, quatenus usuras exercent coram multis, ita ut nulla possint tergiversatione celari, etiamsi usura sit virtualis; puta si vendant supra justum pretium ob dilatam solutionem: Vel notorietate juris, quando scilicet Judicis sententia de hoc crimine sunt damnati; Immo satis est, quod sint in judicio convicti, etiamsi nondum lata sit sententia, ut communiter docent contra Covar.; Non sufficit tamen, quod infamia laborent apud multos; Nec sufficiunt multi testes singulares circa diversos actus, (atque adeo non contestes) nisi tot sint, ut accedente infamia faciant plenam probationem, & evidenter probent usuram. Utrum autem satis sit confessio extrajudicialis coram multis? Variant Doctores.

III. Quod autem soli usurarii manifesti, qui palam, & frequenter usurarios contractus celebrarunt, has pœnas incurrant, non vero occulti, aut qui una, vel altera vice usuras exercuerunt, docent communiter cum Molin. disp. 334. contra Covar. Siquidem in pœnis strictior interpretatio facienda est: Potest tamen usurarius occultus puniri pœna extraordinaria tam a Judice sæculari, quam ab Ecclesiastico; quia probabilius delictum hoc est mixti fori, ita ut detur locus præventioni, pertinens ad utrumque Judicem, eo quod tam in jure civili, quam in canonico prohibeatur; Quamvis in dubio num aliquis contractus sit usurarius, ad solum Judicem Ecclesiasticum pertineat de illo cognoscere, ut communiter docent apud Dian. part. 1. tract. 2. res. 77.

Dubitatur pariter, utrum in usura detur parvitas materiæ excusans a mortali, & a pœnis annexis? Negat Alphon. de Leone apud Dian. part. 4. tract. 5. res. 30, quia quicquid sorti accidit, usura est. Hoc autem, quicquid, verificatur etiam de materia parva. Sicuti quicquid datur in pretium rei spiritualis, simonia est; & ideo in simonia non datur materiæ parvitas.

IV. Communiter tamen cum Lug. num. 251. docent, dari in usura materiæ parvitatem; esto ea non detur in simonia juris naturalis. In tantum enim non datur in hac simonia materiæ parvitas, quia irreverentia erga rem sacram eo est major, quo minori pretio illa emitur, siquidem sic vilius æstimatur. At quia tota malitia usuræ consistit in injustitia, sicut in furto, & in aliis peccatis contra justitiam datur materiæ parvitas, ita & in usura.

Ad

Ad rationem in contrarium; verum quidem est, quod quicquid ultra sortem datur, etiamsi modicissimum, usura est, sed usura parva; sicuti quicquid invito domino accipitur, etiamsi modicissimum, furtum est, sed furtum parvum. Quare sicut in furto, ita & in usura datur materiæ parvitas.

ARTICULUS II.

Utrum Usurarius dominium usurarum acquirat?

I. Videtur acquirere dominium aliquod debile, utpote cum obligatione illas restituendi.

II. Sed verius nullum dominium usurarum usurarius acquirit.

III. Usuræ juramento promissæ solvendæ sunt, esto possint statim repeti.

IV. Per venditionem factam pretio injusto, aut ex metu transfertur dominium aliquod rei venditæ, quia datur justus titulus; hic autem non habetur in solutione usurarum.

V. Ex quibus plura ad praxim deducuntur.

VI. Si res per usuram, aut furtum acquisitæ vendantur, emptor transfert dominium pretii, sed venditor non transfert earum rerum dominium in emptorem.

VII. Probabiliter rerum, quæ functionem recipiunt, si ab usurario, vel fure vendantur, transfertur dominium in emptorem, quando venditor possit similibus rebus satisfacere domino damnum passo.

I. EX hujus quæstionis decisione pendet resolutio multiplex circa obligationem restituendi usuras. Navar. Armil. apud Salas disput. 38. cum Lug. n. 206. putant, usurarium acquirere dominium usurarum omnium, licet debile, quia scilicet cum obligatione illas restituendi, seu damnum compensandi. Probat id Lugo, quia quæ dantur (saltem contractu oneroso) ex metu cadente in constantem virum, transeunt in dominium accipientis; V. g. si quis ex metu vendat domum Principi, transfert dominium domus in Principem, ut communius docent ex eo, quod metus non tollat voluntarium simpliciter; quamvis hujusmodi contractus sint irritandi ad arbitrium metum passi: ergo etiam qui tradit usurario usuras ratione mutui, transfert illarum dominium. Consequentia probatur, quia in utroque casu accipiens caret justo titulo ad accipiendum, & dans habet voluntatem mixtam aliquo involuntario. Communis tamen sententia est in oppositum, ut innuimus quæst. 2. art. 3.

II. Dico itaque cum Less. Molin. Azor. Bonac. Usurarium non acquirere dominium eorum, quæ supra sortem ob mutuum accepit, quamdiu ea discerni possint a propriis rebus.

Probatur, tum quia usura reducitur ad furtum, ex cap. *Si quis usuram* 14. *quæst.* 4. & eodem præcepto utrumque prohibetur; atqui fur non acquirit dominium rei furtivæ, ex Leg. *In re furtiva*: ergo nec usurarius usurarum: Tum etiam, quia, ut supra diximus, dominium rei non acquiritur per nudam illius traditionem sine justo titulo, seu causa; traditio autem usurarum non solum est sine justo titulo, sed est positive cum titulo injusto, videlicet mutui, in quo nihil supra sortem accipi debet. Tum demum, quia mutuatarius non intendit donare liberaliter usuras, sed solum vult illas dare in quantum debitas: ergo cum non debeantur, non transfertur illarum dominium. Et hinc est, quod promittens usuras non teneatur eas solvere, quia promittuntur usuræ non liberaliter, sed in quantum debitæ; ergo deficiente debito, deficit obligatio promissionis.

III. Ubi advertendum, quod si juramento sint promissæ, solvendæ sint in reverentiam Numinis invocati, ne videatur Deus adductus in testem falsi, ex cap. *Quemadmodum de Jurejurando*; ita tamen; ut per traditionem non acquiratur ab usurario dominium illarum, sed possint statim repeti; quia scilicet non solvuntur ut debitæ, sed tantum traduntur prout juratum est.

IV. Oppones; ideo dominium usurarum ab usurario non acquiritur, tum quia cum admixtione involuntarii traduntur; tum etiam, quia sine justo titulo: atqui neutra ratio urget: Non prima: pauper enim necessitate pressus dum vendit domum, involuntarie mixte vendit; ea tamen venditio est valida; ita ut per illam transferatur dominium domus in emptorem: ergo etiam usurarum donatio erit valida, quamvis mixta involuntario: Neque secunda, quia quando venditur res titulo injusto, (videlicet injusto pretio) adhuc dominium rei transfertur in emptorem: ergo usurarius dominium usurarum acquirit.

Respondeo, concessa majori, nego minorem. Ad probationem primæ partis, concesso antecedente, nego consequentiam. Ratio enim, cur non transferatur dominium usurarum, non est præcise, quia involuntarie mixte solvuntur, sed etiam quia solvuntur quatenus debitæ, & sine justo titulo; Contra vero, quando venditur domus involuntarie mixte, habetur titulus justus, ratione cujus dominium domus transferatur, videlicet venditio absoluta; & traditur domus, quatenus revera debetur propter pretium acceptum; ubi solutio usurarum, & donatio est conditionata, si scilicet debentur, quæ tamen revera non debentur. Ad probationem secundæ partis, quando venditur res injusto pretio, datur titulus justus venditionis, quamvis hic sit etiam partim injustus ratione injusti pretii, & ideo cum obligatione reducendi excessum, vel defectum ad æqualitatem: at in traditione usurarum nullus datur titulus justus, ratione cujus transferri possit dominium.

Et per hæc patet ad rationem Lugonis, quare scilicet venditio facta ex metu cadente in constantem virum sit valida, non vero donatio usurarum, quæ pariter est mixta involuntario. Etenim propter illam venditionem transfertur dominium, quia datur titulus justus ad dominii translationem, nempe ipsa venditio, quamvis hujusmodi titulus sit partim injustus ratione metus injuste incussi; unde contractus, etsi non sit irritus, est tamen ad arbitrium metum passi irritandus: Contra tamen in casu nostro non datur ullus titulus justus ad translationem dominii relate ad usuras; quia nec mutuum de se est titulus, seu causa justa transferendi dominium rei sumpta sorte, ut patet; nec donatio, quæ non est liberalis, & absoluta, sed conditionata; quia traduntur usuræ prout debitæ, quæ tamen non debentur.

V. Hinc sequitur primo, quod si oleum, triticum, pecunia, &c. tradita usurario supra sortem debitam

apud

apud ipsum crescant, incrementum debeatur mutuatario, quia res domino crescit, ut domino perit. Secundo, si res usurario traditæ fructificent, fructus (dummodo non sint mere industriales) mutuatario pariter debentur, quia res domino fructificat. Tertio, si usurarius non possit omnibus creditoribus integre restituere, tenetur præferre mutuatarium aliis creditoribus, etiam hypothecariis, in re propter usuram acquisita. Quod si usurarius res per usuram acceptas cum rebus propriis, vel cum ipsa sorte (cujus habet dominium ratione mutui) permisceat, & ita confundat, ut discerni nequeant, evadit quidem dominus totius acervi, ex Leg. *Si alieni nummi*, *ff. De solutionibus*, cum non sit major ratio, cur hujus potius, quam illius partis sit dominus, sed evadit dominus imperfectus, seu ita, ut etiam mutuatarius sit ejusdem cumuli imperfectus dominus, ita ut possit partem sibi suam usurpare, & in qua reliquis creditoribus debeat præferri, etiam privilegiatis, ut notat Less. dub. 18. & Pal. punct. 25.

Ex dictis demum sequitur, Usurarium non posse in alterum transferre dominium rei propter usuram acquisitæ, sive per contractum gratuitum, sive onerosum. Ratio est, quia nemo potest in alterum plus juris transferre, quam in se habeat, ex Leg. *Ex emptore De actionibus empti*: Potest solum transferre dominium rerum propriarum, quin teneatur accipiens ad restitutionem illarum, dummodo tamen non accipiat in fraudem creditorum, quibus usurarius non est solvendo.

VI. Dices, Si usurarius vendat equum per usuram acceptum, acquirit dominium pretii, quamvis teneatur domino equi damnum resarcire; ergo pariter in hoc casu transfertur dominium equi in emptorem.

Respondetur, nego consequentiam. Antecedens est verum ex Leg. *rem alienam*, *ff. De contrahenda emptione*; consequens est falsum tum ex eadem Lege, tum etiam ex Leg. laud. *Ex emptore*. Et ratio, cur non transferatur dominium equi, si vendatur ab usurario, vel a fure, est perspicua, quia nemo dat dominium, quod non habet; ratio vero, cur transferatur dominium pretii in usurarium, vel furem vendentem equum furtivum, est, quia emptor est dominus pretii, & habet voluntatem transferendi dominium illius absolute, non vero sub conditione, quod acquirat dominium equi venditi; quia sibi sufficienter consultum putat ex eo, quod venditor teneatur de evictione, possitque adversus illum agere ad totale interesse, ut notat Pal. disp. 1. punct. 14. Oportet tamen emptorem esse ignarum, quod sibi vendatur equus furtivus, ad hoc ut usurarius, vel fur vendens illum teneatur de evictione, & ad damna sequuta; quia emptor conscius vitii rei venditæ totum illud periculum in se suscipit, nisi contrarium expresserit, ex Leg. *si fundum*, *Cod. de Evictionibus*.

VII. Illud probabile censet Hurt. dub. 3. diff. 20. Pal. loc. cit. ex Salas, Salon., Valent., contra Molin. disp. 330. & Bonac. disp. 3. quæst. 3. punct. 14. quod si fur, & usurarius res usu consumptibiles alienet, sive donando, sive vendendo, &c. donatarius, vel emptor ignarus, quod res illæ sint alienæ, acquirat earum dominium ex præsumpta dominorum voluntate, quando scilicet usurarius, & fur possunt aliter ex rebus propriis satisfacere. Et ratio est, quia quando fur habet res ejusdem bonitatis, & speciei, dominus irrationabiliter est invitus, quod res illæ alienentur; dummodo æque bene possit sibi a fure satisfieri rebus similibus; ideo enim hujusmodi res dicuntur functionem recipere, quia promiscuum usum habent in solutione, ita ut unum pro alio, etiam invito creditore, dari possit, ut docent Juristæ. Hinc omnes concedunt, furem non teneri eandem numero rem restituere, si ea functionem recipiat; v. g. non tenetur eandem in individuo pecuniam furto sublatam restituere, sed potest illam donare, aut expendere, dummodo æqualem pecuniam habeat ad restituendum; quod idem Molin. nobis contrarius concedit: ergo poterit pariter harum rerum functionem recipientium transferri dominium ab usurario, vel fure, non quia earum dominium habeant, sed ex voluntate dominorum rationabiliter præsumpta. Nam ex regula juris, *Quod mihi prodest, & tibi non nocet, facere possum*; atqui harum rerum dominis non nocet, mihi vero prodest, quod sine ullo onere, tamquam Dominus eas a fure, vel usurario accipiam, quando fur habet æquivalens, quo satisfaciat: ergo possum re usu consumptibili, & functionem recipiente, ab usurario, vel fure empta, aut mihi donata, tanquam dominus uti; Quod clarius constabit art. seq.

ARTICULUS III.

Utrum restitui debeant quæ ab usurario, vel fure donantur?

I. *Nullus contractus cum usurario initus est invalidus, si usurarius non alienet bona propria in præjudicium creditorum.*

II. *Accipiens bona fide aliquid ab usurario in præjudicium creditorum num teneatur illud restituere?*

III. *Solum donationes hujusmodi ab usurario causa mortis factæ a jure irritantur.*

IV. *Inducens usurarium ad alienandas res suas in præjudicium creditorum peccat contra justitiam.*

V. *Videtur contra justitiam peccare, & ad restitutionem teneri, qui aliquid accipit ab usurario, vel fure conscius, quod sic ille reddatur impotens ad solvendum æs alienum.*

VI. *Sicut qui dono accipit vestem, quam scit esse alteri prius venditam.*

VII. *Opposita tamen sententia videtur probabilis; cum per accidens duntaxat inferatur creditoribus præjudicium.*

VIII. *Et similiter potest dono accipi vestis alteri vendita, antequam per traditionem, aut per venditionem translatum sit dominium in emptorem.*

IX. *In pluribus casibus sententia isthæc etiam ab Adversariis admittitur.*

I. QUæritur universim, an contractus initi cum usurario de rebus propriis invalidi sint? Si enim sunt invalidi, restituenda procul dubio sunt, quæ ab usurario, vel a fure donantur.

Certum est primo, quod si usurarius (& idem dices de furibus, raptoribus, & similibus) alienando aliquid, cujus habet dominium, non reddatur impotens ad satisfaciendum creditoribus suis, alienatio est valida, & firma in utroque foro, sive alienetur res contractu gratuito, sive oneroso.

II. Certum est secundo, quod si per alienationem rei propriæ usurarius reddatur impotens ad satisfaciendum creditoribus suis, qui hujusmodi rem accipit ignarus talis impotentiæ, valide, & licite accipit in foro conscientiæ absque ullo onere restitutionis. Ita communiter cum Less., Salas, Rebel., Mol. apud Pal. disp. 1. punct. 14. Ratio est, quia usurarius donat rem suam; ergo valide, & licite accipitur a donatario ignorante hujusmodi donationem esse in præjudicium, seu contra jus creditorum. Obligatio enim restitutionis neque oritur in tali casu ex re accepta, quippe quæ non erat creditorum, sed alienantis; neque ex injusta acceptione: quandoquidem sine justitia accipitur ab ignorante illam impotentiam. Verum in foro externo cogitur restituere quicumque aliquid ab hujusmodi usurario acceperit titulo lucrativo, (non tamen quæ accepit titulo oneroso) ex leg. *Quod autem ff. quæ in fraudem creditorum*; præsumitur quippe in hujusmodi contractu lucrativo fraus: Requiritur tamen, ut creditores rem illam intra annum postulent: Quod si conscius fuerit illius impotentiæ, in foro externo reddenda sunt etiam, quæ titulo oneroso accepta sunt, nullo pretio restituto, ex Leg. *Qui a debitore, ff. quæ in fraudem creditorum*; idque in pœnam fraudis.

III. Certum est tertio ex Molin., Less., Salas, Rebel. apud Pal. loc. laud. quod si testamento, legato, aut donatione causa mortis aliquid acceperis ab usurario in creditorum præjudicium, non solum in foro externo, sed etiam in interno invalidum est testamentum, legatum, & donatio causa mortis: & consequenter teneris in conscientia illud creditoribus restituere, etiamsi bona fide acceperis, ut expresse habetur in dicta Lege *Quod autem*. Ratio autem, cur irritentur in jure hujusmodi ultimæ voluntates usurariorum, non vero donationes inter vivos, est, quia usurarius post mortem non potest aliter satisfacere creditoribus, quam rebus, quæ supersunt; Unde congruum fuit, quod non possent istæ alienari: Contra vero, dum vivit, poterit pluribus viis alia bona comparare, quibus satisfaciat creditoribus, & ideo donationes inter vivos non irritantur.

IV. Certum est ultimo, quod si positive inducas usurarium ad alienandas res suas in præjudicium creditorum, peccas contra justitiam, & teneris ad restitutionem; Sicut enim contra justitiam peccat sic alienans, ita & qui ad alienandum inducit, quia ejusdem peccati est particeps.

V. Controversia itaque solum est, An si usurarius, vel fur tibi aliquid donet in præjudicium creditorum, quibus non est solvendo, & tu conscius talis impotentiæ illud acceptes, tenearis in foro conscientiæ restituere, etiamsi non petatur a creditoribus?

Affirmant Sot., Sylv., Cajet., Rebel. part. 2. lib. 1. quæst. 7. cum Pal. disput. 1. punct. 14. Ratio est, quia acceptans hujusmodi donationem est causa efficax damni injusti, perinde ac si ad eandem donationem usurarium induceret; atqui si induceret, in omnium sententia teneretur ad restitutionem, quamvis acquireret dominium rei donatæ: ergo pariter acceptans non inducendo ad illam. Major patet, quia acceptatio donationis rei ab usurario donatæ est causæ efficax, ut res alienetur in præjudicium creditorum; (quandoquidem sine acceptione donatio est nulla, & ideo nulla est alienatio) ergo acceptans donationem eodem modo est causa efficax damni, ac inducens ad illam; uterque enim positive concurrit suo actu ad alienationem injustam.

Neque dicas; Petens mutuum ab usurario, aut juramentum ab eo, qui est pejeraturus, aut ministrans carnem violaturo jejunium, potest non peccare concurrendo ad hujusmodi peccata, si urgens causa excuset: ergo pariter acceptans dictam donationem; hic enim propter bonum proprium notabile potest permittere præjudicium creditorum: sicut petens mutuum, aut juramentum potest permittere peccatum usurarii, & perjurium.

Nam contra est, quia in casibus adductis petitio mutui, aut juramenti non est causa per se, ut exigantur usuræ, aut pejeretur, cum possit illa consistere, quin hæ actiones pravæ sequantur. Contra vero acceptatio donationis est causa per se alienationis rei, atque adeo injustitiæ adversus creditores: ergo acceptans donationem usurarii contra justitiam peccat, atque adeo ad restitutionem tenetur.

VI. Confirmat Pal., quia si emas, aut dono acceptes vestem a Titio, quam scis venditam prius Cajo, teneris illam Cajo reddere, quia per injustam emptionem, aut donationis acceptationem impedis, ne illam habeat Cajus, cui debetur; atqui in casu nostro bona usurarii debentur creditoribus: ergo si emas, aut dono illa acceptes ab usurario, ad restitutionam pariter teneris.

VII. Equidem tamen censeo cum Molin. disp. 328. Hurt. disp. 3. dif. 20. Less. n. 168. Salas dub. 41. & Nav. contra quamplures apud Bonac. disp. 1. qu. 8. punct. 2. num. 27. eum, qui aliquid accepit titulo gratuito, vel oneroso ab usurario, vel fure, probabiliter non teneri in foro conscientiæ ad restitutionem, etiamsi noverit, tradentem fieri impotentem ad satisfaciendum creditoribus suis; dummodo illum non induxerit ad donandum, & res, quæ donatur, sit ipsius usurarii, vel furis.

Probatur, quia talis donatarius acceptando donationem videtur uti jure suo, licet ex illa acceptatione per accidens sequatur damnum proximi: Et ratio a priori est, quia donatio ista, & alienatio bonorum usurarii non est damnificativa creditorum per se, sed per accidens; quatenus conjungitur cum impotentia usurarii ad satisfaciendum; quæ impotentia non oritur ex alienatione, sed ex defectu aliorum bonorum; atqui acceptans donationem non est causa, quod alienanti deficiant alia bona, neque est causa, quod illis deficientibus, usurarius velit alienare; (sicut est causa, quando inducit ad alienationem) sed solum utitur jure suo acceptandi donationem, posito quod usurarius velit alienare: ergo hujusmodi acceptans non potest dici causa efficax damni, unde ad restitutionem teneatur. Immo nec peccat contra charitatem, quia neque charitas exigit, ut proprium bonum contemnatur ad consulendum bono, seu utilitati æquali creditorum.

Et per hæc patet ad rationem in contrarium; acceptatio enim donationis, licet sit causa per se alienationis rei, non tamen est causa per se damni creditorum, sed est causa per accidens; quatenus conjungitur cum defectu aliorum bonorum, quibus possit usurarius satisfacere. Contra vero inducens ad hujusmodi alienationem dicitur esse causa per se damni creditorum, quia trahit voluntatem inju-

stam

ſtam alienandi, non vero duntaxat permittit, ut facit, qui tantum acceptat donationem utendo jure ſuo.

VIII. Ac confirmationem, vel ſupponimus per venditionem translatum eſſe dominium rei venditæ ante traditionem, ut accidit, quando venditur, vel donatur res Eccleſiæ, Monaſterio, Civitati, locis piis, ex leg. ultima, Cod. *de ſacroſanctis Eccleſiis*; vel ſupponimus, dominium transferri poſt traditionem rei venditæ, ut accidit in reliquis venditionibus: ſi ſupponatur hoc ſecundum, nego te committere injuſtitiam ullam, ſi ſolum dono acceptes rem alteri venditam; dummodo non inducas ad donationem, quia recurrunt eædem doctrinæ. Si vero ſupponatur primum, ideo tenetur ad reſtitutionem, qui dono acceptat a Titio veſtem venditam Eccleſiæ, quia per venditionem translatum eſt dominium in Eccleſiam, unde Titius donaret veſtem alterius non ſuam. Contra vero, quamvis bona uſurarii debeantur creditoribus, non ſunt tamen creditorum, ſed uſurarii: ergo acceptans rem donatam ab uſurario in præjudicium creditorum, non acceptat res creditorum, atque adeo non tenetur illis reſtituere.

Addendum hic, quod licet vera eſſet oppoſita ſententia, quod hic ad reſtitutionem teneatur, adhuc communiter docent cum Pal. loc. cit. punct. 15. Salas dub. 42. Sylv. Sot. Primo, quod vendens uſurario, vel furi ea, quæ neceſſaria ſunt ad ejus ſuſtentationem, & ſtatus juſti conſervationem, ad reſtitutionem non teneatur, nec peccet, etiamſi videat uſurarium ſic reddi impotentiorem ad ſatisfaciendum creditoribus ſuis. Ratio eſt, quia ſtante ea neceſſitate, licite debitor differt debiti ſolutionem; ergo ad id concurrens etiam poſitive inducendo uſurarium ad hujuſmodi emptiones, inducit ad actum licitum; & conſequenter non peccat, nec tenetur reſtituere.

Secundo propter eandem rationem licite famuli conducunt ſuas operas uſurariis impotentibus ſatisfacere, ſi iſti ad ſui ſtatus conſervationem indigeant tali famulatu; Imo ſi non indigeant, & bona fide famuli inſervierint, adhuc poſſunt ſtipendia exigere, quia juſte ſunt conſtituti creditores, quibus debitor æque, ac aliis creditoribus obligatus ſit.

Tertio, Uxor licite poteſt ex bonis mariti uſurarii impotentis ad ſatisfaciendum accipere, quæ ad congruam ſuſtentationem ſunt neceſſaria; quia maritus ea concedere debet. Idem dic de filiis pro alimentis; (ſi tamen proprio labore, aut induſtria non incongrua ſuo ſtatui ea comparare non poſſint) quia tunc cum aliis creditoribus concurrunt, & potiorem locum obtinent ob ſanguinis conjunctionem.

Quarto demum ex Salas dub. 44. & Pal. contra Rodriq. Syl. Lopez. Molin. diſp. 230. poteſt uſurarius impotens ad ſatisfaciendum moderatam, & congruam dotem filiæ conſtituere, quia conſtitutio dotis pertinet ad conſervationem ſtatus. Neque dicas, dotem, ac donationem ad nuptias conſtitui debere ex iis, quæ ſuperſunt parenti, ære alieno deducto. Nam unum ex debitis parentis eſt, filiæ volenti nubere media nuptiis neceſſaria conſtituere; proinde ad conſervandum ſtatum, & naturali, debitæque obligationi ſatisfaciendum, ſolutio aliorum debitorum ſuſpendi poteſt.

ARTICULUS IV.

Ad quid teneatur ipſemet Uſurarius, præſertim quando lucrum ex contractu uſurario bona fide reportatum eſt?

I. De uſurario mentali quid dicendum?

II. Uſurarius realis ſecundum ſe tenetur reſtituere etiam fructus uſurarum, tam illos, quos dominus percepiſſet, & ipſe non percepit; quam illos, quos ipſe percepit, & dominus non percepiſſet; dummodo non ſint mere induſtriales.

III. Videtur reſtitutio hæc facienda, etiamſi contractu licito potuiſſet reportari lucrum, quod ex contractu uſurario bona fide reportatum eſt.

IV. Sed probabiliter iſthæc obligatio in tali caſu non datur.

V. Idemque videtur dicendum de lucro ſimoniaco, ac de uſurario.

VI. Reſtitutio tamen facienda, ſi ſolum in contractum mutui expreſſe conſenſerit mutuatarius.

VII. Diſpar eſt ratio inter matrimonium celebratum cum errore concomitante circa perſonam, & inter contractum uſurarium bona fide celebratum.

I. Diximus breviter quæſt. 5. art. 1. ad quid teneatur uſurarius mentalis; videlicet, quod ſi quid accipiat mala fide, ſeu mente uſuraria, credens illud ſibi dari in pretium mutui, teneatur reſtituere, donec cognoſcat, rem ſibi liberaliter fuiſſe datam; Si vero quid acceperit bona fide, datum tamen a mutuatario in pretium mutui, tunc teneatur reſtituere, quando talem animum mutuatarii deprehendit. Quid vero hac in re alterius Doctores ſenſerint, loc. laud. retulimus.

II. Dicendum nunc de uſurario reali, qui certe, non ſecus ac fur, reſtituere tenetur non ſolum uſuras, ſed etiam omne damnum, quod forte emerſit mutuatario, ac lucrum ceſſans; necnon fructus ipſarum uſurarum, qui non ſint mere induſtriales. Utrum autem teneatur ad reſtitutionem fructuum, quos ipſe non percepit, ſed dominus percepiſſet, aut quos ipſe percepit, & dominus non percepiſſet; conſtat ex regulis generalibus de reſtitutione: utroſque enim reſtituere tenetur, detractis expenſis, & æſtimatione laborum, ut videre eſt apud Bonac. diſp. 1. quæſt. 3. punct. ult. illos quidem, quia fuit cauſa efficax talis damni: iſtos vero, quia res domino fructificaſſet, etiamſi in manu domini non fructificaſſet. Non negaverim, quod ſi Domini, quibus facienda eſt reſtitutio, eſſent incerti, quia in tali caſu reſtitutio facienda eſſet pauperibus, ſi ipſe uſurarius eſſet pauper, poſſet bona reſtituenda ſibi applicare, cum ipſe non ſit deterioris conditionis aliis pauperibus, ut notat Leſſ. cap. 14. num. 41. nec videtur in hoc petenda licentia Epiſcopi, aut Confeſſarii, quam requirit Bonac. diſp. 1. quæſt. 3. punct. 4. putans, ad ſolum Superiorem pertinere diſtributionem incertorum. Idem dicas, ſi in reſtitutione facienda domino certo longe majores expenſæ faciendæ eſſent, quam res ipſa valeat; tunc enim ſi non ſit ſpes, quod differendo ſolutionem poſſit reſtitutio fieri ſuo domino, poterunt ea bona pauperibus erogari, atque adeo poterit ea ſibi uſurarius retinere, ſi eſt pauper; ut docent Molin. Leſſ. Salon. Bonac. diſp. 1. quæſt. 5. contra Cajet. Navar. Valen. apud Vaſq. cap. 10. dub. 1. num. 27. quia domi-

dominus non videtur in hoc rationabiliter invitus: non enim rationabiliter vellet restitutionem sibi fieri cum tanto debitoris gravamine.

Illud acerrime in dubium revocatur, quod innuimus in calce quæst. 2., Utrum qui bona fide contractum usurarium celebravit, reportando inde lucrum, quod potuisset reportare ex alio contractu justo, puta census, aut societatis trium, quem certe celebrasset, si advertisset illum esse iniquum, teneatur ad restitutionem talis lucri?

III. Communiter affirmant cum Molin., Less. dub. 12. Azor. Salon., Bonacin. disput. 3. quæst. 3. punct. 15., & aliis apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 47. Ratio est, quia acquisita contractu injusto retineri non possunt; sic si quis emat domum pretio injusto infra infimum, non potest defectum pretii retinere, quamvis bona fide talem contractum celebraverit, & potuisset tantundem lucrari celebrando alios contractus, vel negotiando pecuniam suam. Quare bona fides nullatenus suffragari videtur, ut possit res aliena retineri.

Neque obstat, quod tale lucrum reportari potuisset, si alius contractus esset celebratus; quia contractus conditionatus non transfert dominium absolute. Quis enim dixerit, posse me accipere librum Petri, per hoc, quod si ille eum donasset, esset meus? In iis duntaxat casibus permittit Lessius ex Valent. quod retineri possit lucrum ex contractu usurario bona fide celebrato, quando scilicet mutuans intendit lucrari omni titulo, quo potest, vel si intendat accipere lucrum eo modo, quo consuevit a mercatoribus timoratis accipi; vel si ab initio, quando se applicuit ad negotiandum, habuit voluntatem generalem lucrandi omni titulo, quo potest; ex qua voluntate procedat hic contractus; & a fortiori, si explicite dicat velle lucrari modo meliori, quo potest.

Hæc tamen non sunt sine difficultate: Nam si mutuans expresse dicat se velle lucrari eo meliori modo, quo potest, & mutuatarius consentiat, procul dubio lucrum, quod contractu justo reportari potuisset, non est restituendum, etiamsi contractus celebratus bona fide fuerit usurarius; At si mutuatarius solum consentiat ad dandum lucrum, tanquam debitum vi mutui, certe non habet actionem transferendi dominium, si contractus bona fide celebratus sit usurarius, licet habeat voluntatem mutuans lucrandi omni modo, quo potest; ergo adhuc in casibus adductis a Less. videtur hujusmodi lucrum restituendum.

IV. Nihilominus Tanner., Sà, & alii apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 92. cum Lugo disput. 25. sect. 9. probabiliter putant, lucrum ex contractu usurario bona fide celebrato reportatum simpliciter retineri posse, si illud ex contractu justo reportari potuisset. Ratio solida videtur esse, quia in mutuante adest semper intentio virtualis, & implicita lucrandi eo meliori modo, quo potest, posito quod bona fide contractum usurarium celebret putans esse licitum; Ex altera parte in mutuatario est voluntas solvendi lucrum illud tanquam debitum mutuanti ea ratione, qua illi debetur; quare cum ex voluntate implicita mutuantis ponendi contractum, quo possit licite lucrari, vere tale lucrum debeatur, consequenter transfertur licite, & juste dominium lucri in ipsum mutuantem.

Confirmat hoc Lugo ex doctrina ejusdem Less. & aliorum communiter, quia scilicet, ut justificetur interesse ratione damni emergentis, non est necessarium, quod dicatur explicite mutuatario, hujusmodi interesse recipi ratione damni emergentis. Et ratio est, quia, quamvis mutuatarius nollet tale interesse solvere, adhuc tamen consentit in illud, prout est debitum mutuanti, & consequenter cum revera sit debitum ratione damni emergentis, transfertur illius dominium juste, & licite. Idem autem dicendum in casu nostro, quod scilicet non sit necesse exprimere mutuatario lucrum recipi ratione contractus alterius justi, sed satis est, quod exigatur bona fide, tanquam debitum, ut mutuatarius censeatur in illud consentire in quantum debitum; & quia ratione contractus alterius justi, qui posset explicite celebrari, revera est debitum, ideo revera ejus transfertur dominium, juste quidem, ac licite ratione contractus justi implicite, ac virtualiter celebrati. Et hoc pacto passim ab indoctis celebratur contractus Trium, quem explicare nesciunt.

Neque obstat ratio adducta a Less. de vendente v. gr. pretio injusto: hic enim nullatenus potest excessum pretii retinere, etiamsi bona fide illud acceperit, ac potuisset idem pretium habere ex alio contractu justo. Et disparitas est, quia emptor excessum pretii dat, duntaxat in quantum debitum ratione emptionis; unde si non debeatur, non transfertur dominium. Contra vero mutuatarius non solvit usuras, tanquam debitas ratione mutui, sed solum prout debitas aliquo titulo mutuanti; (aliter si deberentur ratione damni emergentis, & non fuisset hoc expressum, non transferretur illarum dominium) ergo cum revera debeantur vi alicujus justi contractus, qui implicite celebratur, vere illarum dominium transfertur.

V. Neque urgeas, quod posset pariter a Simonia excusari, & ab onere restitutionis, qui bona fide recepit munus, tanquam pretium beneficii Ecclesiastici, si posset illud alio titulo justo accipere, nempe ex liberali donatione. Nam idem omnino probabiliter etiam dicendum de Simonia, ac de usura: si enim bona fide aliquid acceptum sit a conferente beneficium, quod scilicet posset citra Simoniam accipi, tanquam datum liberaliter, non debet restitui; Nisi tamen expresse habuerit alter animum non conferendi illud liberaliter: Sicuti si mutuatarius expresse habeat animum non conferendi interesse ratione damni emergentis, aut ratione contractus justi, sed solum tanquam debitum vi mutui, neque transferretur dominium, quia vi mutui præcise nihil debetur.

VI. Neque replices hinc sequi, fere nullum usurarium ad restitutionem teneri, quia fere omnes possent lucrari contractu aliquo licito, quando lucrati sunt contractu usurario. Negatur enim sequela primo, quia nos duntaxat loquuti sumus de celebrantibus contractum usurarium bona fide: si enim mala fide celebretur, trahit onus restitutionis, ut communissime Doctores docent contra Verricel. apud Tamb. c. 8. §. 3. Secundo, si mutuatarius expresse voluerit dare lucrum præcise ratione mutui, diximus restituendum esse, licet bona fide acceptum sit, quia dici non potest alium contractum licitum implicite celebratum esse.

VII. Oppones; qui matrimonium bona fide contrahit cum errore concomitante (v. g. qui putans contrahere cum Teresia, contrahit cum Berta, cum qua etiam contraxisset, si scivisset illam esse Bertam) invalide contrahit cum Berta, ut communiter docent cum Sanch. lib. 7. disp. 8., quia scilicet consensus absolutus est cum Teresia absente, & cum Berta præsente consensus est solum conditionatus: ergo pariter celebrans absolute contractum mutui cum errore concomitante, (videlicet putans celebrare contractum licitum, quem certe celebrasset, si scivisset contractum mutui esse usurarium) adhuc invalide contrahit contractu licito; & consequenter tenetur restituere lucrum ratione mutui acceptum; licet potuisset illud licite accipere ratione alterius contractus justi.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est primo, quia in matrimonio error Personæ est error quoad substantiam; at in acquisitione lucri error contractus est error quoad circumstantiam. Sic apud Lugo disp. 17. de Justitia num. 75. si quis volens occidere Cajum inimicum occidat Titium amicum, putans invincibiliter esse Cajum, nonnulli putant quod forte non teneatur ad restitutionem, ut videre est apud Tamb. l. 6. in decal. cap. 4. num. 30. quia error est circa substantiam, cum sit circa personam; (quamvis Lugo ab hoc discutiendo præscindat) & communius Doctores oppositum doceant: At si quis incendat bona Titii amici putans incendere bona Caji inimici, adhuc tenetur ad restitutionem, quia error circa dominium bonorum est accidentalis.

Secundo, disparitas est, quia in eo matrimoniali contractu non datur, sed daretur consensus absolutus circa Bertam; in casu vero nostro datur absolutus consensus, si minus actualis, certe virtualis relate ad contractum licitum, posito quod bona fide celebretur contractus usurarius.

ARTICULUS V.

Ad quid teneantur hæredes usurariorum?

I. Tenentur restituere, quod Testator usurarius tenebatur. Sed quid si vires hæreditatis non sint satis?

II. Quid si hæreditas dividatur ante solutionem usurarum?

III. Si dividatur hæreditas cum onere, quod quilibet suam partem usurarum restituat, num omnes in solidum teneantur?

IV. Filii participantes in debito paterno usurarum certe in solidum tenentur.

V. Legatarii non tenentur usuras solvere in defectum hæredum, si hæreditas sit sufficiens ad utrumque.

I. Constat primo teneri hæredes ad restituendas usuras testatoris usurarii, si hic in vita non restituerit, ut habetur in cap. *Tua nos de usuris*: cum enim defunctum repræsentent, & in ejus bonis succedant, debent etiam succedere in oneribus.

Utrum autem teneamur supra vires hæreditatis? Certum est non teneri, si inventarium confecerunt; si vero illud non confecerint, Molin. disput. 332. putat etiam in foro interno teneri: Sed communiter docent teneri solum in foro externo, quia hoc præsumit hæreditatem sufficere. Ubi notandum ex Lugo disp. 24. sect. 12. quod si non sufficiat hæreditas ad debita simul, & legata solvenda, tunc beneficio Legis Falcidiæ quilibet hæres, deductis expensis funeris, & solutis debitis, ac legatis privilegiatis, (qualia sunt præsertim legata pia) potest quartam partem reliquorum bonorum defuncti sibi detrahere, & quod reliquum est, aliis legatariis pro rata dividere.

II. Constat secundo, quod si propter culpam hæredum non sint solutæ usuræ, antequam hæreditas inter ipsos dividatur, & cuilibet detur sua portio, teneantur singuli hæredes in solidum illas restituere, hoc est ita, ut uno nolente, aut non potente restituere partem suam, teneantur reliqui integre restituere. Et ratio est, quia tenentur omnes ex delicto proprio, ut notant Molin. disp. 332., Less. dub. 20., & Salas dub. 43.

III. Solum in controversiam vocatur, utrum hæredes teneantur pariter in solidum usuras restituere, quando bona hæreditaria sufficiebant ad usuras solvendas, & quilibet citra ullam culpam assumpsit onus solvendi suam partem debiti pro parte hæreditatis, quam habuit; deinde tamen aliquis ex hæredibus nolit, aut non possit partem suam restituere?

Canonistæ cum Navar., Salas, & aliis probabiliter putant teneri in solidum, aliis non solventibus. Communis tamen sententia apud Lug. n. 237. putat probabilius unumquemque teneri ad partem suam tantum; quia sicut actiones, & bona defuncti dividuntur inter hæredes pro rata hæreditatis, ita & onera passiva, ex leg. *Pacta Successorum, cod. de Pactis*.

Confirmatur, quia debita ex contractu non debent ab hæredibus post divisam hæreditatem in solidum solvi; ergo nec debita ex delicto. Antecedens ab omnibus admittitur, ex Leg. finali *Cod. depositi*, quia scilicet divisa hæreditate, divisa est obligatio ex Legis dispositione inter hæredes; ergo ex malitia unius hæredis nolentis solvere partem suam, non debent alii gravari, ex Leg. 2. *cod. si plures*.

IV. Oppones, in cap. *Tua nos de Usuris*, diciditur filios, & hæredes usurariorum teneri ad usuras solvendas, sicut tenebatur Pater, dum viveret; sed Pater tenebatur pro qualibet parte suorum bonorum integre solvere: ergo etiam hæredes. Præterea in Lege, *Quod diximus ff. Quod metus causa* statuitur, quamlibet hæredem teneri in solidum, si quid ad ipsum perveniat: & ratio videtur esse, quia debita, & usuræ sunt solvendæ ante divisionem hæreditatis; quare si hæreditas ante solutionem debitorum ex delicto dividatur, in pœnam talis omissionis debet quilibet in solidum restituere.

Respondeo cum Navar., Textus illos loqui de filiis participantibus in delicto paterno usurarum: isti profecto tenentur in solidum, quia non solum tenentur ex re accepta, sed etiam ex injusta acceptione. Ad rationem in contrarium, ea probaret idem dicendum in debitis ex contractu, quia etiam ista debita solvenda sunt ante divisionem hæreditatis; unde cum nimis ea ratio probet, nihil probat. Quare quilibet hæres tenetur partem debiti solvere pro parte sua hæreditatis, sive debita solvantur ante, sive post divisam hæreditatem: nec est ratio sufficiens ad subeundum onus solvendi in solidum ex hoc, quod priusquam debita sint soluta, divisa

sit hæreditas, cum supponamus id bona fide sine culpa factum esse.

V. Ex dictis colligunt Medin., Less., Sà, legatarios nullatenus in defectum hæredum teneri ad usuras solvendas; (licet legata solvenda sint post solutionem usurarum) quando scilicet bona hæreditaria sufficiunt tam debitis, quam legatis solvendis, si enim non sufficiant, certe ea ex parte legata corruunt. Illud communiter concedunt Doctores, quod si res aliqua in specie sit debita, aut hypothecata creditori, debeat a possidente illi tradi ratione rei acceptæ, quamvis possidens habeat deinde actionem adversus alios cohæredes, si quid ultra portionem suæ hæreditatis solverit.

ARTICULUS VI.

Quinam ordo servandus sit in restituendis usuris?

I. Res per usuram accepta, si extet in individuo, ante omnes domino restituenda, aut ejus loco pauperibus.

II. Si res credito vendita sit usurario, & ea adhuc extet, hic creditor aliis creditoribus præferendus est.

III. Debita certa incertis præferenda sunt.

IV. Universim creditor hypothecarius aliis præferendus est.

V. Non videntur præferenda debita ex contractu debitis ex delicto, aut e contra.

VI. Debita ex contractu oneroso præferenda sunt debitis ex contractu gratioso.

VII. Inter creditores chirographarios probabilius non est præferendus, qui prior est tempore, probabile tamen est, quod possit præferri.

VIII. Num pauper titulo paupertatis possit aliis præferri?

IX. Præferri potest, qui prius petit.

X. Si debitor sponte unum alteri præferat, peccat; Potest tamen qui sic præfertur, integram solutionem retinere.

I. Cum sæpe bona usurarii satis non sint ad satisfaciendum omnibus creditoribus, quæritur quinam ordo servandus sit in satisfaciendo, & quinam ex illis alteri præferendus sit? Quamvis autem in de Restitutione in genere id plene discutiatur, operæ tamen pretium est nonnulla hic primoribus labris delibare.

Dico itaque primo; si res per usuram accepta extet in individuo, ea ante omnes domino restituenda est; quod si hic ignoretur, eroganda est pauperibus. Ita communiter cum Less. c. 15. dub. 1. Molin. disp. 760. Vasq. de Restit. cap. 11. num. 13. Bon. Regin., & aliis. Ratio est, quia res clamat ad dominum, & quando dominus ignoratur, ejus loco succedunt pauperes, non vero alii creditores.

II. Dico secundo: Creditor, qui rem, puta equum, credito vendidit usurario, præferendus est aliis creditoribus, si talis res extet. Ita Less., Vasqu., Bonac. contra Molin., Navarr., Covarr. Ratio est, quia rectæ rationi videtur dissonare, quod res adhuc extans apud usurarium emptorem tradatur potius extraneo, quam venditori, qui credito eam vendidit; hic enim censetur in rem illam habere quandam hypothecam, donec pretium sibi persolvatur.

Oppones: Si usurarius rem credito emptam a Sorte vendat Cajo, illamque ei tradat, non poterit Sortes illam sibi vindicare, aut repetere a Cajo secundo emptore: ergo signum est, quod non sit hypothecata Sorti primo venditori, atque adeo Sortes non est præferendus in hac re aliis creditoribus usurarii.

Respondetur cum Bonac, verum esse antecedens, sed consequens distinguendum est; non est hypothecata Sorti hypotheca perfecta, & conditionali, conceditur, imperfecta, negatur. Sic nec potest Sortes usurpare sibi pretium, quod a secundo emptore talis rei habuit usurarius; sed rationi consonum est, ut Sorti ante alios creditores illud reddatur, quia pariter videtur ob imperfectam quidem hypothecam illi integre debitum.

III. Dico tertio; debita certa, seu quorum dominus non ignoratur, debitis incertis præferenda sunt. Et ratio est, quia persolutio debiti certi est de jure naturæ; persolutio vero debiti incerti, quod scilicet pauperibus erogetur, est de jure positivo; in concursu autem prævalet jus naturale, ut est manifestum.

IV. Dico quarto; satisfieri debet prius creditoribus hypothecariis, seu habentibus pignus, quam aliis. Ita communiter apud Less. cap. 15. dub. 4. Et ratio est, quia idcirco datur pignus, ut ex eo fiat solutio. Quod si a pluribus creditoribus res eadem sit hypothecata, tunc prius satisfaciendum est illi, cui prius res illa hypothecata fuit, juxta regulam Juris, *Qui prior est tempore, potior est jure*. Duo tamen casus a Doctoribus excipiuntur; Primus est, si quis pecuniam mutuavit ad rem aliquam Alter si quis pecuniam mutuavit ad reparandam, v. g. domum, vel navem, & similia. In his enim casibus præferendus est hic creditor, quia sine tali mutuo res empta non extaret, nec domus, aut navis reparata.

V. Dico quinto: Debita orta ex contractu licito non videntur præferenda ortis ex delicto, ut putarunt Cajet., Sylv., & alii apud Bonac. loc. cit., neque debita orta ex delicto videntur præferenda ortis ex contractu licito juxta sententiam Salon., & Medin. sed pro rata omnibus satisfaciendum est, ut communiter docent cum Vasq. loc. cit., Azor., Less., Molin.. Ratio est, quia bona usurarii non sunt magis hypothecata his, quam illis debitis. Neque obstat, quod major injuria irrogata sit creditoribus ratione delicti, quam aliis ratione contractus. Nam major etiam injuria irrogata est illi, cui ex delicto debentur mille, quam alteri, cui debentur centum; nec proinde debitum illud est huic præferendum; ergo neque debitum ex delicto præferri debet debito ex contractu; Sicut neque debitum ex delicto graviore majorem injuriam irrogante præfertur debito ex delicto leviore.

VI. Illud communiter admittunt, quod debitum ex contractu oneroso præferri debeat debito ex contractu gratioso; V. gr. si usurarius debeat centum ex emptione equi, & centum ratione promissionis, debitum illud (sicut omnia alia debita ex delicto) præferendum est huic. Etenim promissio habet secum tacitam illam conditionem: Dabo tibi centum, si deceat, aut nisi rerum status mutetur, ita

ut sine magna difficultate non possim stare promissis. Quare posita inopia promittentis, cum non deceat negligere creditores ex contractu oneroso, aut ex delicto, & status rerum variatus sit, non tenetur illi promissioni stare.

VII. Dico sexto: Inter creditores personales chirographarios (carentes scilicet hypotheca) communius docent præferendum non est, tum quia æquale in his est jus; tum etiam, quia sic habetur in Leg. 1. *ff. de Separationibus*. Quare regula illa, *Quod prius est tempore, potius est jure*, militat solum relate ad creditores hypothecarios, non vero inter chirographarios, relate ad quos jus civile non vult ullum ordinem servari. Nihilominus probabilis est etiam ex Bonac. loc. cit. sententia opposita Valentiæ, Sà, Salon., & aliorum apud Less. cap. 15. num. 42. posse etiam chirographarios creditores, si sint antiquiores, posterioribus præferri, quia regula illa juris illimitate quoad omnes videtur intelligenda.

VIII. Utrum autem præferri possit inter creditores ejusdem ordinis, qui est pauper? Affirmant apud eundem Bonac. D. Thom. opusc. 73. cap. 18. Valent., Medin., Rebel. & alii. Sed probabilius negant Vasq., Less., Azor., nisi pauper sit in extrema, vel saltem gravi necessitate. Et ratio est, quia paupertas non est sufficiens ratio, cur possit dari Cajo, quod debetur Sorti.

IX. Utrum vero inter creditores ejusdem pariter ordinis præferri possit, qui prius petit solutionem debiti sui, sive in judicio, sive extra? Affirmant communius cum Azor., Less., Bon., & aliis apud Croix lib. 3. punct. 2. num. 404. ex Leg. *Pupillus ff. Quæ in fraudem creditorum*, quia diligentia talis creditoris reddit illum melioris conditionis; Sicut facit hypotheca, & Privilegium: Quamvis Vasq. id permittat solum in foro externo.

Hinc fit, creditorem, qui curat sibi ante alios fieri solutionem integram, non peccare, cum utatur jure suo, nec accipiat alienum; dummodo tamen alii creditores non habeant jus prælationis; ut advertit Less. lib. 2. cap. 15. num. 39. Peccaret tamen debitor, si propria sponte unum alteri præferret, nemine illorum ante alios petente, quia faceret contra jus creditorum, ut docent communiter; quicquid in contrarium innuat Molin. apud eundem Bonac.

X. Dubitatur etiam, An si debitor propria sponte contra justitiam peccando præferat Sortem Cajo, possit Sortes retinere integram solutionem sibi factam in præjudicium Caji. Concedunt Less. num. 41. Molin. disp. 536. num. 34., quia hic non accipit rem alienam, aut alteri hypothecatam, atque adeo utens jure suo non peccat. Negant vero Azor. part. 3. lib. 4. c. 36., Rebel., Sylv.; videtur enim concurrere positive ad injustitiam debitoris, & sic ipse etiam contra justitiam peccare accipiendo integram solutionem spote a debitore oblatam in aliorum præjudicium. Verum si rite perpendantur, quæ diximus art. 2. ex Lug., constabit hunc non peccare, nec ad restitutionem teneri; siquidem acceptando integram solutionem non concurrit ad injustitiam debitoris per se, sed per accidens. Sicut enim accipiens aliquid titulo gratuito ab usurario, qui prævidetur per talem donationem reddi impotens ad satisfaciendum suis creditoribus, non peccat contra justitiam, nec tenetur ad restitutionem, quia non concurrit per se, sed solum per accidens ad damnum creditorum; ita a fortiori idem dicendum de accipiente integram solutionem sui crediti in aliorum præjudicium; esto contra justitiam peccet usurarius debitor illam offerens. Sed hac de re fusius in de Restit. universim, ubi pariter disputatur de causis, ob quas ab usurario omitti, aut saltem differri possit restitutio, quæ solent esse Impotentia, Cessio bonorum, Præscriptio, Compensatio occulta, Compositio a Prælato obtenta relate ad debita incerta, Condonatio creditoris, Ingressus in Religionem, & similes, de quibus Doctores passim.

QUÆSTIO VI.

De Cooperantibus ad Usuras?

Discutiendum ad quid teneantur, & an peccent cooperantes ad usuram; præsertim consulentes, præbentes pecuniam, & auxilium usurariis, Tabelliones, & Proxenetæ, necnon famuli usurariorum? Et quid de mutuatariis petentibus mutuum sub usuris?

ARTICULUS I.

An peccent, & ad restitutionem teneantur concurrentes ad usuras?

I. Universim peccant, & ad restitutionem tenentur in defectum Principalis, qui ad usuras concurrunt ex parte mutuantis, non vero ex parte mutuatarii.

II. Si tamen cum usurario ita concurrant, ut non sint causa efficax ulius damni, etsi peccent, non tenentur tamen ad restitutionem.

III. Ex his principiis resolutio plurimarum difficultatum descendit.

I. Regula generalis, quæ assignari solet, ea est: Qui se tenent ex parte usurarii mutuantis concurrendo effective ad contractum usurarium, vel ad exactionem usurarum, peccant, & ad restitutionem obligantur, saltem secundo loco, hoc est in defectum Principalis: Qui vero se tenent ex parte mutuatarii agendo illius partes, nec ad restitutionem tenentur, nec peccant, nisi forte mutuatarius ipse peccaret peccato scandali, quod art. ult. examinabimus. Ita Salas dub. 44. Less. dub. 11., Molin.

11. Molin. disp. 331. Ratio hujus regulæ est, tum quia universim qui cooperatur effective ad damnum alterius, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem; Tum etiam, quia sicut qui participat cum fure ad furandum tenetur ad restitutionem, ita qui participat cum usurario agendo ejus partes: Contra vero, sicut non peccat contra justitiam mutuatarius, ita nec qui ejus partes agunt. Et ratio radicalis est, quia scienti, & volenti nulla fit injuria; Qui autem agit partes mutuatarii, concurrit ad usuras eo sciente, & volente; ergo non facit illi injuriam; adeoque contra justitiam non peccat, nec tenetur ad restitutionem. Nec peccat peccato scandali, quando mutuatarius ipse, cujus partes ex charitate agit, necessitate, qua premitur, excusatur.

II. Addit tamen Lugo num. 214., hanc regulam intelligendam esse de iis, qui cooperantur ex parte usurarii cum gravamine, & injuria mutuatarii. Nam qui concurrunt ex parte illius, mutuatario non graviter invito, non peccant contra justitiam, & consequenter nec ad restitutionem tenentur. Usurarius in tantum contra justitiam peccat, quia licet placeat mutuatario, quod mutuet, est tamen hic graviter invitus, quod usuras exigat, & recipiat; aliorum autem cooperationes aliquando nullatenus displicent, cum potius optentur; (v. gr. quod famulus adjuvet usurarium ad pecuniam numerandam) ideo non semper ad restitutionem tenentur, qui concurrunt ad usuras, etiamsi aliquando contra justitiam peccent concurrendo, quia scilicet ita concurrunt, ut sæpe non sint causa efficax damni alterius. Hinc ex Sot., Less. num. 182. Salon., Sà, contra Navar., Salas, Valent., non tenetur ad restitutionem famulus deferens, vel numerans pecuniam usurariam, quando illo non deferente, vel numerante, aut exigente, mutuator per seipsum id præstaret, ut videre est apud Bonac. disp. 3. qu. 3. punct. 15. Et ex Laym., ancilla, quæ adjuvat heram ad ferendam cistam rei furtivæ, licet contra justitiam peccet, non tenetur tamen ad restitutionem, quia non est causa efficax damni, si hera per seipsam delatura esset cistam.

III. Ex regula præjacta descendit resolutio plurimarum quæstionum in hac materia circa consulentes usuras, circa deponentes pecuniam apud usurarium, qua hic ad usuras utatur, circa Principes permittentes usuras, circa Judices, Advocatos, Tabelliones, & Testes, Proxenetas, & famulos, ac ministros mere exequutores, & similes, ut mox videbimus.

ARTICULUS II.

Quid de consulentibus usuras?

I. Communius docent, consulentem usuras ad restitutionem obligari: nemo tamen in dubium revocat, quod peccet contra justitiam.

II. Si tale consilium esset utile mutuatario, non videtur consulens ad restitutionem obligandus.

III. Consilium hoc potest absolute placere mutuatario, & secundum quid displicere, non secus ac mutuum; & in tali casu datur onus restitutionis.

IV. Ad restitutionem obligatur consulens, etiamsi, ipso non consulente, alter daturus esset idem consilium.

V. Secus vero, si ipso non consulente adhuc usurarius esset usuram commissurus; unde non esset in hoc casu causa efficax damni.

I. Resolvitur itaque primo, An consulens usuras ad restitutionem teneatur? Sylv., Medin., Tolet., apud Pal. punct. 26., & Salas dub. 44. negant, quia licet peccet contra justitiam, non videtur tamen causa efficax damni, maxime cum mutuatarius possit a solutione usurarum abstinere, aut a petendo mutuum.

Communiter tamen cum Molin., Salon., Less. n. 78. affirmant, quia sicut usurarius peccat contra justitiam, & dicitur causa efficax damni, licet mutuatarius similiter possit a solutione usurarum, aut a petendo mutuum abstinere; ita qui consulit usuras.

II. Lug. num. 216. verius distinguit juxta regulam explicatam: si enim consulens displicet mutuatario, quia scilicet est causa, cur sub usuris mutuum detur, certe tenetur ad restitutionem: si vero mutuatario non displicet, vel quia solum consulit mutuum, in quo casu non peccat, vel quia consulit mutuum sub usuris, quando hujusmodi consilium utile est mutuatario, eo quod aliter mutuum non haberetur; tunc licet peccet contra justitiam concurrendo ad injustitiam usurarii, quia tamen hujusmodi actio nullatenus displicet, sed potius simpliciter placet mutuatario, non videtur consulens ad restitutionem obligandus.

III. Neque dicas: Mutuatario eodem modo placet, quod detur mutuum sub usuris, si aliter non potest obtinere mutuum, ac placet in tali casu consilium de dando mutuo sub usuris: ergo sicut dans mutuum sub usuris semper injuriam irrogat mutuatario, & tenetur ad restitutionem, ita pariter consulens mutuum sub usuris.

Nam disparitas constat ex dictis; Mutuatario enim placet secundum quid, non simpliciter, quod detur mutuum sub usuris; placet enim, quod detur mutuum, sed displicet, quod exigantur usuræ, & ideo mutuans sub usuris semper irrogat mutuatario injuriam: Contra vero nullatenus mutuatario displicet consilium, quod detur mutuum sub usuris, quando aliter mutuum obtinere sine usuris non posset. Etenim consiliarius in hoc casu nihil aliud facit, quam quod ipse mutuatarius faceret ad mutuum obtinendum: ergo dans hujusmodi consilium, licet peccet, non est tamen injurius mutuatario, nec tenetur restituere.

IV. Notandum vero hic diligenter ex Salas, Consulentes usuram ad restitutionem teneri, etiamsi ipsis non consulentibus, alii fuissent idem consilium daturi; quod est commune omnibus consulentibus injustitiam, ex Vasq., Bonac., Pal., Cajet. 2. 2. q. 62. art. 7.

Neque obstat, quod nuper diximus, famulum non teneri ad restitutionem, quando ipso non numerante pecuniam usurariam, alius esset numeraturus; quia scilicet non dicitur causa efficax damni, qui ita concurrit, ut ipso non concurrente, adhuc damnum fieret: ergo neque consulens tenetur ad restitutionem, quando ipso non consulente usuras, alius consuleret.

Negatur enim hæc consequentia; & disparitas est,

est, quia sine famulo adjuvante supponitur, quod usurarius ipse esset pecuniam numeraturus, unde famulus licet peccet, non proinde est causa efficax damni. Contra vero sine consilio supponimus, quod usurarius non esset usuram commissurus; & ideo consulens dicitur causa efficax damni, & ad restitutionem obligatus. Quod si constet usurarium etiam sine consilio adhuc commissurum fuisse usuram, tunc concedendum etiam quod neque consulens ad restitutionem teneretur; quia neque consilium influeret ullatenus ad damnum, quatenus non esset causa efficax damni.

ARTICULUS III.

Quid de concurrentibus ad usuram exhibendo pecuniam, vel auxilium?

I. Deponens pecuniam apud usurarium, si non intendat usuras, probabiliter solum peccat contra charitatem.

II. Peccat contra justitiam, qui præbet gladium occisuro innocentem, eo quod hic sit graviter invitus; at mutuatarius non est graviter invitus, quod pecunia fœnebris apud usurarium deponatur.

III. Præscindendo a jure positivo vetante, ne debitores compellantur ad usurarum solutionem, possunt Principes ad majora mala vitanda usurarios permittere.

IV. Immo rationabili de causa mutuatarios cogere ad usuras solvendas, ita ut si non solvant, peccent, non quidem contra justitiam, sed contra obedientiam.

V. Secundum se tamen peccant contra Justitiam Princeps, & Judex, si concurrant ad usuras: Immo etiam si illas non impediant.

I. RESolvitur secundo, Utrum ad restitutionem teneatur deponens pecuniam suam apud usurarium, qui ea utatur ad usuras?

Affirmat Salon. apud Salas, quia concurrit ad actum injustitiæ; sicut enim peccat peccato homicidii, qui deponit gladium apud eum, qui commissurus est homicidium, adeo ut ad restitutionem teneatur; ita in casu.

II. Sed communiter cum Molin., Salas putant, hunc peccare duntaxat contra charitatem præbendo proximo occasionem peccati, non secus ac qui suo exemplo inducit alium ad furandum, peccat solum contra charitatem, si non intendat injustitiam. Ratio hujus doctrinæ constat ex regula tradita, quod scilicet mutuatario non displicet, quod usurarius habeat pecuniam paratam ad mutuandum. Et hæc est disparitas, quare peccet contra justitiam, qui deponit gladium apud eum, qui commissurus est homicidium; quia scilicet occidendus in hoc est graviter invitus: Contra vero mutuatarius non est invitus, quod pecunia fœnebris apud usurarium deponatur.

III. Resolvitur tertio, Utrum ad restitutionem teneantur domini temporales, Judices, Advocati, &c., qui suo statuto, præcepto, patrocinio juvant usurarios in usuris exigendis.

Circa quod sciendum varias esse Pontificum constitutiones in corpore juris adversus Principes non expellentes e terris suis usurarios alienigenas; & præsertim in Clementina unica *de Usuris* excommunicantur, qui statutis, vel sententiis compellunt debitores ad solutionem usurarum promissarum, aut non compellunt usurarios ad restituendas usuras, cum repetuntur. Less. tamen n. 179., Navar., Salas, putant, Principem adversus istas leges non peccare, si ad majora mala vitanda, usurarios permittat Judæos a Christianis usuras accipere, quod prohibetur in Extrav. Pauli III. *Cupientes Judæos*, & in cap. *Post miserabilem de Usuris*: quamvis præscindendo ab hoc jure positivo non sit intrinsece malum aliquando permittere, quod Judæi usuras a Christianis exigant; Nam Gregor. XIII. ut refert Navar. consil. 23. de usuris, permisit Judæi Romæ justis de causis usuras usque ad decem, vel octo pro centum exigere.

IV. Imo Princeps potest ex rationabili causa non solum usuras permittere, sed etiam mutuatarios cogere ad illas solvendas, si promiserint, ex Sà, Syl. Navar. contra Less. num. 179.; Potest enim superior præcipere actiones de se honestas, qualis est solutio usuræ promissæ; quin per hoc detur usurario ullum jus relate ad illam: Sicut Christus Dominus consuluit petenti tunicam injuste dare similiter & pallium, quin per hoc detur illi jus ad tunicam, aut pallium. Neque Princeps in hoc ageret partes usurarii, sed potius mutuatarii, qui propter bonum commune contentus esse debet, quod usuræ promissæ solvantur, quoties nisi solverentur, pauperes non amplius mutuum reperirent. Hinc si mutuatarius non solvat contra præceptum Principis, peccabit, non quidem contra justitiam, sed contra obedientiam.

V. Cessante tamen motivo boni publici peccat contra justitiam, & ad restitutionem tenetur Princeps, Judex, Advocatus, agentes partes usurarii, si positive concurrant ad usuras. Imo Superior, & Judex peccant contra justitiam, etiam quando negative se habent non impediendo illas, quandoquidem ex officio, & consequenter ex justitia tenentur illas impedire.

ARTICULUS IV.

Quid de Tabellionibus, & Proxenetis, aliisque ad usuras concurrentibus.

I. Tabelliones peccant contra juramentum proprium tam si instrumento appareat, quam si simuletur usura. Ad restitutionem tamen tunc tenentur, quando illud conficiunt ad petitionem mutuantis, etiamsi dubitent de usura.

II. Et similiter Testes, si non procedant bona fide.

III. Proxeneta etiam contra justitiam peccat, si agat partes mutuantis, secus, si mutuatarii.

IV. Non videntur contra justitiam peccare locantes domum usurariis.

I. RESolvitur quarto, quid dicendum de Tabellione faciente scripturam contractus usurarii. Si enim ad petitionem mutuantis id agat, ad restitutionem obligabitur; secus vero, si ad petitionem mutuatarii: Quamvis tam si instrumentum simulet, ita ut non appareat usura, quam si non simulet, ita ut usura appareat, peccet mortaliter contra juramentum de non conficiendis hujusmodi instrumentis, ut docet Armil. apud Salas. Si tamen dubitet, an contractus sit usurarius, & dubio non rationabiliter deposito instrumentum conficiat, adhuc ad restitutionem obligabitur, ut notat Na-

var.

var. cap. 17. num. 287. juxta regulas, quæ traduntur de incipiente possidere rem dubia fide.

II. Quod autem dictum est de notario, dicas de testibus, qui tamen, si bona fide procedant, restituere non tenentur, neque ratione rei acceptæ, quia nihil ad illos pervenit, neque ratione injustæ acceptionis, cum non peccent.

III. Resolvitur quinto de Proxeneta, seu intercessore, qui mutuatarios quærit indigentes, eosque ad usurarios adducit; Hic certe ad restitutionem tenetur, si cooperetur ad mutuum prout sub usura; si vero partes mutuatarii agat cupientis invenire mutuantes, etiamsi illum adducat ad mutuantem sub usuris, non peccabit contra justitiam, posito quod in hoc nullatenus mutuatario displiceat, sed potius placeat, eo quod aliter mutuantem non reperiret, ut diximus de consulente; imo neque contra charitatem peccabit, si adjuvet mutuatarium, quando hic absque peccato scandali mutuum petere potest.

IV. Resolvitur sexto de locante domum usurariis. Navar. in Manuali cap. 17. cum Mald., & Lop. putant hunc ad restitutionem teneri, quia concurrit ad peccatum vergens in damnum proximi. Valent. tamen, Azor., Sanch. l. 1. c. 7., & alii communiter docent illicitum esse locare domum usurariis alienigenis, quia id prohibetur in cap. 1. *de usuris* lib. 6. Hac autem prohibitione præcisa, putant nullatenus peccari locando domum usurariis; quia dare locum ad habitandum, valde extrinsece, & remote concurrit ad usuras; sicut dare cibum ad manducandum. Quis autem dixerit peccare contra justitiam, qui vendit cibum usurariis? Adde mutuatarium in ea locatione nullatenus esse invitum; unde non fit illi injuria, & consequenter non peccatur contra justitiam.

ARTICULUS V.

Quid de Famulis, & de creditoribus usurariorum?

I. Diversimode hac in re Doctores opinantur.

II. Benigne Turrianus docet, tunc famulum peccare contra justitiam, quando mutuatarium cogit ad solvendas usuras, non tamen in aliis famulatibus.

III. Lugo docet, ad restitutionem famulos non teneri exercendo actiones mutuatariis non ingratas; Secus vero si graviter, & rationabiliter illis displiceant.

IV. Creditor usurarii quonam pacto possit nomine ipsius usurarii a mutuatariis usuras accipere, illasque sibi appropriare.

V. In hoc casu non potest mutuatarius uti occulta compensatione adversus hunc creditorem.

I. Resolvitur septimo, quid dicendum de famulis, ac de amanuensibus usurariorum? Variæ sunt Doctorum opiniones. Aliqui cum Molin. disp. 331., Salas Valent. obligant famulos ad restitutionem, non solum si mutuatarium cogant ad solvendas usuras, aut si cum illo contrahant deducendo usuram in pactum; sed etiam si mere deferant mutuum scientes esse ad usuram; aut si usuras, & munera deferant jussu Domini: Idemque docet Navar., & Valent. de Amanuensibus; Quod Salas, & Salon. verum putant, quando scripta illa fidem facerent in judicio contra mutuatarios, ut solvere cogerentur; Idemque docent alii apud eundem Salas de custodiente pecuniam fœnebrem: Contra vero alii cum Sylvest., Tabien., Sà, apud Pal. punct. 25. excusant a restitutione, qui nudum tantum ministerium exhibent in exactione usurarum; ut sunt famuli, qui jussu domini usuras, aut pignora exigunt, recipiunt, deferunt, & a fortiori Amanuenses, & custodientes pecuniam. Less. nu. 181. excusat duntaxat famulum, qui præcipiente domino dat mutuum exequendo, non ineundo contractum, aut si contractum usurarium ineat, quando non potest aliter pecuniam dare, eo quod dominus præsens sit; quia tunc videtur mutuatario injuria a domino, non a famulo irrogari: Excusat etiam ab onere restitutionis, licet non a peccato injustitiæ famulum, si non urgeat, sed exigat tantum solutionem usurarum, quam alioqui mutuatarius sponte erat daturus; quia licet contra justitiam exigat absque ullo jure, censetur tamen mutuatarius nolle illum ad restitutionem obligare, aut facile condonaturus, si rogaretur. Sot. vero lib. 6. de Justitia quæst. 1. art. 4. hunc tum a restitutione, tum ab injustitia excusat, quando non censetur irrogare injuriam mutuatario; quia tunc non est injustus: Quod si censetur injuriam irrogare, non est ratio, cur nolit mutuatarius sibi restitutionem fieri.

II. Benignior est opinio Turrian. disp. 62. dub. 4. obligantis famulum solum, quando cogit mutuatarium ad solvendas usuras, non vero quando postulat illas nomine sui domini absque vi, & coactione.

III. Denique Lugo num. 224. his, aliisque sententiis expositis concludit generalem regulam debere esse supra adductam; videlicet tunc famulos ad restitutionem teneri, quando exercent actiones mutuatariis graviter, & rationabiliter displicentes: Contra vero ab injustitia, & restitutione excusari, quando actiones non videntur invito mutuatario fieri, ut sunt deferre pecuniam, aut pignora, numerare, referre in adversaria, &c. etenim hujusmodi actiones mutuatarius etiam proprio famulo libenter imponeret. Nec videtur injuria irrogari mutuatario a famulo non exigente usuras, sed solum referente mentem sui domini usuras exigentis: hoc enim præstari posset etiam ab amico Mutuatarii, qui eidem posset etiam consilium dare, ut usuras promissas solvat ad vitandum sibi majus malum.

IV. Resolvitur ultimo, quid dicendum, si usurarius assignet suo creditori solutionem petendam a mutuatario debente tantumdem supra sortem: An scilicet talis creditor exigendo istas usuras ad restitutionem teneatur? Affirmat Less. dub. 24. cum Mald. tum quia, sicut nequit famulus usurarii exigere usuras, ita nec creditor usurarii, licet uterque nomine ipsius usurarii exigat; tum etiam quia sicut nequit usurarius illas exigere, ita nec talis creditor, quippe qui vices usurarii gereret: tum demum quia sicuti si Tyrannus debeat tibi mille, & illa tibi assignet super iniqua tributa imposita, tu non poteris citra injustitiam illa exigere; ita in casu.

Dicendum tamen cum Lugo n. 227. quod dictum est de famulo, videlicet hujusmodi creditorem non posse tales usuras a mutuatario exigere cogendo illum ad solutionem, ut probant argumenta adducta; etenim sine titulo, aut jure illas exigeret:

posse

posse tamen mutuatario referre intentionem usurarii, quod scilicet sibi solvat eas usuras, quas nomine usurarii acciperet, non secus ac acciperet famulus; & deinde ex commissione sibi ab eodem facta eas sibi applicaret. Ratio est, quia hujusmodi actio non videtur invito mutuatario fieri; unde nil injuste committitur, nec datur obligatio restitutionis, neque ratione injustæ acceptionis, quia sine peccato pecunia illa accipitur a creditore se habente tamquam famulo, vel nuncio; neque ratione rei acceptæ, quia non acceptatur pecunia, tanquam aliquid mutuatarii, sed solum accipitur instrumentaliter nomine usurarii illam acceptantis, & sic dominium acquirentis, (posito quod sit res functionem recipiens juxta supra explicata) & deinde acceptatur a creditore, tanquam res ipsius usurarii. Et per hæc patet responsio ad rationes in contrarium adductas ex Lessio.

V. Hinc non posset mutuatarius uti compensatione occulta, illam sibi ab eodem creditore compensando; sicuti non posset uti occulta compensatione compensando illam sibi a famulo usurarii, si illam dederit famulo ferendam ipsi usurario; quia scilicet nec famulus, nec creditor tenentur illam restituere, neque ratione injustæ acceptionis, neque ratione rei acceptæ, ut ostendimus.

ARTICULUS VI.

An peccet mutuatarius petendo mutuum sub usuris?

I. Peccare potest aliquando contra justitiam adversus suam familiam, aut creditores.
II. Contra charitatem peccato scandali mutuatarius peccaret inducendo alium absolute ad fænerandum.
III. Possunt dumtaxat permitti usuræ, si mutuum petatur ob justas causas.
IV. Graviter peccat, qui ab usurario non parato mutuum petit permittendo usuras, si eo solum indigeat ad res illicitas.
V. Quid si indigeat pecunia ad negotiandum, aut ad spectacula honesta?
VI. Quid si ab usurario parato mutuum petatur in ordine ad res leviter illicitas?
VII. Num peti possit sine mortali ab usurario parato mutuum ad usus graviter illicitos?
VIII. Num possint, aut etiam debeant solvi usuræ promissæ?
IX. An licite mutuatarius absolute offerat usuras?

I. INter cooperantes ad usuras recensetur petens mutuum sub usuris; qui certe contra justitiam non peccat, cum nemo possit esse sibimet injustus; nisi forte esset injustus erga filiam, vel uxorem, quibus grave damnum inferret; aut contra suos creditores, quibus fieret impotens ad solvendum, si novo usurarum debito gravaretur.

II. Dubitatur itaque solum, An peccet contra charitatem peccato scandali præbendo occasionem ruinæ usurario? Qua in re certum est primo, non posse aliquem licite induci ad mutuandum sub usuris, quia hoc est intrinsece malum; unde nec potest id absolute peti, suaderi, & præcipi; sed solum conditionate, quatenus si usurarius nolit mutuum dare sine usuris, quando ad id tenetur ob gravem mutuatarii necessitatem, det saltem sub usuris, quod est minus grave peccatum, quam simpliciter non dare, & ideo tanquam minus malum suaderi potest.

III. Certum est secundo, posse mutuum ab usurario licite peti ob justam causam, videlicet ad sublevandam propriam indigentiam, ad augendum statum, vel ad utilitatem proximi. Ratio est, quia id peti potest, quod præstari potest sine peccato; usurarius autem sine peccato potest mutuum dare non exigendo usuras: ergo potest ab eo mutuum peti, permittendo solum ejus peccatum; existente enim justa causa, vacat culpa non impedire peccatum alterius, quod ex sua malitia ponit, & ad illud malum concurrere materialiter.

IV. Certum etiam videtur tertio, quod petens ab usurario, saltem non parato, mutuum, quo tantum indiget ad res illicitas, puta ad adulterandum, peccet permittendo ejus peccatum, & cooperando materialiter ad illud, quia non datur in hoc casu justa causa excusans: Utrum autem sine peccato peti possit mutuum ad usus illicitos ab usurario parato? dicemus mox.

Interim multiplex hic difficultas occurrit. Prima, an sit justa causa petendi mutuum ab usurario indigentia pecuniæ ad spectacula honesta, vel convivia, proportionata tamen proprio statui? Secunda, an sit sufficiens causa excusans a mortali indigentia pecuniæ ad vana, & inutilia leviter peccaminosa, puta ad ludos, & commessationes? Tertia, an sine gravi culpa peti possit mutuum ab usurario parato ad res graviter illicitas? Quarta, an licite solvantur usuræ promissæ concurrendo iterum ad peccatum usurarii? Quinta, an licite mutuatarius offerat usuras absolute?

V. Circa primam, an excusetur a mortali mutuatarius petens mutuum ab usurario, quem prævidet nolle sine usuris dare? Notabilem necessitatem ad id requirunt Ricard. apud Sanch. lib. 3. cap. 8. num. 20., Rebel. lib. 8. quæst. 16. num. 6., & alii; Sanch. tamen cum Cajet., Bann., Molin., Salon., Azor., Valent., Salas apud Bonac. probabilius putant sufficere, quod pecunia necessaria sit ad ea, quæ proprium statum decent, nec solum ad negotiandum in utilitatem domus, (non tamen ex affectu avaritiæ) sed etiam ad torneamenta, ludos, & spectacula honesta, quibus sine dedecore abstinere non posses; quia ex præcepto charitatis nemo tenetur cum tanto incommodo negligere proprium statum ad vitandum peccatum proximi, quod ex propria malitia procedit. Unde infert Sanch. num. 17. raro accidere, quod peccet petens mutuum ab usurario, nisi petat ad res illicitas; quia facile petitio mutui referri potest ad decentiam proprii status; nec videtur cooperari malitiæ usurarii, qui utitur jure suo, & ut suæ, aut proximi utilitati consulat, illius peccatum permittit.

Utrum autem major requiratur causa, quando usurarius non ex mera malitia, sed ex vehementi avaritiæ passione usuras est petiturus? Affirmat Sanch. loc. cit., Valent., Salon. Negant vero Hurtad., Salas, Dian. part. 4. tract. 7. resol. 8., quia avaritia non est ex iis passionibus, quæ maxime animum commoveant, ut ira, tristitia, libido; unde Lugo num. 231. putat in praxi hanc distinctionem non esse attendendam.

VI. Circa secundam difficultatem: Suar., Salon., Rebel., Molin., & alii apud Bonac. & Dian. l. c. putant peccare mortaliter, qui ad vana, & otiosa mutuum

mutuum petit ab usurario jam parato; quia tenetur quilibet ex charitate vitare peccatum proximi, & abstinere a præbendo illi occasionem ruinæ; in hoc autem casu daretur occasio ruinæ usurario; nec videtur esse causa sufficiens indigentia pecuniæ ad res vanas, etiamsi leviter peccaminosas: Sanch. vero, Tol. Salas, Cajet. Bonac. putant peccare tantum venialiter ob finem venialem, propter quem petitur mutuum, dummodo hoc petatur ab usurario habitualiter parato. Ratio est, quia peccatum hujus non videtur imputandum petenti mutuum, sed malitiæ ipsius; Sicuti si fœmina egrediatur domo ad ludendum, vel otiandum, prævidens se ab adolescente habitualiter impudico concupiscendam, non peccabit mortaliter, quia non tenetur cum tanto onere vitare peccatum ponendum ex ejus malitia.

VII. Circa tertiam: Lug. Hurtad. & alii apud Tamb. l. 5. c. 2. & apud Dian. part. 5. tract. 7. resol. 8. docent probabile esse, quod non peccet mortaliter mutuatarius, qui mutuum petit ad usus graviter illicitos ab usurario parato. Ratio videtur esse, quia communiter docent sufficere modicam utilitatem proximi ad excusandum a peccato gravi cooperantem materialiter cum parato ad peccandum: V. g. a sacerdote parato ministrare sacramenta cum mortali petitur absque culpa saltem gravi absolutio Sacramentalis, etiamsi nulla necessitas detur talis absolutionis, sed solum modica utilitas; ergo excusatur etiam a mortali, qui ad usus illicitos petit mutuum ab usurario parato, ne subeat hoc incommodum, quod privetur jure petendi. Consequentia patet, quia si præceptum impediendi peccatum proximi urgeret, non satis esset modica utilitas ad excusandum a mortali, qui ad peccatum proximi concurrit. Quare in casu nostro non urget præceptum impediendi peccatum usurarii internum, posito quod ille paratus sit, atque adeo semper perseveret in eadem habituali prava voluntate: Solum impediri posset ille actus externus exigendi usuras: at ad impediendum actum externum pravum, supposito peccato interno, non obligatur sub gravi; quia talis actus externus non est grave malum proximi, cum solum accidentaliter variet peccatum internum; & ideo probabiliter absque culpa gravi potest peti mutuum ad usus illicitos ab usurario parato. Ex quo sequitur, majorem causam requiri ad licite petendum mutuum ab usurario non parato, cujus peccatum internum non præsupponitur, quam a parato; quia ad majus malum proximi permittendum major causa requiritur.

Hac tamen in re videtur mihi distinguendum cum Salas, videlicet quod si usurarius sit actualiter paratus, peccatum sit duntaxat veniale præbere illi occasionem, quod consummet opere externo peccatum internum; si vero sit paratus habitualiter, peccatum sit mortale absque ulla causa dare ansam novo peccato interno; hoc enim est grave damnum proximi, non illud.

VIII. Circa quartam, an licite solvantur usuræ promissæ? Valent. apud Lug. requirit causam justam, ut possint licite solvi; alioquin concurreremus ad novum peccatum usurarii, qui certe iterum peccat, dum usuras sibi promissas recipit. Communiter tamen docent, absque ullo peccato posse mutuatarium solvere usuras promissas, imo ad id teneri virtute religionis, si juraverit solvere, ex cap. *Debitores de Jurejurando*. Ratio ex Lug. est; tum quia mutuatarius non tenetur abstinere ab illa actione indifferenti, ut vitet novum peccatum in mutuante, quia non potest id facere sine gravi incommodo, & detrimento suæ famæ; diceretur enim non ex charitate, sed ex avaritia denegare usuras promissas; unde nemo alius ei mutuaturus esset: tum etiam, quia damnum, quod vitari poterit in proximo est valde exiguum, cum jam ex parte sua usurarius persistat in prava voluntate interna accipiendi usuras, a quo peccato non desistet per hoc, quod non solvantur; imo alia adjiciet peccata odii, detractionis, &c.

IX. Circa ultimam, Cajet. Cordub. Navar. Vasq. de Scandalo cap. 8. & alii negant posse mutuatarium absolute usuras offerre, dicendo v. g. Da mihi mutuum, & solvam usuras; quia non potest absolute peti, quod absolute fieri non licet. Molin. tamen disp. 335. Salon. Sà, Valent. Sanch. lib. 3. cap. 8. cum Lug. & aliis apud Dian. part. 4. tr. 7. resol. 8. probabilius docent id licitum esse, quando scis usurarium non esse mutuaturum, nisi sub usuris: Sicuti licite peti potest juramentum ab eo, qui prævidetur juraturus per falsos Deos, quando datur justa causa illud petendi. Ratio est, quia verba illa absoluta, Da mutuum sub usuris, sunt æquivalenter conditionata: sensus enim est, da mihi mutuum, & si nolueris dare gratis, offero usuras; imprudenter enim usurarius concipit, quod mutuatarius desideret absolute mutuum sub usuris, prout verba sonant. Sit autem hic hujus annui pensi,

(*Sed ob ubi Æternitatis!*)

F I N I S.

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

Primus numerus Quæstionem denotat: Alter Articulum: Tertius Numerum marginalem.

A

Actus mere interni possunt esse materia contractus humani, & ideo usurarie adjicitur mutuo pactum de actibus benevolentiæ internis. 2. 2. 5.

Amanuenses Usurariorum num peccent contra justitiam transcribendo scripturas usurarias? 6. 5. 1.

Auctarium in mutuo, si detur ex gratitudine, & accipiatur ut debitum, aut viceversa, num sit restituendum? 1. 1. 4.

Auctarium, quod a mutuatario datur, ne dicatur ingratus, aut ex timore, ne mutuum subtrahatur, num sit usurarium? 1. 2. 7.

B

Beneficia Ecclesiastica, orationes, & aliæ res spirituales non sunt pretio æstimabiles; secus vero obligatio ad illa, & ideo talis obligatio addita mutuo est usuraria. 2. 2. 5. *Pactum de conferendo beneficio, aut officio etiam de præsenti in gratiam mutuatarii fert usuram, esto speculative loquendo non esset usura pactum de vendenda merce justo pretio.* 2. 3. 1.

Beneficium vi mutui simoniace simul, & usurarie collatum resignandum est. 2. 3. 2.

C

Census redimibilis personalis ex utraque parte num liceat? 2. 5. 8.

Chirograba num possint minoris emi citra usuram? 4. 3. 1.

Consulentes usuram quando ad restitutionem obligantur? 6. 2. 1. *Potest aliquando consulens peccare contra justitiam, quin ad restitutionem teneatur in defectum principalis.* 6. 2. 3.

Contractus gratiosi, aut usurarie initi, aut ratione metus injuste incussi, sunt irriti; contractus vero onerosi sunt irritandi. 2. 3. 3.

Contractus societatis, dictus Trium, num sit usurarius? 3. 3. 1. *Quandonam in hoc contractu pallietur usura?* 3. 3. 6.

Contractus usurariorum num sint invalidi? 5. 3. 1. *Quandonam restituenda sunt, quæ ab usurario, vel fure donantur, aut venduntur?* 5. 3. 2.

Contractus usurarius bona fide celebratus, intendendo reportare lucrum contractu licito, qui poterat celebrari, num sit rescindendus, & obliget ad restitutionem? 2. 5. 9. & 5. 4. 3.

Contractus Antichriseos, vulgo dictus Godere a godere *num sit usurarius?* 2. 5. 7. *Num possit ab usura excusari, si loco illius celebrentur duo contractus, videlicet census redimibilis, & locationis?*

Cooperantes ad usuram quinam restituere teneantur? 6. 1. 1.

Credito vendens, præsertim pretio summo, non potest ab emptoribus ratione lucri cessantis aliquid ultra sortem exigere. 3. 6. 7.

Creditores usurariorum num possint a mutuatariis usuras accipere illorum nomine, easque sibi retinere? 6. 5. 4.

D

Damnum emergens mutuanti compensandum est. 3. 4. 1. *Non potest mutuatarius cogi ad certam quantitatem solvendam pro timore talis damni, si se obliget ad compensandum illud, quodcumque sit.* 3. 4. 2. *Debet, saltem implicite, in pactum deduci, quod damnum emergens compensetur.* 3. 4. 3. *Si mutuum præfixo tempore non restituatur inculpabiliter, damnum emergens non est compensandum, si non sit conventum; secus si culpabiliter.* 3. 4. 4. *Probabilius non requiritur monitio de damno emergente, ut detur obligatio illud compensandi a mutuatario culpabiliter illud non restituente tempore præfixo.* 3. 4. 5. *Quid si damnum emergens sit voluntarium?* 3. 4. 6.

Debitor alienans res suas in præjudicium creditorum quandonam peccet? 5. 3. 5.

Deponens pecuniam fœnebrem penes usurarium num peccet solum contra charitatem, an etiam contra justitiam? 6. 3. 2.

Dominium usurarum non acquiritur ab usurario, ne debile quidem, ex defectu justi tituli. 5. 2. 2. *Cur usurarius, aut fur vendens equum furtivum non transferat dominium equi in emptorem, & ipse acquirat dominium pretii?* 5. 2. 4. *Si tamen usurarius, vel fur vendant res, quæ functionem recipiunt, emptor probabiliter acquirit earum dominium, si sit ignarus furti.* 5. 2. 7.

Donatarius acceptans donationem sibi factam ab usurario in præjudicium creditorum num peccet? 5. 3. 5.

Donatio inter vivos facta ab usurario est valida, non tamen facta causa mortis. 5. 3. 3.

Donationem num liceat acceptare rei alteri venditæ. 5. 3. 8.

E

Emere pignus cum pacto retrovenditionis quid ferat? 2. 5. 4.

Emi num possint merces minoris, quam valeant, ob solutionem anticipatam? 4. 2. 1.

Emptionisne, an mutui contractus sit, dare centum mensuras tritici cum onere, quod restituantur tot mensuræ, quot adæquant valorem præsentem tritici mutuati? 2. 4. 3.

Emptor quandonam transfert dominium pretii, quin acquirat dominium rei venditæ? 5. 2. 6.

Fal-

F

F*Alcidiæ legis beneficium in quo consistat? 5. 5. 1.*
Famuli usurariorum num peccent contra justitiam exhibendo iis famulatum? 6. 5. 2.
Famuli usurariorum, qui non sunt solvendo aliis creditoribus, num possint salarium exigere, si sponte illis inserviant? 5. 3. 8.
Fidejussor quandonam possit exigi a mutuante? 4. 6. 3. Num possit mutuans exhibere se ad fidejubendum? ibid. Fidejussionis justum pretium quodnam sit? 4. 6. 4.
Fructus agrestes a damnificante compensandi sunt, fere perinde ac si essent maturi. 4. 5. 1. Esto animalia vix orta non sint compensanda, perinde ac si essent aucta. 4. 5. 2.
Fur num transferat aliquando dominium rei furtivæ in emptorem? 5. 2. 7. Num validi sint ejus contractus? V. Contractus usurariorum.

G

G*Ratitudo ad quid obliget? 1. 1. 2. Num liceat ad actum gratitudinis mutuatarium excitare? 1. 2. 6. Pactum de conferendo ex gratitudine lucrum ob mutuum, seu temporale propter spirituale est usurarium, & simoniacum. ibid.*
Gravamen mutuatario illatum exigendo ab illo contractus onerosos compensandum est. 2. 3. 5.

H

H*Æredes usurarii num teneantur solvere debita ultra vires hæreditatis, si inventarium non confecerint? 5. 5. 1. Quandonam teneantur debita solvere in solidum? 5. 5. 2.*

I

I*Ncidere in commissum quid sit? 3. 8. 1.*
Judæorum usuræ num possint permitti? 6. 3. 3.
Judicis sententia de solvenda pœna conventionali num requiratur? 3. 7. 4
Judicis sententia de solvendo interesse ratione lucri cessantis, quando obligat in conscientia? 3. 5. 6.
Juramentum de solvendis usuris ad quid obliget? 5. 2. 3.

L

L*Egata pia sunt privilegiata, ita ut non possit ex iis detrahi vi legis Falcidiæ. 5. 5. 1.*
Legata solvenda sunt ab hæredibus post solutionem usurarum. 5. 5. 5.
Legis commissoriæ pactum num licite mutuo apponatur? 3. 8. 1.
Locantes domum usurariis num peccent contra justitiam? 6. 4. 4.
Lucrum cessans non debet a mutuatario solvi, nisi deducatur in pactum, antequam sit in mora. 2. 4. 6.
Lucrum cessans, ut debeat compensari, deduci debet in pactum tempore contractus. 3. 5. 1. Num compensari debeat, si præfixo tempore mutuum non restituatur? ibid. Quanti debeat æstimari spes lucri cessantis? 3. 5. 3. Quid si inculpabiliter mutuum tempore præfixo non restituatur? 3. 5. 5. Sententia Judicis de compensando lucro cessante non semper obligat in conscientia. 3. 5. 6. Qui omittit negotiationem animo mutuandi alicui vage, adhuc lucrum cessans exigere potest. 3. 5. 7.
Lucrum ex mutuo sperare, ac principaliter intendere num liceat? 1. 2. 3.
Lucrum reportatum vi contractus usurarii bona fide celebrati, num sit restituendum, si poterat vi contractus liciti reportari? 2. 5. 9.
Lucrum, si immediate vi mutui reportetur, est usurarium; secus vero si mediate. 1. 2. 1. & 1. 2. 3.

M

M*Erces, quæ solent in magna copia vendi, num possint minoris emi ob anticipatam solutionem? 4. 2. 6. Quibus titulis excusari solent ab usura, qui anticipata solutione emunt merces minoris, quam valeant? 4. 2. 2.*
Ministri regii non possunt emere debita regia minoris, quam valeant. 4. 3. 9.
Moneta, cujus valor mox est minuendus, num possit citra injustitiam distrahi cum mutuatariis, aut venditoribus id ignorantibus? 2. 4. 3. Utrum sit saltem contra charitatem? 2. 4. 10. Num possint ipsi etiam Ministri regii uti privata notitia in bonum proprium, quando valor monetæ mox erit minuendus? 2. 4. 11.
Moneta mutuata quomodo sit restituenda, si ejus valor varietur? 2. 4. 6.
Mobatra quandonam est contractus usurarius; & quando solum est contra charitatem, non contra justitiam? 4. 4. 4.
Montes Pietatis citra usuram exigunt auctarium pro expensis necessariis. 3. 1. 2. Deponentes pecuniam in Montibus Pietatis mixtis citra usuram recipiunt auctarium. 3. 1. 4. Discutiuntur plures Auctorum ratiocinationes id suadentes. 3. 1. 3. Num possint Montes auctarium exigere ad ipsos erigendos, aut augendos? 3. 2. 1. Difficultas hæc ab Auctoribus prætermissa enucleatur. ibid. Quantum possit pro auctario isto a Montibus frumentariis accipi? 3. 7. 7. Commendatur praxis Montium frumentariorum juxta leges Eminentissimi Ursini Archiepiscopi Beneventani. 3. 2. 4.
Monopolium quandonam est contra justitiam, quando vero solum contra charitatem? 4. 1. 6.
Mutuare fert beneficium, pro quo nihil potest exigi, non secus ac donare. 1. 3. 9.
Mutuare cum pacto, quod præstentur tibi, quæ debentur ex alia virtute a justitia, num sit usura? 2. 2. 1. & fusius 2. 6. 5. & 4. 6. 6.
Mutuata res quandonam possit a mutuante repeti, & quando restitui a mutuatario? 2. 6. 1.
Mutuatarium excitare ad actum gratitudinis num liceat? 1. 2. 6.
Mutui loco alium contractum celebrare cum eo, qui petit mutuum, num practice ferat palliatam usuram? 4. 6. 5. & 2. 5. 4. & 3. 3. 2. & 3. 8. 4. & 4. 6. 7.
Mutuumne sit, an emptio tritici, si detur illud cum onere, quod restituantur tot mensuræ, quot adæquant valorem præsentem tritici accepti? 2. 4. 3.
Mutuum sub usuris num licite possit peti? 6. 6. 1. V. Petens mutuum.
Mutuum virtuale sufficit ad usuram. 1. 1. 1. & 2. 1. 6.

N

Notarii usurarias scripturas conficientes. V. Tabelliones.
Notorietas juris, & notorietas facti quomodo habeatur. 5. 1. 2.

O

Obligatio antidoralis ex gratitudine in quo differat ab obligatione civili ex justitia? 1. 1. 2.
Obligatio non repetendi mutuum per aliquod tempus est mutuo intrinseca, nec pro ea potest aliquid accipi. 1. 3. 4. *Dispar est ratio inter obligationem non colendi agrum per annum, & obligationem non utendi per annum pecunia mutuata.* 1. 3. 5. *Potest aliquid accipi pro obligatione mutuandi per annum, dummodo id fiat longe ante occasionem mutui.* 1. 3. 6. *Cur pro obligatione non repetendi mutuum per longum tempus nihil accipi possit?* 1. 3. 7. *Mutuatarium obligare ad statim remutuandum, aut ad ineundum alium contractum justum de præsenti, num sit usura?* 2. 1. 4. *Obligare mutuatarium, ut cesset a vexatione injusta, non est usura, secus vero, si vexatio esset justa.* 2. 1. 8. *Non licet obligare mutuatarium ad remutuandum in posterum.* 2. 2. 1. *Aut ad ostendenda signa amicitiæ.* 2. 2. 5. *Necnon ad remittendam restitutionem famæ a mutuante debitam.* 2. 1. 9. *Aut ad remittendam pœnam, quæ juste potest exigi.* 2. 1. 10. *Obligare mutuatarium ad præstandum id, quod præstare tenetur ex alia virtute a justitia, regulariter fert usuram.* 1. 1. 1. & 2. 2. 1. *Item obligare illud ad actus benevolentiæ mere internos.* 2. 2. 5. *Necnon ad conferendum Beneficium Ecclesiasticum, aut ad orandum, &c. ibid.*
Obligationi mutuatarii ex gratitudine num possit vi pacti superaddi obligatio ex justitia? 4. 6. 6.
Officium gratis alicui conferendum non potest ex pacto vi mutui alicui conferri. 2. 3. 1. *Si tamen conferatur usurarie, collatio non est invalida, eo quod contractus sit onerosus.* 2. 3. 3. *Num resignandum sit?* 2. 3. 5. *Num fructus inde percepti, saltem partialiter, sint restituendi?* 2. 3. 6.
Ordinare bonum præstantius ad minus præstans, num semper ferat inordinationem? 1. 2. 5.
Ordo in restitutione servandus relate ad creditores. 5. 6. 1.

P

Pacta mutuo addita, quæ speculative, non practice ab usura sunt immunia. 2. 6. 2. 4. 6. 4. *Vide Practice.*
Pactum etiam implicitum sufficit ad usuram, & simoniam constituendam. 1. 1. 3. *Pacta alia practice usuraria.* 4. 6. 1. & 4. 6. 7. *V. Practice.*
Pactum legis commissoriæ num possit mutuo apponi? 3. 8. 1.
Parvitas materiæ in usura excusat a mortali, & a pœnis annexis. 5. 1. 4.
Pecunia ad ostentationem commodata parere potest lucrum citra usuram, & quare? 1. 1. 1.
Pecunia præsens num sit æstimabilior, quam futura? 1. 3. 4. & 4. 3. 2.
Petens mutuum sub usuris citra gravem necessitatem num peccet? 6. 6. 1. *Num possint usurario a petente mutuum offerri usuræ absolute?* 6. 6. 9. *Num citra mortale peti possit mutuum sub usuris ab usurario parato, si pecunia solum deserviat ad usus illicitos?* 6. 6. 6. & 6. 6. 7.
Periculum proximum amittendi sortem est pretio æstimabile, & ideo potest pro illo aliquid accipi ultra sortem prævio pacto. 3. 6. 2. & 4. 6. 4.
Pignoris fructus an possint a mutuante retineri? 2. 5. 1.
Pignoris emptio cum pacto retrovenditionis num liceat, & sub quibus conditionibus? 2. 5. 3.
Pœnæ usurariorum. V. Usurariorum pœnæ.
Pœna conventionalis sub certis conditionibus licite apponitur mutuo. 3. 7. 2.
Practice plurima non licent, quæ speculative forte licere possent, puta excitare mutuatarium ad actum gratitudinis. 1. 2. 6. *Accipere auctarium, quod a mutuatario datur, ne dicatur ingratus, aut ne mutuum subtrahatur.* 1. 2. 5. *Mutuare cum pacto, quod alius contractus justus simul celebretur a mutuatario.* 2. 1. 2. & 2. 6. 1. *Prorogare mutuum, quousque mutuatarius tuam apothecam frequentat.* 2. 1. 5. & 4. 6. 3. *Mutuare virtualiter recipiendo anticipato partem debiti, & prorogando solutionem alterius partis.* 2. 1. 6. *Quid de contractu Trium?* 3. 3. 6. *Item mutuare cum pacto, quod vendatur mutuanti pignus, si mutuum inculpabiliter non restituatur tempore præfixo.* 3. 8. 4. *Pariter vendere merces ad creditum pretio summo sine pacto, sed cum animo, quod sibi revendantur pretio infimo.* 4. 4. 3.
Pretium justum, quod reportari potest ultra sortem pro lucro cessante, quodnam sit? 3. 5. 3. *Quodnam vero pro periculo proximo amittendi sortem?* 3. 6. 6.
Pretium justum rei quodnam sit? 2. 4. 9. & 4. 2. 2. & 4. 3. 7.
Pretium rei, quæ emitur cum pacto retrovenditionis, quantum decrescat? 2. 5. 4.
Pretium rerum multiplex est, Legale, Vulgare, Conventionale, & in quo differant? 4. 1. 1.
Pretium rerum in subhastatione, & rerum ultronearum, quodnam sit? 4. 1. 4. *quodnam mercium, quæ in magna copia venduntur credito?* 4. 2. 5.
Principes permittentes usuras num peccent? 6. 3. 3. *Secundum se peccant etiam contra justitiam non impediendo usuras.* 6. 3. 4. *Esto aliquando possint etiam cogere mutuatarios ad illas solvendas. ibid.*
Proxenetæ, si faciant partes mutuantis sub usuris, peccant contra justitiam; Secus vero, si partes mutuatarii. 6. 4. 3.

Q

Quæstio instituitur ab Auctoribus prætermissa de lucro ex mutuo ad augendum, vel erigendum Montem pietatis. 3. 2. 1.

R

Regula generalis ad dignoscendum pretium justum pro fidejussione, pro lucro cessante, pro damno emergente, aut pro periculo amittendi sortem. 4. 6. 4.
Regula generalis ad dignoscendum, quodnam pactum mutuo additum sit usurarium? 2. *in Proœm.*
Regula generalis ad dignoscendum, quandonam peccent, & quando ad restitutionem teneantur, qui ad usuras cooperantur. 6. 1. 1.
Regula ad judicandum, quandonam famuli usurariorum ad restitutionem teneantur? 6. 5. 3.

Resti-

Restituere quid teneatur, qui usurarie obligavit mutuatarium ad remutuandum, aut ad agrum colendum in posterum? 2. 2. 3.
Restituere num debeat usurarius mentalis? 5. 4. 1. *Restitutio num sit facienda ab eo, qui acceptavit donationem sibi factam ab usurario, vel fure in præjudicium creditorum?* 5. 3. 7.
Restituine debeat lucrum vi contractus usurarii bona fide celebrati reportatum, si poterat vi contractus liciti reportari? 2. 5. 9.
Restitui debent ab usurario non solum usuræ, sed etiam earum fructus, tam illi, quos dominus percepisset, & ipse non percepit; quam illi, quos ipse percepit, & dominus non percepisset, si non sint mere industriales. 5. 4. 3. *Quid si bona fide contractus usurarius celebratus sit, quando æque poterat ex alio contractu licito idem lucrum reportari?* 5. 4. 3.
Restitutio quomodo facienda a damnificante agrum fructuum agrestium? 4. 5. 3. *Et quomodo a scindente arbores, dum sunt in augmento?* 4. 5. 4.
Restitutio creditoribus quonam ordine facienda sit? 5. 6. 1. *Præferendus videtur creditor, qui rem credito vendidit usurario, si ea extet.* 5. 6. 2.

S

Sacerdos celebrans propter stipendium, alioqui non celebraturus, num peccet? 1. 2. 5.
Sepelire usurarios notorios qui præsumpserit, excommunicatur. 5. 1. 1.
Simoniacum lucrum bona fide acceptum, si potuisset accipi titulo donationis liberalis, num sit restituendum? 5. 4. 5.
Solutio usurarum num liceat? 6. 6. 8.
Sperare lucrum ex mutuo num sit usura. 1. 1. 2., & 1. 2. 3.
Subhastatio quid ferat? 4. 1. 5.

T

Tabelliones conficiendo instrumentum usurarium peccant contra proprium juramentum; & ad restitutionem obligantur, si illud conficiant ad petitionem mutuantis. 6. 4. 1.
Testamentum usurarii est irritum. 5. 1. 1. *Cur irritetur usurarii testamentum, & donatio causa mortis, non vero donatio inter vivos?* 5. 1. 4.
Testes in scriptura usuraria quandonam peccent, & ad restitutionem teneantur. 6. 4. 3.
Triticum, quod mutuatur, quonam pacto restitui aliquando possit cum auctario citra usuram? 2. 4. 1. *Triticum vetus num possit mutuari cum pacto, quod restituatur novum?* 2. 4. 4. *Quid restituendum est pro tritico mutuato, quando conservandum esset a mutuatore pro tempore, quando pluris esset valiturum?* 2. 4. 2. *Quando triticum mutuatur, non explicando, num in eadem mensura, an in eodem valore restituendum sit, quomodo restitui debet.* 2. 4. 5.

V

Valor monetæ, aut tritici mutuati quomodo citra usuram compensari possit, ac debeat, si sit variandus? 2. 4. 1.
Venditio cum pacto retrovenditionis quid ferat? 2. 5. 4.
Vendi possunt merces pretio justo summo pecunia numeranda, quamvis venderentur pretio justo infimo pecunia numerata. 4. 1. 7. *Num etiam credito vendi possint aliquando merces in magna copia ultra justum pretium summum, quo valerent pecunia numerata.* 4. 1. 10. *Num emi possint vilius ob anticipatam solutionem?* 4. 2. 1.
Vitium occultum rei vendendæ manifestandum est, non tamen notitia privata, quod valor monetæ, quæ distribuitur, mox sit minuendus. 2. 4. 8. *Num possint Ministri Regii hac notitia uti in propriam utilitatem?* 2. 4. 11.
URSINI Cardinalis Archiepiscopi Beneventani praxis circa Montes frumentarios discutitur, & commendatur. 3. 2. 4.
Usura quid sit? 1. 1. 1. *Pactum etiam implicitum constituit usuram.* 1. 1. 3. *Auctarium datum ex gratitudine, sed acceptum ut pretium, num sit restituendum?* 1. 1. 4. *Quid si viceversa?* 1. 1. 5.
Usura num jure naturæ vetetur? 1. 3. 3. *In veteri, ac novo testamento, in jure etiam civili, & canonico ea reprobatur.* 1. 3. 8.
Usura declinatur speculative ineundo alios contractus a mutuo. 4. 5. 4., & 3. 3. 2., & 3. 8. 4., & 4. 6. 6. *Sed non semper practice, ib.* & 4. 6. 7.
Usuræ num possint absolute usurario offerri? 6. 6. 9.
Usura palliatur, si sub prætextu emendi pignus cum pacto retrovenditionis, non serventur conditiones ad emendum requisitæ. 2. 5. 3. *Sicut etiam sub prætextu census redimibilis.* 2. 5. 8.
Usurarum solutio non est translativa dominii. 1. 1. 4., & 5. 2. 2.
Usuram consulentes num teneantur restituere? 6. 2. 1.
Usurarum solutio num liceat? 6. 6. 8.
Usurarie exigitur a mutuario, ut cesset a vexatione justa, non tamen ab injusta. 2. 1. 8. *Sicut etiam ut omittat restitutionem famæ.* 2. 1. 9. *Necnon quod pœnam remittat, quæ juste potest exigi.* 2. 1. 10. *Aut quod se obliget ad remutuandum in posterum.* 2. 2. 1. *Vel quod ostendat signa amicitiæ.* 2. 2. 5. *Quid de pacto, quod mutuatarius audiat Missam die festo?* 2. 2. 3. *Num possit ab usura excusari pactum, quod mutuatarius colat agros, metat, aut solvat triticum tempore messis pro pecunia mutuata?* 2. 2. 4.
Usurarius impotens satisfacere suis creditoribus num possit dotem constituere filiæ volenti nubere? 5. 3. 8.
Usurarius mentalis num teneatur ad restitutionem? 1. 1. 6., & 5. 4. 1.
Usurariorum pœnæ quænam sint? 5. 1. 1. *Quinam dicantur usurarii notorii, qui his pœnis subjiciuntur?* 5. 1. 2.

F I N I S.

Ad majorem Dei gloriam, ac Deiparæ sine labe Conceptæ.

SYLLABUS
TITULORUM, & PARAGRAPHORUM
OPUSCULI PRIMI
DE PRINCIPIIS MORALITATIS.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Voluntarium, ac Liberum?

ARTICULUS PRIMUS.

Quomodo definiatur Voluntarium, quomodo Liberum?

I. Definitur Voluntarium, & Violentum. II. Definitur Liberum libertate a coactione, & libertate indifferentiæ. III. Pura Omissio quomodo dicatur voluntaria, & libera?

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Voluntarium?

I. Quid sit directe, quid indirecte voluntarium, seu liberum? II. Explicatur Voluntarium elicitum, ac imperatum. III. Item expressum, & tacitum. IV. Voluntarium voluntate propria, & aliena. V. Necnon actuale, virtuale, & habituale.

ARTICULUS III.

Satisfit quibusdam quæsitis ad praxim necessariis.

I. Num requiratur ad voluntarium directe non solum expressa scientia, sed etiam expressa voluntas? II. Utrum dicatur indirecte voluntarius effectus prævisus in causa sua, si non detur obligatio illam vitandi? III. Qui pravo suo exemplo alium inducit ad furandum, num teneatur ad restitutionem? IV. Quid si Confessarius culpabiliter omittat Pœnitentem monere de restitutione facienda? V. Num peccet contra justitiam Gubernator, inducens suo exemplo alios ad furandum?

ARTICULUS IV.

Num dicatur voluntarius, & aperiendus sit in Confessione effectus procedens ex causa libere volita, quando non potest ea amplius evitari?

I. Num effectus peccati clavibus subjiciendus sit, non secus ac peccatum externum? II. Videtur, quod sic, eo quod sit peccati complementum. III. Sed peccati effectus non habet amplius rationem peccati, si retractetur voluntas prava, antequam ille sequatur. IV. Secus vero, si non sit ea revocata; & in tali casu peccati effectus clavibus subjiciendus est. V. Non tamen, si prava voluntas antecedenter fuerit revocata; & simul præcesserit etiam Sacramentalis Confessio. VI. Quid si Confessio non præcesserit? VII. Utrum irregularitas, aut censura incurratur effectu secuto post voluntatem pravam retractatam?

QUÆSTIO II.

Utrum peccatum ex genere suo mortale evadat veniale ex defectu voluntarii? Ubi plurima de Delectationibus Morosis.

ARTICULUS PRIMUS.

An peccatum ex genere suo mortale evadere possit veniale ex defectu voluntarii, seu plenæ libertatis?

I. Videtur peccatum de se mortale non posse, aut ex defectu plenæ deliberationis in intellectu, aut ex defectu perfecti consensus in voluntate per accidens evadere veniale. II. Sed dicendum id non repugnare, imo passim accidere, præsertim in semidormientibus. III. Diluuntur objecta. IV. Quid si dubitetur de plena deliberatione, aut perfecto consensu? V. Utrum ex opposito peccatum de se veniale ratione consuetudinis possit in mortale transire?

ARTICULUS II.

An delectatio morosa de objecto turpi secundum se pertingat ad mortale?

I. Quid interest inter desiderium objecti pravum, & simplicem ejus complacentiam? II. Delectatio morosa alia est de re turpi, alia de cogitatione rei turpis, & hæc potest non esse culpabilis. III. Delectatio isthæc de objecto formaliter pravo procul dubio est peccaminosa; dubitatur tamen, an vacet gravi culpa, si ea sit de objecto materialiter pravo? IV. Delectatio deliberate quæsita in re venerea excludit parvitatem materiæ in solutis. V. Discutitur, num etiam in Sponsis? num in Viduis? num in Conjugibus, quando sunt absentes? VI. Delectatio morosa videtur non desumere specificam diversitatem a diversitate objecti, sicut desumit desiderium. VII. Si delectatio morosa sit de objecto jure tantum positivo prohibito, poterit vacare culpa gravi:

vi. Secus vero si sit de objecto prohibito jure naturali, si nullatenus a malitia denudari possit. viii. Conciliantur variæ hac in re Doctorum sententiæ.

ARTICULUS III.

An delectatio morosa de objecto turpi indirecte volita sit etiam culpa lethalis?

i. Dupliciter potest delectatio isthæc morosa esse volita indirecte, aut volendo illam in causa, aut non repellendo. ii. Si primo modo sit indirecte volita, dubitatur, num possit vacare culpa gravi? iii. Sin autem sit indirecte volita per hoc, quod non repellatur, speculative loquendo poterit vacare culpa gravi. iv. Non tamen practice. v. Habetur quippe consensus interpretativus in illam, si minus formalis. vi. Dissolvuntur, quæ in contrarium objectantur. vii. Quamvis non semper consensus interpretativus in gravitate culpæ æquivaleat formali; æquivalet tamen in casu nostro.

ARTICULUS ULTIMUS.

Utrum desideria objecti pravi sub conditione tollente ejus malitiam vacent lethali culpa?

i. Diversimode loquendum de desideriis circa objectum vetitum sub conditione possibili, quod non prohibeatur, ut est comestio carnis die Veneris, ac sub conditione impossibili, ut est mendacium, perjurium, &c. ii. Videtur hoc etiam posse vacare culpa. iii. Sed dicendum ea non licere; quippe quæ in praxi ferunt absolutam, & actualem propensionem in malum, ac pravam voluntatem. iv. In casu nostro conditio impossibilis habetur pro non adjecta. v. Præ oculis habendæ theses 13. 14. & 15. ab Innoc. XI. proscriptæ circa desideria inefficacia de malo alterius, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum. vi. Desideria isthæc tam absoluta, quam conditionata graviter lædunt charitatem.

QUÆSTIO III.

Quænam Ignorantia circa Leges, aut Præcepta tollat, vel minuat culpam?

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex sit Ignorantia, & quænam reddat actum involuntarium?

i. Quid intersit inter Ignorantiam, Nescientiam, & Errorem? ii. Sub nomine ignorantiæ comprehenditur oblivio, & inadvertentia. iii. Multiplex est ignorantia Invincibilis, & Vincibilis, seu Antecedens, & Consequens; quæ scilicet actum culpabilem voluntatis consequitur; daturque ignorantia Concomitans, quæ non antecedit, sed comitatur actum. iv. Ignorantia antecedens excusat a culpa, actumque reddit omnino involuntarium. v. Ignorantia concomitans neque reddit actum voluntarium, neque involuntarium positive, sed tantum negative voluntarium. vi. Ignorantia consequens actum, quem causat, reddit indirecte voluntarium, & secundum quid involuntarium; propterea peccati gravitas a tali ignorantia minuitur. Sed quid si ea sit affectata?

ARTICULUS II.

Utrum a culpa excuset Ignorantia Invincibilis, etiam si sit Concomitans?

i. Ignorantia invincibilis antecedens excusat a culpa solum secundum illam rationem, quæ ignoratur. ii. Ignorantia invincibilis concomitans probabilius excusat a malitia objecti ignorata, necnon a poena illi annexa. iii. An, & quale peccatum sit affectus annexus Ignorantiæ concomitanti? iv. Qui putat invincibiliter, sagittam intorqueri in feram cum animo intorquendi illam in Clericum inimicum, si ibi adesset, probabiliter non incurrit irregularitatem, nec excommunicationem, aut onus restitutionis, si forte illum occidat. v. Quodnam homicidium casuale trahat irregularitatem?

ARTICULUS III.

Ex præjacta doctrina plurimæ difficultates resolvuntur.

i. Num incurrat excommunicationem, & onus restitutionis, qui volens occidere inimicum Clericum occidit invincibiliter amicum etiam Clericum? ii. Quid si volens comburere agrum inimici, comburat invincibiliter agrum amici? iii. Num ignorantia vincibilis leviter culpabilis relate ad legem excuset a pœna gravi per legem imposita? iv. Num invincibilis ignorantia legis peccatum reservantis excuset a reservatione? v. Quandonam reservatio peccati habet rationem pœnæ; quando vero fert limitationem jurisdictionis in Confessario? vi. Pœna privationis petendi debitum non incurritur ab eo, qui invincibiliter illam ignorat. vii. Invincibiliter immemor voti pœnalis, v. gr. de non furando sub pœna Jejunii, non tenetur jejunare, si furetur, nec ad id tenetur, si oblivio fuerit venialiter culpabilis. viii. Beneficiarius inculpabiliter omittens Horas recitare, non tenetur ad fructuum restitutionem.

ARTICULUS IV.

Utrum Ignorantia Invincibilis solius pœnæ per legem impositæ excuset ab ea pœna delinquentem?

i. Communius docent, Conscium legis pœnam imponentis, immemorem tamen invincibiliter talis pœnæ, culpæ simul, ac pœnæ reum esse, si legem violet, exceptis Censuris, quæ contumaciam supponunt. Quod autem attinet ad irregularitatem ex delicto Doctores variant. ii. Sed non est improbabile, universim Pœnam hanc non incurri, si ea sit extraordinaria, & exorbitans. iii. Hinc non incurritur in tali casu privatio petendi debitum, nec irregularitas ex delicto invincibiliter ignorata. iv. Pariter in voto pœnali, quoties pœna est exorbitans, ad illam non tenetur, qui illius tantum invincibiliter immemor votum transgreditur. In dubio tamen, an pœna sit extraordinaria, censenda est ordinaria.

ARTICULUS V.

Quandonam Ignorantia censeri debeat Invincibilis, etiamsi proveniat ab Ignorantis culpa; itaut excuset a pœna.

I. Ignorantia est inculpabilis, quando non est in potestate nostra illam repellere. II. Ignorantia, quæ fuit vincibilis in causa, potest hic, & nunc esse omnino invincibilis, & a culpa excusare. III. Quomodo peccant non jejunando Rustici, qui culpabiliter neglexerunt audire Sacrum, in quo Parochi promulgant jejunia illius hebdomadæ? IV. Unumne, an duplex peccatum committit, qui culpabiliter neglexit inquirere de tali lege, & deinde jejunare omittit? V. Num peccet contra justitiam, qui vacans v. g. venationi illicitæ aliquem inadvertenter occidit?

ARTICULUS VI.

An possit dari Ignorantia Invincibilis Dei, & juris naturalis.

I. Juris Divini positivi, ac nonnullorum Mysteriorum fidei dari potest non solum ignorantia, sed etiam error invincibilis. II. Etiam nonnullorum præceptorum naturalium. III. Ignorantia isthæc excusat a culpa. IV. Nequit homo culpæ esse obnoxius, & ignorare Deum saltem sub conceptu Supremi Legislatoris obligantis ad abstinendum a tali operatione, quibuscumque Creaturis ad illam invitantibus. V. Num possit ad longum tempus ignorari Deus sub conceptu Numinis ab omnibus colendi? VI. Quid dicendum de enutritis in silvis?

ARTICULUS VII.

Utrum Ignorantia Vincibilis semper peccatum minuat præsertim in transgressione legum humanarum?

I. Etiam crassa, & supina ignorantia alicujus legis minuit peccatum adversus talem legem. II. Non tamen affectata. III. Potest ignorantia vincibilis ita minuere aliquando culpam, ut excuset a mortali, & a censuris, ac pœnis per legem impositis. IV. Ignorantia, quæ est graviter culpabilis relate ad transgressionem legum naturalium, potest aliquando esse solum venialiter culpabilis, relate ad leges humanas. V. Quare lex humana non obligat cum eo rigore, quo lex divina?

ARTICULUS VIII.

Utrum Legis ignorantia mortaliter vincibilis excusare possit a pœna, quamvis non excuset a gravi culpa?

I. Ignorantia mortaliter culpabilis, quæ non pertingit ad crassam, excusat a pœna transgressoribus imposita, sive ea sit censura Episcopalis, sive Pontificia, sive irregularitas &c. II. Excusat etiam ignorantia crassa, si pœna imponatur facientibus scienter, aut temere præsumentibus. III. Et probabiliter etiam affectata, quippe quæ solum æquiparatur scientiæ pro foro exteriori, quando scientia præsumitur. IV. Num legens hæreticorum libros ex ignorantia affectata incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ latam contra Legentes scienter? V. Num excommunicatio lata contra Percussores Clericorum incurratur, si adsit ignorantia crassa sive juris, sive facti?

ARTICULUS ULTIMUS.

Utrum Peccata ex Ignorantia Vincibili commissa sint ejusdem speciei moralis cum peccatis scienter admissis?

I. Probabilius ejusdem speciei sunt peccata scienter commissa, & peccata commissa cum ignorantia graviter culpabili; quamvis illa directe sint volita, hæc vero indirecte, & in causa. II. Quod verum est etiam de peccatis, quæ in sola voluntate consummantur. III. Quomodo peccata isthæc clavibus subjicienda? IV. Quandonam ignorantia vincibilis est speciale peccatum in Confessione aperiendum? V. Non solum est speciale peccatum ignorantia vincibilis, si sit directe volita, sed etiam quando ex speciali præcepto tenemur eam removere, ut est ignorantia Mysteriorum Fidei.

QUÆSTIO IV.

De Vi, Coactione, ac Metu, excusantibus a Legum, & Votorum observantia.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex sit Metus, Vis, & Coactio?

I. Vis, seu coactio absoluta reddit actum simpliciter involuntarium, seu coactum, & violentum. Actus tamen elicitus voluntatis non potest esse simpliciter coactus. II. In actibus humanis magis late patet involuntarium, quam coactum: Quod enim per ignorantiam fit, est quidem involuntarium, sed non coactum; ut nec motus primo primi. III. Simpliciter tamen magis late patet coactum, (quippe quod etiam brutis competit) quam involuntarium, magisque late patet violentum, (quod etiam inanimatis rebus competit) quam coactum. IV. Definitur Metus, qui cum Vi, & Coactione conditionata confunditur. V. Quæ fiunt ex metu, sunt simpliciter voluntaria positive; aliquando tamen sunt positive involuntaria secundum quid, ut est projectio mercium; aliquando solum negative, ut est actus attritionis. VI. Transgressio legum meticulosa, utpote simpliciter voluntaria, non vacat culpa gravi, nisi quando ratione motus obligatio materiæ variatur. VII. Consensus meticulosus sufficit naturali jure ad contractum, dummodo non desit titulus legitimus. VIII. Probabilius valida est jure naturæ donatio, ac promissio, quamvis sit metu extorta, esto injuria compensanda sit. IX. Metus alius est ab intrinseco, alius ab extrinseco, alius cadens in virum constantem, alius in inconstantem.

ARTICULUS II.

Enodantur plurimæ difficultates quoad metum cadentem in constantem virum.

I. Metus cadens in constantem virum debet esse

esse gravis respective. II. Malum, quod timeri debet, satis est si timeatur in consanguineis, vel affinibus, aut alio arctissima amicitia conjuncto. III. Malum grave non est mors duntaxat, sed etiam infamia, & amissio rei valde notabilis, necnon gravis poena, ut excommunicatio, carcer diuturnus, servitus. IV. Quandonam metus reverentialis dicatur cadere in constantem virum? V. Quandonam sponsalia celebrata a patre pro filia præsente, & tacente sunt invalida? VI. Num preces importunæ superioris de se metum gravem incutiant?

ARTICULUS III.

An Metus Gravis excuset a culpa Transgressorem legum Humanarum?

I. Videtur Lex humana universim obligare etiam cum discrimine vitæ. II. Alii docent, nunquam cum tali discrimine posse legem hanc obligare. III. Sed verius solum per accidens in aliquibus casibus non excusat. IV. Evacuantur rationes in oppositum. V. Excommunicatus vitandus potest ad mortem declinandam Sacramenta ministrare; non tamen Sacramentum Pœnitentiæ ex defectu Jurisdictionis. VI. Quamvis urgens metus gravis non sit causa justa simulandi Sacramentum Pœnitentiæ, est tamen causa sufficiens ad simulandum contractum matrimonialem. VII. An liceat consummare matrimonium celebratum cum impedimentis impedientibus, puta cum voto simplici Castitatis, ad mortem vitandam. VIII. Num contrahat excommunicationem latam contra homicidas, qui metu mortis alium occidit? IX. Num possit Carthusianus vesci carnibus in extrema necessitate? X. Metus gravis excusat a transgressione legis humanæ, quamvis ea pœnam capitis imponat.

ARTICULUS IV.

An Metus gravis excuset a Transgressione legis Divinæ positivæ?

I. Gravis metus excusat a transgressione legis Divinæ positivæ, dummodo hæc non concurrat cum lege naturali, nec concernat publicum bonum. II. Fit id perspicuum exemplis Sacrorum Bibliorum. III. Adultus non tenetur cum vitæ discrimine Baptismi Sacramentum suscipere, si possit commode actu contritionis sibi consulere. IV. Tenetur tamen cum vitæ discrimine infantem baptizare mox decessurum. V. Ad mortem declinandam non potest Sacerdos sigillum Sacramentale violare; aut in una tantum specie consecrare; vel extremam unctionem sano conferre. VI. Licitum tamen est Sacerdoti concurrente metu gravi Eucharistiam ministrare peccatori occulto, quamvis clam illam petenti; nec non Eucharistiam in materia dubia, puta in vino congelato, conficere.

ARTICULUS ULTIMUS.

An Metus gravis excuset a Transgressione legis Naturalis?

I. Naturalia præcepta alia sunt affirmativa, alia negativa. Ex his autem alia sunt circa objectum simpliciter, & in quacumque hypothesi incohonestabile: Alia vero versantur circa objectum, quod in aliquibus circumstantiis cohonestari potest. II. Metus gravis culpam extenuat; raro tamen ita illam minuit, ut ex mortali evadat venialis. III. Præcepta naturalia affirmativa, non secus ac præcepta divina positiva, non obligant regulariter cum vitæ discrimine; nisi forte concernant bonum commune, aut bonum spirituale proximi. IV. Similiter præcepta naturalia negativa, quæ sub aliquibus circumstantiis cohonestari possunt; unde possumus cum moderamine inculpatæ tutelæ invasorem occidere, brachii amputationem permittere ad mortem declinandam, & sigillum naturale ad vitandum patriæ excidium, vel mortem innocentis violare. V. Præcepta tamen negativa, quæ nullatenus sunt cohonestabilia, etiam cum vitæ discrimine semper servanda sunt. Immo si quis putet se esse in mortali, & ad inferos detrudendum, si hic, & nunc occidatur, non potest ad declinandam hanc mortem v. g. fidem negare. VI. Num possit lex negativa non fornicandi, aut non furandi in aliquibus circumstantiis cohonestari? VII. In nullo casu licitum est directe occidere innocentem. Quamvis fugiens ad mortem evadendam possit infantem conculcare; non tamen, si hic sine baptismo sit moriturus. VIII. Num liceat ad evadendam mortem commodare gladium volenti occidere suum hostem; ostendere ubi sit, qui ad necem petitur; admovere scalam volenti per fenestras ascendere ad furandum, aut ad virginem stuprandam? IX. Num liceat similiter Nauclero transvehere volentes duellum committere, aut alios occidere? X. Num peccent remigantes in triremibus Turcarum Christianos vexantium ad mortem declinandam? XI. Num liceat in extrema necessitate vesci carnibus hominum mortuorum? & Utrum ad id homo teneatur in hypothesi, quod liceat?

QUÆSTIO V.

De Ignorantia, ac errore Contractus irritante ex defectu Voluntarii.

ARTICULUS PRIMUS.

Prænotantur Prænotanda.

I. Eodem modo ignorantia, ac error contractus irritant ex defectu voluntarii in consensu. Ac similiter dolus ferens errorem provenientem ab altero decipiente. II. Error antecedens dans causam contractui reddit actum simpliciter involuntarium; Error vero concomitans, seu incidens in contractum non reddit actum simpliciter involuntarium, sed non voluntarium. Uterque error potest esse invincibilis, & vincibilis, seu consequens ad prævium actum voluntatis. III. Quænam dicatur causa finalis; quænam impulsiva contractus? IV. Quinam sit in contractibus error circa substantiam, quinam vero circa qualitates? Et quando error circa qualitates redundat in substantiam? V. Contractus alii sunt onerosi, alii lucrativi; Alii stricti juris, alii bonæ fidei. Isthæc tamen divisio non est ex natura rei.

ARTICULUS II.

Utrum error, vel dolus antecedens reddat contractus irritos Jure naturæ?

I. Error antecedens invincibilis circa substantia-

lia contractus irritat illum jure naturæ. II. Et probabilius etiam vincibilis, & crassus. III. Ad culpam contrahendam sufficit voluntarium indirecte, & in causa, non tamen ad valide contrahendum: Sicut nec sufficit ad valide Sacramentum administrandum. IV. Relate ad culpam contrahendam comparatur actus voluntatis ad illam, tanquam ad suum objectum; at relate ad contractum, & ad Sacramenta administranda comparatur, tanquam ad suum effectum. V. Ad contrahendum, & ad Sacramentum conficiendum satis est intentio virtualis (non tamen habitualis) seu voluntas tantum in causa. VI. Error, seu dolus circa accidentalia contractus universim illum non irritat jure naturæ. Sicut nec obest validæ Sacramentorum administrationi talis error. VII. Irritat tamen, si sit circa qualitates substantiales. VIII. Quandonam eleemosyna data pauperi ficto ab hoc restituenda? IX. In matrimonio, & professione Religiosa, quæ statum fixum continent, contractus non irritatur per errorem circa qualitates, nisi expresse excipiantur. X. Contractus bonæ fidei jure positivo duntaxat, non jure naturali sunt irriti, quando dolus dat causam contractui.

ARTICULUS III.

Ex præcitata doctrina resolvuntur plurimæ difficultates.

I. Error personæ, sicut in matrimonio, ita in donatione &c. est error circa substantialia irritans contractum. II. Promissio gemmæ, quæ putatur vitrum, quamvis juramento firmata, est nulla. III. Collatio Beneficii facta per errorem circa doctrinam, paupertatem &c. valida est; secus vero, si fiat per errorem circa lauream Doctoralem in beneficiario requisitam. IV. Quandonam collatio Beneficii facta a Pontifice per errorem circa accidentalia est invalida? V. Num votum de ingredienda Religione obliget, si non subsistat, aut cesset causa talis voti, puta paupertas? Et quid in dubio, an talis causa fuerit finalis? VI. Quandonam est invalidum votum factum per errorem circa circumstantiam, quæ si fuisset prævisa, votum non fuisset nuncupatum? VII. Error circa causam finalem irritat votum simplex, & sponsalia, non tamen professionem Religiosam, & Matrimonium. VIII. Sitne valida eleemosynæ collatio facta simulanti ægritudinem? IX. Si erigatur Hospitale, aut dos constituatur v. gr. pro Germanis, aut pro Virginibus, num teneatur ad restitutionem, qui has qualitates simulat? Et cuinam facienda isthæc restitutio?

ARTICULUS IV.

An dolus, vel error antecedens dans causam Contractui illum irritet saltem jure positivo?

I. Nullo jure irritatur Contractus, si dolus, & error sit circa accidentalia, & non proveniat ab aliquo ex contrahentibus doli participe. Debet tamen contractus ad æqualitatem reduci. II. Si res sit integra, non tenetur deceptus stare contractui. III. Qui sponsalia contraxit cum Berta, quam falso putat esse divitem, num possit errore detecto resilire? IV. Contractus per dolum alterius contrahentis celebrati jure positivo videntur validi, licet ad arbitrium decepti possint rescindi, si sint rescindibiles. V. Diluuntur objecta. VI. Opposita sententia suam habet probabilitatem.

ARTICULUS ULTIMUS.

An Error Concomitans circa rei substantiam irritet contractum jure naturæ.

I. Videtur circumscripto Matrimonio validus jure naturæ contractus celebratus cum errore concomitante, seu incidente in contractum; quippe qui deprehenso errore adhuc celebraretur. II. Communius tamen docent esse invalidum jure naturæ. III. Doctores oppositum sentientes, docentesque, jure saltem positivo esse validum, interpretandi sunt de contractu celebrato per errorem concomitantem circa qualitates. IV. Contractus jure naturæ nullus a lege extrinseca solum validari potest quoad ejus effectum, non quoad ejus constitutiva. V. Quid si dubitetur, Num contractus celebratus sit cum errore antecedente, an cum concomitante?

QUÆSTIO VI.

De Metu irritante Contractus, aut Vota ex defectu Voluntarii.

ARTICULUS I.

An metus gravis injuste incussus ad extorquendum contractum irritet illum jure naturæ?

I. Non irritatur contractus a metu gravi non injusto. II. Neque a metu injuste incusso, sed non ad extorquendum contractum; in quo casu non est irritandus. Ex quo multa deducuntur. III. Metus injuste incussus ad contractum extorquendum videtur jure naturæ contractum irritare multis de causis. IV. Saltem videtur id verum esse in contractibus lucrativis, qui debent esse magis voluntarii, quam onerosi. V. Sed communius docent, omnes hujusmodi contractus esse jure naturæ validos, ita tamen, ut ad arbitrium metum passi rescindi possint, dummodo sint rescindibiles. Quare etiam matrimonium meticulosum, & professio Religiosa jure naturæ sunt valida, & solum jure positivo irritantur. VI. Potest tamen metum passus accommodare se oppositæ sententiæ, & nolle stare contractui tanquam invalido. VII. Metus dicitur consensui contrarius, non quia illum destruit, sed quia minuit. VIII. Dominium, quod per contractus metu extortos transfertur, est debile. IX. Cur nequeat latro ea, quæ sibi per metum promittuntur accipere? Et cur promittens non teneatur ea solvere, nisi promissio sit jurata? X. Votum simplex metu extortum solum jure positivo est irritum, non quidem scripto, sed tradito; Non secus ac matrimonium fidelis cum infidele metu extortum. XI. Pariter sponsalia meticulosa vel sunt saltem indirecte irrita jure positivo per hoc, quod irritetur matrimonium, ad quod tendunt, vel sunt irritanda.

ARTICULUS II.

Utrum Contractus metu injusto extorti sint jure positivo irriti, an solum irritandi.

I. Plurimum ad praxim refert hujus quæstionis resolutio: etenim si sunt irriti jure positivo, sequitur, quod renuncians beneficium adhuc ad Horas teneatur: quod ex sponsalibus non oriatur impedimentum publicæ honestatis: quod vi talis testamenti succedat hæres ab intestato &c., secus vero, si solum sint irritandi. II. Communius docent, nonnullos duntaxat hujusmodi contractus esse jure positivo irritos; tres videlicet jure civili, ac tres alios jure canonico. III. Absolutio a censuris metu extorta est irrita. Sed quid de dispensatione in lege? IV. Num metum incutiens teneatur contractui irrito jure positivo stare ad arbitrium metum passi?

ARTICULUS III.

Utrum metu etiam levi extorta restituenda sint in foro Conscientiæ?

I. Videntur non esse restituenda, quod multis rationibus suadetur. II. Saltem in contractibus onerosis, in quibus minor libertas requiritur, quam in lucrativis. III. Verius restituenda universim sunt in foro Conscientiæ, & contractus metu levi ad extorquendum illum celebratus ad arbitrium metum passi rescindendus est. IV. Metus levis tollit perfectam libertatem injuste, & in materia gravi; ideo mortaliter peccat, & ad restitutionem sub mortali tenetur, qui hujusmodi metum incutit injuste ad contractum extorquendum; irrogat quippe deliberate injuriam gravem. V. Forum externum ad lites vitandas denegat actionem patienti metum levem; non secus ac in deceptione intra dimidium justi pretii. VI. Matrimonium, & Professio Religiosa metu levi, vel reverentiali extorta probabilius jure naturæ valida sunt: sed damnum compensandum. VII. Quæ sunt jure Ecclesiastico irrita, si metus gravis sit injustus, probabilius sunt valida, si sit justus.

ARTICULUS ULTIMUS.

Resolvuntur plurimæ difficultates ex præjacta doctrina.

I. Filius renuncians coacte timore reverentiali hæreditatem paternam potest illam sibi occulte compensare, relaxato per Episcopum juramento. II. Non tenetur in conscientia filius, aut uxor de suo solvere debitum patris, aut conjugis, si metu reverentiali id promiserint iis moribundis: Nec tenentur fidejubere, si similiter ad fidejubendum se obligarint. III. Si pars debiti a creditore remittatur, eo quod desperet aliter se illud recuperarurum, potest hic uti occulta compensatione. IV. Preces importunæ æquiparantur metui reverentiali; tenetur proinde deflorator virginis ad restitutionem, si illam importunis precibus induxit ad consentiendum quasi coacte. V. Qui similiter legatum impedit, pariter ad restitutionem tenetur, idemque dicas de donationibus inter patrem, & filium, & inter conjuges: & facultas superioris data similiter subdito ad expendendum pariter est nulla. VI. Non tenetur tamen ad restitutionem, qui incusso metu justo accusandi, ad quod non tenetur, aliquid extorquet, ne accuset. VII. Idque verum videtur, etiamsi non haberet animum accusandi.

QUÆSTIO VII.

Utrum Juramentum confirmet Contractus metu irritos, aut obligationem implendi Contractus inducat?

ARTICULUS I.

Prænotantur Prænotanda.

I. Distinguendum inter Contractus metu irritos jure naturali, jure positivo, & irritandos. II. Juramentum de se solum habet vim obligandi ad servandum illud, quando contractui adjicitur; & solum jure positivo habet confirmare contractus cæteroqui irritos. III. In multis differt juramentum non confirmans (ut juramentum de usuris solvendis) a juramento confirmante contractus. IV. Illud quippe nullum jus confert, potestque a Prælato relaxari, nec confert actionem pro foro externo, nec per illud hæredes obligantur. Secus vero juramentum confirmans, quod a Prælato relaxari potest, ubi fuerit in contractu læsio.

ARTICULUS II.

Utrum Juramentum universim confirmet Contractus jure positivo irritos?

I. Quinam Contractus juramento firmentur? II. Probabilius omnes de se validi, sed jure positivo irriti. III. Contractus hujusmodi jure positivo circumscripto juramento irriti neque obligationem naturalem continent eos implendi, neque eos non revocandi; At juramento superaddito, accedit iis obligatio etiam civilis. IV. Potest jus civile tollere a contractibus obligationem naturalem eos implendi, dum illos irritat; Et potest jus positivum efficere, ut hujusmodi contractus, quamvis irriti, si juramentum accedit, utramque contineant obligationem, & naturalem, & civilem.

ARTICULUS III.

Utrum Juramentum confirmet contractus metu invalidos, aut saltem obligationem inducat eos implendi?

I. Potest injusto metu extorqueri utrumque, videlicet & contractus, & juramentum; potestque extorqueri alterutrum. II. Juramentum metu injusto emissum contractus meticulosos non confirmat. III. Renunciatio legitimæ, aut hæreditatis metu reverentiali, atque adeo levi facta solum pro foro externo juramento firmatur. IV. Contractus sponte initus, & jure positivo nullus, juramento per metum extorto non confirmatur. V. Obligat tamen hujusmodi juramentum ad contractum implendum, nisi relaxetur. VI. Ideo votum simplex metu extortum non obligat, quia irritatur jure positivo; at simile juramentum non irritatur. VII. Si contractus,

ctus, qui metu extorquetur, a lege irritetur ob bonum publicum juramento illi sponte superadditum, non obligat, nec indiget relaxatione: Secus vero si a lege irritetur ob utilitatem privatam. In neutro tamen casu contractum confirmat. VIII. Si lex non solum irritet, sed etiam prohibeat contractum, juramentum illi superadditum nullatenus obligat. IX. Juramentum adjectum sponsalibus, matrimonio gravi metu extortis, non obligat; Nec si apponatur constitutioni procuratoris ad matrimonium; Secus vero si apponatur constitutioni dotis, & arrharum. X. Nec obligat juramentum hujusmodi adjectum professioni Religiosæ. Sed probabilius obligat, si apponatur voto ingrediendi Religionem. XI. Ut juramentum confirmet contractus jure positivo irritos, tres conditiones requiruntur; Unde non confirmantur contractus in præjudicium tertii, aut qui ob publicam utilitatem irritantur.

ARTICULUS ULTIMUS.

Quisnam Prælatus possit Juramenta Contractibus adjecta relaxare?

I. In præjudicium tertii solus Pontifex, & quidem ob causam urgentissimam, potest juramentum relaxare. II. Relaxare illud potest Episcopus, quoties ex parte creditoris est turpitudo. Immo etiam Vicarius Generalis, & Judex Ecclesiasticus, sed solum pro foro externo. Quid de Regularibus Privilegiariis, & aliis? III. Num facultas data vi Jubilæi, aut Privilegiariis ad dispensandum in Votis se extendat ad relaxanda juramenta, ac vota jurata? IV. Privilegium concessum in Privilegiis Societatis Jesu relaxandi juramenta est solum relate ad Nostros. V. Quænam causa requiratur ad Juramenta relaxanda? In dubio, num causa sit sufficiens, recurrendum ad Pontificem. VI. Quandonam debeat præmitti citatio Partis? VII. Quomodo possit Princeps sæcularis indirecte juramenta isthæc relaxare? Directe certe non potest; cum id pertineat ad potestatem Spiritualem.

QUÆSTIO VIII.

De Concupiscentia minuente, vel augente Voluntarium.

ARTICULUS I.

Utrum Concupiscentia minuat, aut etiam quandoque tollat Voluntarium?

I. Sex passiones spectant ad partem concupiscibilem appetitus sensitivi, quinque vero ad irascibilem. II. Concupiscentia consequens auget voluntarium, necnon meritum, & culpam: Antecedens vero aliquando libertatem interimit. III. Sæpe vero culpam, & meritum minuit. IV. Si voluntarium non sumatur pro libero, sed pro eo, quod procedit ab intrinseco principio cognoscente singula, concupiscentia auget voluntarium. V. Impulsus concupiscentiæ est quidem voluntati extrinsecus, sed impetus ab eo impulsu procedens est illi intrinsecus. VI. Validi sunt contractus (& quidem etiam Matrimonium, & Professio Religiosa) si passione impellente fiant, v. gr. sperando hæreditatem, aut Prælaturam, dummodo libertas, quæ sic minuitur, non interimatur.

ARTICULUS II.

Utrum restituenda sint in foro conscientiæ, quæ blandis verbis extorquentur?

I. Videntur blanditiæ, seu concupiscentia ita minuere voluntarium, ut minuunt preces importunæ, ac metus levis. Et ideo in foro conscientiæ restituenda videntur, quæ blandis verbis extorquentur. II. Sed verius voluntarium augent; cum voluntas amore duce majori impetu operetur; nec irrogatur injuria per blanditias, sicut per metum levem, & preces importunas; unde non videntur trahere onus restitutionis. III. Validum est testamentum factum in favorem uxoris blando sermone illum extorquentis, cum actus non sit mixtus involuntario, quamvis non sit perfecte liber. IV. Excæcat quidem amor, sed si libertatem non interimit, contractus est validus, nullum trahens onus restituendi.

QUÆSTIO ULTIMA.

De Actibus humanis, quoad eorum moralitatem.

ARTICULUS I.

In quonam consistat Bonitas, & Malitia Moralis?

I. Quotupliciter sumitur Morale? II. Num bonitas moralis actuum humanorum consistat in conformitate cum recta ratione, an cum natura rationali. III. Videtur fundamentaliter, & remote consistere in hac secunda conformitate; formaliter, & proxime in prima. IV. Si dictamen rationis sit erroneum, non errat voluntas illi se accommodando.

ARTICULUS II.

Utrum a fine, an ab objecto desumatur bonitas, aut malitia moralis actuum?

I. Inquiritur, an elargitio v. gr. eleemosynæ ob inanem gloriam sit bona moraliter ratione objecti boni, an moraliter mala ratione finis pravi? II. Actus exterior bonitatem, aut malitiam desumit ab objecto, non a fine. III. Actus interior illam desumit a fine, etiam tanquam ab objecto. IV. Universim tamen actus humani, tam interni, quam externi, bonitatem moralem desumunt ab objecto solum formali; malitiam vero etiam ab objecto materiali. V. Ideo malitia moralis trahitur etiam ab objecto materiali, quia bonum ex integra causa, malum ex singulis defectibus. VI. Num circumstantia tribuens actui bonitatem, vel malitiam moralem transeat in rationem objecti, ita ut se habeat tanquam objectum volitum? VII. Alia huc spectantia alibi a nobis discutiuntur.

SYLLABUS TITULORUM, & PARAGRAPHORUM *OPUSCULI SECUNDI* DE CONSCIENTIA DUBIA, & SCRUPULOSA.

QUÆSTIO PRIMA.

An, & quale peccatum sit cum Conscientia dubia operari?

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Conscientia?

I. Conscientia est actus intellectus dictans quid faciendum, & quid fugiendum sit; & ideo est proxima regula humanarum operationum. II. In quo differat a Synthereſi? III. Triplex est conscientiæ actus; sed præcipuus, sitne aliquid faciendum, necne? IV. In quinque membra conscientia dividitur, in Rectam, Erroneam, Probabilem, Dubiam, & Scrupulosam. V. Quid sit conscientia speculativa; quid practica? Et quomodo circa idem sæpe discordent? VI. Quomodo possit conscientia tutior dici minus probabilis, imo & improbabilis, præ conscientia minus tuta?

ARTICULUS II.

Quid, & quotuplex sit Conscientia dubia?

I. In quo differant Scientia, Error, Opinio, Dubium, Suspicio, & Scrupulus? II. Suspensio judicii in quonam sensu vocetur conscientia dubia? III. Videtur esse infidelis, non solum qui in fide est dubius formaliter, sed etiam qui objective, suspendendo deliberate omnem assensum. IV. Explicatur multiplex conscientiæ dubiæ divisio. V. In dubio facti quid præsumendum? VI. Conscientia, quæ est actus intellectus, dicitur bona, vel mala, solum per denominationem ab actu voluntatis, qui ab ea dirigitur.

ARTICULUS III.

An cum Conscientia dubia liceat operari?

I. Licitum est sæpe cum conscientia speculative dubia operari. II. Non tamen cum conscientia practice dubia. III. Per se loquendo peccat, qui cum dubio speculativo sequitur partem minus tutam. IV. Num possit petere, aut reddere debitum, qui secundas nuptias contraxit, dubitans de morte prioris conjugis? V. Quibus de causis deponi practice potest dubium speculativum? VI. Quale peccatum committat, qui cum conscientia practice dubia operatur, non advertens, num operatio sit graviter, an leviter mala?

ARTICULUS IV.

An peccet, qui cum Conscientia perplexa operatur?

I. Quid sit, & num dari possit Conscientia perplexa? II. Operans cum conscientia perplexa vincibili, & culpabili peccat, quamcumque partem contradictionis ponat. III. Secus vero, si talis conscientia sit invincibilis, & putetur æque grave esse peccatum in utraque parte. IV. Quid si ægrotus perplexe putaret esse gravius peccatum elicere actum amoris Dei, juxta præceptum Superioris, quam illum omittere in articulo mortis? V. Peccati gravitas unde mensuranda sit?

ARTICULUS V.

Quale peccatum sit cum Conscientia practice dubia operari?

I. Qui cum conscientia practice dubia operatur, ejus speciei peccatum committit, cujus est id, de quo dubitat. II. Ejusdem pariter speciei est peccatum contra conscientiam rectam, & contra erroneam circa idem objectum. III. Non est duplex peccatum, violare verum præceptum, & contra conscientiam erroneam circa idem operari. IV. Pœnæ tamen latæ contra præceptum violantes non incurruntur ab eo, qui contra conscientiam practice dubiam, aut erroneam circa illud operatur. V. Quænam ignorantia vincibilis sit speciale peccatum?

ARTICULUS ULTIMUS.

Utrum dubium dicatur positivum, an negativum, quando utrinque sunt æquales rationes circa factum?

I. Videntur rationes æquales circa factum se elidere, ac parere dubium negativum. II. Non tamen rationes æquales circa jus, utpote disparatæ, & ideo in hoc casu dubium esse positivum. III. Sed probabiliter etiam rationes æquales circa factum pariunt dubium positivum, ut dicitur de duobus horologiis dantibus mediæ noctis signum diversum. IV. Post contractum bona fide matrimonium, si æque

que sit probabile, priorem conjugem esse mortuum, ac esse superstitem, dubium dicitur esse positivum, & ideo possunt ambo petere, & reddere debitum, ut graves Doctores docent. v. Cur Judex, stante æquali probabilitate, sive circa jus, sive circa factum, teneatur rem dividere; Privatus vero, vel Confessarius possit uni parti revera probabili se accommodare? vi. Num in dubio proprietatis licite possit hæreditas præoccupari? vii. Cum probabile definiatur esse, quod plerumque contingit, quomodo poterit utraque pars contradictionis esse æque probabilis?

QUÆSTIO II.

An in dubio prævaleat Possessio in materia Justitiæ?

ARTICULUS I.

Num sit melior Conditio Possidentis rem bona fide in dubio superveniente, an sit aliena?

i. Trifariam res possideri potest, bona, mala, ac dubia fide. ii. In quonam istæ possessiones differant? iii. Num ad aliquam restitutionem teneatur possidens rem bona fide, si superveniat dubium, quod ea sit aliena, quin possit dubium deponi? iv. Alii volunt, integre restituendam esse: Alii pro ratione dubii partialiter: Sed dicendum posse adæquate retineri. v. Sic deciditur in foro externo; unde etiam in interno. vi. Dubium si superveniat bonæ fidei possessori, bonam fidem non interrumpit, si deponi non potest. vii. Non datur tamen obligatio inquirendi verum dominum; nisi adsint graves, & probabiles rationes dubitandi. viii. Quid si probabilius sit, rem possessam esse alienam? aut si probabile sit esse alienam, & non detur probabilitas, quod sit possidentis?

ARTICULUS II.

Plurima inferuntur.

i. Hinc fit, Judicem in pari probabilitate debere rem adjudicare possidenti illam bona fide. ii. Si a neutro res possideatur, dividenda pro ratione dubii. iii. Non potes rem a possidente tollere per hoc, quod probabiliter illa sit tua; Nec licitum est in hoc casu occultam compensationem facere: At in nonnullis casibus videtur id licere; quando scilicet datur titulus certus, propter quem probabiliter est debita res ab alio possessa. iv. Potest licite emi, aut dono accipi res a possidente illam bona fide, quamvis superveniat dubium, quod sit aliena.

ARTICULUS III.

Nonnullæ aliæ difficultates hac in re enodantur.

i. Si nequeat dubium deponi, adhuc potest hujusmodi bonæ fidei possessor rem illam distrahere, & consummare. At comparente domino quid restituendum? ii. An, si vendatur res bona fide empta a fure, quin possit deponi dubium superveniens, quod sit aliena, comparente domino, qui nequeat ab emptore recuperare rem suam, solvendum illi sit pretium acceptum? iii. In quibus casibus pretium dicitur succedere loco rei? iv. Dispar est ratio inter venditionem rei furtivæ bona fide emptæ, & inter permutationem cum alia re; Venditio quippe claudicare potest, Permutatio non item. v. Dispar etiam est ratio, si res hæc furtiva bona fide empta sit, & si bona fide dono sit accepta. vi. Si deprehendatur, rem hanc esse furtivam, & dominus non possit reperiri, num possit ea retineri, an vero dari debeat pauperibus? vii. Verius ad restitutionem tenetur, qui suborto dubio, an res possessa sit aliena, omisit culpabiliter veritatem inquirere. viii. Quid interest inter restitutionem faciendam a possessore bonæ fidei, & malæ? ix. Num res furtiva bona fide empta, deprehenso domino, possit reddi furi ad pretium recuperandum? x. Cur pro foro externo restitui debeat domino, & non etiam pro interno?

ARTICULUS IV.

An res, quæ dubia fide cœpit possideri, restituenda sit?

i. Peccat contra justitiam, qui rem accipit in dubio, an vendens, vel donans possideat illam bona fide? ii. Si dubium deinde deponi nequit, nonnulli docent, posse ab emente, vel donatario rem integre retineri. iii. Verius restituenda, saltem pro ratione dubii. iv. Cur non dicatur hic esse possessor, bonæ fidei? v. Restitutio facienda est cum fructibus rei, tanquam a possessore malæ fidei, non solum a tempore, quo dominus deprehenditur, sed etiam ab initio possessionis.

ARTICULUS V.

Multa ad praxim spectantia deducuntur.

i. Qui occupat rem aliquam, dubitans, quod sit aliena, sed animo inquirendi verum dominum, si non reperiat, poterit illam sibi retinere. ii. Quod si dominus reperiatur, tenetur illam restituere, tanquam possessor bonæ fidei, restituendo tamen etiam fructus non extantes, si consumpserit, quamvis non sit factus ditior. iii. Si dubium sit positivum, seu si probabile sit, rem esse tuam, & simul probabile, quod sit aliena, poteris illam occupare, & deprehenso domino, illam prorsus tanquam possessor bonæ fidei restituere. iv. Qui rem emit animo inquirendi dominum, poterit hoc pretium, & expensas rationabiles repetere. v. Qui a possessore bonæ fidei rem emit, dubitans, quod sit aliena, potest illam sibi integre retinere, si dominus non reperiatur; siquidem dubium hoc supervenit possessioni bonæ fidei. vi. Quid præstandum a Confessariis erga Pœnitentes, qui res emunt ab iis, de quibus vehemens datur suspicio, quod eas furati sint? vii. Num possint emi fragmenta non levis momenti vestium a sartoribus?

ARTICULUS VI.

Utrum prævaleat possessio cooperantis ad damnum in dubio, An ex propria cooperatione damnum sequutum sit?

i. Exponitur status quæsiti. ii. Non leves rationes stant pro parte negativa. iii. Validiores tamen pro sententia affirmativa. iv. Putant alii, restitutionem

tionem fieri posse partialiter pro quantitate dubii. v. Quoties dubium est vel de consilio dato, vel de damno secuto, non videtur consulens ad restitutionem obligandus. vi. Si tamen constet de consilio, & de damno, & solum dubitetur, an consilium influxerit, datur onus restitutionis, nisi validæ conjecturæ suadeant, consilium non influxisse in damnum. vii. Sin dubium duntaxat sit, num consilium influxerit ad citius exequendum delictum, non tamen quoad substantiam delicti, probabile est, non dari onus restitutionis, nisi relate ad excessum damni a consilio causati. viii. Ratione dubii, an consilium influxerit in damnum, nunquam restitutio facienda est partialiter; siquidem, si dubium sit negativum, integra restitutio facienda est; si vero sit positivum, nulla.

ARTICULUS ULTIMUS.

Plurimæ celebres quæstiones ex dictis resolvuntur.

i. Non datur onus restitutionis, si dubitetur, an ex propria culpa perierit res deposita, vel commodata, aut locata. ii. Quænam culpa juridice requiratur pro foro externo, ut detur hac in re onus restitutionis? iii. Probabiliter culpa interne gravis, sed externe levis, a qua damnum causatur, non fert obligationem restituendi: Sicut nec trahit irregularitatem, censuram, aut reservationem. iv. Quid si tam debitor, quam creditor dubitent, an debito satisfactum sit? Num iterata solutio saltem partialis facienda erit? v. Si solus debitor dubitet, integra iterata solutio facienda est. vi. Probabiliter etiam integre iterato solvendum est debitum, si non solum debitor, sed etiam creditor negative dubitent de priori solutione. vii. Quod si dubium sit positivum, probabile est quod ad iteratam solutionem debitor non obligetur. viii. Quomodo solutio probabilis coæquetur debito certo? ix. Qui homicidium suasit, dubitat tamen, an consilium ad homicidam pervenerit, aut an homicidium secutum sit, probabiliter irregularitatem non incurrit. x. Incurritur tamen, si solum dubitetur negative, an ex tali consilio secutum sit homicidium: Imo probabiliter incurritur, etiamsi tale dubium sit positivum. xi. Num ad restitutionem teneatur, qui suo suffragio cooperatus est ad damnum alterius, etiamsi circumscripto tali suffragio idem damnum secuturum fuisset? xii. Si suffragia fuerint secreta, omnes tenentur in solidum; Si vero publica, ii duntaxat, qui sententiam injustam irrevocabiliter concluserunt.

QUÆSTIO III.

Utrum in dubio prævaleat possessio etiam in materia aliarum virtutum a Justitia?

ARTICULUS I.

An in omni materia potior sit in dubio conditio Possidentis?

i. Probabilioristæ validis ratiocinationibus docent, solum in materia justitiæ, non vero aliarum virtutum meliorem esse in dubio conditionem Possidentis; atque adeo in dubio tutiorem partem esse eligendam. ii. Alii putant, meliorem esse conditionem Possidentis solum pro foro externo, sed tutiorem partem eligendam pro foro interno. iii. Alii vero docent, solum relate ad præcepta negativa tutiorem partem eligendam esse in dubio; relate vero ad affirmativa meliorem esse conditionem Possidentis. iv. Verius tamen, tam in materia justitiæ, quam aliarum virtutum, pro utroque foro melior in dubio est conditio possidentis. v. In materia justitiæ hoc axioma est verum, non quia possidetur pecunia, sed quia possidet aut libertas, aut obligatio. Quare idem etiam dicendum universim. vi. Qui cum tali dubio operatur, solum se exponit periculo peccandi materialiter, non vero formaliter propter dictamen reflexum. vii. Non opponuntur duo illa principia, In dubio melior est conditio possidentis, &, In dubio tutior pars eligenda est. viii. Cur irregularitas incurratur etiam in dubio homicidii? ix. Satisfit aliis Probabilioristarum objectionibus.

ARTICULUS II.

Traduntur regulæ ad dignoscendum pro qua parte stet in dubiis possessio.

i. Regulæ, quæ traduntur, non facile in singulis casibus rite applicantur. ii. Prima regula, eaque facillima est inspicere, num tempore præcedat libertas, an obligatio; Et quæ præcedit, illa dicitur possidere, eique favendum, ut liquet exemplificando in multis casibus. iii. In plurimis tamen aliis casibus variant Doctores, utra præcedat? iv. Altera regula est, possessionem pro ea parte stare, pro qua stat juris, seu fori externi præsumptio. v. Juris autem præsumptio est quædam conjectura probabilis, quæ desumitur ex communiter contingentibus. Quod si præsumptio ipsa sit probabilis, habetur pro nulla, eo quod ferret probabilitatem, probabilitatis, atque adeo tenuem probabilitatem. vi. Plura in hanc rem animadvertuntur.

QUÆSTIO IV.

De Conscientia dubia, in materia legis, aut præcepti.

ARTICULUS I.

Num teneamur obedire in dubio, an extet Lex?

i. Probabilius negandum contra Probabilioristas. Sicut etiam in dubio voti, juramenti, & similium. ii. Hinc resolvitur, quid dicendum in dubio, an lex aliquem casum comprehendat? An ea sit promulgata? An acceptata, vel usu recepta, aut derogata? Et si dubitetur, An detur excusatio sufficiens? iii. In dubio, an sufficienter excuseris, sæpe habere potest locum epicheja, quatenus prævalet lex naturalis non exponendi se periculo gravis damni. iv. Quod si de hoc gravi periculo pariter dubitetur, obligabit lex, quippe quæ est in possessione.

ARTICULUS II.

Enodantur nonnulla ad Epichejam spectantia.

i. Licitum probabiliter est uti Epicheja, etiam quando habetur probabile duntaxat judicium, quod nolit

nolit superior in tali casu obligare. II. Num lex debeat cessare contrarie, an sufficiat, quod solum cesset negative, ut licitus sit usus epichejæ? Ubi, num finis legis adæquatus debeat pariter cessare contrarie, ut cesset lex obligare? III. Lex naturalis solum capax est simplicis interpretationis, non vero epichejæ presse dictæ. IV. Quænam conditiones requirantur, ut locum habeat epicheja? V. Divina lex capax est epichejæ presse dictæ, non quidem relate ad divinam mentem, sed relate ad verba legis, casum particularem non comprehendentis.

ARTICULUS III.

Teneamurne obedire in dubio, an res præcepta sit licita?

I. Quod non teneamur, videtur solide a gravibus Auctoribus suaderi. II. Sed communius docent, obediendum esse. III. Nec videtur negandum, si præceptum facile impleri potest. IV. Rationes in contrarium evacuantur. V. Hinc multa ad praxim inferuntur. VI. Triplex certitudo requiritur, ut subditus non teneatur obedire. VII. Probabile videtur, quod in tali dubio subditus non teneatur obedire, si res præcepta sit nimis molesta, & ardua. VIII. Ex quo plura etiam ad praxim deducuntur. IX. Immo cum gravi alterius præjudicio non solum non teneris, sed nec poteris obedire. X. In multis casibus potest superior licite præcipere, quin subditus obtemperare teneatur. XI. Id tamen per accidens contingit, puta ex opinione utrinque probabili &c.

ARTICULUS IV.

An etiam Religiosus obedire teneatur in dubio, an res præcepta potestatem Præcipientis excedat?

I. Religiosus, utpote subditus voluntarius, videtur in hoc dubio non teneri ad obediendum, licet alii teneantur. II. Plurima favent huic libertati Religiosi. III. Sed communior sententia fert, Religiosum etiam in tali dubio ad obtemperandum teneri: Esto forte non teneatur, qui solum emisit votum simplex obedientiæ extra statum Religiosum. IV. Objecta diluuntur. V. Num Moniales in tali dubio obedire teneantur Abbatissæ? VI. Superiore præcipiente in Virtute Sanctæ Obedientiæ, in dubio negativo, num materia sit gravis, & capax talis præcepti, tenetur subditus sub mortali obedire; quicquid sit, si dubium sit positivum.

ARTICULUS V.

An teneatur subditus obedire, si etiam superior dubitet de honestate rei præceptæ?

I. Pro utraque parte stant Doctores primæ notæ, & rationes non leves. II. Tenetur subditus obedire, si certus sit de honestate rei præceptæ, esto Superior dubitet. III. Non potest tamen obedire, si uterque dubitet, & superior ante præmissam diligentiam præcipiat. IV. Hinc resolvitur quæstio illa celebris, Num Conjux teneatur debitum reddere illicite petenti. V. Si utroque dubitante de honestate rei, superior debitam diligentiam præmiserit, antequam præciperet, probabilius tenetur subditus obedire, saltem si res præcepta non sit nimis ardua.

ARTICULUS VI.

Teneamur ne obedire, si probabile sit, Rem præceptam esse illicitam?

I. Valde probabile videtur, quod non teneatur obtemperare subditus, præsertim si res præcepta sit ardua, & sit locus epichejæ. II. Communior tamen sententia fert, quod subditus obedire teneatur, etiamsi probabiliter judicet, rem præceptam esse supra superioris potestatem, nisi habeat locum epicheja. III. Num possint Gabellæ, & Tributa fraudari in dubio positivo de earum injustitia? An etiam in dubio negativo?

ARTICULUS VII.

An teneatur subditus obedire, quando dubium est de legitima potestate Superioris?

I. Si Superior non sit in possessione Prælationis, potest subditus in tali dubio non obedire; sive positive dubitet, sive etiam negative. II. Secus vero, si sit in tali possessione. III. Superior in hoc casu punire potest subditos inobedientes, quamvis isti forte coram Deo non peccent, sequendo opinionem oppositam. IV. Miles subditus pugnare tenetur, prout præcipitur a Principe pacifice possidente suum Principatum, etiamsi detur ratio probabilis de belli injustitia. Miles tamen non subditus pugnare non potest, si non datur ratio probabilis de belli justitia, sed probabiliter bellum est injustum. Quod si tantum negative dubitet, bellare potest. V. Reus, & Testis, si dubitent de legitima Judicis interrogatione, & ex sincera responsione grave damnum timeant, poterunt æquivocatione uti ad respondendum. Secus vero si non immineat grave damnum.

ARTICULUS ULTIMUS.

Expediuntur, quæ supersunt in eadem materia.

I. Si dubitetur, num aliquod statutum habeat rationem legis obligantis, an meræ directionis, dicendum esse directionem. At si dubitetur, num lex lata contineat præceptum, an consilium; dicendum eam continere præceptum. II. Si dubitetur, num lex lata obliget sub gravi, quia non constat de gravitate materiæ, dicendum obligare sub gravi; secus vero si dubitetur de intentione legislatoris, num velit sub gravi obligare? III. In lege canonica verbum præceptivum indicat universim obligationem gravem; non tamen in lege civili. IV. Non obligat lex in dubio, an ratione ætatis, vel temporis urgeat: Unde pueri non tenentur abstinere a carnibus diebus vetitis in dubio, an septennium expleverint. V. Num possit mane communicare qui dubitat, num post mediam noctem biberit. VI. Si jejunium naturale esset conditio requisita, ut possit quis communicare, in dubio, an talis conditio sit apposita, non potest communicare; secus vero, si fractio jejunii naturalis supponatur esse impedimentum ad communionem. VII. Num votum obliget in dubio, an ante septennium emissum sit?

QUÆSTIO V.

De Conſcientia Dubia in materia Diſpenſationum, & Privilegiorum.

ARTICULUS I.

Strictene, an late in dubio interpretanda ſit Diſpenſatio, & Poteſtas diſpenſandi?

I. Per ſe loquendo Diſpenſatio, tanquam vulnus legis, ſtricte interpretanda eſt in dubio: Niſi forte proprio motu Principis concedatur, aut ſit inſerta in corpore Juris citra præjudicium tertii. II. Poteſtas vero diſpenſandi, ſive ordinaria ſit, ſive delegata, univerſim in dubio latam habet interpretationem, niſi vergat in tertii præjudicium. III. Quandonam poteſtas diſpenſandi delegata habet rationem Beneficii ample interpretandi; quando vero habet rationem Diſpenſationis interpretandæ ſtricte?

ARTICULUS II.

In dubio, num diſpenſatio ſit valida, quid decidendum?

I. Dubium hoc ex triplici capite oriri poteſt. II. Si dubietas oriatur ex hoc, quod dubia ſit ſuperioris prælatio, diſpenſatio erit valida, ſi ſuperior ſit in poſſeſſione ſui ſuperioratus; ſecus vero ſi non ſit in tali poſſeſſione. III. Si vero dubitetur, an cauſa diſpenſationis fuerit ſufficiens, valida dicenda eſt diſpenſatio, quoties de inſufficientia cauſæ non conſtet. IV. Num peccet ſuperior diſpenſando, dubitans de cauſæ ſufficientia? V. Si dubitetur, num verba diſpenſationis hunc caſum comprehendant, dicendum non comprehendere. VI. Quid dicendum, ſi dubitetur, num diſpenſatio fuerit ſubreptitia; vel ſi dubitetur, num fuerit finalis, an impulſiva cauſa in memoriali tacita, aut falſo expreſſa? VII. Probabilius dicendum, cauſam eſſe finalem, atque adeo diſpenſationem eſſe ſubreptitiam.

ARTICULUS III.

Habendane ſit irrita diſpenſatio, ſi deprehendatur, Prælatum non potuiſſe diſpenſare?

I. Si communi errore cenſebatur, Prælatum diſpenſantem eſſe ſuperiorem, quamvis revera non eſſet, diſpenſatio erit valida. II. Deficiente cauſa finali diſpenſationis, hæc eſt irrita. III. In dubio, an diſpenſatio, aut poteſtas diſpenſandi ad talem caſum ſe extenderet, vel an daretur cauſa ſufficiens, ſi bona fide diſpenſatum fuit, valida eſt diſpenſatio, quamvis deinde deprehendatur oppoſitum. IV. In dubio, an poſſit Epiſcopus diſpenſare, num recurrendum ſit ad Pontificem? V. Num licite Epiſcopus diſpenſet in legibus Pontificiis in caſu urgentis neceſſitatis? An etiam in impedimentis matrimonii, & in irregularitate?

ARTICULUS ULTIMUS.

Quomodo Privilegium in dubio interpretandum ſit, ſtricte ne, an ample?

I. Latam in dubio habent interpretationem Privilegia data motu proprio, aut inſerta in corpore Juris, ſi tamen tertio non præjudicent. II. Pariter Privilegia Communitatibus, puta Religionibus collata. III. Preſſe tamen interpretandum, quod derogat juri communi, niſi ſit Privilegium oneroſum. IV. Sicut etiam quod eſt in præjudicium tertii. V. Num Privilegium de non ſolvendis decimis intelligatur etiam ex prædiis acquirendis? VI. Privilegium, quod derogat juri particulari alterius, non cenſetur illi derogare, niſi exprimatur. VII. Num Privilegiorum confirmatio præſumatur facta ex certa ſcientia, an ſub forma communi? VIII. Num liceat uti Privilegio in dubio, quod revocatum ſit? IX. Poſſitne Epiſcopus in dubio Privilegia Regularium interpretari?

QUÆSTIO VI.

De Conſcientia Dubia in materia Voti, aut Juramenti.

ARTICULUS I.

Utrum in dubio Voti, Juramenti, & Promiſſionis detur obligatio ea adimplendi?

I. Votum in dubio, etiam poſitivo, non obligat. II. Secus vero, ſi detur pro voti emiſſione ſolida probabilitas citra probabilitatem in oppoſitum. III. Certus de voto, ſed dubius de voti quantitate, & qualitate ad quid tenetur? IV. Dubitans, an habuerit animum ſe obligandi per votum, adhuc eo tenetur. V. Voto teneatur, qui dubitat, num ante ſeptennium illud emiſerit. VI. Non datur voti obligatio, ſi validæ dentur conjecturæ, quod ratione ſomni, ebrietatis, vel paſſionis non fuerit illud emiſſum cum plena deliberatione. VII. Quid, ſi dubitetur a vovente de materiæ honeſtate? VIII. Aut ſi materia licita dubitetur, an evaſerit illicita.

ARTICULUS II.

Utrum teneatur vovens ponere unam partem promiſſæ, ſi non poteſt alteram, in dubio, num utramque voverit copulative, an diviſive?

I. In dubio, num duplex materia promittatur diviſive, an copulative, alii putant ſtandum pro libertate; alii pro voto. II. Regula obſervanda eſt, ut communis uſus vovendi utramque materiam inſpiciatur. III. Exemplis ea in bono lumine collocatur. IV. Qui ingreſſum in Religionem vovit, num, & quando teneatur ad caſtitatem, ſi non poſſit ingredi Religionem? V. Votum pœnale num, & quando ad pœnam obliget toties, quoties violatur? VI. Votum ob duplicem finem emiſſum, ſi alter ſit ineptus, non obligat. VII. Probabilius eſt, quod ſi dubitatur, num duplex materia voti promiſſa ſit per modum plurium, an per modum unius? dici debeat promiſſa per modum plurium; unde reddita altera parte inepta, ponenda ſit pars apta. VIII. Qui dubitat de tenuitate fructuum beneficii, tenetur horas recitare.

ARTICULUS III.

Utrum in dubio, an Votum ante pubertatem emissum sit, possit parens illud irritare?

I. Jure positivo competit Patri potestas dominativa in filios impuberes, ratione cujus potest illorum vota irritare: Sicut maritus vota uxoris, & dominus vota servorum. II. Etiam in dubio, an vota post pubertatem emissa sint, probabilius a patre irritari possunt. III. Facultas irritandi vota in patre speculative tantum in hisce dubiis est dubia, sed est practice certa. IV. Non est eadem ratio de dubio, num ante septennium votum emissum sit? V. Nec de dubio, num contractus celebratus sit in minori ætate, ita ut possit rescindi? VI. Etiam in dubio positivo, quod vota ante pubertatem emissa sint, irritari possunt a patre. VII. Necnon in dubio, an post pubertatem confirmata sint? VIII. In dubio, num filius votum reale emiserit de bonis patris adimplendum, an de bonis propriis, præsumendum, quod de bonis propriis. IX. Irritatio voti in dubio, an fuerit illud ante pubertatem emissum, est nulla, si deinde deprehendatur, quod fuerit emissum ante pubertatem. X. Diluuntur objecta.

QUÆSTIO VII.

De Conscientia dubia in materia Sacramentorum, & Censurarum.

ARTICULUS I.

De dubiis ad Sacramenta pertinentibus.

I. Est graviter peccaminosus abusus apud Magnates alicubi receptus, quod obstetrices citra grave periculum mortis infantes baptizent. II. Non possunt sub conditione rebaptizari infantes, de quibus prudens dubium non datur, quod obstetrix in iis baptizandis errarit. III. Dubitans, an post mediam noctem biberit, num possit mane communicare? IV. Num possit absolutio conferri, si dubitetur de jurisdictione, aut de casus reservatione? V. An peccatum dubium subjiciendum sit clavibus? Remissive. VI. Sacramentum extremæ unctionis num valide conferatur in dubio gravis ægritudinis, si revera ea non sit gravis. VII. Quandonam iterari debeat ordo Presbyteratus in dubio de valida ejus susceptione? VIII. Num sponsalia dissolvi possint ab altero ex sponsis, cui innotescit defectus notabilis alterius sponsi, in dubio, an eo cognito adhuc sponsalia celebrata fuissent? IX. Num possit petere, aut reddere debitum conjux dubitans de matrimonii validitate? X. Quid si uterque conjux dubitet? XI. Aliter discurrendum de petente illicite debitum ratione voti castitatis, ac de petente illicite ratione dubii de valore conjugii.

ARTICULUS II.

De Dubiis ad Censuras, & Irregularitatem spectantibus.

I. In dubio Censuræ melior est conditio sive libertatis, si ea stet in possessione; sive censuræ, si ea possideat. II. Idem dicendum in dubio irregularitatis, excepta ea, quæ oritur ex homicidio; hæc etenim etiam in dubio homicidii incurritur, dummodo constet de culpa mortali, & de causa apposita de se ad homicidium sufficiente. III. In dubio mutilationis irregularitas non incurritur. IV. In dubio, num homicidium fuerit voluntarium, an casuale? præsumitur casuale, ut proinde si delictum sit occultum, irregularitas possit ab Episcopo dispensari. V. Si dubitetur, Num causa apposita sit ad homicidium patrandum? irregularitas non incurritur; secus vero, si dubitetur, An causa apposita fuerit de se sufficiens? VI. Probabilis est nonnullorum opinio, quod irregularitas non contrahatur, si posita causa dubitetur de homicidio secuto: Sed verior, & probabilior est sententia opposita, quod contrahatur. Unde irregularis est, qui procuravit abortum in dubio num fœtus esset animatus? VII. Excommunicatio tamen in hoc dubio non incurritur; Ubi discutitur opinio Bonacinæ, quod scilicet talis excommunicatio absolvi possit a Pœnitentiario, aut alio habente privilegium absolvendi a Censuris omnibus Episcopo reservatis. VIII. Si dubitetur, an consilium, vel mandatum influxerit in homicidium, irregularitas incurritur; esto vera esset opinio, quæ communius rejicitur, quod non detur in tali dubio onus restitutionis. At si dubitetur, num consilium datum sit? irregularitas non incurritur. IX. Præter irregularitatem, in dubio homicidii non incurruntur aliæ pœnæ, nempe privatio beneficiorum, & inhabilitas ad illa, quippe quæ solum imponuntur propter homicidium certo patratum. X. Si dubitetur, quinam miles ex toto exercitu ad homicidium concurrerit in bello injusto? omnes milites sunt irregulares: Secus vero in bello justo.

QUÆSTIO ULTIMA.

De Conscientia Scrupulosa.

ARTICULUS I.

Quid sit, & quos actus involvat Scrupulus?

I. Scrupulus procedit ex levibus motivis. II. Debent autem motiva esse in se levia, adeo ut possit scrupulosus ad eorum levitatem advertere. III. Scrupulus non solum habetur per judicium dictans ex levibus motivis dari obligationem in conscientia, sed etiam per apprehensionem simplicem trahentem judicii suspensionem, & animi angustias. IV. Quænam sint hominis scrupulosi indicia? V. Scrupulus principaliter ad intellectum spectat, sed trahit in voluntate timorem, animique perturbationem, ac tristitiam.

ARTICULUS II.

An licite operemur cum conscientia Scrupulosa?

I. Illicitum videtur, non deposito scrupulo operari. II. Verius tamen id licet. III. Immo non raro ad id tenentur scrupulosi. IV. Occurritur objectis.

ARTICULUS III.

De Causis, & Remediis Scrupulorum.

I. Causæ intrinsecæ Scrupulorum corporales sunt plurimæ. II. Nec non extrinsecæ. III. Pariter plurimæ sunt hujus morbi causæ intrinsecæ spirituales. IV. Aliæque extrinsecæ. V. Remedia adversus scrupulos naturalia recensentur. VI. Alia remedia moralia adhibenda sunt. VII. Nec non supernaturalia.

SYL-

SYLLABUS
TITULORUM, & PARAGRAPHORUM
OPUSCULI TERTII
DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS,

Ubi fuse etiam de SIMONIA universim.

QUÆSTIO I.

De dotibus in Beneficiario requisitis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex sit Beneficium? Unde ejus Institutio, & Origo?

I. Beneficium quid sit? Et an Prælatura Regularis sit Beneficium? II. Pensio Clericalis in quo differat a Beneficio, etiam in ratione perpetuitatis? III. Quid in dubio, num Beneficium sit Regulare, an Seculare? IV. Beneficia duplicia quænam sint, & quænam simplicia? V. Præstimonia nunc temporis sunt Beneficia presse dicta, VI. Unde Institutio, & Origo Beneficiorum promanarunt?

ARTICULUS II.

Utrum innodatus Censura incapax sit Beneficii?

I. Beneficium ante excommunicationem obtentum per illam non amittitur. II. Num fructus Beneficii ante sententiam Judicis per excommunicationem amittantur? III. Novi Beneficii incapax est excommunicatus; idque verum est etiam si quis suam censuram ignoraret. IV. Esto novi Beneficii collatio facta fuerit ante excommunicationem, adhuc acceptatio est invalida. V. Finis quippe legis attendendus magis, quam verba legis, qua de causa non raro lex pro uno casu disponens censetur disponere de aliis similibus. VI. Non revalidatur per meram absolutionem collatio Beneficii facta tempore excommunicationis. VII. Excommunicatio minor illicitam reddit, non invalidam Beneficii collationem; sicut etiam Præsentationem, & Electionem. VIII. Suspensus ab Officio non est incapax Beneficii; quamvis non possit illud valide aliis conferre. IX. Collatio novi Beneficii facta Suspenso est irritanda, non irrita. X. Interdictus non videtur esse novi Beneficii incapax. XI. Excommunicatus num sicut incapax est novi Beneficii, ita incapax etiam sit Pensionis? XII. Num etiam excommunicatus toleratus sit ad Beneficia inhabilis?

ARTICULUS III.

De Irregularitate, & aliis impedimentis inhabilitantibus ad Beneficia.

I. Irregularis non privatur Beneficiis obtentis; & probabilius est incapax aliorum ratione consuetudinis habentis vim legis. II. Hæretici, eorumque fautores, &c. Beneficii sunt incapaces. III. Intrusus ad Beneficium inhabilis est ad idem obtinendum. IV. Similiter Simoniacus, etiamsi ipso ignorante, suo nomine commissa sit simonia; qui pariter inhabilis est ad alia obtinenda. V. Uxoratus in quo casu capax est Beneficii? VI. Quandonam possit Episcopus in hac inhabilitate dispensare? VII. Quid de Irregulari ratione Bigamiæ? VIII. Num possit aliquando Episcopus in hac irregularitate dispensare? IX. Cur possit Episcopus absolvere a Censuris non expresse reservatis Pontifici, non possit vero dispensare in Irregularitate non expresse reservata? X. Cur etiam possit in Votis non expresse reservatis dispensare? XI. Commentitium est, posse Episcopum pro sua urbe quicquid potest Pontifex pro toto Orbe.

ARTICULUS IV.

De Ætate, & Ordine in singulis Beneficiis requisito.

I. Quænam ætas pro singulis Beneficiis requiratur? II. Defectus ætatis requisitæ reddit invalidam beneficii collationem. III. Nec non Electionem, & Præsentationem; quin detur materiæ parvitas. IV. Ad Beneficium essentialiter requiritur Clericatus; necnon Habitus, & Tonsura tempore receptionis. V. Quid de intentione requisita in singulis Beneficiis? VI. Num vacet culpa etiam veniali carere animo perseverandi in Clericatu, dum Beneficium simplex acceptatur? VII. Num restituendi sint fructus ante sententiam Judicis a suscipiente Beneficium Parochiale absque animo suscipiendi Presbyteratum intra annum? VIII. Quandonam possit Episcopus dispensare, ut Parochus ultra annum differat Sacerdotium?

ARTICULUS V.

De Scientia, & Probitate Beneficiarii.

I. Quænam doctrina pro singulis Beneficiis requiratur? II. Num defectus scientiæ requisitæ irritam reddat Beneficii collationem? III. Num possit Pontifex dispensare, ut illiterato Beneficium conferatur? IV. Quænam Beneficia requirant Doctoratum? V. Quandonam est irrita Beneficii collatio ex defectu Doctoratus? VI. Quænam probitas in Beneficiario requiratur? Et cur defectus scientiæ requisitæ irritet Beneficii collationem, non vero defectus probitatis.

QUÆSTIO II.

In quosnam usus expendi possint fructus Beneficii.

ARTICULUS I.

An Beneficiarii sint domini fructuum ad congruam sustentationem necessariorum?

I. Beneficiorum bona vel sunt Patrimonialia, vel quasi Patrimonialia, vel mere Ecclesiastica. II. Beneficiarii sunt absolute domini fructuum Beneficii ad congruam sustentationem necessariorum. III. Non quia hujusmodi fructus sunt merces laboris. IV. Sed quia ad conservandam dignitatem Ecclesiasticam conferuntur. V Num possint ad usus profanos expendi fructus, qui a congrua sustentatione subtrahuntur? VI. Num lege positiva prohibeatur Beneficiariis de hujusmodi fructibus ad usus profanos disponere? VII. Num sint domini fructuum ad sustentationem necessariorum, etiamsi habeant Patrimonialia? VIII. Num possint Patrimonialibus vesci, & de illis fructibus pro libito disponere? IX. Num simulantes paupertatem restituere teneantur, quod titulo eleemosynæ acceperunt.

ARTICULUS II.

Quænam dicatur Congrua Beneficiarii Sustentatio?

I. Congrua sustentatio quid ferat? II. An comprehendat sustentationem pauperum consanguineorum? III. An Spurii alimenta, & dotem Spuriæ? IV. An solutionem etiam debiti ob actiones peccaminosas contracti? V. Num sustentationem congruam dignitati? VI. Quid de sustentatione congrua personæ, quæ sit valde nobilis, aut valde docta? VII. An ea comprehendat, quæ requiruntur ad altiorem statum acquirendum? VIII. Beneficiariis non licet fructus superfluos expendere ad acquirendam dignitatem ampliorem, quamvis proxime futuram. IX. Laicis quomodo id liceat? X. Possunt Beneficiarii reservare aliquid ad conservandam dignitatem proxime, & probabiliter futuram. XI. Dummodo tamen aliunde non possint tali necessitati prospicere.

ARTICULUS III.

An Beneficiarius sit dominus etiam fructuum, qui congruæ sustentationi superfluunt?

I. Fructus, qui congruæ sustentationi Beneficiarii superfluunt, videntur non posse citra furtum pauperibus denegari. II. Sed probabilius non datur ad id obligatio ex justitia. III. Aliter non irritarentur in jure Beneficiariorum Testamenta. IV. Nec esset validum testamentum, ubi daretur testandi consuetudo. V. Praxis Ecclesiæ ratas habentis Beneficiarii donationes id confirmat. VI. Fructus superflui ex Ecclesiæ præcepto in usus pios expendendi. VII. Largo modo dicuntur Raptores, qui id negligunt. VIII. Peccant graviter, qui aliter de his fructibus disponunt, sed ad restitutionem non tenentur; sicut nec accipientes. IX. Immo accipientes neque ex præcepto Misericordiæ, aut Religionis tenentur illos in pios usus expendere.

ARTICULUS IV.

Quandonam Beneficiarii, & quando Laici graviter obligentur ad Eleemosynam de superfluis statui?

I. Strictius ad id obligantur Beneficiarii, quam Laici. II. Utrique obligantur ad subveniendum pauperi in extrema necessitate de superfluis statui; Et probabilius donando, non mutuando. III. Non inest Laico obligatio destruendi proprium statum ad succurrendum extreme indigenti. IV. Immo nec Beneficiario. V. Tenetur vero etiam Laicus illi succurrere cum aliquo, quamvis non cum gravi detrimento proprii status. VI. Sed quamvis Laicus non teneatur ingentem pecuniam erogare extreme indigenti; tenetur tamen sæpe Beneficiarius non modicam pecuniam conferre. VII. Si necessitas proximi sit valde gravis, & quasi extrema, etiam Laicus tenetur illi succurrere de necessariis statui, cum levi tamen, & non cum magno suo detrimento. VIII. At si necessitas proximi sit quidem gravis, sed non quasi extrema, tenetur etiam Laicus de superfluis statui illi succurrere. IX. At Beneficiarius strictius obligatur ad majorem summam impendendam, quam Laicus. X. Num detur gravis obligatio succurrendi proximo de superfluis, ut hic statum, e quo decidit, recuperet? XI. Non vacat lethali culpa propositum de nunquam elargienda stipe pauperibus in necessitatibus communibus. XII. Tenentur Beneficiarii in usus pios erogare quicquid est congruæ sustentationi superfluum; videlicet de fructibus Beneficii. Sed quota pars in Eleemosynam est distribuenda, & quota pars est notabilis, si distribuatur in usus profanos?

ARTICULUS V.

Utrum etiam Jure naturali obligentur Beneficiarii expendere superflua in usus pios?

I. Putant nonnulli, quod ex solo jure humano ad id teneantur. II. Verius dicendum, quod jure naturali obligentur ea expendere in usus virtuosos; & jure humano in usus pios. III. Idem dicendum de Pensionariis, quorum Pensiones fundantur in titulo Clericali. IV. Esto ea intentione Fideles fundent Beneficia, ut ex superfluis congruæ sustentationi exerceantur a Beneficiariis opera pietatis. V. Hinc valide, & licite dispensat Pontifex, ut in alios usus honestos hujusmodi fructus expendantur. VI. Num peccet mortaliter Pontifex, si in hoc sine causa dispenset? VII. An peccet etiam, qui hac illicita dispensatione utitur? VIII. Ut in

usus non virtuosos expendantur, Pontifex dispensare non potest. IX. Cur possit Pontifex in aliis obligationibus naturalibus dispensare, puta in juramento, in voto, &c. & in hac non possit? X. Morientes Beneficiarii in Curia possunt quidem testari, sed non in usus malos.

ARTICULUS VI.

An etiam Beneficiarii Religiosi sint domini omnium fructuum Beneficii?

I. Videtur non esse domini, sed usurarii, utpote astricti voto Paupertatis. II. Putant nonnulli, Religiosos Beneficiarios non remanere amplius Religiosos. III. Dicendum tamen, cum voto Paupertatis posse annecti dominium fructuum Beneficii. IV. Si Religiosus in incapacitate dominii dispensetur, cum hæc pertineat solum ad solemnitatem extrinsecam, non eatenus censetur dispensatus in voto Paupertatis. V. De facto Religiosus Beneficiarius remanet substantialiter Religiosus, & cum voto Paupertatis. VI. Cur Episcopus Religiosus teneatur gestare habitum sui Ordinis? VII. Quomodo cum Episcopatu cohæreat votum Obedientiæ? VIII. Num eximatur Episcopus Regularis a jugo Regulæ Monasticæ? IX. Num teneatur ad alia vota solemnia, & præcepta suæ Religionis? X. Reservata in Religione non reservantur relate ad Religiosos Beneficiarios. XI. Religiosus Beneficiarius solum dispensatur in incapacitate dominii, quæ ex extrinseca ordinatione Ecclesiæ annectitur statui Religioso, & ideo cum voto Paupertatis habet simul dominium fructuum Beneficii. XII. Ab Episcopo Religioso dicuntur in jure bona Beneficii esse restituenda Ecclesiæ, & sensus est, quod Ecclesiæ sint relinquenda. XIII. Hæc, quæ competunt Episcopo religioso, probabiliter competunt aliis Beneficiariis perpetuis pariter religiosis. XIV. Privilegium uni concessum in corpore juris, universim extenditur ad alium, relate ad quem militat eadem, seu potior ratio.

QUÆSTIO III.

De Oneribus Beneficiariorum, ac præsertim de Residentia.

ARTICULUS I.

An Pastores jure Divino ad Residentiam obligentur?

I. Quid sit Residentia? & quinam ad illam obligentur? II. Pastores jure naturæ tenentur residere. III. Quomodo possit Pontifex in hoc dispensare? IV. Dispensatio presse dicta non cadit in iis, quæ jure naturali prohibentur. V. Sicut ea non cadit in votis. VI. Pontifex non videtur interpretari voluntatem Dei, dum dat licentiam non residendi. VII. Sed tribuendo hanc facultatem, solum remittit debitum residendi, ad quod ex contractu Pastor se obligavit. VIII. Facultas ista, si absque causa concedatur, est etiam invalida, nedum illicita. IX. Si detur causa a residendo excusans, adhuc licentia requiritur, nisi haberet locum epicheja.

ARTICULUS II.

Quid disposuerit Jus Canonicum in ordine ad Pastorum Residentiam?

I. Per tres menses Episcopi, per duos Parochi possunt quotannis æqua ex causa abesse. II. Sufficit levis causa, dummodo grex non patiatur. III. Quænam licentia ad id requiratur Pro Parochis? IV. Ex praxi videtur colligi, quod Parochus petere licentiam ab Episcopo debeat, solum si absit ultra bimestre. V. At vi juris scripti petenda videtur licentia isthæc, etiamsi absentia sit per illud bimestre permissum. VI. Licentia ab Episcopo danda est in scriptis. VII. Episcopi nonnisi ex gravibus causis a Tridentino expressis abesse possunt ultra trimestre, habita in scriptis facultate a Pontifice, vel a Metropolitano, aut a seniore Suffraganeo. VIII. Gravissima causa requiritur, ut Pontifex dispenset cum Episcopis per longum tempus in onere residendi.

ARTICULUS III.

De Pœnis non Residentium.

I. Restitutio fructuum imposita a Tridentino non residentibus, dubitatur, an sit facienda jure naturali? II. Dicendum verius, fructus Beneficii dari sub conditione, non vero cum sola obligatione residentiæ, & ideo jure naturæ restituendos esse a non Residentibus. III. Non tamen fructus omnes, sed solum qui respondent oneri Residentiæ. IV. Hinc non expectata Judicis sententia facienda est isthæc restitutio. V. Ex lege Tridentini restituendi sunt fructus respondentes tempori absentiæ, sed id intelligendum de solis fructibus, qui oneri Residentiæ respondent. VI. Si causa non residendi sit evidens, & non petatur licentia requisita, non datur jure Naturæ obligatio restituendi fructus; secus vero si sit dubia. VII. Sed quid pro foro externo? VIII. Si Pastores resideant solum materialiter non inserviendo Ecclesiæ, adhuc tenentur fructus restituere. IX. Non tamen si inutiliter resideant intra tempus permissum, quod non resideant dummodo per alium exerceant munus suum. X. Si citra culpam non resideant, non videntur obligandi ad fructuum restitutionem.

ARTICULUS IV.

Quibusnam restituendi fructus a non Residentibus?

I. Facienda est restitutio Fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus loci. II. Fructus a non recitantibus Horas possunt quidem restitui in utilitatem domus Beneficii; at non permittitur hoc non residentibus. III. Similiter restitutio a non recitantibus fieri potest pauperibus cujuscumque loci, immo etiam in suffragium defunctorum; at a non residentibus solum fieri potest pauperibus ejus loci, aut in utilitatem fabricæ Ecclesiæ Beneficii. IV. Potest etiam sibi ipsi hanc eleemosynam applicare non residens, si vere sit pauper; dummodo non absit in fraudem. V. Pauperes non possunt remittere his debitoribus eleemosynas faciendas, antequam iis tradatur pecunia, & donatio deinde sit omnino libera. VI. Aliæ etiam pœnæ non residentibus imponuntur.

ARTICULUS V.

An Beneficiarii non habentes curam Animarum ad Residentiam obligentur?

I. Jure naturali non obligantur ad residendum. II. Olim obligabantur jure canonico, sed ob contrariam consuetudinem non obligantur, III. Dignitates tamen, & Canonicatus obligantur, & probabilius sub mortali; nisi per tres tantum, aut quatuor dies absint ultra trimestre permissum. IV. Quid si resideant quidem, sed per multum temporis a choro absint? V. Num peccent mortaliter Episcopi, & parochi, si non resideant, ubi nonnisi tres, vel quatuor animæ integrum gregem constituunt?

ARTICULUS VI.

De Onere Beneficiariorum Horas recitandi.

I. Ex traditione Ecclesiæ habetur gravis isthæc obligatio. II. Non recitans Horas quandonam teneatur fructus Beneficii restituere? III. Num ad id obligetur ante sententiam Judicis? num jure naturæ? num omnes omnino fructus restituendi? & quid si Beneficium sit tenue? IV. Num possit huic oneri Beneficiarius per alium satisfacere? V. Num suppleri possit restitutio facienda per quascumque eleemosynas? VI. Num a restitutione deobligetur, qui Officium pro Officio recitat? aut qui impotens recitare Matutinum, & Laudes, integrum Officium prætermittit? aut qui non potest sine socio recitare? aut demum qui culpabiliter est impotens? VII. Num peccet contra justitiam Beneficiarius, si post omissionem Horarum fructus non restituat? VIII. Num etiam contra justitiam peccet, si non recitet, & velit fructus statim restituere? IX. Probabilius est, ad id recitandum non teneri contractu oneroso. X. Parochus tamen contractu oneroso, & ex justitia tenetur sacramenta ministrare ovibus suis.

ARTICULUS VII.

De habitu, & Tonsura Beneficiariorum.

I. Quid sit Habitus, & Tonsura? II. Onus deferendi Habitum, & Tonsuram æque imponitur initiatis sacris Ordinibus, ac Beneficiariis. III. Beneficiarii id negligentes videntur probabiliter obligandi ad restituendos fructus huic oneri respondentes. IV. Damnanda videtur doctrina excusantium istos a mortali, si desit contumacia, & scandalum. V. Qui ad tempus non notabile, & ex causa non deferunt habitum, excusari possunt a mortali. VI. Qualis debet esse vestis Beneficiariorum?

QUÆSTIO IV.

DE JURE PATRONATUS.

De Electione ad Beneficia, necnon de Postulatione, Collatione, Institutione, & Confirmatione.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit, & quid ferat Juspatronatus?

I. Beneficium acquiritur vel actu, vel potentia, & quidem multipliciter. II. Definitur, & explicatur, quid sit Juspatronatus. III. Dividitur in Ecclesiasticum, Laicum, & Mixtum. IV. In tribus præsertim differt Jus patronatus Ecclesiasticum a Laico.

ARTICULUS II.

Qualem debeat Patronus præsentare?

I. Quinam præsentari non possunt? II. Quid si indignus præsentetur? III. Qui promovetur ad Episcopatum, debet esse inter dignos dignissimus. IV. Necnon qui ad Parochiam promovetur. V. Beneficium, etiam simplex, probabilius conferri debet digniori. VI. Patronus pariter præsentare debet digniorem, non obstante usu in contrarium. VII. Et similiter resignans Beneficium probabilius debet digniori illud resignare.

ARTICULUS III.

De Electione, Postulatione, Institutione, Confirmatione, & aliis ad Beneficia spectantibus.

I. Collatio Beneficii, altera libera, altera necessaria, quæ dicitur Institutio. II. Electio vel est Personæ nullum habentis impedimentum Canonicum; vel est Personæ sic impeditæ, & appellatur Postulatio. III. Confirmatio superioris Prælati quandonam requiratur, & quomodo? IV. Possessio, Investitura, Installatio quid ferant? V. Advertuntur plurima ad Jus patronatus spectantia; præsertim quinam ejus sit incapax, & quinam possit illi derogare?

QUÆSTIO V.

De Simonia ad rem Beneficiariam spectante.

Quid universim ea sit? Et per quid constituatur?

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Simonia?

I. Definitur Simonia. II. Ea est sacrilegium. Quodnam sit munus a manu, munus a lingua, munus ab obsequio? III. Pendet ea sæpe ex intentione operantis. IV. Multipliciter aliquid connectitur cum re spirituali, videlicet antecedenter, consequenter, & concomitanter.

ARTICULUS II.

Num Donatio gratuita rei temporalis, pro obtinendo spirituali, simoniam contineat?

I. Conclusio est negativa, speculative loquendo. II. Thesis 45. ab Innoc. XI. proscripta fert solum simoniam committi, quando datur temporale, tanquam ob motivum intrinsecum pro spirituali obtinendo; quod in praxi solet evenire, si res temporalis non sit levis momenti. III. Qui celebrat propter stipendium, tanquam ob pretium, quin pactum ineat, committit simoniam solum largo modo. IV. Exercere spirituale propter lucrum temporale, tanquam motivum principale, num vacet culpa? V. Donationes gratuitæ pro collatione Ordinum prohiben-

bentur ex odio avaritiæ, non ex motivo religionis, & non sunt simoniacæ, sed favent simoniacæ pravitati.

ARTICULUS III.

An donatio conditionata rei temporalis pro Spirituali, aut e converso, sit Simoniaca?

I. Donatio conditionata quomodo differat a contractu oneroso? II. Videtur licitum dare centum servo, ut baptizetur; an etiam liceat dare centum Sacerdoti, ut te baptizet? III. Donatio conditionata, si cedit in utilitatem donatarii, non censetur simoniaca. IV. Si vero cedat in utilitatem donantis, practice non est immunis a simonia. V. In plurimis casibus quod est speculative licitum, in praxi est illicitum. VI. In quo discriminetur usura a Simonia?

ARTICULUS IV.

An Contractus reciprocus, quo temporale datur pro spirituali, sit Simoniacus?

I. Contractus utrinque obligatorius ex justitia in re nostra est simoniacus. II. Quomodo Sacerdos ex justitia obligetur ad celebrandum citra simoniam? III. Stipendium Sacerdoti non datur propter laborem in celebrando, sed propter sustentationem jure naturæ debitam. IV. Ea sustentatio habet respectum ad alia Sacerdotis onera. V. Quanam ratione potest sustentatio isthæc deduci in pactum, & deberi ex justitia, cum teneatur Sacerdos gratis celebrare? VI. Si temporale detur pro spirituali cum obligatione mutua ex gratitudine, num depurari possit a simonia? VII. Esto speculative possit peti citra simoniam, ut obligationi antidorali satisfaciat, qui accipit spirituale, non tamen practice. VIII. In quonam sensu confixa sit ab Innoc. XI. thesis 45. permittens compensationem gratuitam temporalis pro spirituali? IX. Datur gratis, quod mere datur ad extinguendum debitum antidorale. X. Permutare spirituale cum spirituali non est simonia; licet sit usura mutuare cum pacto, quod donetur aliquod spirituale. At superioratum cum superioratu probabilius non licet permutare. XI. Si detur temporale cum pacto, quod donetur spirituale, quod non cedat in utilitatem dantis, sed accipientis, probabilius talis contractus utrinque onerosus est simoniacus. Quamvis donatio conditionata temporalis, si ponatur spirituale, non sit simoniaca.

QUÆSTIO VI.

De multiplici Simonia, ac de ejus malitia.

ARTICULUS PRIMUS.

De Simonia Mentali, Conventionali, & Reali.

I. Simonia est mentalis, quamvis prodeat in actum externum, dummodo animus simoniacus non manifestetur. II. Conventionalis fert pactum, saltem implicitum. Huic si adjungatur rei traditio, simonia est realis. III. Promissio ficta non trahit pœnas simoniæ conventionalis; ea quippe non est obligatoria, cum supponatur esse de re turpi, nec est pretio æstimabilis. IV. Conventionalis simonia non habetur per acceptationem promissionis simoniacæ, nisi accedat repromissio. V. Per traditionem solius rei temporalis non habetur simonia realis; Et probabilius nec per traditionem solius rei spiritualis. VI. Hinc pœnas contra simoniam realem non incurrit, qui acceptis simoniace Ordinibus renuit solvere pretium promissum.

ARTICULUS II.

De Simonia Juris naturalis, & Ecclesiastici.

I. Præter simoniam juris naturalis negari non debet simonia juris tantum Ecclesiastici; quatenus potest ab Ecclesia prohiberi intuitu religionis venditio rei temporalis annexæ spirituali. II. Hanc etiam potest Pontifex incurrere, sed non potest propter illam puniri. III. Circa quæ versetur simonia juris naturalis, & Ecclesiastici? IV. Adversus simoniam juris naturalis nequit dari consuetudo a culpa excusans, sicut potest dari adversus simoniam juris Ecclesiastici. V. Utraque simonia in ordine ad pœnas jure Canonico impositas æquiparatur. VI. Utraque etiam est ejusdem speciei, & virtuti religionis adversa. VII. Simonia habetur etiam per emptionem large sumptam, seu per contractum injuriosum rebus sacris. VIII. Simonia confidentialis in beneficiis ad quodnam genus simoniæ reducatur? IX. Quatuor modis recipi potest beneficium in confidentiam. X. Quid dè casu hoc reservato, & de pœnis adversus hanc simoniam?

ARTICULUS III.

Num Simonia non solum virtuti religionis, sed etiam justitiæ adversetur?

I. Obligatus ex justitia ad rem sacram administrandam contra virtutem religionis simul, & justitiæ peccat, si illam vendat. II. Jure naturæ non est contra justitiam vendere rem sacram, quæ affert emolumentum temporale. III. In materia beneficiali, saltem jure Ecclesiastico, simonia est contra justitiam, & obligat ad restitutionem. IV. Probabilius venditio quælibet rei sacræ, qua talis, invalida simul est, & injusta jure naturali, & Divino. V. Res sacra non solum est supra, sed etiam extra omne pretium. VI. Hinc non potest pecunia compensari, ut potest fama.

ARTICULUS IV.

Num detur in Simonia materiæ parvitas excusans a mortali?

I. Affirmant nonnulli. II. Communius negant in simonia juris naturalis; crescit quippe irreverentia erga rem sacram ex parvitate pretii. III. In foro externo parva quantitas, inspectis circumstantiis, præsumitur dari liberaliter. IV. Neque excusatur ex parvitate rei spiritualis, quæ venditur. V. Videtur materiæ parvitas a mortali nunquam excusare, si ratio objecti per se primo attacta notabiliter cum virtute opponatur. VI. Aut potius quoties ex objecto gravitas malitiæ concipitur, nulla intellecta materia, sive parva, sive magna. VII. In Simonia juris Ecclesiastici dari potest materiæ parvitas excusans a mortali. VIII. Quænam sit isthæc materiæ parvitas?

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

De Simoniæ materia, quæ sit aut spiritualis secundum se, aut spirituali annexa.

ARTICULUS PRIMUS.

De Simoniæ materia, quæ sit secundum se spiritualis.

I. Recensentur spiritualia, quæ procul dubio materiam simoniæ constituunt. II. Ambigere quis posset de Absolutione sacramentali collata indigno; necnon de Absolutione negata personæ dispositæ. III. Sicut etiam si detur pecunia Parocho, ut Matrimonio assistat. IV. Assistentia testis requisita ad Matrimonii validitatem potest citra simoniam vendi; non tamen testimonium de illo. Potestque etiam sic vendi patrocinium in causa spirituali. V. Quandonam præsumitur simoniaca collatio pecuniæ facta Monasterio ab eo, qui vult esse Monachus? VI. Popinæ, quæ dantur Monialibus, quando emittitur Professio religiosa, num sint simoniacæ? VII. Sex titulis excusari sæpe possunt a labe simoniæ quædam donationes rei temporalis pro spitituali, videlicet ratione sustentationis, laboris extrinseci, privationis emolumenti, consuetudinis adversus simoniam juris Ecclesiastici, liberalitatis, seu gratitudinis, ac redemptionis injustæ vexationis.

ARTICULUS II.

De Simoniæ materia, quæ sit temporale annexum spirituali.

I. Non raro temporale vendi non potest, quamvis ratione connexionis cum spirituali non vendatur pluris. II. Temporale connexum cum re spirituali, ut possit aliquando vendi, non debet amittere talem connexionem. III. Nec est verum, quod possit universim illud vendi, si utilitatem temporalem retineat simul cum ea connexione. IV. Regula stabilienda videtur ea esse, quod possit hujusmodi temporale vendi, si antecedat connexionem cum spirituali, non si consequatur. IV. Quod concomitanter connectitur cum spirituali, tunc vendi potest, quando est huic extrinsecum. VI. Sed qua ratione pro labore, qui celebrationi est intrinsecus, potest exigi, & in pactum deduci sustentatio?

QUÆSTIO VIII.

De Simonia juris Naturalis in re Beneficiaria.

ARTICULUS I.

Sitne invendibile jure naturali Beneficium?

I. Putant nonnulli, jure dumtaxat Canonico Beneficium esse invendibile citra simoniam. II. Communiter tamen docent jure etiam naturali vendi non posse. III. Hinc ne Pontifex quidem, aut Infidelis potest illud vendere; quamvis solus Pontifex jus ad fructus separare posset ab officio spirituali, & sic Beneficium extinguere. IV. Ex thesi 22. ab Alex. VII. confixa infertur dilucide, simoniam juris naturalis committi in venditione Beneficii.

ARTICULUS II.

An possit jure naturali vendi Jus patronatus?

I. Jure canonico certe vendi non potest. II. Putant nonnulli, vendi posse citra simoniam juris naturalis. III. Sed negandum cum fere communi. IV. Quamvis institutum sit ab Ecclesia, adhuc jure naturali est invendibile. V. Et quamvis illud competat etiam laicis.

ARTICULUS III.

Possitne vendi, aut redimi Pensio citra Simoniam juris naturalis?

I. Pensio laicalis non est materia simoniæ juris naturalis. Num autem jure canonico sit invendibilis? probabilius affirmandum. II. Fructus Pensionis clericalis vendi possunt etiam per totam vitam. III. Jus tamen colligendi hos fructus, seu Pensio ipsa clericalis, si assignetur pro officio spirituali, jure naturæ est invendibilis. Quæ vero non fundantur in tali titulo, olim forte erant vendibiles, non tamen post Pium V. qui obligavit hujusmodi Pensionarios ad recitandum Officium Beatæ Virginis, ut docent communius. IV. Pensiones laicales a Beneficiario redimi possunt. Pensiones vero clericales ex stylo Curiæ redimi non possunt. V. Probabilius videntur, jure naturæ spectato, vendi posse citra simoniam.

ARTICULUS IV.

Num vendi possint citra Simoniam Commendæ?

I. Commendæ militares sine ulla simoniæ labe vendi possunt; sed Clericales etiam jure naturæ sunt invendibiles. II. Injusta tamen est venditio militaris Commendæ. III. Quid de administratione Hospitalium? IV. Cappellaniæ non erectæ auctoritate Episcopi citra simoniam vendi possunt, non tamen citra injustitiam; quippe gratis conferendæ sunt. V. Quid de Beneficiariorum coadjutoriis?

ARTICULUS V.

Quid de Judicatura temporali, & spirituali Episcoporum?

I. Temporalis Episcopi judicatura citra simoniam vendi potest; siquidem ad officium spirituale consequitur per accidens. II. Non tamen si ea sit relate ad Clericos; ratione quorum talis jurisdictio est spiritualis, quamvis sit politica. III. Quomodo citra simoniam pro dispensationibus in impedimentis Matrimonii exigi possit pecunia? IV. Num possint Episcopi aliquid exigere, dum in jejuniis, & in festorum observatione dispensant?

QUÆSTIO IX.

De Simonia juris Ecclesiastici in re Beneficiaria.

ARTICULUS I.

Quomodo omne pactum in re Beneficiaria jure Ecclesiastico prohibeatur, adeo ut imbibat Simoniam?

I. Quodcumque pactum in re Beneficiaria est simoniacum. II. Potest tamen vacante Beneficio statui, quod aliquod onus moderatum sit annexum Præbendæ. III. Universim quod in temporalibus est Usura, in spiritualibus est simonia. IV. Est simoniacum pactum de danda pecunia, dummodo non opponatur concurrenti ad beneficium defectus verus, licet improbabilis.

ARTICULUS II.

Quænam permutatio Beneficiorum sit Simoniaca?

Beneficiorum permutatio auctoritate propria fert simoniam juris Ecclesiastici; Et probabilius idem dicendum de Superioratibus Religionum. II. Licitum tamen est convenire in permutationem beneficiorum sub conditione, quod Prælatus consenserit. III. Sufficit consensus Episcopi, ad quem spectat horum beneficiorum collatio. IV. Immo & Prælati habentis jurisdictionem quasi Episcopalem. V. Si Beneficia ad duas Dioeceses spectant, requiritur utriusque Episcopi consensus. VI. Quod si permutentur jura ad beneficia, requiritur consensus Pontificis. VII. Sicut etiam si beneficium cum pensione permutetur. VIII. Aut si permutentur Beneficia compensando pecunia fructuum inæqualitatem.

ARTICULUS III.

Quandonam Beneficiorum resignatio sit simoniaca?

I. Resignari potest Beneficium multipliciter. II. Renunciatio absoluta fieri debet ex causis a Pio V. expressis, si fiat coram Episcopo. III. Conditionata est simoniaca, si non fiat coram Pontifice. IV. Confidentialis est etiam simoniaca. V. Excommunicatio lata contra simoniam confidentialem non incurritur a mediatore. VI. Resignatio isthæc potest fieri per Accessum, per Regressum, & per Ingressum. VII. Si fiat coram Episcopo cum reservatione Pensionis, est simoniaca. VIII. Aut si fiant resignationes reciprocæ. IX. Aut si renuncietur Cajo cum pacto, quod iste solvat expensas factas a renunciante. X. Pontifex in hoc dispensare non potest; quamvis possit partem fructuum applicare resignanti. XI. Quid de resignatione beneficii facta in favorem tertii cum clausula, Non aliter?

ARTICULUS IV.

An transactio in re Beneficiaria sit a Simoniæ labe immunis?

I. In re Beneficiaria transactio est simoniaca, si fiat per ipsos litigantes. II. Secus vero, si fiat auctoritate Judicis, & Superioris. III. In hoc non præsumitur simonia, sicut in collitigantibus. IV. Episcopus Pensiones imponere potest solum ratione transactionis; Et similiter via transactionis permutari potest auctoritate Episcopi Beneneficium tenue cum pingui. V. Neque est simoniaca transactio isthæc, si fiat per arbitros electos ab ipsis collitigantibus.

ARTICULUS V.

An redemptio vexationis in re Beneficiaria sit simoniaca?

I. Vexatio justa in spiritualibus non potest pecunia redimi. II. Injusta vero vexatio extra materiam beneficialem redimi potest. III. Et probabiliter id licitum est etiam in gravi, nedum in extrema necessitate. IV. Nequit tamen dari spirituale ad tollendam injustam vexationem. V. In re tamen Beneficiaria simonia committitur redimendo vexationem injustam ab eo, qui potest prodesse, quatenus tali; non vero ab eo, qui potest obesse. VI. Redimendo vexationem justam, ponuntur media ad obtinendum spirituale; at redimendo injustam, solum removetur prohibens. VII. Non est simoniacus, sed injustus, qui pecuniam accipit, ne injuste vexet in spiritualibus. VIII. Plurima hinc ad praxim deducuntur. IX. Quid, si pecunia detur ei, qui potest prodesse, ne injuste impediat possessionem beneficii jam obtenti?

ARTICULUS VI.

An sit licita emptio Intercessionis pro Beneficio obtinendo?

I. Id non solum est simonia juris Ecclesiastici, se probabilius etiam juris naturalis. II. Quid si pecunia detur familiari Episcopi, non ut intercedat pro beneficio obtinendo, sed ut illum informet de moribus oratoris? III. Quamvis simoniace offeratur pecunia mediatori pro beneficio obtinendo; dubitatur tamen, num mediatus intercessor dicatur pressе Mediator?

QUÆSTIO ULTIMA.

De Pœnis Simoniacorum.

ARTICULUS I.

Quandonam acta Simoniace sint invalida?

I. Functiones, & actionis ordinis, & jurisdictionis validæ sunt, quamvis sint simoniacæ. II. Hinc valida est professio religiosa simoniace emissa. III. Necnon venditio calicis, qua consecrati, reliquiarum, jurispatronatus; quamvis pretium restituendum sit. IV. Gratis dandæ sunt res spirituales, sed non irritatur earum venditio. V. Jure duntaxat Ecclesiastico irrita est Beneficii collatio; sicut etiam actio jurisdictionalis ad Beneficii provisionem ordinata. VI. Resignandum est hujusmodi Beneficium, sive simonia commissa juris naturalis sit, sive Ecclesiastici. VII. Et quamvis simonia facta sit per alium, inscio beneficiario, dummodo hic non contradixerit, nec in ejus odium fiat; proderit tamen huic regula triennalis possessionis. VIII. Quid de electione Pontificis simoniaca? IX. Valida est provisio

visio simoniaca eorum, quæ proprie Beneficia non sunt, puta Pensionis, Superioratus Religionum, & similium. x. Pretium simoniace promissum non est solvendum; res autem spiritualis sic accepta retineri potest.

ARTICULUS II.

De onere restituendi pretium simoniace acceptum.

I. Jure naturali pretium simoniacum restituendum est, quando res spiritualis, pro qua solutum est, nondum est tradita. II. Esto res spiritualis absolute tradita non sit restituenda, quando pretium non est solutum. III. Pretium simoniacum restituendum est danti, non Ecclesiæ. IV. Si res spiritualis sit tradita, pretium simoniace acceptum non est obnoxium restitutioni, ubi res illa spiritualis emolumentum afferat, dummodo non sit beneficium. V. Contractus simoniacus solum est irritus relate ad obligandum de futuro. VI. Nequit pretium retineri ob commodum spirituale, quo quis se privat in gratiam alterius. VII. Multo magis, si dans rem spiritualem, puta Beneficium; neque spirituali, neque temporali emolumento se privat. VIII. Pecunia pro re spirituali datur conditionate; res vero spiritualis datur absolute. IX. Emens rem sacram simoniace potest illam retinere, & pretium recuperare citra ullum inconveniens. X. Pretium simoniace acceptum ratione Beneficii ante sententiam Judicis restituendum est. XI. Pretium ob simoniam mentalem acceptum, si conjunctum sit cum injustitia, restituendum est jure naturæ danti. XII. Idemque dicas de Usura mentali.

ARTICULUS III.

De aliis pœnis Simoniacorum.

I. Præter invaliditatem collationis Beneficii datur inhabilitas ad alia obtinenda. Et num Episcopus in hoc dispensare possit? II. Ad incurrendam hanc pœnam num requiratur sententia declarativa criminis? III. Cur inhabilitas ad idem Beneficium obtinendum incurratur ipso facto, non tamen inhabilitas ad alia obtinenda? IV. Mediatores hac in re excommunicantur, effectu tamen sequuto. V. Ob collationem Ordinum simoniacam incurruntur etiam variæ suspensiones, præter excommunicationem; sed nomine Ordinum non venit prima Tonsura. VI. Pariter ob ingressum in Religionem simoniacum incurritur excommunicatio, & nomine talis ingressus solum venit admissio ad Professionem. VII. Aliæ pœnæ incurruntur ob simoniam confidentialem, quamvis non sit ex utraque parte completa. VIII. Tunc spes in resignante fert simoniam confidentiæ, quando conjugitur cum animo obligandi resignatarium ad pensionem, aut iterum resignandum illud Beneficium sibi, vel alteri; quod si advertat resignatarius, erit pariter ipse simoniacus. IX. Dispar est ratio inter mutuatarium advertentem ad animum usurarium mutuantis, & resignatarium advertentem ad animum simoniacum resignantis Beneficium.

SYLLABUS
TITULORUM, & PARAGRAPHORUM
OPUSCULI QUARTI
DE USURIS.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Usura? Et quo Jure prohibita?

ARTICULUS I.

Quid sit Usura?

I. Lucrum ad usuram spectans debet esse pretium mutui. II. Immo immediate debet a mutuo provenire. III. Sufficit pactum implicitum, sicut ad simoniam, ita ad usuram. IV. Quid si citra pactum detur a mutuatario auctarium ex gratitudine, & illud a mutuante accipiatur, ut pretium mutui? V. Quid si vice versa detur ut pretium, sed accipiatur tanquam gratis datum? VI. Num usurarius mentalis ad restitutionem teneatur?

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Usura?

I. Quid sit usura mentalis, & quotupliciter usuræ nomen sumatur? II. Quomodo usura pallietur? III. Non est usura mentalis sperare, ac intendere lucrum ex mutuo mediate, puta si absque ullo pacto, mediante amicitia, vel ex gratitudine illud conferendum sit: Secus vero, si illud immediate intendatur ratione mutui. IV. Quomodo citra culpam bonum præstantius ad minus præstans ordinetur? V. Non est præceptum, sed consilium, quod citra lucri spem detur mutuum. VI. Num liceat excitare mutuatarium ad gratitudinem? VII. Num usurarie accipiatur, quod a mutuatario datur, ne subeat notam ingrati, aut timens, ne sibi iterum mutuandum sit, quando indigebit?

ARTICULUS III.

Quonam jure prohibeatur Usura.

I. Etiam naturali jure Usura vetatur. II. Aliter Hebræi, qui cupiunt baptizari, non obligarentur ad Usuras restituendas. III. Non potest assignari justus titulus, ratione cujus possit auctarium exigi a mutuante. IV. Pecunia numerata secundum se non est æstimabilior pecunia numeranda. V. Mutuans obligando se ad non repetendam pecuniam per annum, percipit aliquam utilitatem, quatenus si pecunia sorte interim perit, non sibi pereat, sed mutuatario. VI. Pro obligatione mutuandi per annum potest aliquid accipi, non vero pro obligatione non repetendi per annum pecuniam mutuatam. VII. Pro obligatione non repetendi mutuum per quodcumque tempus, secundum se, non potest aliquid accipi. VIII. Usuræ neque in scripturis, neque in jure canonico, aut civili permittuntur. IX. Cur pro beneficio mutui nihil possit accipi a mutuante? Nec pro periculo remoto, cui ille se exponit, amittendi sortem, & occasionem lucrandi?

QUÆSTIO II.

Quænam pacta in mutuo reddant Contractum usurarium?

ARTICULUS I.

An sit usuræ alium contractum justum a Mutuatario exigere de præsenti ac statim?

I. Potest, speculative loquendo, citra usuram nolle mutuans mutuare, si mutuatarius renuat inire alium contractum justum non magis onerosum, quam sit mutuatio. II. Immo potest id in pactum deducere; at neutrum practice licet. III. Nequit tamen a mutuatario exigi, quod se obliget ad alium contractum justum in posterum ineundum. IV. Quare practice non possit mutuatarius obligari ad ineundum de præsenti alium contractum justum? V. Mutuare Sorti, donec tuam apothecam, vel molendinum frequentat, non fert usuram speculative, sed practice. VI. Speculative mutuum virtuale immune est ab usura, quoties v. gr. Sortes, cui centum debentur post annum, petit nunc quinquaginta, contentus quod post duos annos solvantur alia quinquaginta; dummodo mutuatio isthæc sit æqualiter utrique parti onerosa. VII. Exigi potest, quod mutuatarius ponat contractus necessarios ad mutuantis indemnitatem. VIII. Potest mutuans exigere a mutuatario, quod desistat a vexatione injusta, non tamen a justa. IX. Usurarie mutuans exigit a mutuatario, quod remittat sibi onus compensandi injuriam in fama, aut honore illatam. X. Sicut etiam si exigat remissionem pœnæ debitæ, quamvis hæc nonnisi post sententiam Judicis debeatur.

ARTICULUS II.

An sit Usura mutuare cum pacto, quod mutuatarius ad aliquid præstandum in futurum se obliget?

I. Universim usurarie petitur a mutuatario, quod se obliget ad remutuandum in posterum. II. Licita tamen est utrinque obligatio ad mutuandum pro tempore futuro. III. Quid restituendum mutuatario, qui mutuum accepit cum pacto injusto remutuandi in posterum? IV. Praxis dandi anticipato pecuniam cum pacto, quod pro pecunia detur triticum tempore messis, quomodo ab usura vindicetur? Et quid si interim interusurium exigatur? V. Usurarie imponitur mutuatario onus ostendendi signa benevolentiæ, & amicitiæ; aut etiam exercendi internos actus amicitiæ.

ARTICULUS III.

Quid de pacto, quod mutuatarius conferat aliquod officium, vel beneficium?

I. Usurarium est pactum istud de conferendo officio, vel beneficio; esto non esset aliquando usurarium pactum de vendenda merce justo pretio. II. Beneficium sic collatum esset resignandum, utpote invalide collatum. III. Non tamen invalide confertur officium; sicut nec quodcumque contractu oneroso acquiritur ex mutuo. IV. Quia usuræ donantur quatenus debitæ vi mutui, non transfertur earum dominium. Hinc quod traditur vi mutui contractu oneroso, puta venditionis, non datur in pretium mutui, sed propter pretium collatum ab emptore. V. Mutuatarius, qui officium aliquod contulit, ut haberet mutuum, reintegrandus est vel renunciatione illius officii, si fieri potest, vel compensatione gravaminis illati. VI. Circa fructus a tali officio perceptos a mutuante, pariter reintegrandus est mutuatarius.

ARTICULUS IV.

De Pactis additis mutuo, pro quando variandus est valor rei mutuatæ.

I. Pactum de reddenda re mutuata in eadem mensura non est usurarium, si æque dubium est, quod ejus valor deinde crescat, aut decrescat. II. Si triticum servandum sit a mutuante pro quando carius vendi poterit, debet ille servari indemnis. III. Si prævidetur, triticum minoris valiturum, potest mutuator exigere, quod reddantur tot mensuræ, quot adæquant pretium. Quicquid sit, num hic contractus sit mutui, an potius emptionis? IV. Mutuans triticum vetus num pacisci possit, quod restituatur novum? V. Num res mutuata secundum se restitui debeat in eadem mensura, an in eodem valore, quando nihil exprimitur? VI. Moneta mutuata reddine debeat in eadem specie, an in eodem valore? VII. Num conscius, quod monetæ valor mox sit minuendus, possit illam data opera distrahere mutuatariis, & venditoribus id ignorantibus, ne ipse damnum diminutionis patiatur? VIII. Vitium rei occultum, quod non est præsens, sed futurum, non est manifestandum emptori. IX. Existimatio communis est fundamentum valoris rei, esto sit erronea. X. Qui sic mutuat, aut vendit, non peccat contra charitatem. XI. Etiam Ministri Regii possunt notitia hujusmodi privata uti in proprium commodum, dummodo non differant publicare edictum de diminuendo valore monetæ. XII. Mutuans cum tali notitia interrogatus, num sit variandus monetæ valor? peccat contra justitiam, si neget; secus vero, si dissimulet.

ARTICULUS V.

An possint citra usuram fructus Pignoris a mutuante retineri, non computando illos in partem sortis?

I. Exceptis casibus Dotis, ac Feudi, sicut etiam rei Emphyteuticæ, absolute id est usurarium. II. Poterit citra usuram pignus emi cum pacto retrovendendi, & sic poterunt fructus talis pignoris ab emente retineri. III. Ne in praxi usura sic pallietur, requiritur tum intentio emendi, tum pretium justum tum etiam quod res sicut emptori fructificat, ita etiam eidem pereat. IV. Pretium justum pignoris, seu rei, quæ venditur cum pacto retrovenditionis, crescit tertia parte, si pactum sit in favorem emptoris; quarta vero parte decrescit, si sit in favorem venditoris; crescit denique decima parte, si sit in favorem utriusque. V. Vendens rem suam cum pacto retrovenditionis poterit deinde illam sibi locare, dummodo ad id non cogatur; aliter usura palliaretur, ut dicitur in contractu Mohatra. VI. Usurarius est secundum se contractus vulgo dictus *Goderere a Godere*, si detur pecunia pro pignore fructifero. VII. Num possit ab usura excusari, qui loco hujus contractus, duplicem alium contractum super tali pignore instituit, alterum census redimibilis, alterum locationis? VIII. In praxi ab usura non excusatur, qui accipit bona fide lucrum ex mutuo per hoc, quod possit instituere censum personalem. IX. Quicquid sit, an possit hic ratione bonæ fidei a restitutione liberari.

ARTICULUS VI.

De aliis Pactis mutuo additis.

I. Quandonam possit repeti mutuum citra injustitiam; præsertim si res mutuata sit pluris valitura? II. Num usurarie petatur pretium rei mutuatæ pro quando est pluris valitura? III. Practice usuram redolet, si Mutuator pro Fidejussore sese offerat. IV. Pretium justum fidejussionis quodnam sit? V. Mutuare Colonis cum pacto, quod agrum Mutuantis colant, num practice sapiat usuram? VI. Pactum, quod Mutuatarius satisfaciat obligationibus suis sive ex justitia, sive ex alia virtute, quandonam est usurarium? VII. Num loco mutui possit emi res aliqua petentis mutuum, eidemque locari, quousque restituatur pecunia mutuata?

QUÆSTIO III.

Quibus de causis possit a Mutuatario aliquid supra sortem exigi citra Usuram?

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Montes Pietatis exigendo auctarium a mutuatariis immunes sint a labe usuræ?

I. Mons pietatis quid sit, & quibus conditionibus constituatur? II. Citra usuram a mutuatariis aliquid moderatum ultra sortem exigitur pro expensis ad montis conservationem necessariis. III. Titulo damni cæteroqui emergentis rationabiliter hoc auctarium exigitur. IV. Deponentes pecuniam pauperibus mutuandam in montibus Pietatis mixtis num usurarie lucrum reportent? V. Excusari possunt ratione liberalis donationis, quæ illis a Pontifice, vel a Republica fiat in remunerationem beneficii, quod præstant communitati. VI. Num possint etiam excusari vi dispensationis factæ a Pontifice in lege naturali vetante usuras? VII. Num pariter vi contractus census personalis, quem ineant cum mutuatariis?

ARTICULUS II.

Utrum usurarie in Montibus Pietatis Auctarium aliquod exigatur pro eorumdem augmento?

I. Ab Auctoribus gravissima isthæc quæstio communiter prætermittitur; At si id liceat, valde utile, ac pium est, Montes Pietatis ubilibet erigere, aut augere. II. Primo aspectu videtur id adversari definitioni Concilii Lateranensis, & ipsi justitiæ, adeo ut non possit Auctarium istud ab usura purgari. III. Contractus in speciem usurarius non est damnandus, nisi dilucide constet de usura, quoties passim a viris piis, & doctis exercetur. IV. Olim Archiepiscopus Sipontinus ad normam aliorum hujusmodi montes frumentarios erexit summa cum laude. V. Eminentissimus Ursinus Archiepiscopus Beneventanus hactenus octo supra sexaginta montes frumentarios similiter erexit, qui a Pontifice regnante in Brevi dato commendantur. VI. Ab usura sunt immunes, non secus ac montes mixti, in quibus Auctarium exigitur ad solvendum aliquid deponentibus ibi pecuniam suam. VII. Auctarium, quod sit octava pars modii, non est onerosum, sed rationabiliter pergratum mutuatariis. VIII. Potest sic etiam Auctarium accipi pro constructione domus Monti utilis; necnon pro erectione Montis a fundamentis. IX. Pariter excusari potest ab usura tale Auctarium titulo lucri cessantis ex negotiatione prætermissa, aut titulo census personalis, vel titulo obligationis ad mutuandum, aut demum ratione conventionis inter cives initæ; prout in montibus Sodalitiorum. X. Concilium Lateranense non damnat hoc Auctarium, quippe quod non affert Monti lucrum titulo mutui, sed ex aliis titulis mutuo extrinsecis.

ARTICULUS III.

Num in contractu Trium lateat usura?

I. Explicatur contractus Societatis dictus Trium. II. Licitus est, si pecunia a socio negotiationi revera exponatur, & pretium, spectatis omnibus, sit justum. III. Non habetur in hoc contractu mutuum virtuale. IV. Sixtus V. damnat contractum societatis, salvo capitali; at non quando hoc per alium contractum assecuratur. V. Satis est, quod implicite tres contractus celebrentur, videlicet societatis, assecurationis capitalis, & partis lucri. VI. Quandonam in praxi hoc contractu pallietur usura?

ARTICULUS IV.

An ratione damni emergentis possit mutuator aliquid supra sortem exigere?

I. Potest auctarium exigere, ut reddat se indemnem. II. Non potest mutuatarius cogi ad certam quantitatem ex hoc titulo solvendam, si se obliget ad compensandum quodcumque damnum emerserit. III. Debet tamen tempore contractus in pactum saltem implicitum id deduci. IV. Si res mutuata non restituatur tempore præfixo inculpabiliter, non datur obligatio compensandi damnum emergens; secus si culpabiliter. V. Num debeat mutuatarius moneri a creditore de damno emergente, ut teneatur damnum compensare, si culpabiliter non restituit? VI. Num debeat compensari etiam damnum voluntarium mutuantis?

ARTICULUS V.

An etiam pro lucro cessante possit aliquid ultra sortem exigi?

I. Eodem prorsus modo compensandum est mutuanti lucrum cessans, ac damnum emergens, videlicet ineundo ad id pactum saltem implicitum tempore contractus. II. Lucrum, quod compensandum est, debet cessare vi mutui, & ex solo contractu licito. III. Tanti æstimandum est lucrum cessans, quanti a mutuante alteri venderetur. IV. Injuste lucrum cessans exigeretur statim solvendum. V. Debet de tali lucro mutuatarius moneri, & taxari, vel relinqui taxandum a peritis. VI. Sententia Judicis de solvendo interesse quandonam obliget in conscientia? VII. Qui subtrahit a negotiatione pecuniam, ut possit illam mutuare petituro, num possit lucrum cessans exigere? VIII. Qui credito merces vendunt, non possunt aliquid plus exigere ratione lucri cessantis.

ARTICULUS VI.

An possit aliquid accipi ultra sortem pro periculo proximo amittendi illam?

I. Videtur non licere; quia restituta duntaxat sorte, satisfit etiam pro periculo eam amittendi, quod imbibitur in mutuo. Aliter fur equo restituto deberet aliquid aliud pro tali periculo restituere. II. Sed communis sententia id permittit, si in pactum deducatur, quia anxietas animi pro tali periculo fit pretio æstimabilis. III. Ad eam redimendam prudentis arbitrio creditor aliquid solveret. IV. Est autem tale periculum a mutuo separabile. V. Fur satisfacit equo tantum restituto, quia anxietas, quam fert tale periculum, non compensatur pecunia, nisi præcesserit pactum. VI. Justum pretium talis

talis periculi est, quod libenter alteri daretur ad illud redimendum.

ARTICULUS VII.

An pœna conventionalis licite apponatur in mutuo?

I. Videtur usurarie apponi, quia pęna a superiore infligenda est. II. Sed communiter docent, pęnam istam licite posse ex conventione partium apponi. III. Dummodo non apponatur in fraudem, & sit moderata, ac debitor culpabiliter non solvat præfixo tempore, diuque solutionem differat. IV. Num ea pęna debeatur ante sententiam Judicis, & ante petitionem partis? V. Possunt expresse contrahentes pacisci, quod sic debeatur in conscientia. VI. Si præscindant, probabilius videtur, quod ante sententiam Judicis ea debeatur, sed non antequam petatur a mutuante. VII. Non debet hæc pęna naturam aliarum pęnarum sequi, ut ante sententiam Judicis non debeatur.

ARTICULUS VIII.

Utrum etiam Pactum legis commissoriæ licite apponatur in Mutuo?

I. Vi hujus pacti incidit in commissum mutuatarius, & pignus amittit, si non solvat statuto tempore. II. Reprobatur in jure tale pactum ex usuræ præsumptione. III. Si pignus longe excedat debitum, tale pactum est usurarium; secus vero, si parum excedat. IV. Pactum de vendendo pignore, si mutuatarius statuto tempore inculpabiliter non solvat, num, & quando sit usurarium? V. In praxi usurarium est, si tollatur mutuatario libertas vendendi illud cui maluerit. VI. Datur modus vitandi hanc usuram.

QUÆSTIO IV.

De Usura palliata in Contractu Emptionis, & Venditionis.

ARTICULUS PRIMUS.

An possit res vendi pluris ob dilatam solutionem?

I. Legale pretium etiam ab Ecclesiasticis servandum, & quomodo? II. Pretium vulgare ex quinque capitibus potest crescere, aut decrescere; nec consistit in indivisibili. III. Pretium conventionale procedit in rebus voluptuosis. IV. Quodnam sit pretium justum in subhastatione, aut mercium ultronearum? V. In subhastatione rogari solum possunt alii, ne offerant supra pretium justum infimum. VI. Quandonam monopolium est licitum, quando vero est contra justitiam, & quando solum contra charitatem? VII. Non est usura vendere merces credito pretio justo summo, quamvis venderentur pretio justo infimo pecunia numerata. VIII. Num possit credito vendi carius, quam nunc valeat triticum, quod alias venderetur carius mense Majo, & quomodo? IX. Ob alios etiam titulos mutuo extrinsecos vendi possunt merces carius credito, quam vendantur pecunia numerata. X. Num merces, quæ in magna copia adveniunt, vendi possint credito plus, quam valeant summo pretio pecunia numerata?

ARTICULUS II.

An possit res emi vilius ob solutionem anticipatam?

I. Quæstio isthæc resolvenda, ut præcedens II. Pretium rerum desumendum est ab eo, quod valent non nunc, sed tempore traditionis. III. Excusari potest hic contractus plurimis ex titulis; iis tamen deficientibus est usurarius. IV. Nec usuram continet, si merces vendantur anticipata solutione minoris, quam valeant tempore traditionis, sed non minoris, quam tunc valerent, si pecunia numerata venderentur. V. Regula ad dignoscendum pretium justum mercium istarum quænam sit? VI. Non est eadem ratio de his mercibus, quæ nonnisi anticipato possunt commode emi, ac de tritico, si anticipata solutione minoris ematur, quam valeat tempore traditionis. VII. Pretium justum vulgare rerum est diversum relate ad merces, quæ solent emi in magna quantitate, ac relate ad eas, quæ in modica quantitate emuntur.

ARTICULUS III.

An possint citra usuram minoris emi chirographa?

I. Non dubitatur posse minoris emi, si difficilis exactionis ea sint, aut si forte lucrum probabile cesset, vel ex alio motivo extrinseco. II. Plures, & graves Doctores id permittunt. Præsertim quia communiter pluris æstimatur pecunia præsens, quam futura. III. Ac proinde ab ipso etiam debitore possent credita isthæc immatura minoris emi. IV. Sed communior, & vera sententia docet, usuram in hoc contractu latitare; pecunia quippe præsens non est pretiosior, quam futura. V. Æstimatur illa pluris ob rationes extrinsecas, videlicet quia pecunia futura non facile recuperatur, nec potest ad negotiandum deservire. VI. Potest minoris emi Apodixa difficilis exactionis, etiamsi emptor ob gratiam apud Judicem facile sit illam exacturus. VII. Res tanti valet, quanti æstimatur communiter, quamvis ementi sit longe pretiosior. VIII. Injuste tamen emitur res pretiosa pro vili, si solum a venditore ejus valor ignoratur. IX. Chirographum non potest minoris emi a debitore, si ex prava sua voluntate sit difficilis exactionis.

ARTICULUS IV.

An contractus Mohatra semper sit usurarius?

I. Exponitur contractus Mohatra secundum se. II. In terminis propositionis confixæ ab Innoc. XI. procul dubio usuram continet sub pallio, & prætextu emptionis, & venditionis. III. Potest accidere, quod in tali contractu neque contra justitiam peccetur, neque contra charitatem. IV. Quamvis secluso pacto retrovenditionis usura, & injustitia non contineatur in hoc contractu, facile tamen in eo peccatur contra charitatem, & peccato scandali. V. In praxi redolet etiam usuram.

ARTICULUS V.

An sit usuraria emptio fructuum agrestium vilius, ac si essent maturi?

I. Est usuraria talis emptio, nisi solum dematur a pre-

a pretio, quod requiritur pro expensis faciendis, labore, periculo, ne maturescant. II. Agnus minoris valet, quam ovis ratione majorum expensarum, ac periculi in ejus nutritione. III. Damnificans agrum fructuum ægrestium restituere debet, quasi perinde ac essent jam maturi. IV. Similiter scindens arbores in augmento resarcire debet damnum, quod irrogatur de præsenti non minus eo, quod sperabatur ex iis in pleno augmento.

QUÆSTIO V.

De Pœnis Usurariorum, ac de Restitutione ab iis facienda.

ARTICULUS I.

Quænam sint usurariorum Pœnæ?

I. Enumerantur sex præcipuæ pœnæ, nempe Infamia, Impedimentum ad sacros Ordines, Suspensio ab Officio, & Beneficio, Privatio sacræ Synaxis, necnon sepulturæ, ac Testamenti irritatio non præstita satisfactione, aut cautione. II. Quinam dicantur usurarii notorii, qui his pœnis sint obnoxii? III. Usurarius occultus punitur pœna extraordinaria, sive a Judice Ecclesiastico, sive a Laico, cum delictum sit mixti fori. IV. Datur in usuris materiæ parvitas, quæ a mortali excuset, necnon a pœnis annexis.

ARTICULUS II.

Utrum Usurarius dominium usurarum acquirat?

I. Videtur acquirere dominium aliquod debile, utpote cum obligatione illas restituendi. II. Sed verius nullum dominium usurarum usurarius acquirit. III. Usuræ juramento promissæ solvendæ sunt, esto possint statim repeti. IV. Per venditionem factam pretio injusto, aut ex metu transfertur dominium aliquod rei venditæ, quia datur justus titulus; hic autem non habetur in solutione usurarum. V. Ex quibus plura ad praxim deducuntur. VI. Si res per usuram, aut furtum acquisitæ vendantur, emptor transfert dominium pretii, sed venditor non transfert earum rerum dominium in emptorem. VII. Probabiliter rerum, quæ functionem recipiunt, si ab usurario, vel fure vendantur, transfertur dominium in emptorem, quando venditor possit similibus rebus satisfacere domino damnum passo.

ARTICULUS III.

Utrum restitui debeant, quæ ab usurario, vel fure donantur?

I. Nullus contractus cum usurario initus est invalidus, si usurarius non alienet bona propria in præjudicium creditorum. II. Accipiens bona fide aliquid ab usurario in præjudicium creditorum num teneatur illud restituere? III. Solum donationes hujusmodi ab usurario causa mortis factæ a jure irritantur. IV. Inducens usurarium ad alienandas res suas in præjudicium creditorum peccat contra justitiam. V. Videtur contra justitiam peccare, & ad restitutionem teneri, qui aliquid accipit ab usurario, vel fure conscius, quod sic ille reddatur impotens ad solvendum æs alienum. VI. Sicut qui dono accipit vestem, quam scit esse alteri prius venditam. VII. Opposita tamen sententia videtur probabilis; cum per accidens duntaxat inferatur creditoribus præjudicium. VIII. Et similiter potest dono accipi vestis alteri vendita, antequam per traditionem, aut per venditionem translatum sit dominium in emptorem. IX. In pluribus casibus sententia isthæc etiam ab Adversariis admittitur.

ARTICULUS IV.

Ad quid teneatur ipsemet Usurarius, præsertim quando lucrum ex contractu usurario bona fide reportatum est?

I. De usurario mentali quid dicendum? II. Usurarius realis secundum se tenetur restituere etiam fructus usurarum, tam illos, quos dominus percepisset, & ipse non percepit; quam illos, quos ipse percepit, & dominus non percepisset, dummodo non sint mere industriales. III. Videtur restitutio hæc facienda, etiamsi contractu licito potuisset reportari lucrum, quod ex contractu usurario bona fide reportatum est. IV. Sed probabiliter isthæc obligatio in tali casu non datur. V. Idemque videtur dicendum de lucro simoniaco, ac de usurario. VI. Restitutio tamen facienda, si solum in contractum mutui expresse consenserit mutuatarius. VII. Dispar est ratio inter matrimonium celebratum cum errore concomitante circa personam, & inter contractum usurarium bona fide celebratum.

ARTICULUS V.

Ad quid teneantur hæredes usurariorum?

I. Tenentur restituere, quod Testator usurarius tenebatur. Sed quid si vires hæreditatis non sint satis? II. Quid si hæreditas dividatur ante solutionem usurarum? III. Si dividatur hæreditas cum onere, quod quilibet suam partem usurarum restituat, num omnes in solidum teneantur? IV. Filii participantes in debito paterno usurarum certe in solidum tenentur. V. Legatarii non tenentur usuras solvere in defectum hæredum, si hæreditas sit sufficiens ad utrumque.

ARTICULUS VI.

Quinam ordo servandus sit in restituendis usuris?

I. Res per usuram accepta, si extet in individuo, ante omnes domino restituenda, aut ejus loco pauperibus. II. Si res credito vendita sit usurario, & ea adhuc extet, hic creditor aliis creditoribus præferendus est. III. Debita certa incertis præferenda sunt. IV. Universim creditor hypothecarius aliis præferendus est. V. Non videntur præferenda debita ex contractu debitis ex delicto, aut e contra. VI. Debita ex contractu oneroso præferenda sunt debitis ex contractu gratioso. VII. Inter creditores chirographarios probabilius non est præferendus, qui prior est tempore; probabile tamen est, quod possit præferri. VIII. Num pauper titulo paupertatis possit aliis præferri? IX. Præferri potest, qui prius petit. X. Si debitor sponte unum alteri præferat, peccat; Potest tamen qui sic præfertur, integram solutionem retinere.

QUÆSTIO VI.

De Cooperantibus ad Usuras.

ARTICULUS PRIMUS.

An peccent, & ad restitutionem teneantur concurrentes ad usuras?

I. Universim peccant, & ad restitutionem tenentur in defectum Principalis, qui ad usuras concurrunt ex parte mutuantis, non vero ex parte mutuatarii. II. Si tamen cum usurario ita concurrant, ut non sint causa efficax ullius damni, etsi peccent, non tenentur tamen ad restitutionem. III. Ex his principiis resolutio plurimarum difficultatum descendit.

ARTICULUS II.

Quid de consulentibus usuras?

I. Communius docent, consulentem usuras ad restitutionem obligari: nemo tamen in dubium revocat, quod peccet contra justitiam. II. Si tale consilium esset utile mutuatario, non videtur consulens ad restitutionem obligandus. III. Consilium hoc potest absolute placere mutuatario, & secundum quid displicere, non secus ac mutuum; & in tali casu datur onus restitutionis. IV. Ad restitutionem obligatur consulens, etiamsi, ipso non consulente, alter daturus esset idem consilium. V. Secus vero, si ipso non consulente adhuc usurarius esset usuram commissurus; unde non esset in hoc casu causa efficax damni.

ARTICULUS III.

Quid de concurrentibus ad usuram exhibendo pecuniam, vel auxilium?

I. Deponens pecuniam apud usurarium, si non intendat usuras, probabiliter solum peccat contra charitatem. II. Peccat contra justitiam, qui præbet gladium occisuro innocentem, eo quod hic sit graviter invitus; at mutuatarius non est graviter invitus, quod pecunia fœnebris apud usurarium deponatur. III. Præscindendo a jure positivo vetante, ne debitores compellantur ad usurarum solutionem, possunt Principes ad majora mala vitanda usurarios permittere. IV. Immo rationabili de causa mutuatarios cogere ad usuras solvendas, ita ut si non solvant, peccent, non quidem contra justitiam, sed contra obedientiam. V. Secundum se tamen peccant contra Justitiam Princeps, & Judex, si concurrant ad usuras: Immo etiam si illas non impediant.

ARTICULUS IV.

Quid de Tabellionibus, & Proxenetis, aliisque ad usuras concurrentibus?

I. Tabelliones peccant contra juramentum proprium, tam si instrumento appareat, quam si simuletur usura. Ad restitutionem tamen tunc tenentur, quando illud conficiunt a petitionem mutuantis, etiamsi dubitent de usura. II. Et similiter Testes, si non procedant bona fide. III. Proxeneta etiam contra justitiam peccat, si agat partes mutuantis, secus, si mutuatarii. IV. Non videntur contra justitiam peccare locantes domum usurariis.

ARTICULUS V.

Quid de Famulis, & de creditoribus usurariorum?

I. Diversimode hac in re Doctores opinantur. II. Benigne Turrianus docet, tunc famulum peccare contra justitiam, quando mutuatarium cogit ad solvendas usuras, non tamen in aliis famulatibus. III. Lugo docet, ad restitutionem famulos non teneri exercendo actiones mutuatariis non ingratas; Secus vero si graviter, & rationabiliter illis displiceant. IV. Creditor usurarii quonam pacto possit nomine ipsius usurarii a mutuatariis usuras accipere, illasque sibi appropriare? V. In hoc casu non potest mutuatarius uti occulta compensatione adversus hunc creditorem.

ARTICULUS VI.

An peccet mutuatarius petendo mutuum sub usuris?

I. Peccare potest aliquando contra justitiam adversus suam familiam, aut creditores. II. Contra charitatem peccato scandali mutuatarius peccaret inducendo alium absolute ad fœnerandum. III. Possunt duntaxat permitti usuræ, si mutuum petatur ob justas causas. IV. Graviter peccat, qui ab usurario non parato mutuum petit permittendo usuras, si eo solum indigeat ad res illicitas. V. Quid si indigeat pecunia ad negotiandum, aut ad spectacula honesta? VI. Quid si ab usurario parato mutuum petatur in ordine ad res leviter illicitas? VII. Num peti possit sine mortali ab usurario parato mutuum ad usus graviter illicitos? VIII. Num possint, aut etiam debeant solvi usuræ promissæ. IX. An licite mutuatarius absolute offerat usuras?

F I N I S.

Ad majorem Dei gloriam, ac Deiparæ sine labe Conceptæ.

R. P.
DOMINICI VIVÆ
SOCIETATIS JESU
OPERA OMNIA.

R. P. DOMINICI VIVÆ

SOCIETATIS JESU

OPERA OMNIA THEOLOGICO-MORALIA.

TOMUS SECUNDUS

COMPLECTENS CURSUM THEOLOGICO-MORALEM,

Quoad ea, quæ Moralis Theologia diſputat

DE LEGIBUS, ac DE PRÆCEPTIS DECALOGI,

AD USUM TYRONUM ELUCUBRATUM,

Et in quotidianis Prælectionibus ſuis Auditoribus traditum in Palæſtra Collegii Neapolitani ejuſdem Societatis.

PARS PRIMA DE LEGIBUS.

ADCEDUNT IN HAC NOVISSIMA EDITIONE

FRANCISCI ANTONII ZACHARIÆ S. J.

Bibliothecæ Eſtenſi Præfecti, ac Socii Litterariæ Eccleſiaſticæ Societatis Lucenſis, & Auximatis

LUCULENTISSIMÆ ANIMADVERSIONES,

In quibus Romanorum Pontificum, & præſertim BENEDICTI XIV. Decreta ad Moralem Theologiam pertinentia ſuis locis inſeruntur; Auctoris ſententiæ, aut explanantur, aut confirmantur, aut a DANIELIS CONCINÆ, JOH. VINCENTII PATUZZII, aliorumque criminationibus ſtrenue vindicantur; ac præcipua, quæ ad Janſenianam hæreſim ſpectant, Epiſtolarum, & Decretorum monumenta Conſtitutionis UNIGENITUS illuſtrandæ cauſa in medium adferuntur.

FERRARIÆ,

MDCCLVII.

SUMPTIBUS REMONDINIANIS.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI

D. MARCO ANTONIO BORGHESIO

SULMONÆ PRINCIPI, ac ROSSANI, PROREGI JAM NEAPOLITANO, &c.

DOMINICUS VIVA SOCIETATIS JESU

Perpetuam Felicitatem.

QUÆ duæ res, grati animi erga Mæcenates Significatio, & præsentissimi Spes Patrocinii, Scriptores movent fere omnes, ut amplissimis viris opera dicent sua, eæ in præsenti me non tam movent, quam adactis pene calcaribus impellunt, ut Tibi, Princeps Excellentissime, opellam hanc meam nuncupatam velim. Sive enim beneficia, quibus tibi obstrictus hæreo (& quorum vincula una dissolvet, quæ vitam communis solvet Fati Necessitas) sive magnitudinem, ad quam evectus es, intuear, duplici veluti ex fonte mei hujusce consilii ratio promanat. Atque ut a beneficiis initium faciam, Quanta sane

a Tuis in Parentem meam Societatem Jesu, Quanta a Te in meipsum uberrima semper vena profluxere? Inter sua pene cunabula Majorum tuorum faventissimam Hæc experta Benevolentiam, meliori Borghesiæ Beneficentiæ Succo, ac Sanguine adolevit. Unus mihi instar omnium esto Familiæ tuæ Sidus ne dicam præclarissimum, an Sol? Paulus V. Pontifex Maximus, quem Parentem suum optimum jure merito inclamare Societas potest; cum coorta de Auxiliis Controversia, Eam Scholasticis impetitam procellis, Sedens ipse ad Clavum proprio firmavit in portu; neutri sane parti victoria adjudicata, sed Societate (quæ velut reserantis ad errores ostium rea primum delata est) innoxia abire jussa, suumque cursum nova hac sententiæ aura prosequi felicissime. Quid quod quasi parum Illi Militantem in Terris Societatem tueri, ac juvare fuerit, Eandem apud Superos triumphantem amplificare, ac novis quodammodo triumphis insignire voluerit? cum Aloysio Gonzagæ primum Beati nomen est elargitus, mox Eidem, ac Stanislao Koskæ cultum promovit, deinde Ignatium, ac Xaverium, duo illa maxima Societatis, Terræ, ac Cœli lumina, in Beatorum album adscivit, solemnemque Ipsorum enixe adeo Apotheosim promovit, adeo pene perduxit ad calcem, ut Coronidem hanc Suis in Societatem beneficiis mors Illi unice inviderit. Quid vero de meipso dicam? ut cætera missa faciam, ad quantum honoris gradum tenuitatem meam visus es extollelere, cum Academiam hanc nostram Neapolitanam, ipsamque interiorem Domum benignissime perlustrare dignatus, cubiculum meum ultro subire voluisti, ut & præsentia tua illud augustum redderes, & cæteros tenuissimi ingenii mei labores in lucem jam editos tuo suffragio decorares, ponderosisque laudibus, quæ tua humanitas est, unicum hoc, idemque maximum iis ornamentum, ac pondus impertires, Quesnellianas præsertim Theses pro modulo a me confutatas, atque a me Tibi exhibitas, quod earum esses ut cum maxime peritus, humanissimo animo excepisti. Hæc vero summa licet tui animi Comitatis, meorumque beneficiorum sint argumenta, indicta prorsus velim; majora habeo, quibus comitatemne dicam, an demissionem Tuam, Tenuitatemque meam efferam. Cum enim opellam hanc, quam forte id temporis mente conceptam, in lucem edere meditabar, Tibi dicandam offerrem, vix Tibi mentem meam aperui, cum Te indignum ratus, cui, ut ajebas, tantum honoris deferretur, precibus invitus fuisti expugnandus, ut illam tibi dicandi tandem copiam faceres. Maximam sane in maximo Principe animi moderationem, ut ipsam hanc honoris, si qua est, larvam effugeres! maximum laudis argumentum, quod nihil magis aversarere, nihil a te propulsares magis, quam laudes tuas. Hoc unice doctus pacto, in ipso Gloriæ fastigio Heroes crescere, si aliis se submittant, atque ipsum infra se ducant fastigium. En igitur, Princeps Excellentissime, quibus, quantisque beneficiorum obærata titulis mea, meæque Parentis Tibi sit observantia. Quidni ergo Parentis ipse meæ, meoque etiam nomine aliquam tibi rependerem gratiam? & quas Illa, quas ego referre, atque agere gratias nequimus immortales, animo saltem habere maximas omnium Ego infimus contestarer? Quod tuis pro merito, ac dignitate res-

pon-

pondere beneficiis minime possimus, Tuæ partim magnitudini, quæ vires longe nostras superat, nostræ partim Tenuitati, quæ ultro victam se fatetur, vertito. Verum meipsum revoco, atque orationem meam retexo. Maximum, Tibique par munus exhibemus, cum eo Magnitudinis, ac Gloriæ deveneris, ut Maximus ipse maximos etiam Eos reddas, qui præclarissima sese Nominis tui umbra tuentur; maxima ea reddas omnia, quæ tuo donata nomine, tua etiam tecum ipse donas Immortalitate, quæ alterum est initi a me consilii caput atque causa.

Et re quidem vera, opellæ huic meæ in umbra educatæ verendum fuisset, ne eodem cum Authore suo consepeliretur tumulo, suæque audaciæ in pœnam, qua publicam lucem lacessere non extimuit, perpetuis oblivionis tenebris damnaretur. Nunc vero dum Tuo illustrata nomine in diem vocatur, ac Solem, publicam, ut ita dicam, lucem nova est luce cumulatura. Enim vero tuum intueri nomen opellæ huic præfixum satis erit; ut non Lividi, Invidique tantum, sed Tempus ipsum Scriptorum, operumque hostis infensissimus, non eam revereatur modo, sed veneretur, nullaque ætatum futurarum injuria opus hoc dari pessum permittat, quod eo fulcitur nomine, quo elapsæ ad superbiam inclaruerunt ætates, quo intumescent futuræ. Et quidem uno hoc Borghesiæ Familiæ nomine quantus Heroum flos, ac splendor latet! unde victurum sibi nomen, authoremque suum a tumulo veluti vindicandum opella isthæc polliceatur. Quanta laurorum Sylva hoc inclusa nomine virescit? Næ ego ab omnibus seu Invidiæ, seu Calumniæ fulminibus immunis evadam, si unam tantum ex tot, quæ te circumstant lauris, benignus concedas. Lauream in Elysiis arborem latos undique ramos extendere, nec nisi heroibus datum ad eam accedere, trita omnium auribus fabula est: Domi vero tuæ perpetuam laurorum florere Sylvam, Majorum tuorum qua sudoribus, qua sanguine irrigatam atque excultam, neminem inficias qui eat, fore autumo, dum vel minima sit historiarum cognitione perfusus. Desudasse, atque inter se Fortunam, ac Virtutem contendisse dicas, ut congesto, quod ajunt, horreo, plenaque manu in Majores tuos sua profunderent ornamenta: quæ in plures non dicam familias, sed Urbes dispertita, iis nobilitandis, Cœloque æquandis fuissent. Ad immensam gloriæ segetem ita est Familia tua disseminata, ita horum omnium stipendiis circumfluit, ita pleno fertur alveo, ut non se ipsam, nedum tot lemniscatas palmas capere, ut redundare prorsus videatur. Hinc in tantæ gloriæ partem Neapolitanas, ac præclarissimas Italiæ familias, se iis connubiis jungendo vocavit. Hinc Mirandulana nulli secunda, Boncompagna, Aldobrandina, Odescalca nuper ex Braccianensibus Ducibus Pontificiæ omnes, Ursina, ad Regiam etiam, præter Pontificiam, devecta dignitatem, se Tuæ arctissimo Consanguinitatis vinculo copulavere, in Tua se gloriæ facturas incrementum ratæ; haud secus, ac dum unum in aliud se mare exonerat, quo utrumque tumet, atque ditescit augmento. Sed ne speciosius, quam verius loqui videar, ut aut Tibi, qui eblandito laudum suffragio non eges, offam obtrudere videar aliquam, aut mihi laudibus hisce tuam demereri velle benevolentiam; adventitia isthæc decora, licet tot ac tanta sint, silentio prætermitto.

Ipsa

Ipsa me vocant Familiæ tuæ decora, in qua fixisse sibi Gloria visa est domicilium. Proh quot mentis oculis majores tui non turmatim quidem Illi, sed exercitus pene in morem occurrunt! Agmen veluti Nicolaus Borghesius vir in paucis illustrissimus ducit, qui licet sanguine Pandolfo Petruccio junctus, cum Senas Patriam suam Tyrannidem ab Eo invehi præsentiret, consanguineum exuens, ut Patriæ filium ageret, furenti est obnixus, & pulchram per vulnera mortem subire non dubitavit. Quod exemplum plures ex Nepotibus suis in arctis, egenisque rebus, ac præsentato publicæ rei discrimine imitati, se communi omnium Bono, Patriæque incolumitati litaverunt, ut non Italia Græciæ, non haberent Senæ, quod Athenis inviderent, quæ non unum, sed plurimos in una Borghesia Domo Codros sortitæ sunt. Tantis vero filiis suis amore vinci Patria eorum Parens benemerentissima non est passa; cum Illos & Servatores suos, & Patriæ Parentes appellarit, publicoque sumptu solemnissimis parentarit exequiis. Quantum inter Borghesiæ familiæ sidera lucis afflat Augustinus Ille supremus Patriæ Imperator, factis, ævo, invidia, fama, atque admiratione major! Cujus nomine etiamnum afflicta, ac profligata ab eo toties Florentia expallescit. Quem ad Sigismundum Imperatorem legatione fungente suspexit Vienna, mox ad Callistum Tertium, ac Julium Secundum stupuit Roma; (eodem non multis abhinc annis stupore defixa, cum Patrem tuum Regium Oratorem ad Clementem XI. agentem, Avorumqne decora restaurantem vidit:) demum fato, honoribusque functum omnibus, suisque palmis oppressum, uti Parentem optimum Patria comploravit, eodemque se cum Illo credidit tumulo consepultam. Jacentem vero Illam erexit, & redivivum in se Augustinum Patrem reddere, imo cum ipso Virtute pugnare visus est ipsius Filius Borghesius nomine, tum in legatione ad Paulum Secundum egregie expedienda, tum in Florentinis non una cæde cumulandis, tum in eximiis ingenii sui operibus Æternitati consignandis; ut in medio reliquerit, Gladio ne magis, Calamo, an Lingua valuerit, num laudandus sit magis, quod facienda scripserit, an quod scribenda gesserit. Hunc ob operam suam pluries egregie locatam, Calabriæ Dux Equitem incinxit, summoque semper habuit in pretio; Hunc eodem loco, atque Augustinum Patrem habuit Patria, cum eadem Patriæ Parentis nomenclatione inter Plures relatum, iisdem honorum prærogativis inter Vivos agentem affecerit. Tanti Avi nepotem, tanti Parentis Filium se Jacobus probavit, cum in supremis magistratibus, difficillimisque Legationibus strenue, excellenterque obeundis, tum in Civilibus turbinibus sedandis: Quos tamen ut sibi, suisque imposterum caveret, Romam Familiam suam transtulit. Maximum nempe Terrarum Orbis universi Theatrum, paremque sibi gloriæ campum Borghesia Virtus, ac Gloria deposcebant. Petros, Salustios, Eusebios, Marcos Antonios, quorum nomina triumphi loco sunt, tot palmarios Duces, quorum trophæis Romanum ipsum laboraret Capitolium, & quibus longe lateque tua præfulgens Aula, in Capitolium quodammodo evasit; Tot Cardinales amplissimos, Purpuræ ipsius, purpuratique Collegii lumina; Tot Romæ Senatores; Tot Scriptores locupletissimos, quorum una tantum ætate triginta numerati sunt, quique

Mar-

Martialibus lauris Palladias laureas innexuerunt; Tot denique domi, bellique viros celebratissimos præterire cogor invitus; Si enim singulos suis exornare vellem laudibus, non modo longus, sed infinitus prope forem. Non iis vero se contineri limitibus, quibus Familiæ cujusque amplissimæ gloria fere omnis comprehenditur, Borghesia Virtus passa est. Cælum Illa sibi metam præfixit, ac vulgarem, utpote cum aliis quoque sibi communem esse gloriam duxit, quæ ab armis proficisceretur, ac literis, nisi Sanctimoniæ etiam laurea floreret, seque omni ex parte admirandam redderet ac singularem. Quot enim illa sacris ordinibus Duces Sanctissimos, quot Cœlo Incolas felicissimos dedit, qui factis Famam onerant, & quorum votis aræ onerantur! perinde quasi cum jam nomine, rebusque præclare gestis Terram implevisset, unum Illam Cælum capere, atque complecti posset. Catharinam Senensem, quam, nominasse, Ipsius, tuæque familiæ maximi encomii loco est, volens lubensque prætereo, cum satis seipsam superque ex sese commendet. Unam tibi proprius consanguinitate junctam præterire tacitus nullo modo possum; Venerabilem Camillam Ursinam Borghesiam loquor, quam supra virum Virtus, supra seipsam Pietas, supra Mortalium conditionem adeo evexit Sanctimonia, ut illam in Beatarum album ab Ecclesia ascribi exoptemus omnes, & expectemus. Parum quippe Familiæ tuæ fuisset tot Heroes recensere, nisi Heroides etiam Sanctissimas procreasset. At injuriam me, nec levem, Maximo Illi a Hierarchæ Ecclesiæ Paulo Quinto irrogasse, merito quis obtruderet, si dum Majores tuos Sanctimonia commendatissimos commemoro, Eum ingrato involvi silentio patiar, qui Pietate maximam Dignitatem superavit. Illum enim, Ciacconio teste, Baronius, aliique purpurati Patres cordatissimi in Conclavi Sanctum Hominem unanimi calculo inclamarunt. Illius Pietatem cum cætera pia, munificentissimaque sui relicta Romæ monimenta, quorum nulla est memoriam vetustas deletura, testantur; tum solemnis ille, nullaque satis laude celebrandus mos institutus, ut quadraginta horarum spatio in Ecclesiis Fidelium venerationi Sacra in Orbem Synaxis exponeretur. Omnia vero hæc, quæ raptim carptimque de Tuis delibavi, Princeps Excellentissime, cum mecum ipse tacitus reputo, in eam adducor sententiam, ut adversas Tibi Naturam, ac Fortunam fuisse obfirmate pronunciem; In magnam siquidem Illa periculosamque aleam Te conjecit, dum ex laureato sanguine, ac maximis Te Majoribus procreando, omnem præclusisse Tibi aditum videri potuit, quo te ultra factis extenderes; Hæc vero dum in Tuis amplificandis adeo laboravit, in iis opes exhausisse suas omnes est visa, ac de Teipso malemereri, Quem Majoribus tuis primas cogeret deferre, iisque non tempore minus, quam honoribus concedere. De hoc ita mecum ipse ajebam, ac tantum non indignabar, de hoc cum fortuna conqueri sua, de hoc unice dolere potest Princeps cæteroqui felicissimus, quod nullus sibi relictus sit locus, ut aliquid tantæ gloriæ fastigio addat de suo. Verum ipsa hæc expensa melius, ut falsum animi me deprehenderem, meque ipsum increparem, fecit opinio. A Maximis Te majoribus Natura, ac Fortuna procrearunt, ut Te docerent, maximos Tibi esse superandos, nisi velles a majoribus Tuis de-

generare. Et ſuperaſti ſane, bona illorum pace dixerim, Majores tuos ſuperaſti. Illorum hæres ex aſſe, tranſmiſſam ab Illis cum ſanguine in Te virtutem auxiſti, atque avitis laudibus cum fœnore Appendix accedis ampliſſima. Debes Tu Illis multum, quod Tibi Virtutis, Glorięque ſemitam veluti ſtraverint; Debent Illi Tibi maxime, quod glorioſiores Ipſos reddideris, cum in Te Neapolitani Regni Proregem viderint inviĉtiſſimum, ad quem Honoris gradum aſcendere, Eorum ante Te contigit Nemini. Laborabunt Poſteri, ut credant tot illorum egregia facinora, tot honorum prærogativas; At laborabunt magis, ut ab uno Te Eos omnes ſuperatos aſſeverent. Quanto autem fores iis omnibus intervallo præſtiturus, jam inde a Puero totus ac ſtatim oſtendiſti. In purpura, ac lauros inter reptans, dum eorum triumphis longo ordine in Aula ſpirantibus oculos implebas, mente ſupra ætatem præditus, Eos adamuſſim tibi exprimendos proponebas; atque in ipſa ad oculorum ſuſpendium adoleſcentia expreſſiſti. Nunquam honorum aura in Faſtus ſyrtes abreptus, nunquam inter lenocinantis aulæ blandimenta, vel latum unguem aut digitum tranſverſum a Virtute comite diſcedens, inter Fortunæ obſequia, Fortunæ obſequutus nunquam. Totus in animo virtutibus excolendo mentem politioris literaturæ præſidio ornando, maximum tui in ipſo Juventutis tuæ flore Europæ pene univerſæ ſpectaculum dediſti, cum eam perluſtrans laudibus tuis magis, quam paſſibus ſignaſti. Ecquis enim doctiſſimus vir uſpiam floruit, quem Tu ſapientia tua in Tui admirationem non converteres? Ecquis Princeps, quem Tu morum ſuaviſſimorum elegantia non Tibi Arctiſſime devincires? Ætate vero provectus, eo etiam provectus es virtutis ac gloriæ, ut ſupra majores tuos ac Teipſum aſſurrexeris, Illos ſemper, ac Te magis magiſque in dies ſuperando. Acris in intelligendo mentis perſpicacia, labefactata nunquam conſtantia, ſolers in agendo Prudentia, ſumma erga omnes Humanitas, Te æque infimis, mediis, ac ſummis carum reddiderunt, ipſamque vel Invitis extorſerunt admirationem. Difficillimum illud viſu Felicitatis ac moderationis Contubernium in Te ipſo exibuiſti. Teſtis eſt Roma, quæ Te ut præclariſſimum ſui lumen complexa, ut integerrimis ornatum moribus ſemper eſt venerata. Teſtis eſt Neapolis noſtra, cui Prorex es ita egregie nuper moderatus, ut Tui deſiderium omnibus reliqueris, tuarumque virtutum imaginem omnium altius inſculptam animis impreſſeris; adeo Te omnibus facilem, atque obvium præbuiſti, adeo Te Egenorum Parentem, Scelerum Vindicem, Innocentiæ Servatorem, Juſti, Rectique Tenacem Principem præſtitiſti: Faſtus porro ac pompæ hoſtis infenſiſſimus, hoc unice ductus es gloriæ ſtimulo, ut benemerereris de omnibus. Ita Pauperum audiendis, exaudiendiſque precibus ſingulis horis, ac pene dixerim momentis paratus, ut Tibi ſomnum, ac cibum identidem furarere, quo omnium excubares commodo, nullius indormires calamitati. Teſtis, inquam, eſt Neapolis univerſa, quæ nihil in tanta dignitate ineſſe Tibi Supercilii, elato ipſa Supercilio ſuſpexit, atque in ipſa majeſtate unam Te ignorare majeſtatem; quæ inter tam dubias demandatæ Provinciæ Syrtes ſecunda ſemper aura expeditiſſimo

ad

ad gloriam velificantem cursu aspexit. Quae definiendo, imparem se adhuc fatetur; Bonis ne magis acceptus, an malis fueris timendus? Quae Tibi semper plaudere, currum obsidere tuum nunquam desistit; hoc nempe curru ad Felicitatis se perventuram unice metam confidens. Testes sunt florentissimae Toparchiae, Sulmonensis praesertim Urbs antiquissima, eademque praeclarissima, necnon Rossanensis, quae cum non aliis Se, quam Summae Benevolentiae legibus regi sentiant, mirum quantum suo Principe gloriantur! Testes denique sunt Filii tui praestantissimi, in quibus spiras totus, qui & indolis suavitate, & ingenuarum artium studiis dignos se probant, qui a tanto Genitore progignerentur, Teque ex hac etiam sunt parte perennaturi. Fumosas Alii Majorum imagines ostentent, quibus tamen Ipse abundas ad fastidium, vivas Ipse tui ostentabis imagines: Depictos alii triumphos, adumbrata telis trophaea jactitent, spirantes triumphos, animata Ipse in Filiis tuis trophaea jactabis. Quae cum ita se habeant, Princeps Excellentissime, a quo magis, quam a Te Immortalitatem opella isthaec sibi polliceretur, cujus nomen tantis est nominibus Æternitati consecratum? Hinc non tam illam me Tibi sistere, quam meis illam se proripere ex manibus sentio, ut ultro convolet in tuas. Magna Illi sane, dum ad Te omni destituta ornamento convolat, audaciane dicam, an incessit ambitio? Sed ferenda sane audacia, justa incessit ambitio, dum suae non ignara conditionis, apprime noscit, unice fulgere se posse de Tuo. Moratae Theologiae facultatem illa complectens; in cujusnam melius, quam in adeo bene morati Principis se fidem ac clientelam reciperet? Terrorem quodammodo Majestas Illi tua debuisset incutere; & incussisti quidem, cum primum mentis oculis tua dignitas est obversata: at de majestate tua triumphavit, quae trepidanti mihi animos fecit, Humanitas. Verebar, ne coram tanto Principe tantula isthaec opella penitus dispareret, seque sui puderet ipsius. At hoc ipsum in suscepto me proposito confirmavit. Quid enim? Mole illa non satis firma stat sua? Magnitudine tua stabit: Vetustate obrui extimescit? Tuo nomine, velut adamante munita, eandemque tecum sortem nacta, ipsa magis vetustate florescet, & adversae cujuscumque fortunae ictum invita contemnet. Lividos pavet? Ab illorum insultibus Dracone illo Haec sese tuebitur, qui in Gentilitio tuo stemmate exurgit, quique devicta scelerum omnium, ac periculorum a Majoribus tuis monstra vel visus testatur. A pluribus abstineo, laudibusque tuis maxime detrahere cogor invitus, ne de modestia tua, quae tanta est, quae maxima, malemeritus hoc unice titulo Tibi videar. Hanc igitur humanissimo dum excipis vultu, aequissimis oculis intueris, satis quidem tueris. Nihil habet, quod extimescat, si a Te tantum aequis oculis inspiciatur: Si a Te vero habeatur in oculis, habet multum unde intumescat. Vale.

IN-

FRANCISCUS CAPANUS

PRÆPOSITUS PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU

In Regno Neapolitano.

CUm Librum, cui titulus est, CURSUS THEOLOGICO-MORALIS *Tomus prior*, *Quod ea*, *quæ Moralis Theologia disputat de Legibus*, *de præceptis Decalogi*, *Restitutione*, *& de Contractibus*, a P. Dominico Viva Societatis Nostræ Sacerdote compositum, aliquot ejusdem Societatis Theologi, quibus commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; facultate nobis ab Adm. Rev. P. Nostro Michaele Angelo Tamburino Præposito Generali communicata, concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo Societatis nostræ munitas dedimus.

Neapoli die 31. Octobris Anno 1722.

Franciscus Capanus e Societ. Jesu Præp. Provincialis in Regno Neapolitano.

IN-

INDEX GENERALIS QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM,

Qui in universo hoc Opere Theologico-Morali continentur,

In Prima Parte de Legibus

QUÆSTIO PRIMA.

De Natura, & Conditionibus legis in Communi.

Art. I. Quid, & quotuplex sit Lex? Pag. 2.
II. De Conditionibus Legis; ac primo quod Lex debeat esse justa. 5
III. Quomodo Lex respicere debeat bonum commune? ibid.
IV. De Promulgatione legis. 6
V. De lapsu temporis ad Legis obligationem requisiti. 8
VI. De Legis acceptatione. 11
VII. De Perpetuitate legis. 14

QUÆSTIO II.

Quænam sit materia legis, & Quisnam possit leges ferre?

Art. I. De materia Legis, Præsertim de Actibus Indifferentibus, ac de mere internis. 16
II. Quisnam possit condere Leges civiles? 20
III. Quisnam possit condere Leges Ecclesiasticas? 23

QUÆSTIO III.

De Subjecto Legum, seu de iis, qui legibus obligantur.

Art. I. An Legislator suis legibus teneatur? 28
II. Quibus legibus eximantur Infideles, Pueri legem ignorantes, Ebrii, & Amentes? 30
III. Quibus legibus teneantur Peregrini, Forenses, & Vagi? 34
IV. An Clerici, & Religiosi teneantur servare leges civiles? 42

QUÆSTIO IV.

De Effectibus legis, præsertim Pœnalis, Irritantis, & dubiæ.

Art. I. De obligatione legis universim. 44
II. Ad quid obligat lex Pœnalis? 46
III. De Effectibus legis irritantis. 50
IV. De Obligatione legis dubiæ. 55

QUÆSTIO V.

Quomodo Legi parendum?

Art. I. De intentione requisita ad satisfaciendum Legi. 58
II. Quibus actibus Legi satisfiat? 62
III. An qui non potest implere totum præceptum, teneatur ad partem, quam potest? 64
IV. De impedimentis non apponendis legi adimplendæ. 67

QUÆSTIO VI.

De Legis Interpretatione, Extensione, Abrogatione, & Cessatione.

Art. I. De legis interpretatione, & extensione. 70
II. Quandonam lex restringi, aut extendi debeat? 73
III. De legis abrogatione. 80
IV. Quas ob causas cesset legis obligatio? 82
V. Utrum cessante fine legis negative cesset lex obligare? 84
VI. De Cessatione finis legis contrariæ; ubi de Epikeja. 88

QUÆSTIO VII.

De Consuetudine.

Art. I. Quid, & Quotuplex sit Consuetudo? 93
II. De Conditionibus Consuetudinis. 94

III. Quinam possint consuetudinem introducere? 97
IV. De Effectibus Consuetudinis. 98
V. De Abrogatione Consuetudinis. 101

QUÆSTIO VIII.

De Dispensatione legis.

Art. I. Quid sit Dispensatio, & an cadere possit in legem Naturalem, & Divinam? 102
II. Quinam possit in lege humana dispensare? 106
III. Circa quos possit Dispensatio exerceri? 108
IV. De Causa ad dispensandum requisita. 112.
V. Quibus de causis obtenta Dispensatio sit invalida? 117
VI. Quomodo cesset, & vim suam amittat Dispensatio? 122
VII. Quomodo Dispensatio, & potestas dispensandi interpretanda sit? 126

In Secunda Parte de Præceptis Decalogi

QUÆSTIO PRIMA.

De Prolegomenis ad Præcepta Decalogi.

Art. I. De Numero, Ordine, & Dispensabilitate Præceptorum Decalogi. 2
II. Quanam via Præceptorum transgressio possit de mortali in veniale transire, & econtra? 3
III. Quinam ad Præcepta teneantur? 7
IV. De Intentione requisita ad observantiam Præceptorum. 10
V. De Impedimentis non apponendis observantiæ Præceptorum. 12
VI. De Ignorantia, Metu, & Dispensatione excusantibus a Præceptorum transgressione, ac de Impotentia excusante. 14

QUÆSTIO II.

De Primo Decalogi Præcepto. Unum cole Deum.

Art. I. De Virtute Religionis. 19
II. De Virtute Theologica Fidei. 20
III. De Spe, & Charitate. 23
IV. De Oratione, qua Deum colimus. 24

QUÆSTIO III.

De Horis Canonicis.

Art. I. Quinam ad Horas Canonicas obligentur? 25
II. Quodnam Officium recitandum sit? 27
III. Sub qua culpa, & pœna Officium sit recitandum? 29
IV. Quo pacto recitandæ sint Horæ Canonicæ? 31
V. De Tempore, Loco, & Situ recitationis Horarum. 34
VI. De Causis excusantibus ab Horarum recitatione. 35

QUÆSTIO IV.

De Dei Cultu per Adorationem.

Art. I. De Adoratione Christi Domini, & Eucharistiæ. 38
II. De Adoratione Sanctorum, & Beatorum. 40
III. De Adoratione Sacrarum Reliquiarum. 41
IV. De Adoratione Sacrarum Imaginum. 43

QUÆSTIO V.

De Superstitione.

Art. I. De Superstitione universim, ac in specie Primo de Idololatria. 44
II. De Divinatione. 46
III. De Vana Observatione. 48
IV. De Magia. 50
V. De Maleficio. 51

QUÆSTIO VI.

De Irreligiositate, & in specie de Sacrilegio, Blasphemia, & Tentatione Dei.

Art. I. De Sacrilegio. 53
II. De Blasphemia. 56
III. De Tentatione Dei. 59

QUÆSTIO VII.

De Secundo Decalogi Præcepto. Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum.

Art. I. Quid, & Quotuplex sit Juramentum? 61
II. De Conditionibus requisitis ad licite jurandum. 63
III. De Materia Juramenti. 64
IV. De Juramenti Obligatione. 66
V. Quomodo quædam celebriora Juramenta interpretanda sint? 70
VI. Quomodo tollatur Juramenti obligatio? 71
VII. De Perjurio, ac de assueto ad jurandum. 75
VIII. De Adjuratione. 76

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

De Voto.

Art. I. Quid, & quotuplex ſit votum? 77
II. De Materia, & Obligatione Voti. 79
III. Quonam pacto tolli poſſit obligatio Voti per diſpenſationem? 81

QUÆSTIO IX.

De Tertio Decalogi Præcepto. Diem Sabbati ſanctifices.

Art. I. De Abſtinentia ab operibus ſervilibus die feſto. 83
II. De Operibus forenſibus vetitis die feſto. 85
III. De Miſſa die feſto audienda. 88

QUÆSTIO X.

De Jejunio.

Art. I. A quibus cibis abſtinendum die Jejunii? Et an etiam a potu? 93
II. De unica Refectione, ac de ejus Hora. 97
III. De Refectiuncula. 99
IV. De Obligatione Jejunii, & non cooperandi cum aliis in illius fractione. 100
V. De Infirmitate, & Paupertate a Jejunio excuſantibus. 103
VI. De Labore, & Ætate, quæ a Jejunio excuſant. 111

QUÆSTIO XI.

De Quarto Decalogi Præcepto. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam.

Art. I. De Obligatione filiorum erga Parentes. 113
II. De Obligatione Parentum erga filios. 115
III. De Obligatione Conjugum ad invicem. 116
IV. De Obligatione Dominorum, Superiorum, & Principum relate ad ſubditos, & ad invicem. 117
V. De Obligatione diligendi proximum. 120
VI. De Obligatione ſubveniendi proximo in ſuis neceſſitatibus. 126

QUÆSTIO XII.

De Octavo Decalogi Præcepto. Non loqueris falſum teſtimonium.

Art. I. De forma juris a Judice ſervanda. 129
II. De Juriſdictione in Judice requiſita. 132
III. De Judice in ferenda ſententia. 133
IV. De Accuſatore. 136
V. De Teſtibus, & Notariis. 137
VI. De Reo. 139
VII. De Advocato, & Procuratore. 140

In Tertia parte de Reſtitutione

QUÆSTIO PRIMA.

De iis, quæ ad ipſum Reſtitutionis actum pertinent. 1

Art. I. Num ex violatione ſolius juſtitiæ commutativæ oriatur onus Reſtitutionis? 2
II. De neceſſitate Reſtitutionis faciendæ. 6
III. Quænam ſint radices, unde provenit obligatio reſtituendi? 8
IV. Ex quanam culpa contra juſtitiam oritur obligatio Reſtitutionis? 10
V. Quomodo ſe gerat Confeſſarius cum obligato ad reſtituendum? 17

QUÆSTIO II.

De Perſona reſtituente. 19

Art. I. Quiſnam teneatur reſtituere ex injuſta acceptione? ibid.
II. Quiſnam reſtituere teneatur ex re accepta? 22
III. Quid reſtituere teneatur Poſſeſſor malæ fidei? 24
IV. Quid reſtituere teneatur Poſſeſſor bonæ fidei? 29
V. Quid reſtituere teneatur Poſſeſſor dubiæ fidei? 32

QUÆSTIO III.

De Cooperantibus ad damnum alterius. 38

Art. I. Quinam dicantur cooperari ad damnum alterius? ibid.
II. De Mandante damnificationem. 41
III. De Conſulente damnum alterius. 43
IV. De reliquis poſitive cooperantibus ad damnificationem. 46
V. De Cooperantibus negative ad damnificationem. 49
VI. Quantum ſinguli reſtituere teneantur, quando plures ad damnificationem cooperati ſunt? 52
VII. Quonam ordine reſtituere debeant concurrentes ad damnificationem, quando tenentur reſtituere in ſolidum? 54

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Quid, & quantum restitui debeat? 58

Art. I. An accepta ob turpem causam restituenda sint? ibid.
II. An restituenda sint accepta ob causam honestam? 59
III. An bona incerta, vacantia, derelicta, & animalia, quæ piscatione, aut venatione capiuntur, restituenda sint? 63
IV. An iterum facienda sit restitutio, quando res furtiva data alteri, ut restituatur, non pervenit ad dominum? 64
V. An res domino nocitura restituenda sit? 66

QUÆSTIO V.

De persona, cui facienda est Restitutio, ac de reliquis circumstantiis Restitutionis. 67

Art. I. Cui facienda est Restitutio? ibid.
II. Ubi, & cujus expensis facienda sit Restitutio? 70
III. Quando facienda est Restitutio? 72
IV. Quomodo facienda sit Restitutio. ibid.
V. Quo ordine facienda est Restitutio Creditoribus? 73

QUÆSTIO VI.

De Causis, ob quas omitti, vel differri possit Restitutio. 77

Art. I. De Causis, ob quas differri potest Restitutio. 78
II. De Debiti remissione, quæ excusat a Restitutione. 81
III. De occulta compensatione excusante debitorem a restituendo. 82
IV. De Compositione, & judicis auctoritate excusantibus a restituendo. 86
V. De Præscriptione, quatenus a restituendo excusat. 87
VI. Num interitus rei alienæ, aut ingressus in Religionem a restituendo excusent? 90

QUÆSTIO VII.

De Restitutione in particulari. 92

Art. I. De restitutione propter homicidium, & mutilationem. ibid.
II. De Restitutione propter detractionem. 99
III. De restitutione facienda ob contumeliam, derisionem, susurrationem, judicium temerarium, & suspicionem. 103
IV. De restitutione facienda ob secreti violationem. 105
V. De restitutione facienda ob furtum, rapinam, necnon ob spiritualia damna alteri illata. 106
VI. De Restitutione facienda ob stuprum, & adulterium. 111
VII. De Restitutione facienda ob fraudata vectigalia. 113
VIII. de Restitutione ob Simoniam facienda. 115
IX. De Restitutione facienda ob Horarum, & Residentiæ omissionem. 128

In Quarta Parte de Contractibus

QUÆSTIO PRIMA.

De Contractibus in genere.

Art. I. Quid, & Quotuplex sit Contractus? 2.
II. Quam obligationem pariat Contractus? 3
III. An sit validus Contractus per errorem, dolum, aut metum celebratus, vel sine solemnitatibus Juris? 5
IV. Utrum Juramentum confirmet Contractus? 10
V. Quinam possint contrahere? 12
VI. Ex qua culpa Contrahentes teneantur ad restitutionem in Contractibus? 14
VII. Cuinam competat Restitutio in integrum; si ex aliquo Contractu læsus sit? 16
VIII. An obliget Contractus celebratus sub Causa, Modo, Demonstratione, vel Conditione? 17
IX. Expediuntur reliqua ad Contractus spectantia. 20

QUÆSTIO II.

De Emptione, & Venditione.

Art. I. Quid sit Emptio, & Venditio? 22
II. Quænam res emi, vel vendi possint? 23
III. De Pretio justo rerum venalium. 26
IV. An Monopolia, & Negotiatio sint illicita? 33
V. An debeat Venditor aperire vitia rei venditæ? 37
VI. Ad quem spectent fructus rei venditæ? 38
VII. Utrum res vendita pereat, vel deterior fiat in damnum emptoris, an venditoris, ante, vel post traditionem? 40

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De Mutuo, & Usura.

Art. I. Quid, & Quotuplex sit Mutuum? Et quinam a restituenda re mutuata deobligentur? 41
II. Quid, & Quotuplex sit Usura, & quo Jure prohibita? 42
III. An quævis obligatio imposita Mutuatario sit Usura? 44
IV. Quotupliciter potest aliquid ultra sortem exigi citra Usuram? 47
V. Expediuntur, quæ spectant ad Usurarium. 53

QUÆSTIO IV.

De Censibus, seu Redditibus annuis.

Art. I. Quid, & Quotuplex sit Census? 55
II. De Conditionibus Jure naturali requisitis, ut Census sit licitus, & non usurarius. 56
III. De Conditionibus Jure positivo requisitis ad Contractum Census, 59
IV. Expediuntur, quæ supersunt de Censibus. 62

QUÆSTIO V.

De Emphyteusi, Feudo, & Libello.

Art. I. Quid, & Quotuplex sit Emphyteusis, Feudum, & Libellus? 63
II. De Conditionibus Feudi, & Emphyteusis. 65
III. Quinam possint in Feudum, vel Emphyteusim dare, aut accipere, & succedere? Et quando Feudum amittatur? 66

QUÆSTIO VI.

De Cambiis.

Art. I. Quid, & Quotuplex sit Cambium? 67
II. An Cambium minutum ferat palliatam usuram? 68
III. An Cambium locale contineat usuram? 69
IV. De Conditionibus a Pio V. requisitis ad Cambium locale, ne sit siccum, & usurarium. 72
V. De Cambio sicco. 73

QUÆSTIO VII.

De Locatione, & Conductione.

Art. I. Quid sint hi Contractus, & quænam locari possint? 74
II. Quid ferant Locatio, & Conductio? 76
III. De Conductione famulorum, & aliorum Officialium. 78

QUÆSTIO VIII.

De Promissione, & Donatione.

Art. I. Quid importet Promissio, & Donatio? 81
II. Quando obligent Promissio, ac Donatio; Et quomodo? 82
III. Quinam donare possint, & quantum? 87
IV. Quando possit Donatio revocari? 89
V. De Promissione, & Donatione conditionali. 90

QUÆSTIO IX.

De aliis præcipuis Contractibus.

Art. I. De Fidejussione, Assecuratione, Pignore, & Hypotheca. 92
II. De Deposito, Commodato, & Precario. 93
III. De Contractu Societatis 96
IV. De Ludo, & Sponsione. 99
V. De quasi Contractibus. 103

QUÆSTIO X.

De Testamentis, Legatis, & aliis ultimis Voluntatibus.

Art. I. Quid, & Quotuplex sit Testamentum; Et quænam ejus Conditiones? 105
II. De Testamentis Privilegiatis. 106
III. Quinam testari possint, & Testamentum revocare? 107
IV. Quinam possint Hæredes institui? 109
V. De Renuntiatione Hæreditatis. 111
VI. De Codicillis. 112
VII. De Substitutione Hæredis, & Fideicommissis. 113
VIII. De Legatis & Fideicommissis particularibus. 114

In Quinta Parte de Sacramentis.

QUÆSTIO PRIMA.

De Sacramentis in genere. 1

Art. I. Quid, & quotuplex sit Sacramentum, tam antiquæ Legis, quam novæ? 2
II. De necessitate Sacramentorum. 5
III. De Materia, & Forma Sacramentorum. 6
IV. De Causa efficiente Sacramentorum. 11
V. De primario effectu Sacramenti, qui est Gratia. 22
VI. De secundario Sacramentorum effectu, qui est Character. 28
VII. De suscipiente Sacramentum. 29
VIII. De reliquis ad Sacramenta in genere spectantibus. 34

QUÆSTIO II.

De Baptismo. 37

Art. I. Quid, & quotuplex sit Baptismus? ib.
II. De Institutione, & necessitate Baptismi. 39
III. De Materia Baptismi. 41
IV. De Forma Baptismi. 42
V. De Baptismi Ministro. 44
VI. De subjecto Baptismi. 48
VII. De Effectibus, & Ritibus Baptismi. 49

QUÆSTIO III.

De Confirmatione. 50

Art. I. De Materia, & Forma Confirmationis. ibid.
II. De Ministro, & Subjecto Confirmationis. 53
III. De Effectibus, & Ritibus hujus Sacramenti. 59

QUÆSTIO IV.

De Eucharistia ut Sacramento. 60

Art. I. Quid, & quotuplex sit, & quando institutum Eucharistiæ Sacramentum. ibid.
II. De necessitate Eucharistiæ, & obligatione illam sumendi. 64
III. De Eucharistiæ materia. 69
IV. De forma Sacramenti Eucharistici. 74
V. De Effectibus Sacramenti Eucharistici. 78
VI. De suscipiente Eucharistiam. Quinam sit illius capax? 82
VII. De dispositione ex parte animi ad Eucharistiam requisita. 84
VIII. De Dispositione ex parte corporis ad Eucharistiam requisita. 87
IX. De tempore, loco, & aliis ad Eucharistiam spectantibus. 94
X. De Ministro Eucharistiæ. 96

QUÆSTIO V.

De Eucharistia ut Sacrificio. 102

Art. I. Quid sit Sacrificium? 103
II. Quænam sint partes essentiales nostri Sacrificii? Quænam res oblata, & quis sit Offerens? 104
III. De Effectibus hujus Sacrificii; Ubi an sit valoris infiniti? 106
IV. A quibus, & quomodo hujus Sacrificii fructus participari possint? 110
V. De Ministro hujus Sacrificii. 113
VI. De tempore, loco, & aliis circumstantiis Sacrificii. 123
VII. De Ritu in Celebratione servando. 133
VIII. De Missæ Stipendio. 138

QUÆSTIO VI.

De Extrema Unctione. 210

Art. I. De Materia, & Forma Extremæ Unctionis. 211
II. De ministro hujus Sacramenti. 213
III. De Subjecto Extremæ Uctionis. 214
IV. De Effectibus Extremæ Unctionis. 215

QUÆSTIO VII.

De Sacramento Ordinis. 217

Art. I. Quid, & quotuplex sit Ordo? ibid.
II. De Materia, & Forma singulorum Ordinum. 220
III. De Ministro Ordinum. 223
IV. De subjecto Ordinum. 235
V. De Effectibus Ordinum. 238

In Sexta Parte de Sacramento Pœnitentiæ.

QUÆSTIO PRIMA.

De Essentia, institutione, & fructu Sacramenti Pœnitentiæ. 2

Art. I. De Essentia hujus Sacramenti. ibid.
II. De Institutione hujus Sacramenti. 4
III. De Effectibus Sacramenti Pœnitentiæ. 6

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ. 9

Art. I. De Peccato fictionis in instanti Baptismi commisso. ibid.
II. De Peccato dubio. 11
III. De Peccato, quod fuit expositum ut dubium, & deinde deprehenditur certum. 16
IV. De Peccato pure putato. 19
V. De Peccatis alias confessis. 21
VI. De peccatis Venialibus. 23

QUÆSTIO III.

De Prima parte materiæ proximæ hujus Sacramenti, quæ est dolor. 24

Art. I. De Contritione perfecta. ibid.
II. De Attritione supernaturali. 30
III. De Dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ requisito. 36
IV. De proposito ad Sacramentum Pœnitentiæ requisito. 43

QUÆSTIO IV.

De confessione Sacramentali. 48

Art. I. An Confessio sit necessaria necessitate medii? ibid.
II. Quomodo Confessio Sacramentalis sit necessaria necessitate præcepti divini? 49
III. De Præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis. 50
IV. De quidditate, & conditionibus Confessionis Sacramentalis. 55

QUÆSTIO V.

De Integritate Confessionis. 57

Art. I. De diligentia examinis ad integritatem Confessionis requisita. ibid.
II. De integritate Confessionis quoad circumstantias peccati. 58
III. Expenduntur specialia dubia circa singulas circumstantias; Et primo de Circumstantia Quis. 62
IV. De Circumstantia Quid. 64
V. De aliis circumstantiis, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando. 66
VI. De integritate Confessionis quoad numerum peccatorum. 70
VII. De Causis excusantibus ab integritate materiali Confessionis. 73
VIII. De Confessione Moribundi. 83
IX. Quando, & quomodo repetenda sit Confessio? 85

QUÆSTIO VI.

De Satisfactione. 87

Art. I. De Pœnitentia a Confessario injungenda. ibid.
II. De Pœnitentia a Pœnitente adimplenda. 90
III. De Commutatione Pœnitentiæ. 92

QUÆSTIO VII.

De Forma Sacramenti Pœnitentiæ, quæ est absolutio. 95

Art. I. Quænam sit forma absolutionis? ibid.
II. Quandonam conferri possit absolutio sub conditione, aut differri? 97
III. Expediuntur reliqua ad absolutionem spectantia. 99

QUÆSTIO VIII.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ. 100

Art. I. De Jurisdictione ordinaria, ac delegata Confessarii. ibid.
II. De Jurisdictione dubia, probabili, & in articulo mortis. 105
III. De Approbatione in Confessario requisita. 109
IV. De Prudentia, Probitate, & Scientia in Confessario requisita. 117
V. De Obligationibus Confessarii in ipsa Sacramenti administratione. ibid.

QUÆSTIO IX.

De Casibus reservatis. 126

Art. I. Quinam possint reservare casus? ibid.
II. Quænam peccata cadant sub reservationem? 128
III. De iis, quid subjacent reservationi. 132
IV. Quinam possint absolvere a reservatis, & quomodo? 135

QUÆSTIO X.

De Sigillo Confessionis. 140

Art. I. De Obligatione Sigilli Sacramentalis. ibid.
II. De Materia sigilli Sacramentalis. 142
III. Quosnam obliget Sigillum? 144

IV. An possit aliquando Confessarius uti notitia habita in Confessione? 145

QUÆSTIO XI.

De Indulgentiis. 148

Art. I. Quid, & quotuplex sit Indulgentia? ibid.
II. De Effectibus Indulgentiæ. 149
III. Quisnam possit Indulgentias concedere? 151
IV. Quænam causa requiratur ad legitimam Indulgentiarum concessionem? 152
V. De dispositione ad Indulgentiam lucrandam requisita. 153

In Septima Parte de Sacramento Matrimonii

QUÆSTIO PRIMA.

De Sponsalibus universim. 1

Art. I. De Promissione constitutiva Sponsalium. 2
II. De Promissione ficta Sponsorum 5
III. De Promissione mere interna nubendi facta sive homini, sive Deo per votum. 7
IV. De Verbis, & aliis signis, & modis, quibus Sponsalia contrahuntur. 10
V. Quinam possint Sponsalia contrahere? 11
VI. De Obligatione, quæ consurgit ex Sponsalibus. 14
VII. De Sponsalium Effectibus. 19

QUÆSTIO II.

De Causis dissolventibus Sponsalia. 21

Art. I. De mutuo consensu, & de Reclamatione dissolventibus Sponsalia. 22
II. De Crimine dissolvente Sponsalia. 23
III. De Fuga, seu longa absentia Sponsorum, ac de Tempore Matrimonii elapso. 24
IV. De Susceptione Ordinis Sacri, ac de Voto castitatis, aut Religionis. 25
V. Quomodo matrimonium, vel Sponsalia subsequentia dirimant priora? 27
VI. De Morbo, aut simili vitio dissolvente Sponsalia. 28
VII. De Affinitate, seu impedimento juris superveniente: Ac de Voce publica, seu fama de impedimento. 29
VIII. Quænam ignorantia, & dolus dissolvant Sposalia; & quinam metus? 30
IX. Quænam probatio, & Judicis auctoritas requiratur ad dissolvenda Sponsalia? 33

QUÆSTIO III.

De Matrimonio secundum se, ejusque institutione, & indissolubilitate. 34

Art. I. Quid sit matrimonium, inquantum contractus, & in quantum est Sacramentum? ibid.
II. De Institutione Matrimonii. 40
III. De Unitate, & Indissolubilitate Matrimonii. 43

QUÆSTIO IV.

De Consensu, qui est causa efficiens vinculi matrimonialis. 49

Art. I. De Consensu matrimoniali simulato. ibid.
II. De signis externis expressivis consensus matrimonialis. 50
III. De Consensu coacto. 53
IV. De Consensu simpliciter clandestino. 57
V. De Consensu clandestino secundum quid. 68
VI. De Consensu conditionato. 70

QUÆSTIO V.

De Impedimentis Matrimonii. 75

Art. I. De Matrimonii Impedimentis in genere. Quinam possit ea statuere? ibid.
II. De Impedimentis dirimentibus in specie; ac Primo de Errore. 77
III. De Impedimento conditionis servilis. 82
IV. De Impedimento Voti, 83
V. De Impedimento Ordinis. 84
VI. De Impedimento Cognationis. 86
VII. De Impedimento Affinitatis. 90
VIII. De Impedimento Criminis, & Raptus. 91
IX. De Impedimento disparitatis cultus. 92
X. De reliquis Impedimentis dirimentibus, præsertim Publicæ Honestatis, & Impotentiæ. 94
XI. De Impedimentis impedientibus. 97

QUÆSTIO VI.

De Dispensatione in Impedimentis matrimonii dirimentibus. 99

Art. I. Quinam posit in matrimonii impedimentis dispensare? ibid.
II. De Causis ad dispensationem requisitis. 103
II. De Dispensatione surreptitia, & nulla. 105

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

De Usu, ac Debito conjugali. 112

Art. I. Qua ratione actus conjugalis sit licitus? ibid.
II. De Obligatione actus conjugalis. 117
III. De iis, quæ impediunt usum matrimonii. 120
IV. Utrum delectationes morosæ, tactus turpes, & alia hujusmodi liceant Conjugibus? 124

QUÆSTIO VIII.

De Divortio. 127

Art. I. De Divortio ex mutuo consensu. ibid.
II. De Divortio ob causam adulterii. 128
III. De aliis Causis faciendi divortium ad tempus. 130

In Octava Parte de Censuris

QUÆSTIO PRIMA.

De Censuris in Communi. 1

Art. I. Quid, & quotuplex sit Censura? 2
II. Quinam possit ferre Censuras? 4
III. Erga quos ferri Censura possit? 6
IV. Quam ob causam ferri possit Censura? 11
V. De forma, seu ritu in Censuris ferendis. 17
VI. Quænam excusent ab incurrenda Censura? 22
VII. De Effectibus Censuræ. 28

QUÆSTIO II.

Quonam pacto Censura tollatur? 30

Art. I. An unice per absolutionem tollatur Censura? ibid.
II. Quisnam possit a Censuris absolvere? 31
III. Quot modis absolutio a Censura conferri possit? 36
IV. Quandonam absolutio a Censuris valeat pro foro externo? 38
V. De Requisitis ad absolutionem a Censuris. 40
VI. De forma, ritu, ac solemnitate absolutionis. 42
VII. Expediuntur reliqua, quæ ad absolutionem a Censuris spectant. 43

QUÆSTIO III.

Da Excommunicatione. 46

Art. I. Quid, & quotuplex sit Excommunicatio? ibid.
II. Quinam excommunicati sint vitandi? Et in quibusnam teneamur eos vitare? 47
III. Sub qua culpa, & pœna excommunicati vitandi sint? 50
IV. De Excommunicatione minore, ejusque causa, & effectibus. 5[illegible]
V. Quam ob causam præsertim temporalem ferri potest excommunicatio major? 5[illegible]

QUÆSTIO IV.

De Effectibus Excommunicationis majoris. 59

Art. I. De Effectibus immediatis, ac remotis Excommunicationis. ibid.
II. De primo Excommunicationis effectu, qui est privare hominem suffragiis communibus. 60
III. De secundo effectu, qui est privare excommunicatum participatione Sacramentorum. 63
IV. De tertio effectu, qui fert privationem divinarum officiorum, Ecclesiasticæ sepulturæ, & aliarum rerum Sacrarum. 64
V. De quarto, & quinto effectu, qui ferunt Suspensionem ab officio, & Beneficio, & inhabilitatem ad Beneficia Ecclesiastica. 66
VI. De sexto effectu, qui est privatio jurisdictionis. 68
VII. De reliquis effectibus Excommunicationis. 71

QUÆSTIO V.

De nonnullis Excommunicationibus in particulari. 74

Art. I. De prima Excommunicatione in Bulla Cœnæ. ibid.
II. Perstringuntur reliquæ Excommunicationes in Bulla Cœnæ. 78
III. De Excommunicatione ob percussionem Clerici. 82
IV. De Excommunicatione ob duellum. 86

QUÆSTIO VI.

De Suspensione, Depositione, & Degradatione. 90

Art. I. Quid, & quotuplex sit Suspensio? ibid.
II. A quo ferri possit Suspensio, & Erga quos? 92

III. Quam

III. Quam ob causam ferri possit Suspensio? 93
IV. De Suspensionis effectibus, ejusque violatione. 94
V. De Absolutione, & Cessatione Suspensionis. 96
VI. De Depositione, & Degradatione. 98

QUÆSTIO VII.

De Interdicto, & Cessatione a Divinis. 99

Art. I. Quid, & quotuplex sit Interdictum? ibid.
II. De Effectibus Interdicti. 101
III. Quam ob causam? A quo? Et erga quos ferri possit Interdictum? 104
IV. De Violatione Interdicti, & de Participatione cum Personis interdictis 106
V. De Relaxatione, seu Absolutione ab Interdicto. 107
VI. De Cessatione a Divinis. 108

QUÆSTIO VIII.

De Irregularitate. 110

Art. I. Quid, & quotuplex sit Irregularitas? ibid.
II. Quam ob causam incurratur, & quomodo ignorantia excuset. 113
III. Quisnam possit Irregularitatem imponere, & erga quos? 114
IV. An dubium de Irregularitate excuset ab illa incurrenda? 115
V. Quomodo tollatur Irregularitas. 117

QUÆSTIO IX.

De Irregularitate in particulari, tum ex delicto, tum ex defectu. 121

Art. I. De variis Irregularitatibus ex delicto. ibid.
II. De Irregularitate, quæ incurritur propter homicidium, aut mutilationem injustam. 124
III. De Irregularitate ex defectu lenitatis. 127
IV. Perstringuntur aliæ Irregularitates ex defectu. 129

A. M. D. G.

INDEX
QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM,
Qui in hoc Primo tractatu Theologico-Morali
DE LEGIBUS
Continentur.

QUÆSTIO PRIMA.
De Natura, & Conditionibus Legis in Communi.

ART. I. *Quid, & quotuplex sit Lex?* 2
II. *De Conditionibus Legis; ac primo quod Lex debeat esse justa.* 5
III. *Quomodo Lex respicere debeat bonum commune?* ibid.
IV. *De Promulgatione Legis.* 6
V. *De lapsu temporis ad Legis obligationem requisiti.* 8
VI. *De Legis acceptatione.* 11
VII. *De Perpetuitate Legis.* 14

QUÆSTIO II.
Quænam sit materia Legis, & Quinam possit Leges ferre?

ART. I. *De materia Legis: Præse tim de Actibus Indifferentibus, ac de mere internis.* 16
II. *Quisnam posit condere Leges civiles?* 20
III. *Quinam posit condere Leges Ecclesiasticas?* 23

QUÆSTIO III.
De Subjecto Legum, seu de iis, qui Legibus obligantur.

ART. I. *An Legislator suis Legibus teneatur?* 28
II *Quibus Legibus eximantur Infideles, Pueri legem ignorantes, Ebrii, & Amentes?* 30
III. *Quibus Legibus teneantur Peregrini, Forenses, & Vagi?* 34
IV. *An Clerici, & Religiosi teneantur servare Leges civiles?* 42

QUÆSTIO IV.
De Effectibus Legis præsertim Pœnalis, Irritantis, & Dubiæ.

ART. I. *De obligatione Legis universim.* 44
II. *Ad quid obliget Lex Pœnalis?* 46
III. *De Effectibus Legis irritantis.* 50
IV. *De Obligatione Legis dubiæ* 55

QUÆSTIO V.

Quomodo Legi parendum?

ART. I. *De intentione requisita ad satisfaciendum Legi.* 58
II. *Quibus actibus Legi satisfiat?* 62
III. *An qui non potest implere totum præceptum, teneatur ad partem, quam potest.* 64
IV. *De impedimentis non apponendis legi adimplendæ.* 67

QUÆSTIO VI.

De Legis Interpretatione, Extensione, Abrogatione, & Cessatione.

ART. I. *De Legis interpretatione, & extensione.* 70
II. *Quandonam Lex restringi, aut extendi debeat?* 73
III. *De Legis abrogatione.* 80
IV. *Quas ob causas cesset legis obligatio?* 82
V. *Utrum cessante fine Legis negative cesset Lex obligare?* 84
VI. *De Cessatione finis Legis contrariæ; ubi de Epicheja.* 88

QUÆSTIO VII.

De Consuetudine.

ART. I. *Quid, & quotuplex sit Consuetudo?* 93
II. *De Conditionibus Consuetudinis.* 94
III. *Quinam possint consuetudinem introducere?* 97
IV. *De Effectibus Consuetudinis.* 98
V. *De Abrogatione Consuetudinis.* 101

QUÆSTIO VIII.

De Dispensatione Legis.

ART. I. *Quid sit Dispensatio, & an cadere possit in legem Naturalem, & Divinam?* 102
II. *Quinam possit in lege humana dispensare?* 106
III. *Circa Quos possit Dispensatio exerceri?* 108
IV. *De Causa ad dispensandum requisita.* 112
V. *Quibus de causis obtenta Dispensatio sit invalida?* 119
VI. *Quomodo cesset, & vim suam amittat Dispensatio?* 122
VII. *Quomodo Dispensatio, & potestas dispensandi interpretanda sit?* 126

CURSUS THEOLOGICO-MORALIS

Ad usum Tyronum elucubratus.

PARS PRIMA.

DE LEGIBUS.

PROOEMIUM.

UNIVERSAM Theologiam Moralem in nostris Lycæis octo tractatibus complecti moris est; disputando primo de Legibus universim; de Præceptis Decalogi, & Ecclesiæ; Tertio de Restitutione; Quarto de Contractibus; Ac descendentes ad Leges Sacramentorum, disceptamus de iis quæ ad Sacramenta in genere, ac in specie pertinent, solidum annum tribuentes Sacramento Pœnitentię; sicut etiam Sacramento Matrimonii propter materiæ vastitatem; Ac demum de Censuris, ac de Irregularitate, cum etiam Censuræ ad Clavium potestatem spectent. Cursum hunc Theologico-Moralem quoad ea, quæ pertinent ad Sacramenta, & Censuras, in posteriori tomo Deo miserante absolvemus, exponendo quatuor tractatibus, quæ de iis disputat Moralis Theologia. In hoc vero exponenda nobis sunt aliis quatuor tractatibus, quæ Moralis Theologia disputat in ordine ad Leges, ad Præcepta, ad Restitutionem, ad Contractus. Initium itaque facimus a Tractatu de Legibus universim, ut viam muniamus ad reliquos tractatus, qui magna ex parte ab illius intelligentia dependent, ab eoque in bono lumine collocantur.

Porro Lex, si ejus etymologiam spectemus, dicitur a ligando, ut advertit D. Th. hic quæst. 90. art. 1., cum liget, & obliget creaturas rationales vinculis præceptorum: Dicitur etiam, ut alii interpretantur cum Isidor., & Toleto, a legendo, eo quod identidem illam legere oporteat, ut alte animo insideat. Dividitur celebri divisione in Divinam, & Humanam, ita ut Divina alia sit Naturalis, quæ mentibus humanis a natura insculpta est, & a ratione dictatur, ut sunt præcepta Decalogi; Alia sit Positiva, quæ per revelationem innotescit, ut sunt præcepta Sacramentorum, Fidei, &c.: Humana vero alia sit Ecclesiastica, seu Canonica, a Papa, Conciliis, aut aliis Superioribus Ecclesiasticis lata; alia sit Sæcularis, seu Civilis, lata ab Imperatore, Rege, Republica, &c. Abstrahendo ab his, vel illis legibus, Inquiremus primo Naturam, & Conditiones legis in communi; Deinde causas ejusdem; Tertio, agemus de Legis subjecto, seu quosnam lex obligat; Quarto, de effectibus legis, pręsertim pœnalis, & irritantis, necnon de obligatione legis dubiæ; Quinto, quomodo legi parendum sit; Sexto, de interpretatione, abrogatione ac cessatione legis; Septimo, de lege non scripta, qualis est consuetudo; Et demum de legis dispensatione.

QUÆSTIO PRIMA.

De Natura, & Conditionibus Legis in communi.

Lex variis nominibus appellari solet, videlicet Jus, Constitutio, Statutum, Sanctio, &c.: Dicitur Jus, tum quia jubet, & imperat; tum quia intendit unicuique tribuere jus suum: Dicitur Constitutio, seu Statutum, quia constituit, & statuit, quæ facienda sint, vel omittenda: Dicitur Sanctio, quia sancit pœnam non obtemperantibus, ex *leg. Sanctio §. de Pœnis*; Solent tamen appellari proprie Jura leges latæ a Supremo Principe sæculari, hoc est, ab Imperatore, vel a Rege; Dicuntur vero proprie Constitutiones leges latæ a Pontificibus; Legesque latæ a Principibus inferioribus, sicut etiam decreta Populorum dicuntur Statuta. His præjactis, discutiemus primo, Quid, & quotuplex sit lex? Secundo, Qualis esse debeat? Debet quippe esse justa, ac respiciens commune bonum, indigetque promulgatione, ac lapsu certi temporis, ut obliget; Debet pariter esse usu recepta, de se perpetua, ac a legitimo Superiore lata. Quærendum etiam, Quænam sit ejus materia; Ac demum, Quinam possit leges civiles ferre; Quinam vero Ecclesiasticas; Sic etiam naturam, conditiones, & causas legis assequemur.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Lex?

I. Explicatur Legis definitio.
II. Ea consistit tum in actibus intellectus, tum etiam voluntatis.
III. Ut Lex obliget, necesse est, ut publicetur, & quod a Superiore feratur.
IV. Lex omnis respicere debet bonum Communitatis. Quod pariter de Privilegio dicendum si habeat rationem legis privatæ.
V. In quo differat Lex a Consilio, Petitione, ac Præcepto?
VI. Num obliget Lex, de qua dubitatur, an sit utilis Communitati?
VII. Ad legem ferendam non satis est potestas dominativa, sed requiritur potestas politica, & Jurisdictionis.
VIII. Habens notitiam legis latæ illa non obligatur, antequam Communitati publicetur.
IX. Dividitur Lex in Divinam, Naturalem, & Humanam.
X. Necnon in Jus naturale, Jus Gentium, & Jus civile.
XI. Sicut etiam in Affirmativam, & Negativam; Odiosam, & Favorabilem.
XII. Quid, si dubitetur, an Lex sit odiosa, & eatenus restringenda?

I. Definitur communiter ex D. Thom. 1.2. quæst.91.art.4. Lex, quod sit *Ordinatio rationis a Superiore promulgata ad bonum commune*: Et Suar.lib.1. de Legib. cap. 12. clarius illam definit dicendo, quod Lex sit *Præceptum commune justum, ac stabile sufficienter promulgatum*; Explicatur communis definitio. Dicitur primo, quod Lex sit *Ordinatio rationis*, cum sit quędam directio, seu regula, qua Subditi recta ratione diriguntur. Dicitur autem, quod sit *Rationis ordinatio*, ad significandum, quod lex sit actus intellectus; Lex enim est quædam regula agendorum, regula autem a ratione, seu ab intellectu prescribitur; Concurrit autem cum intellectu etiam voluntas Legislatoris, dum intendit obligare.

II. Hinc dubitant Theologi, Utrum lex consistat in actu intellectus, an voluntatis? Valent. Becan., Cajet., Azor., & alii apud Salas putant consistere in solo actu intellectus judicantis, rem imperatam per legem esse convenientem bono communi; Gabriel, Major, & alii apud Suar. putant consistere in solo actu voluntatis intendentis obligare. Verius Suar. docet in utroque actu, intellectus simul, & voluntatis consistere; quia per solum actum intellectus Superior non obligat, & per solum actum voluntatis non ordinat, & disponit; ergo, ut ordinet simul, seu disponat, & obliget, uterque actus requiritur: Per actum intellectus judicat, legem illam esse convenientem Reipublicæ; aliter imprudenter, & injuste legem ferret absque hoc judicio, & illo deficiente, lex esset nulla, utpote injusta; Deinde per actum voluntatis vult subditos obligare ad legis observationem.

III. Dicitur secundo, *Promulgata a superiore*; nam nisi superior explicet signo externo voluntatem suam, non poterit subditos obligare; Quare promulgatio est conditio essentialiter requisita, ut possit lex obligare: Debet etiam lex esse a Superiore habente potestatem obligandi, seu, ut loquitur D.Th., ab eo, qui curam habet Communitatis; tum quia si legislator careat potestate obligandi, non obbligat; tum etiam quia lex est actus Jurisdictionis, ex *leg.1. ff. de Jurisdictione omnium judicum*; actus autem jurisdictionis solum exerceri potest ab eo, qui curam habet communitatis, & potestatem habet obligandi.

IV. Dicitur demum; *Ad bonum commune*, ad ostendendum finem, propter quem lex ferri debet; Quamvis enim aliquæ leges videantur immediate respicere bonum particulare, ut sunt

leges conditę in favorem pupillorum, minorum, Ecclesiasticorum, &c., tamen istæ etiam spectant ad bonum commune, non quia bonum partis est bonum totius, ut quidam putant; sed quia immediate spectat ad bonum illius particularis communitatis, videlicet omnium pupillorum, minorum, &c.; necnon etiam quia cuilibet evenire potest, ut sit ex illa Communitate: Hinc ideo lex de facienda eleemosyna dicitur utilis bono communi, quia quilibet potest esse pauper; Lex ipsa vectigalium, quæ videtur gravare subditos; etiam respicit bonum Communitatis, quia nihil utilius Communitati, quam esse defensam, ad cujus finem tributa imponuntur; & lex præscriptionis, quæ pluribus est damnosa, utilis est Reipublicæ, quia pacem constituit vitando lites; non secus ac lex punitiva damnosa est delinquenti, utilis vero Reipublicæ. Demum Privilegium, si detur Personę particulari, non habet rationem legis; Si vero detur alicui particulari Communitati, dici potest lex privata, eo quod respiciat bonum illius communitatis, de qua quilibet esse potest; Ut privilegium, quod datur Regularibus, dicitur lex privata; quilibet enim potest fieri regularis, & tali beneficio gaudere.

V. Ex dictis sequitur primo, differre legem a Consilio, Petitione, & Præcepto; quia licet per ista possit aliquis dirigi, & ordinari ad recte operandum, tamen Consilium, & Petitio non debent necessario esse a Superiore, cum possint etiam haberi ab æquali, immo etiam a Subdito; Præceptum vero, licet debeat esse a Superiore, at non est a Superiore respiciente bonum commune; satis enim est, quod sit in bonum specialis illius personæ, cui præceptum imponitur. Deinde Præceptum imponi potest personæ particulari; Lex vero semper imponitur Communitati; Demum præceptum expirat morte præcipientis; lex vero, cum sit perpetua, ac stabilis, morte Legislatoris non finitur.

VI. Sequitur secundo, legem injustam, inutilem, & non faventem bono communi, Legem proprie non esse, atque adeo nullam obligationem inducere: Immo præcise per hoc, quod sit inutilis, est injusta; quia sine ulla causa privat hominem libertate sua: Unde is, cui certo constat, legem aliquam esse magis noxiam, quam utilem Communitati, & bono communi simpliciter conducere talem legem revocari, non tenetur pręciso scandalo illam servare.

Si tamen dubium sit, An lex aliqua sit utilis Communitati? Docent communiter cum Suar. Sal., Bonac. contra nonnullos apud Pal. disp. 3. de Conscientia §. 13., & Dian. part. 4. tr. 3. ref. 9., servandam esse: tum quia possessio stat pro lege, quę certa est, & incerta ejus excusatio; tum etiam quia in foro externo præsumitur in favorem Superiorum; idem autem est judicium Fori interni, ac externi, quoties hoc non nititur in falsa præsumptione.

VII. Sequitur tertio, legem ab eo duntaxat ferri posse, qui curam habet Communitatis non œconomicam, sed politicam, & jurisdictionis. Nam ii, qui habent potestatem dominativam, & œconomicam, ut parentes erga filios, Domini erga servos, Mariti erga uxores, &c., ex vi talis potestatis non semper attendunt bono Subditorum, sed proprio: Contra vero Superior habens potestatem politicam, & jurisdictionis, debet in lege ferenda semper attendere bono subditorum; aliter subditus obedire non tenetur.

VIII. Sequitur quarto, Promulgationem legis faciendam esse ipsi Communitati non vero singulis. Ratio est, quia pro bono Communitatis fertur, & singuli non obligantur, ut sunt personę particulares, sed inquantum sunt pars Communitatis; idcirco si quis habeat notitiam legis, antequam toti Communitati promulgetur, ea non tenebitur. Quia tamen Communitas perpetua est, ac stabilis, ideo lex debet esse stabilis, & juxta Panormit., & Navar. apud Pal., perpetua, itaut si pro determinato tempore lex feratur, potius præceptum, quam lex dici debeat: An autem requiratur acceptatio populi? dicemus infra, ex benignitate legislatoris aliquando requiri, non tamen de essentia legis; aliter non tam Superior obligaret Subditos, quam Subditi se obligarent.

IX. Porro dividitur primo lex in Divinam, Natulalem, & Humanam, seu positivam; Divina est illa, qua Deus ipse indicans quid nobis faciendum sit, habet voluntatem nos obligandi ad ejus observationem; Talis erat lex vetus Mosaica, in qua Deus ritus Sacrificiorum, v. g., præcepit; Et talis est lex nova Evangelica, v. g., de Baptismo suscipiendo, de Eucharistia, &c. Naturalis lex est illa, quæ rationali naturæ indita est; quilibet enim habet dictamen quoddam rationis indicans quid honestum, & conveniens naturæ rationali sit, quid inhonestum, & disconveniens. Quia tamen dictamen est in nobis ab ipso Deo auctore naturæ, & est velut tubicen promulgans nobis legem æternam, seu voluntatem Dei, juxta illud Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, idcirco lex naturalis est etiam lex Divina. Propterea lex Divina dividi solet in Naturalem, & Positivam; illa præcepit quæcumque naturæ rationali convenientia sunt, ut præcepta Decalogi, &c.; hæc vero præcipit, quod lege naturali sancitum non est, ut est lex de suscipiendo Baptismo, de præmittenda Confessione Communioni, &c., Demum lex humana, seu positiva est illa quę immediate ab homine provenit habente potestatem

A 2 juris-

jurisdictionis, seu potestatem condendi leges, quibus inferiores gubernantur. Quia tamen Superiores alii sunt seculares, alii Ecclesiastici, ideo lex humana subdividitur in Ecclesiasticam, & Civilem; Illa provenit a Christo Domino, tamquam ejus Auctore primo, & subditos ad supernaturalem finem dirigere intendit; Ista vero attendit Gubernationi politicæ, & contendit homines in pace conservare. Unde fit, quod quando lex civilis est contra legem Canonicam, legi canonicæ potius, quam civili parendum sit.

X. Dividi secundo solet lex ex Ulpian., & Justinian. in Jus naturale, Jus gentium, & Jus civile. Quid sit lex, seu jus naturale, & civile, jam explicavimus; Jus vero Gentium est lex illa, quam omnes nationes naturali ratione ductæ constituunt, ex *leg. omnes populi ff. de* Justitia, *& jure*; qualis est lex illa, quod possessiones sint dividendæ; quamvis enim ab initio omnia fuissent communia, tamen processu temporis omnes nationes judicarunt possessiones esse divivendas ad pacem conservandam, discordias vitandas. Dubitant hic Doctores, Num Jus Gentium dici debeat lex naturalis, an positiva? Azor. & alii apud Sal. disp. 2. putant esse naturalem, quia ductu naturæ in illam omnes conveniunt: Valent. tamen, Salon., & alii docent probabilius esse legem positivam, deductam tamen ex aliquo principio juris naturæ; alioqui non bene divideretur lex in tria membra, videlicet in Naturalem, Gentium, & Civilem: Quibus adde, quod lex naturalis est invariabilis; Jus vero Gentium de dividendis possessionibus non habebatur, quando omnia erant jure naturæ communia: Sic Legatorum admissio, paces, fœdera, servitutes, bella, contractus jure Gentium introducta sunt; jus enim naturale ad ea non necessitabat, cum possint aliter homines gubernari; usus tamen, & humanæ necessitates complerunt Gentes ad ea jura sibi constituenda, ut loquitur Justinian. in §. J*us autem*, *Institut. de jure naturali*, *Gentium*, *& civili*; Alii tamen cum Azor. part. 2. lib. 2. c. 3. docent, Jus naturale dici id, cujus vestigium habetur in brutis, ut vim vi repellere, seipsum defendere, victum sibi comparare, noxia fugere: Jus vero Gentium esse id, quod solis hominibus a natura præscribitur, ut Deum colere, Parentes honorare, reddere unicuique quod suum est.

XI. Dividitur tertio in Affirmativam, & Negativam; Illa præcipit aliquid ponendum, ut lex de audiendo Sacro; Ista præcipit aliquid omittendum, ut lex de non furando, fornicando, &c. Dantur aliæ leges prohibentes contractum, aliæ contractum, irritantes; Aliæ præceptivæ, quæ obligant in conscientia; Aliæ pure pœnales, quæ tantum obligant transgressorem ad pœnam; de quibus infra.

Dividitur demum lex in Odiosam, & Favorabilem; ut colligitur ex *cap. Odia*, *de Regulis juris in 6.*, ubi dicuntur, Odia esse restringenda, & favores ampliandi. Odiosa imponit gravamen, a quo natura abhorret; Favorabilis continet aliquem favorem.

Difficultas tamen non levis sæpe habetur in cognoscendo quænam lex dicatur gravamen, quænam favorem continere; Nam sæpe lex, quæ unum gravat, alteri favet; ut lex de solvendis tributis gravat subditos, & Principi est favorabilis: Sic lex imponens excommunicationem percutienti Clericum favet Clericis, & gravat deliquentes: Privilegium favet privilegiato, & gravat reliquos, qui ægre ferunt, quod ille a communibus oneribus eximatur: Proinde aliqui docuerunt cum Tiraquel., legem dicendam esse odiosam, & restrigendam, si gravamen ferat, etiamsi favorem contineat: Alii cum Panormit. censendam esse favorabilem, & ampliandam, si favorem contineat, etiamsi ferat gravamen. Merol. cum communiori putat, inspiciendum esse finem primarium Legislatoris, itaut dicatur odiosa, si primario intendat gravamen, & favorabilis, si primario intendat favorem. Suar. tamen l. 5. de Legibus cap. 2., & Pal. putant, proprietatem legis spectandam esse potius ex materia præcepta, quæ est materia intrinseca, & quasi natura legis, quam ex fine extrinseco Legislatoris; Nam vel inspicitur finis ultimatus, & sic omnis lex esset favoribilis, quia omnis lex respicit essentialiter bonum Communitatis, atque adeo continet favorem; Vel attenditur finis proximus a Legislatore intentus, & sæpe lex odiosa intendit immediate favorem, & lex favorabilis gravamen, ut constat exemplis obviis; Nam dispensatio communiter censetur esse odiosa, & restringenda, cum sit vulnus legis, & contra jus; & tamen qui dispensat in lege, immediate intendit concedere favorem; Et idem dicas de lege correctoria juris communis: Contra vero lex imponens excommunicationem percussori Clericorum censetur favorabilis, & tamen immediate infert gravamen delinquenti. Quare dicendum cum Suar., & Pal. proprietatem legis attendendam esse ex materia præcepta, quæ si contineat magis gravamen, quam favorem, dicenda sit odiosa; ut lex imponens vectigalia, vel pœnas transgredienti aliquam legem: Secus vero dicenda sit favorabilis, si potius contineat favorem, quam onus; ut lex signans taxam mercibus, & lex apponens solemnitates contractibus; Et ejusmodi communiter censetur esse lex imponens censuram percutienti Clericum; quia hoc potius cedit in favorem Clericorum, quam in gravamen delinquentium.

XII. Quod si dubium aliquando sit, an lex aliqua favorem potius, quam gravamen con-

contineat , tunc dicenda est ex Suar. favorabilis ; quia favor præfertur odio , eo quod de Principe potius beneficium , quam odium præsumendum sit.

ARTICULUS II.

De Conditionibus legis ; Ac primo , quod lex debeat esse justa .

I. Ad legis validitatem septem conditiones requiruntur .
II. Debet quidem esse justa . Quinque autem modis potest esse injusta .
III. Non tenemur legem injustam servare , præciso tamen scandalo .
IV. Quid , si dubitetur de legis injustitia ?

I. SEptem sunt præcipuæ conditiones ad legem requisitæ . Prima , ut sit justa . Secunda , ut feratur ad bonum commune . Tertia , ut sit promulgata . Quarta , ut lapsum sit tempus a Legislatore præscriptum ad obligandum . Quinta , ut sit usu recepta . Sexta , quod sit perpetua . Demum , quod a legitimo Superiore feratur : De quibus omnibus sigillatim agendum in sequentibus articulis . Postremam tamen conditionem opportunius explicabimus,ubi,exposita Legis materia, inquiremus, Quinam possit Leges condere .

II. Pimo itaque , Ut lex sit valida , non solum debet esse utilis bono publico , ut supra diximus , sed etiam debet esse justa : multis autem modis potest esse injusta , & sic invalida . Primo, si repugnet legi , aut Præcepto Divino; *Deo enim magis , quam hominibus , obedire oportet ;* ut dicitur Act.4. Unde fit , nec vitium præcipi posse ; nec virtutem prohiberi , nisi forte ob majus bonum . Secundo , si adversetur bono communi . Tertio , si excedat potestatem Legislatoris ; Unde lex humana præcipiens directe actus internos est invalida . Quarto , si subditis onus imponitur improportionatum causæ ; (ut si imponatur tributum supra necessitatem) vel si imponatur onus gravans subditos inæqualiter , non servata debita proportione ; ut si magis pauper , quam dives gravetur . Demum dicitur injusta materialiter lex , quæ fundatur in falsa præsumptione contra rei veritatem , quæ tantum innotescat illi , contra quem fertur lex ; Et idem dicas de sententia Judicis ; ut si Cajus per falsos testes convictus compellatur per sententiam ad solvendos centum , quos revera non debet .

III. Hinc fit , legem quocumque ex istis modo injustam non obligare in conscientia , nec esse servandam , præciso scandalo , & perturbatione Reipublicæ ; Tum quia lex , ut obliget , debet esse recta rationis ordinatio ad bonum commune instituta ; Lex autem injusta non est hujusmodi : Tum etiam quia quælibet lex est participatio legis æternę , quę justissima est ; unde lex , qua parte est injusta , non obligat : Dixi tamen, *Præciso scandalo* , quia ad vitandum scandalum servari debent leges , quæ sine peccato servari possunt ; non quidem ex vi ipsarum legum directe obligantium , sed ex lege charitatis ; quia scilicet mandavit Deus unicuique de proximo suo .

IV. Quæritur tamen , Utrum lex obliget in dubio an sit justa ? Communiter Doctores affirmant : (sicut etiam si dubitetur , an sit acceptata) quia possessio stare videtur pro lege , & pro potestate , quam habet Superior præcipiendi . Oppositum tamen sentiunt Joan.Sanch.disp.53. n.37. , Palaus t.1.disp.3.punct.7.n.4. , Vasq. , & alii apud Dian.part.4.tr.3.ref.9. , & Tamb. l.1. cap.3. §. 7. V. *Subditus ;* quia nemo est in potestate præcipiendi ea , de quibus dubitatur , an sint licita , aut justa , præsertim si ex obedientia grave malum immineat ; videtur quippe prævalere in tali dubio libertas , & securitas subditi . Utramque sententiam censet probabilem Tambur. loc. laud. Equidem primam amplector , utpote veriorem , & communiorem . Sed iterum hac de re recurret sermo quæst. 3. art. 3. num. 4.

ARTICULUS III.

Quomodo lex respicere debeat bonum commune ?

I. Nnm cessante fine legis in casu particulari desinat lex obligare ?
II. Num valeat lex , quæ uni Communitati est utilis , alteri vero noxia , si ab eodem Principe feratur ?
III. Num lex ab initio inutilis, si successu temporis fiat Reipublicæ utilis , incipiat tunc obligare ?
IV. Quid etiam de Voto , quod ab initio sit de re indifferenti , & successu temporis sit de meliori bono ?

I. DEbet ex D. Th. 1. 2. quæst. 90.art. 2.Lex respicere bonum commune , eo quod sit regula totius Communitatis, illam dirigens ad finem publicum , quod est bonum totius Reipublicæ : Unde differt lex a privilegio ; hoc enim respicit privatum bonum , quando particulari personæ confertur . Hinc inferunt Doctores plurimi cum Merol. , quod cessante fine legis in aliquo particulari casu , non proinde cesset obligatio legis ; quia lex primario ordinatur ad bonum commune , non privatum ; unde quamdiu non cessat bonum commune , nec aliquid occurrit, ratione cujus servare legem non esset bonum commune , obligatio legis non cessat .

II. Quæritur nunc primo , An possit Rex ferre legem in bonum unius Communitatis , si illa redundat in damnum alterius Communitatis ?

Re-

Respondent Suar. cap. 7., Merol., Salas distinguendo; Si enim communitates non sunt partes ejusdem Regni, sed per accidens ab eodem Rege gubernantur, ut sunt, v. g., Regnum, Neapolitanum, & Hungaricum, quæ diversis titulis ab eodem Rege possidentur; tunc certe talis lex esset injusta; quia non comparantur, ut bonum commune, & privatum, sed sicut duo bona privata; cum una Communitas ad alteram non pertineat; & ita se habent, ac si duobus Regibus subessent: Contra vero, si duæ Communitates, puta duæ Provinciæ, per se sint sub eodem Rege, ferri potest lex uni Provinciæ utilis, alteri noxia, si omnibus pensatis prævaleat bonum commune; quia uniuscujusque partis bonum censetur privatum respectu totius Corporis politici, ad quod leges per se feruntur.

III. Quæritur secundo; An lex, quæ quando fuit lata, erat Reipublicæ inutilis, ac proinde invalida, incipiat valere, & obligare, si successu temporis fiat utilis?

Respondeo, Vasq., & Bonac. disp. 1. q. 1. pun. 1. affirmare, quod incipiente utilitate incipiat esse valida; Sicut docet Navar. cap. 12. Summæ de Voto, quod est lex privata; Si enim quis voveat, nunquam se ingressurum domum aliquam, idque nulla causa honesta existente, votum est irritum, tamquam de re indifferenti: Si tamen postea habitet in ea domo fœmina, quæ sit occasio peccandi, incipit votum esse validum, & obigatorium.

IV. Sanch. tamen lib. 4. Summæ cap. 7. n. 19. probabiliter contra Navar. negat, hujusmodi votum, aut legem unquam valere; quia scilicet non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit, ex Regula decima octava juris in 6. Quod confirmatur, quia si lex feratur a non habente potestatem, ac proinde sit invalida, non incipiet eadem esse valida, si postea Legislator acquirat potestatem; ergo, si lex erit invalida a principio, quia non erat utilis bono publico, non erit postea valida, si fiat utilis; Nam in utroque casu deficit a principio aliquid, quod est de intrinseca ratione legis. Salas disp. 1. sect. 2. n. 51. docuit, etiam a principio, tempore, quo non erat utilis Reipublicæ, hujusmodi legem fuisse validam; quamvis non obligaverit pro illo tempore: Sed probabilior est sententia Sanch., quam sequitur Merol., & alii.

ARTICULUS IV.
De Promulgatione Legis.

I. Non obligat lex, antequam publice promulgetur.

II. Num debeat scripto Lex promulgari? Et in quo differat a Consuetudine? Quid de Privilegio absque scriptura concesso?

III. Lex Episcopalis, aut Principis inferioris ubinam debeat publicari? Ubinam lex Imperatoria, aut Regia? Et ubinam lex Pontificia?

IV. Qui per revelationem duntaxat sciret legis promulgationem, num ea lege teneretur?

V. Lex rescissoria contractus sufficienter promulgata irritat talem contractum postea celebratum, etiamsi invincibiliter ignoretur.

VI. Secus vero lex revocatoria Privilegiorum.

VII. Quænam verba legis denotant, Legislatorem velle sub gravi obligare? Quænam vero velle tantum hortari, aut sub levi duntaxat obligare?

I. Certum est apud omnes, ad legis validitatem requiri ejus promulgationem; ut constat, tum ex definitione legis communiter recepta; tum quia ut obliget Communitatem, debet sufficienter proponi ipsi Communitati, & consequenter publicari. Unde Gratian. *Cap. In istis temporibus dist.* 4. dixit, quod leges tunc instituuntur, cum promulgantur. Nomine autem publicationis non venit solum denunciatio legis, quæ fiat voce Præconis, sed etiam per hoc, quod affigatur loco publico, vel aliter juxta locorum consuetudines. Unde non est necesse, quod intimetur, sed satis est, ut publice promulgetur, itaut ad aures singulorum successu temporis possit pervenire: Quod si aliquis ante hujusmodi promulgationem sciat legem jam esse conditam, illa non obligabitur; Nemo tamen negat, quod possit Deus de plenitudine suæ potestatis efficere, ut lex obliget Petrum, statim ac ad ejus notitiam pervenit, etiamsi non sit publicata; Et de facto lex naturalis dicitur ex D. Th. 1. 2. quæst. 90. art. 4. publicata hominibus per hoc quod Deus illam inseruerit hominum mentibus naturaliter cognoscendam; Quod si hujusmodi publicationis aliquis sit ignarus, adhuc lege naturali obligabitur per hoc, quod illam cognoscat.

Dices, *In cap.* 1. *de Postulatione Prælatorum* haberi, quod ad legem sufficiat, ut solemniter edatur, aut publice promulgetur; ergo non requiritur publicatio, sed vel publicatio, vel alia solemnitas.

Respondeo cum Azor. primo, quod ly *Aut* ibi sumatur pro *Et*: Secundo, quod illa particula *Aut* in aliquibus textibus non reperiatur: Tertio, quod ly *Aut* idem sonet, ac *Seu*; illa tamen verba *solemniter edatur* sint synonyma cum illis aliis verbis, *publice promulgetur*.

II. Quæritur nunc primo, Utrum promulgatio legis fieri debeat scripto, an sufficiat fieri sola voce?

Respondeo, nonnullos apud Salas disp. 2. sect. 9. num. 74. requirere ad valorem legis humanæ, quod scripto publicetur. Sed communiter negant:

gant: Philosophus enim 10. Eth. cap. 9. ait, *Scriptæne sint leges, an non scriptæ, interesse nihil videtur*; & Demosthenes dicit, Lycurgum nullas leges scripsisse, sed memoriæ Civium insculpendas tradidisse. Ratio a priori est, quia satis est manifestatio voluntatis Legislatoris facta Communitati, quam vult obligare, quomodocumque fiat.

Neque dicas primo, Consuetudinem diferre a lege, quod illa sit jus non scriptum, hæc vero jus scriptum. Nam licet lex vocetur jus scriptum, eo quod frequenter soleat scribi, differt tamen a consuetudine, quia lex initium habet a voluntate Principis manifestata subditis; Consuetudo vero a frequentatis actibus Populi cum existimatione obligationis, & cum voluntate solum implicita Principis, ut ea obliget.

Neque dicas secundo, Sententiam a Judice prolatam debere esse scriptam; ergo etiam lex. Nam disparitas est, quia in *Cap. final. de sententia, & re judicata* dicitur, sententiam Judicis nullam esse, nisi scripto feratur; Quod tamen de lege nullibi statutum est; Sicut etiam statutum est, quod non sit valida possessio beneficii a Papa obtenti ante expeditionem literarum, quamvis non sit id statutum in beneficiis obtentis ab Episcopo. Ex quibus sequitur, Privilegium absque scriptura concessum non expirare morte concedentis; quia Privilegium absque scriptura est validum, & Privilegium validum non expirat morte concedentis.

III. Quæritur secundo; Ubinam promulgatio legis facienda est?

Respondeo, & dico primo, promulgationem legis latæ ab aliquo Populo, vel Civitate, vel ab Episcopo, Archiepiscopo, aut a Principe inferiore faciendam esse in ipso Populo, Civitate, vel Curia Principis, Episcopi, aut Archiepiscopi, juxta consuetudinem locorum, quin opus sit, ut in singulis Oppidis, vel Civitatibus fiat promulgatio. Ratio est, quia communiter Doctores censent sic esse sufficienter promulgatam.

Dico secundo, promulgationem legis Imperatoriæ, aut Regiæ faciendam esse in singulis Provinciis; Unde lex Imperatoria, aut Regia non obligat subditos ejus Provinciæ, in qua nondum est publicata. Ita communiter ex Authen. *Ut novæ constitutiones*. Et ratio ulterior est, quia sic usu receptum est, & quia Regna, & Provinciæ distinctæ censentur Communitates diversæ, unde distinctam promulgationem requirunt; Quamvis possit Rex, & Imperator velle, ut una publicatio satis sit pro omnibus suis Regnis, & Provinciis.

Dico tertio, promulgationem legis Pontificiæ, & Conciliorum faciendam esse in Curia Romana: nec requiritur alia promulgatio. Ita communiter contra Angel., & alios apud Suar. lib. 4. cap. 5. & Dian. part. 1. tract. 10. resol. 8., requirentes promulgationem in singulis Provinciis, seu Archiepiscopatibus faciendam (*a*): Ratio est, quia sic usu receptum est; aliter, ut notat Vasq., multæ Decretales, quæ alicubi non sunt promulgatæ, ibi non obligarent; quod nemo dixerit; & de facto Bulla Cœnæ solum Romæ publicari solet, & omnes fideles obligat. Adde, quod tota Ecclesia sub uno Pastore est perfecte unum Corpus mysticum, & una Respublica: unde satis est, quod promulgatio fiat in sola Metropoli talis Provinciæ, idest Romæ.

„ (*a*) quam sententiam novissime amplexus „ est doctissimus P. Pichler in *Cand. Jurisprud.* „ *ad Tit.* de Constit. *n.* 20.

Neque hinc sequitur, nimis id onerosum esse, quod leges toto Orbe servandæ sint, si solum Romæ sint publicatæ. Nam lex Pontificia non obligat in actu secundo fideles, qui nesciunt ejus publicationem Romæ factam; Unde non peccant illas transgrediendo ante notitiam promulgationis, atque adeo nullum onus hinc sequitur importabile.

Objiciunt Authenticam laudem incipientem, *Ut novæ constitutiones*, in qua jus civile requirit, promulgationem legum faciendam esse in singulis Provinciis; Jus autem Canonicum tacite acceptat, & vult servandum esse jus Civile in iis rebus, in quibus aliquid contrarium, aut diversum non disponit; ut ostendemus art. sequenti; Cum autem promulgatio in singulis Provinciis requisita non opponatur juri Canonico, nec bonis moribus, imo conferat ad majorem legum suavitatem, cum tollantur occasiones allegandi, & fingendi ignorantiam, sequi videtur, quod etiam in legibus Pontificiis requiratur promulgatio pro singulis Provinciis.

Huic tamen argumento respondebimus art. sequenti, ubi ostendemus requiri in legibus imperatoriis duos menses. (*b*)

„ (*b*) Qui plura pro hac Vivæ sententia cupit, „ adeat eruditissimum P. Biner in egregio *Apparatu eruditionis ad Jurisprudentiam parte* 1. „ cap. 1. *quæst.* 6. *n.* 19. *seqq.*

IV. Ex dictis sequitur primo, quod qui per revelationem tantum sciret factam jam esse in loco debito legis promulgationem, tali lege teneatur. Ratio est, quia non requiritur, quod humano modo veniat ad aures alicujus legis promulgatio, sed satis est, quod quomodocumque cognoscatur: Et eadem est ratio de præcepto Superioris, quod obligat subditum, quomodocumque hic cognoscat voluntatem Superioris: Ita communiter; quamvis probabilis sit sententia opposita Suar., & Cajet., quam exponemus art. sequenti, quod scilicet qui per revelationem sciret promulgationem legis, non teneretur illa, antequam humana posset notitia legis eo devenire.

V. Se-

V. Sequitur secundo, quod lex irritatoria contractus, si sit sufficienter promulgata, irritet contractus post promulgationem celebratos, quamvis a contrahentibus ignorata sit promulgatio, unde contrahendo non peccaverint. Sic, v. g., Matrimonium clandestinum est nullum, ubi Tridentinum est receptum, quamvis ignoretur publicatio legis a Tridentino factæ. Ratio est, quia quamvis ignorantia excuset a culpa, & pœna, non tamen ab effectu legis, qui absque cognitione legis incurri potest, sicut est rescissio contractus: Et ideo donatio facta a Novitio ante duos menses Professionis est invalida, etamsi legem Tridentini ille ignoret; Et collatio beneficii facta illegitimo est invalida, quamvis collationis invaliditatem ignoret; Ac demum qui merces vendit majori pretio, quam ferat taxa jam promulgata, tenetur ad restitutionem excessus pretii, quamvis non peccaverit contra illam legem invincibiliter ignoratam; hæc enim restitutio non esset facienda ex injusta acceptione, atque adeo in pœnam, sed ex re accepta sine justo titulo.

VI. Dices: Leges revocatoriæ Privilegiorum, & indulgentiarum non statim obligant post promulgationem; ergo neque leges rescissoriæ contractus. Antecedens patet: Nam siquis habeat Privilegium absolvendi a reservatis, & post publicationem legis revocantis hujusmodi Privilegium, invincibiliter tamen ignoratam, absolvat a reservatis, valide absolvit.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est primo, quia privilegium est favorabile, & favores sunt ampliandi. Secundo, in iis casibus non censetur Superior habere intentionem obligandi, antequam innotescat revocatio privilegii; alioquin plura incommoda sequerentur: Si enim Pontifex dat jurisdictionem ei, qui audit confessiones ex errore communi cum titulo colorato, ne sequantur in Ecclesia multa incommoda, a fortiori Superior in casu nostro jurisdictionem non revocat ante notitiam revocationis; plus enim est conferre, quam revocare; sed de hac re fusius in fine art. sequentis

VII. Quæritur tertio; Quibusnam verbis Legislator sua lege dicitur non hortari, sed præcipere?

Respondeo ex Sanch. lib. 6. cap. 4. n. 33. his, & similibus verbis: Præcipio, Jubeo, Injungo, Edico, Impero, Prohibeo, Interdico, Veto, Teneantur omnes: Quod si dicat, Volumus, Decernimus, Statuimus, Stabilimus, Monemus, Sancimus, Innovamus, hujusmodi verba sunt indifferentia ad significandum consilium, hortationem, aut præceptorum, & idcirco nisi aliud addatur, semper standum pro libertate, ut non significent præceptum, sed consilium; Quod si addatur, In virtute Sanctæ obedientiæ, vel Spiritus Sancti, aut sub obtestatione Divini judicii, sub indignatione Apostolorum Petri, & Pauli, sub interminatione gehennæ, clare præceptum significant: Dubitatur de verbis, Mando, & Debet. Sed communius docent importare præceptum. Dubitatur etiam de verbis imperativis, Facite, vel Faciant, Solvant, &c.: Sed in his standum consuetudini locorum, vel attendenda est materia, itaut, si sit gravis, importent præceptum, secus vero consilium. Nam si vellet Superior præcipere, uteretur verbis fortioribus.

Dubitatur demum, an quando Superior utitur verbis præceptivis, semper velit præcipere sub mortali? Aliqui docent in Jure Canonico præceptum semper esse sub gravi, secus in Jure Civili; Et probant, quia in Clement. *Exivi De Verbor. significat.* declarat Pontifex, regulas Divi Francisci obligare sub mortali, ubi in iis habentur verba præceptiva. Sed communius docent, quod in materia gravi præsumendum sit Superiorem velle sub gravi præcipere, in levi sub levi; quia præsumendum est, quod velit se materiis rerum accomodare. Alii tamen apud Sanch. putant, quod Legislator non præcipiat sub gravi materiam gravem, nisi id explicet verbis clare exprimentibus obligationem gravem: Quare licet dicat, sub præcepto injungimus, poterit aliquando his verbis significari obligatio sub levi, quia potest etiam aliquid præcipi sub levi.

ARTICULUS V.

De lapsu temporis ad legis obligationem requisiti.

I. *Leges non obligare, nisi post duos menses a promulgatione in singulis Provinciis, non pauci docuerunt.*

II. *At leges Pontificias post promulgationem factam in Curia Romana statim obligare, docent communius.*

III. *Requiritur tamen aliquod tempus prudentium judicio statuendum, ut novæ legis notitia ad Communitatem perveniat, & tunc omnes obliget.*

IV. *Ecclesia leges civiles admittit, ubi nec rationi, nec Legibus Canonicis adversantur.*

V. *Non solum pro foro externo, sed nec pro interno leges obligant ante lapsum sive duorum mensium a promulgatione, sive alterius temporis congrui.*

VI. *Idque verum est etiam de legibus aliquem contractum irritantibus.*

VII. *Necnon de legibus revocatoriis Privilegiorum. Quod extenditur ad revocationes Procuratorum, quorum gesta (dempto Matrimonio) valida sunt, donec revocatio iis innotuerit.*

VIII. *Si de novo aliquis casus reservetur, absolutio collata ex ignorantia talis reservationis est invalida.*

IX. *Sicut privilegii revocatio debet innotescere personæ privilegiatæ, ut habeat effectum suum; ita pariter concessio privilegii.*

X. *Privilegium Communitati concessum, si huic innotescat, validum est etiam relate ad personam particularem ignorantem illud.*

I. IN Authentica, quæ incipit, *Ut factæ novæ Constitutiones*, dicuntur constitutiones non valere, nisi post duos menses a promulgatione. Hinc nonnulli apud Farinac., & Pal. putarunt, non solum leges imperatorias, de quibus ibi est sermo, sed etiam Constitutiones Pontificias, & Regias, & cujuscumque Principis supremi requirere lapsum duorum mensium a publicatione, ut incipiant obligare; Quam opinionem esse communem asserit Martin. Becan. p. 6. tract. 3. cap. 6. quæst. 7. conclus. 1. Ratio est, quia ubi jus Canonicum nihil disponit, servandum est jus Civile, si bonis moribus non repugnet; nam in *cap.* 1. *De novi operis nunciatione* dicitur: *Sicut leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita Sacrorum Canonum Satuta Principum Constitutionibus adjuvantur.* Ex quo argumento deducunt, debere etiam leges Pontificias, sicut Imperatorias in singulis Provinciis promulgari, ut obligent; Et utramque opinionem ut probabilem admittunt plures apud Suar., & Sal. disp. 12. sect. 3., & Dian. part. 1. tract. 10. resol. 9.

II. Sed communiter Doctores docent, leges Pontificias statim post promulgationem Romæ factam esse validas; quia Pontifex non arctatur legibus Civilibus; Idque constat ex usu; Cum enim contentus sit, Bullam Cœnæ in sola Curia Romana publicari, ut velit statim illam obligare, constat nolle acceptare Authenticam illam, tum quoad promulgationem legum in singulis Provinciis faciendam, tum quoad lapsum duorum mensium post promulgationem, ut incipiant obligare; Immo aliquando voluit Pontifex Bullam aliquam obligare ante duos menses, aliquando ultra duos menses a promulgatione, aliquando statim. Nam in cap. *cum singulæ*, *de Præbendis in* 6. dicitur: *Circa eos, qui plures Prioratus, vel Ecclesias habet, volumus, ut infra mensem, postquam præsens constitutio ad eosdem pervenerit, unum ex ipsis, quem retinere voluerint, reliquis dimissis, eligere teneantur.* Et Pius IV. anno 1564. in Evulgatione Tridentini trium mensium spatium assignavit post promulgationem ad obligandum; Bulla vero Cœnæ, & aliæ hujusmodi, quæ non habent determinatum tempus ad obligationem, statim obligant, ex Navar. & Pal.

III. Notavit tamen Pius IV. in Bulla super tempore obligationis Concilii, jure communi sancitum esse, ut constitutiones novæ vim non obtineant, nisi post certum tempus; Unde fit, quod quando in constitutionibus novis non præfigitur tempus determinatum ad obligandum, intentio Pontificis sit, quod non obligent, nisi post tempus, quod prudentium judicio requiritur, ut notitia novæ legis ad communitatem perveniat; Et ideo docuit Suar. ex Cajet., quod si quis per revelationem ante tale tempus notitiam haberet legis jam promulgatæ, non teneretur illam servare. Quamvis autem requiratur aliquod tempus jure communi, ut obligent leges novæ; tamen Ecclesia non tenetur servare jus Cæsareum, quod scilicet per spatium duorum mensium non obligent; cum possit hoc tempus coarctare, vel dilatare.

IV. Ad rationem in contrarium respondet Pal., acceptari quidem ab Ecclesia leges Civiles, quando nec repugnant rationi, nec adsunt leges Canonicæ, quibus tales causæ decidi possunt; hujusmodi enim acceptatio fuit moraliter necessaria; quia nulla aptior regula ad lites decidendas, quam lex civilis, quando lex Canonica dificit. At in modo ferendi leges suas Ecclesia non debuit servare modum præscriptum a legibus Civilibus; immo ex usu constat, talem modum noluisse servare.

Quod diximus de legibus Pontificiis, dicendum a fortiori de legibus Regis, & alterius supremi Principis, qui leges imperatorias servare non tenetur: ut notant Sal., & Vasq. apud Bonac., liberum quippe est illis in modo ferendi leges, vel nullum tempus requirere ad obligandum post promulgationem, vel aliud spatium, quam duos menses; quamvis non possint transgressores legum puniri, si constet, moraliter non potuisse eam notitiam adhuc ad illos pervenire; V.gr., si feratur Romæ lex mensæ Januario, non potest puniri in Indiis, qui illam transgreditur mense Februario; quia non potuit intra tam breve tempus illuc devenire notitia talis legis. Dixi, *a fortiori*, quia non obstat pro legibus Regiis ratio adducta pro legibus Pontificiis. Ratio itaque a priori est, quia obligatio legis pendet ab intentione Legislatoris; ergo nisi hic exprimat, quod nolit obligare, nisi post duos menses a promulgatione, (ut explicavit Imperator in illa Authentica) censetur, quod velit obligare statim. Ita Suar., Sal. Vasq., & alii contra Valent., Reginald., Navar., Sa, & alios probabiliter putantes; quamcumque legem sive Imperatoris, sive Papæ, sive Regis, aut alterius Supremi Principis non obligare, nisi post duos menses a promulgatione: Si tamen non exprimant se velle statim obligare; quia, nisi aliud exprimant, censentur velle leges ferre juxta modum ab Imperatore in Authentica

tica præscriptum, qui est valde rationi consonus, non solum ut ignorantes non ligentur, sed etiam ut omnes simul obligari incipiant, & sic vitetur omnis confusio, rixa, & imparitas subditorum, si alii ante alios obligarentur; Quod si Judices Romæ non procedant juxta hanc sententiam, non hinc sequitur, quod sententia ista careat sua auctoritate, & probabilitate.

V. Rogabis primo; Num lapsus duorum mensium post promulgationem requiratur, ut leges obligent pro foro externo, an etiam pro interno; unde qui ante tale tempus haberet notitiam legis promulgatæ, præsertim Imperatoris, teneretur in conscientia illam servare.

Respondeo, probabiliorem esse sententiam Suar. lib. 3. cap. 18., n. 5., quod ante lapsum duorum mensium nulla sit obligatio in conscientia; Cum enim in Authentica, *Ut Novæ Constitutionis*, dicatur, quod valeant novæ Constitutiones post duos menses, clare sequitur, quod ante lapsum hujus temporis nullam vim habeant, unde non obligent in conscientia.

Adde ex Suar., quod lex civilis cum nolit obligare pro foro externo ante lapsum duorum mensium, a fortiori non vult obligare pro foro interno; quia per se primo intendit obligationem politicam, & externam, & solum secundario internam in ordine ad illam.

Demum, ut diximus ex Bulla Pii IV., jure communi sancitum est, quod novæ leges vim non obtineant, nisi post certum tempus; ergo si vim non habent, neque obligant in conscientia.

VI. Rogabis secundo; An saltem requiratur lapsus alicujus temporis post promulgationem ad valorem legis irritantis aliquem contractum?

Respondeo, leges, ut rationabiliter fiant, debere aliquod tempus post qromulgationem præfigere, ut incipiam obligare, aliter essent plenæ periculis, ut loquitur Sotus; non essent utiles Communitati, ut loquitur Salas; essent irrationabiles, ut loquitur Molina; & videntur aliquo modo pugnare cum jure naturali, ut loquitur Suar. Nam si, v. g., lex prohibens Matrimonium clandestinum irritaret matrimonium statim post promulgationem, multæ Virgines, quæ ignoranter contraherent, paterentur grave damnum, si cogerentur deinde contractum rescindere. Quare liceat aliqua lex irritatoria posset ita ferri, ut statim obliget, v. g., lex irritans collationem beneficiorum factam illegitimis, quia hinc nulli damnum sequeretur; leges tamen irritatoriæ contractus cum damno plurimorum non debent ita ferri, ut statim obligent; Proinde nisi Pontifex exprimat tempus, quo velit, ut incipiant obligare interpretanda est benigne mens Legislatoris, quod scilicet velit, ut incipiant obligare statim post promulgationem factam in singulis Provinciis, seu Archiepiscopatibus, vel post lapsum duorum mensium a promulgatione; Nisi quis vellet didicere cum nonnullis, quod saltem ex benigna Legislatoris mente non irritent hujusmodi leges contractus, nisi illorum, qui vel habuerunt, vel humano modo habere potuerunt notitiam talium legum, etiamsi in lege dicatur, quod statim obliget.

VII. Quod dictum est de legibus irritatoriis, dicitur etiam de revocatoriis privilegiorum, & Indulgentiarum, quæ vim non habent, nisi facta sufficienti promulgatione; aliter grave damnum sequeretur, si, v. g. privilegium eligendi Confessarium revocaretur, & lex ista revocatoria haberet effectum suum, antequam posset ad notitiam privilegiati pervenire; Immo quia favores sunt ampliandi; ideo non censentur revocata Privilegia, & Indulgentiæ, nisi post promulgationem, & insinuationem factam iis, ad quos pertinet.

Similiter quod dictum est de legibus revocatoriis, extendi etiam debet ad revocationes Procuratorum, quæ non habent suum effectum, antequam sint ipsis intimatæ, ex leg. *Si Mandasset ff. Mandati*; Unde acta Procuratoris ignorantis suam revocationem sunt valida; excepta celebratione matrimonii, quod debet esse maxime voluntarium, & ideo est irritum, si fiat per Procuratorem ignorantem suam revocationem, ex leg. *Si pœnituit ff. de ritu nuptiarum*, apud Sanch. lib. 1. disp. 11.

VIII. Notandum tamen hic ex Vasq. quod ad hoc ut revocetur privilegium personæ particulari factum, debeat illi insinuari revocatio; Contra, ut revocetur privilegium factum Communitati, satis sit, quod revocatio innotescat ipsi Communitati; Unde si quis, v.g., post promulgationem decreti Tridentini sess. 23. cap. 15., quod nemo confiteatur, nisi Sacerdoti approbato, confiteretur Sacerdoti non approbato, confessio esset irrita, quia lex revocatoria consuetudinis satis est, ut promulgetur Communitati. Ex quo etiam Vasq. infert, quod si reservetur de novo aliquis casus, absolutio collata ex ignorantia talis reservationis sit invalida; unde tenetur pœnitens iterum peccatum illud confiteri, si deinde sit conscius talis reservationis factæ, & publicatæ Communitati, antequam bona fide confiteretur.

IX. Ex hac doctrina resolvitur etiam celebris illa quæstio, An scilicet sicut revocatio privilegii debet innotescere personæ privilegiatæ, ut habeat effectum suum, ita prima concessio privilegii debeat etiam innotescere illi, cui conceditur, ut possit illo uti.

Ad quod respondetur affirmative cum communiori apud Sal. disput. 12. sect. 8., Præsertim, ut advertit Vasq., si privilegium habeat vim dispen-

dispensationis; Ut siquis petat privilegium contrahendi Matrimonium in gradibus prohibitis, & post obtentam dispensationem contrahat, ante quam habeat notitiam certam talis dispensationis, matrimonium sic celebratum esset irritum, nisi aliter constaret de mente Pontificis; Quicquid in contrarium dicat Sal. loc. cit. Ratio est, quia sicut lex debet innotescere Communitati, ut sit valida, ita privilegium debet innotescere, & suo modo promulgari personæ, cui conceditur, ut effectum suum sortiatur.

X. Unde patet disparitas, quod si impedimentum illud tolleretur non per privilegium, seu dispensationem factam personæ particulari, sed per legem respicientem Communitatem, tunc si persona privata contraheret matrimonium cum tali impedimento ignorans talem legem, licet peccaret, valide tamen contraheret. Ratio est, quia ad valorem legis satis est, ut promulgatio innotescat Communitati, seu majori parti Comunitatis, non singulis. Contra vero, ad valorem privilegii concessi personæ particulari requiritur, ut illi innotescat.

ARTICULUS VI.

De Acceptatione Legis.

I. *Leges universim ferri solent sub tacita conditione, quod acceptentur.*
II. *Peccat tamen Communitas, si citra justam causam legem non acceptat.*
III. *Lex acceptata cessat obligare, si a majori parte Communitatis non observetur. Sed quodnam tempus requiritur ad legem per desuetudinem abrogandam?*
IV. *Num possit Legislator obligare subditos renuentes legem acceptare? Et quando id possit, aut velit?*
V. *Quid veniat hac in re nomine Communitatis, a cujus majori parte debeat lex acceptari, ut obliget?*
VI. *Lex a principio non acceptata, si successu temporis acceptetur, tunc obligat.*

I. EST pariter legis conditio, ut sit usu recepta, seu acceptata a majori parte Communitatis: non quasi vero Legislator, & præsertim Pontifex, qui non a populo, sed a Christo Domino potestatem habet ferendi leges, non possit illas ferre independenter ab acceptatione Communitatis; sed quia universim etiam a Pontifice leges sub hac tacita conditione ferri solent, quod a Communitate acceptentur; id enim videtur consonum benignitati Legislatorum, ne nimis onerosi videantur subditis suis; Unde in leg. *de quibus ff. de legibus* hæc habentur: *Leges nulla alia de causa nos tenent, nisi quod judicio populi receptæ sunt:* Et idcirco communiter docent, Matrimonium clandestinum esse validum, ubi Tridentinum non est acceptatum; quia lex Tridentini non obligat, ubi non est a majori parte Communitatis acceptata, eo quod Pontifex ex sua benignitate sub ea tacita conditione leges Tridentini tulerit, quod scilicet a majori parte populi acceptarentur. (*a*)

„ (*a*) Hæc tamen sententia, quæ ab Juri„stis nonnullis cum *Nav.*, & *Covarr.* defen„ditur, nec satis vera videtur, nec satis „cohærere cum iis, quæ hoc ipso articulo tradit „Auctor, præsertim num. IV. Quare extra „democraticum statum populi acceptatio non „est conditio legis, etsi necessaria est ad sta„bilitatem legis. Dixi *extra Democraticum sta„tum*: Nam in Republica democratica, in „qua penes totum populum est potestas gu„bernativa, ac legislativa, non datur lex, nisi „a majore parte populi sit lata. Confer P. „Biner in *Appar. erudit. ad Jurispr. p. 1. c.* „1. *n.* 25. *seqq.*

II. Certum tamen est, quod si subditi legem aliquam sine ulla rationabili causa nollent acceptare, peccarent, ut constat ex prop. 48. damnata ab Alex. VII., quæ dicit: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam;* Et ideo procul dubio peccarunt primi illi, qui in Gallia leges Tridentini sine rationabil causa acceptare noluerunt. Cum autem nunc non sint ibi acceptatæ, & Pontifex nolit, quod obligent, ubi non sunt acceptatæ, ideo de facto in Gallia Leges Tridentini non acceptatæ non obligant; Et communiter docent, quod ibi Matrimonium clandestinum quamvis esset illicitum, esset tamen validum, nisi lex ista Tridentini fuisset postmodum acceptata jussu Regio jam ab anno 1602., ut habet Lessius in Auctar. V. Sponsalia. Tunc autem dicitur lex aliqua non esse acceptata, seu recepta, quando major pars populi prosequitur facere, quod prius facere consueverat ante legis promulgationem; idque verum est, sive Populus sciat legem promulgatam esse, sive ignoret, ut notat Suar., Sal., Bonac. & alii communiter; Contra vero dicitur lex acceptata, quando major pars populi illam observat, aut approbat verbo, vel scripto, vel saltem illam non rejicit, aut improbat; Nam lex aliqua potest aliquando non observari, quia non accidit casus; ea tamen obligat, si non rejiciatur, aut improbetur a majori parte Communitatis; quia desuetudo, seu non usus nihil facit contra legem, quando casus non accidit; & sola consuetudo in contrarium sui usus contra legem abrogat legem.

III. Sicut autem lex, quæ a principio non acceptatur, non obligat; ita pariter lex, quæ fuit a principio acceptata, si deinde incipiat non observari a majori parte Communitatis, cessat obligare: Sicut enim per consuetudinem nova lex

introducitur; ita per desuetudinem vetus lex abrogatur. Quid autem requiratur, ut lex per desuetudinem abrogetur, dicemus infra cum de consuetudine; Aliqui enim cum Panorm., Bartol., & Rodriq. apud Sal. disp. 13. sect. 6. putant, quod ut lex vim amplius non habeat, satis sint duo, vel tres actus legi contrarii, sciente, & tolerante Legislatore, vel quod per decennium communiter servetur Principe ignorante; unde decreta Conciliorum generalium, si per decennium in aliqua Provincia non serventur, ammittunt ibi vim suam. Alii apud Sal. l. c. sect. 2. verius docent, nullum certum tempus requiri, ut desuetudo, seu non usus legem abroget; quia nullum est jus, quod illud præscribat, sed satis esse, tot actus legi contrarios, fieri a majori parte Communitatis, sciente, & tolerante Legislatore, ut præsumatur, Legislatorem velle, ut lex amplius non obliget; Si enim velle obligare, urgeret, ut servaretur, posito quod commode id facere possit. Immo etiam quando habetur ignorantia Principis, non requiritur decennium; quia ad derogandum legi satis est voluntas habitualis Principis, quod nolit obligare contra morem, ex *Cap. 1. de Consuet. in 6.*, quamvis autem decennium satis sit, at non requiritur; cum nullum jus illud prescribat, & usus videtur esse in contrarium; cum non soleat illud tempus expectari, sed satis sit, quod a majori parte Communitatis per actus sufficientes legi repugnatum sit. Alii demum cum Azor. tom. 1. l. 5. c. 4. quæst. 4. docent, legem Canonicam usu receptam non tolli contraria consuetudine, nisi quadraginta annis continuata, quamvis legem Civilem abroget contraria consuetudo decem duntaxat annis continuata; Sed hac de re fusius quæst. 6. ubi de Lege non scripta, seu de Consuetudne.

IV. Quæritur nunc primo, an possit universim Legislator legitimus velle obligare subditos, etiamsi legem non acceptent?

Respondeo, aliquos cum Valent., & Navar. apud Sal. l. c. probabiliter negare; quia lex, quę non est in commune bonum, non est valida; lex autem, quæ sic fertur, non est in commune bonum; magnam enim excitare posset in populo perturbationem. Confirmatur, quia potestas data a Christo Domino Pontifici ad leges condendas, est data, ut loquitur Apostolus, *in ædificationem*, *non in destructionem*: Si autem velit obligare Communitatem contradicentem, non uteretur sua potestate in ædificationem; nam exerceret illam cum periculo animarum. Princeps vero sæcularis habuit potestatem a Populo; Populus autem potuit dare illi potestatem condendi leges sub ea conditione, quod major pars communitatis non contradicat, & ita data esse videtur ex usu; & sic eam dari, videtur expedire ad bonum commune, quia nullum majus signum de convenientia legis, quam acceptatio populi.

Secunda sententia asserit, talem acceptationem requiri, solum in lege civili, eo quod Rex accipiat suam potestatem a populo; non vero in Ecclesia, eo quod Pontifex habeat potestatem a Christo Domino.

Communiter tamen docent, non solum Pontificem, qui potestatem condendi leges a Christo Domino habuit, sed etiam Principes seculares, qui potestatem hanc habent a populo, habere vim obligandi Populum independenter ab ejus consensu. Ita Suar., Vasq., Sal., Lorca in pr. part. disp. 20., ubi hæc habet: *Sententia hæc est evidens*, *nec opposita percipi potest: si enim liberum esset populo dissentire*, *& leges respuere*, *non essent subditi*, *nam voluntate*, *non necessitate parerent*. Ratio itaque est, tum quia alioquin major esset potestas in populo, quam in Lagislatore, eo quod Populus posset potestatem Legislatoris impedire; Et valde debilis esset potestas Pontificis, ac Principis, si non posset obligare ad parendum legi, nisi sub conditione acceptationis, seu non repugnantiæ; quam enim superioritatem haberet, si non posset Communitatem obligare, nisi ipsa volente? Tum etiam quia hinc sequeretur non posse Pontificem, & alios Principes cogere populum ad acceptandam legem aliquam rationabilem, justam, & bono publico convenientem; quod nemo dixerit; cum constet usu, & consuetudine puniri eos, qui legem promulgatam non acceptant. Quare licet non soleant Principes, & Pontifex ex propria benignitate velle obligare populum, nisi legem acceptet, possunt tamen independenter ab acceptatione velle illum obligare; Et presertim Principes, qui Regnum jure belli acquisierunt; tunc enim Principes non habent auctoritatem a Communitate, atque adeo ferre possunt leges cum omnimoda independentia ab illa.

Confirmatur, quia ex *c. de Liguribus 23. quæst.* 1. Princeps habet plenissimam vim coercitivam erga subditos independenter a populi voluntate; ergo habet etiam similem vim præceptivam; quia intantum potest Princeps subditos coercere, & punire, inquantum potest illos obligare; unde eadem independentia requiritur, ut possit obligare, seu ferre leges, ac ut possit coercere, seu punire legum transgressores.

Ad rationes in contrarium adductas respondetur, requiri quidem ad valorem legis, quod respiciat commune bonum materia præcepta, sed non requiri, quod Populus illam acceptet; Nec quia sequitur perturbatio in Communitate ex lege non acceptata, ideo sequitur, quod materia pręcepta non respiciat bonum commune, atque adeo lex non obliget. Adde, quod major perturbatio sequeretur in Communitate, si

posset

posset populus ad arbitrium legem acceptare, quam si aliquando cogatur ad legem acceptandam; & ideo potestas data a Christo Domino Ecclesiæ condendi leges independenter a populi acceptatione data est in ędificationem, non in destructionem. Non negaverim tamen, quod Legislator non debeat ea potestate uti, quando prędidet inde probabiliter futurum grave scandalum; & ideo præsumendum est ex benigna mente Legislatoris, quod semper velit legem arduam ferre sub tacita conditione, quod acceptetur, quando lex est ardua, & difficilis: Dupliciter enim potest lex non obligare, si non acceptetur; vel ex defectu potestatis, vel ex defectu voluntatis in Legislatore obligandi Communitatem, quę repugnat; Quamvis ergo detur potestas, certe universim non pręsumitur dari voluntatem in Legislatore obligandi ad leges arduas Communitatem independenter ab acceptatione legis. Proinde bene notat Suar. quod quando lex præcepta est ardua, & difficilis, potest esse vera sententia plurium Canonistarum in *cap. 1. de Tregua, & pace*, quod non obligent leges, nisi acceptentur; præsertim si sint contra populi consuetudinem, aut privilegium; V.gr., si contra privilegium per legem imponantur tributa: In his enim casibus poterit per Epichejam lex non servari, & interim humiliter instari apud Legislatorem, ut legem revocet, exponendo causas, ut docent Suar. l.4.c.16. Sal. disp. 18. sect. 4., Salon., Bonac. punct. 6. n. 42. & alii; quia præsumitur talis voluntas Legislatoris: Quod si ad hujusmodi supplicationem Princeps taceat, neque confirmando, neque revocando legem, ex Sal. censeri poterit lex revocata, nisi oppositum constaret aliunde: Quando tamen leges sunt suaves, & moderatæ, debent omnino acceptari, & peccant qui incipiunt illas non servare oblata occasione; quamvis deinde si populus persistat in lege non servanda, possit præscribere, videlicet ut lex non amplius obliget; Et ideo lex Tridentini irritans matrimonium clandestinum non obligat, ubi Tridentinum non est receptum.

Instabis; in *leg. de quibus ff. de Legibus* habetur, quod leges nulla alia de causa non tenent, nisi quod judicio populi sunt receptæ; Et Philosophus 2. *Politicorum cap. 6.* docet, legem nullam vim habere, ut pareatur, nisi ex more; qui tamen non fit nisi temporis longitudine: ergo lex, nisi acceptetur, non obligat.

Confirmatur, quia Gratian. *c. In istis dist.* 4. dixit; quod leges instituantur, dum promulgantur, firmentur autem, cum moribus utentium approbantur: ergo ut prius.

Respondeo hæc in eo sensu intelligenda esse, quod leges obligent ex institutione, & promulgatione ipsarum, ita tamen, ut si consuetudo contra illas prævaleat, abrogentur, & desinant obligare, ut infra dicemus; Unde acceptatio populi deservit, ut non abrogentur, non vero ut a principio obligent.

Ad confirmationem Archidiac. respondet, firmari Leges moribus utentium firmitate facti, non juris; quia obligatio legum habetur ab institutione, & promulgatione; deinde continuationem, & firmitatem habent a consuetudine, si enim consuetudo sit contra legem, lex abrogatur.

V. Quæritur secundo, quid veniat nomine communitatis, quando dicitur, quod lex acceptari debeat a majori parte Communitatis?

Respondeo cum Bonac., Azor. dub. 35. n. 10., nomine Communitatis non venire Communitatem universalem competentem plures Communitates, ad quas lex fertur, sed venire quamlibet Communitatem particularem: V.g., si Imperator ferat legem aliquam pro omnibus suis Provinciis, ut obliget singulas Provincias, debet a majori parte singularum Provinciarum acceptari, & non satis est, quod a pluribus Provinciis acceptetur; Unde si a majori parte unius Communitatis, non alterius acceptetur, illam tantum Communitatem obligabit; non alteram. Hinc, ut lex Tridentini obliget in Hispania, & non in Gallia, satis est, quod sit recepta in majori parte Hispaniæ, & non Gallię, & in Hispania obligaret, etiamsi per reliquas Orbis partes non esset acceptata, & non obligaret. Quomodo autem Communitas particularis determinanda sit, judicio prudentum stabiliendum ex Valent. Nam si lex aliqua æque respicit, v. gr., omnes religiones, si a majori parte religionum non observetur, non tenentur aliæ religiones ad illam servandam; Et si lex aliqua æque est justa, utilis, & conveniens omnibus Provinciis, tunc si major pars Provinciarum illam non acceptet, non tenentur aliæ acceptare, ut notat Sal. l. 6., quia non tenentur ipsæ solæ portare pondus legis, quando non est major ratio, cur ipsæ potius, quam aliæ obligentur; Contra vero, si sit peculiaris utilitas, necessitas, vel possibilitas, ut observetur in una potius quam in altera parte Communitatis universalis, tunc singulæ illæ partes constituunt unam Communitatem particularem; ita ut satis sit, quod a majori parte illius Communitatis particularis acceptetur, ut obliget.

Sicut autem lex potest obligare unam Provinciam, a qua acceptatur, non aliam; ita potest obligare secundum unam ejus partem, secundum quam ipsa lex acceptatur, non secundum aliam. Hoc pacto notat Navar., Extravagantem illam Paulli I. *Ambitiose* de non alienandis rebus Ecclesiasticis, in aliquibus Diœcesibus Hispaniarum obligare solum secundum nullitatem contractus in ea prohibiti, non vero secundum pęnam excommunicationis; quia solum prior illa

pars

pars legis est ibi acceptata. Ratio est, quia eadem est proportio totius ad totum, ac partis ad partem; & quod dicitur de toto, dici etiam proportionaliter debet de parte, ex *leg. Quæ de tota ff. de rei vindicatione*; ergo si non usus, seu non receptio totius legis suspendit obligationem totius legis, pariter non usus, seu non receptio partis legis suspendit talis partis obligationem.

VI. Quæritur tertio, An sit valida lex, quæ a principio non fuit acceptata, si postea successu temporis acceptetur?

Respondeo affirmative; quia lex per non acceptationem non fuit extincta, sed quodammodo suspensa, atque adeo potest obligationem parere, si acceptetur: Unde fit, non esse idem, legem esse revocatam, seu abrogatam, & legem non esse acceptatam; Nam per revocationem, seu abrogationem extinguitur: per non acceptationem vero veluti consopitur, & suspenditur; Non secus ac si ratione alicujus impedimenti, verbi gratia ignorantiæ, aliquando per accidens non obliget, eo sublato, incipit obligare. Quis enim dixerit, quod lex ignoranta in actu primo non obliget? Idem itaque dicendum est de lege nondum acceptata, quod scilicet obliget in actu primo, & post acceptationem obliget in actu secundo; sicut lex ignorata, adveniente ejus notitia, obligat etiam in actu secundo.

ARTICULUS VII.

De Perpetuitate Legis.

I. Leges prout a præceptis distinctæ debent semper perdurare, donec revocentur.

II. Præceptum respicit bonum personæ privatæ, & expirat morte præcipientis; Lex vero respicit bonum commune, & est perpetua.

III. Mandatum continens commissionem jurisdictionis non expirat morte Mandantis, si res non sit integra.

IV. Mandatum testatoris, utpote domini proprietatis, non jurisdictionis, confirmatur potius, quam expiret post ejus mortem.

V. Quamvis præceptum generale possit communitatem respicere, & esse perpetuum, non secus ac Lex, adhuc tamen multifariam differt a Lege.

VI. Potest Legislator supremus legem ferre, qua præcipiatur, ut præcepta Superiorum inferiorum non expirent morte præcipientis.

I. Diximus ex Suar., legem esse præceptum commune, justum, ac stabile sufficienter promulgatum; Unde videndum quænam stabilitas, seu perpetuitas legi conveniat.

II. Quæritur itaque primo; An leges omnes debeant semper durare?

Respondeo cum communi; Leges prout distinctæ a præcepto debent obligare semper nisi revocentur; Quare omnibus legibus competit perpetuitas negativa, quatenus si non revocentur aut per legem, vel per consuetudinem in contrarium, semper obligant; Non omnibus vero competit perpetuitas positiva, itaut semper debeant actu obligare; sed solum legibus a Christo Domino latis in lege Evangelica, quæ usque ad diem judicii obligabunt. Ratio, cur debeat legi perpetuitas competere, est, tum quia id constat multis juribus, & consuetudine legum humanarum; tum etiam ratione; Primo, quia est necessaria ad finem legum perpetuitas; aliter haberetur quotidiana mutatio in Republica cum magno damno Communitatis: Secundo, quia Papa potestatem habet condendi leges a Christo Domino, qui nunquam moritur, & voluit, ut legibus Vicarii sui obtemperetur, non secus ac suis: Princeps vero potestatem habet condendi leges ab ipsa Communitate, quæ semper pariter in ratione Communitatis perseverat; ergo leges tam Canonicæ factæ a Papa, quam Civiles latæ a Principe possunt, & debent ita ferri, ut nunquam extinguantur, donec revocentur.

Quare hanc assignant communiter Doctores disparitatem inter Legem latam per modum Constitutionis, & Præceptum latum ab homine per modum personalis Præcepti; quod scilicet Præceptum superioris solum debeat respicere bonum personæ particularis, cui imponitur, & non commune: Contra Lex respicere debet bonum Communitatis, non singulorum, quibus imponitur: Præterea præceptum expirat morte præcipientis, non vero lex. Unde Silvest. V. *Mandatum* quæst. 3. ait: *Præcepta expirant morte præcipientis, nisi fiant per modum Constitutionis, ut consuetudo interpretatur.* Hinc quia Bulla Cœnæ olim ferebatur pro uno tantum anno, tunc illius Censuræ reputabantur esse ab homine, non a Jure; quia vero a tempore Pii V., Gregor. XIII., & Sixti V. eadem Bulla lata est, donec revocetur, & solum quotannis renovatur, ideo nunc, ut notat Navar., ejus Censuræ reputantur a Jure.

III. Notandum tamen, quod mandatum per quod datur commissio Jurisdictionis, tunc expirat morte mandantis, quando res est integra, seu quando non est incœpta causa, seu commissio delegata; Quod si res non sit integra, seu si causa sit incœpta, non expirat morte mandantis, sed donec causa perficiatur, perseverat: Exempli gratia, si mandatum, vel facultas data sit Confessario audiendi confessionem talis Pœnitentis, non expirat mortuo, vel amoto mandante, si cœpta jam sit confessio, donec perficiatur. Si tamen mandatum non contineat com-

commiſſionem juriſdictionis, ſemper expirat morte mandantis, etiamſi res non ſit integra; V. G. mandatum de danda eleemoſyna, etiam ſi latum ſit ſub cenſura, expirat morte mandantis, quamvis res ſit cœpta impleri, ut notat Sal. diſp. 1. ſect. 9. num. 62.

IV. Solum mandatum Teſtatoris non expirat, ſed potius confirmatur poſt ejus mortem, etiamſi res integra ſit, ex *leg.* 1. *ff. de Teſtamentis*; quia Teſtator mandans non ſe habet ut Superior, ſeu dominus juriſdictionis de rebus ſuis, ſicut qui mandat largitionem eleemoſynæ: In hoc enim differt dominus proprietatis ab eo, qui dominium habet juriſdictionis, ſeu a ſuperiore, quod dominus proprietatis poſſit præcipere ea, quæ reſpiciunt bonum proprium, quamvis ſint in gravamen aliorum; Contra Superior ſolum præcipere poteſt, quæ ſpectant ad bonum Communitatis. Sententia pariter judicis poſt hujus mortem perſeverat, quia eſt veluti lex, & hoc expedit ad bonum publicum, ne delicta maneant impunita.

V. Quæritur ſecundo, An ſicut leges omnes de ſe ſunt perpetuæ, ita præcepta omnia ſint ad tempus, & expirent morte mandantis?

Reſpondeo aliquos putaſſe, quod omnia præcepta facta Communitati de ſe ſint perpetua, & habeant rationem legis; Contra tamen præcepta omnia facta perſonæ particulari habeant rationem præcepti, & expirent morte mandantis, quia præceptum, quod fit communitati, fit nomine communitatis, quæ ſemper durat, & reſpicit bonum commune; præceptum vero factum perſonæ particulari reſpicit bonum illius, quod non ſemper durat; Et (ut loquitur Vaſq. part. 2. diſp. 151. cap. 2.) imponitur a ſuperiore ut habente curam illius, cui præceptum imponitur, atque adeo non imponitur nomine Reipublicæ, ſed nomine proprio ipſius ſuperioris, quatenus ad ipſum ſpectat cura ſingulorum; quæ cura cum expiret morte, vel mutatione ſuperioris, ideo etiam præceptum tunc ceſſat. Sed verius, & communius Doctores docent, quod tam præcepta, quam leges poſſint reſpicere Communitatem, & quod utraque poſſint eſſe ſtabilia, & perpetua; Si enim poteſt ſupremus Princeps ſua lege obligare Communitatem perpetuo, quare non poterit perpetuo etiam obligare ſuo præcepto perſonam particularem, itaut morte præcipientis non expiret præceptum, ſed duret quouſque ab alio ſuperiore revocetur? Ideo enim poteſt Communitatem perpetuo obligare, quia Communitas Principi, & Chriſtus Dominus Pontifici dedit poteſtatem perpetuo obligandi Communitatem; atqui non eſt ratio, cur non poſſit dici, quod iiſdem data ſit etiam poteſtas obligandi perpetuo perſonam particularem: ergo poteſt ferri præceptum perpetuo durans a Principe ſupremo, qui ſcilicet habeat poteſtatem diſpenſandi in jure communi, vel Regni. Quamvis id non poſſit fieri a Principe inferiore, qui debet præcipere juxta jus commune, quod fert, ut præcepta morte præcipientis expirent.

Dices; non differret præceptum a lege, ſi tam præceptum, quam lex poſſent reſpicere Communitatem, & perpetuo durare.

Reſpondeo negando ſequelam; differrent enim primo, quia præceptum jure communi, natura ſua expirat morte præcipientis, non vero lex: Secundo, quia præceptum poteſt reſpicere particulares perſonas, lex vero eſſentialiter reſpicit Communitatem: Demum præceptum generale reſpiciens Communitatem differt a lege, quia lex eſt illa, quæ fertur per modum ſtatuti, ſeu conſtitutionis, & reſpicit Territorium, atque adeo, ut notat Panormit. apud Sal. diſp. 14. ſect. 4., obligat etiam forenſes; Contra vero præceptum generale obligat ſolum cives; Et niſi oppoſitum exprimat Supremus Princeps, natura ſua expirat, mortuo, vel amoto præcipiente. Unde cenſura lata a jure, ſeu a lege ſemper durat; Cenſura vero lata ab homine per generale mandatum, ſeu per generalem ſententiam (ut erat Bulla Cœnæ ante Pium V., & Gregor. XIII.) morte mandantis expirat. Quamvis autem Epiſcopus, ut infra dicemus, poſſit leges ferre, non ſolet tamen eas ferre extra Synodum, & Archiepiſcopus non poteſt leges ferre pro tota Provincia, niſi de conſilio, & voluntate omnium Epiſcoporum Comprovincialium.

VI. Ex dictis ſequitur, quod poſſit Papa legem ferre, qua præcipiat, ut præcepta Inferiorum, ſcilicet Epiſcoporum, vel Prælatorum regularium non expirent morte præcipientis; in quo caſu mortuo præcipiente quilibet teneretur ſervare præcepta, non vi ipſorum præceptorum, ſed vi legis univerſalis: Sicut ſi feratur lex, quod quilibet teneatur obedire ſuo Magiſtro, vel Confeſſario, in tali caſu præcipiente Magiſtro, vel Confeſſario, quilibet teneretur obedire, non vi talis præcepti, quod cum non eſſet a Superiore, non obligaret: ſed vi legis univerſalis, quæ obligat ad obediendum præceptis magiſtri, vel Confeſſarii, quamvis non habentis ullam juriſdictionem extra Sacramentum Pœnitentiæ.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quænam sit legis materia, & Quinam possit leges ferre?

PRogredimur ad discutiendas causas Legis, & Primo inquirendum, quænam universim sit legis materia; & præsertim Num possint lege humana præcipi actus indifferentes, aut actus mere interni? Deinde quærendum, Quinam possit leges civiles condere? Ac demum quinam leges Ecclesiasticas?

ARTICULUS I.

De Materia Legis. Præsertim de actibus indifferentibus, ac de mere internis.

I. Universim materia legis sunt actiones humanæ ordinabiles ad bonum commune.

II. Lex humana percipere potest actus virtutum, sed non omnes, nimirum valde arduos; ac prohibere potest actus vitiorum, non tamen omnes, cum id non postulet commune bonum.

III. Cur lex naturalis omnia vitia prohibere possit, & de facto prohibeat, non vero lex humana?

IV. Quandonam possint actiones moraliter indifferentes præcipi, aut prohiberi?

V. Lex civilis respicere debet rectam gubernationem, & bonum pacis in populo: Lex vero canonica respicit honestatem operationum, ut conducentem ad finem supernaturalem, & ad bonum animarum.

VI. Quædam vitia, ut Usuræ, Perjuria, Blasphemiæ, cur prohibeantur lege civili simul, & canonica, necnon lege naturali?

VII. Num leges civiles, & canonicæ imperare aliquando possint actus mere internos?

VIII. Solum actus interni, qui sunt necessarii ad externos, possunt a lege humana indirecte præcipi, aut prohiberi.

IX. Ecclesia præcipiendo auditionem missæ indirecte præcipit intentionem audiendi illam; Non tamen punit censuris defectum talis actus interni.

X. Fit satis argumenti pro sententia opposita.

XI. Cur possit Ecclesia dispensare in votis mere internis, & a peccatis internis absolvere; non possit tamen censuris peccata interna punire?

XII. Potest confessarius actus mere internos pœnitenti injungere; Non potest tamen illos injungere subditis Prælatus Regularis.

XIII. Quod est per accidens occultum, puniri potest ab Ecclesia, non vero quod est occultum per se.

I. MAteria legis, seu id, circa quod lex versatur, & quod potest lex præcipere, aut vetare, universim sunt actiones humanæ; quælibet enim lex vel præcipit actionem humanam bonam, vel prohibet malam. Et ratio a priori est, quia cum lex debeat aliquid præcipere spectans ad bonum commune, illud dicitur materia legis, quod cadit sub Principis potestatem ordinabile ad bonum commune; sed quod cadit sub potestatem Principis, seu superioris, ordinabile ad bonum commune, sunt actiones humanæ subditorum: quæ, si conducant ad bonum commune, præcipiantur, seu prohibeantur: ergo istæ vere dicuntur materia legis.

II. Hinc sequitur, actus quarumcumque virtutum posse esse materiam legum humanarum. Etenim quodcumque referri potest ad bonum commune, potest esse materia istarum legum; sed actus quarumcumque virtutum possunt referri ad bonum commune; ergo possunt esse materia legum presertim humanarum: Quamvis non possunt lege humana præcipi nec omnes actus omnium virtutum collective, nec omnes actus singularum virtutum: Verbi gratia, non potest præcipi a legibus humanis abstinentia a matrimonio, ingressus in Religionem, frequens jejunium in pane, & aqua, magna eleemosynæ largitio de necessariis ad conservationem status, & similia; quia lex humana non potest præcipere res difficillimas, quæ proinde sunt moraliter impossibiles, eo quod non postulet id bonum commune; atqui tam actus omnium virtutum collective, quam actus præstantissimi aliquarum virtutum, ut ingressus in Religionem, sunt actiones difficillimæ: ergo a lege humana præcipi non possunt, ut ostendit Sal. disp. 9. §. 3. dub. 3. Qui pariter putat cum Suar. lib. 4 cap. 11. contra Bonac., nec posse prohiberi lege humana, & præsertim sub pœnis gravibus omnia omnino vitia; tum quia aliqua peccata sunt modica, & non multum perturbantia Rempublicam, ut mendacia jocosa, aut officiosa, verba scurrilia, &c. quæ velle punire esset moraliter impossibile; tum etiam quia aliqua peccata gravia permitti in Republica debent ad vitanda majora, ut meretrices, deceptiones in emptione, & venditione infra dimidium pretii justi, &c. quæ per solam divinam providentiam puniri debent.

III. Neque obstat, quod lege naturali omnia omnino vitia prohibeantur; ergo prohiberi etiam possunt lege humana. Nam disparitas est, tum quia lex naturalis respicit bonum singulorum, & ideo omnia vitia prohibet; lex vero humana respicit bonum Communitatis, ad quod non confert omnia prohibere; tum pariter, quia lex naturalis, (quod maxime advertendum) cum sit a Deo naturæ conditore, dat vires ad exequendum quicquid a Deo præcipitur; secus vero lex humana.

IV. Quæ-

IV. Quæritur nunc primo, An possit lex humana præcipere, vel prohibere actus de se indifferentes, videlicet nec bonos, nec malos ex genere suo?

Respondeo, communiter Doctores cum D. Th. quæst. 92. art. 2. id affirmare, si actiones indifferentes non considerentur secundum se, sed quatenus utiles esse possunt, aut noxiæ bono communi: Sic prohibetur, v. g., egredi domo noctu, gestare arma, ad malum Communitatis vitandum; Semper enim Legislator in lege ferenda respicere debet bonum honestum, ex quo actus de se indifferens recipit honestatem suam, & est materia legis. V. g., ingredi domum aliquam est actus indifferens; si tamen quis voveat, aut si Legislator vetet ingressum in aliquam domum, in qua facile reperitur occasio peccandi, aut rixandi, &c. talis omissio evadit honesta, & fit materia voti, ac legis. Immo aliquando potest prohiberi ipse actus virtutis, si hoc expediat bono communi, ut prohibentur aliquando jejunia frequentia, immoderatæ vigiliæ, &c. Quod si res aliqua indifferens nullatenus conferat ad bonum commune, certe non erit materia legis, sicut nec voti; unde non potest lege humana præcipi, aut prohiberi.

V. Ubi notandum, quod tam lex civilis, quam canonica in præcipiendo honestatem, & virtutem, respicere debeat bonum Communitatis; Lex tamen canonica primo, & per se respicit virtutem, & honestatem tamquam media, quibus homo dirigatur ad finem supernaturalem; Lex vero civilis eandem respicit, quatenus conducit ad rectam gubernationem, & pacem in populo conservandam, & ideo materia legis canonicæ est spiritualis, materia vero legis civilis est temporalis.

VI. Neque obstat, quod ab utraque lege prohibeantur, v. g. Usuræ, Perjuria, Incestus, Sodomiæ, Matrimonia clandestina, &c. Nam hæc prohibentur a lege canonica, quatenus impediunt a fine supernaturali sequendo; a lege vero civili, quatenus impediunt pacem, & rectam gubernationem, & sic hujus legis materia temporalis est. Neque dicas frustra hæc prohiberi lege canonica, & civili, cum prohibita præsupponantur lege naturali: Nam ideo prohibentur etiam lege humana, ut transgressores evadant specialiter subjecti ad pœnam temporalem; & sic ab his culpis retrahantur; cum magis retrahat aliquos a culpa timor pœnæ temporalis, quam æternæ.

VII. Quæritur secundo, An leges canonicæ, & civiles imperare possint actus internos?

Prima opinio Medin., Cordub., & aliorum apud Sal. disp. 9. sect. 1. affirmant; Primo, quia Pontifex cap. 1. de Hæreticis sub pœna excommunicationis præcipit Episcopis, & aliis Inquisitoribus fidei, ut officium Inquisitionis exequantur absque ullo odio, ira, timore, spe lucri, aut alio humano affectu. Secundo, in cap. *Dolentes*, *de Celebratione Missarum* præcipitur, ut officium studiose, idest attente, & devote recitetur. Tertio, potestate humana vota interna commutantur, dispensantur, & peccata interna reservantur. Quarto, Confessarius potest injungere orationem mentalem; sicut etiam ea præcipitur in multis Religionibus. Quinto a priori, quia Christus Dominus potuit communicare suo Vicario hanc potestatem, & de facto communicasse dicendum est, cum dixit: *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum*; *quodcumque ligaveris*, &c. Nam ex *leg. 3. ff. de officio Præsidis*, concessio Principis ample interpretanda est; & ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: Neque obstat, quod superior humanus non possit actus internos probare, aut punire, &c. Nam neque potest probare actus externos occultissimos, & tamen prohibet illos, & punit suis censuris, ut hæreticum externum occultissimum. Quamvis autem actus internus sit occultus per se, & actus externus sit occultus per accidens, parum id refert ad rem moralem; quia Ecclesia punit hæreticum externum occultum sine probatione, & cognitione delicti; ergo parum refert, quod secundum se peccatum externum occultum probari possit, & internus actus probari non possit.

Secunda tamen opinio communius negat posse per se, & directe lege humana præcipi, aut vetari actus mere internos. Quod tamen de lege civili videtur omnino certum; quia lex civilis solum potest præcipere, aut vetare actus, qui conservare possunt Rempublicam, aut perturbare, cujusmodi sunt soli actus externi; Sed nec legem canonicam posse versari circa actus mere internos, probatur primo, quia Ecclesia nunquam præcepit actus mere internos: ergo signum est, quod hanc potestatem non habuerit a Christo Domino communicatam. Immo ex Apost. 1. ad Cor. 14. videntur soli Deo reservari arcana cordium, cum dixerit; *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*. Secundo, quia Ecclesia non potest leges ferre de eo, de quo non potest ferre judicium, aut pœnas sumere, ut sunt actus interni. Tertio, quia Ecclesia visibilis non habet potestatem in nostras animas, nisi ut corpori conjunctas; ergo nec habet potestatem in actus mere internos, sed solum quatenus conjunguntur necessario cum externis, quos præcipere potest ad externam gubernationem. Hinc in cap. *Tua nos*, & cap. *Sicut tuas*, *de Simonia* dicitur: *Nobis datum est de manifestis tantum judicare*; Et cap. *Erubescent dist. 32.* dicitur: *Deus secretorum cognitor, & judex est*. His positis,

Dico primo cum D. Th. 1. 2. quæst. 91. art. 4., & aliis communius apud Pal. punct. 6., lege humana non posse præcipi actus mere internos directe, & per se, seu nullatenus conjunctos cum externis; quod probant rationes adductæ. (*a*)

(*a*) „ Strenue tamen pro opposita sententia „ pugnat P. Biner in *Appar. erudit. ad Jurispr.* „ *part.* 1. *c.* 1. *quæst. V. n.* 9. *seqq. quem vide.*

VIII. Dico secundo: Si actus interni sunt necessarii ad actus externos, quos potest lex humana præcipere, aut prohibere, possunt indirecte præcipi: Verbi gratia, quia ad vendendas merces est necessaria intentio vendendi, ad missam audiendam humano modo requiritur intentio id faciendi, ad contractus ineundos requiritur intentio contrahendi, & probabiliter voluntas se obligandi; ideo lex humana, tam civilis, quam canonica, sicut potest directe præcipere contractus, auditionem Missæ, &c. ita potest indirecte præcipere actum internum requisitum ad contractum, & ad Missæ auditionem: Sic quia ad ministrandum Sacramentum requiritur essentialiter intentio faciendi, quod facit Ecclesia, & ad orationem vocalem requiritur intentio, & attentio, quando ista præcipiuntur, indirecte etiam præcipitur actus internus, quatenus est forma actus exterioris, seu quatenus per se requisitus ad actum exteriorem intentum a Legislatore.

Quod possit sic præcipere actus internos lex civilis, & Ecclesiastica, probatur, quia tales actus exteriores pertinent ad bene conservandam Rempublicam, & ad cultum religiosum Deo debitum; Si tamen illi actibus internis essent destituti, obessent potius, quam prodessent Reipublicæ, & cultui Deo debito; Contractus enim ficti, & fraudulenti obsunt Reipublicæ; sicut etiam oratio ficta sine intentione, & attentione debita non confert ad cultum Deo exhibendum, nec Sacramentorum ministratio prodesset Reipublicæ Ecclesiasticæ sine intentione illa conferendi; ergo lex humana, ad quam spectat hos actus exteriores directe præcipere, poterit etiam indirecte præcipere, interiores per se requisitos ad illos.

Dico tertio: Si actus interior non est per se requisitus ad actum exteriorem physicum, aut moralem efficiendum, sed per accidens cum illo conjungitur, non potest a lege humana, ne Ecclesiastica quidem, (in præsenti providentia) præcipi. Ita Suar. lib. 4. cap. 12., & Pal. loc. citat. Ratio est, quia in tali casu directe præciperetur actus interior; quod ad rectam Ecclesiæ gubernationem nullatenus videtur pertinere. Unde fit; Ecclesiam nunquam præcipere, verbi gratia, quod in oratione fundenda, vel eleemosyna danda habeant homines hanc, vel illam intentionem, sed solum quod fundant orationem, quod dent eleemosynam, audiant missam, jejunent, &c. quocumque id fine faciant: Quod ex eo constat, quia siquis daret eleemosynam, aut missam audiret ob vanam gloriam, vel ob alium pravum finem, non peccaret contra legem Ecclesiasticam; ergo signum est, quod non habeat in præsenti providentia Ecclesia facultatem præcipiendi actus internos, qui per accidens conjunguntur actui externo præcepto.

IX. Ex dictis sequitur primo, quod dum Ecclesia, verbi gratia, præcipit orationem vocalem, puta officium, præcipit indirecte attentionem debitam, sine qua oratio consistere non potest; unde Ecclesia dicitur sub sua potestate habere indirecte actum hujusmodi internum necessario requisitum ad externum, quem præcipit; Et ideo qui officium recitat sine debita attentione, dicitur transgredi legem Ecclesiasticam, & esse reus pœnæ Ecclesiasticæ. Sic dum præcipit Ecclesia confessionem annuam, præcipit indirecte dolorem peccatorum, & confessionem omnium culparum internarum, quia non subsistit sine istis actibus confessio, prout instituta est a Christo Domino, quæ ab Ecclesia præcipitur.

Sequitur secundo, quod siquis habeat intentionem, verbi gratia, non audiendi Sacrum, hic vere peccet contra præceptum Ecclesiasticum de missa audienda; nam qui præcipit aliquid, præcipit etiam id quod necessarium est ad ponendum id, quod præcipitur; ergo Ecclesia præcipiens auditionem missæ præcipit intentionem illam audiendi, sine qua missa audiri non potest humano modo; ergo qui habet intentionem contrariam non audiendi missam, vere peccat contra præceptum Ecclesiæ. Quod si auditio missæ præcipiatur sub pœna excommunicationis, Ecclesia non intendit suis pœnis punire merum actum internum, seu meram intentionem non audiendi Sacrum, ut constat ex omnium sensu, sed ipsam omissionem externam auditionis Sacri: Quamvis posset ipsam intentionem non audiendi Sacrum punire pœnis suis, dummodo talis intentio exterius manifestetur; Sicut pœna excommunicationis punit hæreticum, qui signo externo prodit hæresim suam, verbi gratia, qui ore profert suam hæresim, quamvis a nemine posset audiri; Quod si actus internus prohibitus non manifestetur signo externo, non posset puniri pœnis Ecclesiasticis; quia actus mere internus non cadit, ut diximus, directe sub potestatem, & judicium humanum.

X. Respondeo nunc ad rationes in contrarium adductas. Ad primam dico, quod dum puniuntur pœna excommunicationis Inquisitores, qui ex odio, vel amore suum munus exequuntur, punitur actus externus, qui supponitur malus, sub conditione tamen, quod procedat ex odio; Sicuti si excommunicent delinquen-

quentes scienter, puniuntur delinquentes sub conditione, quod scienter deliquerint. Ita Pal. Quod si actus externus non esset de se malus, sed Inquisitores recte se gererent, quamvis ex odio; tunc responderi potest cum Vasq., & Sal. disp. 9. sect. 1. num. 8., quod non puniantur hi affectus interni, nisi peculiari signo aliquo externo cognosci possint; quod si odium, amor, spes lucri, &c. essent omnino occulti, nec signo externo ullatenus cognoscibiles, excommunicatio ab Inquisitoribus non contraheretur. Idem dicitur de excommunicatione lata in *Clement.* 1. *de statu Monachorum* contra Benedictinos, qui se transferunt ad Curiam Regis sine licentia Superioris, animo illum accusandi; nisi enim hic animus manifestetur, non contrahitur excommunicatio ab eunte sine licentia ad Curiam Regis: Vel juxta sententiam Palai, hic animus accusandi mere internus est conditio requisita, ut contrahatur excommunicatio ab eunte sine licentia ad Curiam Regis; Et juxta hanc sententiam, ut contrahatur excommunicatio, non satis est, quod actus internus sit malus, eo quod sit mera conditio ad excommunicationem contrahendam, sed debet esse malus ipse actus externus, ut est in casu nostro adire Curiam Regis sine licentia superioris. Quando vero Ecclesia in recipientibus beneficium Curatum requirit intentionem recipiendi intra annum Sacerdotium, ita ut aliter non possint beneficia retinere, nec faciant fructus suos; in tali casu non fert legem Ecclesia de actu interno, sed solum requirit illam intentionem, & conditionem ad conferendum beneficium: Sicut ad largiendas indulgentias requirit tanquam conditionem, quod oretur pro dilatatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, pro pace, & concordia inter Principes catholicos; cum enim Ecclesia sit administratrix beneficiorum, & dispensatrix Indulgentiarum, poterit nolle ea largiri, nisi sub conditione actus interni,

Ad secundam, recitantibus officium precipitur attentio, & intentio indirecte, ut diximus, quippe quæ est per se requisita ad officium præceptum; directe vero solum præcipitur externa attentio, & devotio, quæ consistit in hoc, quod homo, dum officium recitat, non ponat actionem aliquam incompossibilem cum attentione interna, (verbi gratia, non legat aliud, aut scribat, &c.) & sit cum decenti corporis compositione, quam devoti habere solent.

Ad tertiam, Confessarius absolvit peccata mere interna, dummodo ea pœnitens confiteatur, quia hanc jurisdictionem Christus Dominus communicavit in bonum fidelium; Potest etiam Pontifex reservare peccata mere interna; (quamvis id non soleat fieri) quia cum habuerit a Christo Domino facultatem absolvendi ab omnibus omnino peccatis, poterit communicare jurisdictionem hanc aliis limitatam, ita scilicet ut non absolvant ab aliquibus peccatis mere internis; Sicut potest reservare sibi aliquod peccatum internum, verbi gratia, hæresim, &c. Et ratio a priori est, quia expedit in bonum fidelium, quod habeat Pontifex potestatem absolvendi peccata etiam interna, & communicandi hanc jurisdictionem aliis cum limitatione; At non expedit, quod possit præcipere, aut prohibere actus mere internos, quos probare, & punire non potest; & ideo non est asserendum, quod talis potestas sit Ecclesiæ a Christo Domino communicata. Eodem modo potest Pontifex dispensare, irritare, commutare vota, & juramenta mere interna; quia hoc expedit ad bonum fidelium; & ideo dicendum, hanc potestatem esse a Deo illi communicatam. Aliqui docent, quod non possint vota mere interna dispensari, nisi exterius manifestentur; sicut peccata interna non absolvuntur, nisi manifestentur confessario; Sed hoc negat Vasq. disp. 160. cap. 4. num. 17.; Potest enim Pontifex, & superior absolute dicere: Si hoc votum emisisti, ego tecum dispenso, vel irrito, vel commuto.

XI. Neque dicas: Si Ecclesia potest tollere obligationem voti interni, & veluti solvere voti reum, quidni poterit aliquem pro peccato mere interno excommunicare, & suo modo ligare? Ecclesia enim sicut habet potestatem solvendi, ita habet etiam ligandi. Respondeo, disparitatem esse, quia dispensatio in votis non est absolutio, nec actus judicialis; absolutio enim est juxta jus, seu exigitur a jure positis requisitis, & ideo est actus judicialis, dispensatio vero est contra jus, & vulnus legis, seu juris, & ideo non est actus judicialis. Quare ex eo, quod propter bonum fidelium possit Ecclesia dispensare in votis internis, non sequitur, quod possit ullum actum judicialem exercere circa actus internos; & consequenter non sequitur, quod possit ferre leges, aut punire, seu ligare excommunicatione peccata mere interna. Sed disparitas ulterior est, quia expedit ad bonum fidelium, ut possit & vota interna tollere, & exercere actum judicialem absolvendo a peccatis mere internis; non tamen ut possit ligare, seu punire aliquem excommunicatione, aut aliis suis pœnis propter peccata mere interna; unde illa, non hæc potestas est Ecclesiæ communicata, quamvis peccata mere interna possit ligare, seu retinere, non absolvendo hic, & nunc ab illis.

XII. Ad quartam, multi apud Sal. docent, non posse confessarium in pœnitentiam injungere orationem mentalem, aut alium actum internum; quia satisfactio est pars integralis Sacramenti, quod est essentialiter signum sensibile, & ideo satisfactio debet esse actus externus sensibilis. Sed hanc opinionem Salas refellit, docens,

quod in foro interno Sacramentali, in quo reus est accusator sui, potest imponi pœna mere interna; quia hoc expedit ad salutem animæ; Neque enim omnes partes constituentes Sacramentum debent esse sensibiles: Ad eum modum, quo contritio interna constituit Sacramentum, & satis est, quod fiat sensibilis per confessionem; ita satisfactio potest esse actus internus, qui evadat sensibilis per acceptationem sensibilem pœnitentiæ impositæ a confessario: Cæterum Prælatus Religionis ratione voti obedientiæ emissi a subditis non potest præcipere orationem mentalem, nec imponere pœnitentiam pro ejus omissione confessa a subdito; Nam, ut loquitur D. Th. 2. 2. quæst. 104. art. 5., homo quoad actus internos soli Deo subditur; Solum potest Prælatus præcipere, ne tempore orationis mentalis, ponantur actus externi impeditivi orationis mentalis, cum hoc tantum requiratur ad gubernationem externam. Non negaverim tamen, quod docet Sal. num. 31., quod sicut potest quis vovere absolute orationem mentalem, ita possit vovere illam, si Prælatus injunxerit; in quo casu posset Prælatus illam injungere; & hic teneretur vi voti obedientiæ sic emissi ad orationem mentalem: Sed non est præsumendum, quod de facto sic emittatur a Religiosis votum obedientiæ, nisi regula alicujus Religionis præcipiat actus internos, puta orationem mentalem, aut significet posse Prælatos injungere subditis actus internos; tunc enim votum obedientiæ videtur emissum sub ea conditione, quod Prælatus possit ad tales actus obligare; & in tali casu posset Superior actus mere internos injungere ex voluntate ipsius voventis, qui voluit sic vovere, non ex potestate sibi facta a Christo Domino immediate.

XIII. Ad quintam, satis diximus non esse præsumendum, quod talis potestas præcipiendi actus mere internos de facto concessa sit Ecclesiæ a Christo Domino pro foro externo, propter rationes adductas. Quando enim Christus Dominus dixit Petro, *Pasce oves meas; Tibi dabo claves*, &c.; dedit ei facultatem pascendi, & gubernandi tam pro foro interno, & Sacramentali, quam pro externo, sed ita ut leges ferat juxta naturam, & conditionem cujuscumque fori; ergo cum ad forum externum non pertineat, quod præcipi possint actus interni, ideo solum in foro Sacramentali habetur talis potestas remittendi, vel retinendi peccata mere interna: non vero pro foro externo, puniendi scilicet illa, verbi gratia, censuris, quippe quæ ferri non possunt, nisi ab eo, qui jurisdictionem habet pro foro externo.

Ad id, quod additur, respondetur, posse quidem puniri ab Ecclesia suis censuris hæresim, verbi gratia, externam occultissimam, non vero hæresim mere internam. Ratio est, quia hæc est occulta per se, & nullo modo cognoscibilis a Superiore humano, illa vero est per accidens occulta, & ab homine secundum se cognoscibilis; Multum autem refert in re morali, utrum aliquid sit per accidens, an per se occultum; Expediens enim fuit, ut possit puniri, quod per accidens est occultum, non vero quod est occultum per se; quia illud secundum se est cognoscibile ab homine, & secundum se potest Rempublicam perturbare, non vero istud.

ARTICULUS II.

Quisnam possit condere leges civiles?

I. Reges ab ipsa Communitate potestatem habent ferendi leges civiles.

II. In quibus differat potestas dominativa a potestate Jurisdictionis, & Politica requisita ad leges ferendas.

III. Probabilius nequit Pontifex leges civiles ferre obligantes totum orbem.

IV. Potestatem in temporalia omnia solum habet Pontifex indirectam, disponendo de illis, quando id expedit ad animarum salutem.

V. Nec Imperator potest totum orbem obligare legibus suis.

VI. Reges ferre possunt leges juxta concessionem ipsis factam a Communitate; Et Proreges juxta concessionem factam a Regibus.

VII. Ad Reginam spectat leges ferre, si jure successionis Regnum possideat; quamvis alteri matrimonio jungatur.

I. CErtum est dari in hominibus potestatem ferendi leges civiles, videlicet de se ordinatas ad conservandam pacem in Republica humana; sicut leges Ecclesiasticæ ordinantur de se in bonum animarum. Ratio est, quia sine legibus communitas hominum gubernari non posset. Hanc tamen potestatem nemo habet a natura, quia natura homines fecit liberos; quare potestas condendi leges est in ipsa communitate hominum: Quia tamen homines consueverunt rectius gubernari ab uno, quam ab aliquibus, vel ab omnibus; (quandoquidem si omnes gubernarent, magna esset confusio) ideo communitas transtulit potestatem condendi leges, & gubernandi in unum, aut in aliquos determinatos, puta in Regem, Imperatorem, aut in Senatores, aut alios Principes supremos, a quibus possit commode gubernari. Unde fit, Regem habere suam potestatem immediate ab ipsa Republica, ut deciditur in *leg. 1. ff. de constitutionibus Principum*. Neque hinc sequitur, quod Respublica sit superior Rege, aut quod possit Regem spoliare hac potestate. Nam sicut qui se tradit, aut vendit alteri in servum, & qui

& qui donat alteri rem aliquam, non potest amplius illum spoliare tali dominio; ita communitas, quæ tradidit Regi jus Jurisdictionis erga se ipsam, semper erit subdita, nec potest amplius spoliare Regem sua jurisdictione.

II. Ex quo fit, quod pater non dicatur habere potestatem ferendi leges filiis; quia pater habet ab ipsa natura potestatem dominativam, & œconomicam erga filios, non vero potestatem jurisdictionis publicam, & politicam, prout requiritur ad leges ferendas. Potestas autem dominativa differt a potestate jurisdictionis, primo ex fine, eo quod illa in præcipiendo possit respicere bonum privatum, hæc vero respicere debeat bonum communitatis; Secundo ex objecto, quia illa potest cadere in personas privatas, & in Communitatem aliquam imperfectam, puta in familiam, vel in aliquos, qui se vendunt alteri in servos; hæc vero respicit Communitatem perfectam: Tertio ex origine, quia potestas dominativa vel acquiritur naturali origine, ut potestas patris erga filios, quibus potest præcepta imponere, prout expediunt ad bonum regimen domus, unde dicitur œconomica; Vel acquiritur per contractum, ut potestas viri erga uxorem, & potestas domini erga servum sibi venditum: &c. Potestas vero jurisdictionis acquiritur, vel per hoc, quod aliquis a Communitate perfecta eligatur in Superiorem, vel per hoc, quod a Deo, aut ab habente a Deo, vel a Communitate hanc potestatem in Superiorem alicujus Communitatis constituatur. Demum differt in modo cogendi subditos; quia potestas dominativa non potest subitos punire pœna sanguinis, sicut potestas jurisdictionis; Solum enim potest moderatum supplicium servis infligi. Quod autem attinet ad Judices, licet habeant publicam potestatem, & jus jurisdictionis, non possunt tamen leges ferre; quia a Rege habent jus jurisdictionis limitatum, videlicet ut possint præcepta ferre tantum in causis decidendis.

III. Quæritur nunc primo, An possit Pontifex ferre leges civiles obligantes totum Orbem?

Respondeo, aliquos cum Ostiens., Navar., Panormit. apud Sal. disp. 7. sect. 4. concedere, quia Pontifex est Vicarius summi, & veri Regis Christi Domini; unde potest directe condere leges civiles obligantes totum Orbem, non secus ac Christus Dominus, cujus vices in terris gerit: Et potest etiam donare Regna Infidelium, quibus maluerit, ut fecit Alex. VI., qui Regnum Indiarum Occidentalium anno 1493. divisit inter Reges Hispaniæ, & Lusitaniæ. Quod consonat verbis Christi Domini dicentis: *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in Terra.* Si ergo Christus Dominus est Rex Regum, (etiam in temporalibus, & inquantum homo) erit pariter cum eadem potestate ejus Vicarius: Et pro hac sententia septendecim argumenta adducit Navar. apud Sal. Sed communiter Doctores docent, Pontificem non habere jurisdictionem temporalem in totum Orbem, nec posse leges civiles imponere, nisi terris, quarum est dominus temporalis ex donatione Imperatorum, & Principum: Posse tamen leges civiles in Regnis Christianorum ferre, quando id visum fuerit expediens ad cultum Dei, & ad salutem animarum; Quam potestatem aliqui vocant indirectam erga temporalia, aliqui vocant spiritualem; sed utroque nomine appellari potest, quia ratione materiæ est temporalis, & ratione finis est spiritualis.

Probatur autem, quod Pontifex non habeat jurisdictionem directam in temporalia pro toto Orbe. Apost. enim 1. ad Cor. 5. dicit, *Quid mihi de his, qui foris sunt, judicare?* Unde nullam habet potestatem erga infideles; Nec circa Regna Christianorum habet potestatem directam in temporalia; aliter Reges non essent supremi domini in temporalibus, & deberent Superiorem cognoscere; quod est contra usum, & sensum Ecclesiæ, ut ostendit Bellarm. Præterea Pontifex non esset caput solius Ecclesiæ, sed Orbis; non haberet claves solum Regni Cœlorum, sed etiam Regnorum Terræ; cum tamen Christus Dominus solum illi contulerit claves Regni Cœlorum. Unde sequitur, quod non possit politicas leges imponere nec Regnis Infidelium, nec Regnis Christianorum. Et ratio a priori est: quia non fuit expediens ad fidei propagationem, quod Pontifex haberet dominium directum erga temporalia; Difficulter enim ad fidem veniret Rex, qui sciret Pontificem posse ad arbitrium spoliare illum suo Regno: Quare sicut de Christo Domino dicitur, *Non eripit mortalia, qui Regna dat cœlestia*; ita debuit idem dici de ejus Vicario.

Ad rationes in contrarium respondetur, Christi Vicarium habere duntaxat potestatem sibi traditam a Christo Domino, videlicet solum claves Regni Cœlorum. Circa divisionem Indiæ occidentalis factam inter Reges Hispaniæ, & Lusitaniæ respondent aliqui, id fecisse Pontificem juxta opinionem contrariam, quæ etiam est probabilis. Alii cum Bannez respondent, Pontificem voluisse, ut si Indi converterentur, essent Reges; & haberent erga subditos potestatem Imperatoriam: non quod voluerit eos privare Regnis suis, etiamsi non essent injurii Religioni Catholicæ, sed quod voluerit eo mitti Concionatores, & Prædicatores fidei, qui, si non admitterentur, possent compelli, privando eos Regnis suis; quod facere potest ex potestate indirecta erga temporalia, quatenus scilicet ejus usus conducat ad propagationem fidei, & ad salutem animarum.

IV. Quod

IV. Quod vero hujusmodi potestatem indirectam habeat Pontifex in Regna temporalia, ex eo probatur, quia sine hac potestate non esset bene provisum Ecclesię, cum sæpe opus sit de temporalibus in ordine ad spiritualia statuere. Unde Innoc. III. cap. *Solitæ*, *de majoritate*, *& obedientia* dicit, Papæ aptari, quod uni ex Sacerdotibus veteris legis dicitur: *Ego constitui te hodie super Gentes*, *& Regna*, *ut evellas*, *& destruas*, *& ædifices*, *& plantes.* Et Bonifac. VIII. in Extravag. *Unam Sanctam*, ait: *Oportet gladium esse sub gladio*, *& auctoritatem temporalem spirituali subjici potestati.* Sicut enim corpus subditur animæ, & temporale spirituali; ita potestas in temporalia subdi debet potestati, quam habet Pontifex erga spiritualia; quod est habere indirectam potestatem in temporalia, & posse leges civiles ferre, quando id expedit in salutem animarum. Et ideo in *cap. final. de Præscriptionibus* Pontifex abrogavit legem civilem permittentem præscriptionem cum mala fide; quia talis lex fovebat fraudes, & latrocinia: Et in *cap. Cum haberet*, *De eo*, *qui duxit in matrimonium*, abrogavit etiam legem civilem, quæ negabat filiis illegitimis alimenta; quia talis lex adversatur pietati naturali. Potest pariter Pontifex leges civiles ferre spectantes ad bonum regimen, quando Reges sunt negligentes in iis ferendis, ac proinde peccata grassantur in Republica; hoc enim non est habere directam jurisdictionem temporalem in subditos Regios, & Imperiales, sed solum habere indirectam temporalem, seu potestatem spiritualem spectantem illorum conscientias, ratione cujus providere, & statuere poterit quicquid expediens, ac necessarium ad eorum salutem judicaverit.

V. Quęritur sęcundo, An possit Imperator legitime ferre leges civiles obligantes totum Orbem?

Respondeo, aliquos apud Sal. disp. 7. sect. 8. affirmare quandoquidem Lucæ 2. habetur, *Exiit edictum a Cęsare Augusto*, *ut describeretur universus Orbis.* Sed communiter id negant; quia talis jurisdictio nec competit ei jure naturæ, nec jure Gentium, nec ex concessione Dei, aut Papæ, cum Papa nec ipse habeat, nec possit illam aliis concedere; nec illam habet jure bellicum Romanorum Imperator nunquam Scythas, Persas, Indos habuerit subjectos; unde non solum non habet in ea Regna jus proprietatis, quod etiam Adversarii concedunt; sed nec jus jurisdictionis. Quando autem dicitur exiisse edictum a Cæsare, ut describeretur universus Orbis, illud dicitur per hyperbolem, & exaggerationem; quia Imperium tunc in magnam Orbis partem dominabatur. Quare de facto Lusitani, Galli, Poloni, Angli, &c. nullatenus subditi sunt Imperatori, & hujus leges solum obtinent locum in Regnis, Ducatibus, Marchionatibus, Comitatibus, & Baronatibus Imperio subditis, quales sunt Ducatus, & Marchionatus in Germania, & aliqui in Italia, qui recognoscunt Imperatoris dominium vel jure feudi, vel alia ratione. Et quamvis hujusmodi Duces, & Marchiones monetam cudere possint, & leges ferre pro suis statibus, id tamen habent Imperatoris auctoritate; Unde ubi leges proprias non habent, legibus Imperatoriis uti debent. An autem leges propriæ possint derogare Imperatoriis? constare debet, ut docet. Suar., ex concessione iis data ab eodem Cęsare, & ex consuetudine locorum.

Ostendit etiam Vasq. disp. 113. cap. 2. contra Pal. punct. 22., & Gomez, quod Lusitani, Galli, & Hispani nullatenus obligentur legibus Imperialibus, etiam in iis rebus, de quibus nihil leges Regni statuerunt; Sed aliquando leges Imperatorum allegantur, non ut leges obligantes, sed ut dictamina rationi conformia, ut revera sunt, & naturam contractuum explicantia; Sicut etiam iisdem eodem modo utuntur Ecclesiastici, ex Panormit.: Unde leges Imperatoriæ irritantes contractum, aut testamentum sine certis conditionibus factum, non sunt servandæ in iis locis; quia non est consuetudo, ut pro legibus habeantur; ut ipse etiam Pal. admittit ex Suar. lib. 3. cap. 8. Nec verum est, quod docent multi Juristę apud Sal. sect. 10., quod in Hispania, deficiente jure Hispano, lites decidendę sint juxta jus Canonicum, cum nullibi id sancitum sit. In Provinciis tamen temporaliter subjectis Pontifici sancitum est in *cap.* 1. *de novi operis nunciat.*; quod deficientibus legibus Pontificiis, serventur Imperatoriæ; Quod etiam servandum est pro tota Ecclesia in causis spiritualibus decidendis; Et idem sancitum est in Lusitania.

Notandum hic, nos locutos esse de Imperatore legitime electo; aliter caret potestate legislativa, non secus ac Rex Tyrannus, qui per vim, & injustitiam Regnum occuparet. Si tamen successu temporis populus talem principatum admitteret, tunc, ut notat Suar. l. 3. c. 3., Sal. disp. 7. sect. 12., & Pal. loc. cit. contra Sot., haberet ex populi consensu legislativam potestatem; Immo dum Tyrannum hunc a se expellere non potest, eo ipso populus tacite concedit illi potestatem legislativam ad vitandum majus malum, quia scilicet majus malum est populum carere omni gubernatione, quam permittere, ut gubernetur a Tyranno, quem expellere non potest.

VI. Quæritur tertio de Rege, & Regina, & aliis Principibus, Rebuspublicis, & Communitatibus, quas leges ferre possint?

Respondeo, Reges, & omnes Principes supremos non agnoscentes Superiorem in temporalibus,

bus, sicut etiam Respublicas independentes, ut sunt Veneta, Genuensis, & similes, posse pro suis ditionibus leges ferre: Qui vero Superiorem agnoscunt, examinare debent ex privilegiis, & consuetudine, quomodo sit iis concessa potestas gubernandi? num ita ut ferre possint leges proprias, etiam legibus communibus contrarias, an non? Et pro modo concessionis possunt uti potestate concessa: Et idem dices de Proregibus, & aliis, quibus facultas ferendi leges est delegata. In Hispania Principes nullatenus possunt ferre leges, ex *leg.12.tit.1.part.2.* Et in Regno Aragonię ne ipse quidem Rex potest leges ferre independenter a Regno; quia sub hac conditione illud se tradidit Regi gubernandum.

Demum Civitates subditę possunt ex concessione Principis Supremi leges sibi ferre, quæ municipales dicuntur; At in Hispania, ut notat Vasq., manifeste statuitur, ut hujusmodi ordinationes sine consensu Regis nullam vim habeant. Possunt tamen facere quasdam conventiones, & pacta non perpetua; Sicut potest paterfamilias pro sua domo ex D. Th. 1. 2. quæst. 90. art. 3.

VII. Circa Reginam, ad quam jure successionis Regnum spectat, si non sit matrimonio juncta, certum est, quod possit leges condere, sicut quilibet Rex; quia eandem habet potestatem: Neque obstat, quod Apost. 1. ad Timoth. 2. dicat, *Docere mulieri non permitto, nec dominari in virum*. Nam quamvis indecorum sit, quod fœmina doceat, non tamen quod regnet, & leges ferat ex consilio prudentum; cum non debeat ipse Gubernator omnia scire.

Neque obstat secundo, quod in *lege Fęminas ff de Regul. juris* dicatur, fœminas ab omnibus officiis publicis remotas esse. Nam non intelligitur de fœminis, a quibus ipsa officia communia dependent. Si tamen Regina matrimonio alteri jungatur, communiter docent, quod ipsa debeat leges ferre, non maritus; quia retinet jus, & dominum Regni, quod alteri transferri non potest, nisi de consensu ipsius Regni: Nec ratione matrimonii Regnum transfertur in maritum, nam sic mortua Regina sine liberis, maritus remaneret Rex dominus Regni, quod est falsum.

Dices, Ratione matrimonii transferri in maritum administrationem Regni, non proprietatem; ut dicitur de dote. Sed contra, quia hoc ipsum sine populi consensu transferri non potest: Idcirco autem administratio dotis transfertur in maritum, ut possit hic onera Matrimoni sustinere; Quod non militat in Regno, quod nec dari potest in dotem. Est quidem vir caput uxoris, & hæc illi subdita, sed in iis, quæ pertinent ad domus, & familię, gubernationem, & educationem filiorum; & relate ad hęc Apostolus non permittit mulieri dominari in virum: At in administratione politica maritus est subditus uxori, si huic competat jus, & dominium Regni.

Dices, Ex *leg. 9. titul. 1. part. 2.* Dominium Regni acquiri a marito ratione matrimonii. Sed hoc, ut diximus, est aperte falsum. Quare Gregor. Lopez notat, quod in hac lege habeatur limitatio, & declaratio, quando scilicet ratione matrimonii Regina tribuit marito nomen Regis, & honores Regni. Atque hæc de legibus civilibus; gradum nunc facimus ad leges Ecclesiasticas.

ARTICULUS III.

Quinam possit condere Leges Ecclesiasticas.

I. *Pontificem posse suis legibus Ecclesiasticis totum orbem obligare independenter a Conciliis Oecumenicis constat ex iisdem Conciliis, & ex ipsis Conventibus Galliæ Generalibus usque ad præsens sæculum.*
II. *Cardinalium, & Theologorum consensus est conveniens, sed non necessarius, ut possit Pontifex aliquid statuere tanquam Christi Vicarius.*
III. *Episcopi verius immediate a Pontifice, mediate a Christo Domino potestatem habent ferendi leges pro suis Diœcesibus.*
IV. *Nequit Episcopus pro sua Urbe quicquid potest Papa pro toto Orbe.*
V. *Non requiritur consensus Cleri, ut Episcopus legem ferat. Solum pro festis statuendis requiritur Cleri, & Populi consensus.*
VI. *Quid possint Archiepiscopi relate ad totam Provinciam? Quid Concilia Nationalia, Provincialia, & Diœcesana?*
VII. *Non habent vim legis decreta Conciliorum, quę in Gratiano reperiuntur, nisi a Pontifice sint approbata.*
VIII. *Num habeant vim legis decreta Congregationum Cardinalium?*
IX. *Capitulum Sede vacante probabilius potest leges condere, ut poterat Episcopus.*
X. *Quousque se extendat potestas Legislativa in Prælatis Regularibus, & in Abbatissa?*

I. Diximus, leges Ecclesiasticas de se ordinari ad bonum animarum; leges vero civiles ordinari de se ad conservandam pacem in Republica humana.

Quęritur tunc primo, An possit Pontifex ferre leges Ecclesiasticas, seu Canonicas independenter a Conciliis, & a consensu Cardinalium?

Respondeo, Pontificem habere a Christo Domino hanc potestatem; quando enim dedit Petro Claves Regni Cęlorum, dedit ei, & ejus successoribus principatum in Ecclesia, & potestatem legislativam in ordine ad finem spiritualem, & ad

ad Regnum Cœlorum acquirendum. Hinc non pendet ista auctoritas a Conciliis, & a Cardinalibus; Christus enim dixit Petro, *Tibi dabo Claves*, &c. Immo communiter docent cum Bellar. 2. de Concil. cap. 14. Molin., Sal. disput. 8. artic. 25., & 70. contra Parisienses, Pontificem esse supra Concilia; ut proinde damnata sit ab Alex. VIII. propositio 29. dicens: *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium œcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate*. Quod ex eo patet, quia in legibus Concilii potest Papa dispensare, potestque illas abrogare: ergo Papa superior est Concilio, & sic expedit gubernationi Ecclesiæ; cum non possint Concilia, nisi post longum tempus, & multas expensas convocari. Adde, definitum esse ex Cajet. in Conc. Lateran. 3. sub Leone X., Papam esse supra Concilium; Sed quia Episcopi Galli in eo non interfuere propter bella, ideo non admiserunt illud Concilium, & appellarunt ad futurum, proinde toleratur opinio contraria, quamvis reputetur scandalosa.

Equidem in Præfatione editionis tertiæ Trutinæ meæ Antiquesnellianæ ostendi, auctoritatem Pontificis supra Concilium Oecumenicum ejusque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitatem ab ipsis Oecumenicis passim fuisse agnitam ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio; Et ab ipsis Conventibus Generalibus Galliæ usque ad præsens sæculum fuisse assertam. Quod etiam Eminentissimus de Noailles anno 1711. datis literis ad Clementem XI. testatus est.

Nonnulli Doctores tribuunt Conciliis facultatem condendi leges obligantes Ecclesiam, dependenter tamen a Pontifice, a quo Concilia etiam convocari debent, ut sint legitima. Sed communius, & probabilius docent apud Sal. l. cit., ipsa Concilia legitime convocata non habere hanc potestatem obligandi Ecclesiam per leges suas, nisi leges a Pontifice confirmentur. Dicit enim D. Th. opusc. 9. cap. 4. *Sancti Patres in Conciliis congregati nihil possunt statuere, nisi interveniente auctoritate Summi Pontificis*.

II. Neque pendet Pontifex in legibus ferendis a consilio Cardinalium, ut Communiter Doctores docent contra Andream Siculum Cardinalem, & alios apud Pal.. Potest enim leges ferre etiam ipsis repugnantibus, cum eandem habeat potestatem, ac D. Petrus, qui independenter ab Apostolis poterat leges ferre; Nullibi enim talis dependentia ab Apostolis reperitur: & in *cap. Cuncta 9. q. 3.* habetur, *Apostolica Sedes sine ulla synodo præcedente solvendi, & damnandi habet potestatem*. Verum quidem est, quod non soleat ferre leges graves sine Cardinalium, & Theologorum consensu. Sed hoc non facit ex necessitate, facit ex convenientia, & ut prudenter operetur: Consuetudo autem ista (præterquamquod nulla est, cum sæpe sine consilio Cardinalium Papa ferat leges) non potest limitare, & restringere potestatem Pontificis, quæ est de jure divino; quia consuetudo solam legem humanam potest abrogare, non divinam. Deficiente vero Pontifice, potest Collegium Cardinalium, vel Concilium ea statuere, quæ recte gubernationi Ecclesiæ pro illo tempore consona visa fuerint; cum hoc illis naturali jure conveniat, ne Ecclesia omni remedio sit destituta. Non possunt tamen leges ferre perpetuo duraturas, cum nusquam reperiatur concessa illis talis facultas.

III. Quæritur secundo, An Episcopi possint pro sua Diœcesi leges condere independenter a Pontifice?

Respondeo, duplicem esse oppositam sententiam apud Sal. sect. 4. Prima tenet cum Vasq., Sot., & aliis, Episcopos immediate a Christo Domino habere potestatem ferendi leges pro Diœcesi illis assignata a Pontifice; quia Actor. 20. habetur, *Spritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*: Secunda vero probabilior cum Bellarm., Suar., & aliis Recentioribus docet, Episcopos immediate a Papa, & mediate a Christo Domino habere potestatem ferendi leges; unde mediis Apostolis Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Ratio hujus opinionis est, quia aliter non posset Papa Episcoporum auctoritatem coarctare, aut tollere; quod non expedit Ecclesiæ Hierarchiæ. Hinc fit, quod in rebus gravioribus, præsertim in definiendis articulis fidei, in canonizatione alicujus Sancti, non possint Episcopi leges ferre. Nam Innoc. III. in cap. *Majores de Baptismo* dicit, Majores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri sedem referendas esse. Possunt quidem Episcopi in aliquo casu dispensare in jure communi, seu in lege Pontificia, dum Pontifex non potest consuli; sed hinc non sequitur posse condere leges independenter a Papa contrarias juri communi; Et licet possint statuere aliquid contra id, quod Antecessor statuerat, quando illud non est confirmatum a Papa; non possunt tamen, si sit a Papa confirmatum; quia tunc illud censetur a Papa statutum.

IV. Neque dicas, quod *quicquid potest Papa pro tota Ecclesia potest Episcopus pro sua Diœcesi*. Nam quamvis aliqui absolute id asserant apud Suar. part. 3. tom. 4. disp. 55. sect. 2. existimantes Episcopis competere jurisdictionem jure divino; tamen id interpretandum est, quod possint Episcopi pro sua Diœcesi dependenter a Pontifice, quicquid potest Papa auctoritate accepta a Christo Domino; Communius tamen negant hoc axioma, ut ostendemus quæst. 7. artic. 2.

V. Du-

V. Dubium est, An Episcopi indigeant censensu Cleri, vel Capituli ad leges statuendas pro sua Diœcesi? Et communiter id negant; quia nullibi reperitur concessa illis potestas sive a Christo, sive a Papa cum tali dependentia. Solum ex *cap. ult. de Feriis* pro festis statuendis requiritur consensus Cleri, & Populi; & pro alienandis rebus Ecclesiæ consensus Capituli, ex *cap. Vestra, de Locationibus*.

Quod dictum est de Episcopis, dicitur etiam de Archiepiscopis, ac de Primatibus, seu Patriarchis pro sua Diœcesi; Qui tamen ex *cap. Nullus prima quæst. 9.* non possunt condere leges obligantes totam Provinciam, nisi in Provinciali Concilio, & de consensu Episcoporum Comprovincialium: Et in tempore visitationis possunt, ut notant Bonac., & Pal., præcepta imponere subditis Episcoporum suffraganeorum, non tamen leges perpetuo duraturas: Extra visitationem vero non possunt aliquem excommunicare, vel judicare, aut aliquid agere absque Episcopi Diœcesani consilio, vel judicio, excepto casu appellationis, juxta sententiam Barbosæ.

VI. Ex dictis infertur quid dicendum de Conciliis particularibus? Hæc dividuntur in Nationalia, Provincialia, & Diœcesana; Nationalia habentur cum interventu omnium Episcoporum, & Archiepiscoporum alicujus nationis sub uno Primate, seu Patriarcha; Provincialia cum interventu Episcoporum suffraganeorum sub uno Archiepiscopo; Et Diœcesana cum interventu Rectorum Ecclesiarum, Abbatum, & Priorum sub suo Episcopo; Hujusmodi autem Consilium dicitur Synodus Diœcesana. Porro omnia isthæc Concilia possunt pro suo Territorio leges ferre; quia si potest Prælatus sine suo Clero ferre leges, a fortiori potest cum suo Clero in iis Conciliis, ex *cap. Placuit* 12. *quæst.* 2. (*a*) Non possunt tamen Conciliorum particularium leges totam Ecclesiam obligare, nisi approbentur a Pontifice pro tota Ecclesia. (*b*)

„ (*a*) Vide Benedictum XIV. *de Syn.*
„ *diœces. Lib. XIII. cap.* 4.

„ (*b*) Qua de re consule Benedictum XIV.
„ *de Syn. diœces. Lib.* 13. *cap.* 3. *num.* 5.

VII. Notandum tamen, non satis esse, quod aliqua decreta Conciliorum Provincialium reperiantur in Gratiano, ut dicantur ea esse approbata a summo Pontifice pro tota Ecclesia; (quod etiam communiter dicitur de sententiis Sanctorum Patrum, quæ apud Gratian. reperiuntur, nec idcirco habent rationem legis) Ratio est, quia nullus Pontifex approbavit ea omnia, quæ in Decretis Gratiani reperiuntur, ut notat hic Bonac. n.37. Quare licet ea magnam auctoritatem habeant, quia Gratiano creditur, tanquam in arte perito; at potuit hic decipi in referendis auctoribus, & decretis; Unde consulenda sunt Originalia a Gratiano citata, ut videatur, an id habeat rationem legis a Pontificibus latæ.

VIII. Quæritur tertio, An Cardinales & Congregationes Cardinalium possint ferre leges?

Respondeo, Cardinales ex vi sui tituli, & dignitatis posse leges ferre obligantes Ecclesiam suam; non secus ac potest Episcopus, cum ibi habeant jurisdictionem. Et idem dicas de Prælatis exemptis, & Abbatibus habentibus Episcopalem, vel quasi Episcopalem jurisdictionem; (quatenus jure ordinario possunt excommunicare, suspendere, interdicere, & similia facere) nisi eis sit prohibitum, aut nisi ex consuetudine requiratur consensus Cleri, vel Capituli. Nam, ut notat Suar., hæc potestas legislativa est jurisdictionis, non consecrationis. Legatus Pontificis potest leges ferre, quæ suam Provinciam non solum tempore legationis, sed etiam eo finito obligent, donec a Pontifice, vel Legato successore revocentur, ex *cap. ult. de Officio Legati*.

An autem declarationes Congregationum Cardinalium habeant vim legis? Aliqui affirmant cum Rodriq. apud Merol. disp. 4. cap. 4. dub. 12.; quia fiunt auctoritate accepta a Papa: Sicut quando Generalis alicujus Religionis habet a Papa auctoritatem interpretandi dubia circa proprias constitutiones, talis interpretatio habet vim legis. Alii cum Sanch. lib. 8. disp. 2. apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 2. probabilius negant, quia non sunt promulgatæ; unde censentur interpretationes doctrinales, potius quam judiciales, & auctoritativæ. Quando autem consulto Summo Pontifice fiunt, & jubet Pontifex promulgari, & servari, censeo cum eodem Dian. part. 11. tract. 2. resol. 42. tunc habere vim legis.

IX. Quæritur quarto, An Capitulum, Sede vacante, possit condere leges totam Diœcesim obligantes?

Respondeo, aliquos apud Meroll. disp. 4. cap. 4. negare, quia solum ei conceditur administratio rerum temporalium pro tempore Sedis vacantis. Quare sicut Collegium Cardinalium non potest condere leges, Sede vacante, ita nec Capitulum: Et ideo nec potest leges Episcopi mortui abrogare, nec præbendas conferre, ex *cap. Ne Sede vacante*. Probabilius tamen Laym., Pal., Suar., Bonac. concedunt; quia ex Trident. sess. 24. cap. 16. ei competit administratio rerum spiritualium, quæ sine jurisdictione esse non potest; ergo illam jurisdictionem habet, quam habebat Episcopus, cum non sit ratio, cur debeat limitari; atque adeo habet potestatem legislativam. Adde, quod de facto omnia

omnia exercet, quæ sunt propria Episcopi, nisi sit ei specialiter prohibitum: V. g., dispensat in irregularitatibus, in denunciationibus Matrimonii, in interstitiis, in illegitimitate ad Ordines, & ad beneficium simplex, &c. Non potest tamen præbendas Episcopales conferre; quia id specialiter prohibetur in *cap. Cum olim*. Quare potest etiam leges novas condere, & leges Prædecessoris abrogare; cum id illi non prohibeatur.

Ad rationes in contrarium: Sicut Legatus Papæ habet jurisdictionem quousque est Legatus, & tamen potest leges condere, quæ etiam post legationem perseverent, quousque revocentur; ita Capitulum habet jurisdictionem solum pro tempore Sedis vacantis, & tamen potest leges condere, quæ obligent, quousque ab Episcopo successore revocentur. Nec est eadem ratio de Collegio Cardinalium Sede vacante; quia illi non solum non est concessa jure humano potestas legislativa, sed potius est denegata in Clementina *Ne Romani*, *de Election.*; jure autem divino solum Pontifici competit; ut diximus, potestas legislativa per totum Orbem.

Dubium est, an saltem Capitulum vivente Episcopo possit aliquas leges ferre absque consensu Episcopi, quæ obligent ipsos Legislatores?

Respondeo, plures negare; quia Episcopus est caput Capituli; Sine capite autem corpus non est integrum, nec potest se regere, & gubernare; & ideo expostulatur a Canonicis juramentum de servandis statutis Capituli, quia non obligantur ab iis tanquam a legibus, sed sunt solum quædam regulæ, & directiones. Communiter tamen docent, posse absque Episcopi consensu leges, & statuta fere obligantia ipsos Capitulares in iis, quæ pertinent ad rectam gubernationem Ecclesiæ. Ratio est, quia sine Episcopo in iis procedunt; ergo signum est, quod habeant ad id jurisdictionem, nam gubernatio sine vi coactiva, & præceptiva haberi rite non potest: Quamvis in rebus gravioribus, v. g., in abrogatione alicujus constitutionis, in alienatione, aut venditione alicujus fundi, necessarius sit consensus Episcopi, & aliquando etiam Pontificis, ex *cap. Cum accessisset*, *de Constitution.* Neque obstant rationes adductæ, quia in Capitulo habetur suum Caput immediatum, scilicet Decanus; Et juramentum exigitur, tum ut magis obligentur, tum ad tollendum, ne quis utatur opinione opposita, quæ suam habet probabilitatem.

Eandem doctrinam extendunt Sal., Panorm., Sylv. contra Suar., & Bonac. ad Collegiatas, Universitates, & Societates, ac Collegia, propter easdem rationes.

X. Quæritur demum, an Superiores Religiosorum, & Abbatissæ possint ferre leges?

Respondeo, certum esse, in unaquaque Religione dari a Pontifice facultatem, ut leges, & constitutiones condantur. Utrum autem talis potestas legislativa sit in solo Generali, vel Provincialibus; spectanda sunt jura cujuscumque Religionis. Pleræque habent solum facultatem ferendi leges in Capitulis generalibus pro tota Religione, & in Provincialibus pro tota Provincia, concurrente majori parte suffragiorum. Illud certum est, quod Prælati Religionum non possunt præcipere subditis suis, nisi quæ vel in Regula continentur, vel ad Regulæ observationem accommodata sunt; quia isti votum obedientiæ emiserunt relate ad regulam Religionis, quam amplexi sunt: Quare non possunt Superiores ad arctiorem regulam illos adstringere, nec pœnam novam injungere, si non expediat, ut ipsi, vel alii ad propriæ Regulæ observantiam excitentur: V. g., si Regula universim non obligat ad peccatum, non potest Superior velle, quod omnes Regulæ ad peccatum obligent. Notat tamen Sylvester, quod si aliquo modo aliquid conferat ad Regulam, possit præcipi; ut de facto præcepta fuit Monialibus Clausura in *cap. unico de Statu Regularium*, & a Trident. sess. 15. cap. 5. Etenim ad custodiam castitatis, quam professæ erant Moniales, expediens visum fuit superaddere obligationem clausuræ. Unde temeraria visa fuit nonnullorum opinio, putantium non potuisse Pontificem præcipere Monialibus clausuram, quam non erant professæ.

Abbatissis vero certum est concessam esse potestatem præcipiendi, non solum ex voto obedientiæ emisso a monialibus, sed etiam ex jurisdictione domestica dominativa simili illi, quam habet Materfamilias: Ea autem oritur ex eo, quod Moniales dant Abbatissæ hanc jurisdictionem in se ipsas, dum tradunt se illi, ut gubernentur, & puniantur, nisi obedientiam præstiterint: Potest enim quilibet alteri se subjicere, dando illi jus jurisdictionis in se ipsum, ut in bonum sui gubernetur; sicut potest alteri se in servum tradere, dando illi jus proprietatis, ut gubernetur in bonum Domini.

Dubium tamen est, An præter istam jurisdictionem domesticam habeant Abbatissæ etiam jurisdictionem Ecclesiasticam, seu spiritualem illis collatam a Pontifice, ita ut possint ferre non solum leges, quæ pertineant ad domus rectam gubernationem, & ad communem Monasterii pacem, sed etiam leges spirituales, sicut possunt Prælati Regulares? Nonnulli apud Sal. putant, Abbatissas habere etiam a Pontifice suam jurisdictionem; docent enim, fœminas non esse omnino incapaces jurisdictionis spiritualis, itaut iis delegari non possit a Pontifice potestas ferendi leges Ecclesiasticas. Quamvis enim Apost. 1. ad Corinth.

rinth. 14. dicat: *Mulieres in Ecclesia taceant, turpe enim est, mulieres loqui in Ecclesiis*; id tamen intelligendum, quod non debeant publice concionari, aut excommunicare, &c., non vero ferre leges, quas ex consilio Episcopi, & prudentium possent sapienter condere: Praesertim quia quamvis turpe sit eas concionari ex officio, non tamen ex speciali dispensatione Papae, quando debita scientia, & probitate sint praeditae. Nam D. Catharinae injunctum fuit a Pontifice non raro, ut apud ipsum Pontificem, & Cardinalium coetum concionaretur; ergo a fortiori leges ferre possunt, saltem ex speciali Papae delegatione.

Sed communior sententia docet, quod licet non sint de jure divino foeminae incapaces jurisdictionis spiritualis, unde possit Pontifex committere Abbatissae, ut leges spirituales imponat, & censuras ferat, quia Pontifex potest in jure communi dispensare; de facto tamen, jure saltem Ecclesiastico, sint incapaces jurisdictionis spiritualis, ut constat tum ex cap. *Nova, de Poenit., & Remiss.*, tum ex Ecclesiae usu; non enim decuit sexui foemineo, ut plurimum prudentia destituto, hanc potestatem ex Ecclesia communicari, cum satis sit, quod possit praecipere, & corripere, quantum conveniens est ad paternum, & domesticum regimen.

Hinc infertur primo, posse Abbatissam imponere praecepta solum temporalia, seu ordinata ad bonum temporale, & tranquillam domus gubernationem; v. g., ne Moniales literas recipiant, ne cum externis loquantur, ne ad hortum descendant, ita ut horum praeceptorum transgressio sit mortalis, si ea plurimum ad communem pacem, & bonum exemplum conducant; sit vero venialis, si parum ad id conducant; Sicut Materfamilias potest similia praecepta imponere; quamvis in Religione Abbatissae habeant majorem vim obligandi; At non habet Abbatissa potestatem imponendi praecepta spiritualia, hoc est ordinata ad finem spiritualem, seu ad progressum in virtutibus, & ad perfectam Regulae observantiam.

Infertur secundo, non posse Abbatissam praecipere in virtute Sanctae Obedientiae, vel Spiritus Sancti; & si ita praecipiat, significare vult, quod praecipiat tota auctoritate, qua pollet, non secus ac Materfamilias. Unde fit, quod materia, quae est gravis relate ad praeceptum Praelati praecipientis in virtute Sanctae Obedientiae, (ut omissio, v. g., unius Missae, jejunii, &c.) non semper sit gravis relate ad praeceptum Abbatissae; quia finis Praelati est spiritualis profectus, ad quem valde conducit una missa, &c., finis Abbatissae est bonum regimen domus, ad quod non multum nocet, si uno die omittatur auditio Sacri.

Neque dicas, Moniales emittere votum obedientiae relate ad Abbatissam; ergo Abbatissa potest praecipere in virtute Sanctae Obedientiae, & graviter obligare.

Nam respondent Rodriq., & Sanch. lib. 6. cap. 1. n. 17., votum obediendi alteri semper intelligi, prout moris est obtemperare; unde si fiat Laico, solum ex vi voti habetur obligatio ponendi ea, quae Laicus praecipere potest; & quia Laicus non potest imponere praecepta spiritualia, seu ordinata ad finem spiritualem, hinc non est reus voti, qui transgreditur hujusmodi praeceptum latum a Laico; Idem dicas de Abbatissa, cui Moniales vovent obedire juxta potestatem, cujus est capax, quae est instar potestatis domesticae.

QUAESTIO III.

De Subjecto Legum, seu de iis, qui Legibus obligantur.

Subjectum legis est homo subditus capax rationis, ut communiter Doctores docent. Inquirendum tamen est primo, de ipso Legislatore, an teneatur suis legibus obedire? Secundo, de Infidelibus, de Pueris, Ebriis, & Amentibus. Tertio, de Peregrinis, de Forensibus, de Vagis. Quarto, de subditis residentibus extra Territorium. Ultimo, de Clericis, an legibus civilibus teneantur?

ARTICULUS PRIMUS.

An Legislator suis legibus teneatur?

I. Legislator suis legibus obligatur quoad vim directivam, non quoad coactivam.

II. Obligatur autem Legislator directe non a lege sua, sed a lege naturali dictante, quod Caput cum suis membris conformetur.

III. Potest autem secummet ex causa dispensare, non secus ac cum subditis.

IV. Quonam pacto Legislator teneatur legibus contractuum, & iis, quae taxam mercibus imponunt?

V. Num peccet mortaliter Legislator transgrediendo suas leges in re gravi, an solum venialiter?

VI. Cur venialiter duntaxat peccent Moniales omittendo unam missam praeceptam in virtute Sanctae obedientiae ab Abbatissa?

VII. Cur sacrilege peccaret Pontifex, si secummet dispensaret ad ducendam uxorem?
VIII. Legislator transgrediendo leges suas, quamvis peccet, non incurrit tamen pœnas latas adversus transgressores.
IX. Nec Princeps supremus, nec Legatus Pontificis tenentur legibus municipalibus loci, quæ non sint ab iis Confirmatæ.

I. DUpliciter aliquis obligari potest aliqua lege. Primo, itaut peccet, si illam transgrediatur; & talis obligatio, seu vis legis dicitur Directiva. Secundo, itaut teneatur subire pœnam statutam transgressoribus legis; & talis obligatio, seu vis legis dicitur Coactiva. De utraque inquirendum, an Legislator teneatur relate ad leges suas.

Quæritur itaque primo, an Legislator obligetur legibus suis ad culpam, seu secundum vim directivam.

Respondeo cum communi ex D.Thom.1.2. quæst. 96.artic.5.ad 3. affirmative; quando enim leges respiciunt materiam communem, hoc est accommodatam subditis, Legislatori indecens est, ut tanquam Caput membris non conformetur; Et reprehendi etiam potest, sicut Pharisæi, de quibus dicitur Matt. 5. *Dicunt, & non faciunt, alligant onera gravia, & importabilia, quæ tamen nolunt digito suo movere*. Si tamen materia non sit communis, suo Principi etiam accommodata, Princeps nullatenus tenetur servare leges suas: Verbi gratia, si lege vetetur, ne quis noctu arma ferat, aut ne magni sumptus fiant in vestimentis, &c.; hæc enim materia non est accomodata statui Principis. Ita Suar. lib. 3. cap. 35., Sal. disp. 14. sect. 2., Less. cap. 35. disp. 5. & alii apud ipsos.

II. Neque dicas primo; Lex obligat tantum subditos, cum sit a Superiore habente jurisdictionem; nemo autem potest esse sibi subditus; ergo non potest obligari Legislator legibus suis; unde in leg. *Princeps ff. de Legibus*, dicitur: *Princeps legibus solutus est*.

Nam respondent communiter apud Dian. par.1.tract.10.resol.10., Principem non obligari directe ex lege a se lata, sed directe obligari a lege naturali, quod debeat se conformare cum subditis; & ideo indirecte a suis legibus quoad vim directivam obligatur. Hoc tamen intelligendum de Principe, qui solum potest legem condere, non vero de illo, qui simul cum populo leges condit; hic enim tenetur legibus a populo conditis, cum sit subditus Communitati; quamvis possit illam convocare, & habeat primum suffragium, ut est Dux Venetus, & Generalis Religionum respectu legum conditarum in comitiis Generalibus: Necnon ex Vasq. Episcopi respectu legum conditarum a Concilio Provinciali, vel nationali, aut saltem respectu legum á Concilio Tridentino conditarum.

III. Notandum tamen, quod sicut potest Princeps cum subditis dispensare, si detur justa causa; ita potest etiam dispensare secummet, interveniente tamen justa causa, aliter peccaret, ut patet.

IV. Neque dicas secundo, Principem teneri legibus contractuum a se latis, si de facto contrahat; tenetur etiam taxam mercium a se factam sequi; & quidem non solum ex lege naturali, obligante Principem, ut se conformet cum subditis suis, sed etiam ex directa obligatione consurgente ex vi contractuum; ergo etiam tenetur directe stare legibus a se conditis.

Nam negatur consequentia; Et disparitas est, quia Princeps, dum celebrat contractum, se habet ut persona privata, non publica. Et ratio ulterior est, quia hoc fert natura ipsius contractus, quod æque obliget utrumque contrahentem; aliter claudicaret. Quare eo prorsus modo, quo subditi obligantur legibus contractus a Principe stabilitis, debet pariter ipse obligari, si vult contrahere cum subditis; nisi forte ex justa causa vellet in legibus contractus secummet dispensare, in quo casu valide contraheret, nec contractus claudicaret; quia tam ex parte Principis, quam ex parte subditi contractus esset validus, & sic dispensaret tam secummet, quam cum subdito in iis legibus. Tenetur etiam indirecte servare legem taxam mercibus imponentem, ut tenentur Clerici, idque ex virtute justitiæ, quæ obligat vendere pretio justo, quale est pretium non solum naturale, sed etiam legale; quia pretium justum est, quod communiter existimatur justum; quod autem lege taxatum est, communiter existimatur justum; ergo peccat contra justitiam Legislator, si vendat ultra pretium sua lege taxatum. Quod usque adeo verum est, ut Sot. apud Bonac. num. 32. putet, peccare contra justitiam, & teneri ad restitutionem etiam illum, qui sine justa causa dispensaretur ad vendendas merces ultra taxam pretio justo naturali; quia lex naturalis justitiæ præcipit, ut res vendatur pretio justo, & pretium justum est quod lege taxatur; quia tunc tanti res æstimatur apud omnes.

V. Dubium est, Utrum Princeps, qui ex lege naturali tenetur servare leges suas, peccet mortaliter eas transgrediendo, quando mortaliter peccant subditi transgressores, an solum venialiter? Verbi gratia, si Pontifex committat Simoniam jure humano inductam, nullam habens justam causam dispensandi secummet, peccaret mortaliter, ut reliqui subditi, an solum venialiter?

Respondeo, Vasq., Sylvest., Sayr., Suar. apud Dian. loc. citat. putare, quod mortaliter; quia quo-

quoties materia præcepta est gravis, tunc obligatio est gravis, nisi Legislator exprimat velle obligare sub levi. Quare enim peccat graviter, qui non audit missam ab Ecclesia præceptam, aut non jejunat, nisi quia materia est gravis? ergo sive quis teneatur lege positiva, sive naturali ad materiam gravem, peccat graviter talem legem transgrediendo. Sed probabilius Doctores Cum Azor., Sal.disp. 14. sect. 2. Less loc. cit., Pal., putant, circumscripto gravi scandalo, peccare tantum venialiter. Ratio est, quia intantum tenetur Legislator servare leges suas sibi, & subditis accommodatas, quia indecens est caput non conformari membris; sed quod in aliquo casu non conformetur, non est magna deformitas, nec gravis perturbatio in Republica: Sicut non est peccatum grave, sed veniale, secluso scandalo, si sine justa causa Legislator dispenset cum uno subdito in lege sua; eo quod non sit gravis deformitas, si in aliquo casu unum membrum cum aliis non conformetur, ut communius docent apud Dian. part. 1. tr. 10.res. 35. Immo Bonac. disp. 1.quæst.2. punct. 3. cum Cajet., & aliis putat, ne venialiter quidem peccare Legislatorem, si sine causa dispenset secum, aut cum aliquo subdito, præciso scandalo. Quod tamen non admiserim. Quare gravitas materię non est attendenda a re præcepta secundum se sumpta, sed a re præcepta sumpta secundum finem intentum. Verum quidem est, quod omissio Missæ, vel jejunii sit omissio materię secundum se gravis in ordine ad virtutem Religionis; unde peccat graviter, qui missam præceptam ex motivo religionis omittit: At si missa præcipiatur non ex motivo Religionis, sed ob rectum regimen Reipublicę, ut caput conformetur cum membris, quę ad missam audiendam tenentur, & ut Superior præeat suis subditis non verbo tantum, sed etiam exemplo; (ob quod motivum, ut diximus, Legislator tenetur audire Missam, quam præcepit subditis) certe in ordine ad hunc finem omissio unius Missæ est materia levis; unde peccat leviter Legislator unam missam non audiendo, quamvis subditi illam non audiendo peccent graviter.

VI. Hinc supra diximus, quod si moniales omittant Missam præceptam ab Abbatissa in virtute Sanctæ obedientiæ, peccent tantum venialiter; quia in ordine ad finem, quem respicit præceptum Abbatissæ, qui est recta gubernatio domus, omissio unius missæ est materia levis.

Ex quo sequitur, ut docent Sal., & Pal. contra Suar., & Bonac., quod non peccet contra eandem virtutem Legislator, & subditi, si omnes missam, verbi gratia, a Legislatore pręceptam omittant; Subditi enim peccant contra virtutem Religionis, a præcepto illo positivo, a quo directe obligantur, intentam; Legislator vero peccat contra virtutem justitiæ potestativam, intentivam conformitatis Capitis cum membris suis intentæ a lege naturali, a qua directe Legislator obligatur. Et ratio a priori est, quia Legislator, dum dicitur indirecte obligari legibus suis quoad vim directivam, non est ullatenus a lege sua obligatus, sed lex ipsa est conditio requisita, ut ille obligetur a lege naturali, & ab honestate, & decentia, ut se suis subditis conformet; atque adeo non peccat contra virtutem intentam a lege sua, sed contra honestatem, & decentiam intentam ab hac lege naturali.

VII. Dixi in responsione, Legislatorem peccare leviter, secluso scandalo; quis enim dubitet, quod si vellet, verbi gratia, Pontifex simoniam jure humano prohibitam exercere, aut ducere uxorem, peccaret graviter ratione scandali; cum ne Græci quidem Sacerdotes possint uxorem ducere, quamvis Græci habentes uxorem possint ex permissione Ecclesiæ ad Ordines Sacros promoveri. Immo cum communior sententia ferat, Sacerdotem obligari ad castitatem, non solum ex præceptis Ecclesiæ, sed etiam vi voti ex præcepto Ecclesiæ annexi Ordinibus Sacris, & dispensatio in voto facta sine causa a Pontifice sit nulla; ideo Pontifex, etiam secluso scandalo, sacrilege peccaret ducendo uxorem.

VIII. Quæritur secundo, An Legislator obligetur saltem indirecte legibus suis quoad pœnam ab eo statutam transgressoribus, seu secundum vim coactivam?

Respondeo cum communi negative. Nemo enim a seipso cogi potest, nisi per contractum, aut votum; in quo casu etiam ab alio, cui se obstrinxit, obligatur proxime, nempe a Deo, cui vovit, & a contrahente, cui se obligavit: Et ratio est, quia, ut diximus, transgrediens sine causa legem suam revera non peccat contra legem suam, sed contra legem naturalem præcipientem ei, ut se suis subditis conformet: ergo, non debet incurrere pęnam statutam contra transgressores legis positivæ.

Hinc sequitur primo, quod si Pontifex Clericum injuste percutiat, non incurrat excommunicationem latam a se contra percussores Clericorum; aut si officium non recitet, non proinde privetur fructibus beneficiorum, quia talis pœna a Pontifice ipso est statuta.

Sequitur secundo, Episcopum non incurrere excommunicationem, si ludat aleis contra constitutionem a se latam sub pœna excommunicationis. Immo probabiliter nec illam incurrit, qui cum tali Episcopo ludit; quia præsumitur, quod Episcopus velit dispensare cum eo, quem allicit ad ludendum.

Utrum autem Episcopus ludens cum eo, qui con-

contraxit excommunicationem a se latam, contrahat excommunicationem juris communis latam in cap. *Nuper*, *de Sententia Excommunicat.* contra participantes in crimine criminoso? Respondendum affirmative, si Titius, cum quo ludit, sit excommunicatus vitandus; quia a lege Pontificis prohibetur Episcopus, ut ejus commercium vitet; & pœnam a Pontifice in jure communi latam incurrit, si participet in crimine criminoso: Verbi gratia, si cum eo ludat, posito, quod propter ludum sit excommunicatus. Quod si Titius sit excommunicatus toleratus, ipse quidem non potest cum aliis communicare, sed aliis non est prohibitum commercium cum illo; unde si Episcopus cum eo dispenset, ut possit secum ludere, neuter excommunicationem incurrit, si ludant; Non quidem Titius, quia cum eo dispensat Episcopus; Nec ipse Episcopus, quia non participat in crimine, dum ludit cum eo, qui propter dispensationem nullum crimen committit ludendo.

Sequitur tertio, eum, qui, verbi gratia, habuit a Pontifice potestatem excommunicandi fures, eosque excommunicavit, non inccurrere excommunicationem, si ipse furetur; quia se habet in tali casu ut Legislator; nec præsumitur, quod ipse vellet sibi hanc gravem pœnam imponere, aut quod Pontifex velit, ut illam sibi etiam imponat, ut notat Bonac. hic num. 28. Nam in mandato generali non venit id, quod expresse mandari non potest: Certum autem est, quod expresse nulli mandari potest, ut se ipsum excommunicet, seu ut se ipsum spiritualiter enecet; sicut nemo tenetur semet prodere ac denunciare.

Hic autem adverte, uxorem Legislatoris, verbi gratia Reginam, etsi legibus Legislatoris subdita sit, eximi tamen ex speciali privilegio in leg. *Principem ff. de legibus*.

IX. Quæritur tertio, an teneatur Princeps supremus legibus muncipalibus Oppidorum?

Respondeo cum communi negative, quia non sunt latæ a suo Superiore, sed ab Inferiore. Quod tamen intelligendum est, nisi tales leges sint ab ipso Principe confirmatæ; quia tunc perinde se haberet, ac si ipse eas leges condidisset; Unde fit, Pontificis Legatum, dum est in aliquo Episcopatu, non teneri legibus particularibus illius.

ARTICULUS II.

Quibus legibus eximantur Infideles, Pueri legem ignorantes, Ebrii, & Amentes?

I. Num infideles peccent non solum contra præceptum Divinum de suscipiendo Baptismo, sed etiam contra præceptum de sumenda Eucharistia?

II. Num peccet, qui diebus prohibitis ministrat carnes infidelibus, qui legibus Ecclesiasticis non tenentur; aut qui injungit illis opera servilia die festo?

III. Nullis legibus tenentur Pueri, & Amentes, qui nunquam ratione usi sunt; At qui post usum rationis inciderunt in amentiam, verius per accidens ab observantia legum excusantur, non secus ac Ebrii; unde non possumus cum istis ad materialem legum transgressionem concurrere.

IV. Num Amentibus injungi possint opera servilia die festo? Et num posint die festo duci belluæ onustæ?

V. Pueri post usum rationis tenentur legibus etiam Ecclesiasticis; Sed ad communionem Paschalem circa decimum annum obligantur, quando solent sacrum a profano discernere.

VI. Ante pubertatem num incurrant Pueri censuras, & alias pœnas Ecclesiasticas? Num casuum reservationem?

VII. Num Infantes, & Puellæ admitti posint in Monasteria Monialium, & Religiosorum? Quid de Amentibus?

I. QUæritur primo, an Infideles subdantur legibus Ecclesiasticis?

Respondeo cum communi negative; Quod constat ex illo Apost. 2. ad Corinth. 4. *Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare?* Unde diximus, nullam pœnam Ecclesiasticam, verbi gratia, censuram, aut irregularitatem ex delicto incurri ab Infidelibus; cum non peccent per hoc, quod leges Ecclesiasticas transgrediantur. Tenentur tamen legibus naturalibus, & Divinis; Et quia sumptio Eucharistiæ in articulo mortis præcipitur omnibus jure Divino, idcirco probabilius etiam contra præceptum sumendi Eucharistiam peccant, dum morientes non suscipiunt Baptismum requisitum ad sumptionem Eucharistiæ, ut docent communius contra nonnullos, qui putant Eucharistiam præcipi solis baptizatis; atque adeo sicut non peccat contra votum castitatis, nec est sacrilegus, qui habens votum ingrediendi Religionem peccat contra castitatem, eo quod nondum emiserit votum castitatis, ita non peccat contra præceptum sumendi Eucharistiam, qui nondum est baptizatus, quamvis peccet non suscipiendo Baptismum.

II. Ex dictis videtur sequi, quod sicut non peccant Infideles comedendo carnes diebus prohibitis; ita nec peccent, qui carnes illis ministrant; cum non cooperentur ad transgressionem legis Ecclesiæ: Et sicut non peccant laborando diebus festis, ita nec peccet dominus, qui injungit suis mancipiis, ut die festo laborent;

ut

ut concedit Dian. part. 5. tract. 14. resol. 7.: Sicut concedit Laym. l. 1. tract. 4. cap. 9., quod possit id injungi perpetuo amentibus, etiam catholicis; qui, non secus ac pueri, nullis legibus tenentur ex defectu usus rationis, ut mox dicemus: Quamvis utrumque etiam probabiliter neget Fernand. apud eundem Dian. cum Tambur. putante, non sanctificari festum humano more a Christifideli, qui etsi ipse non laboret, præcipit tamen aliis ratione utentibus, licet Infidelibus, ut laborent. Qua de re mox iterum redibit sermo.

III. Quæritur secundo, An pueri, amentes, ebrii, dormientes, legem ignorantes, semifatui teneantur legibus naturalibus, & positivis?

Respondeo, pueros, qui nondum ad usum rationis pervenerunt, & perpetuo amentes (qui communiter cum Merol. part. 3. dub. 28. contra Sanch., & Suar. pueris comparantur) nullis legibus obligari. Ratio ex D. Th. quæst. 17. de Veritate art. 3. est, quia lex est vinculum rationale, quod, ut liget, debet applicari subjecto per rationem, & per conscientiam, qui est actus, seu dictamen rationis: Quare sicut vincula corporalia non ligant, nisi per contactum corporeum applicentur, ita leges non obligant, nisi per rationem, & conscientiam applicentur; atque adeo pueri, & perpetuo amentes nullis legibus obligantur. Contra vero amentes, qui aliquando habuerunt usum rationis, ebrii, dormientes, & legem ignorantes obligantur legibus omnibus, quamvis per accidens hic, & nunc excusentur; quandoquidem carent hic, & nunc libertate requisita ad bonum, & malum. Unde fit, quod amentibus, qui nunquam habuerunt usum rationis, Eucharistia non possit in articulo mortis ministrari; debeat vero ministrari iis, qui aliquando usum rationis habuerunt; quia istis, non vero illis præcipitur jure Divino: Nec possunt suscipere Eucharistiam adulti, qui ne habitualem quidem intentionem habent illam suscipiendi; Sicut nec potest perpetuo amentibus dari Extrema unctio, quæ debet supponere reliquias peccatorum tollendas; non secus ac pœnitentia debet supponere peccatum. Demum semifatui, qui in aliqua materia nunquam habuerunt usum rationis, non obligantur legibus spectantibus ad illam materiam; obligantur tamen relate ad leges, ad quas habent, vel habuerunt aliquando rationis usum, propter eandem rationem.

Non negaverim tamen, probabilem esse sententiam Sanch. lib. 1. cap. 10., quod etiam perpetuo amentes obligentur legibus, quamvis per accidens ratione amentiæ excusentur, ut ebrii; Et ratio est, quia intantum infantes non sunt obligati, inquantum per se carent usu rationis, at amentes carent usu rationis per accidens, sicut ebrii; ergo non æquiparantur pueris, itaut non obligentur, sed ebriis, itaut obligentur, & excusentur: Sicut enim catulus ante nonum diem non dicitur cæcus, sed non videns, quia per se tunc est incapax visus; contra vero post nonum diem dicitur cæcus, quamvis nunquam viderit, quia post nonum diem est capax visus; ita perpetuo amentes ante septennium non sunt obligati legibus, quia nec habent, nec sunt capaces usus rationis; contra tamen post septennium obligantur, & excusantur; quia pro illo tempore sunt capaces usus rationis. Nec quæstio hæc est inutilis; Deservit enim ad decernendum, num possimus cooperari cum illis ad transgressionem materialem legum. Nam quia, verbi gratia, ebrii, & ignorantes legem jejunii obligantur hac lege, & excusantur a transgressione ratione ebrietatis, vel ignorantiæ, ideo peccat, qui die veneris ministrat ebriis carnes ad manducandum, cum non possimus non cooperari cum illis ad transgressionem materialem legum, quibus illi obligantur, licet hic, & nunc excusentur; Contra vero, quia Infideles non tenentur legibus Ecclesiasticis, non peccat, qui ducit illos ad comedendum carnes die veneris: Hinc quia probabilis est sententia communior, quod perpetuo amentes nullis legibus teneantur, probabile erit, quod non peccet, qui illos ad transgressionem materialem legum inducit. Ex quo tamen non sequitur, quod possint induci ad blasphemandum, ad fornicandum, &c., cum nec possint pueri ad blasphemandum induci: Et ratio est vel quia, ut notat Pal. hic, probabiliter etiam pueri legibus naturalibus obligantur, eo quod istarum obligatio ab ipsa natura ortum habeat, quæ de se capax rationis est; Vel quia inducere pueros, aut amentes ad blasphemandum, aut fornicandum, importat per se in inducente affectum ad hæc vitia illicitum; nec caret scandalo, non secus ac si induceretur psittacus ad blasphemandum: Vel demum, quia si inducuntur pueri, & amentes ad blasphemandum, &c., quando rationis erunt compotes, erunt ad ea vitia proclives; unde nobis illicitum est illos ad ea vitia inducere.

Notandum hic, quod omnibus amentibus, etiam semifatuis, tum ex consuetudine introducta, teste Azor., tum ne in deteriorem statum amentiæ decidant, ministrari possunt carnes tempore vetito, ut docent peritissimi Medici apud Sanch. Præterea nec amentes, nec ebrii cogendi sunt ad audiendum Sacrum die festo; immo possunt impediri, ne audiant; Et ratio est, quia non possunt assistere Missæ humano, & rationali modo, prout requiritur: Qui tamen sunt semifatui, nisi in iis, quæ ad missam pertinent, desipiant, tenentur missam audire, cum possint illam audire humano modo.

IV. An

IV. An autem possint perpetuo amentibus injungi opera servilia die festo, sicut possunt ex multorum sententia injungi Infidelibus? Dubium est, quod promisit se discussurum Sanch. in tertio Decalogi præcepto; illud tamen morte præventus non edidit in lucem. Tambur. l. 4. cap. 3., re cum Theologis discussa, putat licere cum Dian. part. 5. tract. 14. resol. 7., & Laym. contra Fernand., & Merol., qui putant non licere, eo quod laborarent ut instrumentum mandantis, & mandans ipse crederetur laborare. Ratio autem pro sententia Tambur., & Laym. est, vel quia juxta probabilem sententiam perpetuo amentes nullis legibus tenentur, & ideo possunt iis injungi opera servilia; sicut probabiliter possunt injungi Infidelibus, qui non tenentur legibus Ecclesiasticis: Vel si sequamur opinionem Sanch., quod sicut ebrii, ita perpetuo amentes obligentur legibus omnibus, & per accidens excusentur, adhuc possunt injungi utrisque opera servilia; quia, ut notat Laym., opera servilia prohibentur dumtaxat iis, qui humano modo, & utiliter possunt tale præceptum implere, non secus ac præcipitur assistentia Sacro: Quare sicut amentes, & ebrii non sunt cogendi ad Missam audiendam, quia non possunt tale præceptum, prout requiritur, implere; ita propter eandem rationem possunt iisdem opera servilia injungi; Non secus ac belluis, quæ possunt die festo molere, & onera vehere, dummodo qui illa ducunt, non multum laborent, ut docet Dian. part. 2. tract. 15. resol. 36. cum Tambur. loc. cit. contra Suar., & Laym., putantes esse opus servile agere currus, vel mulos onustos; unde non liceat illud inchoare die festo, quamvis inchoatum possit continuari, si non possit facile interrumpi.

V. Quæritur tertio, Quandonam pueri incipiant obligari legibus Ecclesiasticis?

Respondeo, D. Antoninum, Cord., & Victor. apud Sal. disp. 14. sect. 13. putare, quod non teneantur ad confitendum semel in anno, nisi sint pubertati proximi, idest anno decimo cum dimidio, si sint mares, & anno nono cum dimidio, si sint fœminæ; quod forte verum est pro foro externo; quia secundum jura nemo præsumitur esse doli capax, nisi sit proximus pubertati, seu in ætate dicta. Sot., & Sa apud Sanch. lib. 1. cap. 12., & Pal., putant non teneri ad annuam confessionem, & ad observantiam cujuscunque præcepti Ecclesiastici, antequam perveniant ad annum duodecimum. Sed communiter docent, pueros teneri non solum legibus Divinis, & naturalibus, (quod est certum) sed etiam Ecclesiasticis, statim ac perveniunt ad usum rationis, quod circa septennium solet contingere. Ratio est, quia cum polleant usu rationis, & teneantur legibus Divinis, non est cur non etiam teneantur legibus Ecclesiasticis: Præsertim quia in cap. *Omnis utriusque sexus* aperte præcipitur confessio annua pueris, postquam ad annos discretionis pervenerint. In dubio tamen, an usus rationis advenerit ante septennium completum, non obligantur; secus vero post septennium; quia cum soleat eo tempore advenire, præsumitur, quod advenerit; unde post septennium (quoties non constat usum rationis nondum advenisse) tenentur pueri ad missam audiendam, ad abstinendum a cibis vetitis, ad confessionem annuam; non tamen ad annuam communionem, quia quamvis in cap. *Omnis utriusque sexus* dicatur, quod omnes tam ad confessionem, quam ad communionem annuam teneantur, statim ac ad annos discretionis pervenerint, tamen ex contextu habetur, ut omnes Doctores docent contra Palud., Valent. Pal., diversimode requiri annos discretionis ad confessionem, ac ad communionem; nam ad confessionem annuam satis est usus rationis; (dummodo tamen, ut alias diximus, puer peccaverit mortaliter; qui enim non est conscius sibi peccati mortalis, non tenetur confiteri) ad communionem vero annuam non solum requiritur, ut pueri sciant discernere bonum a malo, sed etiam Sacrum a profano, ad hoc ut possint reverenter tale Sacramentum suscipere, & percipere ejus gustum; quod solet circa decimum annum contingere: Et constat ex consuetudine Ecclesiæ, quæ non statim admittit pueros ad communionem, postquam admisit ad confessionem. Si tamen contingat articulus mortis, potest ante decimum annum ministrari puero Eucharistia, dando illi sufficientem instructionem; nam ratione necessitatis non est exigenda tunc tanta devotio; Et post Eucharistiam tradenda est Extrema unctio, quæ procul dubio ex communiori sententia ministrari potest huic puero, statim ac est doli capax, etiamsi ad Eucharistiam non sit aptus.

Notat tamen Joan. Sanch. apud Pal. si constaret aliquando, puerum ante septennium esse doli capacem, in tali casu non obligari ante septennium legibus juris positivi, quia leges positivæ attendunt, quod communiter contingit, ex leg. *Nam ad ea ff. de legibus*; communiter autem non contingit usus rationis ante septennium; & ideo pueri ante eam ætatem probabiliter non obligantur iis legibus; quamvis ad annuam confessionem ex dictis tenerentur.

VI. Quæritur quarto, Quandonam pueri incipiant subjacere pœnis Ecclesiasticis?

Respondeo, Sa, Fagund., & alios apud Tambur. in Meth. Commun. cap. 4. §. 2. putare, decisum jam esse in *cap. 1., &. 2. de Delictis puerorum* quod pueri ante pubertatem nullam pœnam Ecclesiasticam incurrant latam a jure, vel ab homine. Immo Tambur. putat, quod neque

neque incurrant excommunicationem latam contra percussores Clericorum; nam licet in cap. *Pueris*, *de sententia Excommun.* dicatur, quod possit Episcopus absolvere pueros percutientes Clericum, hinc non sequitur, quod excommunicationem contraxerint, & quod ab alio non possint absolvi. Sanch. vero lib. 1. cap. 12. cum Vasq., Azor., docet, quod ex cit. *cap. 1. De delictis puerorum* solum habeatur, pueros ante pubertatem non incurrere censuras latas ab homine, non vero latas a jure; ibi enim hæc habentur, ut notat Fagund. part. 2. lib. 1. cap. 4. *In pueris relinqui solet inultum, quod in aliis progressioris ætatis humanæ leges dicunt severius puniendum*. Ceterum quod incurrant censuras latas a jure, deducitur ex cap. *Super eo*, ex cap. *Pueris*, ex cap. *Quamvis*, *de Sententia Excommun.*: Et disparitas ex Suar. est, quia ætas impuberum non censetur apta ad ordinem judiciarium intelligendum, ut requiritur ad incurrendam censuram latam ab homine, deberent enim posse citari, ac in judicio se defendere. Sed Pal. hanc sententiam impugnat dicens, quod saltem deberent posse incurrere censuras latas ab homine generaliter, ad quas incurrendas non requiritur cognitio ordinis judicialis. Quare dicendum, nullam omnino censuram, aut similem pœnam incurri a pueris; Verbi gratia, non incurri irregularitatem, si alios occidant, nec excommunicationem latam ab Episcopo, si non communicent in Paschate; idque erui ex citatis textibus. Immo quamvis possint pro iis reservari casus, non solent tamen pro iis Episcopi casus reservare. Non negamus, quod possit Pontifex illos punire Ecclesiasticis pœnis, sed solum dicimus, quod jure communi nullam censuram, aut aliam pœnam incurrant, & ad summum, ut notat Pal., incurrunt censuram latam contra percussorem Clerici propter ejus gravitatem; quia id videtur erui ex citatis textibus (quicquid sit de censura lata contra ingredientes Monasteria Monialium) Nec responsio Tambur. videtur difficultatem evacuare; cum enim dicat Textus, quod Episcopi possint absolvere pueros percutientes Clericum, videtur innuere, quod excommunicationem contraxerint, & quod pro ea ætate non sit reservata Papæ, sed Episcopo.

Hinc tamen non sequitur, quod posito interdicto generali in aliquo loco pueri impuberes non comprehendantur. Nam comprehenduntur pueri doli capaces ratione præcepti iis impositi, non vero ratione ullius pœnæ, quam contrahant, si præceptum hoc transgrediuntur, ut notat Suar., Sanch., & Azor.: Pueri ante septennium certe interdicto non comprehenduntur: unde possunt etiam admitti ad assistendum Divinis, quia per interdictum solum prohibetur assistentia moralis Officiis Divinis, quæ tantum a ratione utentibus præstari potest: Et idem dicitur de amentibus, & ebriis, rationis usu omnino destitutis, ut notat Merol. disp. 4. c.3. dub.28. At tempore interdicti localis neque pueri, neque amentes aut ebrii possunt in loco Sacro sepeliri; quia cum locus sit interdictus, prohibetur omnibus, ne dent ulli, etiam puero, Ecclesiasticam sepulturam in eo loco interdicto.

VII. Quæritur quinto, An pueri, & puellæ ante usum rationis possint ingredi, aut admitti intra Monasteria Monialium, aut Religiosorum? Et idem quæritur de amentibus.

Respondeo, Ugolin., Comitol. *l. 6.* quæst. 22. putare quod non possunt admitti; cum Trident. sess. 24. cap. 5. prohibeat, ne ullus admittatur. Quare sicut tempore interdicti localis non possunt pueri sepeliri in loco sacro, quia præceptum non cadit supra pueros, sed supra alios, ne sepeliant pueros; ita non possunt pueri admitti in Monasteria Monialium, nec puellæ in clausuram Religiosorum, qui præceptum non cadit supra pueros, sed supra alios, ne admittant. Verum communior opinio cum Merol., Sanch. l. 6. c. 16. Suar. tom. 4. de Relig. l. 1. cap. 10. probabiliter putat, admitti posse, quia admissio in Monasteria est prohibita respectu illorum, quibus prohibetur ingressus, ut constat ex motu proprio Gregorii XIII., ergo cum non prohibeatur ingressus infantibus, nec prohibetur aliis eorum admissio.

Neque obstat, quod Trident. prohibeat, ne ullus admittatur cujuscumque ætatis, & sexus, quia intelligi debet de ætate, quæ sit capax obligationis præcepti; quod constat tum ex motu proprio Gregorii XIII., tum etiam quia Trident. habet pro fine, ne pax Monialium perturbetur, ac ne ad peccandum incitentur; Unde videtur, quod possint admitti infantes: In Synodo tamen Neapolitana anni 1694. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibetur, ne hujusmodi infantes in Monasteria Monialium introducantur, etiamsi non extrahantur a Rota, sed in ipsa permaneant ex parte clausuræ.

Quod attinet ad amentes, introduci nullatenus possunt; tum quia ad peccatum incitare possunt; tum etiam quia probabiliter, juxta sententiam Sanch., illi etiam, ut ebrii, legibus humanis comprehenduntur, quamvis ratione amentiæ, & ebrietatis a culpa excusentur. Unde qui amentes admitteret, quamvis non contraheret excommunicationem stando in decreto Trident., quia Trident. excommunicat solum ingredientes, non admittentes; at contraheret excommunicationem latam a Gregor. XIII. etiam contra admittentes alios in Monasteria Monialium: Et contra Religiosos admittentes mulieres in sua Monasteria statuit pœnam privationis officiorum, Dignitatum, Beneficiorum, & inhabilitatis ad illa, &c.

Notat tamen Merol., quod si sequamur opinionem communem, quod perpetuo amentes non obligentur legibus saltem humanis, quamvis peccet mortaliter, qui eos introducit in Monasteria, Monialium, quia finis legis, & ratio legis non admittendi alios, ne perturbetur pax, & ne de detur occasio peccandi, æque militat pro amentibus; at probabiliter non incurrit excommunicationem, quia etsi juxta communiorem opinionem lex pœnalis extendatur, quoad obligationem de casu expresso ad casum non comprehensum verbis legis, quoties eadem ratio expressa in lege militat pro tali casu; at non extenditur quoad pęnam, ut fuse ostendit idem Merol. disp. 4. c. 9. dub. 6.

ARTICULUS III.

Quibus legibus teneantur Peregrini, Forenses, & Vagi?

I. *In quo differant Peregrini a forensibus, & a Vagis? Et quomodo domicilium, aut quasi domicilium acquiratur, aut deperdatur?*

II. *Sufficit quasi domicilium ad Sacramenta alicubi suscipienda, præter Ordinem, ad quem suscipiendum requiritur domicilium.*

III. *Forensis Neapolim adveniens animo ibi permanendi per decennium tenetur legibus loci, tanquam civis, & incola. Immo etiam si adveniat animo permanendi per majorem partem anni.*

IV. *Tenentur etiam forenses, & Peregrini legibus juris communis, quamvis in propria Patria per desuetudinem non obligent.*

V. *Pariter tenentur Peregrini legibus Municipalibus loci, per quem transeunt, si æedem sint in propria Patria; Necnon legibus contractuum; Ac etiam legibus, quarum transgressio specialiter cedit in ejus loci detrimentum.*

VI. *Probabilius videtur, quod universim Peregrini non teneantur legibus loci, per quem transeunt, si brevi ibi commorentur, & scandalum absit.*

VII. *Et probabilius nec tenentur legibus Patriæ, si non sint utrobique communes.*

VIII. *Num possit quis eo fine iter arripere, ut effugiat obligationem alicujus jejunii? Fugere a loco, ubi lex jejunii obligat, non est idem, ac apponere impedimentum jejunio præcepto.*

IX. *Habens casus reservatos num possit adire Diœcesim, ubi casus non est reservatus, ut ibi absolvatur.*

X. *Si in aliqua Civitate sit dies festus, poterit ne idem civis mane exire, & sic ab auditione Sacri obligari?*

XI. *An discessurus a Patria, ubi obligat lex jejunii, possit mane jentaculum sumere, ac pluries comedere? Et an etiam qui perventurus est vespere ad locum, ubi jejunatur.*

XII. *Num, & quando Sacerdos Græcus transiens per Ecclesiam Latinam possit in azymo consecrare; & similiter Latinus infermentato?*

XIII. *Num possit peregrinus a suo Superiore puniri propter delictum patratum extra Territorium Superioris?*

XIV. *Non est eadem ratio de subdito delinquente extra Territorium sui Superioris, ac de delinquente in locis exemptis.*

XV. *Vagi tenentur legibus loci, ubi degunt.*

I. IN eo differunt Vagi a Peregrinis, & forensibus, quod Vagi sint, qui nullibi certam sedem habent; quamvis enim habuerint alicubi domicilium, quia tamen inde exierunt animo non redeundi, dicuntur Vagi, quousque in aliquo loco domicilium figant. Peregrini vero dicuntur, qui discedunt a loco sui domicilii animo redeundi; nam si discedant animo figendi alibi suum domicilium, jam in eo loco, ubi novum domicilium figunt, se habent ut cives, & incolæ, non ut peregrini, forenses, & advenę. Cæterum peregrini proprie dicuntur, qui alibi domiciliumhabentes, per aliquem locum transeunt. Forenses vero, & advenæ dicuntur quicumque domicilium alibi habentes, in alieno Oppido habitant. Præterea Peregrinus, qui Neapolim, v.g., venit animo manendi in hac Civitate perpetuo, dicitur acquirere domicilium, ex leg. *Domicilium ff. ad Municipalem*, nec requiritur decennii habitatio, nisi ad præsumendum animum manendi perpetuo, ut notat Sanch.; Semel autem domicilio constituto, ut deperdatur, requiritur, quod mutetur non solum animus, sed etiam ipsa habitatio; quia per eas causas res dissolvitur, per quas nescitur, ex cap. 1. *De regul. juris*: Contra vero peregrinus, qui Neapolim venit animo manendi pro majori parte anni, non in perpetuum, (ut sunt studentes, mercatores, locantes operam ad longum tempus) non dicitur acquirere domicilium, sed quasi domicilium, ratione cujus quasi domicilii possunt ibi conveniri, juxta leg. *Hæres absens ff. de Judiciis*.

II. Quinimo ratione hujus quasi domicilii, ut notat Sal., Bonac., & alii, dicitur acquirere domicilium Parochiale, atque adeo subjectionem quoad Sacramenta (præter Ordinem) quoad sepulturam, quoad votorum dispensationem, & quoad omnia, prout postulat bonum regimen animarum, ut patet ex consuetudine: Proinde potest ibi recipere omnia Sacramenta, (dempto Ordine, & tonsura requirente domicilium, ex cap. *Cum Nullus de Temporibus Ordinat. in 6.*) & est ibi sepeliendus, nisi alibi sepulturam eligat. His explicatis,

III. Cer-

III. Certum eſt primo, quod forenſis adveniens, v. gr., Neapolim, animo manendi perpetuo, ſtatim teneatur legibus hujus Civitatis: nam per hoc quod acquirat domicilium, ſe habet ut civis, & incola. Quod ſi in duobus locis ſimul domicilium habeat, quia ſcilicet hyeme, v.g., habitet in uno loco, & æſtate in altero, tunc tenetur legibus loci, in quo præſens adfuerit.

Certum etiam videtur ſecundo, quod eodem modo teneatur legibus hujus Civitatis forenſis, qui Neapolim accedit animo permanendi pro majori parte anni, ſeu animo expediendi negotium, quod regulariter ſolet exigere majorem anni partem: Licet enim non acquirat domicilium, ſed quaſi domicilium, tamen per aſſiduam hanc habitationem prudentium judicio cenſetur incola, & pars Communitatis: unde ſicut acquirit Parœciam, ſeu domicilium Parochiale, & ſubjectionem quoad omnia Sacramenta, (dempto Ordine) quoad ſepulturam, & quoad omnia, quæ vertunt ad bonum regimen animarum, ita ſubditur legibus talis Diœceſis; quod communiter docent. Quamvis non deſint Doctores relati a Sanch. lib. 3. de Matrim. diſp. 18. requirentes in forenſi domicilium, ſeu animum perpetuo manendi, ut teneatur legibus, & conſuetudinibus loci. Ubi etiam notandum, quod ut deperdatur hoc quaſi domicilium, non ſatis ſit mutare animum permanendi, niſi etiam recedatur ab eo loco, & habitatio mutetur, ut diximus de amiſſione domicilii.

IV. Certum eſt tertio, omnem forenſem, ac peregrinum in loco, per quem tranſit, ſeu in quo non vult pro majori parte anni manere, teneri ad ſervandas leges juris communis, quamvis illæ in propria Patria, ſeu in loco domicilii per deſuetudinem non obligent. Ratio eſt ex Suar., quia peregrinus hic revera ſubditur Legislatori; nec excuſatur in loco, per quem tranſit, a contraria conſuetudine, quippe quæ ſolum excuſat in Patria, ubi ea viget. Unde ſequitur, quod Caſtellanus tranſiens Neapolim non poteſt hic veſci die Sabbati inteſtinis animalium, ſicut veſcebatur in Caſtella ex conſuetudine ibi introducta; Et Mediolanenſis tenetur Neapoli primis quatuor diebus Quadrageſimæ jejunare; quia conſuetudo in contrarium excuſat illos, qui ſunt Mediolani, ubi viget: Ita communiter: Et quamvis aliqui cum Azor., Ledeſm., Sanch. lib. 3. de Matrim. diſp. 18. num. 7. ſentiant oppoſitum, ſi abſit ſcandalum, & brevi redituri ſint ad Patriam, eo quod non videatur abeſſe, qui brevi eſt rediturus; (ſicut Epiſcopus, ſeu Curatus non cenſetur a ſua Reſidentia abeſſe ex Trident. ſeſſ. 23. cap. 1., ſi ad illam intra duos menſes eſt reverſurus) At communiter id negant; & ipſe Sanch. cap. 12. ſententiam hanc retractavit, quia quæ ſunt contra jus commune, ſunt odioſa, & ſunt reſtringenda: Unde conſuetudo contra jus commune non deobligat peregrinos abſentes a Patria, ubi ſolum eſt ea conſuetudo, quamvis per breve tempus abſint. Verum eſt; quod in aliquibus caſibus abſentia fictione juris repetatur præſentia, ut in Tridentino reputatur reſidere Epiſcopus, qui intra duos menſes reverſurus eſt, ut diximus; Verum in juris fictione non datur extenſio de caſu ad caſum, ut communiter Doctores docent, ex cap. *In præſentia*, *de Probat.* Quare ſicut peregrini deobligantur a legibus Patriæ, etiamſi per breve tempus abſint; ita obligantur legibus juris communis, ſi per breve tempus abſint a Patria, ubi contraria conſuetudo excuſat.

V. Certum eſt quarto, quod quando leges municipales eædem ſunt in loco tranſitus, & in Patria, tunc peregrinus teneatur eas ſervare in loco per quem tranſit; ut communiſſime Doctores docent apud Thomam Sanch. contra Joannem Sanch., cujus ſententia reputatur abſurda: Et ratio eſt, quia hic eſt uſus, & conſuetudo quaſi communi jure gentium introducta; etenim æquitas ſic videtur poſtulare.

Certum eſt quinto, leges proprias loci, per quem aliquis tranſit, ſi pertineant ad ſolemnitatem contractuum, ſervari debere etiam ab advenis, & peregrinis, ut conſtat ex leg. *Si fundus ff. De Evictione*; aliter contractus eſſent irriti; quia contra formam præſcriptam a jure. Quare tenentur ad gabellas, ſi forte ſolvantur ex contractu; tenentur pariter vendere res pretio ibi taxato; Si condant teſtamentum, tenentur adhibere ſolemnitates ibi ſtatutas; Ad valitatem Matrimonii requiritur Parochi, & teſtium præſentia, ſi ibi obliget Trident., etiamſi in ſua Patria non obliget; Et omnes lites judicari debent juxta ritus illius loci, & a Judice loci, ubi res eſt litigioſa, ut notat Gloſ. in cap. *De foro competenti*: Excepto ſolum contractu dotis; in eo enim non debet inſpici locus contractus, ſed locus, ubi vir habet domicilium, ex leg. *Exigere* ff. *De Judiciis*; quia uterque videtur omnia deſtinaſſe ad eum locum, ubi vir debet cum ſua uxore permanere. Quamvis Pal. hic putet, ne contractum quidem ipſum dotis excipi, eo quod in citato textu ſolum dicatur, quod dos, ſi repetenda eſt, repetatur, ubi vir habet domicilium.

Certum eſt ſexto, ſervandas etiam a peregrinis leges loci, per quem tranſeunt, ſi earum tranſgreſſio ſpecialiter cedat in damnum ejus loci. Ratio eſt, quia ipſum jus naturæ dictat non eſſe impediendum bonum commune loci, neque a civibus ſubditis, neque ab advenis non ſubditis. Unde fit, ſervandas eſſe a peregrinis primo leges prohibentes, ne aliquæ merces

ex Oppido extrahantur; Secundo, legem prohibentem, ne peregrini ultra tot dies in Oppido commorentur, aut aliud præcipientem peregrinis ad vitandum aliquod damnum; aliter populus defendi non posset per leges contra quoscunque; Tertio, servandam esse legem omnem, quæ sine scandalo violari non potest; cum obligatio vitandi scandalum sit naturalis, & ab omnibus servari debeat.

VI. Quæritur nunc primo, An forenses, & peregrini teneantur servare leges loci, per quem transeunt, seu in quo morantur solum ad breve tempus, & sine animo residendi pro majori parte anni?

Respondeo, Suar., Sal., Merol., Pal., Less. & alios apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 15. (*a*) putare, probabilius esse, quod teneantur; præsertim si ibi sint permanenter per aliquot dies: Primo, quia hoc videtur consentaneum paci, & rectæ gubernationi Reipublicæ, ut omnes uniformiter obligentur. Secundo, quia si leges, quæ habentur in loco transitus, habentur etiam in Patria, peregrinus iis tenetur, ut communiter docent: (quia non est æquum, quod peregrinus utramque legem violet) Atqui hoc etiam probat, quod si peregrinus non tenetur legibus Patriæ, debeat servare leges loci per quem transit, ne utrisque legibus eximatur: ergo. Tertio, quia cum peregrini teneantur legibus loci transitus, quando istæ feruntur ob bonum commune, jam omnibus legibus tenentur, cum omnes respiciant bonum commune. Quarto, quia est commune dictum apud Gloss. in cap. *Illa, dist.* 102. *Cum fueris Romæ, Romano vivito more: cum fueris alibi, vivito sicut ibi.* Quinto, quia puniuntur ab Episcopo transgressores, præsertim si per duos, vel tres menses ibi manserint. Demum, quia & rudes, & docti passim putant se teneri ad eas leges servandas, verbi gratia, ad jejunia, & festa locorum; consuetudo autem ex tali opinione inducit obligationem; præsertim cum fiat de consensu Principis punientis transgressores.

(*a*) „ Et novissime P. Biner in *Appar. erudit.* „ *ad Jurisprud. part.* 1. *cap.* 3. *num.* 10. *seqq.*

Equidem tamen probabiliorem existimo sententiam Sanch. lib. 3. disp. 18., Less. cap. 2. disp. 7., Azor., Bonac. quod non teneantur. Ratio est, quia brevis mora non est sufficiens ad tribuendam jurisdictionem Superiori; ergo neque peregrinis, & forensibus subjectionem, & obligationem.

Neque dicas, quod si peregrinus subditur Legislatori relate ad leges contractuum, & relate ad leges, quarum transgressio cedit in damnum ejus loci, & relate ad leges, quæ obligant etiam in Patria; ergo eodem modo fiet subditus relate ad omnes leges. Nam in iis legibus est specialis ratio, quam jam adduximus in prænotatis: Quod autem universim brevis mora non satis sit ad contrahendam subjectionem, patet; quia ex defectu subjectionis requisitæ peregrinus non acquirit Parœciam in loco transitus, seu obligationem suscipiendi ibi Sacramenta; nec Episcopus potest cum illo dispensare in votis; neque illi Sacramenta conferre, (exceptis Pœnitentia, & Eucharistia, pro quibus præsumitur tacitus consensus proprii Episcopi, vel Parochi,) ut communiter docent contra Basilium de Leon. lib. 5. cap. 13. Præterea viator non sortitur forum loci, per quem transit, ex leg. *Hæres ff. de Judiciis*, seu non potest ibi conveniri, aut puniri: quia qui transit, aut brevi tempore alicubi commoratur, non censetur moraliter esse ibi, ex leg. *Quæsitum ff. de Legatis*: ergo peregrini non obligantur legibus loci, quibus obligantur cives, qui ibi stabiliter existunt: Præsertim quia nemo fit alteri subditus, itaut conveniri possit, aut puniri, nisi ratione originis, domicilii, vel quasi domicilii, & delicti, ut probat Farinac. lib. 1. praxis quæst. 7. ergo nec legibus ligari.

Unde sequitur, peregrinos non teneri servare consuetudines, & leges loci, per quem transeunt, si ibi, v. g., celebretur aliquod festum, aut indictum sit aliquod jejunium, & si prædictas leges non adimpleant, non ligabuntur censuris impositis contra violatores illarum, sive censuræ latæ sint per leges, & statuta, quæ respiciunt territorium; sive per sententiam, & præceptum hominis, quamvis generale, quod respiciat personas. Ratio est, quia hæc non cadunt nisi in subditos, & peregrini non sunt subditi: Unde in cap. *A nobis*, *De sententia excommunicat.* interrogatus Pontifex, an forenses comprehenderentur in excommunicatione lata ab Episcopo pro delictis futuris: Respondit, solos subditos comprehendi; quasi diceret, forenses, utpote non subditos, non comprehendi; ut interpretatur Sal. disp. 14. sect. 4. n. 44.

Ad primam rationem in contrarium respondetur, non turbari pacem Reipublicæ, si advenæ non obligentur legibus, quarum violatio non cedit in damnum loci: Præsertim quia possunt juxta probabilem sententiam oppositam a Superioribus puniri, tanquam violatores legum, quibus obligantur. Ad secundam diximus, disparitatem esse manifestam: Nam ad leges, quæ in utroque loco obligant, tenentur ex consuetudine quasi jure Gentium introducta: Non est autem absonum, quod advena ad breve tempus eximatur legibus patriæ simul, & legibus loci transitus, quando sunt diversæ; Nam adhuc ligatur innumeris legibus juris communis. Ad tertiam, verum est omnem legem respicere bonum commune, & violationem talis legis commune bonum impedire; hinc peregrini

non

non tenetur servare leges, quorum violatio impedit bonum commune; sed illas tantum, quarum violatio trahit speciale damnum in Republica. Ad quartam, illud dictum vel est merum consilium, vel, si est præceptum, intelligitur de iis, qui alicubi sunt animo permanendi ad longum tempus; vel quando imminet scandalum, aut damnum Reipublicæ, si non serventur; puta siquis vellet sine licentia alloqui cum scandalo Moniales, eo quod sit peregrinus; tenetur enim, ut diximus, ex jure naturæ peregrinus servare leges loci, quæ sine scandalo violari non possunt, aut sine gravi incommodo Reipublicæ. Ad quintam: Ab Episcopo puniuntur peregrini, vel quia Episcopi sequuntur opinionem contrariam; vel quia peregrini cum scandalo leges violant. Ad ultimam, nego doctos id existimare, cum sciant dari utrinque opinionem probabilem.

VII. Quæritur secundo, An peregrinus teneatur servare leges suæ Patriæ, unde discessit; seu An subditi teneantur servare suas leges extra territorium?

Respondeo, communiter Doctores contra Palud., Sylv. & alios apud Sal. disp. 14. sect. 5., & Dian. part. 1. tract. 10. resol. 14. docere, quod absens a suo domicilio, cum animo redeundi post breve tempus, non teneatur legibus domicilii relicti. Ratio potissima est, quia in cap. *Ut animarum*, *De Constitution. in 6.* Bonifac. VIII. dicit: *Statuto Episcopi*, *quo in omnes*, *qui furtum commiserunt*, *excommunicationis sententia promulgatur*, *subditi ejus extra ejus Diœcesim existentes minime ligari noscuntur*; *cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune*. Quam rationem desumpsit Pontifex ex leg. *ultim. ff. de Jurisdictione omnium Judicum*; ergo extra territorium Legislatoris subditi non obligantur propriis legibus. Et ratio est, quia Legislator in lege ferenda respicit bonum publicum suæ ditionis, & ideo extra illam leges non obligant subditos suos.

Dices primo, citatum textum solum velle, quod non possint excommunicari, & puniri, dum dicit, quod *non pareatur impune*; non vero, quod non possit obligari legibus secundum vim directivam subditus extra territorium existens. Nam contra est, quia si posset obligari, transgrediens legem esset contumax Ecclesiæ, & excommunicationem incurreret; cum ergo non incurrat excommunicationem, non obligatur iis legibus.

Dices secundo; Qui extra territorium est, adhuc est subditus, & pars Communitatis; ergo potest obligari. Respondetur tamen cum Suar., esse subditum habitualiter, non actualiter, & in ordine ad leges territorii.

Hinc inferetur, quod ubi consuetudo est comedendi ova, vel carnes, ibi possint peregrini eas comedere, quamvis in propria Patria tunc id non liceat: Verbi gratia, qui transit per Castellam, potest die Sabbati comedere extremas partes, & viscera animalium, quamvis id non permittatur in loco proprii domicilii; Et qui transit Mediolano, potest primi quatuor diebus Quadragesimæ post diem Cinerum vesci cibis paschalibus, prout ibi moris est. Immo qui Mediolano eunt ad locum, in quo non est receptum novum Kalendarium, eo tempore, quo non est inchoatum jejunium Quadragesimale, possunt vesci carnibus, & accommodare se loco, ubi sunt, juxta illud, *Cum fueris Romæ*, *Romano vivito more*; quamvis non sint jejunaturi eo anno omnibus quadraginta diebus. Ita Sal., Bonac., & Less. contra nonnullos Recentiores apud eundem Sal.: Sicut juxta aliquorum sententiam Neapolitanus potest non jejunare in pervigilio D. Bartholomæi, si die vigesimo quarto Augusti sit Beneventi, ubi non jejunatur, eo quod ibi eo die festum dicti Apostoli celebretur; esto pridie non jejunarit, scilicet die vigesimo tertio Augusti, eo quod tunc non existeret Beneventi, ubi propter tale pervigilium jejunabatur.

Verum quidem est quod peregrinus teneatur servare leges, quando sunt eædem in Patria, & in loco transitus; quia ita usu communi, & consuetudine obligatoria, veluti jure gentium introductum est; Sed in casu nostro non videtur esse eadem lex, quando uno die præcipitur Beneventi jejunium in obsequium S. Bartholomæi, & altero die idem præcipitur Neapoli: & quamvis jure communi præcipiatur semel in anno jejunium in pervigilio Sanctorum Apostolorum; at præcipitur juxta morem loci, in quo quis reperitur, ut notat Less.; ergo ratione diversorum locorum, in quibus peregrinus reperitur die vigesimo tertio, & vigesimo quarto Augusti, poterit liber esse ab obligatione jejunii; esto opposita sententia videatur probabilior, & in praxi sequenda.

Ex ea tamen non sequitur; quod siquis discedat ex loco, ubi receptum est novum Kalendarium, nondum expleto tempore Paschali, & perveniat ad locum, ubi est receptum, expleto tempore Paschali, non teneatur eo anno communicare. Nam præceptum Communionis in Paschate obligat semel in anno, itaut qui ob aliquod impedimentum non communicavit tempore Paschali, teneatur deinde statim, ac potest, communicare; quod non habetur in Præcepto jejunii. (*a*)

(*a*) „ Confer P. Biner in *Appar. erudit.* „ *ad Jurisprud. part.* 1. *cap.* 3. *num* 6. *seqq.*

VIII. Dubium hic est, An possit aliquis sine ulla necessitate iter arripere ad hunc tantum finem, ut vitet obligationem jejunandi, quæ est in proprio domicilio? Negant Ledesm., Sayr., Re-

Rebell. apud Dian. l. c. (*a*); quia ex Cap. *Sedes*, *de Rescriptis* fraus, & dolus nemini patrocinari debent; in casu autem nostro in fraudem legis hic discederet a proprio domicilio. Ideo Clem. X. in Constitutione, quæ incipit *Superna* prohibuit, ne Regulares absolverent peregrinos a peccatis, quæ reservationem habent in Diœcesi tantum peregrinorum, si in fraudem reservationis adeant aliam Diœcesim, ubi non habetur talium peccatorum reservatio; Et *leg.* 1. *ff. de aqua pluvia arcenda* prohibetur, ne quis divertat aquam ad agrum suum animo avertendi illam ab agro vicini, & nocendi illi, secus vero si id fecerit ob utilitatem propriam; in casu autem nostro videtur, quod fuga ista fiat animo nocendi Legislatori, & sic non est licita.

„ (*a*) Antoine, Cuniliat, & Concina *T.* 6. *Th.* „ *Chr. Lib.* 1. *diss.* 4. *c.* 7. *num.* 18. *seqq.*, imo hic „ de more oppositam opinionem *falsam*, & *laxam*, „ *nulla probabilitate fultam* pronunciat *num.* XIX., „ & P. vivæ irascitur, quod cavillationibus, & nu- „ gis hanc tueatur.

Sed communiter cum Suar., Sanch., Bonac, Pichler, Biner docent, licitum esse exire a loco, ubi viget, v. g., præceptum jejunii, aut festi, eo tantum animo, ut effugiatur obligatio jejunandi, aut non laborandi. (*b*) Ratio est quia in hac fuga homo utitur jure sibi concesso: Aliud enim est ponere impedimentum ad exequutionem præcepti obligantis; aliud vero fugere obligationem; Illud primum non licet; V. g., non licet projicere Breviarium, quando urget obligatio recitandi horas; & quando urget obligatio audiendi Missam, non licet mane ire, v. g. venatum in loco a Missa distanti, &c.; quia hoc est ponere impedimentum, atque adeo est transgredi præceptum; Nam quando præcipitur finis, præcipitur etiam positio mediorum ad finem, & remotio impedimentorum: Contra vero qui fugit a loco, ubi præceptum obligat, non transgreditur præceptum ullum; sicut nec transgreditur, qui petit dispensationem; quandoquidem præceptum, v. g., audiendi Missam obligat quidem ad non ponenda impedimenta ad audiendam Missam, sed non obligat, ne fugiatur obligatio præcepti, aut ne petatur dispensatio. Et ratio est, quia si adhuc posita fuga obligationis præceptum obligaret, certe obligaret simul, & non obligaret; obligaret ad non fugiendum, ut supponitur, & nullatenus obligaret, quia posita fuga obligationis nulla est obligatio (*c*). Hinc Sanch. & Pontius apud Lug. lib. p. de Responsis Moralibus dub. 36. docent, quod qui vult valide contrahere Matrimonium sine Parocho, & testibus, possit se conferre ad locum, ubi Tridentinum non est acceptatum; Quod si eo tantum animo id faciat, videtur non peccare, quia non potest dici fraudem committere, qui utitur jure sibi concesso, ex Reg. *Nullus videtur ff. de Reg. Juris*. Sed ex declaratione S. Congregat. apud eundem Lugo censendum hujusmodi Matrimonium invalidum, si cum fraude fiat. (*d*)

„ (*b*) Et in hanc sententiam propendere quoque „ videtur P. La Croix *Lib.* 1. *num.* 683., ubi & a- „ lios citat pro hac sententia. Nollem tamen cum „ Concina dicere: *P. Claudius* la *Croix .... adhæ-* „ *ret* huic sententiæ; ille enim suam sententiam non „ promit, sed tantum refert, quid sentiant, qui- „ busque innitantur rationibus hujus sententiæ pa- „ troni; in quo quidem etsi do, P. La Croix satis „ ostendere propensionem suam in eam opinionem, „ tamen Concinianum est, scilicet exaggeratum illud „ *adhæret*.

„ (*c*) Instat Concina: Siquis dolo, & fraude „ circumvenire Leges vellet, qua alia via id præ- „ stare posset? Respondeo, ponendo impedimentum „ ad exequutionem legis obligantis.

„ (*d*) Urget Concina. Si non favet fraus ad Tri- „ dentinam lege eludendam, cur patrocinari de- „ bet ad alias violandas? At facilis disparitas est; „ legislator enim universalis non prohibuit specialiter „ exire ea intentione, ut leges aliæ evitentur, quæ- „ madmodum Urbanus VIII. speciali decreto prohi- „ buit exire ad locum, ubi Tridentinum non est „ promulgatum, ad contrahendum ibidem clande- „ stine matrimonium. Siquid fuisset Concinæ acu- „ minis in disputando, debuisset potius ita efforma- „ re argumentum: ex Urbani Decreto exire ad lo- „ cum, ubi Tridentinum non est promulgatum *ideo* „ *præcise*, ut clandestinum contrahatur matrimo- „ nium, non est uti jure sibi concesso, sed exire „ *cum fraude*; ergo exire ad locum, ubi jejunium „ non est, *ideo præcise* ut non jejunes, est exire „ *cum fraude*. Equidem ingenue ut fatear, diffici- „ lis est disparitas. Quare quum Viva, ceterique „ qui ejus sententiam tuentur, omni studio con- „ tendant, fraudem ab eo non admitti, qui alio „ proficiscitur, ut lege non obligetur, atque idcir- „ co si fraus esset, peccare illum qui legem non ser- „ vat, satis aperte significent, in oppositam ego „ sententiam mallem abire; non tamen communis- „ simam opinionem auderem Conciniano more la- „ xitatis arguere, præsertim quum gravissimi AA. „ tum Theologi, tum Canonistæ illam defendant, „ & etiam a P. Schmier *Jurisp. Canonico-civil. Lib.* „ 1. *Tract.* 1. *c.* 5. *sect.* 3. *n.* 166. *verosimilior* dicatur „ dici fortasse posset, legem a S. C. latam servan- „ dam esse, sed rationem legis posse esse fal- „ sam. Verum particula *cum fraude* Legi adposita „ non ratio legis est, sed legis ipsius pars, alias „ nugatoria esset ea Congregationis responsio; quum „ enim casum unice fraudis excludat, nullaque a- „ lia fraus excogitari possit, quam discessus ex in- „ dustria matrimonii clandestine contrahendi caus- „ sa, quis responsioni locus, ubi fraudem esse neges „ dictum discessum ea intentione, quam exposui? „ Illud verius dici posset, & multo probabilius, le- „ gem jejunii, aliasque id genus esse prohibentes, „ irritantem esse legem Tridentini circa matrimo- „ nium clandestinum, fraudi propterea adscribi de- „ bere profectionem in regiones, ubi receptum Tri- „ dentinum non est, matrimonii gratia susceptam, „ secus respectu legum prohibentium. Verum etiam „ hoc responsum suis non caret difficultatibus. Ut „ ut est, etsi qui alio pergit ex. gr. ut non jeju- net,

„ net, non peccet contra legem jejunii, difficile tamen est eum excusare a culpa, saltem gulæ & intemperantiæ ob motivum scilicet, quo ductus a lege subtrahere se se cogitat.

IX. Hinc multi Doctores docent cum Suar., Basil., & aliis, quod habens casus in propria Diœcesi reservatos, & nolens suo Parocho confiteri, possit peregrinari ea intentione ut possit ab aliis absolvi in Diœcesi, ubi casus ille non est reservatus; quamvis Clem. X. in laudata Constitutione prohibuerit Regularibus, (& eadem videtur esse ratio in hoc de Secularibus Confessariis) ne hos absolverent, si in fraudem reservationis id facerent, hoc est, ut explicat Platelius num. *909.*, si id faciant ad declinandum proprii Episcopi judicium; Hac autem fraude circumscripta, si peregrinentur, ut opportunitatem habeant absolutionis, quam in propria Diœcesi habere non possunt, absolvi poterunt; Siquidem non dicitur fraudem committere, qui utitur jure sibi concesso; concedit autem jus commune, ut quilibet peregrinus possit absolvi a quolibet Confessario a peccatis omnibus non reservatis in Diœcesi, ubi confitetur, quamvis ea sint reservata, ubi pœnitens ea peccata commisit.

Demum ad id, quod additur pro contraria sententia, respondetur, quod fugiens a loco, ubi præceptum obligat, non intendit nocere Legislatori, aut ejus jurisdictionem minuere; quia ille extra territorium nullam habet jurisdictionem; sed intendit uti sua libertate, & ponere se, ubi præceptum non habet vim obligandi, idque ut sibi faveat, non ut alteri noceat; Unde non est cur peccat; Sicut peccat, qui avertit aquam ab agro vicini animo nocendi illi, & non subveniendi sibi. (*a*)

„ (*a*) Objicit etiam Concina S. Thomam 2. 2. *q.* 157. *a.* 4. *ad* 3., ubi ait: *si peregrinatio, & operis labor commode differri possit, aut diminui absque detrimento corporalis salutis etc. non sunt propter hoc Ecclesiæ jejunia prætermittenda.* Sed hoc ad rem non facit. Nam non licet ponere impedimentum ad exequutionem præcepti, quemadmodum in casu peregrinatio esset, & operis labor; nec quod peregrinatio illa bono animo susciperetur, quidquam probat, quum bona facienda non sint, ut eveniant bona; at alio proficisci, ut non jejunes, est solum fugere obligationem, quod licet, præscindendo ab hujus actus motivo, quod ut nuper dicebam, peccato facile obnoxium esse potest.

X. Dubium est secundo, An si in tua tantum Civitate sit dies festivus. (ut Neapoli est dies Sancti Augustini) tenearis eo die audire Sacrum, antequam exeas a Civitate?

Respondeo, certum esse, quod si in tua Civitate unum tantum Sacrum fiat, & antequam exeas, illud celebretur, tenearis illud audire, quia teneris præcepto habens opportunitatem implendi illud: nec est ratio, unde excuseris: Quare difficultas solum est, quando adhuc supersunt plures Missæ celebrandæ usque ad meridiem: Cum enim possis licite ultimam audire, poterisne ante auditionem Missæ egredi non audita Missa? Negat Suar., & Basil. apud Pal. quia sicut teneris die festo audire primam missam, si prævideas impedimentum ad audiendas alias sequentes, ita in casu nostro teneris audire missam, antequam egrediaris a Civitate: quia præceptum affirmativum obligat ad implendum illud statim, ac fieri potest, si non poteris deinde alia via illud implere. Verum opposita sententia est satis probabilis, quam Sal., & Sanch. lib. 3. disp. 18. sustinent, quia qui egreditur e Civitate, exemptus est ab obligatione, & præceptum non obligat audire primam missam, cum possit audire ultimam, nec obligat non egredi e Civitate: Obligat quidem ad audiendam primam Missam, si usque ad ultimam perseveret obligatio audiendi Missam: & prævideas te impediendum esse tempore ultimæ Missæ, v. g., ab infirmitate, aut alia de causa: Non tamen si prævideas tempore ultimæ Missæ te esse eximendum ab obligatione: v. g., si prævideas dispensationem tibi concedendam: ergo neque si prævideas te esse eximendum ab obligatione per hoc, quod velis egredi e Civitate, ubi solum obligat præceptum. Quare bene notandum est discrimen inter impedimentum, quod excusat tantum a præcepto, ut est infirmitas, oblivio, &c., & impedimentum, quod liberat omnino a præcepto: ut est dispensatio, & fuga ab obligatione præcepti: Impedimentum primi generis non potest licite poni, quia perseverat obligatio, & si prævideatur, debet præveniri adimpletio præcepti; secus vero impedimentum secundi generis.

XI. Dubium est tertio, an die jejuni discessurus e Patria, ubi tantum obligat præceptum, possit mane sumere jentaculum?

Respondeo, certum esse, quod non possit carnes sumere, quia præceptum negativum abstinendi a carnibus obligat pro singulis momentis, seu semper, & ad semper: Dubium solum est, an possit pluries comedere, antequam egrediatur e loco, ubi præceptum obligat? Affirmant Sal., Sanch. Suar., Less., quia jejunium consistit essentialiter in unica comestione per totum diem; ergo si vespere hic non obligatur ad unicam comestionem, nec mane obligabitur semel comedere per totum diem; unde potest jentaculum ex cibis Quadragesimalibus pluries sumere. Neque obstat, quod nondum sit posita causa, unde deobligetur ab unica comestione, videlicet egressus e loco, ubi jejunium obligat. Nam satis est certiudo moralis, quod sit egressurus e Patria, & sit liberandus eo die

ab

ab obligatione præcepti; ſicuti qui die jejunii vult laborare, poteſt prius jentaculum pluries ſumere, quia ſatis eſt certitudo moralis, quod ſit laboraturus, & ſic excuſandus ab obligatione præcepti. Hæc tamen ſententia videtur rejicienda cum Pal. hic, & Baſil.; quia ſicut nemo deobligatur mane a jejunio ob ſpem, & certitudinem moralem diſpenſationis veſpere futuræ; ita neque ob fugam a præcepto futuram. Nec paritas de laborante urget, quia hic deobligatur a jejunio etiam mane ob neceſſitatem laborandi urgentem; ſicut qui tota hebdomada laborat, deobligatur a jejunio die feſto, non ſolum ob defatigationem præteritam, ſed etiam ob neceſſitatem ad laborandum die ſequenti. Neque dicas, quod juxta priorem ſententiam etiam poſſit mane comedere, qui certus moraliter eſt de futura veſpere diſpenſatione, propter eandem rationem; quia ſcilicet obligatio unicæ comeſtionis reſpicit tractum ſucceſſivum totius diei; unde ſi moraliter certum eſt, quod in aliqua parte talis diei poſſit pluries comedere, certum etiam erit, quod non teneatur per totum diem ſemel comedere. Nam contra eſt, quia ſic non diſpenſatio, ſed ſpes diſpenſationis deobligaret; quod non videtur admittendum: Quando enim hic pluries comedit, nondum eſt diſpenſatio, ſed ſolum ſpes diſpenſationis, & vi talis ſpei a jejunio deobligaretur, non vi diſpenſationis futuræ, licet eodem die.

Ex quo etiam ſequitur, quod qui ex Oppido, in quo non jejunatur, diſcedit perventurus veſpere ad locum, in quo jejunatur, poſſit veſpere pluries comedere, ſi, antequam eo pervenerit, comediſſet carnes, aut ſi pluries comediſſet; ſi tamen unicam comeſtionem ſufficientem fecerit, tenebitur probabiliter veſpere jejunare, juxta ſententiam Joan. Sanch., & Pal. contra Leſſ., & Th. Sanch. lib. 1. Sum. cap. 12. n. 3.

Neque dicas, quod ſicuti juxta ſententiam gravium Auctorum a nobis cum Palao rejectam, poteſt pluries comedere ante diſceſſum, qui ex loco, ubi jejunatur, vadit ad locum, in quo non jejunatur, quia ſi tota die non obligatur ad unicam comeſtionem, nec obligabitur mane; ita qui poſt ſufficientem unicam comeſtionem egreditur e loco, ubi non jejunatur, & pervenit ad locum jejunii, poterit etiam pluries comedere, propter eandem rationem; quia ſcilicet ſi tota die non obligatur ad unicam comeſtionem, nec obligabitur veſpere. Sed diſparitas eſt, quia in primo caſu poteſt ille mane habere intentionem comedendi pluries veſpere in loco, ubi non jejunatur, & ſic ex illa intentione ponendi, quod licite poteſt veſpere poni, & excuſat a jejunio, mane etiam excuſatur; unde non obligatus ad unicam comeſtionem poterit jentaculum ſumere pluries. Contra vero in ſecundo caſu ille non poteſt veſpere habere intentionem comedendi pluries mane; Quamvis enim potuerit comedere, & ſic veſpere excuſari a jejunio, at de facto noluit ponere plures comeſtiones excuſantes a jejunio; Unde cum non detur de facto id, ratione cujus excuſetur, debet veſperi jejunare.

XII. Dubium eſt quarto, Utrum Sacerdos Græcus peregrinus tranſiens per Eccleſiam Latinam poſſit conſecrare in azymo juxta ritum Eccleſiæ Latinæ, an teneatur conſecrare in fermentato juxta ritum ſuæ Eccleſiæ Græcæ? Et idem quæritur de Sacerdote Latino, an ſi tranſeat per Eccleſiam Græcam, poſſit in fermentato conſecrare?

Reſpondeo, Ledeſm. velle, quod Sacerdos Græcus tranſiens per Eccleſiam Latinam debeat in azymis conſecrare: Communius tamen cum Sal., Suar., Bonac. docent, quod poſſit juxta morem ſuum conſecrare in fermentato, & poſſit juxta morem loci, per quem tranſit, conſecrare in azymo; dummodo in iſto loco Latinorum non reperiatur templum conceſſum Græcis, ut ibi celebrent ritu Græco; Nam ſi Peregrinus Græcus in eo templo celebraret, deberet utique conſecrare in fermentato, & e converſo Latinus in azymis, ſi celebret in Græcia in templo conceſſo Latinis, ut ibi celebrent ritu latino; quia perinde ſe haberent, ac ſi in propria Eccleſia celebrarent.

An autem Latinus poſſit celebrare in fermentato, v. g., Neapoli in templo conceſſo Græcis, ut celebrent ritu ſuo? Dubitant nonnulli. Docet Sal., quod in hac re uſus conſulendus ſit, qui erit optimus legis interpres; Suar. tamen apud Sanch. lib. 3. diſp. 18. n. 20. negat, quia eſt quaſi Privilegium ſolis Græcis conceſſum, quod poſſint ibi in fermentato conſecrare; Alii concedunt, ſi Eccleſia illa non ſit ſubdita Ordinario totius Civitatis; quia locus exemptus in aliqua Diœceſi exiſtens moraliter cenſetur quoad juriſdictionem eſſe extra Diœceſim; Unde ſi poteſt Latinus celebrare in fermentato, ſi ſit in Græcia; ita ſi ſit in templo hic conceſſo Græcis, quod tamen ſit exemptum a juriſdictione Ordinarii loci.

XIII. Dubium eſt quinto, An ſi Peregrinus committat delictum extra locum ſui domicilii, poſſit puniri a ſuo Superiore ratione talis delicti?

Reſpondeo, Baſilium de Leone lib. 5. cap. 7., & Gabriel. putare, non poſſe Superiorem punire ſubditum exiſtentem extra territorium, neque pro delicto commiſſo extra territorium, neque pro commiſſo intra territorium; quia in Cap. *Ut animarum*, *de Conſtitution. in 6.* habetur:

betur: *Extra territorium jus dicenti non paretur impune*. ergo ſicut Superior non poteſt legibus ſuis obligare ſubditum extra territorium, ex defectu poteſtatis ad dicendum jus extra territorium, ita nullam poteſt illi imponere pœnam; cum poſſit ille impune non parere. Sed communis ſententia docet, id eſſe verum, quando & ſubditus, & res, quam ſubditus operatur, ſit extra territorium; Contra vero, ſi res, quam operatur, ſeu delictum aliquo modo cenſeatur eſſe intra territorium; in tali enim caſu ſubditus poterit puniri a ſuo Superiore, & incurret cenſuras, & pęnas, quas alii ſubditi ſubeunt, ſi aliquo modo intra territorium delinquant. Quare ſi ſubditus extra territorium exiſtens jactu ſagittæ occidat hominem intra territorium, incurret cenſuram latam ibi contra homicidas: Sicut ſi quis extra Eccleſiam exiſtens jactu ſagittæ occidat hominem in Eccleſia, incurrit excommunicationem forte latam contra occidentes in Eccleſia; quia delictum eſt intra Eccleſiam comiſſum, quamvis extra Eccleſiam jnchoatum; (quicquid ſit, an hujuſmodi excommunicationem incurrat, qui in Eccleſia exiſtens occidat alium ſagitta extra Eccleſiam; quod negat Merol., eo quod delictum conſummatum ſit extra Eccleſiam). Eodem modo ſi beneficiarius in aliena Diœceſi exiſtens non reſideat in loco ſui beneficii, incurrit cenſuram latam contra non reſidentes ab Epiſcopo loci, in quo eſt beneficium; quia delictum, ſeu omiſſio reſidentiæ eſt intra territorium: Sic etiam ſi fur extra territorium exiſtat, & commiſerit furtum, quin ſatisfaciat intra menſem, nec ſe præſentet, incurrit excommunicationem latam adverſus furantes, niſi intra menſem ſatisfecerit, vel ſe ſiſtat Judici delicti, vel domicilii, in quo eſt lata excommunicatio; tunc enim ſi non ſe præſentet Judici delicti, nec ſatisfaciat, committit delictum in territorio per hoc, quod non ſe præſentet Judici territorii, ſeu domicilii, ut notant Azor., Sylveſt., Sal. ſect. 7.: quia Superior eſt Judex etiam in ordine ad delicta commiſſa extra territorium, quamvis non poſſit extra illud juriſdictionem contentioſam exercere; Unde poteſt puniri ſubditus, qui extra territorium commiſit delictum, ſi redeat ad territorium: Sicut ratione contractus alibi initi, & ratione rei alibi ſitæ, poteſt Judex territorii, & Domicilii jus, & juſtitiam alicui dicere, dum exiſtit intra territorium, ex Cap. *Dilecti Filii*. Demum quando lex fertur ad præcavendum ſpeciale damnum grave territorii, ſubditus extra territorium delinquens incurrit pœnam in lege latam, quia aliquo modo delictum dicitur eſſe intra territorium, quatenus damnum infert territorio; V. g. ſi prohibeatur extractio mercium a Civitate, venditio armorum inimicis, aut venditio rei ſitæ intra territorium, niſi juxta formam præſcriptam. Certum tamen eſt, quod nemo poſſit extra proprium territorium exercere juriſdictionem contentioſam, ſeu quæ indigeat teſtibus, citatione, & alia ſolemnitate, ne perturbentur Tribunalia: At imponere legem, quæ a ſubdito obſervari debeat ſub pœna in lege ſtatuta, non eſt exercere juriſdictionem contentioſam extra territorium, ſed voluntariam; quæ ſcilicet ex ſola voluntate Superioris exercetur ſine ſtrepitu ullo judicii; Unde ſubditus ea lege tenetur, ſi aliquo modo delictum dicatur eſſe intra territorium.

Præterea poteſt Epiſcopus præceptum particulare imponere ſubdito exiſtenti extra territorium, ob bonum privatum illius; V. g., poteſt alicui Clerico præcipere, & quidem ſub cenſura, ne extra Diœceſim Sacrum faciat; Sic provincialis poteſt imponere ſub pęna excommunicationis ſubdito extra Provinciam exiſtenti, ut ſemel in hebdomada jejunet; quia hoc non eſt dicere jus, ſeu ferre leges extra territorium. Addunt Suar., Bonac., & Pal. punct. 24. §. 5., communem eſſe ſententiam, quod poſſit Epiſcopus ferre præceptum generale in ſubditos, etiam extra territorium exiſtentes; v. g., ne furentur, ſub pœna excommunicationis. Ex quo etiam infert Pal. contra communem ſententiam, quod poſſit pariter legem condere, quæ etiam ſubditos extra territorium exiſtentes comprehendat, ſi detur gravis cauſa id requirens; quia non videtur, quare poſſit conſimile præceptum generale ferri, quod non expiret morte mandantis, & non etiam hujuſmodi lex; cum in neutro caſu exerceatur juriſdictio contentioſa, ſeu cum ſtrepitu Judicii, quæ Tribunalia perturbet; Qua tantum de cauſa extra territorium jus dicenti non paretur impune.

XIV. Dubium eſt ultimo, An quod dictum eſt de ſubdito exiſtente extra territorium, dici etiam debeat de ſubdito exiſtente in locis exemptis intra territorium Superioris exiſtentibus?

Reſpondeo cum Suar., Bonac., Azor., Pal., & aliis communiter apud Dian. par. 1. tract. 10. reſol. 14. affirmative; ideo enim dicuntur loca exempta, quia eximuntur a juriſdictione Ordinarii, & proinde ſe habent, ac ſi eſſent extra Diœceſim, cum non poſſit ibi Superior juriſdictionem contentioſam exercere, niſi caſibus in jure expreſſis, ut deciditur in Clement. *Archiepiſcopo*, *de Privilegiis*. Hinc Bonac. putat, quod Mediolani non teneatur ad jejunia ritu Ambroſiano preſcripta civibus, qui degit in monaſteriis exemptis Religioſorum, qui juxta Romanum ritum viventes ea jejunia non conſueverunt obſervarę; Et Dian. part. 10. tract. 14. reſol. 7. putat, quod ſicut non incurrit reſervationem, qui extra Dięceſim committit caſum

ſum in ſola Diœceſi reſervatum; ita nec reſervationem incurrat, qui idem peccatum committit in Monaſteriis exemptis; Sed quamvis communiter concedatur contra Marſilium, quod loca exempta ſe habeant veluti diverſæ Diœceſes, unde ſubditus ibi exiſtens non teneatur legibus ſuæ Diœceſis; ut, v. g., Barii eſt Eccleſia Sancti Nicolai, & in Civitate Barolitana eſt locus ſubditus Archiepiſcopo Nazareth; & in ſimilibus Parochiis exemptis; ibi enim poteſt ſine ſcrupulo laborari diebus feſtis de præcepto Epiſcopi; & poſſunt comedi carnes diebus jejunii ex præcepto ejuſdem, ut notat Fagund., & Avil. apud Dian. part. 1. tract. 10. reſol. 14.; Nihilominus negant etiam communiter, hoc idem accidere in Monaſteriis Religioſorum; quia Perſonæ religioſæ, non loca Religioſorum ſunt exempta, ut notat Suar. de Cenſ. ſect. 4. Pal., &Sal. diſp. 14. ſect. 6. n. 85.; Etenim Superiores regulares non habent relate ad locum ſui monaſterii juriſdictionem Epiſcopalem, (ſicut habet Archiepiſcopus Nazareth, v. g., Baroli in ſuo loco exempto) cum non poſſint punire exteros in ſuis Monaſteriis delinquentes; Et ideo ne delicta in Monaſteriis commiſſa a ſubditis Ordinario remaneant impunita, dicendum, quod ſubditus Ordinario, etiamſi in Monaſteriis exemptis exiſtat, teneatur legibus ſuæ Diœceſis, & incurrat reſervationem, non ſecus ac ſi extra Monaſterium peccaret; Sic enim conſuetudo id interpretatur, ut notat idem Sal. Et ratio ulterior eſt, quia aliter fruſtrarentur ſtatuta, edicta, & reſervationes, ſi tam facile quis poſſet ab eorum obligatione ſe eximere ingrediendo Monaſteria exempta.

Neque dicas, non ſolum perſonas regulares eſſe exemptas ab Ordinario, ſed etiam loca, cum in iis non poſſit Ordinarius erigere Tribunal. Nam licet hanc exemptionem habeant loca Religioſorum, at non eſt extendenda exemptio (cum ſit Ordinariis odioſa) ad caſus non expreſſos, ſeu ad hoc, ut ſubditi ibi exiſtentes non poſſint legibus obligari a ſuo Epiſcopo, propter rationem adductam; quia delicta ibi commiſſa remanerent impunita, eo quod Prælatus Regularis non poſſit exteros ibi delinquentes punire.

XV. Quæritur ultimo, an Vagi teneantur legibus loci, ubi degunt?

Reſpondeo, Leſſ. lib. 4. c. 2. diſp. 7., Sayr., Laym., & Joan. Sanch. putare, quod non teneantur, eo prorſus modo, quo peregrini. Sed communiter docent, teneri, quia cum nullum peculiare domicilium habeant, ſortiuntur illud in loco, ubi hic, & nunc habitant; & ſic tenentur legibus ejus loci: Aliter eſſent omnino liberi ab omnibus legibus Epiſcopalibus, & Municipalibus; quod licet non ſit abſurdum in peregrinis, quia brevi tempore durat eorum abſentia a proprio domicilio, eſt tamen abſurdum in vagis, quia diu vagari poſſunt; diſſidet enim id a recta eorum gubernatione. Adde, quod non aliter poſſint vagi acquirere jura proprii domicilii, niſi per hoc, quod ſubdantur legibus ejus loci; Ibi enim tenentur recipere Sacramenta neceſſaria, & Epiſcopus poteſt cum iis in votis diſpenſare, &c. Hinc infertur, Vagum puniri poſſe a Judice loci, in quo capitur, etiamſi delictum alibi commiſerit; ut communiter docent cum Farinac. apud Pal. Utrum autem remittendus ſit ad Judicem, in quo delictum commiſit, ſi ab eo petatur? Probabile eſt, tunc ſolum debere remitti, quando illa loca ſunt ſub eodem Principe; quia cenſetur Princeps velle, ut ibi puniatur, ubi delictum commiſit; ſecus vero ſi ſint ſub Principibus diverſis; tunc enim capiens vagum habet juriſdictionem ex præſenti habitatione in eo loco.

ARTICULUS IV.

An Clerici, & Religioſi teneantur ſervare leges civiles?

I. Non ligantur Eccleſiaſtici legibus civilibus immunitatem lædentibus.

II. Obligantur autem directe aliis legibus, quatenus a Sacris Canonibus approbantur.

III. Non tamen obligantur quoad vim coactivam.

IV. Conſuetudo in contrarium, quæ habetur in nonnullis caſibus, videtur per Bullam Cœnæ quotannis revocari.

V. Poſſunt quidem Laici hic, & nunc arma ab Eccleſiaſticis tollere, ne damnum ſequatur; ſed ea tradenda ſtatim ſunt eorum Prælato.

VI. Religioſi legibus Synodalibus, quibus Clerici aſtringuntur, non tenentur.

I. Certum eſt, Eccleſiaſticos eſſe exemptos a poteſtate civili, tum quoad judicia cauſarum omnium ſive civilium, ſive criminalium, tum etiam quoad ſolvenda tributa, ex Trident. ſeſſ. 24. cap. 20.; Nec ſolum perſonæ Eccleſiaſticæ, ſed etiam earum bona ſunt a temporalibus oneribus exempta, ex cap. *Noverit*, *de Sententia excommunicat.* Quare legibus immunitatem hanc lædentibus, utpote injuſtis, nullatenus ligantur. Dubium ſolum eſt de aliis legibus rectæ gubernationi Civitatis convenientibus: V. g. ne arma deferantur noctu, ne merces extrahantur, &c. ac de legibus imponentibus formam contractibus, & taxantibus pretia mercibus, an iis obligentur, tum quoad vim directivam, ſeu in conſcientia, tum quoad vim coactivam, ſeu ſub reatu pœnæ in lege ſtatutæ tranſgreſſoribus?

II. Quæritur itaque primo, An Eccleſiaſtici teneantur in conſcientia, ſeu quoad vim directivam ſervare leges civiles nullatenus lædentes Eccleſiaſticam immunitatem?

Reſpon-

Respondeo, communiter cum Vasq., Tolet., Suar., & aliis contra Navar., & Graffium apud Merol. disp. 4. cap. 3. dub. 45., & contra Lorcam, affirmative; tum quia decet Clericos aliis præbere exemplum; tum quia id expedit rectæ gubernationi Reipublicę, cujus sunt partes; tum demum quia hujusmodi leges approbantur in cap. *Si in Adjutorium*, *dist.* 10., ubi habetur, servandas esse leges civiles in iis quæ non sunt contra Canones, nec præjudicant Clericis.

Hac in re Laym., & alii apud Dia. part. 1. tr. 10. res. 12. existimant, Ecclesiasticos directe non obligari a legibus civilibus, (ut diximus de Legislatore,) quia jura Canonica generaliter dicunt, Laicis super personas, vel res Ecclesiasticas nullam esse tributam potestatem; sed indirecte obligari, quatenus positis legibus civilibus, lex naturalis dictat servandas esse illas a Clericis, quia pars non debet discordare a toto; præsertim quando id expedit rectæ gubernationi, & paci Reipublicę. Suar. tamen, Merol. Rebuff. probabilius putant, non obligari tantum indirecte, ut obligatur Legislator, tum quia contractus initi inter Clericos contra leges ponentes formam contractibus, non essent irriti, si Clerici non tenerentur iis legibus; tum etiam, quia sicut Legislator non peccat graviter, juxta communiorem, trangrediendo suas leges in re gravi, ita nec Clerici peccarent graviter; quod licet admittat Bonac., negant tamen communiter Doctores, putantes eadem obligatione teneri laicos, & Clericos ad servandas hujusmodi leges; Nam graviter puniuntur a Superiore Ecclesiastico Clerici transgredientes hujusmodi leges in re gravi, quod est signum obligationis gravis. Quare juxta hanc sententiam Clerici obligantur directe legibus civilibus per hoc præcise, quod a Sacris Canonibus illæ approbentur, & veluti canonizentur ad hunc effectum, ut notant Decius, & alii Canonistę ex cap. *Si in adjutorium*, *dist.* 10. Et ideo contractus initi a Clericis contra formam contractuum a legibus civilibus præscriptam sunt irriti, & Clerici si vendant merces ultra taxam a legibus civilibus constitutam, peccant contra justitiam, & ad restitutionem tenentur: Quamvis, ut diximus cum de Legislatore, forte etiam contra justitiam peccarent vendendo ultra taxam lege civili constitutam, etiamsi tali lege non obligarentur, eo quod posita tali taxa, tanti res æstimatur apud omnes: unde illud solum est pretium justum.

III. Quęritur secundo, An Ecclesiastici teneantur legibus civilibus, etiam quoad vim coactivam?

Respondeo cum communi contra Lorcam apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 12. negative. Certum enim est, jure canonico eos esse exemptos a pœnis per leges civiles statutis, ut constat ex cap. *Clerici*, & ex cap. *Qualiter*, *de Judiciis*, & aliis, quæ non solum probant de punitione, quæ causæ cognitionem requirit, sed etiam de punitione, quæ ipsi delicto est annexa.

Neque obstat primo, quod potestati præcipiendi conjuncta sit potestas puniendi; ergo si Principes laici possunt suis legibus civilibus præcipere Clericis, possunt etiam punire illos, si leges transgrediantur. Nam quamvis per se ita sit, potest tamen separari potestas præcipiendi a potestate puniendi per accidens, videlicet ex privilegio, quod de facto habent Clerici, & ex exemptione a Christo Domino, & a Summis Pontificibus concessa, quod non possint puniri, nisi a Superiore Ecclesiastico; qui licet possit, non tamen tenetur eandem imponere pœnam transgredientibus leges civiles, quæ per leges ipsas statuta est.

IV. Neque obstat secundo consuetudo satis usitata, quod puniantur Clerici a Laicis ob trangressionem istarum legum: Si enim noctu ferat arma Clericus, iis a laico spoliatur, nec restituuntur: Similiter si Clericus venetur in nemoribus reservatis, aut si ejus animalia aliqua damna faciant, cogitur solvere pœnas, & nisi solvat, ex ejus bonis pignora capiuntur ipso renuente; Et quando tenentur Clerici vel ex jure, vel ex permissione Pontificis contribuere ad reparationem viarium, pontium, &c. si non contribuant, apprehenduntur ejus bona, & fructus etiam beneficiorum.

Respondeo, nullatenus ea laicis licere absque speciali permissione Summi Pontificis: Putat Rebuff., hanc permissionem invaluisse ex consuetudine apud Gallos, & alios aliquos Principes, juxta privilegia sua a sede Apostolica concessa. Vide Clericatum cap. 27. num. 30. pro Republica Veneta. Sed Navar. Vasq., Sal., Pal. relinquunt Summo Pontifici judicandum, an talis consuetudo, & permissio per Bullam Cœnæ quotannis abrogetur, & revocetur.

V. Possunt quidem aliquando tolli a Clericis arma, non in pœnam, sed ne damnum aliquod hic & nunc sequatur, tunc autem debent Superiori Ecclesiastico tradi; Possunt etiam laici pignora accipere a Clericis, qui tenentur ad reparationem viarum, &c. contribuere, non quidem in pœnam, sed in contributionem debitam: Quamvis autem hæc exigi possint a nolentibus ea dare, puniri tamen nullatenus possunt.

VI. Quæritur tertio, an Religiosi, sicut tenentur servare prædictas leges civiles, non secus ac Clerici, ita teneantur etiam servare leges Synodales ab Episcopis latas Clericis, ut uniformiter cum iis se gerant?

Respondeo cum Granad., Suar., Sal. contra

tra Vasq., Sanch., Rodriq., Malder. apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 11., & Merol. cap. 4. n. 306. negative, ex cap. 1. *de privilegiis in 6.* & ex Trid. sess. 24. cap. 12., ubi eximuntur omnino a jurisdictione Episcoporum, & solum præcipitur, quod Episcopis obediant in festorum observatione in interdicto, & cessatione a Divinis. Nec tenentur ex lege naturali uniformiter se gerere cum aliis Ecclesiasticis Religiosis, nisi quando aliter adesset scandalum. Ratio est, quia habent sufficientem excusationem; cum enim arctentur obligationibus status Religiosi, non debent alias obligationes subire. Immo ut notat Suar., sicut Novitii non tenentur subire leges Professis impositas, ratione uniformitatis, quia hujusmodi leges non ligant nisi eos qui in eodem statu, & professione sunt, a fortiori Religiosi ratione uniformitatis non debent cogi ad servandas leges Clericis impositas; tum quia istæ imponuntur iis, qui in ea professione, ac statu sunt; tum etiam, quia Religiosi habent leges suas arctiores; Possunt aliquando per accidens teneri, ad vitandum scandalum.

QUÆSTIO IV.

De Effectibus legis, præsertim Pœnalis, Irritantis, & Dubiæ.

QUatuor ex D. Thom. num. 2. sunt actus, seu effectus legis, videlicet præcipere, vetare, permittere, punire. Addunt alii cum Isidoro Obligationem, Abrogationem seu revocationem alterius legis, Irritationem, seu anullationem contractuum, vel aliorum actuum, & Remunerationem, quos ad illos quatuor a D. Thom. enumeratos reducit Salas; quia Obligatio oritur immediate a præcepto, vel prohibitione legis; Abrogatio legis aliquando est mera ablatio legis, & sic non est noxa lex; vel si fit per novam legem, eo ipso est effectus novi præcepti, vel prohibitionis; unde ex præcepto, vel prohibitione, aut permissione novæ legis oritur abrogatio legis veteris; Irritatio etiam sub prohibitione continetur, quia eo ipso quod irritatur, verbi gratia, contractus Matrimonii, prohibetur, ne fiant ea, quæ contractu non valente sunt illicita; Et idem dicas de Legibus inhabilitantibus, vel concedentibus præscriptionem, habilitatem, &c. Remuneratio implicite ad punitionem reducitur, quia sicut malis pœna, ita justis premium debetur; quia tamen lex frequentius punit, & punitio solum a potestate publica legislativa haberi potest, contra vero remuneratio haberi potest, etiam a persona privata; ideo D. Th. solum punitionem posuit inter actus, seu effectus legis. Agendum nobis est speciatim primo de obligatione legis, præsertim pœnalis; Secundo, de effectibus legis irritantis. Tertio de obligatione legis dubiæ.

ARTICULUS I.

De obligatione Legis universim.

I. Possunt leges etiam civiles obligare in conscientia; quamvis non omnes de facto obligent, præsertim sub mortali.

II. Lex autem fundata in præsumptione non obligat, si presumptio sit falsa.

III. Quod si fundetur in præsumptione periculi, fraudum, &c., etiam in foro interno probabilius obligat, quamvis desint hic, & nunc fraudes, &c. nisi locum habeat Epicheja.

IV. Lex nequit obligare sub gravi in materia & secundum se, & relate ad finem levi.

V. Potest tamen in materia gravi obligare sub levi tam lex, quam votum.

VI. At juramentum in materia gravi semper obligat sub gravi.

VII. Quod lex in materia gravi obliget sub gravi, colligi potest tam ex verbis graviter præceptivis; tum ex usu, & consuetudine; tum ex materia de se gravi; tum etiam si gravis pœna addatur transgressoribus; nec lex sit civilis & pœnalis.

I. CErtum est, legem humanam, etiam civilem, nedum Ecclesiasticam, obligare posse in conscientia sub mortali, ut communissime docent contra Gerson., & Almain. apud Merol. cap. 3. dub. 21. Et constat tum ex Apost. ad Roman. 13., ubi dicitur, *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*; Tum etiam, quia ipsa recta ratio dictat, debere in Republica dari Superiores, & Principes, quibus subditi in conscientia parere teneantur: Et circa leges Ecclesiasticas usque adeo id verum est, ut proscripta sit ab Innoc. XI. propos. 52. dicens: *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, sepofito scandalo, si absit comtempus.*

Certum etiam est, non omnes leges obligare in conscientia, præsertim sub mortali, tum quia aliquando Superior expresse non vult in con-

conscientia obligare, nisi ad pœnam; lex autem non obligat ultra mentem Legislatoris, a qua pendet; Tum etiam quia sępe Superior non vult obligare subditos independenter a populi acceptatione; Populus autem sępe leges, præcipue civiles, non acceptat sub gravamine culpæ, præsertim mortalis. Ita Valent., Vasq., Bonac., & alii communiter.

II. Certum est tertio, legem humanam fundatam in præsumptione nullatenus obligare in conscientia, quando præsumptio est falsa, seu quando constat de opposita veritate: Verbi gratia, Pontifex in cap. *Vestiens*, *de Sponsalibus* statuit, quod sponsalia de futuro in matrimonium legitimum transeant per copulam carnalem subsecutam, quia præsumitur, quod ubi permittitur ut validum matrimonium clandestinum, talis copula habeatur ex aff ctu maritali, & sine peccato mortali; Si tamen constet, consensum ad matrimonium defuisse, matrimonium est nullum, & lex nullatenus obligat; Et eadem est ratio de sententia Judicis fundata in præsumptione falsa: Ratio est, quia præfertur veritas præsumptioni.

II. Si tamen lex aliqua feratur ex præsumptione periculi, fraudum, aut aliorum inconvenientium, quæ solent accidere, quamvis hic, & nunc non habeantur ista inconvenientia, adhuc lex obligat, non solum pro foro externo, quost est certum; sed etiam pro interno, ut communius docent apud Dian. part. 1. tr. 10. ref. 27.: Verbi gratia, lex Trident. sess. 24. cap. 15. prohibens fieri professionem ante decimum sextum annum fundatur in præsumptione, quod ante illam ætatem homo non habeat ad talem statum capessendum sufficientem maturitatem; Si quis tamen sit vere tunc doli capax, non per hoc poterit professionem emittere; Et ideo communius docent apud Dian. part. 1. tr. 10. ref. 28., quod cessante fine legis in particulari, non proinde cesset obligatio legis quamvis in tali casu sæpe locum habeat epicheja.

IV. Quæritur nunc primo, An possit lex obligare sub mortali in materia levi?

Respondeo, quod ut lex obliget sub gravi, requiritur materia, quæ secundum se, vel saltem in ordine ad finem sit gravis. Unde etiam præceptum in virtute Sanctæ obedientiæ in materia levi nonnisi leviter obligat. Ratio est, quia aliter lex esset injusta, & in destructionem, non in ædificationem. Ita communiter contra Cordub., Cajet., Armil. Neque dicas, præceptum Adæ impositum a Deo fuisse in materia levi, & obligasse sub gravi. Nam materia illa fuit gravis, ut notat Valent., ob circumstantiam, & finem legis, qui fuit, ut servaretur ab Adamo justitia originalis pro se, & pro posteris; unde esus cibi vetiti fuit gravis, quia ferebat amissionem justitiæ originalis pro se, & pro sua posteritate.

Præterea, ut docet Suar., materia illa fuit gravis ob finem gravem, quia fuit imposita in recognitionem obedientiæ Deo debitæ, & quasi in tributum humanæ subjectionis ad Deum.

Rogabis, unde cognosci possit materiæ gravitas sufficiens ad obligationem legis sub gravi?

Respondeo, materiam esse gravem, quando respicit virtutes graves, ut virtutes Theologales, aut Cardinales, castitatem, religionem, &c. ita tamen, ut violatio talis legis notabilem turpitudinem, & deformitatem in sua specie inducat, quod prudentium judicio judicandum est, spectata communi hominum æstimatione. Quare, ut materia sit gravis, & debet respicere finem gravem, seu intendere virtutem gravem, & debet graviter ad talem finem conducere. Hinc quia verba otiosa, mendacia, esus immoderatus secundum se non lædunt virtutes graves, ideo, secundum se sunt peccatum veniale; Nisi forte aliquando notabiliter læderetur virtus, ut per ebrietatem: Quia tamen, v. gr., transire per aliquam viam, accedere ad hortum, &c. potest aliquando esse occasio peccati, ideo ratione scandali vitandi, seu ratione finis gravis potest tunc præcipi sub gravi a Superiore Religiosis, ne per talem vicum transeant, ne ad hortum accedant. Unde fit, quod eadem res relate ad unum finem intentum a Legislatore aliquando sit gravis, & possit sub gravi præcipi, & relate ad alium sit levis, & non possit præcipi sub gravi; V. gr., auditio Missæ potest præcipi a Superiore Ecclesiastico sub gravi; quia graviter conducit ad profectum spiritualem, & ad cultum Dei intentum a Superiore Ecclesiastico: Eadem missa potest in aliqua Universitate præcipi Scholaribus, vel ab Abbatissa Monialibus, ut supra diximus, non in ordine ad profectum spiritualem, sed in ordine ad rectam gubernationem Communitatis; Et quia ad hunc finem non graviter conducit una Missa, ideo si una Missa ab his omittatur, non erit mortale.

Ex dictis infertur cum communi contra Fagund. part. 2. Eccles. l. 9. quest. 88. art. 3., quod neque vovens possit in materia levi obligare se sub gravi, quamvis id velit; Sicut nec confessarius obligare pœnitentem. Ratio est, quia votum est lex privata lata ab ipsomet vovente; lex autem in materia levi non potest obligare sub gravi, quantumcumque id velit Legislator.

V. Quæritur secundo, An viceversa possit in materia gravi lex obligare sub levi?

Respondeo affirmative. Ita communiter cum Suar., Sanch., Sal., Valent. contra Vasq., Reginald., & alios apud Bonac. num. 23. Et ratio est, quia lex non obligat ultra mentem Legislatoris;

tris; qui ſicut poteſt ſimpliciter nolle obligare in materia gravi, ſed tantum conſilium dare, ita poterit præcipere tantum ſub levi.

Neque dicas primo, legem naturalem non obligare ſub levi in materia gravi, ergo nec lex humana. Nam diſparitas eſt, quia lex naturalis eſt lex neceſſaria; non poteſt enim, verbi gratia, non prohiberi odium Dei, furtum, &c. & ideo obligat, quantum poteſt; lex vero humana eſt arbitraria, & ideo ſicut poteſt Superior ſimpliciter nolle obligare in materia gravi, ita poteſt nolle obligare ſub gravi.

VI. Neque dicas ſecundo, Votum non poſſe obligare ſub levi in materia gravi; ergo neque poterit lex humana.

Nam Sal., Bonac. contra Vaſq., Becan., & alios negant antecedens propter eaſdem rationes. Verum quidem eſt, quod juramentum in materia gravi obliget ſub gravi, (ut ſi quis juret ſe ingreſſurum Religionem) non tamen votum. Diſparitas eſt, quia in voto obligatio habetur ex voluntate voventis, qui poteſt velle promittere Deo ingreſſum Religionis, obligando ſe ad id ſub levi, & poteſt idem velle promittere, obligando ſe ſub gravi; At qui jurat, verbi gratia, ſe Religionem ingreſſurum, ad id ſe obligat ſub gravi; quia ſicut eſt gravis injuria Dei adducere illum in teſtem in re falſa, etiamſi leviſſima; (ut ſi quis juret, ſe non bibiſſe, cum de facto biberit) ita in juramento promiſſorio eſſet gravis injuria Dei, adducere illum in teſtem voluntatis ponendi rem gravem, ſi deinde ſine cauſa non ponatur: Quamvis probabiliter, ſi res ponenda eſt levis, obligatio non erit gravis, ſi mutato animo res non ponatur; quia veluti Deus parvipendit, quod ponatur res levis per juramentum promiſſorium promiſſa, dummodo, quando juramentum fuit præſtitum, fuerit animus ponendi rem illam: Sicut qui tranſgreditur votum in re levi, nonniſi venialiter peccat, quia Deus non eſt ſolicitus de re levi ſibi promiſſa.

VII. Quæritur tertio, Unde conſtare poteſt, quod Legiſlator velit ſuis legibus obligare ſub gravi in materia gravi? Satiſne erit, quod materia ipſa ſit gravis, & Superior non exprimat ſe velle ſub levi obligare, ut dicatur velle obligare ſub gravi?

Reſpondeo, Azor., Armil., Suar. lib. 5. cap. 3., Sanch. lib. 6. cap. 4. num. 60., Vaſq., Bonac., Sal., diſp. 14. ſect. 9., & alios communius putare, quod quoties aliquid ſtatuitur in materia gravi per verba præceptiva, toties habeatur obligatio gravis, niſi contrarium aliunde deducatur. Hoc eruunt ex Clement. *Exivi*, ubi Pontifex decernit, regulas Divi Franciſci obligare ſub mortali, ſi utantur verbo præcepti, aut quod æquipolleat præcepto. Et ratio a priori eſt, quia quoties Superior utitur verbis præceptivis, univerſim vult obligare in conſcientia; Et quamvis poſſit aliquid præcipi ſive ſub levi, ſive ſub gravi, tamen præſumendum, quod Superior velit præcipere juxta qualitatem materiæ: ergo ſi materia eſt gravis, cenſetur velle ſub gravi obligare. Hujuſmodi eſt lex præcipiens, verbi gratia, Sacerdoti, quod celebret jejunus, aut cum Sacris veſtibus; & lex præcipiens Medicis, ne tempore peſtis ab Oppidis abſint; ſicut etiam lex præcipiens, ne tempore famis frumentum extrahatur, quamvis in hoc detur parvitas materiæ.

Præterea procul dubio lex obligat ſub gravi, quando ita uſus, & conſuetudo obligationem legis interpretatur; Et de facto talis eſt lex de ſervandis feſtis, de jejunando, & alia præcepta Eccleſiaſtica. Addunt communiter, non ſolum ex conſuetudine argui poſſe obligationem gravem, ſed etiam ex verbis non quomodocumque præceptivis, (cum verbum *præcipio* indifferens ſit ad præcipiendum aliquid ſub gravi, vel ſub levi, & ad præcipiendum præcepto obligante in conſcientia, & præcepto pure pœnali) ſed verbis ſignificantibus aperte, quod Legiſlator velit præcipere ſub gravi; ut ſi dicat, *In virtute Spiritus Sancti, vel Sanctæ Obedientiæ, ſub indignatione Omnipotentis Dei, &c.* Vel ſi verba præceptiva ſint in materia gravi; nam ex materia gravi determinatur præceptum ad obligandum ſub gravi. Demum arguitur obligatio gravis, ſi verbis præceptivis addatur pœna gravis tranſgreſſoribus; ut ſi lex canonica præcipiat aliquid ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ, Depoſitionis, Degradationis, Privationis Eccleſiaſticæ ſepulturæ; Aut ſi lex civilis præcipiat aliquid ſub pœna mortis, mutilationis, exilii perpetui, flagellationis, infamiæ, triremis, carceris diuturni. Et ratio eſt, quia ut pœnæ iſtæ graves ſint juſtæ, debent ſupponere culpam gravem; ergo lex, quæ tales pœnas minatur traſgreſſoribus, obligat ſub gravi. De obligatione tamen legis pœnalis plurima mox inquiremus.

ARTICULUS II.

Ad quid obligat Lex Pœnalis?

I. Probabiliter lex civilis imponens pœnam tranſgreſſoribus non obligat ſub gravi, niſi id Superior explicet.

II. Lex pœnalis mixta probabilius obligat in conſcientia.

III. Lex Eccleſiaſtica imponens pœnam gravem in conſcientia obligat. At quænam dicatur pœna gravis? Num excommunicatio ſententiæ ferendæ? Num pœna Suſpenſionis? Quid de

de pœna privationis Officii, vocisque activæ, & passivæ?

IV. *Quænam pœna ipso facto incurratur ante sententiam Judicis?*

V. *Pœnæ, quę requirunt actionem hominis, non incurruntur ipso facto ante sententiam declaratoriam criminis.*

VI. *Probabiliter pœna privationis vocis activæ, & passivæ non incurritur ante sententiam declaratoriam criminis.*

VII. *Judex subditus tenetur pœnam lege taxatam imponere, nisi rationabilis causa exigat, ut minuatur.*

VIII. *Quandonam lex humana obligat etiam cum vitæ discrimine?*

I. Certum est, quod lex Ecclesiastica imponens pœnam gravem spiritualem transgressoribus obliget sub mortali. Probabilis tamen est sententia Navar., Covar., Reginald. lib. 15. num. 50., Pal. punct. 15., & aliorum apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 17., & apud Merol. cap. 3. dub. 27., quod scilicet nulla lex imponens pœnam temporalem quomodocunque gravem obliget in conscientia sub gravi, nisi aliter Superior exprimat, quod velit sub gravi obligare. Ratio est, quia potest optime Respublica obligare transgressores suarum legum ad pœnam sustinendam, quin obliget ad culpam; talis enim pœna esset justa, quia supponeret culpam politicam, seu civilem, non theologicam, seu peccatum; Sic potest custodibus in bello imponi vigilia sub pœna vitæ, quin obligentur sub mortali ad vigilandum; bene enim talis pœna imponitur a Republica ad defensionem sui juris, ne subditi audeant illud violare; Sicut effractoribus carceris imponitur pœna gravissima flagellationis; Quamvis communior sententia doceat, non committi culpam mortalem ab eo, qui fugit a carcere.

Neque dicas, quod se exponere periculo mortis sit peccatum mortale; ergo qui transgreditur legem comminantem pœnam mortis, peccat mortaliter, eo quod se exponat tali periculo. Nam, ut notat Dian. loc. cit. resol. 18., potest aliquis tam caute legem transgredi, ut non subsit periculo ut deprehendatur: Prætérquamquod hoc peccatum mortale committeretur per transgressionem legis naturalis de non exponendo se periculo vitæ, non per transgressionem legis illius positivæ.

Adde, non esse imponenda opera, & vincula subditis sine manifesta necessitate; nulla autem necessitas videtur obligandi ad culpam transgressores legis, quando sufficienter timore solius pœnæ possunt arceri a transgressione.

Confirmatur primo, quia cum Superior sciat, opinionem hanc Navar., & aliorum esse probabilem, & non exprimat, quod velit ad culpam obligare, præsumendum, quod nolit obligare ad culpam, præsertim gravem. Confirmatur secundo, quia in dubio obligationis mitior interpretatio facienda est.

II. Quæritur nunc primo, an sicut est probabile, quod lex imponens pœnam temporalem, si sit pure pęnalis, non obliget in conscientia nisi ad subeundam pœnam a Judice irrogatam; ita probabile etiam sit, quod nec obliget in conscientia lex pœnalis mixta? Dicitur autem lex pure pœnalis, quæ non est præceptiva, sed solum pœnam imponit transgressoribus; Ut si lex dicat; Qui arma portaverit, talem pęnam subeat; non secus ac quando quis vovet conditionate eleemosynam, vel ingressum Religionis, si v. g. luserit. Hic enim si luserit, non peccat contra votum ludendo, sed peccat, si post lusum non eroget stipem, aut non ingrediatur Religionem: Dicitur vero lex pęnalis mixta, quæ simul aliquid præcipit, & simul pęnam imponit transgressoribus; Ut si dicat lex, Præcipimus, ne quis arma ferat sub pęna capitis.

Respondeo nunc, Becan., Granad., Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 60., Vasq., & alios docere, quod lex pęnalis mixta obliget in conscientia: Quod a fortiori autumant Suar., Sal., Azor., Less., & alii apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 17. docentes, quod etiam lex pure pęnalis obliget in conscientia. Non desunt tamen, qui cum Villalob., Navar., Valent., & aliis apud Dian. loc. cit. resol. 22. putent, ne legem quidem pęnalem mixtam obligare in conscientia; propter easdem rationes adductas pro lege pure pęnali; Quam sententiam probabilem putat Filliuc. tom. 2. tract. 21. cap. 11. num. 418. Sed Suar., & Sanch. apud Merol. cap. 3. num. 304. probabilius putant, legem esse pure pœnalem, si spectet materiam politicam, vel non magni momenti; secus vero si spectet bonos mores, & vitiorum extirpationem.

III. Quæritur secundo, An lex Ecclesiastica imponens pœnam spiritualem semper obliget sub mortali?

Respondeo, certum esse apud omnes, quod lex Ecclesiastica imponens pœnam excommunicationis latæ sententiæ obligat sub gravi, quia excommunicatio non solum est pęna gravissima, sed etiam, ut incurratur, debet supponere contumaciam contra præceptum Ecclesiæ, atque adeo peccatum mortale; Et eadem est ratio de pœna depositionis, degradationis, privationis Ecclesiasticæ sepulturæ, &c. Certum etiam est, quod ea obliget tantum sub levi, si imponat pęnam excommunicationis minoris, quando materia de se non est gravis. Ratio est, quia pœna excommunicationis minoris censetur levis, quamvis privet perceptione Sacramentorum; quia scili-

ſcilicet ea facile tolli poteſt per quemcumque confeſſarium, & probabiliter per quemcumque Sacerdotem: Nihilominus communicare in Divinis cum excommunicato, licet ferat in pœnam ſolam excommunicationem minorem, quia tamen materia præcepta de ſe eſt gravis, ideo peccat mortaliter, qui in Divinis communicat cum excommunicato, quamvis non contrahat in pęnam niſi excommunicationem minorem, ut communiter docent apud Pelliz. tract. 7. cap. 2. ex cap. *Statutum* de ſententia excommun. in 6. Et Suar. diſp. 24. de Cenſ. ſect. 3. notat, per poſteriora jura debere antiquiora explicari, quatenus videtur oppoſitum definire, præſertim in cap. *Significavit* de ſententia excommun., de quo plura in Gloſſa.

His poſitis, Difficultas eſt primo apud Doctores, An lex obliget ſub gravi, ſi in pœnam imponat excommunicationem comminatoriam, ſeu ſententiæ ferendæ? Communiter volunt, obligare ſub gravi talem legem; quia pœna eſt gravis: Quamvis Navar., Caſtrenſ., Cajet., Valent., apud Dian. part. 1. tract. 10. reſol. 21., & Merol. cap. 3. dub. 27. putent obligare ſub levi, quia antequam excommunicetur tranſgreſſor, debet præcedere monitio; unde tunc incipit peccare mortaliter, quando poſt tranſgreſſionem delinquens admonitus non vult ceſſare a tranſgreſſione; Quam ſententiam probabilem putat Salon.. Unde juxta hanc ſententiam peccat venialiter præciſo ſcandalo Clericus, qui comam nutrit, quamvis in cap. *Si quis*, *de Vita*, *& Honeſtate Clericorum* dicatur, quod ſit excommunicandus.

Difficultas eſt ſecundo de pœna Suſpenſionis, Interdicti, & Irregularitatis. Communiter etiam docent, legem obligare ſub gravi, ſi has pœnas imponat: Quamvis Cajet., Navar., Valent., Salon., & alii apud eundem Dian., & Merol. putant obligare ſub levi; quia iſtæ pœnæ poſſunt incurri etiam propter peccatum veniale;& irregularitas etiam ſine ulla culpa.

Communis tamen ſententia docet cum Sanch., & Suar., Suſpenſionem, & Interdictum tunc eſſe pœnas leves, quando aliquis ſpecialis actus illarum ad breve tempus imponitur tranſgreſſoribus legis; & in eo ſolum caſu legem obligare ſub levi. Irregularitas vero ſemper eſt pęna gravis, ſi propter delictum imponatur, quamvis ſine delicto incurratur (verbi gratia, ab illegitimo, a cæco, claudo, &c.) irregularitas, non quæ ſit pœna, ſed quæ ſit impedimentum canonicum ad ordines exercendos, & ſuſcipiendos.

Quod attinet ad pęnam privationis officii, vociſque activæ, & paſſivę communiter cum Salas, Duardo, Peirino apud Dian. part. pr. tract. 10. reſ. 22. docent eſſe pœnam gravem, quæ indicet Legiſlatorem velle ſub gravi obligare; ideoque S. Congregatio apud eundem Dianam declaravit, decretum Sixti V. obligans Regulares, ne accedant ad Monaſteria Monialium ſub his pęnis, obligare ad peccatum mortale: Immo ad id obligare, etiamſi per modicum tempus cum Monialibus colloquantur, declaravit pariter S. Cong. die 11. Maji 1669. approbante talem declarationem Clem. IX., qui illam typis dari, ac ſervari juſſit. Quare non ſunt audiendi, qui apud Dianam loco laudato putant probabile, quod talis pœna non indicet gravem obligationem, eo quod videatur lex iſta eſſe pœnalis, & probabiliter pęna iſthæc non incurratur ante ſententiam declaratoriam criminis, ut mox dicemus.

IV. Quæritur tertio, An quando in lege pœnali dicitur, quod tranſgreſſor ipſo facto pęnam ſubeat, teneatur in conſcientia pœnam ſubire ante ſententiam Judicis?

Reſpondeo, poſſe quidem legem humanam obligare ad ſubeundam ipſo facto ante ſententiam Judicis pęnam proportionatam delicto, dummodo non ſit nimis atrox, ut communiter docent contra Sot.; De facto tamen incurruntur ipſo facto in conſcientia pœnæ, quæ nullam hominis actionem requirunt, ſed conſiſtunt in paſſione, & per ipſam legem pœnam inferentem executioni mandantur; ut ſunt cenſuræ, irregularitas, &c.: Et eadem eſt ratio de lege irritante, & inhabilitante; Et ratio eſt, quia ita fecit uſus, & conſuetudo, ut pęnæ iſtæ ante ſententiam Judicis, etiam criminis declaratoriam, ipſo facto incurrantur, ſi in lege ſtatuatur pęna ipſo facto, vel ipſo jure incurrenda. Beneficiarii pariter omittentes officium incurrunt etiam ipſo facto onus reſtitutionis fructuum; Verum tale onus non eſt pęna, ſed oritur, quia non faciunt fructus ſuos.

V. Quando tamen pœnæ per legem impoſitæ requirunt actionem hominis, ut pęna mortis, carceris, flagellationis, privationis rei propriæ, quæ per actionem vel tertiæ perſonæ, vel ipſius delinquentis infligi ſolent, communiter Doctores docent apud Dian part. 1. tract. 10. reſ. 23., quod reus non teneatur talem pœnam ſubire ante ſententiam declaratoriam criminis; quamvis in lege dicatur, quod ipſo facto illa pęna incurratur; Intelligitur enim, quod ipſo facto incurratur poſt ſententiam declaratoriam criminis; niſi aliunde conſtet, quod Legiſlator velit, ut pœna aliqua moderata ante quamcumque ſententiam Judicis incurratur: Et ratio eſt, tum quia ita fert uſus, & conſuetudo; tum etiam quia alias lex eſſet nimis rigoroſa, & inhumana; tum demum quia in cap. *Cum ſecundum leges*, *de Hæreticis in 6.* dicitur, quod ipſo facto incurratur pœna confiſcationis bonorum ab hæreticis; & deinde additur requiri ſententiam declaratoriam criminis. Immo addunt Molin., Sanch.

Sanch.c. 22. contra Vasq., quod post sententiam declaratoriam criminis, neque teneatur reus offerre bona sua, cui adjudicantur, sed tantum teneatur non resistere, ut bona ab eo exigantur. Similiter Less., Sanch., Vasq. & Pal. fuse punct. 30. apud eundem Dian.contra Molin., Reginald. Rebel. docent, pœnam conventionalem appositam in contractu ante sententiam Judicis non deberi. Circa pœnam privationis vocis activæ, & passivæ communiter docent apud Dian. loc. cit. res. 24., quod ipso facto incurratur ante sententiam declaratoriam criminis; sicut certum est incurri ipso facto privationem facultatis petendi debitum, quam contrahit conjux incestuosus; & qui post votum simplex Castitatis contrahit Matrimonium, similiter ipso facto incurrit impedimentum dirimens matrimonium propter adulterium, quod quis, fide data de futuro matrimonio cum aliqua, commisit; Sicut statim a Simoniacis incurritur pœna inhabilitatis ad beneficia: Et ratio est, quia hujusmodi inhabilitates, & privationes comparantur censuris, & irregularitatibus, nec ex usu ulla disparitas assignari potest; ad illarum enim executionem non requiritur hominis actio, sed satis est ipsa lex, & voluntas Legislatoris significata per verba illa *ipso facto*, ut statim pœna executioni mandetur. Et ratio radicalis horum omnium est, quia frustrarentur ejusmodi leges, nisi pœnæ istæ incurrerentur ante sententiam Judicis non solum condemnatoriam, sed etiam declaratoriam criminis, eo quod raro possent ad Judicis notitiam hæc delicta devenire.

VI. Nihilominus Sot. apud Dian. loc. c. res. 23. putat, privationem, vocis activæ non incurri ante sententiam declaratoriam criminis; quod etiam docent Molin., Granad., Malder., & alii; ne electiones omnes reddantur incertæ; & quia ita fert consuetudo: Et circa privationem vocis passivæ, nemo tenetur illam subire ante sententiam Judicis cum sua infamia.

Adde ex Sanch. lib. 6. c. 17. num. 39. contra Rodriq., Less., & alios apud Merol. dis. 1.c.2. n. 523., quod quamvis in motu proprio Pii V. dicatur, quod Religiosi admittentes fœminas intra claustra Monasteriorum incurrant ipso facto, & sine alia declaratione pœnam privationis suorum officiorum, & inhabilitatis ad illa; tamen hæc etiam pœna, ut incurratur, requirit sententiam declaratoriam non quidem pœnæ, sed criminis, ut multi apud eundem Sanch. interpretantur. Sicut etiam pœna privationis officiorum imposita iisdem verbis in Extravang. *Ambitiosæ* contra Rectores Ecclesiarum alienantes bona suorum Beneficiorum. Ratio est, quia hujusmodi pœnæ requirunt actionem hominis, ut fert consuetudo; & quia nimis rigida esset lex, si obligaret hominem, ut sponte deponat sua officia, nempe Provincialatum, Superioratum localem, &c. Neque dicas cum Merol., quod esset Superfluum addere illa verba, *ipso facto*, & *sine alia declaratione*. Nam per illa verba *ipso facto* significatur, quod non requiratur sententia condemnatoria, sed satis sit sententia declaratoria criminis, & per illa verba *Sine alia declaratione* significatur quod non requiratur sententia daclaratoria pœnæ: statim enim ac declaratum est crimen, incurritur pęna a lege imposita.

VII. Quæritur quarto an lex pœnalis obliget Judicem ad infligendam reo pœnam præscriptam, quin possit illam minuere, vel augere?

Respondeo cum D. Th. 2. 2. quæst. 67. num. 4., & aliis communiter apud Pal., Principem supremum posse arbitrari; quia ille sua lege non coarctatur; Satis enim est, ut legi naturali obediat de non puniendo ultra modum delictum leve, aut nimis leviter delictum grave, quando id non expedit ad bonum commune. At Judex subditus Legislatori tenetur legem Superioris servare, & sic pęnam in lege taxatam imponere, quamvis pars lęsa injuriam remitteret: Lex enim pęnam taxans obligat Judicem ad illam imponendam; quin tamen teneatur reus illam subire, antequam imponatur; Quare sicut contra justitiam commutativam peccaret, qui venderet merces ultra pretium justum legale, seu ultra taxam impositam a lege; ita peccaret contra justitiam legalem Judex, qui pœnam a lege taxatam non imponeret.

Neque dicas, sæpe Judices illam minuere, & sæpe a Religiosis eos rogari, ut remittant. Nam aliquando potest minui per epichejam; (quando scilicet adsunt rationabiles causæ; aliter Judex ex leg. *Servos* Cod. *in legem Juliam* minuendo pœnam debitam est infamis) aliquando apud Judicem interpellatur, non ut pęnam justam minuat, sed ut, si res aliquo modo sit dubia, mitior interpretatio fiat; & ut tantum de pœna remittatur, quantum intra latitudinem justitiæ fieri potest.

VIII. Quæritur ultimo, an lex humana obliget aliquando etiam cum periculo vitæ?

Respondeo, tunc ad id obligare, quando id expedit ad bonum commune: V. gr., tempore pestis potest Princeps obligare subditos ad serviendum infirmis, & tempore belli ad custodiendam civitatem, etiam cum periculo vitæ; aliter bonum publicum periclitaretur: Sic in corpore humano exponitur membrum sectioni ad conservandam vitam, & membrum minus principale exponitur ad conservationem principalioris. In aliis casibus lex humaua non obligat cum gravi incommodo; quia Respublica est mater, non matertera, est gubernatrix, non domina; & iniqua esset gubernatio, si vitam privatorum exponeret absque necessitate boni communis.

Carthusiani autem ex Vasq. contra Sanch. apud Dian. part. 5. tract. 3. resol. 136., & tract. 4. resol. 32. obligantur cum periculo vitæ ad abstinendum in infirmitate a carnibus, non quidem ex voto, sed ex statuto, & consuetudine Religionis; quia spectare videtur ad bonum commune Religionis, ut ea consuetudo vigeat etiam in articulo mortis.

ARTICULUS III.

De Effectibus legis irritantis.

I. *Lex aliquando vult contractum esse irritum, aliquando vero irritandum.*

II. *Si lex irritet contractum in pœnam delicti, dicitur lex Pœnalis; secus vero si illum irritet ob bonum commune.*

III. *Quænam verba legis denotant contractum esse irritum; quænam vero esse irritandum?*

IV. *Ex actu irrito lege humana nulla oritur obligatio in conscientia: idque etiam verum est, etiamsi lex irritans fundetur in præsumptione fraudis, quę absit reapse.*

V. *Si lex tamen præsumat fraudem in singulis casibus, cessante fraude, certe non obligat, secus vero si præsumatur fraus ut plurimum.*

VI. *Regulariter, si irritatio actus sit pęnalis, requirit sententiam Judicis, ut illum irritet, non tamen si lex irritans non sit pęnalis.*

VII. *Lex prohibens actum non eatenus universim illud irritat.*

VIII. *Actus ex defectu formæ substantialis est irritus. Sed quænam dicantur pertinere ad formam substantialem actus; quænam ad accidentalem?*

IX. *Ex regulis præjactis plura ad praxim inferuntur.*

X. *Actus præceptus, vel prohibitus in casu arduo pati potest. Epichejam; Actus vero, qui ob defectum solemnitatis a jure præscriptæ est irritus, ut Matrimonium clandestinum, in nullo casu est validus.*

XI. *Cur possit Episcopus ex urgentissima causa dispensare in impedimento dirimente, verbi gratia consanguinitatis, non tamen in impedimento Clandestinitatis?*

XII. *Lex irritans sicut non patitur epichejam, ita obligat etiam ignorantes illam.*

XIII. *Sicut ignorantia legis non impedit actus irritationem, ita nec metus.*

XIV. *Non cessat obligare lex irritans, si finis legis esset negative; secus vero si esset contrarie.*

I. LEx aliquando irritat contractum, vel alium actum, qui seclusa lege irritante validus foret: Expedit ad bonum Reipublicæ, ut in legislatore sit ea potestas; Sicut enim quilibet potest in suo contractu conditionem apponere, sine qua nolit se obligare; ita Legislator in bonum commune potest in contractibus subditorum apponere aliquas conditiones, sine quibus contractus non obligent, & sint irriti. Porro aliquando lex irritat contractum ipso facto, ut irritatur a Tridentino Matrimonium clandestinum; sic etiam ipso facto irritum est Matrimonium cum impedimento dirimente; necnon contractus impuberum, & alienatio rerum Ecclesiæ non servata debita forma. Aliquando vero lex non vult, contractum esse ipso facto irritum, sed vult, quod per Judicem irritetur, ut est contractus, in quo intervenit deceptio ultra medietatem justi pretii, ex *leg. 2. Cod. de rescindenda venditione.*

II. Ex quibus apparet, an lex irritans dicenda sit pœnalis? Si enim id faciat in pœnam delicti, est pęnalis; ut contingit in lege irritante Matrimonium ob crimen uxoricidii, & adulterii cum promissione futuri Matrimonii, & in lege irritante electionem ad beneficium ob simoniam commissam. Contra vero non est pœnalis, si non in pœnam delicti, sed ob bonum commune feratur, ut lex irritans Matrimonium clandestinum, Professionem ante decimum sextum annum, &c.. Sicut enim datur duplex irregularitas, altera in pœnam delicti, altera ob indecentiam status; ita datur duplex lex irritans, altera pœnalis, altera vero propter bonum commune.

III. Quæritur nunc primo, unde cognosci possit, num lex irritet actum ipso facto, an velit irritandum esse?

Respondeo, citra controversiam reddi actum irritum, si lex expresse dicat, Talis actus sit irritus ipso jure, ipso facto, eo ipso, ex tunc, &c.; Vel si dicat, Nullius sit momenti, valoris, aut efficaciæ, pro infecto habeatur, inutiliter agat, frustra fiat; Aut si in translatione dominii dicatur, Non faciat suum, non possit in conscientia recipere, vel retinere. Quod si dicat, Careat omni robore, omni jure, firmitatem non habeat, distinguendum est; Nam si hæc verba cadant supra actum, reddunt illum ipso jure irritum; si cadant supra personam, verbi gratia, Privetur omni jure, ammittat omne jus, &c.; significant, actum esse irritandum, quia universim actus dicendus validus, quoties clare non constat esse irritum.

Præterea si verba legis dicant, Non possit hoc fieri, aliquando significant, actum esse illicitum, non invalidum, sed regulariter loquendo dicendum est, quod irritum reddant actum, ex Pal. punct. 17. Nam vel materia legis pendet ab ipso Principe, & lege, ut est administratio bonorum communium, electio, officium tutoris,

ris, &c., & quando in his dicitur, quod aliter fieri non possit, omnes Doctores conveniunt, quod tollatur potestas ad actum, & sic actus erit nullus; etenim, ut sit validus, requiritur potestas ad actum, quæ ab ipsa lege detur; Quare cum a lege non detur ista potestas, erit invalidus. Quando vero materia legis est proprii dominii, seu pendet a voluntate subditi, ut donatio rei propriæ, alienatio proprii patrimonii; si lex dicat, Non possit aliter alienari, quamvis videatur alienatio esse tantum illicita, tamen regulariter loquendo hujusmodi actus sunt invalidi; quia cum possit potestas ad id faciendum tolli, vel limitari a Republica, censendum, quod velit illam tollere per legem: Unde communiter cum Farinac. docent, quod leges dicentes, Non posse, verbi gratia, fieri donationes inter conjuges, contractus minoris, &c., omissis conditionibus præscriptis, irritent tales actus.

IV. Quæritur secundo; An ex actu lege humana irrito oriatur obligatio in conscientia?

Respondeo, ex tali actu in utroque foro nullam haberi obligationem. Ratio est, quia ex actu, cui lex resistit, nulla oritur obligatio, ex leg. *Cum pupillus ff. De Constitution.*, lex autem resistit actui, quem irritat; ergo ex illo nulla oritur obligatio. Hinc Matrimonium clandestinum, quia est irritum lege humana, non parit ullam obligationem naturalem in foro conscientiæ reddendi debitum; immo usus matrimonii esse fornicarius, & illicitus. Hinc etiam est, quod res accepta ex contractu invalido restituenda sit cum fructibus; quia scilicet talis lex irritans translationem dominii obligat in conscientia. Putant multi, quod lex irritans fundata in præsumptione non obliget in conscientia, quando revera præsumptio est falsa; Unde putant testamentum minus solemne obligare in conscientia; quia lex irritans tale testamentum fundatur in præsumptione fraudum, quæ aliquando est falsa. Sed communius docent oppositum; nam matrimonium clandestinum est in utroque foro irritum, quamvis lex illud irritans fundetur in præsumptione fraudis. Unde communius docent in materia de contractibus cum Bonac. disp. 3. q. 17. punct. 3. num. 5. contra Less. lib. 2. cap. 3. disp. 3., Molin., Sa, quod testamentum sine solemnitate requisita factum, & non causa pietatis (nam si fiat causa pietatis, non requiritur solemnitas juris civilis, ex cap. *Relatum*, *De Testamentis*) sit irritum etiam in foro conscientiæ, itaut nullam inducat obligationem naturalem; quia in jure dicitur, quod imperfectum testamentum nullum sit, testamentum autem carens solemnitate est imperfectum, & ideo nullum. Unde fit, quod hæres non teneatur solvere legata, quæ non sint ad causas pias, facta in testamento minus solemni; Sicut etiam, quod hæres ab intestato non teneatur quicquam tradere hæredi instituto ex testamento minus solemni: Demum ex Bonac. hæres non tenetur in conscientia adimplere voluntatem testatoris, quam ipse testator expressit in schedula scripta, & subscripta propria manu; quia ista scriptura non habet vim testamenti solemnis; Quamvis inter liberos vim habeat testamenti, ex Auth. *Quod sine* Cod. *de Testamentis*.

V. Quare notandum ex Sal. disp. 16. sect. 10., aliquas leges fundari in eo, quod Legislator aliquid præsumat in singulis casibus; Ut lex, quæ ante Tridentinum statuebat, sponsalia de futuro transire in matrimonium per copulam; quia præsumitur in singulis casibus cum copula advenire novum consensum requisitum ad matrimonium; Sic etiam sententia Judicis præcipiens restitutionem aliquam propter fraudem præsumptam: Et istæ leges nullatenus obligant, si præsumptio sit falsa. Aliæ vero leges fundantur in eo, quod Legislator non in singulis casibus, sed plerumque aliquid præsumat, ut v. g., lex irritans professionem ante decimum sextum annum, matrimonium clandestinum, &c., & istæ leges obligant etiam in casu, quo præsumptio est falsa. Et ideo sententia communior fert, quod, cessante fine legis in casu particulari, non cesset legis obligatio. Vel dicas, aliquando Legislatorem velle, ut lex obliget in singulis casibus, etiamsi falsa sit præsumptio, in qua fundatur; ut lex irritans marrimonium clandestinum; sic etiam lex naturalis vetans fornicationem semper obligat, quamvis aliquando cesset ejus finis, videlicet mala educatio prolis: Aliquando vero potest Legislator velle, ut lex non obliget in iis casibus, in quibus falsa est præsumptio, in qua fundatur, ut lex statuens sponsalia transire in matrimonium per copulam. Quænam vero lex sit hujus, vel illius modi judicandum est ex materia legis, & ex variis conjecturis, ex quibus deduci possit, num Legislator velit, legem observari in omni eventu, etiamsi de facto sit falsa præsumptio, in qua lex fundatur; an vero velit, observari in eventu dumtaxat, quod præsumptio sit vera.

VI. Quæritur tertio; An irritatio ipso facto imposita statim incurratur ante sententiam Judicis?

Respondeo, communius Doctores apud Bonac., & Pal. punct. 10. cum Suar. lib. 5. cap. 32, & Saach. lib. 5. disp. 4. velle, quod si irritatio est lex pęnalis, requirat sententiam declaratoriam Judicis; non secus ac quælibet alia lex pęnalis, quæ actionem hominis requirit, ut diximus art. superiore; Excipiunt tamen contractum, qui non potest valide fieri; ut est contractus matrimonii; Unde lex irritans

G 2 matri-

matrimonium ejus, qui mortem intulit uxori animo ducendi concubinam, quamvis sit pœnalis, non requirit sententiam declaratoriam criminis, ut reddat irritum matrimonium. Si vero lex irritans non sit pœnalis, multi apud Pal. cum Navar. probabiliter docent, ante sententiam Judicis actum non esse irritum, si nihil contineat contra naturalem justitiam, & æquitatem; Unde putant, testamentum minus solemne ante sententiam Judicis non esse irritum, si nulla in eo fraus sit commissa; Nec alienationem bonorum Ecclesiæ esse irritam ante Judicis sententiam, si cedat in Ecclesiæ utilitatem: Contra vero actum esse statim irritum, si sit malus, ut alienatio in damnum Ecclesiæ.

Communior tamen sententia docet cum Sal. disp. 16. sect. 9., Suar. lib. 5. cap. 34., Pal. l. c., omnes hujusmodi leges non pœnales, sive aliquid contra naturalem æquitatem contineat, sive non, statim sortiri effectum suum, neque indigere sententia ulla. Ratio est, quia causa istarum legum non est fraus, vel dolus, qui in singulis casibus interveniat, sed periculum illorum; quod adesse communiter certum est; Hæc etiam ratio semper subsistit, etiamsi in aliquo casu fraus, aut dolus non interveniant; & ideo semper obligat lex irritans, atque adeo ante sententiam Judicis irritat actum.

VII. Quæritur quarto, An eo ipso, quod lex prohibet actum, censeatur illum irritare?

Respondeo, Silvest., & Panormit. id affirmare, positis quibusdam exceptionibus; quia in leg. *Non dubium* Cod. *de Legibus*, & in jure canonico *Reg. 64. de Regul. juris in 6.* dicitur: *Quæ contra jus fiunt, debent pro infectis haberi.* Unde communiter Jurisperiti volunt esse irritos contractus lege prohibitos, quamvis lex non addat esse irritos. Sed communis sententia cum Suar., Sal., Bonac., Pal. docet, actum seu contractum non esse irritum per hoc præcise, quod prohibeatur. Ratio est, quia prohibere, & irritare sunt omnino diversa; illud importat solum obligare, ne fiat, atque adeo reddere ipsum solum illicitum; irritare vero importat reddere voluntatem inefficacem in ordine ad id, quod intendit: Sic peccat, & illicite contrahit matrimonium, qui est in peccato mortali, non præmissa contritione, vel confessione, at valide contrahit: Et qui habet votum simplex castitatis, illicite, sed valide matrimonium contrahit: Sic etiam qui sponsalia fecit cum Berta, illicite, & valide contrahit cum Teresia: Et donatio prohibita potest esse valida.

Ad id quod objicitur, respondetur primo cum Molin. in leg. *Non dubium* significari tantum, quod contractus prohibitus sit irritandus, non irritus; ut constat ex cap. *Vides*, dist. 10. ubi dicitur: *Quicquid contra leges accipitur, per legem dissolvi meretur*, (idest a Judice) *& pro infectis habeatur;* In hoc itaque sensu Jurisperiti dicunt hujusmodi contractus esse irritos: Quod tamen verum est, si contractus irritari potest; nam matrimonium, quod irritari non potest, neque irritum est, neque irritandum, etiamsi contra prohibitionem fiat. Secundo, respondetur cum Pal. etiamsi dicatur in lege, quod contractus prohibitus ipso jure sit irritus, adhuc quia hæc irritatio est pœnalis, potest expectari sententia declaratoria criminis. Tertio, Sanch. dicit, Regulam illam, *Quæ contra jus fiunt, debent pro infectis haberi*, intelligendam esse de iis, quæ dant formam actui.

VIII. Quæritur quinto; Quandonam dicatur irritus actus ex defectu formæ substantialis?

Respondeo, certum esse, quod in moralibus forma substantialis dans valorem actui sit illa, qua non servata, actus non subsistit; Sicut in Physicis forma substantialis dicitur illa, qua sublata tollitur immediate compositum: Contra vero forma accidentalis dicitur illa, quæ ad valorem actus non est necessaria, seu qua sublata adhuc actus subsistit: V. g., quia sublata præsentia Parochi, & Testium, matrimonium est nullum, ideo præsentia istorum dicitur pertinere ad formam substantialem matrimonii; Contra vero, quia non præmissis denunciationibus matrimonium est validum, ideo denunciationes dicuntur pertinere ad formam accidentalem matrimonii.

Difficultas est in cognoscendo, quænam pertineant ad formam substantialem, & irritent actum, quænam vero ad accidentalem? Prima regula ad id dignoscendum est; Si præscribatur aliqua forma, seu solemnitas cum clausula irritante actum sine tali solemnitate; id pertinet ad formam substantialem; ut si dicatur, ad professionem requiri annum novitiatus, aliter professio erit nulla. Secunda regula est, quando solemnitas aliqua præscribitur apponenda post contractum, talis solemnitas solet pertinere ad formam accidentalem, cum supponat actum jam constitutum; Nisi dicatur expresse, quod aliter actus sit nullus; Ut si dicatur, quod ex re vendita talis gabella solvatur, alias venditio sit nulla: E contra solemnitas; quæ præscribitur servanda in ipsa effectione actus, sæpe est substantialis ut est præsentia Parochi requisita in matrimonio; Dixi tamen, sæpe esse substantialem, non semper; Nam solemnitates requisitas in *cap. 1. de sententia excommunicationis in 6.* certum est; esse accidentales, licet in ipso actu excommunicationis requirantur. Tertia regula ex Sal. disp. 16. num. 37.: Quando Legislator, qui invenit, & præcepit formam, dat etiam potestatem ad actum, talis forma solet esse substantialis: Sic quia Christus Dominus, qui in-

venit,

venit, & præcepit formas Sacramentorum, dedit potestatem ad illa conferenda, ideo formæ Sacramentorum sunt substantiales: & forma præscripta in alienatione bonorum Ecclesiæ est substantialis, quia Ecclesia dat potestatem ea alienandi sub tali forma; Unde sequitur, quod si alicui detur potestas aliqua, v. g., condendi leges petito consilio, si ille non petito consilio id faceret, nulliter operaretur. Contra vero, si supponitur potestas, & præscribitur a Legislatore forma, talis forma solet esse accidentalis; Et propterea solemnitates, quæ ab Ecclesia præscribuntur in conferendis Sacramentis, dicuntur accidentales, quia supponitur potestas conferendi illa a Christo Domino collata; Sic etiam sunt accidentales omnes illæ solemnitates in jure requisitæ ad ferendam excommunicationem, videlicet, quod feratur cum scriptura, cum expressione causæ, &c., quia supponunt potestatem excommunicandi.

IX. Ex quibus infertur primo cum Medin., Sal. disp. 16. sect. 10., Pal. contra Sanch. lib. 3. disp. 32. apud Merol. cap. 5. n. 203., quod si Episcopus habenti facultatem audiendi confessiones prohibeat, ne audiat confessiones fœminarum, illicite ille, sed valide istas absolvit; quia potestas præsupponitur: Contra tamen, si quando datur jurisdictio, datur solum ad audiendas confessiones masculorum, invalide Confessarius fœminas absolveret.

Infertur secundo, quid dicendum, si potestas ad aliquid, v. g., ad leges ferendas, concedatur alicui Superiori petito consilio? Certe leges latæ non petito consilio erunt nullæ; Secus vero si habenti potestatem ferendi leges præcipiatur, ne illas condat sine consilio, ut docet idem Merol.

Infertur tertio, quod quando delegatur potestas, & præscribitur forma procedendi in delegatione, talis forma est substantialis: Nisi tamen aliquando censeatur Legislator tantum monere delegatum de obligatione, quam habet ex jure communi; ut quando in Jubileo datur facultas absolvendi a censuris, auditis confessionibus, præmissa satisfactione partis, & imposita pęnitentia salutari; Sicut etiam quando datur mandatum alteri, ut suo nomine Matrimonium contrahat, præmissis denunciationibus; ut communiter docent contra quamplures. Ratio est, ut notat Pal. punct. 11. & Sanch. lib. 3. disp. 5., quia cum jure communi exigantur denunciationes ante matrimonium, & præmissio confessionis, & satisfactionis factæ Parti, & impositio pœnitentiæ ad conferendam absolutionem a censuris, efficitur, quod id non requiratur nunc alio modo, quam requiratur in jure communi, nisi explicetur; ergo cum in jure communi ista exigantur ad rite, non ad valide contrahendum, vel absolvendum, ideo dicendum, quod pertineant ad formam accidentalem, & quod apponantur solum ad monendum de obligatione, quæ ad id habetur ex jure communi. Quando autem his omnibus, & aliis conjecturis inspectis dubium est, num forma sit substantialis, an accidentalis? Dicendum cum Pal. punct. 9. n. 9. ex Farinac., & aliis, quod sit accidentalis, quia favendum est valori actus.

Notandum hic primo, quod quamvis dicat aliquando lex, non servata tali forma, non posse actum fieri, non proinde sequatur, quod actus sit invalidus sine tali forma; quia potest esse sensus, quod sine tali forma non possit licite fieri; Ut si dicatur, quod non possit absolvi pęnitens non præmissa correctione fraterna, aut satisfactione Partis: Quamvis ut plurimum significetur, quod non possit actus valide fieri: & ratio est, quia eo ipso, quod præscribitur aliqua forma sine ullo addito, sequitur, quod non possit licite fieri actus sine tali forma; ergo ne sint superflua verba illa superaddita, (quod scilicet non possit actus fieri sine tali forma) dicendum, quod Legislator velit actum irritare, tali forma non posita.

Notandum secundo, quod quando omissio formæ substantialis est modica, actus non invalidatur, ut si quis in forma consecratoria omittat ly *enim*, aut syllabam corrumpat, quæ non mutet moraliter sensum verborum, puta si dicatur, In nomine Patre; Secus vero si dicatur, in nomine Matris in forma Baptismi.

Notandum tertio ex Suar. lib. 5. cap. 28., & Pal., quod quando statutum mandat aliquid fieri certo loco, ac tempore, tunc actus contra id factus est illicitus, sed validus; quia talis circumstantia apposita videtur spectare ad formam accidentalem, nisi aliter procedat Legislator ad annullandum actum. Unde si detur alicui facultas audiendi confessiones post auroram in Ecclesia, confessio alio tempore, & loco facta erit valida, & illicita.

X. Quæritur ultimo, An actus factus sine substantiali solemnitate a jure præscripta ex urgentissima causa sit validus?

Respondeo cum communiori apud Sanch. l. 3. disp. 17. contra Covarr., & alios negative: Nunquam enim est validum, v. g., Matrimonium clandestinum, posita quacumque causa urgentissima, ut communiter docent contra Veracrux, Vegam, Graff. apud Merol. disp. 4. c. 5. dub. 16. Ratio est, quia sine forma substantiali actus non subsistit. Immo quamvis possit aliquando dispensare Episcopus in impedimento dirimente, ut docent passim multi Doctores, posita urgentissima causa; nunquam potest dispensare, ut matrimonium, v. g., clandestinum sit validum, ubi receptum est Tridenti-

num.

num. Ratio est, quia potest quidem inferior data causa justa dispensare in lege superioris; at nullatenus effici potest, ut actus sine forma substantiali essentialiter requisita ad ejus valorem subsistat.

Neque dicas primo, humanas leges non obligare cum magno rigore, & admittere Epikejam, seu mitem interpretationem. Nam communiter docent contra Capuam, Vegam, & alios apud Sanch. l. c., id esse verum, quando leges humanæ aliquid præcipiunt, vel probibent, non vero quando irritant, aut quando inhabilitatem inducunt, vel quando præscribunt formam substantialem actui; quia sine forma substantiali corruit compositum, tam in Physicis, quam in Moralibus; Et ideo professio, v. g., est invalida ante annum decimum sextum posita quavis causa.

XI. Neque dicas secundo, quod si potest Episcopus dispensare in uno impedimento dirimente, poterit etiam in alio; sed admittitur a multis Doctoribus, quod urgente gravi necessitate, v. g., dispensare, ut matrimonium fiat inter consanguineos, vel affines; ergo etiam dispensare poterit in impedimento clandestinitatis.

Nam disparitas est manifesta; lex enim irritans matrimonium inter consanguineos non irritat illud simpliciter, sed irritat, si id fiat sine dispensatione; Cum ergo possit, & soleat Pontifex in tali impedimento dispensare, poterit Episcopus etiam in casu necessitatis, & sic non fit matrimonium contra legem præscriptam: Contra vero cum non soleat Papa dispensare, ut matrimonium fiat sine Parocho, & testibus, ideo lex irritans matrimonium clandestinum irritat illud simpliciter, atque adeo non est licitum Episcopo dispensare in tali lege, in qua Papa nunquam dispensat; Et idem dicas de similibus impedimentis. Adde, quod quamvis detur locus Epikejæ in lege humana præcipiente, vel prohibente, itaut possit in casu urgentissimo existimari, quod lex illum casum non comprehendat, nunquam tamen datur Epikeja in lege irritante; & ideo nec licitum, nec validum est matrimonium inter consanguineos non obtenta saltem ab Episcopo in casu urgentissimo dispensatione, posito quod soleat Papa illam dare; ergo cum in lege irritante matrimonium clandestinum non soleat dare dispensationem Papa, sequitur, quod semper sit invalidum, itaut non possit Episcopus in tali impedimento dispensare.

XII. Hic adverte, quod lex præscribens formam substantialem contractui, sicut obligat in omni casu, quamvis urgentissimo, ita pariter obligat ignorantes illam; seu habet effectum suum, quamvis ea lex ignoretur. Et ratio est clara, quia si deficiat forma, sive sciatur, sive ignoretur, deficit compositum: Sic matrimonium clandestinum est invalidum, quamvis lex Tridentini ignoretur a contrahentibus; Et alienatio bonorum Ecclesiæ est invalida, non servata ob ignorantiam debita forma. Et irrita est collatio beneficii facta alicui ignoranti pactum aliorum simoniacum, ex cap. *Nobis fuit*, *de Simonia*: lex enim per se irritat illum actum sine ulla ordinatione ad conscientiam operantis: unde licet ignorantia impediat culpam, non tamen impedit nullitatem actus. Quando tamen irritatio est pura pena, (ut est irritatio matrimonii facti post uxoricidium cum promissione talis matrimonii: vel facti post adulterium cum promissione matrimonii cum adultero post mortem conjugis) tunc putat Sal. dub. 16. sect. 3., Merol., Suar. lib. 5. cap. 22., Sanch. lib. 9. disp. 52. n. 18. apud Pal. disput. 2. punct. 13. n. 7., ignorantiam inculpabilem excusare: sicut ea excusat ab irregularitate pœnali; quia cessante causa legis, quæ est punitio delicti, cessat lex. Hinc beneficiarius omittens inculpabiliter horas facit fructus beneficii suos, eo quod deficiente culpa non debeat incurrere hanc pœnam non faciendi fructus suos.

XIII. Adverte secundo, quod sicut ignorantia non impedit irritationem actus, ita nec metus; unde matrimonium clandestinum est nullum etiamsi fiat per metum cadentem in constantem virum. Ratio est, quia magis tollit voluntarium ignorantia, quam metus; ergo cum ignorantia legis irritantis non impediat nullitatem actus, a fortiori nec impedit metus: Qui si sit gravis, excusat a lege humana prohibente, vel præcipiente, non tamen impedit effectum legis irritantis, aut inducentis inhabilitatem ad aliquid. Quod constat ex usu & sensu totius Ecclesiæ, & communi consensu Doctorum, ut notat Suar.

XIV. Notandum tertio, Legem irritantem tunc non sortiri suum effectum, cum cessat ratio legis, non quidem privative, sed contrarie: seu quando ex irritatione sequitur aliquid contrarium intentioni Legislatoris: V. g., si irritetur actus in favorem alicujus, quando irritatio cedit in damnum illius, tunc actus non est irritus; Ideo alienatio facta a Minore sine consensu Curatoris valida est ex Felino, si cedat in utilitatem Minoris; Et contractus factus a Religioso sine licentia Prælati, licet per se sit nullus, tamen si cedat in utilitatem Religiosi, ex Navar. apud Merol. cap. 5. dub. 16., est validus, quia in favorem Religionis irritatio est facta; Et idem dicas de alienatione bonorum Ecclesiæ, non servata forma præscripta, ex Puteo, & Riccio contra Vincent. de Franc. apud Merol. cap. 5. num. 236. Quod constat ex Regula

gula illa juris, in 6. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Unde dicendum, irritationes istas esse veluti conditionales, hoc est nisi cedat irritatio in damnum ejus, ob cujus favorem est facta; seu nisi cedat juri suo is, in cujus favorem fit.

Neque dicas cum Veracrux, Veg., & Graff., esse etiam validum matrimonium clandestinum in necessitate extrema, seu quando non adest Parochus, aut si periclitetur salus æterna hominis concubinarii agentis animam, nisi prius contrahat matrimonium cum concubina, & filios legitimet: quia scilicet lex irritans matrimonium clandestinum est etiam conditionalis, hoc est, nisi urgeat gravis necessitas. Nam communiter docent ex usu Ecclesiæ, & ex consensu Doctorum, hujusmodi leges esse absolutas, & expedire magis ad bonum commune, quod inviolabiliter observentur, quam quod in uno, vel altero casu incommodum vitetur: Contra vero illæ leges, quæ in favorem alicujus irritant actus, sunt revera conditionales, ob rationem adductam: Utrum autem liceat matrimonium clandestinum, hoc est, sine Parocho, adhibitis tamen pluribus testibus, in locis Infidelium, ubi Parochus haberi non potest? Concedunt Doctores plurimi; præsertim quia lex Tridentini non obligat ubi illud non est receptum, ut dicemus agentes de Matrimonio.

ARTICULUS IV.

De Obligatione Legis Dubiæ.

I. *Alibi disseruimus num lex dubia obliget, sive dubium sit ex parte legis, seu præcepti; sive ex parte rei præceptæ, sive ex parte Superioris?*

II. *In dubio, an detur lex, seu an hunc casum comprehendat, seu an sint promulgata, probabilius illa non obligat; Secus vero si dubitetur, an sit acceptata, an abrogata; an ab ea sufficienter excuseris?*

III. *Epicheja locum habet, etiam quando solum probabiliter judicamus nolle Superiorem in tali casu obligare; etiamsi finis legis solum cesset negative.*

IV. *In dubio, an res præcepta sit licita, obtemperandum est Superiori illam præcipienti; Nisi tamen ea res sit valde ardua.*

V. *Etiam Religiosi, quamvis sint subditi voluntarii, tenentur obedire Superiori præcipienti, etiam in dubio, an res præcepta excedat illius potestatem.*

VI. *Quid si tam Superior, quam Subditus dubitent de honestate rei præceptæ?*

VII. *Etiamsi dubitet subditus positive, & probabile sit quod res præcepta sit illicita, adhuc obtemperare tenetur Superiori præcipienti.*

VIII. *In dubio de legitima Superioris potestate si hæc sit in possessione, obtemperandum est præcipienti, nisi res præcepta sit valde ardua; secus vero, si ea non sit in possessione.*

IX. *Quid si dubitetur, num lex sit directiva, an præceptiva; Num obliget sub gravi, an sub levi? Num habeat rationem consilii, an legis?*

X. *Quid dicendum in variis dubiis sive ad Votum, sive ad Juramentum spectantibus?*

I. Plurima hac de re, ac fuso calamo disputavimus in secundo ex Opusculis Theologico-Moralibus agentes de conscientia dubia, & scrupulosa. In quæstione quippe quarta disserentes de conscientia dubia in materia legis, vel præcepti, diximus ex triplici capite oriri posse hujusmodi dubium, videlicet primo ex parte pręcepti; dubitando, an sit impositum? An usu receptum? An abrogatum consuetudine, aut dispensatione? Secundo, ex parte rei præceptæ, ambigendo, an sit licita, An excedat potestatem præcipientis? Demum, ex parte Superioris præcipientis, eo quod non constet, an sit legitimus Superior? Vel an sit Superior hujus subditi? Crambe profecto recocta hic ad nauseam usque apponeretur, si iterum de hisce quęstionibus fuse disputandum esset. Quia tamen ad complementum hujus tractatus spectat de iis, utpote ad praxim pernecessariis, nonnihil agere, ideo hic paucis veluti in compendium redigo, quę in septem articulis fuse ibi prosecutus sum; enodando etiam, quæ ad licitum usum Epichejæ spectant, quando dubia isthæc animum in angustias redigunt.

II. In primo itaque illius quartæ quæstionis articulo expedivimus, Num teneamur obedire in dubio, an extet Lex? Diximus autem probabilius negandum contra Probabilioristas; sicut etiam in dubio Voti, juramenti, & similium; eo quod possessio in his dubiis stet pro libertate; ut constat ex regulis in eodem Opusculo quæstione tertia præjactis. Ex quibus sequitur, non obligare legem, si dubitetur de ejus sensu, an scilicet hunc casum comprehendat? Sicut etiam si dubitetur, an ea sit promulgata? Secus vero, si dubitetur, an Lex sit acceptata, vel usu recepta, vel abrogata, vel dispensata? Sicut etiam si dubitetur, an sufficienter ab ejus observantia excuseris? Cum in his casibus possessio stet pro lege, non pro libertate. Quamvis in hoc postremo dubio sæpe habere possit locum Epikeja, ne exponaris periculo gravis damni.

III. In secundo articulo disputantes de Epikeja diximus, eam habere locum, etiam quando probabiliter dumtaxat judicamus, nolle Superiorem in hoc casu obligare. Non est tamen ne-

necesse ad licitum usum Epikejæ, ut finis adæquatus legis hic, & nunc cesset contrarie, seu ut ejus observantia sit peccaminosa; (ut accidit; v.g. quando quis vellet moribundum relinquere, ut audiat Sacrum) sed satis est, quod ita finis legis cesset negative, ut ejus observantia hic, & nunc sit valde difficilis, & ardua, ut proinde non præsumatur a Legislatore benigno quod velit in hoc casu obligare; quod fusius etiam quæst. *6.* art. ult. discutiemus.

IV. In tertio articulo disputavimus, Num teneamur obedire in dubio, an res præcepta sit licita? Qua de re nonnulla supra diximus in calce articuli secundi quæstionis primæ. Communius autem Doctores docent, in tali dubio obediendum esse, præsertim si præceptum facile impleri possit. Non leves rationes videntur suadere sententiam oppositam, quam graves Doctores tuentur cum Vasq., Sal., Adrian., & aliis apud Dian.part.4.tr.3.res.*9.*, & Tamb.; qui putat utramque sententiam esse probabilem. Sed communior sententia docens obediendum esse, est solidior & rationibus in contrarium in eo articulo adductis videtur fieri satis. Ex qua sententia plurima ad praxim deducuntur: V.gr., tenetur parere Superiori ægrotus, cui præcipitur, ne jejunet, ne recitet horas, &c., etiamsi dubitet, an ratione ægritudinis sufficienter excusetur: Quod si ægrotus non esset subditus, in tali dubietate non excusaretur, etiamsi ille judicaret excusari. Similiter miles dubitans de injustitia belli potest pugnare, si sit subditus, idque illi præcipiatur; Aliter pugnare non poterit citra probabilem opinionem, quod bellum sit justum. Pariter qui dubitat, an sit sufficiens ad confessiones audiendas, potest illas audire, si id a Superiore præcipiatur; secus vero non poterit. Et universim tenetur subditus præcepto Superioris obtemperare, etiamsi non habeat certitudinem, quod res præcepta sit licita, dummodo certitudinem non habeat, quod sit illicita, juxta celebrem doctrinam Divi Augustini contra Faustum relatam in Cap. *Quid culpatur* 23. quæst. 1. Ubi habetur: *Vir justus si forte etiam sub Rege homine sacrilego militet, recte potest illo jubente bellare, si quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum est, vel utrum sit, certum non est*. Illud permiserim cum Sanch., Pal., Less., & aliis, quod si res præcepta sit nimis ardua, (ut esset, v. gr., longa peregrinatio, diuturna abstinentia, &c.) in dubio, an res istæc præcepta sit licita aut excedat potestatem præcipientis, non detur obligatio parendi; sicut neque præceptum obligat, quando ex obedientia timetur grave damnum; tum quia præcepta humana universim non obligant cum gravi incommodo; tum etiam quia in tali dubio videtur potius prævalere jus, quod est in subdito, ne notabiliter lædatur, quam jus, quod est in Superiore præcipiendi, quod non videtur illicitum. Qua de causa laudati Doctores putant, in dubio de justitia gravis tributi impositi, probabiliter non teneri subditum illud solvere, cum non debeat prævalere jus dubium præcipiendi, quod est in Superiore, juri certo subditi possidentis bona sua.

V. In articulo quarto, inquirentes, Num etiam Religiosi, qui sunt subditi spontanei, teneantur parere Superioribus suis in dubio, an res præcepta potestatem præcipientis excedat? Diximus pariter probabilius esse, quod teneantur (quamvis Suar., & Pal. censeant, probabile esse, quod non teneantur) quia licet voluntate Religiosus statum religiosum susceperit, adhuc eo suscepto Prælatus habet jus præcipiendi ex vi jurisdictionis sibi collatæ a Pontifice: & ideo in dubio negativo prævalere debet possessio, quæ est in Superiore relate ad Religiosos, non secus ac in Prælato, ac Principe relate ad subditos suos. Unde eodem pacto videtur utrobique ratiocinandum; ita scilicet, ut solum quando res est nimis ardua, probabiliter in tali dubio ratione Epikejæ obedire non teneantur. Utrum autem qui extra statum religiosum simplici voto obedientiæ astrictus est alteri obedire, adhuc teneatur obedire in casu consimili dubio? Affirmant probabiliter Suar., & Bresserus, quia vovens alteri obedientiam vult ab eo regi vice Dei, præsertim in rebus dubiis, in quibus directio est necessaria. Ex quo sequitur, Moniales in casu dubio teneri Abbatissæ parere, quamvis huic non competat potestas spiritualis, sed œconomica, & civilis, qualem habent Patresfamilias in filios, Magistratus in cives, & Abbates in Eremitas, qui simplici voto obedientiæ se illis alicubi obstringunt: Aliter magna perturbatio inter Moniales, & hujusmodi subditos oriretur, si cuilibet integrum esset prætextu proprii dubii obedientiam denegare.

VI. In articulo quinto disputatur, Num subditus obedire teneatur, quando etiam Superior dubitat de honestate rei præceptæ. Et pro utraque parte stant Doctores primi subsellii & rationes non futiles. Dicendum verius, quod si in tali casu Superior non præmissa diligentia ad dubium deponendum præcipiat, subditus obedire non teneatur; Secus vero si debitam diligentiam præmisit, & adhuc dubium perseverat: Ad eum modum, quo conjux dubitans de valore Matrimoni, si post præmissam debitam diligentiam, adhuc dubium perseverat, potest licite debitum petere, & alter reddere tenetur; quia in tali dubio stat in possessione valor matrimonii, quod confert jus ad debitum petendum. Probabile tamen est, quod si res præcepta sit nimis ardua, subditus obedire non teneatur,

tur, quando post præmissam diligentiam ad vincendum dubium, tam Superior, quam subditus in eadem dubietate persistunt.

VII. In articulo sexto inquiritur, num teneatur obedire subditus in dubio positivo, seu quando probabile est, rem præceptam esse illicitam? Putant probabiliter graves Doctores cum Less., Pal., Ledesm., & aliis apud Dian.part. 4.tr.4.res.31., quod non teneatur; præsertim si res præcepta sit ardua, & detur locus Epikejæ: Sed communius illum obligant ad obediendum; tenetur quippe Subditus ponere quicquid præcipitur, si potest sine peccato poni; ut in casu nostro; quod validæ rationes vincunt.

VIII. In articulo septimo similiter quæritur, An teneatur subditus obedire, quando dubium est de legitima Superioris potestate; Et communiter contra nonnullos docent, tunc teneri, quando Superior est in possessione suę Pręlationis; quia nequit spoliari jure præcipiendi, quod possidet, propter dubium superveniens; Sicut conjux nequit spoliari jure petendi debitum, quando bona fide possidet suum matrimonium, etiamsi alteri dubium aut negativum, aut etiam positivum superveniat. Sic etiam miles subditus pugnare tenetur, prout præcipitur a Principe pacifice suum Principatum possidente, etiamsi detur ratio probabilis de belli injustitia. Pariter Reus, & testis, si a Judice interrogentur, qui sit in suę jurisdictionis possessione, tenentur ad mentem interrogantis respondere, quamvis dubitent de legitima Judicis interrogatione; dummodo ex tali responsione non immineat sibi, vel aliis grave damnum; Nam in tali casu probabiliter poterunt uti ęquivocatione; quia, ut supra dictum est, sicut nequit spoliari Judex jure interrogandi, quod possidet, propter dubium superveniens; ita nequit Reus, aut Testis spoliari honore, vita fama, ac bonis, quę possident, propter dubium superveniens; unde non tenentur isti se exponere periculo amittendi propria bona, si non constet quod Judex juris ordine servato, ac legitime interroget.

IX. In articulo octavo diximus, in dubio, num statutum aliquod habeat rationem legis, an merę directionis, censendum esse, quod sit directio, eo quod non constet de lege obligante. At si dubitatur, num lex habeat rationem pręcepti, an consilii, dicendum, quod habeat rationem pręcepti, eo quod obligatio natura sua consequatur ad legem. Similiter in dubio, an lex obliget sub gravi, dicendum, obligare sub gravi, si constat de gravitate materiæ; At si dubitetur de intentione Legislatoris, num velit sub gravi obligare, dicendum, quod obliget sub levi. Pręterea verbum præceptivum in lege Canonica indicat secundum se obligationem gravem, secus vero in lege Civili, quippe quę solum sub pœna temporali solet aliquid pręcipere.

X. Quia tamen Votum est quędam lex privata, quam sibimet vovens imponit, idcirco sicut plurima a Doctoribus inquiruntur circa obligationem legis dubię, ita pariter circa obligationem voti dubii, quę nos etiam fuse persecuti sumus in quęstione sexta ejusdem Opusculi secundi de Conscientia dubia, & scrupulosa; quę hic innuuntur duntaxat ut possit Lector solutionem talium dubiorum in ea quęstione perquirere, ubi opus erit. Ambigitur itaque primo, num in dubio voti, juramenti, aut promissionis detur obligatio ea adimplendi, sive dubium sit negativum, sive positivum? Et quid, si detur pro voti nuncupatione solida probabilitas citra ullam probabilitatem in oppositum? Secundo, num voto tenearis, si dubites de perfecta deliberatione in eo emittendo, vel ratione ætatis, vel ratione somni, aut vehementis passionis? Tertio, si dubitetur a vovente, an votum sit de meliori bono; aut si dubitetur, num materia licita evaserit illicita? Quarto, Utrum teneatur vovens ponere unam partem rei promissæ, si non potest alteram, in dubio num utramque voverit copulative, & per modum unius, an divisive, & per modum plurium? V.g., si quis voverit Religionem ingredi, & castitatem servare, dubitet tamen, an copulative utrumque voverit, num teneatur ad castitatem, si non possit ingredi Religionem? Pariter, si quis voverit aliquid propter duplicem finem, alterum aptum, alterum ineptum; V.g., vovit quis stipem erogare, & ad sublevandam miseriam pauperis, & propter inanem gloriam, aut ad agendas Deo gratias, quod inimicum occiderit, dubitat tamen, num utrumque finem intenderit copulative, an divisive, teneturne votum servare? Quinto in dubio an votum fuerit ante pubertatem emissum, num possit a Patre irritari? Et in dubio, an fuerit emissum ante septennium, num obliget? Hæc, & his affinia loco laudato perpensis utrinque rationum momentis disceptavimus, unde non opus est hic diutius in iis immorari; pręsertim quia non potest istorum omnium dubiorum resolutio paucis verbis concludi.

QUÆSTIO V.

Quomodo Legi parendum?

INſpecto primario legis effectu, qui eſt obligatio, progredimur ad inquirendum, Ad quid nos obliget lex? Et quibus actibus noſtræ obligationi ſatisfaciamus? Primo itaque quęrendum eſt, An intentio implendi legem cadat ſub lege, ſeu an lex obligans ad ponendum v. gr. jejunium, obliget non ſolum ad ponendum jejunium, ſed etiam ad ponendum ea intentione, ut legi ſatisfaciamus? Secundo, Quibus actibus legi ſatisfiat? Tertio, an qui non poteſt implere totum præceptum, teneatur ad partem, quam poſsit? Quarto, de impedimentis legi non apponendis, ſiquidem lex obligans ad finem obligat tum ad ponenda media ad talem finem requiſita, tum etiam ad removenda impedimenta.

ARTICULUS I.

De Intentione requiſita ad ſatisfaciendum legi.

I. Ad ſatisfaciendum legi poſitivæ requiritur intentio ponendi opus pręceptum.

II. Non tamen ad ſatisfaciendum præcepto negativo.

III. Qui invitus audit Miſſam, vel jejunat, non ſacisfacit præcepto; At qui invitus reſtituit, non tenetur ad aliam reſtitutionem.

IV. Quid ſi quis per metum audiat Miſſam præceptam?

V. Num ſatisfaciat jejunio præcepto, qui tota ea die dormit nihil cogitans de jejunio?

VI. Quamvis ad ſatisfaciendum præcepto requiratur intentio ponendi opus præceptum, non requiritur tamen intentio ſatisfaciendi pręcepto.

VII. Debens Titio centum, ſi immemor debiti donet illi centum, num teneatur alia centum dare, ut debito oblito ſatisfaciat?

VIII. Num legi ſatisfaciat, qui ponit opus injunctum nolens per illud ſatisfacere, dummodo talem voluntatem deinde deponat?

IX. Num pœnitentia, quæ virtute clavium debet impleri, poſſit pariter poni cum conſimili voluntate?

X. Qui ex pluribus titulis debet aliquid ponere, quin poſſit eodem opere omnibus obligationibus facere ſatis, cuinam ex illis cenſetur ſatisfeciſſe ponendo tale opus?

I. QUæritur primo, An ad ſatisfaciendum legi, ſeu præcepto, requiratur intentio ponendi opus præceptum?

Reſpondeo cum communi affirmative: V.g., ut ſatisfiat præcepto audiendi Miſſam, requiritur intentio illam audiendi; Ut ſatisfiat præcepto recitandi horas, requiritur intentio recitandi illas, ſeu orandi illas legendo; Nec ſatis eſt mera intentio legendi, vel addiſcendi. Ratio eſt, quia præcepta hominibus impoſita debent humano modo impleri; non implentur autem humano modo ſine intentione ponendi opus pręceptum. Quare idem dicendum eſt de impletione voti, juramenti, & Pœnitentiæ Sacramentalis; quia inſtar legum hæc obligant. Et confirmatur, nam ſicut ad violationem præcepti requiritur actus, ſeu omiſſio libera rei pręceptę, ita ad ſatisfaciendum pręcepto poſitivo requiritur actus liber, ſeu intentio ponendi rem præceptam.

II. Notandum tamen, quod ad ſatisfaciendum præcepto negativo, v.gr., non occidendi, ſatis eſt omiſſio occiſionis, quamvis non libera: Contra vero ad ſatisfaciendum præcepto poſitivo audiendi miſſam non ſatis eſt auditio miſſæ, etiam non libera, v.g., facta a dormiente. Ratio eſt, quia, ut præceptum poſitivum modo humano impleatur, requiritur actus liber, & humanus, ſeu intentio ponendi rem præceptam; Verum ut modo humano impleatur præceptum negativum, ſatis eſt, ut homo non habeat actum liberum, ſeu intentionem ponendi rem prohibitam. Ratio eſt, quia ad hoc tantum obligat præceptum negativum; & præciſe per hoc, quod aliquis, v.g., non habeat intentionem occidendi, ponit conformitatem cum lege de non occidendo, etiamſi v. gr. dormiens alium occidat. Et eodem modo ſatisfacit præcepto de non comedendis carnibus, qui ex neceſſitate illas non comedit. Quod ſi haberet intentionem comedendi illas, ſi poſſet, in tali caſu ſatisfaceret pręcepto negativo per omiſſionem neceſſariam comeſtionis, & ſimul peccaret contra idem præceptum intendendo rem vetitam; non ſecus ac ille, quem pęnitet ſervaſſe legem: Vel potius peccaret contra pręceptum naturale, quo obligamur ad non habendas hujuſmodi voluntates inordinatas erga leges humanas.

Hinc ſequitur primo, ebrium, aut dormientem non ſatisfacere præcepto audiendi miſſam, vel recitandi horas, etiamſi audiat, aut recitet in ebrietate, vel ſomno quia non ponit rem præceptam humano modo, ſeu actu libero.

Sequitur ſecundo, quod qui recitat horas attentiſſime, ſed ſolum animo addiſcendi, teneatur iterum illas recitare; quia non habet intentionem ponendi opus præceptum, hoc eſt orationem. Ita Leſſ., Sanch., Suar., & alii communiter:

ter: Ecclesia enim dum præcipit recitationem horarum, præcipit orationem, & ideo requiritur intentio orandi, & non satis est intentio addiscendi. Et propter eandem rationem, qui adit Ecclesiam animo contemplandi, si interim ad ejus præsentiam celebretur missa, non satisfacit præcepto audiendi missam, ex defectu intentionis illam audiendi, ut communiter etiam docent apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 77. contra Pal. punct. 17. num. 7., quamvis si præcessisset ista intentio, sufficienter satisfaceret assistendo missæ cum ea contemplatione.

III. Sequitur tertio, quod qui omnino invitus audit missam, vel jejunat, non satisfaciat, & teneatur ex defectu intentionis requisitæ aliam missam audire, & aliud jejunium ponere si ex voto, vel præcepto debeat semel jejunare, & obligatio non sit affixa diei: Quamvis e converso, qui per vim restituit, non teneatur iterum restituere; non quia implevit præceptum restituendi, sed quia sublata est materia talis præcepti, videlicet inæqualitas inter partes: Et ideo qui per vim restitueret, non incurreret excommunicationem latam contra non restituentes, ut notant Sanch., & Suar. apud Bonac. hic; quia excommunicatio censetur lata solum contra retinentes rem alienam invito domino; qui autem per vim restituit, quamvis non satisfecerit præcepto naturali restituendi satisfacit tamen præcepto Ecclesiæ non retinendi rem alienam invito domino: Contra vero si lata sit excommunicatio contra non audientes sacrum, & aliquis omnino invitus audiat Sacrum, incurrit excommunicationem, quia violat præceptum Ecclesiasticum, ut communiter docent contra Sot. apud Bonac.

IV. Sequitur quarto, quod qui per metum gravem audit sacrum, satisfaciat præcepto, quia metus non tollit, licet minuat, libertatem, seu voluntarium, & intentionem liberam requisitam audiendi sacrum. Si quis tamen ita habeat ratione metus intentionem liberam audiendi sacrum, ut simul dicat, Non audirem sacrum, nisi cogerer, peccat, ut diximus, contra idem præceptum, sive contra præceptum naturale, quod obligat ad non habendas hujusmodi intentiones conditionatas; quamvis non teneatur aliam missam audire; quia satisfecit eidem præcepto, quatenus obligat ad ponendum actum externum auditionis missæ cum intentione absoluta illam audiendi.

V. Sequitur quinto, quid dicendum, si Titius, qui tenetur semel in hebdomada jejunare, die lunæ jejunavit, eo quod tota die dormierit, aut fuerit ebrius, sine ulla intentione jejunandi? Aliqui volunt, quod teneatur iterum jejunare; quia non implevit cum intentione debita præceptum, quod putat esse affirmativum Fagund. part. 4. de Præceptis Eccl. l. 1. c. 4.: Alii vero cum Merolla disp. 4. c. 3. n. 35. putant non teneri iterum jejunare; quia præceptum jejunii est negativum, videlicet ut abstineamus a pluribus refectionibus, & a cibis paschalibus; præceptum autem negativum, ut præceptum non occidendi, etiam per omissionem non liberam impletur. Equidem tamen puto, quod teneatur in casu adducto Titius ad iterum jejunandum: Sicuti enim qui omnino invitus jejunat, volens comedere, non solum peccat eo animo interno contra præceptum jejunii, (ut dicitur de eo, qui omnino invitus omittit furtum volens furari) sed etiam videtur obligandus ad jejunandum altero die, quia non jejunavit humano modo, adeo ut velit jejunare, prout præcipitur; ita in casu nostro. Et disparitas inter jejunium, & furtum videtur esse, quia intentio præcipientis jejunium est, ut humano modo, atque adeo cum intentione ponendi jejunium jejunetur; Contra vero intentio Legislatoris præcipientis, ne quis furetur, non est, ut humano modo omittatur furtum, atque adeo ut habeatur intentio positiva non furandi, sed solum intendit, quod non ponatur furtum, quamvis omissio furti sit necessaria.

VI. Quæritur secundo, An ad satisfaciendum præcepto requiratur non solum intentio prædicta ponendi opus præceptum, sed etiam intentio satisfaciendi præcepto per positionem operis præcepti?

Respondeo cum communi contra Reginald. l. 16. c. 3. n. 31. negative; unde qui præcepti immemor, aut ignorans V.G. esse diem festum, audit sacrum, præceptum implet, nec tenetur aliud sacrum audire, si recordetur diei festi: Immo nec tenetur habere positivam intentionem satisfaciendi per missam auditam; sed satis est, quod cognoscat se præceptum implevisse; nec ad aliud teneri. Ratio est, quia præcepta solum obligant ad ponendum opus injunctum actu humano, nec probatur, quod simul obligent ad habendam intentionem satisfaciendi præcepto: Quamvis enim præceptum obliget ad obedientiam non per hoc obligat ad obedientiam formalem, & in actu signato, seu ad faciendum actum ex motivo obedientiæ, sed ad obedientiam materialem, & in actu exercito. Et idem dicas de pœnitentia imposita a Confessario, & de Voto; (quod est quædam privata lex) Etenim pariformiter tantum obligat ad fidelitatem materialem, non formalem.

VII. Dices qui debet alicui centum, & immemor obligationis dat illi centum, tenetur deinde alia centum dare, quando debiti recordatur; ergo etiam qui ex voto, vel præcepto debet centum pauperi, si immemor voti, vel præcepti det pauperi centum, debet deinde

H 2 alia

alia centum pauperi dare, quando recordatur voti, vel præcepti.

Respondeo, transmisso antecedente, negatur consequentia. Disparitas est ex Sanch., Bonac., Vasq., & aliis: quia hoc est peculiare obligationis justitiæ, ut non tollatur sine animo tollendi illam. Quare qui debens ex justitia Titio centum, dat illi centum titulo donationis, vel eleemosynę, (quamvis daturus illa centum ad satisfaciendum debito, si debiti recordaretur) non extinguit obligationem justitiæ. Et ratio ulterior est, quia obligatio ex justitia pendet ex voluntate contrahentium; unde qui debens alteri centum de facto vult illi donare centum, non extinguit debitum, quia non vult illud extinguere; Quamvis enim vellet extinguere, si illius recordaretur; at de facto non habet hanc voluntatem, & ideo non extinguit: Contra vero lex pendet a voluntate Legislatoris, quæ tantum obligat ad substantiam operis, nec pendet a voluntate subditi, quod non satisfaciat legi, eo ipso, quod ponit opus a lege injunctum; sicut pendet a voluntate debitoris, quod non satisfaciat debito, quando dat centum titulo donationis. Quod diximus de obligatione orta ex lege, dicendum de obligatione orta ex voto. Qamvis enim obligatio voti oriatur ex ipso vovente, unde qui vovet dare centum pauperi, possit dando centum velle, quod perseveret obligatio, veluti emittendo novum votum; probabilius tamen est, quod docet Sanch., quod votum obliget omnino instar præcepti; unde sicut posita substantia operis præcepti satisfit probabiliter præcepto, etiamsi operans nolit per tale opus satisfacere, ut dicemus quæsito sequenti; ita pariter voto satisfit per positionem, verbi gratia, jejunii Deo promissi, quamvis nolit jejunans satisfacere per tale jejunium, dummodo non emittat positive novum votum.

Unde fit, quod qui vovit vel jejunare, vel dare eleemosynam, si jejunavit animo implendi votum per eleemosynam, non teneatur deinde eleemosynam dare; quia satisfecit voto illi disjunctivo per positionem jejunii, & intentio illa satisfaciendi deinde voto per eleemosynam est solum propositum, & non habet obligationem ortam ex voto: Sicuti qui vovit jejunium, si postquam jejunavit, vult iterum jejunare, ut idem votum iterum impleat, si non jejunet, non facit contra votum, sed contra propositum.

Dixi in responsione, transmisso antecedente: Etenim aliqui apud Bonac. disput. 1. de restit. quæst. ult. punct. 2. n. 26. illud negant, putantque, quod qui dat in eleemosynam centum Titio immemor debiti, vere satisfaciat debito ex voluntate illa interpretativa, quod prius velit satisfacere debito, quam facere eleemosynam: Quod præsertim verum est ex Vasq., si donans non explicet voluntatem, quam habet donandi; quia non præsumitur donare, donec animum suum explicet. Et Pal. punct. 17. docet, quod si aliquando aliquis habuit voluntatem in eleemosynis faciendis prius satisfaciendi debito, si quod habet; tunc illæ eleemosynæ sunt revera solutiones debiti, propter voluntatem illam habitualem satisfaciendi prius debitis ex justitia. At Merol. disp. 4. cap. 5. n 262. putat quod qui debet alteri centum ex titulo oneroso, & deinde donat centum immemor debiti, juxta communem sententiam probabiliorem, non satisfacit debito, quia voluntas actualis dandi liberaliter prefertur voluntati habituali satisfaciendi prius debito; Contra vero si debeat centum ex titulo gratioso, seu ex liberali promissione, satisfaciat, quando immemor talis obligationis præteritæ donet centum; Et idem dicit de voto. Ratio est, quia votum, & promissio non tam stricte obligant, sicut vinculum justitiæ.

VIII. Quæritur tertio, an satisfaciat pręcepto, qui ponit opus injunctum cum positiva intentione non satisfaciendi præcepto per illud: V. g., si quis audiat Sacrum die festo animo non satisfaciendi præcepto, quia vult aliud audire, teneturne deinde aliud audire, ut præcepto satisfaciat?

Respondeo, Azor., Rodriq., Ledesm., Navar., Henr., & alios putare, quod non satisfaciat præcepto, qui ponit cum tali intentione opus injunctum; Primo, quia actus non operatur ultra intentionem agentis; ex leg. *Non omnis ff. Si certum petatur*, sed agens non intendit satisfacere præcepto, dum exequitur opus injunctum; ergo non satisfacit. Secundo, quia pręcepta debent impleri humano modo; ergo debet homo velle illa implere, itaut non impleat, dum non vult implere. Tertio, quia si missam, v. g., debeas Titio ex stipendio, & velis pro Titio gratis celebrare, non extinguis debitum. Quarto, qui non vult audire missam, cui invitus assistit, missam non audit, nec satisfacit præcepto, licet assistat; ergo qui non vult satisfacere præcepto, audiendo missam, neque satisfacit.

Sed communius docent oppositum cum Less., Sanch., Pal. punct. 17. Ratio est, quia intentio non satisfaciendi præcepto, dum, v. g., audis missam præceptam, est inefficax, & procedit ex ignorantia, qua creditur posse non satisfieri præcepto per illam intentionem; cum vere ponatur quicquid præcipitur, atque adeo impletur præceptum; Sicut vere implet præceptum restituendi, qui equum furto sublatum restituit, quamvis habeat intentionem non satisfaciendi obligationi justitiæ per restitutionem talis equi, sed velit pretium aliud dare ad satisfaciendum pro furto: Quare sicut præceptum, verbi

gratia,

gratia, audiendi missam non obligat ad audiendam missam, ut satisfiat præcepto, seu ex motivo obedientiæ, ita nec obligat ad audiendam missam,&ad non habendam intentionem non satisfaciendi præcepto, dum auditur missa præcepta.

Dices, hinc sequeretur, quod audiens missam præceptam, cum intentione non satisfaciendi per illam præcepto, non teneatur deinde mutare voluntatem, si nolit aliam missam audire, eo quod jam satisfecerit præcepto.

Respondeo, non teneri ad mutandam voluntatem ex vi præcepti Ecclesiastici, sed ad id teneri ex vi præcepti Divini, quo tibi prohibetur nolitio implendi præceptum Ecclesiasticum; unde tenetur ab illa nolitione cessare, ut docent communiter: Quamvis non teneatur habere voluntatem oppositam, ut docet Sanch. contra Suar. apud Dian. part. 1. tract. 12. resol. 37., cum satis sit, quod advertat se satisfecisse præcepto, & cesset a nolitione satisfaciendi præcepto per missam auditam.

Hinc sequitur, quod, si imposita sit excommunicatio contra non audientes sacrum, si quis audiat sacrum cum intentione non satisfaciendi per illud, & non cesset tempore debito a tali voluntate, peccet quidem mortaliter, sed non incurrat excommunicationem; quia violavit præceptum Divinum, non Ecclesiasticum, cujus tantum violationi annectitur censura.

Ad primam rationem in contrarium respondetur, Regulam illam esse veram, quando effectus pendet a voluntate operantis, ut quando quis per votum vult se obligare ad A., non ad B., aut per alium contractum; in casu autem nostro diximus, quod non pendeat a voluntate operantis satisfacere, vel non satisfacere præcepto, quando ponitur opus injunctum, hoc est totum id, quod præcipitur.

Ad secundam, eo ipso quod homo libere vult ponere rem præceptam, implet præceptum humano modo; nec quia non vult implere, ideo non implet, cum revera libere ponat totum id, quod præcipitur; etenim talis nolitio implendi procedit ex ignorantia, qua falso credit posse tunc non implere.

Ad tertiam, diximus quæsito superiori cum communiori sententia, obligationem ex justitia non extingui per donationem liberalem,quia pendet a voluntate operantis velle donare, vel extinguere debitum; Et quamvis qui donat, voluisset extinguere debitum, si illius meminisset, at de facto id non voluit; Propterea multi docent cum Merol. hic quæst. 3. disp. 33., quod qui vovit audire missam, non satisfaciat voto, audiendo missam cum intentione non satisfaciendi per illam, quia pariter obligatio voti pendet a voluntate voventis, unde potest velle obligationem sibi impositam prorogare: Quamvis probabilius ex Sanch. apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 77. votum ipsum habeat omnino rationem præcepti, & qui non vult audiendo missam satisfacere voto, non vult novum votum emittere, sed tantum habet propositum audiendi aliam missam ad satisfaciendum voto ex ignorantia, qua credidit potuisse per primam missam non satisfacere.

Ad quartam, nego consequentiam: Disparitas est, quia, ut missa audiatur, & satisfiat præcepto, debet sponte audiri; quia, ut diximus quæsito primo, præcepta humano modo observanda sunt, & per liberam voluntatem ponendi actum præceptum: Contra tamen, ut satisfiat præcepto, non debet poni opus præceptum ex intentione obediendi, & satisfaciendi; quia hoc non præcipitur: Immo nec præcipitur, ut desit intentio non satisfaciendi per positionem operis præcepti; unde si talis intentio non satisfaciendi adsit, adhuc præcepto satisfit. Et ratio a priori est, quia non potest violari præceptum per hoc, quod ponatur id, quod non prohibetur, aut per hoc, quod non ponatur, quod non præcipitur.

IX. Quod diximus de præcepto, dicas de pęnitentia injuncta a Confessario: Quamvis enim Vasq. Opusc. de Benef. cap. 4. §. 1. dub. 7. n. 117. doceat, quod non satisfaciat, qui ponit rem injunctam sine animo satisfaciendi per illam; quia debet illam implere ex virtute clavium, itaut illam applicet pro pęnis sibi debitis; quod non facit, qui non vult per illam satisfacere; Communius tamen cum Bonac. sentiunt oppositum; quia eo ipso, quod quis vult ponere opus injunctum, applicatur illud pro pœnis debitis; quamvis ex ignorantia putet operans, quod non applicetur: Quare præceptum Confessarii eodem modo obligat, ut lex. Verum negari non potest, sententiam Vasq. esse probabilem; tum quia pœnitentia a Confessario injuncta est pars integralis Sacramenti, ac proinde ad illud videtur virtualiter referenda; tum etiam quia Beneficia non conferuntur invitis, atque adeo non applicantur satisfactiones Christi D. per jejunium, v. g., impositum a Confessario, si ego nolim per illud satisfacere. Sic non suscipit Sacramentum matrimonii, qui positive renuit, dum contrahit; Nec indulgentias lucratur, qui ponit opus injunctum animo non lucrandi illas.

X. Quæritur ultimo: Titius, qui debet jejunium ex pluribus titulis, v. g., ex voto, ex præcepto Ecclesiæ, & ex injuncta pęnitentia, jejunando, cuinam obligationi satisfacit, in hipothesi quod non requiratur intentio satisfaciendi, ut satisfiat præcepto, aut quod non possit eodem jejunio satisfieri adæquate his omnibus obligationibus? Et idem quæritur, si quis det centum pauperi, cui debeat illa ex voto, ex pœniten-

nitentia injuncta, & ex obligatione restitutionis facienda incertis personis.

Resolutio hujus quæstionis maxime deservit ad praxim, ut notat Sanch. lib. 1. cap. 14. Nam qui satisfecit voto, v. g., & non pœnitentiæ injunctæ, debet ad Confessarium recurrere, si velit commutationem; si vero satisfecit pœnitentiæ, & non voto, recurrere debet ad eum, qui potest vota commutare: Quod si non satisfecit debitis incertis, potest obtinere compositionem ab Episcopo; Et si non satisfecit debito certo, solum a creditore potest obtinere remissionem.

Respondeo ad quæsitum cum Bonac. distinguendo. Nam vel Titius decrevit illo jejunio, aut illa largitione centum facta pauperi, satisfacere alicui ex obligationibus illis, vel omnibus, vel nulli; si alicui, v. g. voto, tantum voluit satisfacere, certum est, quod solum obligationi voti satisfecit; quia hæc est fidelium praxis, & communis omnium sensus, & sic decernitur in leg. *Cum pluribus* ff. *de Solutionibus*. Si vero voluit omnibus obligationibus satisfacere per opus divisibile, v. g., per largitionem centum, tunc satisfacit omnibus obligationibus pro rata; unde tenetur adimplere aliam partem debitam ex illis omnibus obligationibus. Ratio est, quia non est major ratio, cur uni, & non alteri obligationi satisfaciat. Si tamen voluit satisfacere omnibus obligationibus per aliquod opus indivisibile, videlicet per jejunium, dicendum, quod satisfaciat obligationi tantum urgentiori; quia in *Cap. unico*, *de Desponsatione Impuberum* habetur, quod opus, quod non valet ut agitur, valet eo meliori modo, quo potest: in casu autem nostro valet meliori modo, quo potest jejunium, si tollat obligationem graviorem; Quod si omnes obligationes essent æquales, tolleret primam. Demum si nulli obligationi decrevit satisfacere, satisfacit graviori, si sint inæquales, & opus sit indivisibile; vel omnibus pro rata, si sint æquales, & opus sit divisibile. Ratio est, quia in leg. *Cum pluribus* ff. *de solutionibus* hæc habentur: *Quando plura sunt debita omnino æqualia, nec quisquam decrevit, cui debito satisfacere velit, censetur omnibus pro rata satisfacere. Si autem alterum sit gravius, censetur graviori; Si demum decrevit, cui velit satisfacere, illi satisfacere judicandum est.*

Quamvis, si quid debeatur alicui ex justitia, & illud detur liberaliter sine intentione extinguendi debitum, juxta communiorem opinionem, nullatenus debitum extinguatur, ut diximus: Unde Titius debens centum ex pœnitentia injuncta, & centum ex obligatione restitutionis incertorum, si nihil cogitans de istis obligationibus det pauperi centum, in tali casu nullatenus satisfacit obligationi restitutionis incertorum, quia hæc est obligatio ex justitia; sed satisfacit obligationi ex voto, quæ gravior est obligatione ex pœnitentia: strictius enim obligat Religio, quam pœnitentia, ut docet Sanch., & alii apud Bonac.

Si quis tamen teneatur missam audire, vel jejunare ex præcepto Ecclesiæ, ex voto, & ex pœnitentia injuncta, & semel missam audiat, vel jejunet non cogitando ad istas obligationes, censet Sanch. contra Merol., quod satisfaciat tantum obligationi ex præcepto Ecclesiæ; quia opus est indivisibile, & videtur gravior obligatio imposita ab Ecclesia, quam obligatio voti contracta ex propria voluntate, aut obligatio orta ex intentione Confessarii; Unde potius debet differri auditio missæ debita ex voto, aut ex præcepto Confessarii, quam debita ex præcepto Ecclesiæ.

ARTICULUS II.

Quibus actibus legi satisfiat?

I. Quandonam possit uno eodemque opere pluribus obligationibus satisfieri?
II. An, & quomodo possit nova superveniens obligatio cadere super eundem actum alias ex alia virtute prius debitum?
III. Qui tenetur dare eleemosynam, num satisfaciat dando illam extreme indigenti?
IV. Quandonam omissio operis ex multiplici præcepto impositi sit multiplex peccatum in confessione explicandum?
V. Num possit pluribus præceptis satisfieri diversis actionibus positis eodem tempore?
VI. An possit per actum malum præcepto satisfieri?
VII. Datur duplex intentio Legislatoris, alia legi intrinseca, seu de re præcepta, alia legi extrinseca, seu de fine obtinendo per rem præceptam: Qui solum adversus intentionem legis extrinsecam operatur, legem non transgreditur.

I. QUæritur primo, An possit aliquando uno eodemque actu satisfieri adæquate pluribus obligationibus, seu præceptis?

Respondeo cum communi, quod si obligationes sint ex justitia, id fieri non possit; si quis enim, v. g., debeat centum Petro ex legato, & centum ob damnum illi injuste illatum, non potest utrique obligationi satisfacere solvendo tantum centum; quia non poneret æqualitatatem intentam a justitia: Contra vero si obligationes sint ex aliis virtutibus, seu ex diversis præceptis, potest unico actu pluribus obligationibus satisfieri: Verbi gratia, si quis voveat jejunare die Sabbati; & eo die incidat pervigilium, potest eodem jejunio utrique obligationi

ni

ni satisfacere; Quod etiam verum est, si idem injungatur a Confessario in pœnitentiam; Et ratio est, quia obligatio voti, pœnitentiæ, & alterius præcepti pendet omnino non ex natura rei, ut obligatio ex justitia, sed a voluntate Legislatoris, qui potest pro libito obligare ad eandem rem alio titulo debitam. Quia tamen obligatio ex justitia oritur ex natura rei, & fundatur in æqualitate rei ad rem, ideo non potest eadem solutione satisfieri pluribus obligationibus ex justitia ortis. Et ratio a priori est, quia strictius obligat justitia, quæ respicit adæquationem juris alieni, quam aliæ virtutes morales; ut proinde non satisfiat obligationi ex justitia per solutionem probabilem, sicut satisfit obligationi, v. g. recitandi Horas per hoc, quod probabiliter recitaveris, aut per hoc, quod illas recites juxta probabilem opinionem, quod tali obligationi satisfiat; Similiter causa sufficiens aliquando ad cooperandum materialiter peccato alterius, quod sit, v. g., contra castitatem, non semper est sufficiens ad cooperandum materialiter peccato alterius, quod sit contra justitiam, eo quod fortius justitia obliget; & ideo duplex debitum ex justitia nullatenus pnteft eadem solutione extingui; sicut potest aliquando debitum ex aliis virtutibus. Si quis tamen debeat centum ex justitia, & voveat, aut promittat illa solvere, eadem solutione satisfacit obligationi ex justitia, & obligationi ex virtute Religionis, aut fidelitatis; quia ex intentione voventis, aut promittentis pendet obligare se ad solvendum ea centum, quæ debentur, & non alia; At si quis voveat, vel promittat dare alicui liberaliter centum, & debeat eidem centum ex justitia, puta ex contractu oneroso, non potest solvendo tantum centum satisfacere utrique obligationi, ut patet; quia vovit, vel promisit dare centum liberaliter, sed præter ea, quæ debet ex justitia.

II. Dubium solum est, quandonam nova superveniens obligatio cadere possit super eundem actum ex alia virtute debitum, quando vero expostulet novum actum?

Respondeo, id pendere, ut diximus, ex voluntate Legislatoris, & colligitur ex circumstantiis. Regulariter tamen nova obligatio novum actum expostulat, nisi aliunde constet, Legislatorem contentum esse eodem actu: Unde in casu dubio novus actus ponendus; quia interpretatio talis dubii fieri debet ex communiter contingentibus.

Hinc sequitur primo, quod si tu voveas, vel Confessarius injungat tibi auditionem missæ, non satisfacias his obligationibus audiendo die festo missam præceptam; quia præsumendum intentionem voventis, & Confessarii esse de imponenda missa distincta ab ea, quæ debetur ex præcepto Ecclesiæ, nisi aliud explicet: Contra vero, si tu voveas, vel injungat tibi confessarius jejunium singulis Sabbatis, certum est, quod si incidat pervigilium die Sabbati, eodem jejunio satisfacias omnibus obligationibus: Immo si voveas, vel Confessarius tibi injungat auditionem missæ singulis diebus per mensem, satisfacis die festo audiendo unum tantum Sacrum; quia non præsumitur, quod per votum, aut per pœnitentiam injungatur in tali casu duplex sacrum audiendum die festo, nisi id explicetur; Et eodem modo si habeas votum recitandi officium Divinum quotidie, ascendendo ad ordines Sacros satisfacis utrique obligationi recitando semel officium quotidie. Immo si voveas recitare Officium Beatæ Virginis, sicut Pensionarius satisfacit obligationi recitandi officium Beatæ Virginis, recitando Officium Divinum, ita tu pariter per recitationem officii divini huic voto satisfacis; unde si Ordines Sacros suscipias, recitando officium Divinum satisfacis etiam obligationi voti recitandi officium Beatæ Virginis. Et ex Suar. apud Merol., si voveas recitare quotidie Rosarium, & idem imponatur tibi a Confessario, satisfacis recitando semel quotidie Rosarium.

III. Sequitur secundo, quod obligatus ex voto, aut pœnitentia facere eleemosynam, non satisfaciat, si det pauperibus, quod debet, ex ablatione incertorum: Nec satisfaceret, ut notat Sanch., si daret fratribus aut parentibus taliter indigentibus, ut teneatur illis subvenire; tum quia hæc non esset eleemosyna, sed solutio debiti legalis; tum etiam, quia hæc non esset elargitio pauperi, cum non sit pauper, qui habet jus postulandi alimenta. An autem satisfaciat dando eleemosynam extreme indigenti? Negat Suar., & Sayr. apud Pal.; quia nemo censetur vovere, quod aliunde est debitum, ut si voveas audire missam, non est intelligendum votum de missa præcepta; in casu autem nostro ex præcepto misericordiæ quilibet tenetur extreme indigenti subvenire: Azor. tamen, Sanch., Henr., Pal. affirmant probabilius: quia ex precepto misericordiæ non debetur absolute eleemosyna extreme indigenti, (sicut absolute præcipitur missa die festo) sed debetur ex suppositione, quod non possit alia via tolli indigentia: Sicut enim si dares extreme indigenti, quod debes restituere ex ablatione incertorum, non tenereris illi aliam eleemosynam erogare, quia aliunde sublata est extrema indigentia: ita si das illi eleemosynam debitam ex voto, vel penitentia, non teneris illi ex præcepto misericordiæ amplius subvenire, cum sit aliunde sublata indigentia.

IV. An autem, quod idem opus duplici præcepto injunctum est, omissio talis operis sit duplex peccatum explicandum in confessione? Dicen-

cendum, quod ſi tale opus imponatur ex duplici præcepto reſpiciente eandem virtutem, unum tantum peccatum committatur; unde unum peccatum eſt omittere Sacrum die Dominico, quo incidit feſtum, v. g., Divi Mathiæ, aut omittere jejunium in vigilia Sancti Mathiæ, quæ incidit in Quadrageſima: Contra vero duplex peccatum committitur, ſi ommittatur miſſa, aut jejunium, quæ debentur tam ex præcepto Eccleſiæ, quam ex voto, aut ex pœnitentia; quia præcepta iſta diverſas virtutes reſpiciunt.

V. Quæritur ſecundo, An poſſit pluribus præceptis ſatisfieri pluribus actibus eodem tempore factis? V. g., ſi tenearis ad miſſam audiendam, & ad recitationem horarum, poteris ne eodem tempore ſatisfacere utrique obligationi audiendo miſſam, & recitando horas?

Reſpondeo cum communi, quod ſi actus fiant prout a præcepto exiguntur, poſſis procul dubio ſatisfacere pluribus obligationibus ponendo eodem tempore plures actus debitos; V. g., ſi voveas orare quotidie per mediam horam, poteris ſimul audire miſſam præceptam ab Eccleſia; niſi forte volueris te obligare ad orandum tempore diſtincto ab aliis orationibus debitis. Ratio eſt, quia auditio miſſæ, prout præcipitur, non eſt incompoſſibilis cum oratione. Et ideo communiter docent cum Suar., Sanch., Bonac., Henr., Navar., Azor., contra Syleſt., Angel., Roſel. apud Pal., quod poſſis recitare horas debitas tempore miſſæ præceptæ; quia attentio debita horis recitandis non impedit attentionem debitam auditioni miſſæ, attentio enim ad Deum utrique operi convenit, & ſufficiens eſt: Præterquamquod experientia conſtat, quod recitans horas poſſit teſtificari de iis, quæ in miſſa peraguntur, atque adeo ſtare poteſt præſentia moralis debita miſſæ cum attentione debita recitationi horarum.

VI. Quæritur tertio, An poſſit Legi, vel præcepto ſatisfieri per actum malum?

Reſpondeo cum communi affirmative. Si quis enim, v. g., audiat miſſam cum attentione debita ob finem vanæ gloriæ, vel ut videatur, & turpiter ametur a fœmina, ſatisfacit Præcepto Eccleſiæ, quamvis peccet, & auditio illa Miſſæ ſit mala ob finem malum extrinſecum: Et idem dicas, ſi quis det eleemoſynam extreme indigenti ob turpem amorem. Ratio eſt, quia id, quod præcipitur a lege, eſt ſolum actus, qui de ſe ſit bonus; vitium autem extrinſecum actui non obſtat, quominus res præcepta ſit de ſe bona, atque adeo non obſtat ſatisfactioni præcepti. Unde fit, quod ſi voveas eleemoſynam, aut illa tibi in pœnitentiam injungatur, & des pauperi eleemoſynam ob vanam gloriam, ſatisfacias tuæ obligationi, ex Suar., Vaſq., Sanch. lib. 1. cap. 14.

Neque dicas, intentionem voventis, & confeſſarii eſſe obligare ad actum bonum, non vitioſum; Nam votum, & Confeſſarii imponentes pœnitentiam obligant inſtar præcepti; atque adeo intendunt obligare ad actum de ſe bonum: Quamvis autem finis extrinſecus voventis, aut Confeſſarii, & Legislatoris ſit, ut ponatur res Deo grata, & Reipublicæ commoda; at finis extrinſecus legis, & voti non cadit ſub legem, aut ſub votum; aliter qui die jejunii opipare comederet ſervando leges jejunii, non ſatisfaceret ſuæ obligationi, quia non ſervaret finem extrinſecum imponentis jejunium, qui eſt maceratio carnis; quod tamen nemo dixerit.

VII. Neque replices, in leg. *Non dubium*, cod. *de Legibus*, haberi: *Is in lege delinquit, qui legis verba amplectens contra legis nititur voluntatem, & intentionem*. Nam intentio Legislatoris duplex eſt, alia intrinſeca legi, ſive de re præcepta; alia legi extrinſeca, ſive de fine obtinendo per rem præceptam: V. g., dum præcipitur jejunium, & intendit Legislator poſitionem jejunii, & intendit macerationem carnis per inediam: Qui adverſus intentionem legi intrinſecam operatur, non ponendo jejunium, legem tranſgreditur; qui vero adverſus intentionem legi extrinſecam operatur, videlicet ponendo jejunium, ſed non macerando carnem, legem non tranſgreditur.

Neque dicas demum, in *Reg.* 8. *Extravag. de Reg. juris* hæc haberi: *Qui ex timore facit præceptum, aliter, quam debeat, facit, & ideo non facit*. Nam intelligendum eſt, quod qui ita ex timore implet præceptum, ut aliter non impleret legem, non impleat affectu, & quoad Deum, non vero in effectu, & quoad Eccleſiam.

ARTICULUS III.

An qui non poteſt implere totum præceptum, teneatur ad partem, quam poteſt.

I. Difficultas procedit in caſu, quo opus præceptum eſt diviſibile: ut ſunt horæ Canonicæ, jejunium Quadrageſimale, &c.

II. Neque eſt verum, quod nullatenus teneatur ad partem, qui non poteſt totum præceptum implere: Neque eſt verum, quod teneatur ad quamcumque partem, quam poteſt: Neque quod ſolum teneatur ad partem, quando ea eſt major pars operis præcepti.

III. In infirmitate vitanda eſt perplexitas: Extra infirmitatem, ſi res præcepta ſoleat dividi, qui non poteſt totum, tenetur ad quamcumque partem, quæ ſit moraliter integra: Si vero non ſoleat dividi, tunc excuſatur, quando pars, quæ non poteſt impleri, non eſt modica.

IV. Qui

IV. Qui nequit integram missam audire, sed potest audire quoad ejus substantialia, ad id tenetur; Idemque dicas de jejunio.

V. Probabilius dicendum, quod impotens implere totum præceptum teneatur ad partem, quam potest, si ea sit notabilis, & censeatur intenta a Superiore.

VI. Qui nequit Horas sine socio recitare, num teneatur illum ascissere? Et num Privilegiarius tempore Interdicti teneatur audire Sacrum die festo?

I. Certum est excusari ab observantia legis, qui nullatenus potest illam implere. Quoniam autem præceptum sæpe est de materia divisibili, relate ad quam datur aliquando facultas observandi illud partialiter, ideo anxie quæritur a Doctoribus, Num impotens implere totum præceptum, teneatur implere partem, quam potest?

II. Multiplex est hac in re sententia. Prima est Rodriq. apud Merol., & Dian. resol. 29. de Horis Canon. dicentis, quod non teneatur ad partem, qui non potest totum præceptum implere; Sicut enim non tenetur jejunare, qui solum potest jejunare usque ad meridiem; ita nec tenetur ad horas, qui non potest integrum officium recitare. Et ratio est, quia præcipitur actio integra, non mutilata; aliter qui convalescit ex infirmitate, non deberet expectare tempus, quo possit integrum officium recitare, sed deberet statim recitare partem, quam potest. Excipit solum jejunium quadragesimale, in quo potest prudens judicium decernere, quanta pars Quadragesimæ possit jejunari.

Hæc tamen sententia communiter rejicitur; præsertim ex propos. 54. damnata ab Innoc. XI. quæ habet: *Qui non potest recitare matutinum, & laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.*

Secunda opinio opposita dicit cum Ledesm., & Thomistis communiter, non potentem implere totum præceptum teneri ad partem, quam potest, quamvis minorem. Unde infertur, quod qui potest partem missæ audire, teneatur ad illam; & infirmus, qui non potest totum officium recitare, teneatur ad partem, quam potest.

Sed hæc etiam opinio rejicitur; nam vel loquitur de quacumque parte notabili, v. g., si quis possit jejunare solum per quartam partem diei, teneatur ad illam, nec possit mane sumere jentaculum; vel si possit recitare tantum mediam horam parvam, teneatur ad illam; aut si potest audire missam usque ad offertorium exclusive, teneatur; Et hoc reputatur communiter falsum: Vel loquitur de parte notabili per se intenta a Legislatore; & de hoc quæritur, quænam sit pars notabilis per se intenta a Legislatore, ad quam teneatur, qui non potest totum præceptum implere.

Tertia opinio media inter duas adductas, quam non improbabilem putat Bonac., Navar. Less. c. 27. disp. 9. Azor., & alii, docet, quod qui non potest totum præceptum implere, & potest partem, teneatur ad illam, si sit pars major, non vero si sit minor: V. g., si quis teneatur recitare Rosarium, & possit majorem tantum ejus partem recitare, teneatur ad illam, si vero possit minorem ejus tantum partem recitare, ad nihil teneatur. Ratio est, tum quia in Jure regulare est, quod major pars trahat ad se minorem, ex cap. *Quia propter, de Electione*; tum quia ad vitandam perplexitatem melior regula assignari non potest; non enim obligare debemus omnes ad implendam omnem partem, quam possunt, etiamsi minimam. Sed hæc etiam opinio videtur falsa, tum ex illa propositione damnata ab Innoc. XI., quod scilicet qui non potest recitare matutinum, & laudes, quæ sunt major pars officii, non teneatur ad reliquas horas; Tum quia qui scit memoriter Vesperas, & Completorium, non est ratio, cur non teneatur ad illa; cum teneatur ad ea recitanda, qui Ordines majores suscipit circa horam Vespertinam; Et qui usque ad hebdomadam Sanctam non potuit abstinere a carnibus, eo quod v. g. in itinere carebat aliis cibis, tenetur ultima hebdomada, immo ultimo die, jejunare, si potest. Illud enim axioma, quod *Major pars trahat ad se minorem*, vel intelligendum est, quando omnes partes concurrunt ad unum actum, ut in electionibus, nominationibus; vel quando una pars impedit aliam.

III. Quarta sententia est Suarii lib. 4. de Horis cap. 27. qui loquendo tantum de Divino Officio dicit, quod quælibet hora est per se præcepta; unde qui non potest majorem partem uniuscujusque horæ, non teneatur ad illam partem minorem, quam potest, etiamsi omnes istæ partes minores simul sumptæ conficiant magnam partem, quæ sit major, quam integra hora: In infirmitate vero putat non esse scrupulose agendum, itaut qui potest unam, vel alteram horam dicere, ad illam teneatur; Etenim vitanda est in actionibus humanis perplexitas: Quare si quis, v. g., ob debilitatem visus non potest legere matutinum, potest vero reliquas horas, quas memoriter tenet, ad has tenetur; Et si infirmitas est talis, ut non impediat integrum diem, sed aliquas horas, ut solet esse quartana diuturna, & levissima tertiana, infirmus non excusatur, quominus tempore habili recitet horas eo tempore dicendas. Hæc opinio admittitur a Merol. circa horas; sed quia Suarius non dat regulam generalem pro aliis materiis, ideo alia inquirenda est.

Quinta opinio est Sanch. lib. 1. cap. 19. dicentis, aliqua pręcepta esse de re individua, seu indivisibili, ut pręceptum jejunii, auditionis Sacri, unius horæ Canonicæ, Coronę Beatę Virginis, aut tertiæ partis Rosarii, septem Psalmorum Pęnitentialium, &c.: Alia vero esse de re dividua, seu quæ communiter solet dividi, ut pręceptum de septem horis Canonicis, de jejunio Quadragesimali, de integro Rosario. Quare si pręceptum sit de re individua: qui non potest implere pręceptum moraliter totum, non tenetur ad partem, quam potest: V. g. qui non potest jejunare nisi usque ad meridiem tantum, non tenetur jejunare, sed potest mane jentaculum sumere: & qui non potest omnes septem Psalmos Pęnitentiales, vel tertiam partem Rosarii, quam vovit, non tenetur ad partem, quam potest. Et ratio est, quia tale pręceptum non patitur commodam divisionem: unde cum non possit toti pręcepto satisfieri, cessat obligatio partis. Si tamen pars, quę non potest impleri, sit adeo modica, ut non impediat impletionem moraliter integram pręcepti, certe tenetur implere pręceptum, prout potest. Quare qui caret Breviario, ubi sunt tres lectiones ferię, habet tamen psalmos matutini ferię, tenetur ad recitandum matutinum, prout potest: quia matutinum ferię sine tribus lectionibus est moraliter integrum: Secus vero si matutinum sit novem lectionum, qui non habet novem lectiones, & octo responsoria, non tenetur ad psalmos matutini recitandos, quamvis teneatur recitare reliquas horas, quę patiuntur commodam divisionem a matutino.

Quod si pręceptum sit de re dividua, snbdistinguendum est. Nam si pars, quę non potest impleri, est certa, ut si quis careat Breviario, in quo sit, v.g., matutinum, tunc tenetur ad quamcumque partem, quam potest, dummodo secundum se sit moraliter integra: unde tenetur ad quamcumque horam Canonicam, quam potest integre recitare, & tenetur jejunare quocumque die Quadragesimę, quo certum est, quod possit. Si vero pars, quę non potest impleri, non est certa, (ut contingit, quando ratione infirmitatis non est certum, quęnam pars officii possit sine gravi incomodo recitari, & quot dies Quadragesimę jejunari possint) in tali casu, ne detur occasio scrupulis, & perplexitati, putat Sanch., servandam esse regulam Navar.; quod major pars trahat ad se minorem; Unde si non potest majorem partem officii recitare, ad nihil teneatur; sin potest majorem partem recitare, vel etiam æqualem, ad illam teneatur, omissa minore parte, quam non potest. Et idem dicit contra Rodriq. de jejunio Quadragesimali: Si enim pars Quadragesimæ, in qua non potest commode jejunari, sit certa, vel ratione defectus cibi, vel ratione morbi actualis, tenetur ad jejunandum aliis diebus; quibus habet alimentum, vel caret morbo, etiamsi sit una hebdomada, immo unus dies; Si vero ea pars Quadragesimæ sit incerta, ut contingit in convalescentibus, laborantibus, ac personis malæ valetudinis, tunc qui non potest majorem partem Quadragesimæ, vel saltem æqualem jejunare, nullo die tenetur jejunare, ad vitandas perplexitates, & scrupulos; Esset enim hoc nimis onerosum inquirere partem determinatam; quæ potest sine notabili incommodo impleri, & præter suavitatem legis Ecclesiasticæ.

Quare juxta hanc sententiam. (quam amplectuntur Laym., Suar., Reginald., & alii plurimi apud Merol. disp. 4. cap. 3. dub. 36.) convalescentes, & ii, qui in Quadragesima indigent cibis Paschalibus, si possunt jejunare tribus diebus in qualibet hebdomada, tenentur. Similiter qui potest recitare, v. g., Tertiam usque ad Capitulum exclusive, ad id obligatur; quia Capitulum, & reliqua sunt parva materia; unde censetur moraliter esse integre impletum præceptum recitandi Tertiam, si recitetur usque ad Capitulum: Contra vero qui potest recitare Primam usque ad Capitulum, (præsertim si dicendæ sint eo die preces) non tenetur illam recitare, quia residuum, quod omittitur, est pars notabilis.

IV. Neque dicas, ex hac sententia sequi; quod accedens ad Ecclesiam tempore, quo in missa dicitur Præfatio, non teneatur reliquum missæ audire, si alia missa audiri non possit; quia missa est res individua, & non censetur moraliter integre præceptum impleri juxta omnes, si ab eo loco incipiat ea audiri. Nam respondet Sanch. negando sequelam: quamvis enim missa ista non sit integra moraliter quoad accidentalia, est tamen moraliter integra quoad substantialia Missæ, quæ consistunt in consecratione, & consumptione; & ideo datur obligatio illam audiendi: Sicut in jejunio substantialia sunt abstinentia a carnibus, & unica comestio; accidentalia vero sunt hora refectionis, & abstinentia ab ovis, præsertim tempore Quadragesimali; Qui autem ratione alicujus necessitatis non potest accidentalia jejunii servare, tenetur ad substantialia; Satis enim est, quod jejunium, quod est res individua, sit moraliter integrum quoad substantialia: Quamvis moraliter etiam peccet, qui sine necessitate comedit ova, præsertim in Qadragesima, transgrediendo præceptum jejunii quoad hoc accidentale.

V. Equidem quamvis censeam, opinionem Sanch. esse probabilem, probabiliorem tamen puto opinionem Bonac. disput. 2. de præceptis quęst. 8. punct. 1. num. 4. dicentis, quod uni-

versim

versim qui non potest totum præceptum implere, teneatur ad partem, quam potest, si ea sit notabilis, & censeatur intenta a Superiore. Ratio est, quia non est, cur is eximatur ab obligatione ponendæ partis notabilis, quæ a Superiore censeatur intenta; Est enim axioma, quod *qui non potest totum*, *quod debet*, *solvat*, *quod potest*; modo tamen pars non sit levis, ad quam non censeatur Superior velle obligare; non enim lex obligat ultra voluntatem Legislatoris. Confirmatur, quia si una pars rei promisse reddatur impossibilis, aut illicita, & res sit dividua, non propterea cessat obligatio ponendi alteram partem; quia ex regulis juris in 6. *Utile per inutile non vitiatur*.

Hinc sequitur primo, quod qui vovit peregrinationem Romanam, si non possit Romam ingredi, non teneatur arripere iter versus Romam, quia licet totum iter sit par notabilis, non tamen censetur ea pars intenta a vovente; cum iter censeatur voveri ratione termini.

Sequitur secundo, quod qui non potest officium totum persolvere, teneatur ad quamcumque partem potest, modo sit notabilis, & censeatur per se intenta; Quare qui caret Breviario, ubi sint lectiones, videtur obligandus ad recitandos Psalmos Matutini, etiam novem Lectionum; quia ea est pars notabilis, nec videtur minus intenta a Legislatore, quam sint Psalmi ferię, quibus addendæ sunt tres tantum lectiones.

Sequitur tertio, quod qui non potest totam missam audire, teneatur ad partem, quam potest, si sit notabilis, & per se intenta: Unde non solum tenetur audire partem missæ posteriorem, videlicet a consecratione, qui non potest priorem, sed etiam ex Bonac. contra Sanch., & Suar., qui potest tantum audire missam a principio usque ad consecrationem, tenetur illam audire: quia est pars notabilis, & videtur per se intenta: Sic qui ratione necessitatis laboravit die festo usque ad vesperas, tenetur reliquo diei spatio abstinere ab operibus servilibus. Et qui non potest tota Quadragesima jejunare, tenetur iis diebus, quibus clare potest: Pariter qui non potest septem Psalmos pœnitentiales, aut tertiam partem Rosarii recitare, tenetur ad partem, quam potest, etiamsi minor sit medietate, dummodo sit notabilis: Contra vero qui non potest jejunare, nisi usque ad vesperas, potest mane sumere jentaculum: quia quamvis pars diei usque ad vesperas sit notabilis, at non est per se intenta a Legislatore pręcipiente jejunium talis pars, cum de se intendatur solum unica comestio, pręter abstinentiam a carnibus, quę obligat semper, & ad semper cum sit pręceptum negativum.

VI. Dubitatur hic, An qui ratione cęcitatis, vel infirmitatis non potest officium recitare, nisi cum socio, teneatur illum adhibere ad recitandam officii partem suam, quam potest?

Respondent aliqui apud Dian. part. 2. tract. 12. resol. 43. negative; quia recitare officium cum socio est privilegium; nemo autem tenetur uti privilegio. Alii vero id admittunt, si antea non erat solitus recitare cum socio. Sed communiter cum Valent. Suar., Azor. docent, teneri socium ascíscere, si potest sine magno incommodo; quia qui tenetur ad finem, tenetur ad adhibenda media ad finem: Sic qui tenetur ad missam audiendam, & caret vestibus, quas potest habere facile commodatas ab alio, tenetur acceptare vestem, quam alius commodat, ut eat ad sacrum audiendum. Unde putat Suar. contra Navar., quod etiam non beneficiatus, si potest sine magno sumptu juxta qualitatem personæ habere socium, teneatur cum eo sumptu illum advocare, ut possit officium recitare. Tunc autem est verum, quod nemo teneatur uti privilegio, quando usus privilegii non est necessarius ad implendum præceptum Ecclesiæ; Unde multi cum Azor., Sot., Medin., Suar., Lug. de Eucharistia disput. 22. sect. 1. contra Avil., & Con. docent, quod habens privilegium audiendi missam tempore interdicti, teneatur eo uti die festo ad implendum præceptum Ecclesiæ; sublato enim impedimento ex prohibitione interdicti, urget obligatio juris communis, ut notat Dian. part. 4. tract. 4. resol. 5.

ARTICULUS IV.

De Impedimentis non apponendis legi adimplendæ.

I. Præcepta naturalia obligant ad ponenda media ad eorum executionem, & ad removenda impedimenta.

II. Non tamen omnia præcepta positiva ad id obligant.

III. Num possit quis in pilæ ludo, vel in venatione die jejunii defatigari, prævidens, quod non possit jejunare.

IV. Num id ipsum fieri possit in fraudem jejunii ad declinandam ejus obligationem; eo modo, quo potest quis egredi e loco, ubi obligat præceptum jejunii, ne teneatur jejunare?

V. Qui solum prævidet, quod in lusu pilæ defatigatus non possit deinde jejunare, ludendo dicitur apponere jejunio impedimentum remotum, & non peccat: Qui vero id intendit, ludendo dicitur apponere impedimentum proximum, & peccat contra legem jejunii.

VI. Unde dignosci possit, num impedimentum, quod apponitur observantiæ legis, sit proximum, & eatenus peccaminosum, non vero remotum?

VII. *Variæ regulæ, quę a Doctoribus adducuntur, multis exemplis subjiciuntur, ut in bono lumine reponantur.*

VIII. *Cur excommunicatus teneatur absolutionem procurare, ut possit in Paschate communicare, non vero ut possit die festo audire Sacrum?*

IX. *Num liceat die Sabbati ire venatum, si prævideatur, quod die Dominico non possit Sacrum audiri?*

X. *Num peccent barbitonsores, si tondeant die festo? Quid de puellis, quæ die festo suunt ad vitandum otium?*

I. Certum est apud Doctores, ut notat Pal. punct. 21., quod pręcepta naturalia per se obligent ad ponenda omnia media ad illorum executionem necessaria, & ad tollenda omnia impedimenta obstantia: V. g., administrans Officium Confessarii, Judicis, Advocati tenetur addiscere, quę necessaria sunt ad illius rectam executionem, & impedimenta removere: Sic qui tenetur lege charitatis succurrere indigenti eleemosyna corporali, vel spirituali, vel correctione fraterna, ad idem tenetur. Et ratio est, quia hęc obligatio nascitur ex ipsa natura rei, quę dum absolute pręscribit finem, præscribere etiam debet media ad finem necessaria. Quare nisi justa causa excuset, præceptum ad hæc omnia ponenda, vel removenda obligat.

II. Contra vero non omnia præcepta positiva obligant ad ponenda omnia media, & removenda omnia impedimenta; quia non obligant cum tanto gravamine, sicut præcepta naturalia: Et ratio a priori est, quia obligatio præceptorum positivorum non est indita a natura, & necessaria, sed libera Legislatori, qui ex sua benignitate non censetur cum magno incommodo obligare: V. g., excommunicatus ex vi præcepti audiendi missam non obligatur ad procurandam absolutionem; (quamvis ad id obligetur ex vi præcepti communicandi in Paschate, eo quod præceptum hoc secundum sobstantiam sit Divinum, ut communiter Doctores docent) Similiter Artifex dives non obligatur ex lege jejunii ad non laborandum, ut possit jejunare; quamvis qui non est artifex, non possit laborare, si labor impediat jejunium, ut communius docent; Et juxta communiorem etiam opinionem non tenetur homo peregrinationem differre, aut flagellationem, aut alia pia opera, ut notat Pal. punct. 22., ad hoc ut possit jejunare. Difficile autem est assignare regulam generalem omnibus præceptis. Immo, ut notat Merol. cap. 3. dub. 37., nec quæstio ista reperitur generaliter discussa a Doctoribus; sed specialiter in quibusdam præceptis, puta in præcepto jejunii, auditionis missæ, & similibus, in quibus varie opinati sunt.

III. Et sane Medin., Joan. Sanch., Dian. p. 1. tract. 8. de Jejunio resol 52. putant, non peccare contra legem jejunii, qui defatigatur eo die in pilę ludo, vel in venatione prævidens quod non possit jejunare. Addit Henr., Ledesm., Bonac., Filliuc., Sanc. lib. 1. cap. 15. in fine contra Sylvest., Homob., D. Th. 2. 2. quęst. 79. cap. 3., Azor., nec peccare mortaliter contra pręceptum missę, jejunii, vel Divini officii, qui aut nimium, aut nocivum cibum edit, pręvidens quod non possit ob morbum ea pręcepta implere; quia putant comestionem talis cibi esse impedimentum remotum, & per accidens esse causam omissionis.

IV. Addit etiam Joan. Sancius, & Suar. de Religion. t. 1. lib. 2. c. 1[illegible]. n. 6. loquens de observatione festorum, id verum esse, etiamsi ea fiant ad declinandam obligationem jejunii; quia hęc non esset fraus, sed esset fuga a jejunio, sicut si quis discederet a loco, ubi urget pręceptum jejunii, ne jejunet. At communiter cum Henr., Sanch., Azor., Pal., Bonac. docent, hanc esse veram fraudem, quę nemini patrocinari debet; Et esse magnam disparitatem inter hunc, qui ludit pila, vel ambulat quærendo concubinam, ut defatigetur, & excusetur a jejunio, ac eum, qui discedit a loco, ubi jejunatur, ne obligetur a jejunio. Nam in primo casu apponitur impedimentum proximum executioni præcepti, & sic violatur præceptum; in secundo casu homo eximitur ab obligatione præcepti, & sic non violatur præceptum; Sicut nec illud violat, qui petit dispensationem a Superiore, ne jejunet.

V. Dixi, quod ponatur impedimentum proximum jejunio, si ludatur pila in fraudem jejunii. Nam quamvis esset impedimentum remotum lusus pilæ factus ab eo, qui prævidet se non posse deinde jejunare, & hoc impedimentum remotum non esset ex obligatione jejunii removendum; at lusus pilæ factus cum intentione, ut declinetur obligatio jejunandi, censetur communiter esse impedimentum proximum, quod debet ex præcepto jejunii tolli. Sic ex præcepto castitatis nemo tenetur abstinere a comestione calidorum, si prævideat ex iis futuram pollutionem; at ex præcepto castitatis tenemur non comedere calida eo animo, ut pollutio sequatur. Ratio est, quia, si id fiat cum tali intentione, censetur poni causa proxima pollutioni. Si vero fiat cum sola prævisione pollutionis, censetur illi poni causa remota. Eodem modo Lug. docet, non peccari contra justitiam ab eo, qui ponit cadaver occisi ante januam alterius, prævidens, quod homicidium sit illi imputandum, aut si derivetur flumen ab agro vicini cum prævisione damni illius; secus, si id fiat cum ea intentione; quia si fiat cum tali intentione,

ne,

ne, eo ipso ponitur causa proxima, non remota damni proximi.

VI. Itaque, cum non possit assignari regula generalis in omnibus materiis, bene notat Sanch. lib. 1. cap. 10., Merol. loc. cit., & Pal. punct. 21. Bonac. disp. 2. quęst. 8. punct. 2., Primo, alia præcepta rigidius, alia benignius obligare; quod ex materia præcepta, & ex sensu fidelium, & Doctorum dignoscendum est: Verbi gratia, rigidius obligat præceptum Confessionis, & Communionis, quam missæ, rigidius pręceptum missæ, quam jejunii. Secundo, alia impedimenta esse proxima, alia remota; nam projectio Breviarii, v. gr., est impedimentum proximum ad recitationem horarum; at comestio cibi nocivi impedientis recitationem horarum dicitur impedimentum remotum; Sic qui ipso die jejunii arripit iter voluntarium, & non necessarium incompossibile cum jejunio, ponit impedimentum proximum; qui vero arripit idem iter pridie jejunii, vel pluribus diebus ante diem jejunii prosequendum in ipso jejunii die, ponit impedimentum remotum. Tertio necessitatem ponendi impedimentum, aliam esse gravem, verbi gratia, ne subeatur grave damnum; aliam esse levem, ne scilicet subeatur leve damnum: His omnibus perpensis, judicandum in qualibet materia, num præceptum obliget ad tollenda impedimenta etiam remota, an solum proxima ad ejus executionem; Quod apertius fiet discurrendo per materias apud Doctores controversas.

VII. Primo enim ex Suar., Avil., Lug. contra Henr. l.13. c. 7. apud Tambur. in Methodo Commun. cap. 4. §. 4. n. 37. excommunicatus tenetur procurare absolutionem ab excommunicatione, ut possit in Paschate communicare; (sicut etiam Capellanus, ut possit celebrare, quando non potest per alium satisfacere suæ obligationi, ex Tambur. lib. 6. de Sacrif. c. 6. §. 2.) Contra vero detentus in carcere non tenetur procurare excarcerationem, nec infirmus procurare sanitatem, ut possit eo tempopore communicare; nec Capellanus, ut possit celebrare. Disparitas, quæ assignatur a Doctoribus, est quia Communio, & Sacrificium ordinantur ad salutem animæ, & ideo obligant ad removenda mala spiritualia, quæ directe impletioni præcepti, & ejus fini opponuntur, ut est excommunicatio, quæ opponitur Communioni, & Sacrificio: Contra vero non adeo rigide obligant ad removenda etiam mala temporalia, ut sunt incarceratio, & infirmitas; quæ indirecte, & per accidens impediunt impletionem præcepti: Quod constat a posteriori, quia homines timoratæ conscientiæ non sunt multum soliciti de procuranda excarceratione, & valetudine ad hunc finem; Quamvis peccarent, si ad hunc finem vellent esse negligentes in procuranda absolutione, ne scilicet teneantur communicare, aut Capellanus celebrare; Et peccarent etiam, si facile possent obtinere ab amico excarcerationem, & illam respuerent.

Secundo, ex eodem Tamb. l. c. de Sacrif. peccat Capellanus, si ponat impedimentum proximum ad missæ celebrationem, v. gr. projiciendo missale, seu se inebriando, aut eo discedendo, ubi non possit celebrare: Contra vero si cibum nocivum comedat, unde non possit celebrare, peccabit solum contra temperantiam, dummodo non eo fine comedat, ne teneatur celebrare: Et idem dicas ex Sanch., si quis edat similes cibos prævidens, quod non possit deinde audire missam, recitare horas, jejunare, &c. quia hæc præcepta solos sanos obligant, & non ita rigide, ut obligent etiam ad conservandam salutem ad ea implenda necessariam.

VIII. Tertio ex Azor., Dicast., Fagund. Tamb.l.c., Excommunicatus tenetur procurare absolutionem ab excommunicatione, ut possit in Paschate communicare, non vero ut possit die festo audire Sacrum. Disparitas est, quia rigidius obligat præceptum communionis, quod est secundum substantiam Divinum, & majoris momenti: Quamvis etiam peccaret, qui negligeret procurare absolutionem ad hunc finem, ne teneatur audire Sacrum.

Quarto ex Pal., Sanch., Tamb. lib. 4. Dec. c. 2. §. 2. potest aliquis tempore valde remoto a die festo, vel a die jejunii arripere iter, vel implicare se in aliquo gravi negotio, unde non possit audire Sacrum, aut jejunare, idque ex Tambur. contra Merol., etiamsi eo fine faciat, ne ad hæc teneatur; Et ratio est, quia tunc præceptum non obligat, nec est in proximo, ut obliget, nec adeo rigide hæc præcepta obligant, ut teneamur tollere ista adeo remota impedimenta ad eorum impletionem: Contra vero non potest aliquis ponere hujusmodi impedimenta eodem die festo, aut eodem die jejunii; Nec potest ea ponere tempore proximo, quod moraliter ad eundem diem videtur pertinere, v.g. paucis horis ante mediam noctem Sabbati, si prævideat, quod non possit die festo audire Sacrum; Hæc enim essent impedimenta proxima, ad quæ removenda præceptum obligat.

IX. Utrum autem dicatur impedimentum proximum, an remotum, arripere hujusmodi iter, vel ire venatum die Sabbati mane, si prævideatur, quod die Dominico non possit audiri Sacrum? Dubium est: Tambur. l. c. probabiliter putat esse impedimentum remotum, nec peccare, qui illud tunc apponit; quia non videtur

detur tale præceptum adeo rigide obligare, quod a fortiori dicendum, si quis eat venatum, aut assumat iter voluntarium pridie jejunii, prævidens, quod non possit die sequenti jejunare (dummodo id non fiat in fraudem jejunii, seu ex intentione, quod non obligetur ad jejunandum, ut communiter docent contra Joan.Sanch. disp. 54. n.20. apud Pal.loc.cit.) Ratio est, quia minus rigide obligat præceptum jejunii, quam pręceptum audiendi missam: Nam Trull., Medin. & Ledesm. excusant eum, qui semel, aut iterum assumit ipso die jejunii, v. g., pilæ ludum, aut venationem, prævidens, quod non possit jejunare; Nemo tamen permittit, quod possint ea impedimenta apponi ipso die festo, si prævideatur, quod non possit audiri Sacrum; quod est signum, rigidius obligare præceptum missæ, quam jejunii.

Quinto, docent communiter cum Sanch.l.c., quod æditũus debeat pridie festi templum verrere, tapetibus templa, & altaria ornare, hostias conficere, &c., ne ipso die festi laboret; (quamvis Bonac.disp.5.punct.3.n.6.ex Suar. contra on. apud Dian. part.3. tr.5. ref.8. putet, id non esse mortale, cum sine scrupulo peccati mortalis soleat exerceri). Contra vero possint ipso die festi pulsari Campanæ, & Organa, quia hæc sunt conjuncta (non præparatoria, ut illa) ad cultum Dei. Ratione autem necessitatis, quando non potuit præveniri, possunt die festo non solum ornari templa, sed etiam a sartoribus confici vestes, aut alia pro funere; Immo etiam ex Laym. apud Dian.part.4.tr.4.ref.62. excusantur ratione necessitatis sartores, si post mediam noctem, quæ pręcedit festum, cogantur laborare, ut vestes promissas perficiant.

X. Ipsi etiam barbitonsores excusantur a Cajet., Fern., Homob. apud eundem Dian. ratione magni lucri quo carerent, si diebus festis non tonderent; quia homines aliis diebus propter occupationes non tondentur. Quod tamen improbat merito Suar.; Unde tantum ratione consuetudinis toleratæ, ubi ea est, excusari possunt, ut notat Tambur., & Dian.part.2. tr.15.ref.34.: Sicut excusantur ratione pietatis puellæ, quæ die festo suunt, vel aliud simile faciunt ad otium vitandum, & ne se ad fenestras conspiciendas exhibeant, ex Sa, Homob. contra Comitol.

Sexto, si fecisti votum conditionale, v. gr., Jejunabo, si consentiat Confessarius, non potes licite aponere impedimentum malis artibus, seu per vim, & fraudem, conditioni non pendenti a voluntate tua, v.g. inducendo Confessarium malis artibus, ut non consentiat; quia sic conditio non penderet a voluntate Confessarii, sed tua, contra id, quod vovisti, poteris tamen bonis artibus, hoc est rogando, inducere illum, ut non consentiat. Ita Suar., & Laym. contra Sanch. apud Tambur. lib. 3. cap. 12. §. 6. n. 6.

Ex quibus omnibus patet, quomodo intelligendum sit illud axioma, *Qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media*; intelligendum enim est de mediis commodis, & proximis, nisi gravitas præcepti, vel materiæ præceptæ suadeat etiam adhibere media difficilia, & tollere impedimenta etiam remota.

QUÆSTIO VI.

De Legis Interpretatione, Extensione, Abrogatione, & Cessatione.

PLurima scitu digna continet hæc quæstio; Primo enim discutiemus, Quomodo lex explicanda sit? Secundo, quando lex extendi, quando contrahi debeat? Tertio, quomodo lex abrogetur, ita ut amplius non obliget? Quarto, Quænam excusent a legis obligatione, seu quomodo cesset legis obligatio. Num excuset vis, & metus? Num ignorantia, seu inadvertentia, & similia? Quinto inquiremus, num cessante fine legis negative, cesset obligatio legis? Demum nonnulla dicemus de cessatione finis legis contrariæ.

ARTICULUS PRIMUS.

De Legis interpretatione, & extensione.

I. Verborum proprietas, alia est Naturalis, alia Civilis. Quando verba legis extendi debent, sumuntur etiam secundum proprietatem civilem.

II. Doctores interpretari possunt leges ampliando illas interpretatione solum doctrinali, non auctoritativa. Quid de declarationibus Cardinalium?

III. Præter interpretationem legis Authenticam, & Doctrinalem datur etiam Usualis.

IV. Undenam mens Legislatoris conjici potest, ut detur legi apta intrepretatio?

V. Variæ regulæ assignantur a Doctoribus ad rite leges interpretandas.

VI.

VI. quandonam particula disjunctiva Sive *sumenda sit pro copulativa?*
VII. Quomodo sit interpretanda lex, quæ uni est favorabilis, alteri vero odiosa?
VIII. Quid si verba legis habeant plures sensus, nec constet de mente Legislatoris?
IX. Quid si dubitetur an verba legis sumenda sint secundum propriam verborum significationem, an secundum communem, & usitatam?

I. NOtandum primo cum Sal. disp. 21. sect. 13., & aliis communiter, duplicem esse verborum proprietatem. Prima est Naturalis, non quia naturaliter verba aliquid significent, sed quia juxta primam institutionem, & in communi modo loquendi habent talem significationem; Sic, Verbi, gratia verbum, Mors, significat mortem naturalem, & Filius significat filium naturalem. Secunda verborum proprietas dicitur Civilis; quia in jure aliquid aliud significat habens similitudinem aliquam cum significatione primæva: Verbi gratia, Professio dicitur esse mors, non secundum proprietatem naturalem, sed civilem, & ideo dici solet mors civilis; Sic verbum, Filius, secundum proprietatem civilem, & quasi metaphoricam extenditur ad significandum filium adoptivum. Hinc quando lex extendi debet, verba legis sumuntur secundum proprietatem tum naturalem, tum civilem; quando vero debet restringi, solum secundum proprietatem naturalem sumi debent.

II. Notandum secundo, licitum esse Doctoribus leges interpretari, non solum illas explicando, sed etiam ampliando, vel coarctando, juxta regulas articulo sequenti tradendas, ut constat ex usu, & praxi, & ex *leg.* 1. *ff. Si Certum petatur*. Neque obstat caput *Sicut* 11. *Quæst.* 1. ubi dicitur, Illius esse leges interpretari, cujus est condere. Nam ibi sensus est de interpretatione, quæ habeat vim legis, non de simplici interpretatione doctorali, quæ a Doctoribus fieri solet. Pius IV. sub pœna excommunicationis prohibuit, ne ullum interpretationis genus edatur super Tridentini decretis, sed Sayr., Suar., Sal, Bonac. punct. 8. putant, id intelligendum de interpretationibus factis ex professo, & quasi auctoritative, & per modum legis; sicut etiam de interpretationibus frivolis, non de illis, quæ in re dubia reverenter, & humiliter fiunt per modum doctrinæ.

DeclarationesCardinalium maximę auctoritatis sunt, sed non habent vim legis, si habeant aliam expositionem probabilem, antequam publicentur, nisi adsit consensus, & auctoritas Papæ, ut docet Bonac., Pal. contra Rodriq., Sal., Riccium. Quod si publicentur auctoritate Pontificis, habent omnia requisita ad veram legem, ut docent communiter apud Dianam part. 11. tract. 2. res. 42. contra quendam doctissimum virum tacito nomine relatum a Rodriq. quæst. 11. art. 2.

III. Notandum vero tertio, triplicem dari interpretationem, Autenticam, Usualem, & Doctrinalem. Prima fit auctoritate illius, qui potest legem condere, habetque vim legis, dummodo promulgetur. Secunda habetur ab usu, & consuetudine, quæ dicitur esse optima legum interpres in cap. *Cum dilectus de Consuetudine*; Et aliquando habetur etiam pro lege, ut dicemus quæstione sequenti. Tertia habetur a viro prudenti, & perito, quæ idcirco suam habet probabilitatem: Quod si in ea omnes Doctores consentiant, talis etiam interpretatio habet vim legis; quia alia interpretatio contra communem sensum Doctorum vix potest esse probabilis. His explicatis,

IV. Quæritur, Quænam regulę servandę in legis interpretatione?

Respondeo, ad veram legis interpretationem observanda esse verba secundum eorum significationem tam naturalem, quam civilem, necnon mentem Legislatoris, & finem legis; qui tum ex materia præcepta, tum ex proœmio Constitutionis solet cognosci; cum in eo soleat apponi causa finalis legis. Mens autem Legislatoris inspicienda solum est, ut apta detur interpretatio verbis: Quod si verba nullatenus mentem Legislatoris significent, hęc nullam parit obligationem; quia, ut communiter Doctores docent, lex non constituitur voluntate Principis, nisi per legis verba sufficienter exprimatur. Conjicitur, autem mens Legislatoris, Primo ex legis materia; Si enim verba legis in sensu proprio intellecta traherent injustitiam, interpretanda sunt in sensu improprio; quia hęc pręsumitur mens Legislatoris. Deinde ex contrarietate cum aliis legibus; non enim præsumitur, quod Legislator velit aliis legibus derogare, aut illas corrigere; quia correctio legis est odiosa: Unde Jurisperiti cum Imola, & Felino apud Merollam docent, correctionem legis esse vitandam, etiamsi verba posterioris legis minus proprie oporteat interpretari, dummodo servetur aliqua proprietas verborum, saltem secundum consuetudinem juris. Tertio ex ratione legis in ipsa lege expressa; quia ratio legis est veluti anima legis, ut docent communiter Doctores: Et quamvis Suar.l.6.c.1.putet, verba legis magis deservire ad mentem Legislatoris indagandam, quam rationem legis; quia verba sunt quasi legis substantia, & immediate continent voluntatem Legislatoris, Jurisperiti tamen

men cum Mer. docent oppositum, quia verba legis comparantur ad rationem legis, sicut corpus ad animam; unde si verba legis sint specialia, & ratio sit generalis, verba extenduntur, & ampliantur juxta generalitatem rationis; Et econverso, si verba sint generalia, & ratio specialis, verba restringuntur ad limites suæ rationis: Quod verum est, sive ratio legis sit expressa in lege; sive ratio legis sit unica; Quod si ea sit multiplex, indagandum a conjecturis, quænam ratio moverit Legislatorem ad legem ferendam. His annotatis,

V. Prima regula ad Legislatoris mentem indagandam, & ad assequendam legis obligationem est ex Suar., Sal., Pal., quod in legis interpretatione servetur proprietas verborum, & secundum illam proprietatem intelligatur legem latam esse. Ratio est, quia Legislator debet uti verbis claris, & in significatione propria; aliter nihil firmum stabiliret, & omnes leges subderentur cavillationibus; Quod usque adeo verum est, ut si Legislator extra legem dicat se aliter intelligere, quam ipsa verba sonant, non teneamur stare ejus interpretationi, nisi talem declarationem promulget, & velit, ut tanquam nova lex obliget. Hanc tamen regulam limitant aliqui, nisi proprietas verborum opponatur alteri legi, quia juris correctio vitanda: Sed Pal. docet, vitandam quidem esse juris correctionem, si in aliquo sensu proprio possint verba accipi, non tamen debere in sensu improprio accipi ad vitandam juris correctionem, quia leges essent expositæ æquivocationibus, & fallaciis. Tunc solum debent, ut supra diximus, accipi verba legis in sensu improprio, quando in sensu proprio accepta sequeretur aliqua absurditas, vel injustitia, seu iniquitas Legislatoris; aut si lex in sensu proprio esset omnino inutilis: Ideo lex Interdicti, ne reddatur illusoria, extenditur ad suburbia, quatenus nomine Civitatis veniunt etiam suburbia; Et lex loquens de Testamentis intelligi etiam debet de Codicillis, ut habet Glossa cap. ult. *de Usuriis in 6.* ne fiat inutilis dispositio, & quia accessorium sequitur naturam principalis; Sic pariter in *leg.* 4. ff. *Ad Macedonium*, ubi prohibetur mutuum, sub nomine mutui venit etiam venditio pecunia credita, aliter illuderetur lex.

Secunda regula est, quod in lege pœnali, & præceptiva servanda sit solum proprietas verborum naturalis, seu quæ communi hominum acceptione, & usu habetur: In lege vero favorabili non solum attendi debet proprietas verborum naturalis, sed etiam civilis, seu quæ habetur ex fictione juris, & per quandam similitudinem. Hinc, ut notat Merol. cap. 9. n. 24., in dispositione legis favorabilis nomine filii veniunt etiam nepotes; Sicut Christus Dominus dicitur filius Abrahæ; At in dispositionibus humanis, seu in contractibus nomine filii non veniunt nepotes, ut communiter Doctores; Sic etiam in materia favorabili nomine Nepotis veniunt filii, & fratres vel sorores, necnon consanguinei, & affines: At nomine filii in lege pœnali venit solus filius legitimus; quamvis in lege favorabili veniat etiam adoptivus; Sicut nomine legitimi in favorabilibus venit etiam legitimatus, & nomine Religiosi venit etiam Novitius. Ratio est, quia ex regulis juris constat, Odia esse restringenda, favores ampliandos. Hoc tamen intelligendum, nisi necessitas, vel specialis aliqua ratio cogat, in alio sensu legem accipere; Sicut enim in generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis in specie verisimiliter concessurus; ita in generali prohibitione, vel præcepto non veniunt ea, quæ non esset Legislator in specie verisimiliter prohibiturus, vel præcepturus; cum lex ab ejus voluntate pendeat, ut notat Suar. lib. 6. cap. 5., & alii ferre communiter agentes de Epikeja contra Antonium Gabrielem apud Pal. Præterea lex odiosa restringenda est etiam citra naturalem proprietatem verborum, si aliqua ratio restringendi subsit, ut notat Merol. disp. 4. cap. 9. num. 19., & cap. 6. n. 15., ideo lex odiosa loquens de Monachis, & Monialibus non comprehendit Abbatem, & Abbatissam, & loquens de Clericis secundum se non comprehendit Canonicos, aut Sacerdotes, aut Clericos religiosos; Immo probabiliter ex eodem Merolla nec Clericos conjugatos.

Tertia regula ex Sanch. lib. 2. disp. 24., ut legem novam interpretari debeamus secundum antiquam, etiamsi antiqua sit abrogata; ut colligitur ex leg. *Nihil*, ff. *De conjungendis cum emancipato liberis*.

Quarta regula est, ut nova lex non intelligatur derogare priorem, nisi sit illi omnino contraria; quia ex leg. *Præcipimus*, Cod. *de Appellationibus* correctio legis vitanda est, quoad fieri potest. Quare si lex prior sit specialis, ac pro aliquo casu, & posterior sit universalis, dicendum, quod posterior intelligi debeat juxta limitationem prioris, nisi expressis verbis illi contradicat. Immo si in lege posteriori habetur clausula, Non obstante alia lege, non per hoc intelligitur derogari priori legi, nisi illi esset contraria. Unde si per aliquam distinctionem, & limitationem lex specialis prior sustineri potest, retinenda est, ex Sanch. l. c., & Pal; Qui punct. 3. §. 3. advertit ex Sal. disp. 21. sect. 6., & aliis communiter, per legem generalem non censeri derogatas consuetudines, & constitutiones Provinciarum speciales; quia cum istæ constitutiones ad factum pertineant, illarum ignorantia

rantia præsumitur in supremo Legislatore; Secus vero si Legislator præsumatur scire particularem constitutionem Provinciarum, & habeat facultatem eam abrogandi, & præsumatur velle abrogare, cap. 1. *de Const. in 6.*

VI. Quinta regula: Istas particulas, seu, & sive, quamvis Bartol. putet in materia favorabili sumi pro particula, Et, videlicet copulative, & in materia odiosa pro particula, vel videlicet disjunctive; Sal. tamen, Azor., Bonac. putant, tunc accipi copulative, quando apponuntur post aliquem terminum universaliter, & pluraliter dictum, aut si indefinite apponantur; ut si dicatur, Lego tibi vina, quæ habeo, sive domi, sive rure, a leg. *Si quis ita legaverit*, ff. *de Argento, & Auro*. Vel si dicatur, sive in Urbe ea sint, sive rure; hoc est in Urbe, & rure; Quod si apponatur post aliquem terminum particularem, accipitur disjunctive; ut si dicatur, Lego tibi vestem meam, seu librum. Et ex Suar. l.2.c.6.n.13. ipsa particula, *Vel*, sumitur pro copulativa, *Et*, quoties illa, inter quæ ponitur, sunt ita inter se connexa, ut non separentur.

Sexta regula: Quando principale, non tenet, nec tenet accessorium, ex *cap.* 5. *de Donationibus inter virum & uxorem*.

Septima regula: Quando consuetudo legem declarat, illi standum, quia est optima legum interpres, ex leg. *Si interpretatione, ff. de legibus*.

Octava: Masculinum in favorabilibus comprehendit fœmininum; in contractibus vero illud non comprehendit; Vide alias regulas levioris momenti apud Sal. disp. 21. sect. 7.

VII. Rogabis nunc primo circa secundam regulam: An possit dari, & quomodo interpretanda sit lex, quæ sit simul favorabilis uni, & odiosa alteri?

Respondeo cum Suar. l. 6. c. 4, Sal., Bonac. n.13., & aliis communiter, posse dari hujusmodi legem, quæ simul sit favorabilis, & odiosa: Hæc tamen si primario prosit aliquibus, & aliis noceat secundario, dicitur simpliciter favorabilis; Si vero primario pœnam contineat, etiamsi aliis faveat, dicitur simpliciter odiosa. Hoc posito, quando favor, & odium distingui nequeunt, tunc explicanda est ut favorabilis, si ex primario fine sit favorabilis, & explicanda est ut odiosa, si ex primario fine sit odiosa. Ratio est, quia aliam expositionem ea rationabiliter non admittit, ut notat Sanch. lib. 1. disp. 1. n. 4. apud Sal. disp. 21. sect. 4. n. 10. Si vero favor, & odium distingui possunt, lex, qua parte est favorabilis, interpretanda est ut favorabilis, qua parte est odiosa, & pœnalis, interpretanda ut odiosa, nisi favor sit tanti momenti, ut simpliciter explicanda sit ut favorabilis.

VIII. Rogabis secundo; Quando verba legis habent plures sensus proprios, nec constat, quem sensum Legislator intenderit, quænam interpretatio facienda est?

Respondeo, ex regula 68. *de Reg. juris in 6.*, faciendam esse interpretationem juxta sensum, qui magis convenit rei, de qua agitur; Quod si uterque æque conveniat, adeundus est Legislator, cujus est legem interpretari; Quod si commode adiri non possit, in pœnis strictior pars, in favorabilibus latior explicanda est. Et ideo communiter Doctores docent, quod si lex prohibeat aliquod delictum sub aliqua pœna, v.g. adulterium, intelligenda sit de delicto consummato in sua specie; Et si imponatur pœna mittenti epistolam Monialibus, intelligendum est, si perveniat, ex Sa V. *Lex* num. 25., & Bonac. hic num. 18.

IX. Rogabis tertio; quando verba legis duplicem habent sensum, alterum secundum propriam verborum significationem, alterum secundum communem loquendi modum, qualis interpretatio facienda est?

Respondeo, explicari debere juxta communem modum loquendi tunc usitatum, quando lex condita fuit; nam Legislator uti debet verbis juxta communem modum loquendi: In dubio tamen, an verba legis accipienda sint juxta communem loquendi modum proprium, an juxta communem loquendi modum improprium, tunc conjicienda est mens Legislatoris, prout diximus. Nam ex leg. *Non dubium ff. de legibus, peccat contra legem, qui verba legis amplectens, contra Legislatoris nititur voluntatem.*

ARTICULUS II.

Quandonam lex restringi, aut extendi debeat?

I. Lex odiosa aliquando restringi potest vi Epikejæ in casu, qui non videtur verbis legis comprehensus.

II. Num possit lex extendi ad casum verbis legis non comprehensum, vel ob paritatem, vel ob identitatem rationis?

III. In legibus pœnalibus non datur extensio de casu ad casum relate ad pœnam; imo nec relate ad obligationem.

IV. Nec datur hujusmodi extensio in legibus correctoriis; Aut in dispensationibus, aut privilegiis alicui factis, quæ exorbitant a jure communi. Immo probabiliter nec in legibus favorabilibus.

V. Extendenda tamen quælibet lex, quando, nisi extendatur, Legislator argueretur injustitiæ, vel imprudentiæ.

VI. Similiter in æquiparatis, & in connexis.

VII. Lex prohibens monialibus, ne egrediantur, nisi ob incendium, lepram, &c., num se extendat ad casus similes?

VIII. Num Bulla contra Confessarios, qui solicitant mulieres ad turpia, se extendat etiam ad masculos?

I. QUæritur primo, An lex odiosa restringi possit vi Epikejæ in casu, qui non videtur lege comprehensus ob suas circumstantias?

Respondeo, posse; ut dicemus articulo ultimo, cum de Epikeja excusante ab obligatione legis.

II. Quæritur secundo, Utrum lex extendatur ad casum non comprehensum verbis legis ob paritatem, vel identitatem rationis; v. g., Utrum lex prohibens aliquid Monachis (ut prohibetur esse Patrinos Baptismi, vel Confirmationis apud Dian. part. 9. tract. 1. resol. 32.) intelligatur idem prohibere omnibus Regularibus, si similis, vel eadem ratio militet pro his, quam pro illis? Sic in *Clement.* 1. *de Electionibus* cavetur, ne eligatur in Abbatem, vel Prælatum Conventus Religiosus alterius Religionis, vel habitus; Et redditur ratio, *quia rationi non congruit, ut homines disparis Religionis, vel habitus simul in eisdem Monasteriis socientur*; hæc autem ratio æquæ militat, ut notat Glossa, pro Monialibus; Unde quæritur, an etiam Monialibus intelligatur id prohibitum?

Respondeo, certum esse, quod si unus casus, videlicet unum crimen, seu una persona sit expressa in lege generali solum causa exempli, etiam alii casus non expressi intelliguntur comprehensi sub tali lege: V. g. si lex imponat pœnam contra surripientes centum aureos, extenditur etiam ad eos, qui surripiunt res alias ejusdem valoris; quia lex censetur generalis, & centum aurei ponuntur exemplariter.

Quando tamen non ponitur unus casus gratia exempli, tunc prima opinio est Merol., qui cum pluribus utriusque juris Doctoribus docet, quod si ratio eadem militet pro casu comprehenso sub lata verborum forma, & pro non comprehenso, bene fiat extensio de illo casu ad istum. Sic in cap. *Postquam, de Electionibus in* 6., ubi lex præcipit alicui, ut ad Curiam veniat, intelligitur etiam præcipere, ut si in Curia sit, ab ea non discedat, aut si venerit, ab ea non discedat sine licentia, antequam perficiatur negotium. Et ratio doctrinæ est, quia ratio legis (præsertim si sit in lege expressa) sufficienter indicat, mentem Legislatoris esse præcipere quicquid talem rationem æqualiter induit; ergo tam dispositio legis videtur esse universalis, quam ejus ratio, quamvis verba id non exprimant: Sicut cum quis detestatur peccatum furti, quia est offensa Dei, virtualiter extenditur ad detestandum etiam homicidium, & alia crimina, quæ pariter sunt Dei offensa, ut docent communius Theologi. Præterea ratio legis ad verba legis se habet, sicut anima ad corpus; unde sicut anima corpori dominatur; ita ratio verbis. Requirit tamen Suar. lib. 6. cap. 3. n. 16. contra Panormit., quod ratio legis, secundum quam fit extensio, sit ratio legis non solum finalis, sed etiam adæquata, adeo ut censeatur etiam comprehendere casum non expressum. Hinc infert Merol. cum Bald., & aliis contra Genuens., quod Regia Pragmatica 3. *tit. de Monialibus* prohibens propter honestatem, ne vicini extollant ædificia, itaut possit inde haberi prospectus in claustra Monialium, procedat etiam in favorem Monachorum; quia ratio honestatis, quæ adducitur in lege, æque militat pro Monachis.

Neque solum talis extensio facienda est in lege favorabili, sed etiam in pœnali, ex Merol., Navar., Sylvest., Guttier., & aliis; quoad obligationem tamen duntaxat legis, non vero quoad pœnam; Nam ex regulis juris, Pœnæ non sunt extendendæ, & ampliandæ, sed potius restringendæ; Proinde putant primo, quod lex prohibens extractionem frumenti sub aliqua pœna, extendatur etiam ad prohibendam extractionem farinæ, vel panis, ut docent multi Jurisperiti contra Bald., & alios; unde peccet, qui farinam, aut panem extrahit, sed non incurrat pœnam a lege impositam extractioni frumenti. Putant secundo contra Navar., Tolet., Sanch. lib. 7. disp. 45. n. 13., quod lex obligans eos, qui parochiale beneficium receperint, ut intra annum ad Sacerdotium promoveantur, (ut habetur in cap. *Commissa de Election.*) sub pœna privationis beneficii, & restitutionis fructuum, extendatur etiam ad eos, qui alia beneficia, quam Ecclesias parochiales accipiunt, puta Canonicatum, Dignitatem, &c.; quamvis non incurrant dictam pœnam, si non assumant Ordines talibus beneficiis annexos, ut volunt Rebuf., & Adrian.. Putant tertio, quod lex prohibens venditionem alicujus rei sub aliqua pœna, obliget etiam emptorem, quamvis emptor non incurrat pœnam latam contra venditores.

Secunda opinio probabilior est Bonac. n. 26., & Pal. punct. 3. §. 4., ac aliorum putantium, quod neque in lege pœnali, neque in lege favorabili detur extensio ad alios casus non comprehensos sub lata verborum forma, neque ob similitudinem, neque ob identitatem rationis. Sic in *Clement.* 1. *de Electione*. prohibetur, ne eligatur in Abbatem, vel Prælatum Conventus Religiosus alterius Religionis, vel habitus, propter rationem adductam; & tamen ex Glossa permittitur, quod Religiosus eligatur in Episcopatum Ecclesiæ Cathedralis; cum tamen eadem

dem

dem ratio magis militet, ne eligatur in Episcopum, quam in Abbatem: Et ratio a priori est, quia ratio legis non est lex; ergo quamvis militet pro alio casu non comprehenso sub lata verborum forma, lex talem casum non comprehendit; potuit enim Legislator unum casum velle comprehendere, non alium, quamvis eadem ratio pro utroque militaret; quia non expedit semper omnia prohibere, aut præcipere, etiamsi in illis eadem sit ratio: Quando autem verbis legis unum casum comprehendit, non alium, signum est, quod circa illum voluerit legem ferre, non circa istum, ut potuit facere. Præterquam quod potuit Legislator ob aliquam rationem nobis ignotam velle, ut unus casus lege comprehendatur, non alius, quamvis nobis videatur eadem ratio pro utroque casu militare; Et hoc præsumendum est nobis de Legislatore, quia semper præsumi debet, quod Legislator prudenter operetur. Adde, quod sicut qui dispensat relate ad unam personam, non ideo dispensat relate ad aliam, relate ad quam eadem ratio militat, potest enim cum una velle dispensare, non cum altera; quia non expedit ad bonum publicum cum omnibus dispensare, quamvis eadem sit ratio cum omnibus, nec expedit, quod cum nemine dispensetur: ita dicitur de prohibitione, quæ potest unum casum prohibere, non alium, in quo eadem esset ratio.

Neque dicas, voluntatem Legislatoris cognosci ex ratione legis; ergo si ratio legis æque militat pro casu comprehenso sub verbis legis, & pro non comprehenso, voluntas Legislatoris est, utrumque casum lege contineri. Negatur enim consequentia; nam ex ratione legis solum cognoscitur, quomodo verba secundum eorum proprietatem sint interpretanda; at si verba secundum omnem eorum proprietatem unum tantum casum comprehendunt, non alium, dicendum Legislatorem voluisse, unum casum lege contineri, non alium, in quo eadem, vel similis ratio militat.

III. Hinc infertur primo, in legibus pœnalibus non dari extensionem de uno casu ad alium, non solum relate ad pœnam, quod omnes Doctores concedunt, teste Pal. loc. citato n. 3., sed neque quoad obligationem, ex Sal. disp. 21. sect. 5., Sanch. lib. 10. disp. 4. n. 3., Suar. lib. 6. cap. 3. num. 5., tum quia odia debent restringi; tum etiam quia sicut liberum est Legislatori obligare ad pœnam in solo casu sub verbis legis comprehenso, non in alio, ita liberum fuit obligare simpliciter in eo casu, non in alio; tum demum quia si lex pœnalis extenderetur ad obligandum in alio casu propter identitatem rationis, deberet etiam extendi ad pœnam, quæ est accessoria legi.

IV. Infertur secundo, neque in legibus correctoriis dari hujusmodi extensionem; quia correctio legum est etiam odiosa, atque adeo restringenda potius, quam amplianda.

Infertur tertio, quod sicut in privilegiis, & dispensationibus non datur hujusmodi extensio, ita nec in legibus exorbitantibus, seu quæ deviant a jure communi ob aliquem specialem favorem alicui factum; tum quia istæ leges assimilantur privilegiis, & dispensationibus; tum etiam quia quæ a jure communi exorbitant, non sunt in consequentiam trahenda, ex regula vulgari juris: Exempli gratia, in leg. *Patria*, *ff. ad legem Juliam* conceditur Patri, ut possit imperare occisionem filiæ in adulterio deprehensæ, hæc tamen lex non extenditur, etiamsi eadem ratio militaret pro Patre, & pro Avo.

Infertur ultimo, neque in legibus favorabilibus extensionem hanc esse faciendam. Ita Suar. cap. 3. n. 9. Bonac. punct. 8. n. 26. contra Panorm., Sylvest., & Felin. apud Suar. loc. cit., & lib. 6. cap. 4. Nam si verba legis non se extendunt ad alium casum, nec lex extenditur, quamvis ratio extendatur; quia lex verbis exprimitur, & *Quod ex verbis non provenit, neque ex mente creditur provenire*, ut habetur leg. *Non aliter*, *ff. de legatis*.

V. In iis tantum casibus lex sive pœnalis, sive correctoria, sive favorabilis extendenda est de casu ad casum, in quo est eadem ratio, quando si non extenderetur, Legislator argueretur injustitiæ, vel imprudentiæ; Si enim ad hæc vitanda, verba legis, ubi opus fuerit, sunt impropriandа, a fortiori sunt extendenda; Immo non debet in tali casu dici proprie legis extensio, quasi a principio talem casum non comprehenderit; nam vere hunc casum hujusmodi lex comprehendit, vel ex verbis in lata significatione, vel ex ratione expressa in lege, vel ex alia circumstantia, ut constat adducendo casus, in quibus Doctores communiter docent, extensionem legis faciendam esse ob identitatem rationis.

Primo enim id accidit in correlativis; nam quod est dispositum in uno correlativo, censetur dispositum in alio, si eadem ratio militat pro utroque, ne Legislator injustitiæ arguatur: Sic ex eo quod ob adulterium uxoris maritus non teneatur reddere debitum, bene infertur, quod neque uxor teneatur reddere debitum ob adulterium mariti: Sic etiam quia ob absentiam sponsi sine licentia sponsæ dissolvuntur sponsalia, ex cap. *De illis*, *de Sponsalibus*, bene infertur, quod etiam dissolvantur sponsalia ob absentiam sponsæ sine licentia sponsi; Et quamvis hoc in lege non exprimatur, debet tamen ad hoc extendi ob servandam æqualitatem, & justitiam; Sic pariter, quia maritus succedit in bo-

nis uxoris, infertur, quod uxor etiam succedat in bonis mariti, ne lex sit injusta.

Aliquando tamen Doctores dubitant, An eadem ratio vigeat pro utroque correlativo? Et ideo Ostiensis, & alii contra Sanch., Suar., & alios communius apud Merol. cap. 9. n. 130. putant, quod licet possit uxor communicare cum viro excommunicato, ex cap. *Quoniam multos* 12. *quæst.* 3., non tamen vir cum uxore excommunicata, nisi solum in reddendo debito; quia vir facile potest compellere uxorem ad petendam absolutionem, & nisi compellat, ipsi imputatur: Contra vero, non potest uxor facile maritum ad id compellere. Sic Bordonus apud Dian. part. 7. tract. 7. resol. 13.; & alii contra communiorem putant, quod si reservetur sodomia, includantur solum agentes, non patientes; quia quamvis sint correlativi, non est tamen eadem ratio in utroque; Nam agens tantum in eo tactu impudico se polluit, & patiens solum cooperatur pollutioni; Unde Lug. de Pœnit. disp. 15. §. 5. n. 243. contra Dian. part. 6. tract. 6. resol. 36. putat, circumstantiam patientis, vel agentis explicandam esse in confessione, eo quod diversa specie malitia sit in utroque.

VI. Secundo, id accidit in æquiparatis, ex Sal. disp. 25. num. 13., nam quia in jure v. gr. electio postulatio, provisio, & præsentatio æquiparantur, ideo quod in lege disponitur de uno ex æquiparatis, censetur dispositum de aliis ob connexionem eorum; ex Glossa in cap. *Si postquam De electione*.

Tertio, idem accidit in connexis; sive connexio sit ex jure, sive ex consuetudine; Verbi gratia, quod disponitur de Vicario Episcopi censetur dispositum de Vicario Capituli sede vacante; Et quod disponitur de Diaconatu, censetur dispositum de Subdiaconatu; Et constitutio disponens de gradibus consanguinitatis censetur disponere de affinitate, & de publica honestate, ex Suar. cap. 4. num. 8., & Pal. n. 12.: Qui etiam duo notat; Primum est, quod quando lex frequentioris usus causa aliquid decernit, casum minus frequentem non excludit, sed comprehendit, ut docent Doctores communiter cum Sanch. l. 3. disp. 20. n. 3., & l. 9. disp. 14. n. 16.; Secundum est, quod quamvis lex non extendatur ob similitudinem rationis ad casum sub lata verborum forma non comprehensum, Judex tamen in judicando illam debet extendere; quia quando pro certo casu decidendo non habetur lex, decisio illius a similis casus decisione petenda est; Unde dici solet, quod casus similis expresso non sit omissus a lege, cum per ipsum decidi possit: Et per hæc patet ad rationes pro prima sententia.

VII. Dubitatur, An lex Pii V. prohibens Monialibus, ne a Monasteriis exeant, nisi causa incendii, lepræ, epidemiæ, &c., extendatur ad alios casus similes? Negant multi apud Merol. cap. 9. num. 140., quia Pontifex dicit, nulla alia occasione, vel prætextu exitum licere. Sed communius affirmant, videlicet in invasione hostium, in ruina domus, in inundatione, in morbo gallico, aut contagioso; quia frequentioris usus causa illos casus expressit Pontifex; unde non videtur excludere casus minus frequentes. An autem possit Monialis egredi ad curandum morbum periculosum, sed non contagiosum, qui non potest intra claustrum curari? Affirmat De la Crux, quia nemo tenetur obedire preceptis Ecclesiæ cum periculo vitæ; Sed communius negant, quia id expedit communi bono; ut dicitur communiter de Chartusianis qui non possunt vesci carnibus in ægritudine periculosa. (*a*)

„ (*a*) Addamus hæic Benedicti XIV. Constitutio„ nem de clausura Monialium; tum ob materiæ „ connexionem aliam ejusdem Pontificis Constitu„ tionem de Religiosorum clausura.

CONSTITUTIO

SS. D. N.

BENEDICTI PAPÆ XIV.

Super Clausura Monasteriorum quorumcumque Virorum Regularium.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ REgularis disciplinæ observantiam ante etiam, „ quam & Generalium, ac Particularium ali„ cujus Nationis aut Provinciæ Conciliorum decre„ tis confirmaretur, & Romanorum Pontificum Præ„ decessorum Nostrorum legibus, sanctionibusque „ præscri beretur, quoad vetitum mulieribus quibus„ cumque, etiam consanguineis intra quorumcum„ que religiosorum virorum clausuram ingressum „ tam integerrime custoditam fuisse constat, ut, ne„ dum feminis quibuscumque, sed masculis quoque, „ non tam ad Monasteriorum claustra, seu septa, „ quam ad ipsa eorumdem Monasteriorum Oratoria, „ & Ecclesias nullus patuerit aditus, & accessus; quin „ imo sub gravissimis pœnis fuerit interdictus; ne „ scilicet, ut inquit S. Gregorius PP. I. Prædecessor „ noster, in servorum Dei secessibus occasio præbea„ tur popularibus conventibus, & simpliciores ex „ hoc animas, plerumque, quod absit, in scanda„ lum trahat. Hujusmodi autem regularis disciplinæ „ observantia, etsi pro temporum varietate, ac ne„ cessitate tot, tantasque subiit vices, ut iidem Præ„ decessores Nostri aditum, & accessum ad publicas „ Monasteriorum Ecclesias duntaxat sive masculis, „ sive feminis sacrosanctum Missæ sacrificium au„ diendi, prædicationibus verbi Dei interessendi, & „ Sacramentum sanctissimæ Eucharistiæ sumendi,

„ ac

„ ac peccata sua confitendi causa, sine tamen Parochorum præjudicio, interdum concesserint; vicissim tamen ipsi Prædecessores Nostri tam ante Concilii Tridentini decreta, quam post eorumdem decretorum promulgationem denuntiationemque providis, saluberrimisque Constitutionibus, ordinationibusque sub pœna etiam excommunicationis latæ sententiæ feminis quibuscumque aditum, ingressumque hujusmodi intra Monasteriorum clausuram interdixerunt. Quoniam autem sicut dolentes accepimus, alii quidem Apostolicas leges, ac præcepta hujusmodi vel ausu temerario parvipendentes, vel ad eorum arbitrium interpretantes, feminis quibuscumque aditum, ingressumque tam manifeste, ac tanta solemnitate vetitum permittunt; alii vero privilegia, indulta, prærogativas, facultates, licentias, & alias quocumque pacto excogitatas concessiones sibi sive a jure, sive ab homine factas, & impertitas, seu facta, & impertita, ac quorumcumque munerum, dignitatum, ac præeminentiarum ratione debitas, seu debita arrogantes, prætendentes, obtendentesque feminas quaslibet intra Monasteriorum claustra, septa, cœnacula, cubicula, aliasque officinas, aut admitti, ac recipi sinunt, mandantque, aut una secum ducunt; alii denique sub pietatis, ac religionis prætextu, cum supplicationes, sive cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, sive cum sacris Sanctorum Sanctarumque Reliquiis, Statuis, & Imaginibus per claustra, septa, & alia Monasteriorum loca de more, ut asserunt, habentur, sine ullo prorsus discrimine masculos, & feminas supplicationes hujusmodi per eadem loca sequi, & comitari licitum, quin imo, ut indulgentias lucrari valeant, necessarium esse obtendunt. Hinc est, quod Nos, qui, dum in minoribus essemus quamplurimos hujusmodi abusus compertos habeamus, in hac sublimi sacrosancti Apostolatus specula constituti, non tam assiduis nonnullorum aliarum Ecclesiarum Antistitum documentis, quam justis etiam superiorum, aliorumque virorum ex religiosis Ordinibus Dei honorem, & instituti sui disciplinam zelantium expostulationibus de antedictis, similibusque abusibus in dies admonemur, ut opportunum, ac salutare iisdem abusibus tollendis, quantum cum Domino possumus, remedium afferamus: auctoritate Apostolica, tenore præsentium primum quidem omnes, & singulas Constitutiones sanctionesque a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris tam ante, quam post Concilii Tridentini decreta super clausura Monasteriorum quorumcumque religiosorum virorum editas renovamus, & confirmamus; necnon in posterum ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & in futurum spectabit, sub iisdem pœnis in constitutionibus, sanctionibusque eorumdem Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum, & decretis ejusdem Concilii Tridentini contentis inviolabiliter observandas esse statuimus, decernimus, præcipimus, atque mandamus. Deinde motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine earumdem præsentium tenore omnia, & singula indulta, privilegia, prærogativas, facultates, licentias, & quocumque alio pacto nuncupatas concessiones omnibus, & singulis quibuscumque Ecclesiasticis personis, quacumque auctoritate, dignitate, honore, præeminentia, ac jurisdictione fungentibus, etiam Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, sive singulis sive eorum Cardinalium Congregationibus, etiam de latere Legatis, sive qui Provinciis & Legationibus status nostri Ecclesiastici pro tempore præsunt, sive quos ad Carissimos in Christo Filios Nostros Romanorum Regem in Imperatorem pro tempore eligendum, vel electum, Reges, & Reginas illustres, aliasque summas Potestates, prout rerum conditio postulaverint, mitti, & ablegari contigerit, sive qui, licet aliarum insignium Ecclesiarum Antistites, tamen tanquam Apostolicæ hujus S. Sedis Legati de latere alias nuncupati, & habiti sunt, & fortasse habentur, aut haberi & esse prætendunt, & in posterum habendi sunt; sive Ordinarii, sive Extraordinarii Nostri, & ejusdem Apostolicæ Sedis ubicumque etiam ad ipsos Imperatorem, & Reges, ac summas Potestates Nuntii, sive Inter-Nuntii resident; ac demum quibuscumque aliis quocumque nomine, & expressione nuncupatis personis quocumque tempore a quibusvis, etiam ab ipsis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, quacumque de causa, occasione, titulo, colore, & prætextu per quascumque Apostolicas, sive in simili forma Brevis, sive sub plumbo expeditas litteras sub quibuscumque verborum formis facta, data, concessa, & impertita, sive factas, datas, concessas, & impertitas sub hujusmodi accessu, & ingressu revocamus, abolemus, annullamus, atque irritamus, necnon a datarum earumdem præsentium die revocata, abolita, annullata, & irrita, ac nullius prorsus vigoris esse, & fore, neminique cuilibet quocumque tempore suffragari statuimus, decernimus, & declaramus quemlibet omnium antedictorum etiam speciali mentione dignorum quacumque facultate hujusmodi temere uti audentem ipso facto absque ulla alia declaratione pœnas, & Ecclesiasticas censuras, a quibus, præterquam a Nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi possit, incurrere, & incursum esse, licentiamque hujusmodi cuicumque concessam nullo modo suffragari, atque nullius momenti perinde ac si minime concessa fuisset, ipso facto fore, & haberi, ac pœnas, & censuras ipso facto, ut præmittitur per contrafacientem incurri, & incursas esse. Decernentes easdem præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque etiam eo quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ & dignitatis existant seu alia specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quomodolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in contro-

ver-

„ verfiam vocari, aut ad terminos juris reduci, feu „ adverfus illas aperitioni oris, reftitutionis in integrum, aliudve, quodcumque juris, facti, vel „ gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut „ impetrato, feu etiam motu, fcientia, & poteftatis plenitudine paribus conceffo, vel emanato „ quempiam in judicio, vel extra illud uti, feu fe „ juvare ullo modo poffe; fed ipfas præfentes litteras femper firmas validas, & efficaces exiftere, „ & fore, fuofque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere ac ab illis, ad quos fpectat, & „ pro tempore quandocumque fpectabit inviolabiliter, & inconcuffe obfervari; ficque, & non aliter in præmiffis per quofcumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam caufarum Palatii Apoftolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam „ de latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuntios, aliofve quoslibet quacumque præeminentia, & poteftate fungentes, & functuros, & fublata eis, & „ eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & „ definiri debere, ac irritum, & inane fi fecus fuper his a quoquam quavis actoritate fcienter, „ vel ignoranter contigerit attentari. Non obftantibus præmiffis, ac, quatenus opus fit, noftra, & „ Cancellariæ Apoftolicæ regula de jure quæfito non tollendo, aliifque Conftitutionibus, & Ordinationibus Apoftolicis, necnon quibufvis etiam juramento confirmatione Apoftolica, vel quavis firmitate alia roboratis ftatutis, & confuetudinibus „ ac ufibus, & ftylis, & etiam immemorabilibus, „ privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoftolicis prædictis, aliifque quibuslibet perfonis, etiam „ quacumque Ecclefiaftica, vel mundana dignitate „ fulgentibus, & alias quomodolibet qualificatis, ac „ fpecialem expreffionem requirentibus fub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum „ quibufvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliifque efficacioribus efficaciffimis, & infolitis claufulis, irritantibufque, & aliis decretis, etiam motu, fcientia, & poteftatis plenitudne fimilibus, „ ac conciftorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmifforum conceffis, editis, factis ac „ pluries iteratis, & quantifcumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, „ & fingulis, etiamfi pro illorum fufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus fpecialis, fpecifica, expreffa, & individua, ac de verbo „ ad verbum non autem per claufulas generales idem importantes merito, feu quævis alia expreffio habenda, aut aliqua alia exquifita forma ad „ hoc fervanda foret; tenores hujufmodi, ac fi de „ verbo ad verbum, nihil penitus omifso, & forma in illis tradita obfervata, exprimerentur, & „ infererentur, præfentibus pro plene, & fufficienter expreffis, & infertis habentes, illis alias in „ fuo robore permanfuris, ad præmifsorum effectum „ hac vice dumtaxat fpecialiter, & exprefse derogamus, ac derogatum efse volumus, ceterifque contrariis quibufcumque. Ceterum per præfentes non intendimus derogatum effe iis conceffionibus, quæ „ ad favorem quarumcumque Nobilium feminarum, „ ex eo, quod five eorumdem majores, ac pro „ tempore exiftentes de familia fuerint, & habeantur fundatores, vel infignes benefactores illius „ Monafteriis, intra cujus clauftra, vel fepta feminas etiam de familia ingredi vel conceffum, vel „ cautum effe fibi voluerunt, & de conceffione hujufmodi confirmationem ab Apoftolica hac Sancta „ Sede obtinuerunt; five feminæ hujufmodi fint confanguineæ, & affines eorum, qui funt Domini in „ temporalibus locorum, in quibus Monafteria fita reperiuntur, & quacumque legitima tituli, vel „ confuetudinis caufa, & occafione ingreffu hujufmodi de præfenti gaudent, factæ, & impertitæ „ fuerunt; dummodo conceffiones hujufmodi per Apoftolicas in fimili forma Brevis, vel fub plumbo defuper expeditas litteras dumtaxat, & non aliter omnino factas, & impertita fuiffe prius Ordinariis locorum Antiftibus, vel Præfulibus per „ legitima, & authentica documenta conftare fecerint; & dummodo nec vagandi, nec otiandi, nec „ comedendi, cœnandique, nec per ambulacra, cubicula, cœnacula, aliaque loca, & officinas difcurrendi caufa, feu ad Ecclefiam accedendi, facrofanctum Miffæ Sacrificium audiendi, aliaque „ erga Deum pietatis officia, & opera exercendi „ ftudio ingrediantur; & dummodo de earum adventu, & ingreffu, interdiu, & opportune faciendo fuperiores pro tempore exiftentes prius certiores fiant ad hoc, ut abfque fratrum incommodo „ & offenfione, recto tramite ad Ecclefiam pergatur, & alia de jure fervanda ferventur. Volumus „ autem, ut earumdem præfentium litterarum tranfumptis, feu exemplis, etiam impreffis manu alicujus Notarii publici fubfcriptis, & Sigillo perfonæ in Ecclefiaftica dignitate conftitutæ munitis eadem prorfus fides in Judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur „ ipfis præfentibus, fi forent exhibitæ, vel oftenfæ.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem „ fub Annulo Pifcatoris die tertia Januarii millefimo feptingentefimo quadragefimo fecundo, Pontificatus „ Noftri anno fecundo.

CONSTITUTIO
SS. D. N. D.
BENEDICTI PAPÆ XIV.
Super Claufura Monialium.

BENEDICTUS PAPA XIV.
Ad perpetuam rei memoriam.

„ SAlutare in Catholica Ecclefia inftitutum ab „ ipfa antiquitate fufceptum, ac tanta cum follicitudine, paftorali zelo cuftoditum, ut flos ille Ecclefiaftici germinis decus atque ornamentum „ gratiæ fpiritualis, læta indoles, laudis, & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago refpondens ad fanctimoniam Domini, illuftrior „ portio gregis Chrifti, Sacræ Virgines, quarum, „ quo fublimior gloria eft, major & cura eft intra „ monafteriorum fepta, & clauftra, vigili, follicitaque cuftodia fervarentur; tam ante, quam poft „ Tridentinæ Synodi decreta Romani Pontifices Prædeceffores Noftri tot fanctiffimis Legibus, & initis Apoftolicæ providentiæ, charitatifque confiliis communire, & confirmare ftuduerunt; ut, „ quæ fe Chrifto dicaverint, & a carnali concupifcentia recedentes, tam carne, quam mente fe „ Deo voverint, confumment opus fuum magno

„ præ-

„ præmio destinatum. Quoniam autem etsi providas hujusmodi sanctiones, Constitutionesque, si ea, qua decet, regularis disciplinæ observantia custodirentur, satis esse scimus, ut Virgines ea, quæ cœlestis earumdem sponsi Jesu Christi sunt, cogitantes sint Sanctæ, & corpore, & spititu; longa tamen experientia edocti, & assiduis Venerabilium Fratrum aliarum Ecclesiarum Antistitum querelis admoniti, supremas Apostolicæ auctoritatis, providentiæque partes requiri, ut abusibus quamplurimis ex nimia quorumcumque, aut sibi quocumque pacto arrogantium, aut prætendentium, aut obtendentium facultatem alias sibi quomolibet sive a jure, sive ab homine concessam, vel demandatorum munerum rationem debitam esse, ut sive ipsi, sive alii ingredi clausuram monialium, aut ipsæ moniales e clausura ob quascumque etiam non legitimas caussas egredi, & extra clausuram hujusmodi commorari possint, licentiam concedendi indulgentia sensim invectis opportune occurratur: Hinc est, quod nos pro suprema omnium Christifidelium procuratione imbecillitati nostræ in universalis Orthodoxæ Ecclesiȩ regimine divinitus imposita opportunum abusibus hujusmodi remedium, quantum cum Domino possumus, adhibere satagentes, auctoritate Apostolica tenore præsentium, omnes, & singulas Constitutiones a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris tam ante, quam post Concilii Tridentini Decreta super clausura monialium renovamus, & confirmamus, necnon in posterum omnibus, & singulis, ad quos spectat, & in futurum spectabit, sub iisdem pœnis in Constitutionibus eorumdem Prædecessorum Romanorum Pontificum, & Decretis Concilii Tridentini præfati contentis inviolabiliter observandas esse statuimus, decernimus, præcipimus, atque mandamus. Præterea motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine earumdem præsentium tenore omnia, & singula indulta, privilegia, prærogativas, facultates, licentias, & quocumque alio pacto nuncupatas concessiones, omnibus, & singulis quibuscumque Ecclesiasticis personis, quacumque auctoritate, dignitate, honore, præeminentia, ac jurisdictione fungentibus, etiam Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, sive singulis, sive eorumdem Cardinalium Congregationibus, etiam de latere Legatis, sive qui Provinciis, & Legationibus status nostri Ecclesiastici, qui pro tempore præsunt, sive quos ad charissimos in Christo Filios nostros Romanorum Regem in Imperatorem pro tempore eligendum, vel electum, Reges, & Reginas illustres, aliasque Summas potestates, prout rerum conditio postulaverit mitti, & ablegari contigerit; sive qui licet aliarum insignium Ecclesiarum Antistites, tamen tanquam Apostolicæ hujus S. Sedis Legati de latere alias nuncupati, & habiti sunt, & fortasse habentur, aut haberi, & esse prætendunt, & in posterum habendi sunt; sive Ordinarii, sive Extraordinarii nostri, & ejusdem Apostolicæ Sedis ubicumque etiam apud ipsos Imperatorem, & Reges, ac summas potestates Nuntii, sive Inter-Nuntii resident (exceptis dumtaxat locorum Ordinariis, iisque omnibus superioribus, tamquam Ordinarii, & ordinaria jurisdictione utentibus Monialium Monasteria subjecta, & addicta sunt in casibus tamen necessariis, & servatis aliis de jure servandis, & non aliter omnino) ac demum quibuscumque aliis quocumque nomine, & expressione nuncupatis personis quocumque tempore a quibusvis etiam ab ipsis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris quacumque de causa, occasione, titulo, colore, & prætextu per quascumque Apostolicas, sive in simili forma Brevis, sive sub plumbo expeditas litteras sub quibuscumque verborum formis, factas, datas, concessas, & impertitas sub hujusmodi ingressu revocamus, abolemus, annullamus, atque irritamus: necnon a datarum earumdem præsentium die revocata, abolita, annullata, & irrita, ac nullius, quorsus momenti, ac vigoris esse, & fore neminique cuilibet quocumque tempore suffragari, ac quemlibet omnium antedictorum etiam speciali mentione dignorum, quacumque facultate hujusmodi, sive pro se, sive pro aliis temere uti audentem, ipso facto, absque ulla alia declaratione pœnas, & Ecclesiasticas censuras contra violantes clausuram monialium inflictas, a quibus præterquam a Nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi possit, incurrere, & incursum esse; licentiamque hujusmodi concessam nullo modo suffragari, ac nullius momenti perinde ac si minime concessa fuisset, ipso facto fore, & haberi ac pœnas, & censuras Ecclesiasticas ipso etiam facto, ut præmittitur per contrafacientem incurri, & incursas esse statuimus, decernimus, ac declaramus. Decernentes easdem præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes cujusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiæ, & dignitatis existant, seu alia specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserit, nec ad ea citati, vocati, & auditi, causæque propter quas præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quamtumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis enormissima, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quomodolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris, reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se jurare ullo modo posse; sed ipsas præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari; sicque, & non aliter præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales et-

„ iam

,, tiam de Latere Legatos, & Sedis prædictæ nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac, quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ac usibus, & stylis etiam immemorabilibus; privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis prædictis, aliisque quibuslibet personis etiam quacumque Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, & alias quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cura quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine, similibus, ac concistorialiter, & aliis quomolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis; ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus, approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

,, Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die tertia Januarii millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, Pontificatus Nostri Anno secundo.

VIII. Dubitatur secundo, An Bulla Pauli V. contra Confessarios sollicitantes mulieres ad turpia extendatur ad masculos; Negat Fagund.. Sed communius cum Merol. num. 151. affirmant, quia frequentioris usus gratia exemplificatur in mulieribus. Sic quando in aliqua Diœcesi prohibetur Confessariis, ne audiant Confessiones in domo privata, nisi Infirmorum, probabiliter possunt etiam audire confessiones illorum, qui licet sani sint, non possunt e domo egredi.

ARTICULUS III.

De Legis Abrogatione.

I. In quo differat legis Abrogatio a Derogatione? Et quinam possit data causa legem abrogare?

II. Num possit lex ab inferiore condita ab eodem abrogari, si ea confirmata fuerit a Superiore?

III. Num possit Inferior in suo territorio legem Superioris abrogare, eo modo quo potest in ea dispensare?

IV. Ut lex abrogetur, non requiritur talis abrogationis publicatio.

V. Quandonam lex posterior censeatur priorem legem abrogare?

VI. Quandonam fieri debeat prioris legis mentio, ut per posteriorem abrogetur?

VII. Lex posterior specialis, si sit contraria legi priori generali, solum illi derogat, non abrogat illam.

I. IN eo differt Abrogatio a Derogatione, quod Abrogatio legis sit sublatio illius secundum totum: Derogatio vero sit sublatio legis secundum partem. Certum autem est, legem quamcumque posse valide, immo etiam licite justa interveniente causa abrogari ab eo, qui legem condidit, aut a successore, aut a Superiore, vel priorem legem simpliciter tollendo, vel loco illius aliam legem ferendo.

II. Quæritur nunc Primo, An lex condita ab inferiori, puta ab Episcopo, & confirmata a Superiore, puta a Papa, possit abrogari ab inferiori, Superiore inconsulto?

Respondeo, id negari a Barbosa, & Sanch. de Matrim. lib. 8. disp. 17. n. 30., quia talis lex videtur esse Superioris, a quo confirmata est. Affirmant alii cum Rodriq., Sylvest., Sa, & eodem Sanch. lib. 3. Summæ c. 15. n. 6., quia lex revera est inferioris, & qui legem condidit, potest illam revocare. Additque Sanch. & Merol. n. 13., id verum esse, etiamsi in confirmatione facta a Superiore apponatur clausula illa, quod quicquid in contrarium factum fuerit irritum sit; dummodo lex confirmata fuerit in favorem inferioris legem statuentis. Ratio est, quia sicut inferior statuens legem potest renunciare confirmationi factæ in sui favorem a Superiore; ita potest pariter renunciare tali clausulæ, quæ est accessoria confirmationi. Tertio, alii distinguunt cum Merol. num. 17. dicendo, non posse legem abrogari ab Inferiore, si a Superiore sit confirmata ex certa scientia; Sicut excommunicatio lata ab Episcopo, & confirmata a Superiore ex certa scientia non pot-

potest ab Episcopo absolvi; Et collatio beneficii facta ab Abbate alicui Monacho, & confirmata a Pontifice ex certa scientia non potest ab Abbate revocari: Secus vero si confirmatio fuerit simplex, & in forma communi. Et ratio est, quia qui aliquid ex certa scientia confirmat, suum illud facere videtur, ex cap. *Si Apostolice*, *de Præbendis in 6.* Quarta opinio probabilior est Suar. lib. 6. c. 26. n. 16. Bonac. quæst. 2. punct. 1. num. 16., Sal., Pal., quod si confirmatio sit essentialis, seu ideo requiratur a Superiore, quia sine tali confirmatione lex non obligaret, tunc non possit ab Inferiore abrogari; quia lex habet vim obligandi præcise ex voluntate Superioris obligantis; Et idem dicitur, si Superior velit tali confirmatione legi robur addere, faciendo illam suam: Secus vero, si confirmatio sit accidentalis, seu addatur mere ob quandam auctoritatem, & specialem splendorem: Et talis semper præsumenda est, nisi aliud constet.

III. Quæritur secundo, An inferior habens facultatem condendi leges in suo territorio, possit condere legem contrariam legi Superioris, aut illam abrogare pro suo territorio?

Respondeo, aliquos apud Pal. n. 4. id admittere in lege civili, non in Canonica; quia Prælati habent potestatem condendi leges a Papa, & hic a Christo Domino; nec constat, Prælatos inferiores accepisse potestatem condendi leges a Communitate, quæ potuit sub ea condiditione transferre hanc potestatem, ut quoties expediens visum fuerit bono publico abrogari ab Inferiore leges communes, id efficere possit Inferior. Equidem tamen existimo cum Pal., & Suar. lib. 6. cap. 46, nullum inferiorem posse legem Superioris abrogare, nisi expresse data illi sit talis facultas. Nam Reges ipsi non acceperunt facultatem condendi leges a Communitate ipsi Communitati subordinatam; unde diximus, quod possit Rex cogere Communitatem ad legem acceptandam, aliter non Princeps, sed Populus esset superior.

Neque dicas, quod si potest inferior sæpe dispensare in lege superioris, poterit etiam illius legem pro suo territorio abrogare, quando id expedit bono communi. Nam disparitas est, quia hanc potestatem dispensandi habent inferiores ab ipsis superioribus; & Episcopi habent a Papa; quia id expedit bono communi; non habent autem potestatem abrogandi leges Superioris. Et ratio ulterior est, quia dispensatio cum fiat ad unum, vel alterum casum, non ita vulnerat legem Superioris, sicut derogatio, vel abrogatio. Quare si aliquando lex communis non expedit bono Provinciæ, petenda est a Superiore abrogatio pro tali Provincia, & interim lex servanda est; Nisi manifeste constet, aut saltem probabile sit, non potuisse, aut noluisse Superiorem pro tali occasione obligare, ut dicemus cum de Epikeia, ex Sal. disput. 21. sect. 10. n. 34. Suar. lib. 6. cap. 8. Immo si dubium sit, an voluerit Superior pro tali occasione obligare, nec possit consuli, distinguit Bonac. punct. ult. §. 2. n. 10. Si enim talis casus manifeste lege comprehendatur sub verbis legis, & solum dubitetur, an Superior ob circumstantias præsentes velit talem casum comprehendere, tunc lex servanda est; quia in dubiis melior est conditio possidentis, & lex in tali casu possidet; Nisi forte molesta esset legis adimpletio, unde ex benignitate Legislatoris præsumatur, quod nolit in casu dubio obligare, ut notat Sal. ex Henr., Cordub., Sylvest. apud Tambur. lib. 1. cap. 3. §. 7.: Contra tamen, si dubium sit, an casus sub verbis legis comprehendatur, lex non obligat, quia possidet libertas. Sed hac de re iterum articulo ultimo recurret disputatio.

IV. Quæritur tertio, Utrum publicatio ad abrogationem legis requiratur?

Respondeo, Vasq., Azor., & Sal. illam requirere; quia sicut lex non obligat, nisi publicetur, ita nec desinit obligare per abrogationem, nisi hæc etiam publicetur. Negant tamen communius cum Cordub., Merol., Pal., quia plus requiritur ad obligandum, quam ad deobligandum; ideo, ut tollatur effectus obligationis, satis est, quod unum tantum requisitum desit. At, ut ponatur effectus, debent poni omnia simul requisita; Unde satis est, quod nolit Legislator amplius obligare, ut lex amplius non obliget; cum obligatio pendeat a voluntate Legislatoris. Sic pariter omnes Doctores docent, quod cessante evidenter justitia, & utilitate legis, lex amplius non obliget nulla posita publicatione. Hoc tamen intelligendum est, si abrogatio sit pura, seu tollat tantum legis obligationem, non vero si sit mixta, seu si ita tollat prioris legis obligationem, ut aliam inducat; nam hæc nova obligatio non potest poni sine promulgatione ad omnem legem requisita.

V. Quæritur ultimo, quandonam lex posterior censeatur priorem legem abrogare?

Respondeo, quod si lex posterior non sit priori contraria, illam non abroget, ut patet; Immo si possemus eam ita interpretari, ut non sit contraria, sic interpretanda est; quia legum correctio, cum sit damnosa Reipublicæ, vitanda est, quoad fieri possit, ex *leg. ult.*, *Cod. de Appellationibus*; Utrum autem debeant accipi verba legis posterioris in sensu improprio ad vitandam legis prioris correctionem, disputant Doctores. Admittit Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 17. num. 6. cum Guttier.; Negant probabilius Sal., Suar. lib. 6. cap. 27., & alii apud Pal. num. 9.; quia sic nihil esset firmum in legibus; unde

unde solum sunt impropríanda verba ad vitandam legis injustitiam, vel ad summum inutilitatem. Quod si lex posterior sit priori aperte, vel directe contraria, illam abrogat, quamvis nec faciat illius mentionem, nec habeat clausulam derogantem, seu abrogantem priorem; quia voluntas posterior vincit, & revocat priorem, supposita potestate in Legislatore; Si tamen in aliqua tantum parte sit contraria, tunc secundum illam tantum partem derogat legi priori, & non abrogat illam secundum totum.

VI. Infertur hinc primo, quod lex posterior, si sit generalis, abroget legem priorem pariter generalem, ex *leg. Non est novum, ff. de legibus*; Et eodem modo lex posterior specialis contraria legi priori speciali abrogat illam. Ratio est, quia non potest utraque subsistere, & cum sit adæquate illi contraria, debet integre illam abrogare: Bene tamen notat Azor., Bonac., & alii cum Pal. n. 7. contra Menoch., quod si prior lex firmata fuerit juramento de non abrogando illam, nisi illius fiat expressa mentio, non abrogetur per posteriorem non facientem mentionem de illa. Et ratio est, quia præsumi debet potius de principe ignorantia legis prioris, etiamsi inserta sit in jure communi, quam voluntas violandi juramentum de illa non abroganda. Notant præterea Sal., Suar., & Pal. loc. cit., quod secluso tali juramento, ut lex generalis, aut specialis posterior abroget legem generalem, aut specialem priorem, quæ sit inserta in jure communi, non sit necesse, ut lex posterior faciat mentionem prioris; quia præsumi debet de Principe, quod habeat notitiam juris communis, atque adeo quod velit priorem legem abrogare: Contra vero si lex generalis, aut specialis prior sit extra jus commune, non potest abrogari, aut derogari per legem posteriorem, quæ non faciat illius mentionem, quia non præsumitur edita ex certa scientia prioris legis, cum præsumatur ignorari a Principe ea, quæ sunt extra jus commune, ex *cap.* 1. *de Constitutionibus in* 6.

Infertur secundo, quod si lex abroganda inserta in jure communi sit specialis pro aliquo loco, vel in speciali aliqua materia, lex posterior generalis illi contraria, si non faciat illius mentionem, illam non abroget, sed potius ex illa lege priori speciali limitanda sit posterior universalis. Ratio est, tum quia ex regula communi, generi per speciem derogatur; tum etiam quia si limitetur lex posterior generalis, adhuc utraque lex potest subsistere: ergo dicendum est ita Principem voluisse, cum non fecerit mentionem prioris, cujus præsumitur habere notitiam. Propterea Sanch. lib. 2. disp. 24. n. 6. addit, id esse verum, etiamsi in lege posteriori generali addatur clausula: *Non obstante ulla lege priori contraria*; non enim censetur contraria lex prior specialis, quando utraque lex potest subsistere limitando posteriorem legem universalem: Exempli gratia lex prior specialis disponit, quod Instrumenta publica habeant executionem paratam, lex posterior generalis disponit, quod causæ pupillorum, & consanguineorum compromittantur; lex ipsa posterior generalis non corrigit priorem, sed ab ea declaratur, & limitatur, itaut causæ pupillorum, &c. compromittantur, nisi habeant Instrumenta publica parata, quia tunc super illis non debet fieri compromissio.

Addit Merol. n. 28., id esse verum, etiamsi lex prior specialis non sit inserta in jure communi, sed sit statutum particulare. Ratio est, quia præsumitur, quod Princeps ignoret statutum particulare, & ideo velit legem universalem limitare, itaut cum statuto particulari subsistat.

VII. Infertur tertio, quod si lex prior sit generalis, & posterior illi contraria sit specialis, hæc illi deroget, non vero abroget illam in totum; cum non sit adæquate contraria. Ratio autem, cur illi deroget, est, quia alias esset inutilis; & quia ex cap. *Generi*, *de Regulis juris in* 6. generi per speciem derogatur: Supponimus tamen, legem posteriorem specialem factam esse sine ignorantia prioris juris generalis, seu communis; cum non præsumatur Princeps ignorare jus commune, ex *cap.* 1. *de Constit. in* 6.

ARTICULUS IV.

Quas ob causas cesset legis obligatio?

I. Novem de causis cessare potest legis obligatio.
II. Vis, & Metus, quæ solent a nonnullarum legum observantia excusare, in quo differant?
III. Metus excusat etiam a nonnullis legibus Naturalibus, & Divinis.
IV. Non excusatur, qui metu mortis simulat Sacramenti administrationem. Quid si simulet contractum matrimonialem?
V. Num liceat Sacerdoti metu mortis sine Sacris vestibus celebrare? Ad dandum Viaticum moribundo sine iis vestibus celebrare non licet.
VI. Ad mortis periculum effugiendum licitum est carnibus humani cadaveris vesci.
VII. Quænam impotentia a legis observantia excuset?
VIII. Num peccet, qui conjicit se in aliquod impedimentum, unde legem servare non possit?
IX. Plurima alibi diximus de ignorantia excusante a legis transgressione, quæ hic solum innuuntur.

I. MUltifariam legis obligatio cessare potest. Primo, ratione violentiæ ab extrinseco illatæ. Secundo, ratione metus, seu periculi gra-

gravis damni. Tertio, ratione impotentiæ. Quarto, ratione ignorantiæ, seu inadvertentiæ. Quinto, propter legem posteriorem contrariam, abrogantem priorem, de qua diximus articulo superiore. Sexto, ratione consuetudinis contrariæ, de qua dicemus quæstione sequenti. Septimo, ratione dispensationis, de qua etiam infra quæstione ultima. Octavo, ex cessatione causæ finalis, & motivæ, de qua dicemus articulo sequenti. Ultimo, vi Epikejæ, qua censeantur aliqui casus excepti, vel quia illiciti, vel quia nimium incommodi ex justa, & benigna Legislatoris mente, quod articulo ultimo examinabimus. Hic autem nonnulla dicemus de primis quatuor causis excusantibus a legum observantia.

II. Quæritur itaque primo; Quandonam vis, aut metus excusent?

Ut quæsito respondeam, explico terminos. Vis altera est absoluta, qua aliquis omnino invitus cogitur ad aliquid prohibitum faciendum, ut si quis manu ab altero per vim arrepta percutiat, vel occidat alterum omnino invitus; & hæc procul dubio excusat a peccato. Immo ex Diva Lucia nec officit Virginali innocentiæ violentia invitæ illata. Altera dicitur Vis secundum quid, quæ idem est, ac metus, seu periculum probabile gravis damni, ut si quis metu mortis incenset Idolum; & hæc vis non tollit omnino voluntarium, nec excusat a transgressione legis naturalis, & Divinæ vetantis rem intrinsece malam; Excusat vero ab utraque lege non prohibente rem intrinsece malam, & a fortiori excusat a transgressione legis humanæ; exceptis casibus adductis quæst. 3. art. 2.; quando scilicet expedit ad bonum publicum; ut lex humana obliget cum periculo vitæ, & sic præsumitur Superior velle obligare: Sicut tempore pestis obligantur subditi ad serviendum infirmis, & tempore belli ad custodiendam Urbem; & Chartusiani obligantur ad abstinendum a carnibus etiam in infirmitate cum periculo vitæ ad conservandum bonum commune Religionis, ut docet Vasq. contra Sanch. apud Dian. part. 5. tract. 3. resol. 136., & tract. 4. resol. 32.

III. Quod autem excusetur a peccato, qui metu gravis incommodi transgreditur leges, Naturalem, & Divinam non prohibentes aliquid intrinsece malum, patet; Nam lex præcipiens restitutionem est naturalis, & tamen non obligat cum longe majori proprio detrimento, quia non est intrinsece malum in tali circumstantia retinere alienum: Integritas materialis confessionis præcipitur jure Divino; quod tamen non obligat cum gravi incommodo; Sicut nec lex Divina præcipiens confessionem ante sumptionem Eucharistiæ, nec lex Divina naturalis præcipiens voti adimpletionem. Non potest tamen certo definiri, qualis damni metus, seu periculum excuset ab his legibus: Nam lex, quæ strictius obligat, requirit periculum majoris damni ut excuset; ex materia autem præcepta, & ex sensu fidelium, & Doctorum argui potest, quænam lex strictius obliget.

Ex dictis sequitur, non peccare, & communiter nec excommunicationem incurrere, qui metu mortis non defert Sancto Inquisitionis officio denunciandos; peccare vero milites, qui metu mortis a statione discedunt, aut non pugnant contra præceptum Principis cum Urbis periculo.

IV. Sequitur secundo, peccare excommunicatum vitandum, qui metu mortis simulat administrationem Sacramenti pœnitentiæ, cum sit intrinsece mala simulatio talis Sacramenti; quod certe ex defectu jurisdictionis ab eo valide conferri non potest. Qui vero simulat urgente metu gravi contractum matrimonii, non peccat; quia Sacramentum matrimonii est accessorium contractui, & quilibet contractus potest urgente metu gravi simulari. Præterquamquod, qui simulat contrctum matrimonii, non ponit materiam, & formam Sacramenti; sicut qui simulat Sacramentum pœnitentiæ, aut aliud Sacramentum, ut fuse diximus in Trutina thesium damnatarum exponendo thesim vigesimam nonam ab Innoc. XI. proscriptam, quæ habet: *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi*. Adde, quod quamvis non peccet, qui metu mortis injuste ad matrimonium extorquendum incusso, vere vult contrahere matrimonium; (tunc enim non fingit, nec mentitur, quia vere vult, quantum est ex se, contrahere) at juxta probabiliorem opinionem apud Sanch. lib. 7. disp. 5. n. 3. peccat, si metu mortis consummat, quia cum tale matrimonium probabiliter sit nullum propter impedimentum dirimens metus; accessus ad illam esset fornicatio, quæ est intrinsece mala: Quicquid alii sentiant, quod scilicet in tali casu metus cesset esse impedimentum dirimens, ne cogatur metum passus aut mortem subire, aut fornicari.

V. Sequitur tertio, non peccare Sacerdotem, qui metu mortis cogitur sine sacris vestibus celebrare; quia hoc lege humana præcipitur. Ita Sal., Becan., Valent., Bonac.; quamvis peccet, si id faceret; quando in contemptum missæ, vel in odium fidei id præciperetur; quia hoc esset intrinsece malum. Non licet tamen Sacerdoti ad dandum Viaticum moribundo celebrare sine sacris vestibus, quia est præceptum etiam naturale, quod reverenter celebretur; nec satis est indigentia moribundi ad tollendam obligationem hujus præcepti naturalis, ut dicemus cum de Eucharistia.

VI. Sequitur ultimo, non peccare, qui ve-

 scitur

ſcitur carnibus humani cadaveris, aut in extrema neceſſitate, aut ad effugiendam mortem, quam alter minatur, ni comedat; cum hoc non videatur intrinſece malum; ut docent Sanch. Navar. Tolet., Sa, contra Azor., & Valent. Nec obſtat, quod D. Th. comeſtionem carnium humanarum comparet fornicationi, quæ nullo modo licet. Nam comparatio, ut notat Sanch., ſtat in hoc quod utrumque ſit contra naturam; at non quodcumque eſt contra naturam, eſt in quacumque circumſtantia prohibitum; Nam non reſtituere, & non adimplere votum ſunt contra legem naturalem, & tamen licent aliquando ad vitandum grave damnum: Fornicatio autem, aut mollities in nullo caſu licent, ut conſtat ex propoſition. 48., & 49. damnatis ab Innoc. XI. Præterquamquod ſicut licitum eſt adhibere Mumiam in medicamentum, ita velut in medicamentum licitum eſt veſci carnibus humanis in neceſſitate extrema; V. g., ſi in obſidione Urbis deficiat annona, & ſolum ad veſcendum ſint carnes occiſorum; Ad hoc tamen non tenemur, tum quia probabilis eſt ſententia oppoſita, quod id ſit intrinſece malum; tum etiam quia ſicut non tenemur conſervare vitam cum maximo dolore, puta cum ſciſſione brachii, ita nec cum eſu carnium humanarum, quod vix barbari brutis feriores faciunt. Hæc ſummatim hic annotare ſit ſatis: Qui plura, ac fuſius enucleata velit, conſulat, quæ hac de re diximus in primo ex Opuſculis Theologico-moralibus quæſt. 4., ubi altius expendimus pluribus articulis, Quandonam metus gravis excuſet tranſgreſſorem ſive legum humanarum, ſive legis Divinæ poſitivæ, ſive legis naturalis.

VII. Quæritur ſecundo, Quænam impotentia excuſet a legis obſervantia?

Reſpondeo, impotentiam adimplendi præceptum excuſare a peccato, nemo dubitat; cum nemo ad impoſſibile teneatur, ex leg. *Impoſſibilium*: Duplex autem eſt impotentia alia Phyſica, quam dicitur v. g. habere, qui in carcere detentus non poteſt egredi ad audiendum Sacrum; alia Moralis, quam habet, qui non poteſt egredi ad audiendum Sacrum propter periculum gravis damni, puta morbi, infamiæ, &c.; utraque autem a peccato excuſat, juxta dicta ſuperius; quia univerſim non obligat lex, præſertim humana, cum gravi incommodo.

VIII. Quæritur tertio, an peccet contra legem, qui voluntarie conjicit ſe in aliquod impedimentum, unde non poſſit legem adimplere: V. g., qui aſſumit ludum pilæ, ne teneatur ad jejunium? Sed de hac re fuſe jam actum eſt art. 4. ſuper. quæſt.; Sicut etiam art. 3. ibidem expendimus; Num impotens totum præceptum implere teneatur implere partem, quam poteſt?

IX. Quæritur quarto, quænam ignorantia excuſet legis violatorem?

Reſpondeo, hac etiam de re plurima nos expendiſſe in eodem primo Opuſculo Theologico-Morali de principiis Moralitatis, inquirentes in tertia quæſtione, Quænam ignorantia circa leges, & præcepta tollat, aut minuat culpam? Quoniam autem in ea quæſtione innumeræ erant difficultates enodandæ, idcirco pluribus articulis præcipuas, quæ negotium faceſſere poterant, ſuis rationum momentis penſitavimus. Eas hic iterum in medium adducere ſupervacaneum eſt, & moleſtum. Solum hic innuo, quæ in iis articulis diſceptantur, ut Lectori innoteſcat, ubi reperire poſſit, quæ ſcitu digna ſint, & hinc conſulto prætermittimus. In primo itaque illius tertiæ quæſtionis articulo inquirimus, Quid, & Quotuplex ſit ignorantia; & quænam reddat actum involuntarium, & a culpa immunem? In ſecundo, Utrum ignorantia invincibilis concomitans excuſet a culpa relate ad malitiam objecti ignoratam? Et an actus internus conditionatus pravus, qui huic ignorantiæ ſæpe annectitur, trahat pœnas in lege impoſitas? In tertio fit ſatis pluribus quæſitis; præſertim num irregularitatem, excommunicationem, & onus reſtitutionis incurrat, qui volens occidere Titium Clericum inimicum, occidit Cajum etiam Clericum amicum? Num teneatur ad reſtitutionem, qui volens comburere agrum Titii, comburit agrum Caji? Num ignorantia reſervationis excuſet a caſuum reſervatione? In quarto, An ignorantia invincibilis ſolius pęnæ excuſet delinquentem ab ea incurrenda? In quinto, quandonam ignorantia dicenda ſit invincibilis, etiamſi proveniat ab ignorantis culpa, itaut excuſet a pœna legis tranſgreſſoribus impoſita? In ſexto, Num poſſit dari ignorantia invincibilis Dei, & Juris naturalis? Et quomodo enutriti in ſylvis ſalvari poſſint? In ſeptimo, Num ignorantia vincibilis culpam extenuet; & quomodo? Demum, Utrum peccata ex ignorantia vincibili commiſſa ſint ejuſdem ſpeciei cum peccatis ſcienter commiſſis?

ARTICULUS V.

Utrum ceſſante fine legis negative ceſſet lex obligare?

I. Si ſolum ceſſet finis legis inadæquatus, lex non ceſſat obligare.

II. Si finis legis adæquatus ceſſet pro tota communitate, lex ceſſat ſimpliciter obligare; non ſecus ac votum ceſſat, ceſſante ejus fine adæquato.

III. Num ceſſante fine legis adæquato relate ad perſonam particularem ceſſet lex; Eo modo, quo ceſſante fine legis adæquato relate ad totam communitatem pro aliquo tempore, ceſſat pro eo tempore lex obligare?

IV. Ceſ-

IV. Cessante fine legis contrarie, procul dubio cessat lex.
V. Quid si finis legis cesset solum negative? Num ea cesset, sicut cessat lex correctionis fraternę?
VI. Probabilius ea non cessat; eo quod non cesset periculum damnorum, quæ lex vitare intendit.
VII. Rationibus in contrarium fit satis, præsertim paritati de fraterna correctione.
VIII. Hisce responsionibus occurrunt Adversarii.
IX. Conantur pariter satisfacere rationibus pro communiori, ac veriori sententia adductis.

I. Celeberrima quęstio inter Theologos morales est, An cessante fine legis cesset lex? Supponimus autem primo, finem legis, seu causam finalem, propter quam Legislator tulit legem, aliam esse adæquatam; ut si pręcise ad scandalum vitandum prohibeatur delatio armorum; Aliam esse inadæquatam, ut si præcipiatur jejunium, tum ob macerandam carnem, tum ut Christum Dominum imitemur, tum propter intrinsecam honestatem, & ut mereamur; singula enim ex his motivis sunt inadequata, & conflant motivum adæquatum. Certum autem est, quod si cesset finis legis tantum inadæquatus, non cesset legis obligatio.

II. Supponimus secundo, finem legis adæquatum posse cessare pro tota communitate, & posse cessare solum respectu casus particularis: Si cesset pro tota communitate, certum etiam est, ut docent communiter Doctores contra Sotum, quod cesset simpliciter legis obligatio. Et ratio est; tum quia cessante causa, cessat effectus, ex Cap. *Cum Cessante, de Appellat.*, tum quia lex non obligat ultra voluntatem Legislatoris; Legislator autem non præsumitur velle, quod lex obliget cessante in totum causa finali legis. Tum demum quia in generali concessione non veniunt quæ quis in specie non esset verosimiliter dispositurus; Legislator autem cessante causa finali adæquata respectu totius communitatis, verosimiliter non esset id dispositurus; ergo pro tali casu lex non obligat: Sicut obligatio voti cessat, cessante ejus causa finali adæquata; v.g. si vovisti non ingredi aliquam domum ob periculum, cui te exponeres ratione puellæ ibi commorantis, mortua ea puella, poteris ingredi talem domum.

III. Quare solum remanet inquirendum, An si cesset adæquatus finis legis tantum respectu personæ particularis, cesset pro illa legis obligatio? V.g., si prohibeatur delatio armorum pręcise ad scandalum, & rixas vitandas, & respectu Titii nullum sit periculum scandali, aut rixarum, an Titius peccet arma deferendo? Sicuti enim si cesset finis adæquatus pro uno tempore, non pro alio relate ad totam communitatem, licet lex non cesset simpliciter, cessat tamen pro eo tempore, quo est inutilis communitati, ita videtur proportionaliter dicendum in casu.

IV. Supponimus tertio, dupliciter posse finem legis cessare; Primo negative, quando scilicet ratio legis non militat, sed servare legem non est malum; ut si prohibeatur commercium cum Saracenis ob periculum perversionis, & tu certe scias tibi nullum adesse periculum; quia tamen sine peccato potes abstinere a tali commercio, dicitur finis legis cessare negative: Contra vero dicitur cessare contrarie, quando observantia legis in tali circumstantia esset peccaminosa, vel saltem intolerabilis, & multum incommoda, unde ratione Epikejæ censeatur talis casus exceptus, ut dicemus articulo sequenti, quia Legislator vel non potuit, vel noluit talem casum comprehendere in lege verbali: V. gr., si tempore belli prohibeatur, ne portæ aperiantur, & interim multi milites petant, ut admittantur, ne interficiantur ab hostibus, quos fugiunt, certe hic casus non censetur in lege verbali comprehensus; unde ratione Epikejæ, seu æquitatis, (quæ ex D.Th. sonat emendationem legis) possunt portæ aperiri ad istos milites admittendos. Sic etiam lex restitutionis non obligat ad reddendum gladium Domino furioso, quando est periculum, quod inferat sibi, vel proximo damnum, eo quod cesset finis legis contrarie.

V. Quæstio itaque nunc procedit; An, si solum negative cesset finis legis adæquatus in casu particulari, cesset obligatio legis? In sequenti deinde articulo inquiremus de cessatione finis Legis contrarie.

Affirmant aliqui cum Panorm., Gran., Comit., Navar., Megal., Cajet., (*a*) Henr., Ledesm., Sa, Sylvest., & aliis apud Dian. part. 1. tr. 10. res. 28., & Pal. disp. 1. punct. 1. Ratio istorum est, quia sicut cessante fine legis respectu communitatis simpliciter, aut pro aliquo tempore, cessat legis obligatio; ita si cesset pro aliquo casu particulari; nam ratio legis est anima legis; unde sicut corpus sine anima non potest aliud movere, ita lex sine ratione legis non potest subditum obligare. Probatur idipsum a pari; tum quia lex correctionis fraternæ juxta omnes non obligat, quando non est ulla spes emendationis; nam cessat finis adæquatus talis legis, qui est emendatio fratris; Tum etiam quia, quando lex aliqua verbalis ita viget pro potiori parte Regni, ut pro notabili parte ejusdem Regni non vigeat, (v.g. si pro una Provincia aut Diœcesi sit inutilis, aut contraria consuetudine abrogata) certe relate ad talem provinciam, vel Diœcesim duntaxat deficiat obligatio legis: ergo etiam in casu nostro; Nam

si lex

ſi lex aliqua, v.g., prohibeat Religioſis, ne ſe ad feneſtras oſtendant, videtur non peccare, qui media nocte in tenebris denſiſſimis, ac pluvio tempore ad feneſtras accedit, quando nec videre, nec videri poteſt; non quia talis caſus per Epikejam videatur exceptus, cum non ceſſet finis legis contrarie; ſed quia ceſſat finis legis negative. His argumentis probabiliter ſuaderi poteſt hęc opinio.

„ (*a*) Expungendus eſt hoc catalogo Auctorum Cajetanus, qui commentario in 2. 2. „ q. 120. a. 1. oppoſitum diſerte tradit.

VI. Communius tamen oppoſitum docent cum Suar., Vaſq., Sanch., Molin., Laym., Kon., Pal., Bonac., Merol., Rebel., Becan., Reginald., Sal., Sot., Salon., Medin., & aliis apud eundem Dian. Ratio eſt quia lex non reſpicit caſus particulares, ſed ea, quę communiter contingunt, ex leg. *Ea quæ raro*, ff. *de Regulis juris*; V.g., non prohibetur delatio armorum ad has, vel illas rixas vitandas, ſed ad vitandas rixas, quæ communiter poſſunt accidere; atqui licet hic & nunc non ſubſit periculum rixæ, adhuc communiter contingere poſſunt rixæ; ergo adhuc ratio legis, & conſequenter lex ſubſiſtit, & obligat.

Confirmatur; quia aliter, innumera ſequerentur abſurda; Poſſet enim, v.g., matrimonium licite contrahi, non pręmiſſis denunciationibus quando ſponſi certo ſcirent nullum ſubeſſe impedimentum: Poſſent legi libri Hereticorum a viro docto, & ſancto, qui legendo illos non incidit in periculum imbibendi hæreſim; Poſſet ingredi Monaſteria Monialium vir probus, qui in ſpiritualibus exercitiis Moniales inſtrueret ſine ullo periculo; nam finis legis vetantis ingreſſum eſt, ne Moniales a ſpiritualium rerum cogitatione avocentur, & ut ſcandala, & pericula removeantur, ut habetur in Bulla Gregor. XIII. Similiter ſi prohibeatur Scholaribus ſerico uti, ne exhauriantur opes paternæ, qui certo ſcit opes paternas non idcirco minui, poſſet ſerico uti ſine licentia; quod ſane ſcandaloſum eſſet, quamvis ab aliis ſciatur, finem legis pro eo ceſſare. Pręterea liceret etiam fornicatio, quando ceſſaret finis legis illam prohibentis, videlicet ſi nullum ſit periculum malæ educationis prolis.

Probatur demum a priori hæc ſententia; quia nunquam ceſſare poteſt finis adæquatus legis in caſu particulari. Legislator enim vult, legem ſervari, etiam quando ceſſat finis adæquatus immediatus, ob finem univerſaliorem, & mediatum, qui eſt, ut partes conformentur toti, quando ſine incommodo, & peccato ſervari poteſt lex; hic enim finis eſt honeſtiſſimus, idque expedit bono publico, ne leges paſſim violentur.

VII. Hinc reſpondetur rationibus contrariæ ſententię; Nam quando ceſſat finis legis in totum, aut pro aliquo tempore, aut ſimpliciter, ideo ceſſat tunc obligatio legis, quia non remanet ille alius finis univerſalior, quod partes conformentur toti, quod bono publico expedit, & bono privato non nocet: Contra vero hic finis remanet in caſu noſtro; & ideo in caſu noſtro remanet anima legis, quæ obligat ſubditos, videlicet ratio, ſeu finis legis, univerſalior, & mediatus. Adde, quod quando ceſſat finis legis pro tota Communitate, ceſſat non negative, ſed contrarie; non quia ſit peccatum id, quod præcipitur: ſed quatenus injuſte pręcipitur: V.g., ſi imponatur tributum, vel jejunium præciſe ob aliquam neceſſitatem, puta ad reparandam inundationem fluminis, ſi ſtatim ceſſet ea neceſſitas, ceſſat obligatio, quia injuſta eſſet lex iſta, quæ imponit tributum ob neceſſitatem non exiſtentem; Et jejunium licet poſſit a Legislatore intendi propter ejus honeſtatem, at cum præciſe ob neceſſitatem urgentem imponatur, ceſſante tali neceſſitate eſt inutile ad talem finem, & conſequenter injuſte pręciperetur in ordine ad talem finem; & per accidens eſt ad rationem legis, quod jejunium ſit utile ad alios fines non intentos a lege.

Ad primam paritatem correctionis fraternæ reſpondet Covar. dicendo, legem naturalem correctionis fraternæ eſſe latam in bonum privatum ſingulorum; unde ſi alicui non eſt utilis, quia non eſt ſpes emendæ, relate ad illum non obligat. Contra leges humanæ feruntur in bonum Communitatis, itaut obligent, etiamſi alicui privato ſint noxiæ, ut leges tributorum, & leges taxantes taxam pretii: ergo quamvis relate ad aliquem particularem ceſſet finis, quia non ceſſat relate ad bonum Communitatis, adhuc obligat in eo caſu particulari. Immo hinc pro hac ſententia bene arguitur a pari dicendo: Non minus lex debet eſſe utilis, quam debet eſſe ex fine honeſto, qui ſit anima legis; ſed quamvis lex alicui particulari ſit noxia, adhuc illum obligat, ſi lex ſit utilis communitati; ergo quamvis relate ad aliquam particularem perſonam ceſſet finis legis, adhuc illam obliget, ſi non ceſſet finis legis relate ad totam Communitatem.

Reſpondet ſecundo Merol. cap. 17., legem correctionis fraternæ eſſe poſitivam, quę non obligat ſemper, & ad ſemper, ſed pro determinatis circumſtantiis, quando ſcilicet eſt proximo proficua: Sicut lex eleemoſynæ obligat ad dandum pauperi extreme indigenti eleemoſynam illi proficuam, aliter non obligat; E contra lex, ſeu præceptum negativum obligat etiam in circumſtantiis, in quibus ſervari poteſt ſine peccato, niſi aliud ſuadeat Epikeja.

Ad

Ad secundam paritatem respondetur, quod sicut lex aliquando est divisibilis ratione materię, ita ut si duo pręcipiat, & alterum evadat inutile Communitati, alterum remaneat utile, tunc solum obliget secundum id, quod est Communitati utile; ita obligat divisibiliter relate ad Communitatulas; unde si uni Provincię lex sit utilis, non alteri, illam duntaxat obligat: Contra vero, non obligat divisibiliter relate ad personas particulares, quia essentialiter lex respicere debet Communitatem.

VIII. Hæc diximus ad stabiliendam communem sententiam, quod cessante negative fine legis in particulari non cesset lex. Qui tamen oppositam sententiam tuentur, dicunt ad paritatem correctionis fraternę, non dari manifestam disparitatem neque a Covar., neque a Merol.; quia lex correctionis fraternę etiam est in bonum Communitatis, & obligat, quamvis sit onerosa, & sit damnosa corrigenti, si sit spes emendę, Unde si non obligat cessante spe emendę, ideo est, quia cessante fine legis in particulari cessat lex. Pręterea sicut lex positiva correctionis fraternæ tantum obligat in circumstantiis, in quibus non cessat finis correctionis; ita aliæ leges positivę non obligant, nisi in circumstantiis, in quibus non cessat finis talium legum; nec est ratio, cur non idem dicatur de lege negativa.

Ad rationem a priori respondent, legem, & Legislatorem non habere finem illum universaliorem, & extrinsecum, quod pars conformetur toti, quando cessat finis immediatus legis in casu particulari; Nam hoc non est utile, sed damnosum communitati, eo quod singulos obliget, & aggravet in casu, quo cesset finis legis absque ulla utilitate; cum non obtineatur in eo casu finis directus a lege intentus, ratione cujus lex subsistit. Hinc dicunt, cessante fine directo, & immediato legis, cessare animam legis, & sic legem non obligare; quia si pręcise obligaret, ut pars conformetur toti, eo ipso obligaret singulos sine ulla utilitate, aut bono communitatis; non enim est bonum Communitatis, quod pars conformetur toti quando in parte cessat ratio, cur toti conformetur, & nullum adest scandalum; Aliter etiam pręceptum correctionis fraternę deberet obligare semper, ut pars toti conformetur.

IX. Ad primam rationem respondent, verum quidem esse, quod finis legis prohibens arma sit vitatio rixarum, quæ communiter contingunt; at si hic & nunc cesset periculum rixarum, cessat relate ad hunc casum ratio legis; sicut finis correctionis fraternę est emendatio delictorum, quę communiter contingunt, seu ut vitetur persistentia in delictis, quę persistentiæ cnmmuniter contingunt, pręcisa correctione fraterna; & tamen si hic & nunc aut non sit delictum, aut non sit spes emendę, seu spes, quod frater non persistat in delicto, cessat relate ad hunc omnino finis legis, & ideo lex non obligat: Et idem dicas de pręcepto eleemosynę.

Ad absurda, quę adducuntur, respondent intrepide, quod iis casibus, in quibus cessat adęquatus finis, & cessat scandalum, cesset etiam legis obligatio. Sed negant, in omnibus iis casibus vel adæquatum finem legis, vel scandalum cessare. Quomodo enim cessaret scandalum, si vir probus sine licentia ingrederetur Monasteria Monialium, pręcise quia cessat finis ille intentus a Legislatore? Fornicatio cessante illo fine malæ educationis prolis est illicita, cum non cesset alius finis prohibitionis; Etenim natura sua fornicatio est intrinsece mala, quia aliter quilibet neglecto contractu matrimoniali facile fornicationi incumberet contra finem naturæ rationalis ad cœlestia capessenda creatæ. Demum finis prohibendi lectionem librorum hæreticorum non est solum ad vitandum periculum subversionis, seu ad securitatem legentium; sed etiam solet esse (quamvis non semper, ut advertit Caramuel contra Dianam) ad punitionem Auctoris; Quod ex eo constat, quia incurrit excommunicationem, qui legit librum Hæretici ex professo de Religione tractantem, quamvis nullum errorem contineat, ut habetur in Regulis Indicis. Tertius finis solet esse, præter securitatem legentium, etiam securitas aliorum, in quorum manus liber potest pervenire. Unde Nazianzenus dixit, Hæreticorum libros tanquam aspidum ova esse perdendos, ad securitatem scilicet totius Reipublicæ. Quartus finis esse potest, ne aliquis se decipiat dum invincibiliter putat se securum, cum revera non sit securus. Quare dicendum cum sententia communiori contra nonnullos paucos, nulli quamvis docto, & sancto licere lectionem librorum prohibitorum, quia non cessat finis adæquatus legis respectu talis lectoris: Immo etiam nuda istorum librorum intentio est peccaminosa, ut constat ex thesi 45. ab Alex. VII. proscripta, quæ habet: *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri usquedum adhibita diligentia corrigantur.* Et idem dicas de similibus legibus; Negatur tamen, quod si finis adequatus legis cessaret respectu personæ particularis, scandalosum esset legem non servare, si omnibus idipsum constaret, quod ideo lex non servatur, quia cessat pro tali persona finis legis adæquatus; Quomodo enim potest scandalum parere, sequi opinionem probabilem?

Posset

Posset tamen Legislator sequens opinionem contrariam probabiliorem, transgressorem hunc suę legis punire. (*a*)

„ (*a*) P. Concina *T. 6. Lib.* 1. *diss. VI. c.* 1. „ *n.* 13. *seq.* acriter Vivam reprehendit, quod „ hęc adversariorum responsa non confutarit, „ quasi hoc grande piaculum fuerit; tum ipse „ adgreditur ad ea refellenda. Sed præstitisset „ Concinam id laboris non suscepisse, ita enim „ ridicule rem agit, & absurda principii, quod „ ajunt, petitione, ut nihil pejus.

ARTICULUS VI.

De Cessatione finis legis contrarie, ubi de Epikeja.

I. *Quid sit Epickeja, & quomodo ea utendum, quando finis legis cessat contrarie?*

II. *Epikeja habet etiam locum, quando actus præceptus est arduus, quamvis non cesset contrarie finis legis.*

III. *Finis legis cessat negative, quando in casu particulari cessat ratio Legis, quæ tamen sine incommodo servari potest; at cessat contrarie, si sine gravi incommodo servari non posset.*

IV. *Ad usum Epikeję satis est probabilitas excusationis, esto non detur evidentia; Dubium tamen de excusatione non est satis ad talem usum.*

V. *Locum habet Epikeja non solum quando probabile est, quod non potuerit in tali casu Legislator obligare, sed etiam quando probabile est, quod noluerit.*

VI. *Quid si lex sit ardua ac dubitetur, num voluerit pro tali casu obligare Superior, qui consuli non possit? Num ea dicenda sit lex dubia, quæ non obliget?*

I. Diximus, Epikejam, seu æquitatem idem sonare, ex Aristot. 1. Ethic. 10., ac legis emendationem; seu benignam legis interpretationem; Cum enim lex respiciat casus communiter contingentes, relate ad quos est justa, & possit accidere casus, relate ad quem lex ratione circumstantiarum sit iniqua; (unde finis legis cesset contrarie, puta si reddendus sit gladius Domino furioso, qui eo abusurus sit in sui, vel aliorum perniciem) idcirco in tali casu Epikeja emendat legem universalem restitutionis, & dictat, gladium non esse restituendum; quia noluit, & sæpe non potuit pro tali casu Legislator obligare ad restituendum alienum.

II. Quęritur nunc primo, Utrum tunc solum habeat locum Epikeja, quando lex in aliquo casu particulari ita deficit, ut illam servare sit peccatum, (ut in casu adducto, si reddatur gladius Domino furioso) an possit etiam habere locum in alio casu, in quo illam servare non esset malum; Verbi gratia, si pręcipiatur jejunium, & non possit aliquis sine gravi incommodo, possit tamen sine peccato jejunare.

Respondeo, Cajet. putare, quod Epikeja habeat locum duntaxat, quando servare legem est peccatum, seu quando finis legis cessat contrarie: Cum enim Epikeja idem sit, ac legis emendatio, quatenus in casu particulari peccat lex præcipiens in universali, quia hic & nunc præciperet malum, unde lex esset corrigenda; ideo tunc Epikeja habet locum, quando servare legem est malum, seu peccatum. Sed communis sententia cum Suar. lib. 6. cap. 7. docet, sæpe etiam excusari hominem a legis generalis observatione ratione Epikejæ, etiamsi actus præceptus non sit malus, dummodo sit adeo gravis, ut rationabiliter putetur noluisse Legislator, etiamsi potuisset, lege illa universali hunc casum comprehendere; ut dictum est de præcepto jejunii, quod non obligat in casu gravis incommodi, quamvis aliquando posset homo etiam cum gravi incommodo jejunare sine peccato cedendo juri suo. Ratio est, quia non solum Legislator inique ageret præcipiendo sua lege universali actum de se bonum, etiam pro circumstantiis, in quibus esset malus, sed etiam sæpe inique, & inhumaniter ageret, si vellet hujusmodi actum præcipere, etiam pro circumstantiis, in quibus esset nimis onerosus operanti; præciperet enim quando, vel quomodo non debet, seu cum majori rigore, quam par est; quod non est præsumendum de Legislatore, qui non solum debet recta, sed etiam recte præcipere: Unde in utroque casu lex peccaret, atque adeo in utroque casu habet locum Epikeja, seu emendatio legis; Lex enim generalis videtur comprehendere quemcumque casum particularem, & sic peccaret comprehendendo talem casum; Epikeja vero, seu virtus æquitatis peccatum hoc legis emendat, excipiendo casum, qui ratione circumstantiarum excipiendus esset; quod non potuit expresse facere Legislator, cum non possit ad omnes casus particulares descendere.

III. Hinc dicit D. Th. 2. 2. quæst. 120. art. 1., & 2. munus Epikejæ esse, prætermissis verbis legis, intentionem Legislatoris sequi, moderando, & interpretando legem eo modo, quo ipse Legislator in talibus circumstantiis rogatus esset moderaturus, & interpretaturus legem suam. Ex quo apparet, in quo sensu verum sit, quod cessante fine legis negative, possit ratione Epikejæ cessare obligatio legis.

Nam

Nam in eo casu, in quo cessaret negative finis legis, & cessaret scandalum, sed nimis gravis esset alicui observantia legis, rationabiliter creditur, quod voluerit Legislator pro tali casu obligare; unde ratione talis gravis incommodi cessaret finis legis etiam contrarie; & sic habet locum Epikeja. Exempli gratia, si prohibeatur sub pœna excommunicationis extractio librorum ex Urbe sine licentia, idque ad eum finem duntaxat, ne inter illos reperiatur aliquis prohibitus, & mihi certum sit librum, quem extraho non esse prohibitum, & simul sit valde onerosum expectare, quousque licentia obtineatur, possum ratione Epikejæ librum extrahere, benigne interpretando mentem Legislatoris, quod noluerit, quamvis potuisset, hunc casum comprehendere; Cessaret autem in tali casu finis legis non solum negative, sed etiam contrarie ratione incommodi in expectanda licentia, quatenus peccaret lex, si talem casum comprehenderet: Quod si sine ullo incommodo possem licentiam obtinere, tunc diceretur cessare finis legis solum negative, & juxta communiorem sententiam non posset sine licentia talis liber, etiamsi essent Biblia Sacra, extrahi, quia præsumitur, quod Legislator voluerit obligare ad petendam licentiam pro quocumque libro, etiam Sacro, quando ea potest sine incommodo obtineri; tum ut omnes subeant idem onus legis, & pars conformetur toti; tum ad vitandum periculum, ne aliquis decipiatur credens cessare finem legis adæquatum, cum sæpe non cesset. (*a*)

„ (*a*) Audiamus hic P. Concinam Tom. VI. p. 454.
„ *P. Dominicus Viva quæst. 6. art. 6. contendit*
„ *locum habere epikeiam etiam tum cum cessat finis*
„ *legis negative in particulari, si observantia legis*
„ *INCOMMODUM afferat; quia tunc ratione INCOM-*
„ *MODI finis legis cessat contrarie.... Si INCOM-*
„ *MODUM a legis observantia absolute excusaret,*
„ *nulla lex observaretur, cum quælibet incommoda*
„ *sit humanitati.*

„ Vivam autem sic defendit cl. Nocetius veritatis
„ Vindicatæ p. II. cap. XXXIX.

„ Si Pater Viva hæc doceret, si de quocumque
„ INCOMMODO generatim & indefinite eloqueretur,
„ ut loquitur P. Concina: sine dubio sententiam ab-
„ surdorum & scandali plenissimam propugnaret. Ut
„ enim ait optime P. Concina, actum esset de qua-
„ libet lege, cum quælibet incommodum afferat hu-
„ manitati.

„ Verum P. Viva ne per somnium quidem hæc
„ cogitavit. Neque loquitur generatim & indefini-
„ te de INCOMMODO, sed de INCOMMODO A-
„ DEO GRAVI, ut rationabiliter putetur Legisla-
„ tor noluisse casum illum comprehendere. En ejus
„ verba loco citato.

„ Respondeo, Cajetanum putare quod Epikeia ha-
„ beat locum duntaxat, quando servare legem est
„ peccatum, seu quando finis legis cessat contra-
„ rie..... Sed communis sententia cum Suarez lib.
„ 6. cap. 7. docet sæpe etiam excusari hominem a
„ legis generalis observatione ratione epikeiæ, etiam-
„ si actus præceptus non sit Malus; DUMMODO
„ SIT ADEO GRAVIS, ut rationabiliter putetur no-
„ luisse Legislator, etiamsi potuisset, lege illa uni-
„ versali hunc casum comprehendere, ut dictum est
„ de præcepto jejunii, quod non obligat in casu
„ GRAVIS INCOMMODI; quamvis aliquando pos-
„ set homo etiam cum gravi incommodo jejunare
„ sine peccato, cedendo juri suo. "

„ Cur P. Concina iis verbis Vivæ, *dummodo sit*
„ *adeo gravis* &c. *gravis incommodi*, substituit ge-
„ neratim & indefinite *incommodum*, quæ substitu-
„ tio sententiam Vivæ falsissimam atque absurdissi-
„ mam reddit? Num hoc sit sincere referre, an de-
„ pravare sententias Jesuitarum, quidquid dicturi
„ sint Conciniani defensores, lectorum judicium esto.

„ Sed quoniam Viva citavit hic P. Suarez quem
„ P. Concina præsertim in hoc tractatu de Le-
„ gibus magni facit, affero ejus verba ex quibus de-
„ sumpsi sententiam suam; de veritate tamen, vel
„ falsitate opinionum nihil more meo definiens. Ita
„ igitur habet lib. 6. de Legibus cap. 7. num. 11.

„ Constat ergo Epiikiam non solum habere locum
„ quando alias lex in tali casu præciperet rem ini-
„ quam, sed etiam quando præciperet REM ACER-
„ BAM, ET NIMIS DIFFICILEM. In utroque e-
„ nim casu peccaret lex præcipiendo injuste, vel
„ quia malum præciperet, vel quia immoderate &
„ ultra potestatem Legislatoris. ADDO vero ulte-
„ rius Epiikiam habere locum in casu in quo non
„ deesset potestas in Legislatore ad obligandum;
„ sed ex circumstantiis judicatur non fuisse hanc
„ mentem ejus. Quia non semper Prælatus vult ob-
„ ligare cum toto rigore, & in omni eventu in quo
„ posset obligare. Ut v. g. non solum censetur quis
„ excusari a præcepto jejunii propter ægritudinem
„ gravem in qua non posset superior obligare, sed
„ etiam PROPTER MINOREM DEBILITATEM,
„ qua non obstante potuisset Ecclesia obligare; sed
„ nihilominus creditur ex benignitate noluisse. "

IV. Quæritur secundo, Utrum ad utendum Epikeja requiratur certitudo, an satis sit probabilitas excusationis?

Respondeo, certum esse primo, quod si casus aut certo, aut probabiliter, aut etiam sub dubio invincibili non contineatur verbis legis, lex non obliget, quia ad obligandum requiritur certitudo legis comprehendentis casum; Quoties enim dubitatur, an pro aliquo casu lata sit lex, melior est conditio libertatis, quæ est in possessione. Certum est secundo, quod si cásus comprehendatur quidem verbis legis, sed ratione circumstantiæ sit manifeste malus, ut est restitutio gladii Domino furioso, non requiratur licentia, seu auctoritas Superioris ad legem non servandam; quia lex non potest ad malum obligare, & in manifestis non opus est interpretatione, sed excusatione, ut loquitur D. Th. 2. 2. quæst. 120. art. 1., & 2. Certum est tertio, quod si casus comprehensus verbis legis procul dubio sit adeo gravis, ut manifestum sit Legislatorem noluisse illam extendere ad talem casum, quamvis possit

possit subditus sine peccato talem legem observare, potest etiam sine licentia Superioris propria auctoritate legem non servare; quia cum manifestum sit legem non obligare, manifestum est subditum non peccare illam non servando.

His positis, ad quæsitum dico, quod si probabiliter tantum credatur Legislator aut non potuisse, aut noluisse in tali casu verbis legis comprehenso obligare, possit etiam subditus licite in eo casu legem non servare. Ratio est, quia unusquisque potest licite operari secundum opinionem probabilem etiam relicta probabiliori, ut hic supponimus. Unde id verum est, non solum si subditus habeat formidinem de opposito, sed etiam si detur ex altera parte probabilitas, immo major probabilitas, quod Legislator potuerit, ac voluerit ad talem casum obligare, ut docet (*a*) Suar. lib. 6. de Legib. c.8.n.3., & tom. 5. in 3. part. disp. 40. sect.5.n.6. ac Sanch.lib.1.c.9.n.14., & lib.6. c.3. num. 7. Sicut enim potest quilibet sequi opinionem probabilem, v. g. tacendo circumstantiam peccati variantem speciem in Confessione, ne revelet complicem, omissa opinione probabiliori, quod teneatur ex præcepto Divino illam circumstantiam aperire, etiamsi complex revelandus sit; ita potest sequi opinionem probabilem, quod noluerit Legislator pro tali casu obligare, relicta opinione probabiliori, quod voluerit.

„ (*a*) P. Concina contendit Suarium heic perperam a Viva citari pro hac sententia; atque hæc „ habet Tom. VI. pag. 454. & seq.

“ Requiriturne certitudo, an satis est probabilitas, „ ut usus Epikeiæ licitus sit? Resp. P. Dominicus „ Viva quæst. 6. art. 6. n. 4. respondet, non modo „ sat esse probabilitatem, sed etiam minorem pro„ babilitatem. “

„ Unde id verum est, *inquit*, non solum si sub„ ditus habeat formidinem de opposito; sed etiamsi „ detur ex altera parte probabilitas, immo major „ probabilitas quod Legislator potuerit & voluerit „ ad talem casum obligare, ut docet Suarez Libro „ *6.* de Legibus, cap. 8. num. 3.

“ P. Viva pro hac sua LAXA opinione citat Do„ ctorem Eximium Patrem Suarezium, quem invitis „ superis in Probabilismum pertrahere Probabilistæ „ adnituntur. Forte P. Viva legit Suarezium apud „ DIANAM..... “

“ Quæ cum ita sint, QUO FUNDAMENTO AU„ SUS EST P. Viva in præsidium LAXÆ SUÆ opi„ nionis Doctoris Eximii patrocinium allegare? Et „ audent nihilominus Probabilistæ malam fidem no„ bis exprobrare in exponendis Casuisticis laxitati„ bus? Heinc colligere fas est quo obsequio suspiciam „ eximios inclytæ Soc. Jesu Theologos, quos æque „ ac domesticos ab IMPOSTURIS assero, occasione „ data, dum veritatis defensio id postulat....... “

“ Hæc pauca data occasione dixi, ut vindicarem „ P. Suarez quem ob doctrinam & pietatem magni „ facio, a nota Probabilismi, a quo cum P. Camar„ go assero fuisse alienum. Ceterum si adversarii „ Probabilistam illum velint, cum illis ob hanc con„ troversiam contentionis funem non ducam. “

„ Et in Indice V. *Suarez*. “ Suarez (P. Franciscus) „ minime docuit sufficere non solum probabilitatem, „ sed etiam minorem probabilitatem, ut Epiikia lo„ cum habeat; quemadmodum P. Viva ei IMPONIT. “

„ Et V. *Viva*. “ Viva (P. Dominicus) LAXE docet „ satis esse probabilitatem etiam minorem ut Epiikia „ locum habeat. pag. 454. num. 14. Male LAXAM „ hanc suam opinionem adscribit Patri Suarez. “

„ Et V. *Epiikia*. “ P. Viva laxe docet non solum „ probabilitatem, sed etiam minorem probabilitatem „ satis esse ut illa locum habeat. Pag. 454. num. „ 14. Male ab eodem laxa hæc sua opinio adscribi„ tur P. Suarez.

„ Et in Titulo cap. 3.pag.450. “ Opiniones Patris „ Viva falso pro se citantis P. Suarez, & aliorum „ Probabilistarum refelluntur. “

„ Sed audiendus P. Nocetius veritatis Vindicatę „ Parte II. cap. XL. qui sic Authorem nostrum tue„ tur.

„ RECITA totum locum P. Vivæ, quem trunca„ tum exhibuisti.

“ Unde id verum est non solum si subditus habeat „ formidinem de opposito; sed etiam si detur ex al„ tera parte probabilitas, immo major probabilitas, „ quod Legislator potuerit ac voluerit ad talem ca„ sum obligare. Ut docet Suarez libro 6. de Legibus „ cap. 8. num. 3. ET TOMO V. IN III. PARTEM, „ DISPUT. XL. SECT. V. NUM. VI. (Quæ ma„ joribus characteribus signavi, a P. Concina sup„ pressa sunt.) Posita integritate textus.

„ P. Viva, ut per se patet, statuit sententiam „ bipartitam. Prima pars est, ut Epikeia locum „ habeat, sufficere probabilitatem, etiamsi detur „ ex altera parte probabilitas. Secunda pars est, „ sufficere probabilitatem, etiamsi detur ex altera „ parte major probabilitas. Et pro hac sententia „ bipartita citat prædictum duplicem locum Patris „ Suarez.

„ Jam vero in primo loco P. Suarez disertissime „ docet primam partem sententiæ Patris Viva his „ verbis: “ Tertio dicendum est: qui probabiliter „ judicat legem non comprehendere casum illum, „ SECURE potest excusari ab observatione legis, „ etiamsi formidet, vel habeat UTRINQUE rationes „ probabiles dubitandi. “

„ Neque obest Patrem Suarez limitare deinde cum „ Cajetano hanc doctrinam ad casum in quo non „ pateat aditus ad superiorem. Hanc enim limita„ tionem disertissime admittit etiam Viva ibi in fine „ num. 5. his verbis: “ Docet autem jure merito „ Suarez lib. *6.* cap. 8. num. *9.* cum Cajetano con„ tra nonnullos Canonistas apud Merol. num. 48. „ quod quando potest consuli superior, non sit uten„ dum judicio probabili de voluntate Legislatoris „ eximendi hunc casum, tum quia hic est usus pio„ rum, & prudentium; tum etiam quia inordina„ tum est uti conjecturis, & propter illas solas re„ linquere verba legis ubi potest certo constare de „ voluntate Legislatoris. “

„ Ergo prima pars sententiæ Patris Viva disertis„ sime traditur a P. Suarez in primo loco ab eodem „ Viva citato. Videamus nunc num secunda pars, „ nempe sufficere probabilitatem, etiamsi detur ex „ altera parte major probabilitas, tradatur in secundo „ loco a P. Concina suppresso. Exscribo totum, „ quamvis prolixum, textum ex citato Tomo 5.

„ in

,, in 3. p. disput. 40. sect. 5. num. 6. & satis ,, erit.

" Secundo quæri potest quid dicendum sit, quando res (lex ferens irregularitatem) non est adeo ,, dubia quin sub opinionibus versetur? Respondeo ,, breviter (omissis aliorum placitis, quæ alibi sunt ,, generalius examinanda) si contingat opinionem ,, asserentem talem irregularitatem esse in jure latam, ita esse probabilem ut contrarium probabilitate carere judicetur, tunc id sufficere ut talis ,, irregularitas incurratur & ut ita judicandum sit ,, tam in foro interiori, quam exteriori. Quia in ,, rebus humanis non potest major certitudo pruden- ,, ter postulari; vix enim aliquid est ita evidens, ,, quin habeat aliquem contradicentem. Solum ergo ,, oportet examinare, an opinio ita constans sit, ut ,, contraria non sit probabilis, id enim non ex auctorum numero, sed ex rationum pondere, & in præsenti materia ex verbis jurium recte expensis & ponderatis colligendum est. QUANDO vero est varietas ,, opinionum probabilium, in universum censeo non ,, incurri irregularitatem quoties judicio virorum ,, doctorum opinio negans in eo casu incurri irregularitatem, probabilis est, etiamsi judicetur MINUS probabilis speculative. Ratio reddi posset ex ,, principio generali, QUOD in moralibus licet practice operari juxta opinionem probabilem, etiamsi ,, speculative MINUS probabilis censeatur; NISI ,, aliquod peculiare incommodum, aut periculum ,, inde oriatur, quod in præsenti materia non occurrit. Sed hoc principio pro nunc omisso, evidentior fiet assertio posita ex dicto cap. *Is qui*. ,, Nam quando res est in se adeo obscura & dubia, ,, ut homines docti & probabiliter de illa judicantes ,, inter se non consentiant, merito censeri potest ,, non satis expressa in jure. Ergo irregularitas quæ ,, sub dicto dubio versatur, non potest dici in jure ,, expressa. Ergo (*Advertatur, quæso, animus ad sequentia*) dices, de hoc ipso esse opiniones, an ,, sit in jure expressa, necne. Ergo saltem quando ,, PROBABILIOR sententia affirmat esse expressam, ,, id satis est; quia illa est PARS TUTIOR, quæ ,, semper eligenda est, ut jura dicunt. Respondeo ,, negando consequentiam. Quia eo ipso quod contraria opinio est probabilis, SUFFICIT AD ASSENSUM PRACTICUM MORALITER CERTUM, & consequenter ad tollendum omne periculum: ac proinde non potest altera pars (*PROBABILIOR*) proprie dici tutior; UTRAQUE ENIM EST OMNINO TUTA. " (Ecquis est Probabilista, qui Probabilismum disertius explicet?)

,, His positis. AUSUS ne est P. Viva sine ullo fundamento in præsidium laxæ suæ opinionis Doctoris Eximii patrocinium allegare? Legitne Suarezium apud DIANAM? Exprobrandumne ipsi erat tam multis in locis, quod male citaverit Patrem Suarez, quem INVITIS SUPERIS in Probabilismum pertrahere Probabilistæ adnituntur pro LAXA sua opinione? Et nos exprobramusne jure P. Concinæ ejus falsas atque injustas criminationes in accusandis auctoribus Societatis? Lectores judicent.

,, Sed audiant festivam rem. P. Concina superiorem locum cujus citationem suppressit, dum textum P. Vivæ recitavit, tandem post tres paginas cursim innuit his dumtaxat verbis: *Non vacat* (melius dixisset *Non conducit*) *expendere alium locum citatum a P. Viva*.

,, Quid? In hoc loco continetur potissima difficultas & evidens defensio Patris Vivæ, & illum non ,, vacat expendere? Sic argumentor.

,, Vel legit hunc alium locum, vel non legit. Si ,, non legit qua justitia P. Vivam damnavit IMPOSTURÆ, ignarus quid doceret Suarez loco citato ,, a Patre Viva? Si legit, multo pejus.

,, Num vero LAXA sit illa opinio pro qua Viva ,, rectissime citavit Patrem Suarez, ego non definio. ,, Liberum relinquo lectoribus, ut fidem habeant ,, utri velint, vel Eximio Doctori, vel Patri Concinæ.

,, Demum quod ait P. Concina, a defensione suscepta Patris Suarez colligendum esse quo obsequio ,, suspiciat eximios inclytæ Societatis Jesu Theologos: Primum quomodo defendit Patrem Suarez ,, adversus Vivam, si non expendit locum ubi Suarez tradit sententiam ipsi attributam a P. Viva? ,, Deinde totum obsequium in eo tandem consistit, ,, quod in bello contra Probabilismum nollet habere ,, adversarium Patrem Suarez.

Neque dicas, in casu nostro esse in possessione legem ipsam, quæ clare comprehendit hunc casum, & dubitari, an Legislator voluerit pro eo casu obligare. Nam verum quidem est, quod si dubium esset negativum, standum esset pro lege, quę stat in possessione, & sic subditus teneretur obedire; At quando dubium est positivum, seu quando est probabilitas, quod noluerit Legislator obligare, potest subditus hanc opinionem, dummodo sit vere ac solide probabilis, sequi, relicta probabiliori: Sicut potest, ut diximus, ex opinione probabili tacere circumstantiam variantem speciem; ne revelet complicem, relicta opinione opposita probabiliori; quamvis talis casus comprehendatur verbis legis obligantis ad aperiendas circumstantias mutantes speciem. Quare si aliqui Doctores facientes opinionem probabilem dicant nolle Legislatorem obligare ad missam audiendam cum tali incommodo, verbi gratia, quod a te conficiatur pedibus iter trium miliariorum ad illam reperiendam, & plures alii Doctores sustineant oppositum, poteris licite missam non audire, quamvis possis illam ex supererogatione audire, & consultius sit opinionem probabiliorem sequi.

V. Vasq. part. 2. disp. 176. cap. 3. putat, quod in primo modo Epichejæ, seu quando casus excipitur ex defectu potestatis in Superiore, tunc si habeatur judicium probabile, quod non detur talis potestas, possit subditus uti Epicheja sine recursu ad Superiorem; quia in tali casu interpretatio potestatis non est petenda a Superiore, sed a Doctoribus, & a principiis Theologiæ, & juris: At in secundo modo Epichejæ, quando scilicet casus excipitur ex voluntate Superioris, tunc si solum judicium probabile detur, quod Superior noluerit pro tali casu obligare, teneatur subditus ad Superiorem recurrere, ut explicet mentem suam, aliter tenetur legem servare. Ratio est, quia si

 certa

certa est lex comprehendens hunc casum, & solum habetur judicium probabile, quod Legislator nolit in hoc casu obligare, preferenda sunt verba legis, quæ jus suum obligandi possident; aliter infinita sequerentur incommoda.

Suar. tamen loc. cit., & Merol. cap. 8. n. 40. docent, in utroque casu Epichejæ satis esse opinionem probabilem ad excusandum subditum a legis obligatione, si non possit hic Superiorem consulere de ejus voluntate: quia universim judicium probabile sufficit in rebus moralibus ad prudenter, & consequenter ad licite operandum: Etenim alius operandi modus est ultra humanam conditionem, & prudentiam: cum fere omnis cognitio humana, præsertim in agibilibus, sit solum conjecturalis. Ad rationes in contrarium negat Suar., ullum hinc inconveniens sequi, nisi forte abusum operantis; immo multo majora sequerentur absurda, si non posset homo in agibilibus sequi opinionem certo probabilem. In dubio autem negativo, non in positivo, melior est conditio possidentis, ut diximus. Quare sicuti si certa sit obligatio audiendi, v. g., missam, satis est opinio probabilis, quod satisfeceris, aut quod sic, vel sic satisfacias; ita quamvis certe verba legis hunc casum comprehendant, satis est opinio probabilis, quod Legislator nolit pro tali casu te obligare, ut non tenearis: Verba enim legis sine intentione Legislatoris non obligant; Circumstantiæ autem occurrentes sæpe suadent, quod aliquis casus non comprehendatur ex vi verborum legis sub intentione Legislatoris, quamvis comprehendatur significatione verborum.

Docet autem jure merito Suar. lib. 6. cap. 9. num. 9. cum Cajet. contra nonnullos Canonistas apud Merol. num. 48., quod quando potest consuli Superior, non sit utendum judicio probabili de voluntate Legislatoris eximendi a lege hunc casum; tum quia hic est usus piorum, & prudentium; tum etiam quia inordinatum est uti conjecturis, & propter illas solas relinquere verba legis, ubi potest certo constare de voluntate Legislatoris.

VI. Quæritur tertio; An in dubio, num voluerit Legislator aliquem casum sua lege generali comprehendere, teneatur subditus legem servare?

Respondeo, certum esse apud omnes, quod in dubio debeat consuli Legislator, si potest; aliter servanda lex sit; quia in tali dubio melior est conditio legis possidentis. Quod si Superior consuli non possit, alii cum Sylvest., Cordub., Henr. apud Merol. num. 5. putant dari locum Epichejæ; quibus consentit Sal. tract. 8. disp. 25. num. 290., & Tambur. lib. 1. cap. 3. §. 7. V. *Epicheja*, si gravis, & onerosa sit legis adimpletio; quia benignitas Legislatoris non fert, quod subditus obligetur cum onere in casu dubio; nimis enim durum videtur obligare homines legibus non certis. Communis tamen sententia apud Pal. lib. 1. disp. 3. punct. 8., docet legem servandam esse; & Suar., Sanch. Vasqu. docent, Sylvest., Cordub., & Henr. contrarium opinantes intelligendos esse de dubio positivo, seu quando est probabile judicium, quod legislator noluerit talem casum comprehendere; quamvis Sal., & Tambur. loquantur solum de dubio negativo. Ratio communis doctrinæ est, quia possessio stat pro lege certe comprehendente suis verbis talem casum, & dubium est, an Legislator noluerit, aut non potuerit ad id obligare. Sic conjux, v. gr., dubitans de obitu prioris conjugis tenetur reddere debitum præsenti conjugi quia jus præsentis conjugis est certum, & dubium est, an sit illicita redditio debiti ratione conjugis superstitis; prævalet enim jus certum tali dubio: Cum hoc tamen bene stat, quod si adimpletio legis sit admodum onerosa, possit ex hoc capite dari locus Epichejæ, si prudenter existimetur, quod nolit cum magno incommodo Legislator in casu dubio obligare.

Neque dicas; Quotiescumque lex est dubia, non obligat; ergo si dubium sit, an hic casus lege comprehendatur, nec datur obligatio pro tali casu; quia dubitatur hic, & nunc de lege.

Respondeo enim, concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia si datur dubium de tota lege, non possidet lex, sed libertas, unde in dubio melior est conditio libertatis; Contra tamen in casu nostro lex certe comprehendit hunc casum, atque adeo possidet jus obligandi; unde in dubio, an Legislator voluerit in tali casu obligare, servanda est lex.

QUÆSTIO VII.

De Consuetudine.

Diximus, Consuetudinem esse legem non scriptam, quæ longo, & continuo usu nascitur, & in eo a lege scripta differre, quod hæc initium habeat a voluntate Legislatoris signo externo manifestata; Illa vero initium habeat ab actibus continuatis, quibus accedat saltem implicite Principis voluntas. Quærendum nunc primo, Quid, & quotuplex sit consuetudo? Secundo

Secundo, Quænam sint ejus conditiones? Tertio, Quinam valeant consuetudinem inducere? Quarto, Quinam sint ejus effectus? Ultimo, Quomodo abrogetur, seu mutetur.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Consuetudo?

I. Consuetudo sumpta pro facto est Frequens usus; sumpta vero pro jure est Lex non scripta.

II. Explicatur consuetudinis definitio, & plura inde deducuntur.

III. In quonam ea differat ab usu frequenti, stylo fori, & a Præscriptione?

IV. Consuetudo alia est Canonica; alia civilis. Dividitur etiam in Communem, Nationalem, & Municipalem.

V. Necnon in eam, quæ est Juxta legem, Præter legem, & Contra legem.

VI. Num possit Consuetudo dari contra jus Gentium?

I. Sumi potest consuetudo vel pro facto, vel pro jure; Si sumitur pro facto, prout sumitur in cap. *De Constit. in 6.*, est ipse frequens usus; Si pro jure sumatur, est Lex non scripta, de qua in præsenti agimus.

II. Quærendum itaque primo, quomodo consuetudo sumpta pro jure definiatur?

Respondeo, communiter definiri cum Isidor. relato in cap. *Consuetudo*, *dist.* 1., quod sit *Jus quoddam moribus institutum, quod pro lege habetur, cum deficit lex*. Alii clarius docent, esse *Jus rationabile legitimo tempore præscriptum, moribusque perfectæ Communitatis volentis se obligare & Principis consensu inductum*. Primo debet esse Jus rationabile, non secus ac lex; nam utraque respicere debet bonum Communitatis, cum utraque Communitatem obliget. Quare quæ non sunt juxta rationem, & juxta bonum Communitatis, non possunt consuetudine firmari: Verbi gratia, ut notant Doctores, quod homicidæ universim sola pœna pecuniaria puniantur; quod spurii communiter sint hæredes, sicut legitimi. Secundo debet tale jus præscribi tempore legitimo, quod sæpe judicio prudentium definiendum est; & in dubio an sit sufficiens tempus elapsum, requiritur decennium. Tertio, debet induci moribus Communitatis perfectæ. Dicitur autem Communitas perfecta aliquod Regnum, Provincia, Civitas non vero Domus privata, &c. Quarto, debet induci actibus Communitatis volentis se obligare, aliter consuetudo non obligat: Sicut nec legem abrogat consuetudo contraria legi, nisi inducatur ex intentione abrogandi legem. Quare non obligat consuetudo recitandi ter quotidie ad signum publicum, Angelus Domini, vel consuetudo sumendi cineres primo die Quadragesimæ, sumendi aquam lustralem, abstinendi a carnibus feria quarta; Nec obligant, quæ ex mera liberalitate, & urbanitate fieri consueverunt, ut notant Rebel., & Menoch. apud Bonac. n. 20., ex *leg.* 1., *ff. de Servitutibus*, nec quę introducta sunt ex devotione. Notat tamen Sot. lib. 1. de Justitia quæst. 3. cap. 4., quod aliquando consuetudo ex devotione introducta continuatur ex obligatione, vel ex nova voluntate Principis aliqualiter significata, vel quia a Communitate deinde continuatur ut obligatoria. Quęnam autem sint indicia ad discernendum, num consuetudo inducta sit ex intentione obligationis ponendæ? Explicabimus articulo sequenti: In dubio tamen semper consuetudo censenda est ex devotione, quia nemo præsumitur sibi velle novum onus imponere, nisi id probetur. Quinto, debet Principis consensu induci; quia sine voluntate Principis habentis potestatem ferendi, aut abrogandi leges, nulla potest de novo lex condi, aut abrogari: Satis autem est consensus implicitus, & voluntas illa universalis quam habet Princeps, quod pro lege habeatur omnis consuetudo rationabilis inducta a Communitate cum intentione obligationis ponendæ, aut cum intentione abrogandi legem suam. Quas omnes conditiones clarius examinabimus articulo sequenti.

III. Ex dictis constat, in quo differat consuetudo ab usu frequenti, A stylo fori, & A præscriptione. Differt enim ab usu frequenti tamquam effectus a causa, quia usus frequens (quæ est consuetudo sumpta pro facto) parit hoc jus rationabile, seu consuetudinem sumptam pro jure.

Differt a stylo fori, tanquam includens ab incluso, quia stylus est consuetudo specialis relate ad actus judiciales, seu modus procedendi alicujus Reipublicæ in judiciis; unde communiter docent, stylum Curiæ Romanæ facere legem, saltem pro foro externo; quia ex frequenti usu, quo se gerit Curia Romana in decisione causarum, oritur obligatio servandi modum illum. Differt demum a Præscriptione; quia Præscriptio non semper respicit Communitatem, requirit bonam fidem, titulum, inducit obligationem justitiæ, vel ab ea eximit, non vero obligationem legalem: Secus vero consuetudo inducit obligationem legalem, respicit essentialiter Communitatem, satis est illi pro titulo Principis consensus, nec requirit bonam fidem; cum possit Princeps interrumpere consuetudinem, & revocare legem suam; ubi præ-

præscriptio privat Dominum re propria irreparabiliter, & ideo requirit bonam fidem.

IV. Quæritur secundo, Quotuplex sit Consuetudo?

Respondeo, consuetudinem dividi eo modo, quo lex, cum sit in rigore Lex non scripta; Specialiter tamen dividitur primo in Canonicam, quæ Clericorum dumtaxat usu introducta est; & Civilem, quæ vel laicorum dumtaxat, vel laicorum simul, & Clericorum usu dimanat: tunc enim Clerici quasi cives, & partes Reipublicæ in eam conveniunt simul cum laicis, & ideo dicitur Civilis consuetudo, quæ a laicis, & Clericis provenit. Si autem consuetudo Canonica sit totius Ecclesiæ, & consuetudo Civilis sit totius Regni, dicitur jus Canonicum, vel Civile commune; Si sit unius Provinciæ, dicitur Nationale; Si unius Civitatis, dicitur Municipale.

V. Dividitur etiam consuetudo in eam, quæ est Juxta legem, Præter legem, & Contra legem. Quæ est juxta legem, non ponit novam legem, sed legem illam exequitur, juxta quam est, non enim illam observat Communitas ex intentione ponendi novam legem, sed ex intentione obediendi. Consuetudo præter legem est illa, quæ novam obligationem imponit, & novam legem condit. Consuetudo contra legem, si sit contra legem humanam, illam abrogat; Si vero sit contra legem Naturalem, & Divinam, est corruptela, non consuetudo habens vim legis; quia Deus non censetur consentire in abrogationem suæ legis per hoc, quod homines longo tempore contra illam operati sunt, sicut censetur consentire Legislator humanus; Hic enim ex repugnantia Communitatis ad obediendum legi potest melius discernere, quid expediat bono Communitatis; & sic re melius cognita potest mutare legem suam; Deus vero legem suam non mutat, qui perfectissime cognoscit, quid bono Creaturarum expediat.

VI. Urum autem dari possit consuetudo contra Jus Gentium? V. g., quod legatis hostium nullum malum irrogetur; Affirmant probabiliter Pal., & Suar., quamvis sit moraliter impossibile, eo quod jura Gentium sunt valde consona inclinationi naturali, & ideo vix sunt mutabilia.

ARTICULUS II.

De Conditionibus Consuetudinis.

I. Non paucæ enumerantur conditiones ad Consuetudinem obligatoriam inducendam requisitæ.

II. Consuetudo dicitur rationabilis, si sit de re honesta, & utili Reipublicæ, etiamsi consuetudo sit contra legem.

III. In dubio, an sit rationabilis, in favorem consuetudinis introductæ judicandum est, nisi ipsa consuetudo a lege reprobetur.

IV. Ut Consuetudo vim habeat legis requiritur temporis diuturnitas, & probabiliter decennium non interruptum; ac forte quadricennium, si sit contra legem Canonicam.

V. Quænam actuum frequentia requiratur ad inducendam consuetudinem?

VI. Actus hujusmodi debent esse voluntarii, & ex animo inducendi consuetudinem eliciti, ac majori parti Communitatis manifesti.

VII. Etiam actibus malis consuetudo habens vim legis introduci potest.

VIII. Unde dignoscatur, quod consuetudo non sit introducta ex devotione, aut liberalitate, sed ex animo inducendi obligationem?

IX. Quid de consuetudine abstinendi a lacticiniis in pervigiliis extra Quadragesimam?

X. Qualis consensus Principis requiratur, ut consuetudo habeat vim legis?

I. Conditiones ad consuetudinem obligatoriam inducendam requisitæ sunt, ut diximus, quod ea sit rationabilis, quod longo tempore perseveret, quod frequentibus actibus stabiliatur, non ex errore, aut ignorantia procedentibus, sed voluntariis, & ex animo vel inducendi obligationem, si consuetudo sit præter legem, vel eximendi se ab obligatione, si consuetudo sit contra legem, quod in eam consentiat Princeps, seu Legislator; Debet etiam consuetudo induci ab iis, qui legem servare tenentur, & a majori parte Communitatis.

II. Quæritur nunc primo, Quænam dicatur consuetudo rationabilis?

Respondet Sanch. lib. 7. disp. 4., Suar., Pal. Sal., & alii, dici rationabilem, si sit conformis rationi, atque adeo de re honesta, & utili Reipublicæ. Ratio est, quia habetur pro lege; ergo instar legis debet esse de re honesta, & utili Reipublicæ; Quod etiam verum esse debet de consuetudine, quæ est contra legem; quamvis enim rationabile non sit, quod dum durat lex, consuetudo illi adversetur; at rationabile est, quod si multo tempore perseveret consuetudo, lex prior abrogetur, ne ulterius culpa progrediatur, & cives ad observationem rei difficilis astrigantur.

III. In dubio autem, an consuetudo sit rationabilis, & bono communi expediens, præsumenda est ita esse, etiamsi contraria sit legi; quia semper in favorem consuetudinis introductæ firmandum est, ex Sanch. Valent. n. 5., Suar. lib. 7. cap. 6. num 15. Nisi tamen ipsa consuetudo a lege reprobetur, & non sit immemorialis.

Unde

Unde patet, non peccare posteros observantes consuetudinem a majoribus introductam; quamvis illi, qui consuetudinem contra legem introduxerunt, peccarint toto eo tempore, quo consuetudo nondum invaluit; quia quousque consuetudo nondum est præscripta, nulla est ratio excusans, ut communius censent cum Suar., Bonac., Pal., Sanch. lib. 7. disput. 4. n. 14. contra Valent., Becan., Reginald. lib. 13. n. 247. Less. apud Bonac. n. 45. putantes, non peccare populum, si ex sufficienti causa nolit acceptare legem.

IV. Quæritur secundo, Quanta temporis diuturnitas requiratur, ut consuetudo habeat vim legis, & legem contrariam abroget?

Respondeo, aliquos cum Azor., Molin., Lopez apud Sal. disput. 19. sect. 4. requirere decennium, si sit consuetudo præter legem; aut si sit contra legem civilem; si vero sit contra legem Canonicam, quadricennium. Ratio est, quia leges ad inducendam consuetudinem requirunt solum longum tempus, ex *leg.* 1., *Cod. Quæ sit longa consuetudo*, decennium autem in jure civili reputatur longum tempus, ex leg. *Super longi temporis*, *ff. de Prescriptione*; in jure vero Ecclesiastico ad præscriptionem contra Ecclesiam requiruntur quadraginta anni, ex Auth. *Quas actiones*, *Cod. de Sacrosanct. Eccles.*; Alii cum Medin., Sot., Vasq. part. 2. disp. 177. cap. 5. docent, diuturnitatem temporis neque jure naturali, neque civili, neque Canonico esse determinatam; unde determinandam esse arbitrio prudentium pro negotii qualitate, & pluralitate actionum. Sed probabilius Suar. lib. 7. cap. 8., Bonac. num. 31., & Pal. num. 5. docent, universim sufficere decennium propter rationem adductam; quia leges requirunt ad consuetudinem inducendam longum tempus, & definiunt, decennium dici longum tempus: Nec lex præscriptionis requirentis ad præscribendum contra Ecclesiam quadricennium obligare debet in consuetudine; cum consuetudo, ut diximus articulo superiore, non sit præscriptio; non enim præscribit consuetudo adversus Principem, cum potius ex ejus saltem tacito consensu vim legis sortiatur, aut legem abroget. Requiritur tamen, ut decennium non sit interruptum, ut notat Pal., & Suar. l.c., nam si consuetudo intra decennnim interrumpitur, jam non durat decennio. Censetur autem interrupta, si a majori parte Communitatis contra consuetudinem agatur, etiamsi unico actu fiat, aut si a Principe introducentes consuetudines puniantur.

V. Quæritur tertio, Quot actus ad introducendam consuetudinem requirantur?

Respondeo, Panormit., & Azor. putare, quod sufficiat unus actus continuatus, qui ratione continuationis æquivaleat pluribus. Less. vero cap. 6. n. 45., Sylvest., & alii apud Pal., & Sanch. lib. 4. disp. 1. n. 22. docent, quod duo, vel tres actus sufficiant ad abrogandam legem; præsertim si fiant sciente Principe, & non contradicente dum commode potest. Ratio est, quia ad consuetudinem introducendam requiritur frequentia actuum, seu usus crebro iteratus; quod autem bis, vel ter fit, dicitur fieri frequenter, ex cap. *Ita nos* 25., *quæst.* 2. Bonac. tamen, & Suar. lib. 7. cap. 10. cum Sal. disp. 19. sect. 8. num. 73., Reginald. putant, in ea lege geminationem actuum vocari consuetudinem, & frequentiam, quæ sufficiat non ad legem inducendam, sed ad graviorem criminis (v. gr., blasphemiæ, Sodomiæ, &c.) punitionem, ad cujus effectum quælibet imperfecta consuetudo, & assuefactio sufficit; Nam ex leg. *Item*, §. *de Jurejurando*, quod semel, aut bis fit, non dicitur fieri frequenter; unde docent frequentem actum requisitum ad consuetudinem introducendam, quæ habeat vim legis, aut legem abroget, stabiliendum esse judicio prudentium; ea enim frequentia necessaria est, quæ sufficienter ostendat populi consensum, & Principis voluntatem; quæ aliquando pluribus, aliquando paucioribus actibus manifestantur. Quare, v. gr., ad inducendam consuetudinem, quod dies aliquis colatur ut festus, requiruntur saltem decem actus, videlicet ut major pars communitatis decem annis illum diem ut festum coluerit ex intentione inducendi hanc obligationem: Ad abrogandam vero legem pauciores actus requiruntur in judicio, quam extra judicium; quia quę fiunt auctoritate publica, majorem habent vim, & efficaciam, quam quæ solum fiunt a communi populo.

VI. Quæritur quarto, Quales actus requirantur ad consuetudinem stabiliendam?

Respondeo, actus hujusmodi debere esse voluntarios; & ex intentione introducendi consuetudinem: Debent etiam esse manifesti majori parti Communitatis, quia cum consuetudo habeat vim legis, nec indigeat promulgatione, requiritur, quod debeat de se esse manifesta. Ceterum certum est apud omnes, quod actus hujusmodi debeant esse liberi, & voluntarii. Ratio est, quia si per vim, aut metum gravem cogatur Communitas ad aliquem actum longo tempore, consuetudo habens vim legis non introducitur; quia non prçsumitur, quod Communitas velit stabilire jus actibus ita sibi repugnantibus, sed quod actus illi fiant ex intentione inducendi obligationem: Pariter si fiant hujusmodi actus ex ignorantia, aut errore circa substantiam consuetudinis, nec possunt consuetudinem introducere; quia nihil magis voluntati contrarium, quam ignorantia, & error. Quare si

ignoret

ignoret populus aliquam legem, & contra illam operetur longo tempore, non dicitur abrogata illa lex, cum non operatus sit populus contra legem ex intentione abrogandi illam: Et e contra si falso credat aliquam legem dari, & illam observet, non inducit consuetudinem obligantem; quia tales actus non præcesserunt ex intentione ponendi novam obligationem, & statuendi novam legem, sed ex intentione servandi legem falso creditam.

Quod autem actus requisiti ad consuetudinem stabiliendam debeant esse ex intentione introducendi consuetudinem, Probatur, quia consuetudo suscipitur pro lege; ergo sicut ad legem ferendam requiritur in Legislatore voluntas obligandi subditos, ita ad consuetudinem introducendam requiritur voluntas illam introducendi ut obligatoriam, si sit præter legem; vel ut eximentem ab obligatione legis, si sit contra legem: Lex enim obligat juxta intentionem Legislatoris, & consuetudo juxta intentionem populi, ut communiter docent cum Sal., Bonac., Vasqu., Pal. n. 12.

VII. Ex quibus deducitur, quod consuetudo præscribens contra legem, quam abrogat, possit constare actibus malis legi contrariis elicitis ex intentione abrogandi legem, ut docent communiter apud Sal. sect. 5. Quamvis aliquando possit etiam constare actibus non peccaminosis; quando scilicet excusantur a transgressione legis ob magnam difficultatem, qui illam non observant, intendentes illam abrogare, quæ intentio satis conjicitur ex ipsa frequentia actuum, ex Suar. apud Bonac. num. 17.

VIII. Difficultas est, quomodo cognoscatur, quod consuetudo introducta sit ex animo inducendi obligationem, vel solum ex devotione, aut liberalitate?

Respondeo, prudentis judicio id decernendum ex aliquibus conjecturis adductis a Suar. lib. 7. c. 15. n 23. Prima est, si consuetudo sit rei gravis, & difficilis, & tamen communiter a populo servetur, signum est, quod ex animo inducendi obligationem introducta sit talis consuetudo; quia non facile habetur uniformitas populi in actibus difficilibus sine ulla obligatione. Secunda, si populus scandalizetur a non observantibus consuetudinem, & viri timorati male de iis sentiant. Tertia, si istos Prælati, & Superiores puniat. Quarta, si talis consuetudo multum conferat Reipublicæ. In dubio tamen, ut diximus, semper præsumenda est consuetudo ex devotione, non ex obligatione inducta esse, quia nemo præsumitur velle sibi onus imponere, nisi id constet. Unde in dubio num consuetudo obliget sub mortali, an sub veniali? censendum est obligare sub veniali.

IX. Ex his principiis deducunt aliqui, consuetudinem abstinendi a lacticiniis in vigiliis infra annum multis in locis esse obligatoriam; nam damnata est ab Alex. 7. propositio illa dicens: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget*; ergo cum eadem videatur esse multis in locis consuetudo abstinendi a lacticiniis in Quadragesima, & in vigiliis extra Quadragesimam, utraque videtur eodem modo dicenda obligatoria: Sicut ex communi sensu fidelium obligatoria est ex consuetudine vigilia Pentecostes, Sancti Joannis Baptistæ, Omnium Sanctorum, Sancti Laurentii, &c., & jejunium quatuor temporum. Aliqui tamen docent, quod consuetudines universales ab immemorabili in Ecclesia retentæ auctoritate Apostolica institutæ sint, juxta illud August. contra Donatistas cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*; talis est consuetudo Ecclesiæ Latinæ consecrandi in Azymo, proferendi in consecratione, & in baptismo verba consueta, de quibus non reperitur præceptum scriptum; Sicut etiam consuetudo admiscendi aquam cum vino in consecratione Calicis; de quo habebatur obligatio ante omnes Canones, ut notat Suar.; Sicut etiam ante Tridentinum consuetudo confitendi mortalia ante sumptionem Eucharistiæ obligabat.

Ex quibus corruit doctrina nonnullorum falso dicentium, nullam consuetudinem esse obligatoriam, eo quod de nulla constare possit, quod non incœperit ex errore putantium, sed ad id teneri: Nam quoties adsunt motiva constituentia plenam probationem obligationis, cujusmodi sunt firma persuasio fidelium, & omnium Doctorum, tunc obligatio subsistit, etiamsi revera id sit falsum: Sicut quilibet, v. g., tenetur revereri hunc, quem ex motivis sufficientibus credit esse patrem suum; quamvis revera forte non sit ejus filius. Et ratio a priori est, quia in Moralibus, ut habeatur certitudo moralis non requiritur demonstratio; unde sicut non destruit certitudinem moralem, quod Petrus sit filius Francisci per hoc, quod non possit probari, quod non sit filius alterius, ita non destruit certitudinem moralem, quod consuetudo, v. gr., abstinendi a lacticiniis in Quadragesima sit obligatoria, ex hoc, quod non possit probari, quod talis consuetudo non incœperit ex errore putantium se esse obligatos. Utrum autem sit pariter obligatoria consuetudo abstinendi ab ovis, & lacticiniis etiam in Vigiliis infra annum, & in quatuor anni temporibus? Fuse perpendimus in Trutina, exponendo thesim trigesimam secundam ab Alex. VII. proscriptam: ubi diximus, quod in iis regionibus, ubi consuetudo isthæc eodem

modo

modo viget ac in Quadragesima, pariter ibi sit evidenter obligatoria propter easdem rationes. Et Diana in summa V. *Jejunium* n. 56. diserte docet, in Sicilia h. m. consuetudinem videri gravem, & receptam sub mortali apud Regulares. Quamvis enim thesis proscripta solum loquatur de consuetudine abstinendi ab ovis in Quadragesima, eo quod talis consuetudo sit universalis pro tota Ecclesia, non proinde fit quod non sit pariter obligatoria consuetudo abstinendi ab ovis in aliis vigiliis, ubi ea characteres omnes habet obligationis instar consuetudinis in Quadragesima. Immo ex eo quod thesis proscripta loquatur de consuetudine in Quadragesima, luculenter infertur, quod idem sentiendum sit de consuetudine in aliis Vigiliis, ubi ea similes habeat characteres; ut explicavimus in Expositione primæ thesis ab Alex. VII. confixæ n. 6.

X. Quæritur ultimo, Quinam consensus Principis requiratur, ut consuetudo habeat vim legis?

Respondeo, Bonac., Azor., Pal., Sanch. lib. 7. disp. 4. ex D. Th. velle, quod satis sit consensus genericus Legislatoris Supremi juridicus, seu qui in jure jam expressus est; nam in cap. final. *De consuetudine*, & in leg. *De quibus*, ff. *De legib.* dicitur consuetudo rationabilis, & legitime præscripta legi derogare posse. Ratio est, quia si Pontifex, & Princeps supremus lege sua stabiliant, ut consuetudo quælibet rationabilis, & longæva habeat vim legis, jam sufficienter approbant omnem hujusmodi consuetudinem; sed de facto id stabilitum est non solum in jure Civili in leg. *De quibus* ff. *De legibus*, sed etiam in jure Canonico in cap. ultimo, *De consuetudine*; ergo non requiritur alius consensus. Aliqui tamen cum Vasq., & Leon. putant requiri etiam consensum personalem saltem tacitum, & virtualem proprii Principis; unde putant requiri, quod Princeps habeat actualem notitiam hujus consuetudinis, & saltem tacite illam approbet per hoc, quod non repugnet, cum facile possit. Ratio videtur esse, quia non omnes consuetudines a Principe approbantur; multæ enim solum permittuntur. Sed respondetur, vi legum dictarum approbari generatim omnes consuetudines rationabiles, atque adeo istas omnes habere vim legis, permitti vero duntaxat consuetudines irrationabiles, & idcirco istas non habere vim legis.

Oppones: hinc sequeretur, quod consuetudines omnes hæreticorum ne facto abrogarint leges Ecclesiasticas, unde isti non peccent non servando festa, jejunia, impedimenta matrimonii jure Ecclesiastico inducta, & alia hujusmodi, si contrariam habeant consuetudinem.

Respondeo tamen negando sequelam; quia relate ad hæreticos non solum non habetur consensus Pontificis approbativus suarum consuetudinum, sed illæ reprobantur. Nam ut loquitur Less. apud Gobat. tract. 7. cap. 1. sect. 8., non præsumitur Pontifex consentire in consuetudines hæreticorum, aut eximere illos a communi lege, cum sint rebelles Ecclesiæ; nec illum hac in re favorem, aut benignitatem merentur.

ARTICULUS III.

Quinam possint Consuetudinem introducere?

I. Privata persona consuetudinem obligatoriam inducere non potest quamvis sit Rex.
II. Cur Episcopus per contrariam consuetudinem non procedit ad subditorum correctionem cum consilio Capituli, prout lege olim tenebatur?
III. Neque Communitas imperfecta, ut familia, consuetudinem inducere potest.
IV. Consuetudo laicorum obligat Clericos, nec vice versa. At ad abrogandam legem, quæ laicis, & Clericis sit communis, sufficit major pars Communitatis, etiamsi sit solorum laicorum.
V. Fœminæ non possunt sua consuetudine abrogare legem solos Masculos obligantem. Possunt tamen Moniales sua consuetudine proprias leges abrogare.
VI. Mercatores possunt sua consuetudine abrogare leges proprias, ac veluti municipales.

I. Consuetudo abrogans legem ab iis inducenda est, qui legem servare tenentur. Ratio est, quia consuetudo abrogat legem per actus contrarios; non sunt autem legi contrarii actus, nisi fiant ab iis, qui legem servare tenentur. Consuetudo etiam præter legem, ut vim legis habeat, ab iis introducenda est, qui legum sunt capaces, ut patet; unde pueri ante usum rationis, amentes, furiosi consuetudinem hujusmodi non introducunt: Sicut autem peregrini, & forenses non ligantur loci consuetudinibus, qui, ut supra diximus, non tenentur legibus loci, in quo pro majori parte anni non commorantur; ita nec consuetudinem introducere possunt, quæ incolas obliget.

Quæritur primo, An possit privata persona consuetudinem introducere habentem vim legis?

Respondeo, certum esse, quod non possit, etiamsi potestatem legislativam habeat, ut Rex: Ad consuetudinem enim consensus plurium, & convenientia in actibus requiritur. Unde Princeps non censetur præceptum imponere subditis, ex eo quod hoc, vel illo modo operetur; Ex quo a fortiori fit, quod nec possit id subditus; irrationabile enim est, quod subditus transgrediendo legem possit se ab illa eximere, facile enim induceretur ad legem violandam, ut illam

illam excuteret: Quod argumentum non militat in Communitate, quæ non facile inducitur ad transgrediendam legem, ut illam abroget, sed ideo sæpe illam transgreditur, quia est ardua; & conveniens est bono publico, ut lex ardua, quam Communitas ferre non potest, abrogetur.

II. Dices. Episcopus erat obligatus procedere in correctione subditorum cum consilio Capituli, ex *cap.* 1. *De præscriptionibus in* 6., & tamen consuetudine a se introducta, eximere se potuit ab hac obligatione, ex cap. *Non est*, *De Consuetud. in* 6., ergo potest privata persona consuetudinem introducere.

Respondeo negando consequentiam, nam talis exemptio non est exemptio directa ab obligatione legis, ut notat Pal., sed indirecta, quatenus adversus Capitulum præscriptum est, ne habeat jus conveniendi in correctione subditorum, & sic ex obligatione illius legis Episcopus exemptus est per sublationem materiæ legis; potest enim quilibet præscribere adversus jus alterius, & sic privata persona ponere potest consuetudinem præscriptivam juris alterius, non vero consuetudinem legalem.

III. Quæritur secundo; Qualis debeat esse Communitas, quæ potest consuetudinem legalem introducere?

Respondeo cum communi, non satis esse Communitatem imperfectam, ut est familia; sed requiri Communitatem perfectam, ut est Regnum, Provincia, Civitas. Ratio est, quia cum consuetudo habeat vim legis, debet posse introduci a Communitate, quæ habeat vim condendi leges; sola autem Communitas perfecta, ut Respublica, potest condere leges, ut diximus quæst. 1. art. 3.: Et quia etiam Civitates subditæ possunt de consensu Principis supremi ferre sibi leges municipales, ideo etiam Civitates subditæ possunt introducere consuetudines legales, quæ scilicet ex consensu tacito, aut juridico Principis vim legis habeant: Debent tamen a majori parte Communitatis introduci, ut censeatur tota illa Communitas in tales consuetudines consentire.

IV. Ex dictis sequitur primo, quod si laici introducant consuetudinem aliquam adversus legem propriam Clericorum, non proinde eximantur Clerici ab obligatione talis legis, nec e contra. Ratio est, quia consuetudo unius Communitatis non potest aliam Communitatem deobligare a lege propria alterius Communitatis; Laici autem, & Clerici circa leges proprias se habent, ut Communitates diversæ: Contra vero, quando lex est communis laicis, & Clericis, ut est lex jejunii, festorum servandorum, &c., possunt laici, qui sunt major pars Communitatis, sua consuetudine contraria eximere Clericos a tali obligatione. Ita Suar. lib. 7. cap. 16. n. 12. contra Paludan., & Sal. disp. 19. sect. 15. n. 105 putantes, quod laici faciant diversam Communitatem a Clericis; unde si laici ex consuetudine ab iis introducta tenentur jejunare, non proinde teneantur Clerici, qui non consueverunt jejunare; Probabilior tamen videtur sententia opposita Suarii.

V. Sequitur secundo, fœminas non posse sua consuetudine abrogare legem obligantem solos masculos; sicut non possunt laici abrogare leges proprias Clericorum. Possunt tamen fœminæ, v. g. Moniales, sua consuetudine abrogare leges proprias, aut alias inducere, ut docent communiter cum Suar., Sal. Bonac., Pal. n. 6., quia Communitas fœminarum est capax ferendi leges proprias de consensu Principis.

VI. Sequitur tertio, Communitatem mercatorum posse consuetudine sua abrogare leges proprias, & veluti municipales, aut novam obligationem sibi imponere; cum etiam talis Communitas sit capax propriæ legis, & possit de consensu Legislatoris sibi leges imponere, ut iidem Doctores docent.

Inquirit P. Andreas Zuccherius Soc. Jesu in suis apprime eruditis, & commendatis Decisionibus Patavinis de obligationibus Patrumfamilias Casu ultimo Mensis Januarii; Num sit obligatoria consuetudo inveterata alicujus familiæ, ut quotidie stata hora congregetur ad quasdam preces simul recitandas. Et quamvis pro parte affirmativa plura motiva adducantur; negativæ tamen merito adhæret; tum quia hujusmodi consuetudines non introducuntur animo se & alios obligandi; sed ex mera devotione; tum etiam quia familia privata est quædam Communitas imperfecta, quæ consuetudinem legalem habentem vim legis introducere non potest, ut notat Palaus punct. 3. num. 2. ex Suario. Etenim Paterfamilias ut talis solum habet potestatem œconomicam, non politicam, neque potest filiis, & aliis subditis legem imponere, sed solum præceptum; unde consuetudo, etiam ut conjuncta cum patrisfamilias auctoritate, vim legis non habet.

ARTICULUS IV.

De Effectibus Consuetudinis.

I. Consuetudo inducit obligationem, abrogat lelem, illam interpretatur, actum irritare potest, non secus ac lex, ac reddere aliquem inhabilem ad Beneficia.

II. Potest aliqua consuetudo obligare solum ad pœnam, & non ad culpam.

III. Potest etiam abrogare pœnam, relicta obligatione ad culpam.

IV. Et

IV. Et e converso potest abrogare legem obligantem ad culpam, relicta obligatione ad pœnam.

V. Num possit abrogare legem vetantem consuetudinem contrariam?

VI. Lex de non trahendis Clericis ad potestatem laicam cur non possit consuetudine contraria abrogari?

VII. Si reprobetur consuetudo contraria ob periculum damni, hoc cessante potest lex per consuetudinem in oppositum abrogari; Secus vero si reprobetur ob intrinsecam ejus malitiam.

VIII. Num clausula illa, Non obstante consuetudine in contrarium, abroget non solum consuetudinem præteritam, sed etiam futuram? Et num etiam immemorabilem?

IX. Potest consuetudo, non secus ac lex abrogare legem irritantem; potest etiam reddere irritos actus cæteroqui validos.

X. Quonam pacto consuetudo legem interpretur? Et quomodo ea sit regula contractuum.

I. MUltiplex est consuetudinis effectus. Primo enim, si sit præter legem, inducit obligationem. Secundo abrogat obligationem legis, si sit contra legem. Tertio, interpretatur leges; Si enim potest consuetudo novam legem inducere, & antiquam abrogare, a fortiori poterit legem interpretari in dubiis, ut constat ex cap. *Cum Dilectus*, de *Consuetudinibus*: ubi dicitur: *consuetudo est optima legum interpres*. Quarto irritat actum, non secus ac potest illum irritare lex; V. g. possunt consuetudine introduci impedimenta irritantia matrimonium; sicut possunt impedimenta matrimonii jure humano inducta aboleri. Potest etiam aliquis consuetudine reddi inhabilis ad beneficia, ex cap. *Cum olim*, *De Clericis conjugatis*, aut inhabilis ad electionem, ex cap. *Humana*, *De Electione*.

II. Quæritur nunc primo, An possit consuetudo introduci, quæ solum obliget ad pœnam, non ad culpam?

Respondeo cum Suar. lib. 7. cap. 16., & Palao, affirmative; Si potest enim dari lex pure pœnalis, quare non potest dari consuetudo obligans tantum ad pœnam? Et sane si consuetudine introducatur, ut transgressores alicujus constitutionis non obligantis ad culpam mortalem puniantur aliqua pœna, talis consuetudo obligabit solum ad pœnam, non ad culpam mortalem; ergo pariter si consuetudine introducatur, ut transgressores alicujus constitutionis non obligantis ad ullam culpam, ne venialem quidem, puniantur aliqua pœna, talis consuetudo solum ad pœnam, & nullatenus ad ullam culpam obligabit.

III. Quæritur secundo, An possit aliqua consuetudo abrogare pœnam, relicta obligatione ad culpam?

Respondeo, Castro lib. 2. de lege pœnali apud Pal. n. 2. negare, quia eo ipso, quod consuetudo abrogat pœnam legis, censetur abrogare legis obligationem. Communius tamen cum Sal., Suar., Azor., Pal. affirmant; Sicut enim potest Princeps nova lege abrogare pœnam, relicta legis obligatione, ita potest consuetudo. Et de facto in *Extravag.* 1. *De rebus Ecclesiæ non alienandis*, & in aliis decretis sunt impositæ variæ pœnæ, quæ jam per desuetudinem cessarunt, manente legis obligatione, ut testatur Suar., & Navar.: Quod etiam verum est, si pœna sit latæ sententiæ: consuetudine enim introduci potest, ut transgressor legis imponentis censuram latæ sententiæ non se habeat ut excommunicatum, nec se gerat ut talem, nec ut talis existimetur, manente obligatione legis.

IV. Quæritur tertio, An possit etiam viceversa consuetudo abrogare legem obligantem ad culpam, manente duntaxat obligatione ad pœnam?

Respondeo, id fieri posse, si pœna non est talis conditionis, ut præsupponat culpam, sicut est censura; quomodo enim potest censura incurri sine contumacia, & non præsupposita culpa? Quare lex obligans sub pœna censuræ non potest abrogari, manente solum obligatione ad pœnam. Lex vero obligans sub alia pœna, v. g. Carceris, potest abrogari, manente obligatione ad pœnam: Sicut enim potest dari lex pure pœnalis, quæ obliget tantum ad pœnam, quæ tamen non sit censura; ita consuetudo efficere potest, ut lex evadat pure pœnalis, si pœna non sit censura.

V. Quæritur quarto, An possit consuetudo abrogare legem prohibentem consuetudinem contrariam, dicendo, v. g., Non obstante Consuetudine in contrarium?

Respondeo, Molin., Vasq., Sal. disp. 19. sect. 7., & alios quamplures negare, quia consuetudo habet vim abrogandi legem ex voluntate Principis; ergo si Princeps vult consuetudine contraria non abrogari legem, hæc non abrogatur. Sed communius docent cum Pal. n. 10, Sal., Bonac. n. 37., quod si consuetudo contraria improbetur, vel prohibeatur tanquam irrationabilis, & inconveniens Reipublicæ, non possit talis lex abrogari per consuetudinem contrariam, quousque ista manet irrationabilis, & Reipublicæ inconveniens. Si vero ita res mutetur, ut prudenter possit Legislator velle legi derogari consuetudine, tunc consuetudo adversus legem improbantem consuetudinem contrariam prævalere posset: Sicut enim quælibet lex abrogari potest consuetudine contraria ex consensu Principis, ita etiam lex prohibens consuetudinem contrariam, potest consetudine contraria abrogari, si adsit Principis consensus: Qui certe presumi-

tur adesse, si res ita mutarentur, ut rationabiliter credatur velle derogari legi consuetudine. Et ratio ulterior est, quia sicut in generali concessione non veniunt ea, quæ quis in specie non esset verosimiliter concessurus, ex regula 81. *Juris in 6.*, ita neque in generali prohibitione veniunt, quæ quis in specie non esset verosimiliter prohibiturus.

VI. Ex quibus sequitur, quod lex de non trahendis Clericis ad laicam potestatem non possit contraria consuetudine abrogari; quia per talem legem reprobatur consuetudo contraria, tanquam irrationabilis, & Reipublicæ inconveniens, nec ea potest evadere rationabilis.

VII. Sequitur secundo, quod si in lege reprobetur consuetudo contraria præcise propter periculum alicujus damni, si cesset periculum talis damni, posset lex per consuetudinem in oppositum abrogari, quia cessat causa, ob quam consuetudo contraria reprobata fuit, tanquam corruptela: Contra vero si reprobetur consuetudo ob intrinsecam ejus malitiam, non poterit consuetudo legi prævalere.

VIII. Dubium tamen est apud Doctores; Num clausula illa universalis, *Non obstante consuetudine contraria*, improbet tantum consuetudinem præteritam, an etiam futuram? Azor., & alii putant, quod solum improbet præteritam; tum quia improbare consuetudinem est odiosum, & ideo non est extendendum; tum etiam quia quando Legislator vult improbare consuetudinem futuram, id explicat claris verbis, dicendo, v.g., Nolumus contra legem hanc aliquam consuetudinem valere. Alii tamen cum Sanch. l.7. disp. 4., & Pal. n. 8. docent probabiliter, verba illa generalia etiam ad consuetudinem futuram se extendere; quia quamvis improbare consuetudinem sit odiosum; est tamen legi, & Legislatori favorabile, & ideo extendenda sunt verba ad significandam etiam consuetudinem futuram. Et quamvis possit clarioribus verbis Legislator id exprimere non sequitur, quod si verbis his indifferentibus exprimat, non significet etiam futuram consuetudinem. Nam de facto fere omnes Doctores docent, quod verba illa cap. *Cum inter*, *De Consuetudine*, ubi irritatur consuetudo, non servandi interdictum generale, etendantur etiam ad consuetudinem futuram.

Illud certum est apud Doctores contra Cardinalem, quod si lex verbis generalibus improbet omnem consuetudinem contrariam, non intelligatur de consuetudine immemorabili, nisi aperte dicatur, Non obstante consuetudine contraria etiam immemorabili. Ratio est, quia, ut notat Bonac. num. 43., consuetudo immemorabilis sæpe traxit originem ex privilegio, & ideo non debet per generale nomen consuetudinis reprobari. Certum etiam est, quod quælibet lex particularis abroget consuetudinem præteritam particularem in contrarium, etiamsi non faciat illius mentionem; quia Legislator (saltem non supremus, nam de Legislatore supremo dicemus articulo sequenti) condens legem particularem non præsumitur ignorare consuetudinem particularem contrariam: Contra vero lex generalis non abrogat consuetudines particulares contrarias, nisi aut fiat illarum mentio, aut in genere reprobetur omnis consuetudo contraria. Ratio est, quia non censetur Legislator illarum habere notitiam, & ideo non censetur velle illas abrogare, nisi faciat illarum mentionem, ex cap. 1. *de Constit. in 6.*

IX. Quæritur quinto, An consuetudo possit etiam aut abrogare legem irritantem, aut irritare actus cæteroqui validos?

Respondeo cum communi contra Covar. apud Sal. disp. 9. sect. 10., utrumque effici posse a consuetudine, sicut fieri potest a lege: Quare, ut diximus, possunt abrogari consuetudine impedimenta irritantia jure humano matrimonium, & viceversa possunt consuetudine induci alia impedimenta matrimonium irritantia. Et ratio a priori est, quia hujusmodi irritatio non transcendit potestatem Legislatoris humani; ergo sicut ea potest haberi per voluntatem expressam Legislatoris, ita etiam per tacitam, quæ ostendatur in consuetudine. Neque obstat, quod Pontifex in c. *Quod super his*, *De Affinitate* caveat, ne inter gradus prohibitos contrahatur matrimonium, non obstante consuetudine, quæ dicenda est corruptela. Nam, ut notat Pal., ibi loquitur Pontifex de consuetudine non legitime præscripta, & irrationabili, non vero de rationabili, quæ supervenire potest, justa dicta quæsito superiore.

X. Quæritur ultimo, Quomodo consuetudo legem interpretetur?

Respondeo, consuetudinem interpretari legem authentice, si sit præscripta, quia tunc habet vim legis, etiamsi legi contraria; Si tamen consuetudo non sit præscripta legitime decennio, interpretatur mentem Legislatoris solum conjecturaliter, & probabiliter; sicut solent illam interpretari Doctores: Quamvis secundum se probabilior sit interpretatio habita per consuetudinem non præscriptam; quia tunc major pars communitatis in unum convenit, & difficilius est, quod decipiatur ista, quam speculatio Doctoris. Immo, ut notat Suar., ad sic interpretandam legem non solum deservire potest consuetudo subsequens legem, sed etiam antecedens, & sæpe etiam consuetudo vicinorum locorum. Notat tamen Menoch., quod si consuetudo non præscripta sit manifeste contra jus commune, erit dicenda corruptela, nec vim habet interpretandi conjecturaliter legem communem.

Hinc

Hinc intelligitur, quomodo consuetudo probet, aut reprobet contractus, ut notat Sal.disp. 19. n. 203., non quia faciat illos licitos, vel illicitos; sed quia signum probabile est, quod sint liciti, si longa consuetudine exerceantur: Dicitur etiam consuetudo esse regula contractuum, quia contractus regulandi sunt juxta consuetudinem introductam; nam secundum illam intelliguntur esse celebrati, nisi aliud fuerit expressum, ex leg. *Semper* ff. *De regulis juris*.

ARTICULUS V.

De Abrogatione Consuetudinis.

I. Consuetudo abrogatur aut per legem expressam, aut per contrariam consuetudinem.

II. Neque lex, neque consuetudo contraria priorem consuetudinem abrogat, nisi ex diametro illi opponatur.

III. Ut consuetudo contrariam consuetudinem abroget, debet esse legitime præscripta: Desuetudine autem consuetudo non abrogatur.

IV. Non usus legis tunc legem abrogat, quando aliquid contra legem continet: Sicut Privilegium amittitur, si quis libere per decennium illo non utatur.

V. Num per non usum amittatur Privilegium, quando facultas sit data simpliciter; adeo ut si ea detur, ut privilegiarius ea utatur ad arbitrium, nunquam amittatur per non usum?

VI. Verius privilegium universim amittitur per non usum, quando per decennium Privilegiarius, oblata opportunitate, & potens eo uti, non vult uti ac veluti illi recunciat. Oppositum tamen non caret sua probabilitate.

I. DUpliciter consuetudo abrogari, & mutari potest. Primo, per legem expressam. Secundo, per aliam consuetudinem contrariam.

II. Quæritur primo, Quando censetur lex consuetudinem abrogare?

Respondeo, legem non abrogare consuetudinem præscriptam, nisi clare, & ex diametro illi apponatur; Sicut lex non abrogat legem, nisi aperte sit illi opposita; Immo si verba legis possunt restringi ad hoc, ut non censeatur abrogata consuetudo, restringenda sunt; cum juris correctio quoad fieri possit vitanda sit, ex leg. *Præcipimus*, Cod. *de Appellat.* Ideo diximus articulo superiore, quod quamvis lex universalis abroget consuetudinem æque uuiversalem illi oppositam, nihilominus lege universali non censetur derogari consuetudini speciali, aut statuto municipali, nisi illius fiat mentio specialis, aut saltem in genere apponatur clausula derogatoria cujuscumque consuetudinis, aut statuti contrarii, ex cap. 1. *De constitution. in 6.*: Ubi redditur ratio hujus doctrinæ, quia scilicet Princeps censetur probabiliter ignorare statuta, & consuetudines specialium locorum, quas si sciret, forte contrarium disponeret. Additque probabiliter Suar., Pal., Bonac. n. 42., nec lege speciali lata a Principe supremo pro aliqua Provincia censeri abrogatam consuetudinem illius loci, nisi specialiter ejus fiat mentio, propter eandem rationem; quia scilicet censetur illam ignorare Legislator, si sit Princeps supremus. Immo Suar. lib. 7. cap. 20. n. 12. probabiliter contra Pal. n.7. putat, id esse verum etiam de consuetudinibus specialibus non præscriptis; quia textus universaliter loquitur, & eadem ratio militat pro utrisque. Demum lex continens clausulam generalem derogatoriam omnis consuetudinis probabiliter, ut diximus articulo superiore ex Azor. contra Sanch., non se extendit ad derogandam consuetudinem futuram, sed solum pręteritam; sed certum est non derogare consuetudinem immemorialem, nisi faciat illius mentionem specialem.

III. Quæritur secundo, Quando abrogetur consuetudo consuetudine contraria?

Respondeo, quod sicut lex non abrogatur, nisi consuetudine legitime pręscripta, ita nec consuetudo præscripta habens vim legis abrogetur consuetudine contraria, nisi hæc etiam legitime sit præscripta. Quare idem tempus requisitum fuit, ut prior consuetudo haberet vim legis, requiritur, ut posterior consuetudo illi contraria eam abroget; Et probabiliter ad utramque sufficit decennium, ut diximus art. 2. Notandum tamen, quod non dicatur lex, aut consuetudo abrogata per solam desuetudinem, seu non usum, sed solum per consuetudinem contrariam, hoc est per positivam violationem legis, aut consuetudinis abrogandæ, nam si casus legis nunquam accidat, & nunquam lex violetur, nunquam non usus abrogat legem; abrogatio enim fieri debet per actus contrarios, seu per legis violationem; quando autem casum nunquam accidit, tunc non habentur actus contrarii, seu legis violativi; ergo nec illius abrogatio. Quare quando Jurisperiti dicunt, desuetudine, seu non usu legem abrogari, intelligendi sunt, abrogari legem per actus privatos, seu legis violativos, qui trahunt non usum, & desuetudinem legis; non vero per actus mere negativos, seu per præcisum non usum, eo quod casus legis nunquam acciderit: Exempli gratia, in leg. *Quæritur*, ff. *de statu hominum* decernitur, hermaphroditum magis ejus generis existimandum, quod in eo prævalet; Si tamen per centum annos non accidat casus, quod reperiantur hermaphroditi, non idcirco censetur derogatum tali legi; Contra vero censetur derogatum, si decem annis reperiantur duo, vel tres casus,

casus, in quibus sciente Principe contrarium decernatur.

IV. Notandum etiam, quod sicut non usus legis tunc legem abrogat, quando aliquid contra legem continet, non vero quando nunquam accidit casus legis; (exempli gr. lex de audiendo Sacro aliquo die abrogatur præcise per omissionem Sacri factam eo die a majori parte Communitatis decennio, quia talis omissio continet legis violationem) ita Privilegium obtentum a Principe amittitur etiam, ut notat Azor. apud Sal. loc. cit. si quis libere decennio non utatur tali privilegio; non tamen si illo non utatur necessario, seu quia nunquam accidit casus. Unde *leg.*1. ff. *De nundinis*, dicitur, nundinis impetratis a Principe non utendo, qui renuit, decennii tempore, usum amittit: hoc est, si Civitas aliqua obtineat facultatem celebrandi nundinas, & per decennium ea facultate non utatur, amittit Privilegium per non usum, videlicet si voluntarie eo non utatur; non tamen si necessario; nam si quis, v. g., habeat a Principe Privilegium ducendi aquam communem in fundum suum, & decennio non utatur tali privilegio, quia fons exaruit, non amittit privilegium, ut colligitur ex leg. *Unus ex Sociis*, *ff. de Servitutibus rusticorum prædiorum*; quia talis non usus est necessarius, eo quod non se obtulerit occasio.

V. Addit Azor., diligenter advertendum, quod per voluntarium non usum privilegii tunc amittatur privilegium, quando per privilegium datur simpliciter facultas ad aliquid faciendum, non vero quando datur facultas ad aliquid faciendum pro arbitratu privilegiati, ita scilicet ut possit ea uti, vel non uti ad arbitrium: Verbi gratia, si quis habeat simpliciter facultatem a Pontifice celebrandi tempore, aut loco interdicto, & tali privilegio oblata occasione nolit uti per decennium, tale privilegium amittitur per non usum, quia facultas ista data est simpliciter: Contra si detur alicui facultas extruendi molendinum in communi, vel in publico flumine, si libuerit, & centum annis nolit uti tali privilegio, non idcirco privilegium amittit; quia non est data facultas simpliciter, sed data est illi facultas, ut ea utatur, si libuerit. Hæc Azor., adversus quem bene objicit Sal., concedi universim privilegium, ut eo utatur privilegiatus, si voluerit; unde nunquam per non usum, etiamsi voluntarium, videtur privilegium amitti, sed solum per usum contrarium.

VI. Ideo dicendum verius ex Sal. disp. 17. n. 63. tunc privilegium amitti per non usum, quando oblata occasione, & potens commode eo uti, privilegiarius non vult eo uti per decennium; tunc enim veluti renunciat privilegio, & amittit illud per modum præscriptionis. Quod non solum est verum pro foro externo, sed probabiliter etiam pro interno; quia præscriptio tollit jus etiam in conscientia, quamvis etiam sine culpa habentis jus habeatur præscriptio. Unde Suar. lib. 8. cap. 3. docet, quod habens privilegium, v. gr., comedendi lacticinia diebus prohibitis, & nolens eo uti per decennium, probabilius etiam in foro conscientiæ privilegium amittat, quamvis ob devotionem noluerit eo uti. Oppositum tamen Pal. punct. 18. disp. 4. putat esse probabile; quia in tali casu non habetur vera præscriptio; sed hæc solum habetur, quando privilegium est in gravamen aliorum, (ut est privilegium Nundinarum) quod certe per non usum decem annorum amittitur. Sed de his fusius agitur cum de Privilegiis.

QUÆSTIO VIII.

De Dispensatione Legis?

PRæcipuam in re morali quæstionem aggredimur, ex hac enim decisio plurium difficultatum in variis materiis passim contingentibus dependet. Primo itaque examinabimus, Quid sit, & in quamdam legem cadere possit Dispensatio? Secundo, Quinam possit dispensare in lege humana? Tertio, Circa quos exerceri possit Dispensatio? Quarto, De causa ad dispensandum requisita. Quinto, De dispensationis nullitate. Sexto, Quibus modis cesset dispensatio? Demum; Quomodo dispensatio, & potestas dispensandi interpretanda sit? Et num semper sit invalida dispensatio, si dubitetur de ejus valore?

ARTICULUS I.

Quid sit Dispensatio, & an cadere possit in legem Naturalem, & Divinam?

I. *Dispensatio est juris relaxatio; atque adeo differt a legis Interpretatione, Abrogatione, Derogatione, irritatione; necnon ab Absolutione, a Licentia, & a Privilegio.*

II. *Dispensatio legis in quo differat a dispensatione in voto, & a relaxatione juramenti?*

III. *Nequit Deus in lege naturali dispensare in iis circumstantiis, in quibus Lex naturæ obligat. Potest aliquando mutare materiam legis*

legis naturalis, mutando circumstantias, sub quibus ea obligat, & sic solum indirecte dispensat.

IV. Pontifex indirecte dispensat in lege naturali, puta in voto, in juramento, & in iis omnibus, in quibus expediens fuit rectæ gubernationi hanc potestatem a Deo illi committi.

V. In quibusnam casibus potest Pontifex in jure Divino positivo dispensare?

VI. Num possit Pontifex dispensare, ut in una tantum specie Sacrificium offeratur?

I. QUæritur, primo, Quomodo definiatur Dispensatio legis?

Respondeo, communiter apud Sanch., & Pal. definiri, quod sit *Juris relaxatio*, seu exemptio alicujus a legis obligatione. Ex quo sequitur differe dispensationem primo ab Interpretatione legis; tum quia interpretari, quod lex in aliquo casu non obliget, est declarare, quod lex non obliget, non vero subditum eximere ab obligatione; unde interpretatio non est actus jurisdictionis exercendus a Superiore, sed actus doctrinæ, qui a Doctoribus præstatur: Tum etiam quia sæpe Superior dispensat in casu, in quo certum est te a lege obligari; ut quando dispensat in esu lacticiniorum, & impedimentis matrimonii ob subsidium pecuniarum datum ad pias causas. Secundo differt a legis Abrogatione, & Derogatione, quia abrogatio legis est cessatio totius legis relate ad omnes, & derogatio est cessatio vel partis legis, vel totius legis relate ad partem Communitatis, vel relate ad aliquod tempus; Dispensatio vero est exemptio alicujus ab obligatione. Tertio differt ab Irritatione, quia irritare legem, est legem cessare, impediendo, ne robur obligandi assequatur, ubi e contra dispensare est legem cessare, postquam vim obligandi adepta est. Quarto differt ab Absolutione a peccatis, vel a censuris; tum quia potest aliquis secummet dispensare, non tamen semet absolvere; tum etiam quia dispensatio est contra jus, seu vulnus legis, absolutio vero est præter jus; non enim vulneratur Jus absolutione, sed potius impletur, quia jus ipsum jubet, ut recte dispositus absolvatur; at jus non jubet semper dispensationem facere. Hinc dispensatio stricte est interpretanda, absolutio late, ut notat Suar. lib. 6. cap. 10. Quinto differt a Licentia; quia dispensatio, ut diximus, est contra legem, licentia vero est potius pro ipsa lege; quia lex ipsa, quæ prohibet, verbi gratia, ne quis sine licentia a Monasterio egrediatur, non prohibet absolute egressum, sed prohibet egressum sine licentia, itaut per licentiam lex non vulneretur, sed potius legi fiat satis. Quare cum Prælatus dat subdito licentiam egrediendi, non eximit illum directe ab obligatione legis, sicut, quando dispensat; sed indirecte illum eximit per hoc, quod tollit materiam legis ex apposita licentia, & sic lex non obligat. Hinc est, quod quando Superior dat licentiam subdito expendendi, non dicitur dispensare in voto paupertatis; Solus enim Papa in eo voto dispensare potest, ex cap. *Cum ad Monasterium*, *De statu Regularium*, sed solum cessat obligatio non expendendi ex apposita licentia, ad quod voto tenebatur Religiosus. Sexto differt a Privilegio, quia semper dispensatio est contra jus, privilegium vero sæpe est præter jus, ut privilegium lucrandi indulgentias, absolvendi a reservatis, dispensandi in impedimentis matrimonii, in voto, &c.; Quando tamen privilegium est contrarium juri, ut privilegium comedendi lacticinia diebus prohibitis, tunc aliquo pacto confunditur cum dispensatione, & eodem modo causam requirit; Differt tamen, quia hujusmodi privilegium est a Superiore, qui legem condidit, adversus quam est privilegium, & consistit semper in facultate permanenti operandi contra legem: At dispensatio est pro unico actu determinato, vel ab inferiore interpretante mentem Superioris.

II. Denique differt dispensatio legis a dispensatione voti, & juramenti; tum quia dispensatio in voto est potius interpretatio Divinæ voluntatis; unde Prælatus dispensat in voto nomine Dei, cujus vices gerit, & cujus voluntatem interpretatur: Dispensatio vero legis est vera exemptio a jure, quam concedit Legislator nomine suo; Tum etiam quia in voto potest fieri commutatio etiam propria auctoritate in aliquid melius, & secundum probabilem opinionem, etiam in evidenter æquale; At in lege non potest dari commutatio; nam lex pendet a voluntate Legislatoris, votum vero ortum habet a voluntate voventis, & respicit honorem Dei; unde si per materiam meliorem magis Deus honoratur, poterit votum ex voluntate voventis commutari in melius.

Notandum tamen, quod juramentum in damnum tertii sæpe non potest relaxari a Prælato, ut dicemus suo loco: quia Prælatus gerit vices Dei, non hominis, cujus favorem respicit tale juramentum; ut si jures dotare puellam: Hæc tamen potest juri suo cedere, & sic eris liber ab obligatione juramenti.

III. Quæritur secundo, An possit dispensatio cadere in legem naturalem, ortam scilicet ex convenientia cum natura rationali?

Respondeo, annotando legem naturalem aliam esse affirmativam, ut colendi, & amandi Deum, defendendi proximum, ac subveniendi illi in necessitatibus; Aliam negativam, verbi gratia, non furandi, non adulterandi, non occidendi innocentem. Rursus alia est simpliciter, & in omni-

omnibus circumſtantiis prohibitiva, ut lex non colendi Deos falſos, non peccandi contra naturam; Alia eſt prohibitiva alicujus actus ſub determinatis circumſtantiis, verbi gratia, non rapiendi rem alienam, ſed invito Domino; nam Domino conſentiente non eſt prohibitum. Sic lex non occidendi innocentem non obligat conſentiente, aut præcipiente Deo, qui eſt Dominus vitæ, ac necis; lex non accedendi ad Bertam obligat tantum, quoties Berta non eſt tua uxor, & tu non habes dominium in corpus illius. His annotatis,

Sanch. lib. 8. de matrim. diſput. 6. cum aliis defendit, poſſe Deum diſpenſare in lege naturali; tum quia quilibet Legislator poteſt in legibus ſuis diſpenſare; tum quia id aliquando expedit gubernationi communi; tum demum quia ſæpe videtur Deus diſpenſaſſe; nam Geneſ. 22. diſpenſavit cum Abraham in occiſione filii, Oſeæ 2. cum Oſee in copula fornicaria, Exod. 12. cum filiis Iſrael in expoliatione Ægyptiorum; Diſpenſavit etiam in pluralitate uxorum; in matrimonio inter fratres, & ſorores; filii enim Adæ duxerunt ſuas ſorores; commiſit poteſtatem Pontifici diſpenſandi in votis, in juramentis, in reſidentia Eccleſiæ, in ſanctificatione feſtorum, quorum obligatio provenit ex jure naturæ.

Communiſſime tamen docent, in lege naturali non poſſe Deum diſpenſare in iis circumſtantiis, in quibus lex naturæ obligat: Verbi gratia, non poteſt diſpenſare in lege de non odio habendo Deum, vel de non colendo falſos Deos, de non peccando contra naturam, de non mentiendo, &c. quæ leges in omnibus circumſtantiis obligant: Nec poteſt diſpenſare in lege de non furando, de non occidendo in iis circumſtantiis, in quibus iſtæ leges obligant, ut explicavimus. Et ratio a priori eſt, quia lex naturalis præcipit ea, quæ ex natura ſua, & eſſentialiter ſunt convenientia naturæ rationali, & prohibet, quæ eſſentialiter ſunt diſſona; quæ autem ſunt eſſentialiter diſſona, non poſſunt per voluntatem Divinam mutari, & non eſſe diſſona; cum Deus non poſſit mutare eſſentias rerum: Si autem Deus diſpenſaret, verbi gratia, in lege de colendo falſos Deos, eo ipſo non eſſet diſſonus naturæ retionali talis cultus, qui eſſentialiter eſt diſſonus, ſed eſſet licitus, atque adeo naturæ rationali conveniens; ergo cum id effici non poſſit, ſequitur quod Deus in nulla lege naturali poſſit diſpenſare ſub iis circumſtantiis, ſub quibus lex naturalis obligat.

Ad rationes in contrarium patet reſponſio. Ideo enim poteſt Legiſlator quilibet diſpenſare in ſua lege poſitiva, & non poteſt Deus diſpenſare in ſua lege naturali, quia lex naturalis eſt immutabilis, cum ſit de rebus natura ſua, & eſſentialiter conformibus, aut difformibus naturæ rationali. Nunquam autem diſpenſavit Deus in lege naturali ſub iis circumſtantiis, ſub quibus ea obligat. Sicut enim quando dominus libri conſentit, ut accipias librum ſuum, non diſpenſat in lege naturali de non furando, ſed mutat circumſtantiam, ſub qua lex naturalis de non accipiendo librum alienum non obligat; tunc enim lex naturalis de non furando obligaret, quando liber alienus acciperetur invito domino: Ita pariter Deus non diſpenſavit cum filiis Iſrael in lege naturali de non furando, quando conſenſit, quod expoliarent Ægyptios; nam quando accipitur res conſentiente proprio Domino, qui eſt Deus, non habetur furtum: Sic non prohibetur lege naturali accedere ad Bertam, quando vel ratione matrimonii, vel aliunde habes dominium in corpus illius. Deus itaque dando Oſeæ dominium in corpus mulieris, non diſpenſavit cum illo in lege naturali de non fornicando; quamvis enim illi dixerit, *Accipe mulierem fornicariam*, non per hoc voluit, ut cum ea fornicaretur; nam fornicatio eſt acceſſus ad non ſuam; cum autem dederit Deus Oſeæ dominium in corpus fœminæ, jam voluit, ut ad ſuam accederet; ergo noluit fornicationem. Idem dicas de diſpenſatione facta in polygamia, & in matrimonio inter fratres, & ſorores, ut explicabimus inf. de matrimonio; in iis enim circumſtantiis, in quibus ea permiſit, aut voluit Deus, non erant contra legem naturæ. Præterea quando Deus, aut Pontifex diſpenſat in votis, aut juramentis, non diſpenſat in lege naturali; quamvis enim lex naturali obliget ex vi Religionis ad ſervandum votum acceptatum a Deo; ſicut ex vi fidelitatis ad ſervandum promiſſum acceptatum ab homine: At ſicut non obligat lex naturalis ad ſervandum promiſſum acceptatum, quando promiſſarius renunciat juri ſuo, & remittit debitum revocando acceptationem; ita Deus non diſpenſat in lege naturali, quando diſpenſat in voto, quia remittit debitum revocando acceptationem voti, ſub qua circumſtantia lex naturalis non obligat. Sic reſidentia in Eccleſia eſt de jure naturali, quoties ſupremus Paſtor non ſubit ipſe onus providendi Eccleſiæ neceſſitati, & non cedit obligationi a te contractæ. Sicut ſolutio pretii facta ob emptionem rei eſt de jure naturali, quoties venditor non cedit juri ſuo; Quod ſi cedat; non ideo dicitur diſpenſare in lege naturali, ſed mutare materiam legis naturalis, & ponere circumſtantias, ſub quibus lex naturalis non obligat. Demum laborare die feſto non eſt contra legem naturalem, quando id fit ad obediendum Deo præcipienti; nunquam enim magis dies ſanctificatur, quam cum Deo obedimus, immo ſanctificatur etiam dies, ſi labore-

boretur ad satisfaciendum necessitati ex permissione Dei, aut Pontificis. Quare in omnibus casibus adductis dari potest tantum dispensatio indirecta, tollendo obligationem per mutationem materiæ, non vero dispensatio directa; Sicut dispensare potest directe quivis Legislator in sua lege positiva, v. g. Papa in lege jejunii, Deus in lege communionis.

IV. Rogabis, in quibusnam legibus naturalibus possit Legislator humanus dispensare indirecte eo modo, quo diximus posse Pontificem dispensare in voto, in lege naturali sanctificandi festa?

Respondeo, in iis casibus id posse, in quibus expediens fuit rectæ gubernationi hanc potestatem a Deo committi, & delegari Legislatori humano, videlicet in voto, juramento, sanctificatione festorum, & in iis rebus, in quibus Respublica habet potestatem dominativam; nam si tali potestate utatur, cessat obligatio legis naturalis; unde potest Superior, v. g., propter bonum publicum auferre res unius, & alteri dare: Contra tamen, quia non fuit expediens, ut Deus homini daret potestatem dominativam in corpora aliorum, ideo non potest homo indirecte dispensare in lege de non fornicando, sicut dispensavit Deus cum Osee; nec potest dispensare indirecte, sicut potest Deus in lege prohibente Polygamiam, & dissolutionem matrimonii consummati; Nec in impedimentis jure naturæ dirimentibus, Erroris, Impotentiæ, Ligaminis, & Consanguinitatis in primo gradu. Convenientius enim fuit, Deum hanc potestatem non delegasse Pontifici, ne illa frequentius, quam par esset, uteretur, etiamsi in aliquo raro casu forte expediret illam habere, ut notat Sanch. loc. cit., Pal. numer. 7., & Suar. lib. 2. cap. 14. n. 23.

V. Quæritur tertio; An possit dari dispensatio in jure Divino positivo, & in quo?

Respondeo, certum esse, quod Deus possit in eo dispensare, v. g., in lege Baptismi, Communionis, &c.; si enim potest Legislator humanus in lege sua dispensare, a fortiori Deus supremus Dominus. Hanc autem potestatem non commisisse Principibus sæcularibus est indubitatum, cum versetur circa spiritualia, & supernaturalia. An autem eam commiserit Pontifici? disputant Doctores. Aliqui cum Panormit., & aliis apud Sal. disp. 24. sect. 5., & Merol. disp. 4. cap. 6. n. 187. docent, posse Pontificem in omni jure Divino positivo dispensare (exceptis articulis fidei) ex urgenti causa. Nam dispensare potest, ut simplex Sacerdos Confirmationem ministret, cum ex jure Divino Episcopus sit minister hujus Sacramenti; Dispensat etiam in residentia Episcoporum, quæ est de jure Divino; dispensat in voto solemni, quod est ex institutione Divina; Etiam dispensat in illa Divina lege, *Quos Deus conjunxit, homo non separet*, dispensando in matrimonio rato. Immo Felinus addit, posse Pontificem ex causa mutare formam baptismi, & creare Sacerdotem, dicendo tantum, Sis Presbyter; cum hoc videatur erui ex illis verbis Christi Domini, *Quodcumque ligaveris*, &c., & spectare ad rectam Ecclesiæ gubernationem; cum non possint homines in necessitate petere immediate a Deo dispensationem, nec debeant ea carere. Sanch. autem l. 8. de matrim. disp. 6. docet, posse Pontificem in eo dumtaxat jure divino dispensare, in quo majus Dei obsequium videtur esse dispensationem concedere, quam jus Divinum integre servare, non vero in aliis materiis. Unde, v. g., non potest dispensare, ut frater ducat sororem; Quod ex eo constat, quia nunquam in hoc Ecclesia dispensavit; Neque in eo, quod matrimonium consummatum dissolvatur; aut in Polygamia, quamvis aliquando id expediret. Et ratio est, quia melius est integre leges istas servari, quam occurrere alicui raro casui, in quo expediret dispensare. Communissima tamen sententia docet cum D. Th. 2. 2. quæst. 88. art. 10., in nullo jure Divino posse Pontificem dispensare, nisi ubi specialiter constiterit ipsum Deum id concessisse. Ratio est, tum quia inferior non potest in lege Superioris dispensare, nisi ex ejus concessione; tum etiam quia non fuit talis potestas nec necessaria, nec expediens Ecclesiæ; oportebat enim fundamenta Ecclesiæ esse immobilia. Quare non potest Pontifex dispensare in lege sigilli Sacramentalis, etiamsi Sacerdoti, vel Regno grave damnum immineat? Non potest dispensare, ut laicus in extrema necessitate moribundi sacramentaliter absolvat; ut baptismus conferatur aqua rosacea, si desit naturalis, &c

Ad rationes in contrarium respondetur: Ex jure Divino minister Confirmationis ordinarius, ut loquuntur Concilia, est Episcopus, non extraordinarius; & ideo non dispensat in jure Divino Pontifex, quando ex urgenti necessitate permittit, ut Sacerdos illam conferat. Circa residentiam Episcoporum docet Sotus esse de jure Divino naturali, & in ea posse tantum indirecte dispensare Pontificem, ut diximus quæsito superiore, mutando materiam, qua mutata cesset obligatio: Solemnitatem votorum negant communiter apud Pal. hic punct. 3. esse de jure Divino, ut constat ex Bulla *Ascendente Domino* pro Societate Jesu expedita: nec est de jure Divino indissolubilitas matrimonii rati, sed tantum consummati; unde in hoc tantum dispensare non potest Papa, ut dicemus de Matrimonio. Potest Pontifex dispensare in votis, & relaxare juramenta, eo modo quo supra explicavimus, cedendo juri acquisito a Deo per aucto-

ritatem, quam habet tanquam ejus Oeconomus, & dispensator: Communiter etiam docent, ex usu, & traditione Ecclesiæ hanc auctoritatem esse illi concessam, ex verbis Christi Domini Matth. 19. *Quodcumque ligaveris super terram*, &c.

VI. Opponunt aliqui apud Sanch. lib. 8. disp. 6., aliquando Pontificem dispensasse, ne Sacrificium fieret in utraque specie in locis, ubi erat summa vini penuria; id enim concessisse Saxonibus Innoc. VIII. refert Volaterranus.

Sed Suar. lib. 10. cap. 6., Vasq de Euch. disp. 228., & alii negant id fecisse Pontificem, cum de tali facto non constet authentice; Et negant id facere potuisse. Sicut non potest Pontifex dispensare in sigillo Sacramentali, in materia baptismi, & aliorum Sacramentorum. Addit Suar., probabile esse, quod possit Pontifex permittere propter grave, & commune bonum alicujus Provinciæ, ut in una tantum specie Sacrificium offeratur; Quod tamen non faceret Pontifex dispensando in jure Divino, sed declarando doctrinaliter, jus Divinum non se extendere ad talem casum. Nam juxta hanc sententiam supponitur, quod de Jure Divino positivo sit tantum offerre tale Sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi Domini; & de jure naturali sit, quod offeratur integrum, & sub utraque specie, significando clare separationem corporis a sanguine, atque adeo mortem Cristi Domini; Potest autem Pontifex doctrinaliter declarare, quod præceptum hoc naturale sacrificandi integre non se extendat ad talem casum: Sicut præceptum naturale restituendi depositum non se extendit ad casum, quo restituendus sit gladius Domino furioso; Notat tamen Suar., declarationem hanc solum a Pontifice fieri posse, quia est res gravissima, & satis dubia.

ARTICULUS II.

Quinam possit in lege humana dispensare?

I. Potest Pontifex in legibus Apostolicis, & Conciliis Oecumenicis dispensare.

II. Nequit Archiepiscopus dispensare in legibus Concilii Provincialis; Sed potest Episcopus dispensare in legibus Synodi Diœcesanæ, etiamsi a Pontifice confirmatæ sint confirmatione simplici, non tamen si essentiali.

III. Nequit inferior in lege Superioris dispensare, nisi id illi saltem tacite permittatur.

IV. Absolutio a censuris conceditur inferiori, nisi reservetur; Secus vero dispensatio. Pariter dispensat Episcopus in votis, si non reserventur; At non in legibus Pontificiis.

V. Quandonam censeatur concessa Episcopo facultas dispensandi in lege Pontificia?

VI. Si dubitetur, an possit hic & nunc Episcopus dispensare in lege Pontificis, probabiliter dispensare potest, etiamsi dubium sit negativum?

I. Certum est, Legislatorem posse in sua lege dispensare, cum ab ejus voluntate pendeat obligatio: Et eadem est ratio de successore in jurisdictione, qui reputatur eadem persona cum Legislatore; Et idem a fortiori dicendum de Superiore Legislatoris. Hinc sequitur Primo, Pontificem dispensare posse non solum in legibus Prælatorum sibi subditorum, sed etiam in legibus Concilii generalis; quia est superior: Posse etiam dispensare in legibus aliorum Pontificum, quia est æqualis auctoritatis: Potest pariter in legibus Apostolicis humanis dispensare, ut in lege jeiunii Quadragesimalis, in observatione diei Dominicæ, in bigamo non ordinando, &c., quia in jurisdictione Pontifex non est inferior Divo Petro, & aliis Apostolis.

II. Sequitur secundo, Episcopum dispensare posse in legibus Synodi Diœcesanæ; quia ab ipsomet latæ sunt; Parochi enim sunt in ea Synodo cosiliarii, non legislatores, ut communius docent contra Medin., & Rodriq. apud Merol., num. 257.: Contra tamen non posse ne Archiepiscopos quidem dispensare in lege Concilii Provincialis; quia sunt eo inferiores. Addit Sanch. lib. 8. disp. 17., & Sal. disp. 20. sect. 4. contra Azor., Laym., Sylvest., Barbos., posse Episcopum in suis legibus dispensare, etiamsi juraverit se non dispensaturum; quia juramentum redderet illicitam, non invalidam dispensationem: Immo sicut potest cum aliis, ita potest secum Episcopus in juramento dispensare, data sufficienti causa. Tunc solum Episcopus non potest in suis legibus dispensare, quando istæ confirmatæ sunt a Pontifice, non quidem confirmatione simplici, & accidentali superaddita ad quendam splendorem, sed confirmatione essentiali, seu necessario requisita, ut lex obliget, juxta ea quæ diximus quæst. 6. art. 3. num. 2. cum de Abrogatione legis; tunc enim lex ista censeretur Pontificia, non Episcopalis. Nec potest Legislator in suis legibus dispensare, quando leges transeunt in contractum: V. G. si Princeps ferat legem, quod gaudeant immunitate a tributis, qui ad Civitatem venerint, vel in ea habitaverint, non poterit eos tali beneficio privare, quia tunc tenetur Princeps lege naturali (in qua dispensare non potest) servare contractum a se initum.

III. Quæritur nunc primo, An inferior possit dispensare in legibusSuperioris non sibi reservatis?

Respondeo, Sot., Victor., & alios apud Sal. disp. 20. sect. 3. (quorum sententiam probabilem putat Bonac. quæst. 2. punct. 1.,) docere, quod Inferior possit in quavis lege superioris dispensare, quo-

quoties superior expresse non ademit illi facultatem dispensandi. Ratio est, tum quia esset nimis molestum semper ad Superiorem recurrere; tum etiam quia cum Superior non reservet sibi potestatem dispensandi, censetur illam concedere; aliter frustra aliquando illam sibi expresse reservaret, si ex positione tantum legis esset reservata. Præterea in cap. *Nuper*, *de Sententia Excom.* dicitur, quod dum Pontifex non reservat sibi absolutionem excommunicationis, censetur inferioribus Prælatis eam concedere; ergo idem dicendum de dispensatione. Quod etiam accidit in votis, & juramentis, in quibus Episcopus dispensare potest, si Pontifex non sibi reservat dispensationem; Idemque accidit in observatione festorum, & jejuniorum. Et ratio a priori videtur esse, quia *Episcopus potest in sua Ecclesia quicquid Papa pro toto Orbe*, *nisi a Pontifice prohibeatur*; quia Episcopus est Pastor ordinarius, cui adæquate incumbit regimen suæ Ecclesiæ; unde si non limitetur a Pontifice ejus jurisdictio, potest pro sua Diœcesi quicquid Papa pro tota Ecclesia.

Sed communius docent, non posse inferiorem dispensare in legibus Superioris, nisi expresse, aut saltem tacite id sibi permittatur; tum quia inferior non potest voluntatem, & dispositionem Superioris impedire, ipso non consentiente; tum etiam quia in cap. I. *De Constitutionibus*, præcipitur Inferioribus, ut præcepta Superioris observent; ergo a fortiori non possunt in iis dispensare, nisi expresse, aut tacite id concedatur; tum demum quia in Clement. *Ne Romani De Elect.* dicitur Inferior non posse tollere legem Superioris; & statim subditur explicatio, videlicet abrogando, dispensando, &c. Et de facto plures irregularitates, & inhabilitates inveniuntur in jure, in quibus Episcopi non possunt dispensare, quia non reperiuntur concessæ, quamvis non sint prohibitæ; ut notat Pal. punct. 5.

IV. Ad rationes in contrarium respondetur, in pluribus casibus, in quibus expedit rectæ gubernationi, provisum esse, ut possint Inferiores dispensare in lege superioris: In aliis vero casibus, in quibus id non conceditur, recurrendum est ad superiorem.

Nec quia Superior non reservat sibi expresse facultatem dispensandi, ideo censetur illam concedere. Nam aliquando exprimit reservare sibi hanc facultatem, ne in generali concessione suæ facultatis intelligatur ea concessa, non quia tunc solum est reservata, quando exprimit, quod sibi eam reservat. Absolutio a censuris conceditur inferiori eo ipso, quod non reservatur, non tamen dispensatio; tum quia hæc est contra jus, & vulnus legis; absolutio vero non est contra jus, immo potius est juri conformis; cum jus ipsum præcipiat, quod rite dispositus absolvatur; tum etiam quia absolutio ad bonum animæ ordinatur, & ideo expedit facilius concedi; unde non solum Episcopo, sed etiam Parocho, & cuivis Confessario conceditur, dum a Papa non reservatur; ut dicemus cum de Censuris. Quod attinet ad vota, & juramenta, diximus, dispensationem in votis esse diversam a dispensatione legis; hæc enim est exemptio ab obligatione legis; illa vero est solum remissio juris a Deo acquisiti per votum, sicut in humanis promissarius remittit juri acquisito per promissionem; Omnes autem Prælati possunt nomine Dei talem remissionem facere, nisi iis interdicatur, quia hoc expedit bono communi, eo quod frequentissime occasio occurrat. Et propter eandem frequentiam possunt Prælati inferiores ex tacita concessione Papæ dispensare in observatione festorum, & in jejuniis. Demum ad rationem a priori respondetur, falsum esse axioma illud, quod Episcopus possit pro sua Diœcesi quicquid Papa pro toto Orbe. Nam Episcopus, ut notat Pal. num. 9., non potest instituere censuras, approbare Religiones, canonizare Sanctos, definire res fidei, concedere indulgentiam plenariam, dispensare in matrimonio rato, aut in professione Religiosa, vel committere Presbytero Sacramentum Confirmationis, aut Ordinis, saltem quoad minores, ex Merol., ut potest Papa. Quare potest Episcopus in ordine ad bonum regimen suæ Diœcesis, quicquid potest Papa, nisi a lege ejus jurisdictio Papæ limitetur; limitatur autem, quoties non conceditur illi facultas dispensandi in lege Papæ. Unde etiam fit, quod nec possint, Episcopus, aut Archiepiscopus dispensare in Legibus Concilii Provincialis, quod est supra ipsum Archiepiscopum, ut habet Gloss. in cap. *A collatione*, *de Apellat. in 6.* Verum quidem est, quod leges latæ in Concilio Provinciali, si non sint reservatæ, possint ab Episcopo pro sua Diœcesi dispensari, sicut diximus, posse Episcopum dispensare in observatione festorum ex tacita concessione Papæ, quia frequenter occurrit occasio in iis dispensandi, idque satis constat ex usu. Potest tamen Episcopus dispensare in legibus Synodi Diœcesanæ, quia non est inferior illa, ut communius docent contra Medin., & Rodriq. apud Merol. num. 257.

V. Quæritur secundo, In quibus casibus censetur concessa Episcopo facultas dispensandi in lege Pontificia; Et universim inferiori facultas dispensandi in lege superioris?

Respondeo, concedi primo, non solum si expresse dicatur in lege, quod possint in ea Inferiores dispensare, quod est evidens; sed etiam si dicatur absolute, quod possit in ea lege dispensari; hæc enim verba interpretanda sunt, itaut possint Inferiores in ea lege dispensare; tum quia

aliter essent superflua, cum certum sit, Superiorem posse in ea dispensare; tum etiam quia potestas dispensandi ample est interpretanda, ut dicemus articulo ultimo. Secundo concedi præsumitur eam facultatem Inferioribus, quando res est levis; quia nimis onerosum est in minimis ad Superiorem recurrere; Et idem docet Pal., quando lex non obligat ad culpam mortalem, ut contingit in Religionibus; nam eo ipso, quod Legislator noluit gravem obligationem ponere, judicavit non esse rem tanti momenti, ut ipsi remaneret reservata dispensatio. Tertio, si crebro accidat necessitas dispensandi in aliqua lege; quia pariter esset nimis onerosum semper ad Superiorem recurrere, & contra suave regimen Ecclesiæ; Et ideo potest Episcopus in votis, in observatione festorum, & in jejuniis dispensare. Quarto, quando ea est consuetudo; nam sicut alia possunt consuetudine præscribi, ita facultas dispensandi, & consuetudo sufficit ad dandam jurisdictionem, vel privilegium: Ac de facto Parochi ex consuetudine dispensant in jejuniorum, & festorum observatione; Et Episcopi in legibus Concilii Provincialis. Quinto, si gravis, & magna aliqua necessitas, vel utilitas subdito contingeret, itaut facile, & commode non pateat aditus ad Superiorem, & sit periculum in mora: nam negare in hoc casu potestatem dispensandi inferiori est contra charitatem, & suave regimen Ecclesiæ, & contra commune bonum. Ideo in impedimentis etiam matrimonii potest Episcopus urgente necessitate dispensare ut communius docent cum Sanch. lib. 2. disp. 40., Sal. disp. 20. sect. 3., Vasq., Azor. contra Medin., & Cordub. apud Merol. disp. 6. num. 177. Immo ex Sal. loc. cit., Merol., & Sanch. lib. 4. Summæ cap. 40. contra Vasq. part. 2. disp. 178. ex Bonac., id potest Episcopus urgente necessitate, quando non possunt ii, cum quibus dispensandum est, propter inopiam, suis sumptibus petere a Pontifice dispensationem, quamvis posset Episcopus facile ministrare pro illis expensas; quia non videtur ad id obligatus.

VI. Dubitatur, An possit Episcopus dispensare in lege Pontificis, quando dubium est, an casus egeat dispensatione? V.g., si dubium sit, an impedimentum dirimens matrimonii, aut bigamia, indigeant dispensatione. Certum quidem videtur, quod si dubium sit positivum, & probabile sit, non opus esse dispensatione, possit Episcopus dispensare; immo quod possit subditus, sine ulla dispensatione operari, prout libuerit; quia licitum est operari secundum opinionem probabilem, deposito practice dubio, quamvis fieri possit, ut opinio probabilis sit realiter falsa; Si tamen dubium sit negativum, censet Bonac. n. 18., petendam esse a Sede Apostolica dispensationem, ne te exponas periculo delinquendi contra legem, in qua non potest Episcopus dispensare; & quia ea videtur esse praxis. At Pal. n. 10. Sal. loc. cit., Sanch. lib. 4. Sum. cap. 40. n. 26., & Suar., probabilius putant, etiam in dubio negativo nulla opus esse dispensatione; quia in tali casu possidet libertas, nec debes censeri lege astrictus, quousque de lege tibi certo non constet moraliter: Aduntque, quod si requireretur dispensatio, posset ea dari ab Episcopo; tum quia non videtur Pontifici reservatus casus dubius, sed solum certus; tum etiam quia potestas dispensandi late interpretanda est; tum demum quia Episcopus potest dispensare in casibus frequentibus; frequentia autem sunt dubia dispensationis; & ideo monet Sa V. *Dispensatio*, petendum ab Episcopo, ut ad cautelam dispenset; nam si revera matrimonium, v. g., contrahatur cum tali dubio, licite quidem contraheretur ratione opinionis istius probabili, sed invalide sine tali dispensatione Episcopi, quoties revera opinio esset falsa. Quando tamen dubium est, an excuseris ab obligatione legis, v. g., jejunii ratione infirmitatis, certum videtur, quod indigeas dispensatione; quia lex est in possessione obligandi, & dubia est, non probabilis excusatio; An autem aliquando uti possis Epicheja, vide quæ diximus cum de Epicheja.

ARTICULUS III.

Circa quos possit Dispensatio exerceri?

I. *Dispensatio, utpote actus jurisdictionis, cum subditis est exercenda.*

II. *Prælatus dispensans universim cum subditis in aliqua lege, dispensat etiam secummet; etsi improprie secummet in sua lege dispenset.*

III. *Directe Prælatus in lege Superioris secummet dispensat, quin ad exercendum hunc actum jurisdictionis voluntariæ requiratur distinctio personarum. Potest etiam secummet in votis dispensare, sicut cum subditis.*

IV. *Num possit Pontifex directe sibi indulgentias elargiri?*

V. *Nequit Prælatus inferior directe tollere a se irregularitatem, aut alias pœnas Ecclesiasticas per sententiam impositas; licet id possit cum subditis.*

VI. *Quid possit Superior loci cum forensibus, vagis, & peregrinis relate ad dispensationes?*

VII. *Quid pariter possit Metropolitanus cum Episcopis suffraganeis, & cum eorum subditis?*

VIII. *Num possit Episcopus cum Regularibus exemptis dispensare eo pacto, quo potest cum subditis suis?*

I. SPecialiter quæritur primo, An possit secummet Legislator dispensare? Secundo, An

An cum vagis, & forensibus? Tertio, An Episcopus cum Religosis? Quarto, An Metropolitanus cum suffraganeis? Cum enim dispensatio sit actus jurisdictionis erga subditos exercendus, dubitatur de istis, an sufficientem habeant subjectionem requisitam ad dispensationem?

II. Quæritur itaque primo, An possit Superior secummet dispensare in iis casibus, in quibus potest cum subditis suis?

Respondeo, apud Doctores certum esse, Prælatos uti posse iis licentiis, (quæ dicuntur improprie dispensationes) quas possunt dare subditis: aliter essent pejoris conditionis, quam subditi; cum non possint facile superiorem adire. Certum est secundo; quod quando Prælati in universum dispensant cum subditis in aliqua lege, verbi gratia in jejuniis, possint tali dispensatione uti; quia hoc non est directe jurisdictionem in seipsum exercere, sed quasi indirecte, utendo dispensatione in universum concessa. Sic Pontifex lucratur indulgentias in universum concessas. Quamvis communior Theologorum sententia doceat contra Henr., & Suar. de Indulg. disp. 52. sect. 1. num. 20. apud Sanch. l. 8. disp. 3. num. 12., & Merol. num. 153., non posse sibi indulgentias directe concedere, eo quod concessio indulgentiarum sit actus jurisdictionis. Certum est tertio, Superiores relate ad proprias leges nonnisi improprie secum dispensare, quia non obligantur sua lege directe, sed tantum jure naturali, supposita sua lege, ut supra diximus. Certum est quarto, posse Prælatos committere suis Confessariis, ut cum ipsis dispenset in omnibus in quibus ipsi possunt cum subditis, tum ne deterioris conditionis sint, quam subditi, cum non possint facile summum Pontificem adire: tum quia Congregatio Concilii apud Pal. punct. 7. decrevit, facultatem datam Episcopis sess. 24. c. 6. absolvendi, & dispensandi cum sibi subditis posse cum ipsis Episcopis a Confessario ab illis electo exerceri.

III. Dubium itaque est, An possit directe Prælatus dispensare secummet in votis, in irregularitatibus, & in aliis legibus superioris, sicut potest cum subditis? Negant multi cum Azor., Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. de Voto cap. 11. num. 4. apud Merol. num. 148. quia nemo potest erga seipsum jurisdictionem exercere, cum nemo sit sibi superior; Sicut enim nemo potest seipsum ligare, ita nec solvere. Communius tamen cum eodem Suar. lib. 6. de legibus cap. 12.,. & de Censur. disp. 41. sect. 2., Sanch. lib. 8. disp. 3., Pal., Sal. disp. 20 cap. 3. affirmant, quia id non repugnat juri Ecclesiastico, cum nullus reperiatur textus, qui id virtualiter prohibeat: Nec repugnat juri naturali; intantum enim repugnaret, inquantum actus jurisdictionis requirit distinctionem personarum; sed quamvis requirat distinctionem personarum, tum jurisdictio contentiosa, quæ testium probationem requirit, quia iniquum est in propria causa idem sibimet jus dicere contra jus adversario intentum; ex *leg. unica* Cod. *Ne quis in sua causa*; tum jurisdicto coactiva, seu punitiva, quam in semet exercere repugnat; tum demum jurisdictio in actu sententiæ, cum nemo debeat seipsum in propria causa sententiare, condemnare, aut liberare; unde nemo potest seipsum sacramentaliter absolvere: At non requirit distinctionem personarum jurisdictio voluntaria, quæ in dispensatione exercetur, cum non sit contentiosa, nec coactiva, aut absolutiva. Et ratio est, quia Superior relate ad propriam legem non proprie dispensat, ut diximus; relate vero ad legem superioris intantum potest dispensare cum subditis, inquantum id sibi conceditur a Superiore; præsumendum autem est, quod Superior committat suas vices Prælato inferiori, quod possit tam cum suis subditis, quam secummet dispensare, quando id expediens visum fuerit, ne ipse deterioris conditionis sit, quam subditi. Et idem dicendum in dispensatione votorum; præsumendum enim est, quod Deus concesserit Prælatis facultatem remittendi nomine ipsius Dei obligationem, tam relate ad subditos, quam relate ad seipsos. Quod ex eo aperte confirmatur, quia si eodem modo requireret distinctionem personarum jurisdictio coactiva, ac jurisdictio voluntaria ad dispensandum, sequeretur, quod sicut superior obligans sua lege subditos, non comprehendit seipsum, excommunicans in universum omnes reos alicujus delicti, non excommunicat seipsum, quamvis talis delicti reum; ita dispensans in universum cum suis subditis in lege jejunii nec comprehenderet seipsum, quod est falsum; Unde dictum illud, quod non possit solvere, qui non potest ligare, in eo sensu intelligendum est, quod non possit in universum legem tollere, qui non potest illa ligare; non vero quod non possit in aliquo casu speciali tollere aliquis a se obligationem legis per dispensationem, quamvis non possit seipsum oblgare; cum de facto concedatur communiter, quod Prælatus dispensans in universum, verbi gratia, in lege jejunii, eximat etiam se a tali obligatione, quamvis non possit se ad id obligare directe vi legis.

IV. Hinc sequitur primo, quod vel possit Pontifex sibimet indulgentias directe largiri, ut diximus ex Henr., & Suar. disp. 5. num. 5.; vel si non possit, ex eo sit, ex D. Th. in 4. dist. 20. art. 1., quia nulla causa justa datur, ut sibi directe eas concedat; præsertim quia sicut non potest aliquis seipsum absolvere, ita nec decet, ut Indulgentias sibi largiatur, quæ habent pro debita pœna satisfacere, & debitum solvere.

V. Se-

V. Sequitur secundo ex Pal., quod si Prælatus inferior per sententiam contraxit irregularitatem, depositionem, aut aliam inhabilitatem, nec possit illam a se immediate, & directe tollere, quamvis id possit relate ad subditos. Ratio est, quia cum non possit eam tollere, nisi ex commissione Superioris, non est præsumendum, quod Superior velit eidem concedere, quod possit illam directe ab se tollere, quia frustra illam imponeret, & frustra esset talis coactio; Contra vero ex Sanch. lib 8. disp. 3., si istæ pœnæ non per sententiam, sed ipso jure a prelatis inferioribus incurrantur, possunt secummet dispensare, sicut cum subditis; quia tunc habent rationem legis, in qua possunt, ut diximus secummet dispensare, non vero rationem sententiæ, a qua nemo potest se ipsum liberare.

VI. Quæritur secundo, an Superior loci possit cum peregrinis, forensibus, & vagis dispensare eo modo, ac cum subditis?

Respondeo, certum esse, quod Superior possit in lege sua dispensare cum omnibus iis, qui ea obligantur: obligatio enim talis legis pendet a sua voluntate. Relate autem ad dispensationem in voto, juramentis, & aliis legibus Superioris, certum etiam est, quod possit Superior loci cum vagis dispensare, sicut cum omnibus aliis suis subditis, quia Vagi nullibi domicilium habentes ratione habitationis subduntur Superiori loci, in quo resident, ita ut possint ab eo omnia Sacramenta recipere; ut notat Less. cap. 40. num. 121., & Sanch. lib. 3. disp. 25.: Solum itaque dubium est de forensibus. Prima sententia Suar. lib. 6. de Voto cap. 11., Sylvest., Tabien., & aliorum docet, ad dispensationem obtinendam in legibus Superioris, votis, juramentis, irregularitatibus, & aliis similibus necessario requiri domicilium, unde forensis quousque non acquirat domicilium, seu habitet alicubi cum animo ibi permanendi perpetuo, (prout diximus quæst. 3. art. 3.) non potest in his dispensari. Ratio est, quia aliter forensis non censetur esse subditus Superioris loci, cum non censeatur esse illius Parochi anus: quod autem superior cum solis subditis dispensare possit, est manifestum; tum quia dispensatio est actus jurisdictionis; tum etiam quia Sacra Congregatio Concilii apud Merol. num. 138. declaravit, forensem, qui in aliquo loco gerit officium Prætoris, Medici, vel Officialis, posse ab Ordinario loci absolvi in Sacramento Pœnitentiæ, non tamen dispensari; Unde videtur non sufficere quasi domicilium, sed requiri domicilium ad dispensationem.

Secunda sententia Sanch. l. 3. disp. 23., Henr., Less. cap. 40. n. 121., & Suarii laudati aliter sentientis lib. 2. de diebus festis cap. 14. docet ad id requiri, & sufficere quasi domicilium, seu habitationem cum animo permanendi ibi pro majori parte anni. Quod hoc sufficiat, probant, tum quia durum videtur, quod Sholastici, & alii, qui in aliquo loco multis annis habitant, non possint ibi votorum, & aliorum casuum dispensationem obtinere; tum etiam quia ratione hujus quasi domicilii sortitur quilibet forum externum, ita ut possit ibi conveniri de alibi gestis, ex cap. *Ex parte*; *de foro compet.* ergo etiam sortitur forum in rebus spiritualibus, itaut possit dispensari; utrumque enim forum æque subjectionem, & jurisdictionem petit; Unde bene dici potest Parochianus alicujus loci, vel Ecclesiæ, qui ibi pro majori parte anni habitat, ut plures docent apud eundem Sanch.: Quod vero hoc quasi domicilium ad dispensationem requiratur, probant, tum ex fere communi Doctorum sententia; tum quia, ut diximus, si hoc requiritur ad acquirendum forum externum, ut possit aliquis conveniri de alibi gestis, requiritur etiam ad acquirendum forum internum, ut possit aliquis dispensari. Limitant tamen hoc, nisi necessitas aliud postulet; hac enim de causa videmus, quod passim Episcopi tempore Quadragesimæ indifferenter dispensant cum omnibus etiam peregrinis, ut vescantur cibis paschalibus, & ut diebus festis exercere possint opera servilia: præsumitur enim in his casibus, quod velit Pontifex, Episcopum posse etiam cum peregrinis dispensare.

Tertia demum sententia Basilii Pontii docet, Episcopum posse dispensare etiam cum peregrinis, quamvis quasi domicilium non habeant in eo loco; quia sicut tenentur, ut ipse putat, legibus loci tanquam subditi, ita gaudent privilegiis subditorum; habent enim sufficientem subjectionem ad utrumque ratione habitationis. Ad declarationes autem Congregationis Concilii factas approbante Gregor. XIII. respondet, ideo non posse Episcopum cum peregrinis dispensare; non quia deficit jurisdictio, sed quia regulariter deficit causa ad dispensandum; quod si daretur causa, quæ non solum sufficiat, ut dispensentur, sed etiam ut dispensentur ab Ordinario illius loci, tunc posset hic ex præsumpta voluntate proprii Ordinarii, aut ontificis cum peregrinis dispensare non secus ac cum subditis. Hęc sententia parum habet probabilitatis. Secunda est probabilior, & communior; Prima tamen videtur vera; & sequenda esset, si authentice constaret de declarationibus illis Congregationis Concilii factis consulto, & approbante Greg. XIII., quæ videntur omnino requirere habitationem domiciliarem in eo, cum quo est dispensandum, ut possit talis jurisdictio cum illo exerceri.

VII. Quæritur tertio, An possit Metropolita-

tanus, seu Archiepiscopus dispensare cum Episcopis suis suffraganeis, & cum subditis suffraganeorum?

Respondeo, & dico primo, posse Archiepiscopum cum Episcopis suffraganeis dispensare. Ita Avil., Sanch. lib. 4. cap. 38., Henr. Ratio est, quia habet in illos jurisdictionem ordinariam, ut constat, tum ex cap. *Suffraganeis, De electione*; tum quia potest illis præcipere, &, si negligentes sint, ad officium compellere, ex cap. *Solicitudinem*, *De Appellatione*. Quare si Episcopi subduntur illi in odiosis, a fortiori in favorabilibus: Et confirmatur; quia potest Episcopus dispensare in votis, juramentis, & aliis cum Prælatis Religionum; quamvis isti exempti sint a jurisdictione ipsius, ut dicemus quæsito sequenti; ergo a fortiori Archiepiscopus id potest cum Episcopis suffraganeis, qui ab ipsius jurisdictione non sunt exempti. Neque obstat, quod talis potestas dispensandi in votis non sit necessaria, eo quod habeatur ab ipsis Episcopis, qui possunt secummet dispensare. Nam sicut talis potestas dispensandi cum Episcopis est in Pontifice, etiamsi Episcopi habentes hanc potestatem possint secummet dispensare, ita erit pariter in Archiepiscopo.

Dico secundo; Archiepiscopus non potest dispensare cum subditis Episcoporum suffraganeorum, nisi in casibus a jure concessis. Ita communiter cum Rodriq. apud Merol. num. 141.; Ratio est, quia Archiepiscopus non habet ordinariam jurisdictionem, & curam nisi Diœcesis propriæ, & solum est judex in causis Diœcesi suffraganeæ per appellationem ad eum deductis, ex cap. 1. *De officio legatis*. Casus autem in jure hac in re concessi sunt; Primo, si ad Archiepiscopum causa devolvatur, eo quod nolit Episcopus dispensationem debitam suo subdito concedere: Secundo, quando habet quidem Episcopus justam causam dispensandi cum subdito, sed non vult dispensare, quia non tenetur; quamvis non possit tunc appellari ad Archiepiscopum, cum non detur locus appellationi, quando non committitur injustitia, & gravamen; potest tamen implorari officium Metropolitani, ut ex officio & misericordia ipse dispenset, aut faciat, ut dispenset Episcopus. Ita Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 10., Avil., Henr. contra Pal. §. 3. num. 2. Tertius casus ex Henr., Avil. 2. part. cap. 7. disp. 1. dub. 10., & aliis apud Merol. n. 142., quod possit Archiepiscopus dispensare, quando visitat Diœceses Suffraganeorum; quia tunc censentur subditi, cum possit illorum confessiones audire, ex cap. fin. *De Censib.* in 6. Sed communius cum Sanch. lib. 4. Sum. cap. 38. Pal., & aliis id negant, quia cum solum in jure concedatur Archiepiscopo, quod possit suffraganeorum subditorum confessiones audire in actu visitationis, nec fiat mentio, quod possit dispensare, & potestas dispensandi non sit necessario conjuncta cum potestate absolvendi, non bene infertur, quod possit in actu visitationis dispensare.

VIII. Quæritur ultimo, An possint Episcopi dispensare cum Regularibus exemptis suæ Diœcesis eodem modo, ac cum aliis subditis?

Respondeo, certum esse, quod sine Superiorum suorum licentia non possint Regulares exempti valide ab Episcopo dispensari; cum non sint subditi, & dispensatio sit actus jurisdictionis. An autem possint de licentia suorum Superiorum, veluti cedentium beneficio, & privilegio exemptionis? Negant Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. de Voto cap. 11., Ledesm., & alii apud Avil. loc. cit. dub. 6. quia non potest Prælatus regularis subjicere Episcopo Religiosum exemptum a Pontifice; Præsertim quia hoc privilegium exemptionis non est personale, sed totius Religionis; Unde non potest privata persona illi cedere: Sicut non potest Clericus renuntiare privilegio Clericatus & consentire in judicem laicum, ex cap. *Si diligenti*, *De foro competenti*.

Affirmant tamen probabilius Henr., Sanch. lib. 4. cap. 39., & ipse Suar. disp. 41. sect. 2. de Censuris, & disp. 30. sect. 2. de Pœnitentia; quia beneficium exemptionis datur Religiosis, ut quietius Deo serviant, & non perturbentur ab Episcopis; Unde in his, quæ quietem, & favorem Religionis concernunt, non debent esse pejoris conditionis, quam alii ejusdem Diœcesis non exempti; quia privilegium in tali casu contra ejus finem operaretur: Quare in his casibus favorabilibus censetur tota Religio per Epikejam consentire. Et hæc est disparitas, quare non possit Clericus, & Religiosus renuntiare privilegio exemptionis in jurisdictione contentiosa; possit tamen Religiosus cedere privilegio exemptionis in jurisdictione ista voluntaria; In illo enim casu resultaret odium, in quod non censetur status Clericalis, vel tota Religio consentire; Contra in secundo casu habetur tantum favor, & ideo censetur tota Religio cedere privilegio exemptionis. Addunt Sanch., & Molin., id verum esse etiam vel quando Prælatus Religionis est absens, aut excommunicatus vitandus, vel quando injuste negaret Religioso subdito dispensationem; Posset enim hic in tali casu dispensari ab Episcopo; quia per Epikejam non est præsumendum, voluntatem Pontificis, & totius Religionis esse, quod Episcopus non possit in eo casu dispensare, & cogatur Religiosus vagari, & accedere ad Sedem Apostolicam ad impetrandam dispensationem.

Demum aliqua notanda sunt: Primum est, quod sicut probabilius potest Religiosus de licentia sui Prælati dispensari ab Episcopo, ita potest

ipse

ipse Prelatus regularis immediate se subjicere Episcopo, ut dispensetur; quia potest uti licentiis, quas ipse subditis concedere potest, ut supra diximus. Secundum est, quod si Religiosus non possit dispensari a Prælato immediato, sed solum a suo Provinciali, vel Generali, non satis sit licentia Prælati immediati, ut possit Religiosus ab Episcopo dispensari; quia, ut notat Sanch., cum habeatur in tali casu remedium intra Religionem, non est præsumendum, quod velit Religio consentire, ut extra illam remedium petatur; Hoc enim noceret debitæ subordinationi subditorum, & frustranea esset reservatio casuum facta superiori Prælato, si posset Religiosus de licentia Superioris immediati adire Episcopum, ut absolvatur. Bene tamen hoc limitat Basil. & Pal., nisi necessitas urgeat impetrandi dispensationem, & Superior Prælatus facile adiri non possit. Tertio notandum, quod quando Prælatus regularis potest ipse dispensare cum suo subdito, manifestum sit, quod possit tunc illum subjicere Episcopo, aut alteri, ut cum eo dispenset; quia tunc Episcopus tanquam Delegatus ab ipso Superiore, & ipsius vices gerens dispensaret. Quare si nullus Prælatus Religionis posset subditum absolvere; aut si posset Superior mediatus, sed necessitas urgeret, & non posset facile adiri; aut si injuste negaretur dispensatio a Superiore, tunc habet locum sententia ista Sanch., quod præsumatur Religio privilegio exemptionis cedere, unde possit subditus de licentia Prælati ab Episcopo dispensari, vel absolvi, ut notat Pal. §. 4. n. 6. Demum notandum, in compendio Privilegiorum Mendicantium apud Sanch loc. cit. haberi, quod possint universim Religiosi ex suorum Prælatorum licentia Episcopum adire pro dispensatione obtinenda.

ARTICULUS IV.

De Causa ad dispensandum requisita.

I. *Ad valide dispensandum in lege propria non requiritur causa; Requiritur tamen probabilius causa, ut valeat dispensatio data ab eo, cui Legislator tribuit facultatem dispensandi.*

II. *Ut licite tamen dispensatio concedatur, quænam causa requiritur?*

III. *Num, & quando mortaliter peccet Legislator dispensando in propria lege sine causa proportionata?*

IV. *Qualiter peccet subditus petendo a Superiore dispensationem, quæ sine justa causa datur?*

V. *Num peccet, qui utitur dispensatione valide quidem, sed illicite sibi data?*

VI. *In dubio de sufficientia causæ ad dispensandum potest subditus judicio Superioris se remittere, & licite uti dispensatione.*

VII. *Pro foro tamen externo constare debet de sufficientia causæ.*

VIII. *In jure communi vetatur Episcopis, ne sine justa causa in suis legibus dispensent; sed non eatenus talis dispensatio est invalida.*

IX. *Invalide dispensat Pontifex sine justa causa in jure Divino, ac naturali.*

X. *Num sit invalida dispensatio in lege Superioris, si dispensanti non innotescat justa causa, quæ tamen revera adest?*

XI. *Quid si viceversa causa justa absit, & Superior dispensans bona fide supponat illam adesse?*

XII. *Quænam censenda sit legitima causa ad dispensandum?*

XIII. *Num teneatur Superior data justa causa dispensationem concedere?*

XIV. *An possit dispensans in lege Superioris onus aliquod imponere dispensato?*

XV. *Qui potest in voto dispensare, potest etiam illud commutare; At qui potest in lege Superioris dispensare, non eatenus potest illam commutare.*

XVI. *Episcopus dispensans in irregularitate quomodo possit aliquando mulctam imponere?*

XVII. *Num requiratur gravior causa ad dispensandum in voto, quam in lege Superioris?*

I. INquirenda hic causa requisita tum ad valide, tum ad licite dispensandum, & quidem tum in lege propria, tum in lege Superioris; Sicut etiam num Superior supposita justa causa ad dispensandum, ad id teneatur; Et an possit aliquid imponere dispensando?

Queritur itaque primo: Utrum requiratur causa, ut Legislator valide, aut licite possit in propria lege dispensare?

Respondeo, & dico primo, ad valide dispensandum in propria lege nullam causam requiri, quia ab ejus voluntate unice pendet obligatio; ut docent communiter contra nonnullos apud Merol. n. 237. Et idem dicendum de successore Legislatoris in eadem dignitate, & de Superiore Legislatoris: Sicut enim valet absolutio ab excommunicatione data ab istis sine causa, ita dispensatio. Utrum autem valeat dispensatio sine causa data ab eo, cui Legislator dedit facultatem dispensandi? Affirmat Sa, si Legislator det alicui plenam potestatem dispensandi, ut dat Papa Legato, seu Nuncio Apostolico; Sed communiter cum Sanch. lib. 8. disp. 17. negant; quia quamvis id possit facere Legislator, tamen non est credibile, quod de facto det ulli facultatem dispensandi, ita ut valeat dispensatio data sine causa; quia non potest licite sic concedere facultatem dispensandi.

II. Dico secundo, ad licite dispensandum requiritur causa proportionata materiæ: quia Legisla-

gislator sicut in impositione legis, ita in dispensatione tenetur bono communi prospicere. Docent etiam id communiter contra Angel., Armil., Sylvest., & alios apud Merol. n. 381. Neque obstat, quod aliquando petantur a Pontifice dispensationes in gradibus prohibitis nulla assignata causa; Nam tunc pro causa concessionis succedit copiosa eleemosyna donata a dispensato in sumptus publicos eroganda. Neque dicas, quod data justa causa ad dispensandum non requiratur auctoritas Superioris; quia justa sufficiens est ad excusandum ab obligatione legis humanæ; erga Superior potest licita etiam sine causa dispensare. Nam tunc sine dispensatione quilibet excusatur ab obligatione legis humanæ, quando causa est per se certo sufficiens ad excusandum; ut qui febri laborat, non indiget ut dispensetur in jejunio; At aliquando causa non est sufficiens ad excusandum, sed est sufficiens ad dispensationem licite concedendam; cum ad hoc non requiratur causa tam rigorosa, quam ad illud: Unde infirmitas gravior requiritur, ut aliquis excusetur a jejunio, quam ut possit dispensari; Et copiosa eleemosyna data in sumptus publicos satis est, ut possit licite Pontifex sine exceptione personarum dispensare cum aliquo in gradibus prohibitis; quæ tamen causa non satis est, ut a tali lege quilibet eximatur. Sic labor improbus, qui fieret ab aliquo quibusdam diebus anni, potest esse sufficiens causa, ut toto anno dispensetur a Pontifice in jejuniis, in horis Canonicis; quamvis eadem causa solum satis sit ad eximendum illum pro tempore impotentiæ.

III. Dubium est primo, an peccet mortaliter Legislator dispensans in lege sua sine justa causa? Suar. lib. 6. de Legibus cap. 18., Valent., Rodriq., & alii apud Pal. docent, ex genere suo esse mortale, nisi levitas materiæ excuset: Verbi gratia, peccat mortaliter Pontifex dispensando sine causa cum Sacerdote, ne recitet officium, ne jejunet in Quadragesima. Ratio est, quia peccat contra justitiam distributivam; nam hoc est proprie acceptio personarum, quæ opponitur justitiæ distributivæ, ex D. Th. 2 2. quæst. 63., & ex genere suo est mortale. Sed communius cum Sanch. lib. 8. disp. 18., Sal., Laym., Pal., & Merol. num. 293. docent esse veniale, si absit scandalum, aut damnum notabile aliorum; Sicut diximus veniale esse, si Legislator sine causa nolit suam legem observare, ad quam tenetur vi directiva ex lege universali. Ratio est, quia non videtur gravis deformitas, quod pars non conformetur toti. Ad rationem in contrarium respondet Sal., non omne peccatum contra justitiam distributivam esse mortale, nisi adsit materia gravis: Sicut quamvis peccatum furti ex genere suo sit mortale, tamen non omne peccatum furti est mortale, nisi sit materia gravis. Etenim ex genere suo aliquod peccatum esse mortale solum importat, quod ut plurimum sit mortale, nisi excuset parvitas materiæ, aut indeliberatio, &c.; in casu autem nostro videtur esse materia levis contra justitiam distributivam eximere aliquem sine causa a legis obligatione, quando hoc nec trahit scandalum, nec damnum aliorum; quia injuria hæc inæqualitatis non censetur gravis; Sicut intervenit injuria gravis inæqualitatis in distributione officiorum, & Dignitatum; quia tribui hæc minus digno cedit in grave damnum digniorum, & Reipublicæ.

IV. Hinc sequitur, quod subditus petens a Superiore dispensationem in lege ipsius Superioris, sine justa causa, peccet quidem, quia petit rem intrinsece malam, quam non potest Superior ponere sine peccato. Sed juxta primam sententiam peccat mortaliter, quia petit rem, quam Superior sine mortali ponere non potest; Juxta secundam vero sententiam peccat tantum venialiter, quia Superior juxta secundam sentiam peccat tantum venialiter sic dispensando.

V. Dubium est secundo, an peccet, qui utitur dispensatione facta valide a Legislatore in lege sua, sed illicite, quia sine causa? Ledesm. apud Merol. num. 297. putat peccare mortaliter, ut docet de Legislatore concedente dispensationem. Verum communius, & probabilius docent cum Sanch., Valent., Cordub., peccare solum venialiter propter deformitatem, quam secum fert, quod pars sine causa difformetur a toto; ut diximus de Legislatore transgrediente legem suam. Suar. tamen lib. 6. cap. 19., Sal., Azor. putant, probabilius esse, quod ne venialiter quidem peccet; quia nulla est obligatio, ne valide dispensatus difformetur ab aliis in legis observatione. Solum itaque putant, peccatum committi a dante, vel petente dispensationem sine causa, non ab utente illa: Et Legislator transgrediens legem suam peccat, quia secummet tunc veluti dispensat, atque adeo sine causa vulnerat legem suam, quod lege naturali illi prohibetur, non præcise quia utitur dispensatione sine causa sibi data; Quamvis Cajet., & alii apud Bonac. quæst. 2. punct. 3. num. 6. contra Suar. putent, præciso scandalo non peccare ne venialiter quidem Legislatorem, si secum sine justa causa dispenset; quia lege naturali tantum tenetur servare suam legem, nisi secum dispenset; non vero tenetur non dispensare secummet, præciso scandalo: Quando vero quis uteretur dispensatione invalide data, puta dispensatione voti data sine justa causa a Pontifice, procul dubio peccaret mortaliter, quia dispensatio invalida non eximit dispensatum a lege, sicut eximit dispensatio valida, quamvis illicite data.

VI. Demum qui dubitat, an subsit justa causa ad dispensandum, petitque dispensationem remittendo Superiori judicium de sufficientia causæ, potest licite uti dispensatione; quia præsumendum est, quod Superior judicaverit, causam esse sufficientem, & quod non peccaverit dispensationem concedendo.

VII. Dubium tamen est tertio, An præsumatur semper sufficiens causa in Superiore dispensante, quando de causa non constat? Et sane si motu proprio in lege propria dispenset Legislator, præsumi debet justa causa; quia Princeps præsumitur justitia plenus. Si vero dispensat in lege Superioris, tunc causa non præsumitur, sed probari debet; quia si dispensat ad instantiam, censetur dispensatio extorta propter importunitatem, juxta Bartol. in *leg.* 1., *Cod. De petit. bon.*; Si vero citra instantiam dispensat in lege Superioris, cum id absque causa fieri nequeat, opus est de causa constare. Notant tamen Sanch., & Armil., Suar. apud Merol. num.*266.*, id intelligendum esse pro foro externo; Nam pro foro conscientiæ præsumi semper debet causa sufficiens, quando non constat oppositum; quia non est subditi facta Prælatorum discutere.

VIII. Dubium est quarto, An sicut dispensatio Superioris, verbi gratia Pontificis facta sine justa causa in propriis legibus est valida, ita etiam sit valida dispensatio facta ab Inferiore, puta ab Episcopo, in legibus suis sine justa causa?

Respondeo, aliquos cum Innoc. negare apud Merol. num. 250., quia talis dispensatio est contra jus commune in cap. *Cum omnis*, *De Constitution.*; dispensatio autem Inferioris in jure communi facta sine causa est invalida. Sed communiter affirmant; quia eadem est ratio de Superiore, ac de Inferiore Legislatore relate ad leges suas. Ad rationem in contrarium respondetur, prohiberi quidem in jure communi, quod fiat ab inferiore Legislatore, verbi gratia ab Episcopo, dispensatio in suis legibus sine causa, & ideo talis dispensatio est illicita, utpote contra talem prohibitionem; at non per hoc est invalida; quia dispensando Episcopus in suis legibus contra prohibitionem juris communis, non dispensat in jure communi, sed violat jus commune dispensando valide in legibus suis; Sicut diximus, quod possit valide Episcopus dispensare in propriis legibus, quamvis juraverit se non dispensaturum, quia dispensando violat juramentum, & peccat, non vero dispensat in juramento; ut communiter docent contra Armil., Tabien., Azor. apud Merol. num. 255.

Hinc sequitur, dispensationem Episcopi, vel Archiepiscopi factam sine causa in legibus Synodi Diœcesanæ esse validam; quia, ut diximus cum communi contra Medin., & Rodriq., Episcopus non est inferior synodo ista, nec se habet ad illam instar Decani ad Capitulum Ecclsiæ Cathedralis, sed ut Legislator adhibens Parochos ut Consiliarios, non ut Legislatores; Contra vero Archiepiscopus est inferior Concilio Provinciali, seu Nationali; cum ab Archiepiscopo ad tale Concilium detur appellatio, ut communiter docent cum Glos. in cap. *A collatione*, *De appellat. in 6.* (Quicquid sit, an incurrat censuras in eo latas, cum videtur eximi in cap. *Grave*, *De præbendis*, apud Merol. num. 263.) & ideo dispensatio facta sine causa ab Archiepiscopo, necnon ab aliis Episcopis suffraganeis in legibus Concilii Provincialis est invalida.

IX. Quæritur secundo, Utrum requiratur causa, ut possit inferior in lege Superioris valide dispensare?

Respondeo cum communi affirmative; quia non censetur Superior concedere inferiori potestatem, nisi ad dispensandum rationabiliter. Quare sicut Oeconomus dissipans, & alienans bona Domini, contra ipsius voluntatem, non transfert dominium, quia cum non sit dominus, sed administrator, debet bona illa administrare juxta præsumptam voluntatem domini; ita in casu nostro Inferior si sine causa dispensat in lege Superioris, invalide dispensat, quia veluti dissipat bona domini contra ejus voluntatem; cum non possit iis uti, nisi ex præsumpta voluntate Superioris.

Hinc sequitur, invalide Pontificem dispensare sine causa in jure Divino, aut naturali, videlicet in voto, juramento, residentia Pastorum, &c.; invalide etiam Episcopus, & Archiepiscopus dispensat in lege Concilii Provincialis, & a fortiori in lege Pontificis sine causa. Unde nisi excuset parvitas materiæ, mortaliter peccat tam concedens, quam petens talem dispensationem, quam ea utens, ut communiter docent Doctores. Putat Sanch. lib. 8. disp. 27. num. 6., non peccare dispensantem in lege Superioris non examinando causæ suficientiam, quando illi committitur, ut dispenset cum determinatis personis, nulla mentione facta cognitionis causæ dispensandi; quia tunc Commissarius est merus executor, & præsumere debet, quod committens causam dispensationis examinaverit. Sed Pal., & Merol. num. 205. id negant; quia quamvis non fiat mentio cognitionis causæ, non per hoc omitti potest; quia a jure ipso naturali monetur dispensans ad examinandum causam dispensationis; Unde non debet a delegante moneri.

X. Dubium est primo, Utrum valida sit dispensatio facta in lege Superoris, non præcognita causa a dispensante, quæ tamen revera aderat?

Ne-

Negant Azor., & Navar. apud Merol. n. 210.; tum quia sic dispensans excedit limites suæ commissionis; præsumitur enim, & aliquando expresse est commissa facultas dispensandi, præmissa cognitione causæ, prout jure naturali dispensans est obligatus; Tum etiam quia in Trident. sess. 24. cap. 18. dicitur, dispensationem factam, non cognita causa, surreptitiam censeri. Sed communius affirmant in foro conscientiæ validam esse cum Sanch. lib. 8. disp. 17., Sal. disp. 20. sect. 9.; tum quia sicut valet lex imposita absque cognitione causæ, si revera intercedat causa boni communis; ; ita valet hujusmodi dispensatio; Tum pariter quia in Cap. *Nihil*, *De elect.* dicitur, Electus sine causæ examine esse ejiciendus, cum est indignus; unde a contrario sensu infertur, quod si sit dignus, non debet ejici. Quare ad rationes in contrarium respondetur, præsumendum quidem esse, quod sit commissa facultas dispensandi cognita causa, & sæpe expresse id imponitur; sed ut rite, & recte, non ut valide fiat dispensatio. Immo aliquando licite fit non præmisso examine causæ, quando scilicet causa vel constat ipsi dispensanti, vel est notoria; quia in notoriis non exigitur ordo juris, nec opus est examine, ex Cap. *Manifesta* 2., *quæst.* 1. Quare Trident. loc. cit. intelligendum est quoad præsumptionem fori externi; dicit enim, surreptitiam censeri, non esse.

XI. Dubium est secundo, An e contra valida sit dispensatio facta in lege Superioris, quando dispensans bona fide judicavit causam esse sufficientem, cum revera non sit talis?

Affirmant communius cum Azor., Vasq., Molin., Sa, Rebel. Sanch. loc. cit., & aliis apud Bonac., quia non est credibile aliam es[se] Pontificis intentionem circa leges suas, dum perm[itt]it inferiori, ut dispenset; recta enim Ecclesiæ gubernatio postulat, ut scrupulis obvietur; nec oportet passim infringere gesta bona fide a Prælatis. Unde Azor. lib. 7. cap. 29. quæst. 6. docet, quod si Prælatus dispenset bona fide cum aliquo in lege jejunii, putans causam esse justam, talis dispensatio prosit, quia bona fide facta: Et idem docent aliqui de dispensatione facta in voto, & in jure Divino cum Reginald. lib. 31. n. 195.; quia inter homines gesta, vel dispensata ab Oeconomo bona fide valida sunt, nec dominus aliud requirit a suo œconomo, quam ut bona fide procedat; Similiter nec aliud Deus requirit a Pontifice dispensante in votis. Sal. tamen disp. 20. sect. 4. Navar., Bonac. n. 8., Pont., & alii arbitrantur oppositum; Docent enim non esse tutum in conscientia, qui tali dispensatione utitur, quando illi constat, causam non impulsivam, sed finalem, seu motivam fuisse insufficientem, etiamsi bona fide dispensationem petierit; quia sicut bona fides petentis non facit validam dispensationem factam in lege superioris a Prælato non judicante dari causam sufficientem, ut diximus; ita nec facit validam dispensationem bona fides concedentis, quando dispensatus advertit, causam non esse sufficientem, & ex errore concessam esse dispensationem. Et ratio a priori est, quia in dispensatione semper præsumendum subintelligi clausulam illam, *Si causa subsistat*; quia non præsumitur delinquere, qui dispensat; delinqueret autem, qui vellet dispensare, etiamsi causa non subsistat. Neque obstat, validam esse alienationem bonorum Ecclesiæ factam a Prælato bona fide putante dari sufficientem causam, quæ revera non datur; ut docent communiter cum Molin., & Bonac. de Contractibus disp. 3. quæst. 8. punct. 4., Nam ex hoc, quod Ecclesia noluerit irritare contractum in proposito casu ad vitandas lites pro foro externo, ut docent communiter Doctores, & ipsa experientia, non inde sequitur, quod non sit irrita in foro conscientiæ similis dispensatio, ad quam licite concedendam justa causa requiritur. Nam exceptio, seu dispositio specialis in uno casu non est ad alium trahenda, ex leg. *Jus irregular. ff. De legib.* Nec obstat ratio in contrarium adducta a Sanch., quia bona gubernatio Ecclesiæ non postulat, ut sint valida, quæ sine causa sufficienti bona fide peracta sunt, sed quod non peccet, qui tali dispensatione utitur, donec constiterit de causæ insufficientia. Equidem huic sententiæ subscribo; censeo tamen primam sententiam communiorem esse valde probabilem; Satis enim videtur, ut bona fide petita sit, & concessa dispensatio, ut censeatur velle Superior illam concedere, etiamsi constiterit, causam non esse sufficientem; sicut valida sunt inter homines dispensata ab Oeconomo bona fide, & possunt ea bona retinere, etiamsi deinde constet, causam non esse sufficientem.

XII. Dubium est tertio, quænam censeatur legitima causa ad dispensandum?

Respondeo cum communi, prudentis arbitrio definiendum, spectata præsertim qualitate personæ, ex qua sæpe oritur sufficiens causa dispensationis; quia ad bonum publicum spectat personas excellentes gratas habere, ex D. Th. 2. 2. quæst. 63. art. 2. ad 2., & Trident. sess. 24. cap. 5.: Spectari etiam debet necessitas, utilitas dispensationis, pietas. Semper tamen dispensatio cedere debet in bonum publicum, cum sit actus auctoritatis publicæ, & jurisdictionis communis; Cedit tamen in bonum publicum, si dispensetur, ut necessitatibus singulorum subveniatur; Verbi gratia, si ob inopiam, & paupertatem dispensetur cum aliquo in impedimento consanguinitatis; Vel ob periculum incontinen-

tiæ, in voto Castitatis; Vel si ad vitandum majus malum dispensetur in aliqua lege; hoc enim mediate confert ad bonum publicum.

XIII. Quæritur tertio; an stante legitima, & justa causa dispensationis teneatur Superior dispensationem concedere petenti?

Respondeo, Armil. & alios apud Sanch. lib. 3. de Matrim. disput. 10. docere, quod teneatur, & peccet, si neget sine justa causa; quorum sententiam probabilem putat ipse Sanch., & Pal. punct. 8. n. 8.

Ratio est, quia si data legitima causa Superior cum uno subdito dispenset, & non cum alio, est acceptor personarum: Prælatus enim ex justitia distributiva tenetur pro merito causæ beneficium suæ potestatis distribuere subditis; cum in bonum subditorum habeat jurisdictionem. Suar. tamen lib. 6. cap. 18., Sal. Sanch. Rodriq., Pal. probabilius negant teneri, quando dispensatio non conducit graviter ad bonum publicum, aut privatum alicujus: Sicut enim non tenetur Legislator legem ferre data justa causa, nisi quando non potest alia via bono publico prospicere, ita nec semper tenetur dispensationem concedere; aliter quicquid posset facere Superior, ex necessitate faceret, contra legem *Quicquid* 40. *ff. De judiciis*: Et in cap. *Didici* 1. *quæst.* 7. dicitur dispensatio esse gratia; ut sciatur, eam non esse debitam. In aliquibus tamen casibus dispensatio est debita; Primo, quando jus præcipit, ut existente tali causa dispensetur a Prælato; ut in Cap. *Domino Sancto*, *dist.* 50.. Sicut etiam in dispensationibus Sacræ Pœnitentiariæ præcipitur discreto Confessario, ut dispenset, si preces veritate nitantur. Secundo, si subditus graviter ea indigeat ad vitandum grave damnum vel spirituale, vel temporale; tenetur enim tunc Prælatus illam concedere; ex charitate quidem ad vitandum damnum temporale; ex officio tamen ad vitandum damnum spirituale subditi, atque adeo ex justitia. Tertio, si sit necessaria ad vitandum scandalum, vel ad commune bonum.

Ex his apparet, quid dicendum in delegatis, An scilicet teneantur dispensationem concedere petentibus ex causa; Sanch. lib. 4. cap. 54. loquens de voto dicit, quod habens privilegium dispensandi in sui favorem (ut habent Regulares) non tenetur uti hoc privilegio; secus tamen si privilegium concessum sit in favorem pœnitentis: Pal. vero punct. 8. putat, quod si Confessarius acceptavit electionem factam a pœnitente, ut ab eo dispensetur, si cognoverit causam esse justam, non possit deinde dispensationem negare, justa existente causa, etiamsi privilegium dispensandi habeat confessarius in sui favorem. Ratio est, quia ratione acceptatæ electionis ad id tenetur ex justitia: Secus vero si electionem non acceptet.

XIV. Quæritur quarto; An quando inferior dispensat in lege superioris de licentia illius vel expressa, vel præsumpta, possit dispensato imponere aliquod onus, v. g., quod recitet coronam, vel faciat eleemosynam?

Respondeo, Azor. Navar., Suar. lib. 6. cap. 16. affirmare dicendo, quod possit Episcopus imponere, v.g., recitationem coronæ illi, cum quo dispensat in lege jejunii, vel observationis festorum. Ratio est, quia cui licet, quod plus est, licet, quod minus est, ex Reg. *Cui licet, De reg. juris in 6.*, plus est autem dispensare, quam commutare; quare qui potest in lege dispensare, potest a fortiori commutare, & sic alia onera imponere. Monet tamen Suar., imponendum esse onus proportionatum dispensationi; Verbi gratia, si dispensetur alicui in interstitiis, in denunciationibus ante matrimonium, in concessione dimissoriarum, ut possit ab alio Episcopo ordinari, &c. non est onus proportionatum, quod solvat pecuniam, etiamsi per modum eleemosynæ; quia hoc redoleret simoniam; sed esset proportionatum, quod aliquo tempore, v. gr., inserviat Ecclesiæ, aut aliud pium opus exerceat. Communius tamen cum Sanch.l.8.disp.14., Filliuc., Bonac., Merol. num. 217. negant id posse fieri, quia facultas data ad dispensandum in lege Superioris non includit facultatem ad commutandam unam materiam legis in aliam; quia per dispensationem tollitur obligatio simpliciter, per commutationem tollitur una, & imponitur altera obligatio, quod nonnisi a Legislatore supremo potest fieri; quia hic solus potest legem suam in alia commutare; & sic dispensare, imponendo aliquod onus, ex cap. *Licet De Fer.* Quando tamen dispensatio non est debita, cum non teneatur tunc Superior legem suam relaxare, poterit pro illius obligatione aliam materiam subrogare; si vero dispensatio sit debita, non potest imponere ullum onus, ut patet; quia pro actione debita nullum onus imponi potest.

XV. Hic autem notandum, quod qui potest dispensare in voto, possit etiam onus imponere in dispensationem, atque adeo illud commutare, ut dicemus in loco cum Less. contra Azor.. Contra vero non omnis, qui potest dispensare in lege, potest illam commutare. Nam commutare in lege est plus, quam dispensare; commutare vero in voto est minus, quam dispensare, & hoc illud includit. Et disparitas est, quia quamvis commutans votum non possit ipse absolute novam voti obligationem imponere: at potest is, cui votum commutatur, acceptando commutationem, obligare se vinculo voti ad hanc aliam materiam: Contra vero non potest nullatenus nec Prælatus non supremus, nec subditus

ditus commutare obligationem legis Superioris in aliam. Quod etiam patet a posteriori, quia potest vovens commutare sibi votum in melius, non potest autem commutare opus lege impositum in aliquid melius, v. g. jejunium in peregrinationem; cum non possit sibi novam legis obligationem imponere; Et sic respondetur ad rationem in contrarium.

XVI. Nec obstat, quod passim judices Ecclesiastici dispensantes in irregularitate, vel alia lege Pontificis in casu sibi permisso imponunt aliquam mulctam pecuniariam per modum cujusdam commutationis. Nam id faciunt innixi opinioni probabili oppositæ, putantes, quod Pontifex dando facultatem dispensandi det facultatem vel dispensandi integre, vel cum aliqua commutatione admixta. Præterquamquod quando Episcopus dispensat in irregularitate ex delicto, potest imponere onus non per modum commutationis, sed in pœnam delicti.

XVII. Quæritur quinto, an gravior causa requiratur ad dispensandum in lege humana, quam in votis, vel juramentis? V.g. si quis voveat jejunare uno die, & detur lex Ecclesiastica jejunandi, utra est major obligatio requirens graviorem causam ad dispensationem?

Respondeo, aliquos cum Navar. in Sum. cap. 12. n. 57., & Alberico apud Merol. n. 309. putare, obligationem voti esse graviorem obligatione legis humanæ, quia omnia quæ possunt præcipi, possunt voveri, non econtra; cum castitas non possit præcipi, sed possit voveri. ex *Cap. Integritas 32. quæst.* 1., Sanch. vero putat lib. 1. cap. 14. n. 8., legem esse magis obligatoriam, quam votum; quia major potestas, & voluntas superior videtur magis obligare, quam inferior potestas, & voluntas; Votum autem obligat ex voluntate propria, lex ex voluntate superioris, & ideo lex magis obligat, quam votum. Unde communiter gravior requiritur causa ad dispensandum in lege, quam in voto. Suar. tamen mediam viam probabilius init tom. 2. de relig. lib. 4. de voto cap. 3. dicendo, quod si materia legis humanæ non spectet ad virtutem religionis, lex minus obliget, quam votum. Ratio est, quia gravius peccat, qui transgreditur votum jejunandi, quam qui transgreditur legem jejunii; siquidem iste peccat tantum contra temperantiam, & obedientiam, ille vero contra virtutem Religionis, quæ est virtus altior, & ideo gravius obligans. Si vero materia legis humanæ spectat ad eandem virtutem Religionis, ut est lex de audiendo Sacro, de communicando, de recitandis horis, tunc gravior est obligatio, ubi materia est gravior: V. g., quia lex de Eucharistia suscipienda est materia gravissima, gravius obligat, quam votum audiendi Sacrum, vel jejunandi; etenim quamvis uterque peccet contra Religionem, & qui transgreditur legem communionis, & qui violat votum audiendi Sacrum, aut jejunandi; at quia lex illa præcipit aliquid gravius, obligatio est gravior: Contra vero si lex obliget ad recitandam coronam, & votum sit de jejunio in pane, & aqua, obligatio voti est gravior ratione materiæ, quamvis peccet contra Religionem, tam qui transgreditur istam legem, quam qui violat illud votum. Si vero circa eandem materiam spectantem virtutem Religionis datur & lex, & votum, v. g., de audienda missa, Suar. putat, incertum esse, utra sit major obligatio, legis, an voti? Sed probabilius est, quod docent Sanch. loc. cit., & Filliuc. quæst. moral. tract. 26. cap. 3. n. 78., majorem esse obligationem legis, propter rationem adductam; quia scilicet cæteris paribus est obligatio orta a potestate, & voluntate superiore: Unde qui tenetur die Veneris, v. g., jejunare ex voto, & die Saturni ex præcepto, & alterutrum tantum jejunium potest ponere, debet omittere jejunium ex voto, & ponere jejunium præceptum. Ad rationem in contrarium adductam ex Alberico, quod scilicet materia quælibet præcepti possit esse materia voti, & non e converso; Respondetur, hinc solum inferri, quod obligatio voti sit major extensive, quatenus ad plura extendi possit, quia magis voluntarie suscipitur.

ARTICULUS V.

Quibus causis obtenta dispensatio sit invalida?

I. Dispensatio est nulla, donec dispensatio innotescat, & acceptetur.
II. Multis de causis potest in dispensante deficere voluntas dispensandi.
III. Ratihabitio de præsenti signis externis manifestata sufficit ad dispensationis concessionem.
IV. Ratihabitio de futuro, quæ sufficit ad licentiam concedendam, non sufficit ad concedendam dispensationem.
V. Quibus signis censetur Superior tacite dispensare?
VI. Prælati taciturnitas sæpe est signum permissionis, non dispensationis.
VII. Num dispensationes metu extortę sint validæ?
VIII. Dispensatio extorta per dolum circa causam finalem est invalida: Secus vero si dolus sit circa causam impulsivam; In dubio præsumendum, quod causa fuerit impulsiva.
IX. Rescriptum gratiæ surreptitium est irritum; Rescriptum vero justitiæ est irritandum.
X. Dispensatio est irrita, etiamsi bona fide dispensans erret circa causam finalem.
XI. Quid debeat in petitione exprimi, ne dispensatio sit surreptitia?

XII. Quæ-

XII. *Quænam jure, aut consuetudine universim exprimenda sunt?*

XIII. *Quando dispensatio est irrita, si altera tantum ex causis expositis sit falsa?*

XIV. *Num dispensatio sit partialiter valida, quando partialiter est surreptitia?*

I. Dispensatio est invalida, tam si deficiat potestas dispensandi in dispensante, quam si deficiat voluntas dispensandi; Sicut etiam si nolit dispensatus acceptare dispensationem. Cum enim dispensatio sit veluti donatio obligationis, & donatio sine acceptatione sit invalida, ideo dispensatio universim sine acceptatione est invalida; ut proinde doceant communiter cum Sal. disp. 20. sect. 14.; Suar. Sanch. lib. 8. disp. 26., Pal. punct. 11., quod si Procurator tuus absque tuo mandato impetret tibi privilegium, dispensationem, rescriptum, &c. hæc non habeant effectum, donec tibi innotescant, & acceptes; quia hujusmodi concessiones habent imbibitam illam conditionem, Si tibi placitę sint, & gratæ existant; ut videtnr decisum cap. *Ad mediam, de Concessione præbend.* Quamvis enim possit Legislator invito, & renuenti dispensationem concedere; tamen hoc nunquam præsumi debet, nisi manifeste constet; ne gratiæ Principis vilipendantur.

II. Ostendimus articulo superiore, esse invalidam dispensationem, si data sit in lege superioris ab inferiore sine justa causa; eo quod in tali casu deficiat in dispensante potestas. Quærendum nunc quomodo etiam sit invalida per defectum voluntatis dispensandi, seu consensus ad dispensationem requisiti; Inquirendo, an talis consensus sufficienter habeatur per ratihabitionem? Et quomodo deficiat, aut per metum Superiori incussum, aut ex ignorantia, vel errore, aut ex supressione veritatis, aut falsitatis expressione circa causam finalem, aut ex taciturnitate rerum; quæ jure, vel consuetudine exprimi debent:

III. Quæritur itaque primo, An concedatur dispensatio per meram ratihabitionem de præsenti?

Respondeo advertendo, Ratihabitionem de futuro haberi, quando subditus utitur dispensatione, credens probabiliter, quod Superior conscius talis usus ratum illum habiturus sit: Et hanc ratihabitionem non sufficere ad concedendum de pręsenti dispensationem, aut jurisdictionem alteri, communiter Doctores docent, nam sicut non satis est præceptum præsumptum de futuro, ut obliget nunc; ita non satis est dispensatio præsumpta de futuro, ut nunc lex deobliget. Ratihabitio vero de præsenti dicitur ipsa tacita dispensatio, seu præsumptio voluntatis superioris dispensandi, quæ aliquibus verbis, aut signis externis actu sit manifestata; Et hanc sufficere docent communiter cum Sanch. lib. 8. disp. 4., Suar. lib. 6. cap. 13., Sal., Pal. punct. 13. V. gr. si Pontifex sciens Titium esse irregularem, det illi beneficium, vel si sciens hodie esse diem Veneris præcipiat Titio, ut comedat carnes, in tali casu habetur dispensatio tacita, & ratihabitio de præsenti, quæ sufficit ad licite operandum. Et ratio est, quia ad concedendam dispensationem non requiruntur verba determinata, sed satis est, quod voluntas Superioris dispensandi signis externis manifestetur; ergo si habeatur ratihabitio de præsenti, habetur sufficienter valida dispensatio.

IV. Oppones: Ratihabitio de futuro satis est juxta probabilem opinionem ad honestandum actum alias prohibitum; ergo etiam ad dispensationem concedendam. Antecedens explicatur. Si prælatus nihil sciat actu de actione subditi, sed credatur, quod si sciret subditum operari id, ad quod ejus licentia requiritur, & talis licentia peteretur, illam concederet, subditus non peccat: V. gr., si Religiosus habens votum paupertatis rationabiliter præsumat, superiorem non fore invitum, si ipse pecuniam accipiat, & distribuat, sed concessurum licentiam, si peteretur, & ratam habiturum acceptationem, & distributionem pecuniæ, quando illius erit conscius, juxta probabilem sententiam non peccat contra votum paupertatis, a quo prohibetur acceptatio, & distributio pecuniæ sine licentia superioris.

Respondeo cum Pal., Suar. l. c., Sal. disp. 20. sect. 2. omisso autedente, nego consequentiam. Disparitas est, ut notat Sal. disp. 20. sect. 8., quia votum paupertatis non obligat absolute, & simpliciter ad non expendendum, sed conditionate ad non expendendum, nisi cum licentia vel expressa, vel præsumpta: Econtra lex obligat simpliciter, & absolute; ergo nisi detur actu dispensatio per actualem voluntatem Superioris exterius manifestatam, seu per ratihabitionem de pręsenti, aut nisi detur locus Epικejæ ratione necessitatis, dispensatio per solam ratihabitionem de futuro non est valida: Sicut non est valida collatio jurisdictionis data ad audiendas confessiones sacramentales per solam ratihabitionem de futuro; quia debet per voluntatem actualem, saltem tacitam, exterius manifestatam conferri; Ut si Prælatus videns Petrum Sacerdotem accingere se ad confessiones audiendas, & illas audire, non repugnet, cum facile possit; ut communiter Doctores apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 68.: Quamvis Filliuc. tom. 1. tr. 7. cap. 9. num. 242. putet sufficere, si ex signis externis præsumatur adesse in Superiore voluntatem concedendi jurisdictionem,

nem; Quod tamen Dian. loc. cit. dicit coincidere cum ratihabitione de futuro, & esse contra communem Doctorum; licet Filliuc. pro sua sententia citet Medin., Ricard., Sylvest., Divum Bonavent. Equidem tamen puto, Filliuc. non significare iis verbis, quod satis sit ratihabitio de futuro, sed de præsenti; quia dicit satis esse, si ex signis externis præsumatur in superiore voluntas concedendi jurisdictionem, quod bene potest intelligi per ratihabitionem de præsenti, seu de tacita dispensatione.

Addit Pal. loc. cit., quod licentia non tollit obligationem legis, (sicut tollit dispensatio) nec est contra legem, aut vulnus legis, sed potius legi favet; cum sit conditio ab ipsa lege requisita, ut opus licite fiat: Sicut enim non vulneratur lex non furandi per hoc, quod Dominus consentiat, ut res sua accipiatur, sed per consensum domini tollitur, & variatur materia legis de non furando; ita non vulneratur votum paupertatis per hoc, quod detur licentia ad aliquid expendendum, sed per licentiam variatur materia obligationis voti, & sic indirecte tollitur obligatio voti, posita licentia: Contra vero dispensatio est vulnus legis, & directe tollit obligationem legis. Hinc dispensatio stricte est interpretanda, atque adeo debet actu dari, & manifestari saltem tacite per ratihabitionem de præsenti, ut sit valida; nec satis est dispensatio præsumpta de futuro; sicut non satis est præceptum præsumptum de futuro, ut nunc obliget: At licentia cum non sit contra legem, vel contra votum, sed potius legi faveat, est ample interpretanda; atque adeo sufficit tam licentia præsumpta de futuro quæ scilicet si peteretur, daretur, quam data de præsenti; Et eodem modo, quia non est contra legem de non furando consensus domini, ut rem suam accipias, ideo satis est consensus etiam præsumptus de futuro.

Dices, hinc sequi, quod jurisdictio, quæ est facultas dicendi jus, & ample est interpretanda, concedatur etiam per voluntatem Superioris præsumptam de futuro. Sed contra est, quia ne reddantur dubii actus jurisdictionum ex consuetudine, & consensu communi Doctorum, requiritur actualis voluntas concedendi jurisdictionem; Quamvis verum sit, quod late sit interpretanda; quia est beneficium Principis nulli nocens; ut est jurisdictio data Confessariis ad audiendas confessiones; quæ non nocet Episcopis, cum sit data ab Episcopis potestas absolvendi non in utilitatem propriam, sed subditorum, unde non nocet Episcopis, quod possint subditi ab aliis absolvi.

V. Rogabis; Quibusnam signis censeri potest Prælatus velle tacite dispensationem concedere?

Respondeo, primum signum tacitæ dispensationis, seu præsumptæ voluntatis dispensandi esse, si Superior concedat, vel præcipiat alicui actum, qui sine dispensatione exerceri non potest, advertens ad ejus impedimentum: Ut si Episcopus sciens, Titium esse irregularem irregularitate a se dispensabili, promoveat illum ad Ordines Sacros, vel illi dimissorias concedat; ut communiter docent cum Suar. contra Navar., & Rodriq. apud Merol. n. 162. Ratio est, quia non debet præsumi, quod Superior velit peccare promovendo ad Ordines irregularem sine dispensatione.

Secundum signum tacitæ dispensationis est, si Prælatus videns aliquem exercere actum sibi prohibitum, & potens illum facile impedire, non impedit: V.g., si Pontifex, aut Episcopus videant irregularem accingere se ad celebrandum, & celebrare, vel habentes impedimentum a se dispensabile videant contrahere matrimonium. Ita Sal., Sanch., lib. 8. disp. 4., Azor. contra Sayr., Bonac. punct. 3. num. 18., Suar. cap. 13., & alios putantes in tali casu solam patientiam, & taciturnitatem Prælati non esse signum dispensationis, sed permissionis: Sæpe enim Prælatus vel sine sua culpa aliquid permittit ad vitandum majus malum, vel cum sua culpa permittit ex pusillanimitate, & negligentia, quin velit dispensare. Quamvis enim dicatur indirecte consentire, v. gr. in homicidium, qui tenetur impedire illud, & non impedit; non tamen inde colligitur directa voluntas, qualis ad dispensandum requiritur. Hæ sunt rationes sententiæ contrariæ. Sed ratio nostræ opinionis est, quia talis taciturnitas Prælati est quædam ratihabitio de præsenti, quæ satis est ad conferendam jurisdictionem, ad audiendas confessiones, & ad alia exercenda, ut probat Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 35. n. 20., & Merol. tom. 3. disp. 7. cap. 1. ergo satis etiam erit ad dispensandum. Et ratio ulterior est, quia ad Prælatum spectat ex officio impedire delicta subditi, si facile potest; ergo cum possit dispensando obviare delicto subditi, præsumendum est, quod velit dispensare, non vero quod velit tantum permittere peccatum.

VI. Quare verum est, quod dicit Suar., solam patientiam, & taciturnitatem Prælati posse aliquando significare permissionem, non directam voluntatem ejus, quod videt facere; At quando tenetur impedire malum, quod videt, & non impedit, cum facile possit, præsumendum est, quod velit directe dispensare, ne ipse peccet non impediendo peccata, sicut debet. Hinc in *cap. final. De officio Vicarii*, dicitur, quod si Vicarius, cui prohibitum sit ab Episcopo, ne sine sua licentia conferat beneficia, adhuc beneficia conferat, vidente, & non contradicente Episcopo, valida sit collatio. Similiter ex Glos. in leg. *Qui mutuam*, *ff. Mandat.*, Si procurator revocatus

gerat

gerat negotia sciente, & patiente domino, valide agit; quia scilicet talis taciturnitas, & patientia habetur pro legitima licentia, cum paria sint, Expresse consentire, ac Præsentem esse, & non contradicere, ex *leg.* 1. Cod. *de relat.* Quod si taciturnitas ista æquivaleat expressæ licentiæ, æquivalebit etiam expressæ dispensationi, non quidem secundum se, nec præcise sumpta, sed per accidens hic, & nunc, ut excludatur peccatum Prælati, qui nisi dispensaret, peccaret non contradicendo, cum presupponatur, quod facile possit contradicere.

Dices cum Sal.disp.20.sect.9. Si Pontifex videat aliquos in matrimonio irrito permanere, & non contradicat ad vitandum majus malum, & scandalum, non idcirco præsumitur dispensare; ergo neque in casu nostro.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia in primo casu non satis est dispensatio ad validitatem matrimonii sine novo consensu contrahentium; unde dispensatio non impediret peccatum, nisi notificetur, acceptetur, & velint illi contrahere, & ideo ea non præsumitur dari. Econtra in casu nostro de se peccatum impediretur. Ita Sanch. lib. 8. disp. 4., & lib. 2. disp. 38.n.12.

VII. Queritur secundo, an valeat dispensatio extorta a Superiore per metum gravem injuste incussum?

Respondeo cum communi apud Sanch. lib. 3. disp. 39. esse validam; quia metus non tollit voluntarium simpliciter, unde gesta per metum valida sunt, exceptis casibus in jure expressis: Sicut excipitur contractus matrimonialis, & Sponsalia in cap. *De is*, *quæ vi*, in 6., & Absolutio ab excommunicatione, quæ invalida est, si per metum conferatur; Quod non est extendendum ad dispensationem, quæ omnino diversa est ab absolutione. Docet quidem Pont. lib. 4. cap. 6. apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 118., dispensationem, & privilegia metu extorta esse ipso jure irrita, non secus ac donationes, & promissiones. Immo Sanch., & Less. apud eundem Dian. contra Molin., & Azor. putant esse jure naturæ irritos contractus lucrativos donationis, & promissionis metu extortos, quia non potest acquiri jus adversum aliquem per actionem injuriosam adversus illum. Et Rebel. apud Dian. loco cit. resol. 119. putat, etiam contractus onerosos metu extortos esse jure naturæ irritos, ut venditiones, &c. Sed opinio contraria est communior, quia matrimonium jure naturæ est validum, quamvis metu extortum; & universim metus sicut non tollit absolute libertatem ad peccandum, ita neque ad contrahendum: Quare quilibet contractus, & dispensatio ipsa, valida sunt, licet metu extorta, nisi jure positivo irritentur.

VIII. Quæritur tertio, An valida sit dispensatio extorta per mendacia, & dolum; qui contingere solet, non solum narrando falsum, seu mentiendo, sed etiam tacendo veritatem?

Respondeo, quod si dolus, & mendacia versentur circa causam finalem, dispensatio sic extorta erit nulla, quia non presumitur, quod Superior habeat voluntatem dispensandi, nisi subsistente causa finali, seu motiva; Si vero dolus, & mendacia versentur circa causam dispensationis impulsivam, dispensatio erit valida; quia subsistit tunc causa finalis dispensationis. Ita communiter docent in materia de Contractibus cum Sanch. lib. 4. cap. 7., Bonac. hic punct. 7., Suar. de Voto lib. 6. cap. 27. Tunc autem dolus dicitur esse circa causam finalem, quando dispensans non concessisset dispensationem, si cognovisset talem causam non subsistere; & ideo talis dispensatio dicitur surreptitia per taciturnitatem veri, vel obreptitia per expressionem falsi in cap. *Postulastis*, *De Rescriptis*. Contra dicitur dolus esse circa causam impulsivam, quando dispensans, si cognovisset talem causam non subsistere, adhuc dispensationem concessisset, quamvis non ita facile. In dubio autem, utrum causa dispensationis falso adducta fuerit finalis, an impulsiva, præsumendum est esse impulsivam, atque adeo dispensationem valere ex præsumptione juris; quia jura maxime favent valori actus, ut magis valeat, quam pereat. Ita Bonac., Sanch.lib.4.cap.44., & lib.8. de Matrim. disp. 21., Sal.disp.20.sect. 15. Contra Molin. disp. 173. & Ledesm. cap. 27. de Matrim. apud Tambur. lib. 1. cap. 3. §. 7. V. *Dispensatio*, & Dian. part. 4. resol. 45. putantes in tali dubio causam presumendam esse finalem, atque adeo irritam esse dispensationem; quia impedimentum est certum, dispensatio incerta. Sed contra est, quia jurisdictio ad dispensandum est certa, & datur actu dispensatio; ergo non est reputanda dispensatio invalida ex dubio, quod causa non sit sufficiens.

IX. Notandum hic, dari rescriptum gratiæ, & justitiæ; Rescriptum gratiæ dicitur, quod continet gratiam, v. gr., dispensationem, facultatem dispensandi, præsentationem, collationem beneficii, &c.; Rescriptum vero justitiæ dicitur quod dat jurisdictionem ad lites; ut probat Menoch. lib. 2. casu 201. apud Pal. punct. 16. Illud autem est discrimen inter hæc rescripta, quod Rescriptum gratiæ est ipso jure irritum; si obtentum sit per surreptionem, seu per taciturnitatem veri, aut expressionem falsi. Contra vero rescriptum justitiæ sic obtentum non est irritum, sed irritandum ope exceptionis; Quare quousque excipiatur, est validum, ex cap. *Si autem de Rescriptis* apud Pal. l. c., & Sanch. lib. 8. disp. 121. Ratio disparitatis est,

est quia rescriptum gratiæ tribuit jus: at rescriptum justitiæ, seu literæ ad lites tribuunt judicem, non jus, unde majoris præjudicii est rescriptum gratiæ, & ideo facilius inficiatur.

X. Notandum secundo quod non solum mendacia, & dolus reddant surreptiptiam, & irritam dispensationem, sed etiam error, & ignorantia dispensantis circa causam finalem dispensationis; si scilicet bona fide, & sine culpa teneatur verum, aut exprimatur falsum pertinens ad causam finalem, ut mox dicemus: Et ratio est eadem, quia deficit voluntas dispensandi, posito tali errore; semper enim subintelligitur illa conditio in concessione dispensationis, si scilicet preces veritati nitantur. Surreptitiam etiam reddit dispensationem deceptio commissa circa materiam substantialem. Quare si petas, v.g., dispensationem in voto castitatis, & tu habeas votum Religionis; aut si petas dispensationem in voto non nubendi, & habeas votum castitatis; aut si petas dispensationem voti dubii, cum tamen habeas certum, dispensationes istę corruunt, quia sunt circa materiam diversam.

XI. Quæritur quarto; Quænam debeant exprimi in petione dispensationis, ne dispensatio concessa sit surreptitia?

Respondeo, varias in hoc esse sententias apud Sanch. lib. 8. disp. 21., Pal. punct. 16. & Merol. n. 343. Prima sententia docet, tunc esse surreptitiam dispensationem, quando tacetur veritas, aut exprimitur falsitas spectans ad causam finalem, qua scilicet cognita dispensatio non concederetur. Secunda sententia docet, esse surreptitiam, si taceatur veritas, aut exprimitur falsitas non solum spectans ad causam finalem, seu motivam, sed etiam ad impulsivam, qua scilicet cognita, licet concederetur etiam dispensatio, at non eadem facilitate. Tertia sententia (quam probabiliorem putant Sanch., Pal., Suar., lib. 6. de voto cap. 127.; Sal. disp. 20. sect. 15.) est, si supprimatur veritas illa, quæ jure debebat exprimi, aut si exprimatur falsitas, quę jure debebat taceri. Ratio est, quia plura sunt quæ si exprimerentur, non solum retardarent, sed etiam simpliciter impedirent dispensationem, puta quod dispensatus sit vitiosus, sit inimicus dispensantis, &c., & tamen dispensatio cum tali suppressione veritatis non est surreptitia; Et hoc ideo, quia jure non mandatur, ut hæc exprimantur. Eodem modo plura sunt falso expressa, quæ ita impellunt superiorem ad concedendam dispensationem, ut si non exprimerentur, talis dispensatio non concederetur; puta si falso dicatur, quod dispensandus sit vir doctus, sit Sacerdos, &c.; & tamen hujus falsitatis expressio, quia non cavetur a jure, non annullat rescriptum, ut ex communi sententia docent Doctores. Quare pro regula statuunt, illius veritatis suppressionem reddere surreptitium rescriptum, quæ jure mandatur exprimi; Et similiter illius falsitatis expressionem, a qua movetur superior ad rescriptum concedendum, ita ut jure cautum sit, quod ea expressa, gratiam Superior non concedat: Intelligitur autem nomine juris tam jus scriptum, quam consuetudo, & stylus Superioris concedentis rescriptum. Ratio primæ partis est, quia quoties jus præscribit aliquid exprimi, intelligitur illud expostulare pro forma: Et ratio secundæ partis est, tum quia si falso allegatur causa, quæ movet Superiorem ad rescriptum concedendum, præter voluntatem Superioris illud conceditur; tum etiam quia omne rescriptum habet subintellectam conditionem illam, Si preces veritati nitantur.

XII. Rogabis hic primo, quænam sint illa, quæ jure, & consuetudine debent exprimi in dispensationibus obtinendis, itaut eorum taciturnitas vitiet rescriptum?

Respondeo præscindendo ab iis, quæ specialiter debent exprimi pro dispensatione in irregularitate; in impedimentis matrimonii, in censuris, &c. quæ in proprio loco examinantur, loquendo solum de iis, quæ in omni dispensatione exprimenda sunt.

Dico primo cum communi contra Navar., Bonac., Merol. num. 460., & Sà apud Sanch. lib. 8. disp. 23., & Pal. punct. 8. Qui duplex habet impedimentum, v. g., castitatis, & consanguinitatis, aut affinitatis, vel duplicem irregularitatem, non potest per partes horum dispensationem impetrare, quin faciat in dispensatione mentionem omnium impedimentorum. Ratio est, quia est praxis, & consuetudo fundata in hoc quod difficilior est dispensatio in pluribus impedimentis simul relate ad eandem personam, quam seorsim. Hæc tamen doctrina patitur multas exceptiones, quas notant Bonac., & Pal. Nam, exempli gratia, certum est, non esse id opus in excommunicationibus, ex cap. *Ex parte*, *de Offic. Ordin.*, cum possit ligatus pluribus excommunicationibus petere absolutionem ab una, non facta mentione aliarum; Et idem circa irregularitates putat dicendum Suar. contra Pont., & Pal. loc. cit.

Dico secundo cum communi contra Menoch. apud Bonac. punct. 7.: Valida est dispensatio, quam quis obtinet etiamsi non exprimat illam prius petiisse, & non obtinuisse. Ratio est, quia nec jure, nec consuetudine requiritur talis expressio. Idque verum est, etiamsi dispensatio negata fuerit a Superiore, v. g. a Pontifice, & deinde petatur ab inferiore, puta ab Episcopo; qui potest illam concedere; ut docent Suar., Sal., Sanch., Bonac. loc. cit. Neque dicas, taciturnitatem istam versari circa causam finalem,

nalem, quia non concederetur dispensatio, si sciretur prior denegatio. Nam hoc est falsum. Cum enim revera adsit causa justa dispensationis, præsumendum, quod si Superior recordaretur denegationis præteritæ, vellet potius rigorem mitigare, ut iidem Doctores docent contra Menoch.

XIII. Rogabis secundo, An corruat dispensatio, quando pro ea obtinenda plures causæ allegantur, quarum aliqua tantum sit falsa?

Respondeo cum Pal. l. c., Sanch. lib. 8. disp. 21., Suar. quod si causa vera secundum stylum, & consuetudinem solet reputari sufficiens ad dispensationem concedendam, admixtio causæ falsæ non reddat dispensationem invalidam; secus vero si non sit sufficiens; aut si sit quidem sufficiens, sed non soleat movere superiorem ad concedendam dispensationem, ut notat Guttier. apud eundem Pal.; quia tunc ignoratur, num Superior concesserit dispensationem ratione solius causæ veræ, an ratione utriusque simul, veræ simul, & falsæ: In dubio autem, an causa falso allegata fuerit motiva, & finalis, præsumendum est, dispensationem esse validam, quia in dubio stat semper præsumptio pro valore actus, ex leg. *Quoties*, *De rebus dubiis*.

XIV. Rogabis tertio, num quando surreptio est in aliqua tantum parte rescripti, sit solum illa pars rescripti nulla, an vero totum rescriptum sit nullum; Verbi gratia, si impetrasti dispensationem tam in voto, quam in impedimento affinitatis, ut possis contrahere matrimonium, & allegasti veram causam pro voto, falsam vero pro impedimento affinitatis, eritne dispensatio invalida etiam pro voto, an solum pro impedimento affinitatis, unde possis aliam ducere non affinem?

Respondeo cum Sanch., Pal. loc. cit., & aliis communiter distinguendo; nam si per ignorantiam, & simplicitatem etiam culpabilem, dummodo non fuerit crassa, id feceris, valida erit pars illa rescripti, pro qua allegata fuit causa vera. Quod si id feceris malitiose, totum rescriptum erit nullum, ut deciditur expresse in cap. *Super literis*, *De rescriptis*, ubi dicitur: *In suæ perversitatis pœnam nullum ex illis literis commodum consequantur.* Notat tamen Sanch. quod quia talis annullatio est pœna, ideo ut incurratur, opus est sententia saltem declaratoria criminis; unde sensus talis textus est, quod dispensatio, seu rescriptum careat effectu, & nullum commodum ex eo obtineatur, postquam crimen est declaratum; & per consequens ante talem declarationem dispensatio erit ipso jure valida quoad illam partem, pro qua allegata fuit causa vera.

ARTICULUS VI.

Quomodo cesset, & vim suam amittat dispensatio?

I. Num cessante causa dispensationis jam obtentæ cesset dispensatio?

II. Quandonam dispensatus uti potest dispensatione etiam extra territorium Prælati dispensantis.

III. Quænam dispensatio, aut gratia expiret morte concedentis?

IV. Quousque duret gratia concessa ad beneplacitum?

V. Dispensatio cessat per revocationem, antequam ejus effectus adimpleatur. Dispensatio tamen in lege Superioris data ex justa causa invalide sine causa revocatur: Sicut invalide revocatur dispensatio in voto.

VI. Cessat dispensatio per hoc, quod illi renuncietur, dommodo dispensans in lege renunciationem acceptet.

VII. Dispensatio tamen in voto, & juramento amittit vim suam per renunciationem, etiam præcisa acceptatione dispensantis.

VIII. Qui dispensationi, aut commutationi voti renunciavit, num possit, mutata voluntate, dispensatione, aut commutatione obtenta uti?

IX. Nec dispensatio, nec privilegium, quod non cedit in gravamen aliorum, amittitur per usum; Secus vero si privilegium cedat in aliorum gravamen.

X. Dispensatio sine limitatione concessa universim per primum actum non finitur.

XI. Tunc dispensatio post primum actum cessat, quando causa dispensationis non remanet etiam ad secundam vicem.

I. MUltifariam id contingere potest. Primo, cessatione causæ. Secundo, si extra territorium concedentis dispensationem habeat dispensatus. Tertio, morte concedentis. Quarto, renunciatione. Quinto, revocatione. Demum primo actu ut mox examinabimus.

Quæritur itaque primo, An cesset dispensasatio per hoc, quod cesset causa, ob quam fuerat concessa?

Respondeo, certum esse, quod si causa exposita ad dispensationem obtinendam cesset, antequam Superior det inferiori, v. g. Papa Episcopo, vel Confessario, mandatum, seu facultatem ad dispensandum, dispensatio est nulla; Sicut etiam si cesset causa, antequam dispensatio concedatur. Ratio utriusque est, quia & mandatum ad dispensandum, & ipsa dispensatio conceduntur sub ea tacita conditione, si preces veritati nitantur. Unde si Titius petat, v.g., dis-

dispensationem in irregularitate, ut possit ad Ordines promoveri, propter paupertatem parentum, & interim parentes ad pinguiorem fortunam deveniant, antequam Papa det Episcopo facultatem dispensandi; vel antequam ipsa dispensatio conferatur, irrita erit hujusmodi dispensatio, si forte illam Titius obtineat. Quare in eo duntaxat est difficultas, an si cesset causa finalis dispensationis post obtentam valide dispensationem, sed antequam executioni mandetur, cesset etiam dispensatio. Negant cessare dispensationem, cessante ejus causa finali, Suar. l. 35. de leg. cap. 30., Guttier., Sylvest., & alii apud Sanch. l. 8. disp. 30., quorum doctrinam ipse ut probabilem admittit; quia obligatio legis per dispensationem extinguitur; ergo non potest per cessationem causæ reviviscere, cum cessatio causæ non sit de se productiva obligationis. Hinc docent quod dispensatus ad anticipandum, v. gr., matutinum propter nimiam occupationem alicujus muneris, possit tali dispensatione uti, etiamsi tale munus relinquat, dummodo dispensatio non fuerit concessa expresse pro tempore, quo tali munere fungatur; Et si concedatur fœminæ dispensatio in voto castitatis propter periculum incontinentiæ, poterit post viduitatem, & post cessationem talis periculi iterum nubere; Pariter si habenti duo beneficia concedatur dispensatio, ut possit tertium consequi, quia illa duo non sufficiebant ad congruam sustentationem, si interim crescant & sufficiant, non proinde cessabit dispensatio: Sicut etiamsi concedatur Monasterio dispensatio, seu privilegium non solvendi decimas propter indigentiam, non cessat dispensatio, si deinde non indigeat.

Communior tamen sententia cum Bonac., Sanch., Con., Merol. n. 331. docet, cessante causa finali dispensationis, cessare dispensationem; sicut cessante causa finali legis in universum, cessat obligatio legis: Nam valor dispensationis, sicut & legis, pendet in fieri, & conservari a sua causa finali. Quod confirmatur, quia absurdum videtur, quod dispensatus ad vescendum carnibus propter debilitatem, si perfecte convalescat, etiamsi miraculose, possit vesci carnibus. Hoc autem argumentum non solum est efficax, si dispensatio tractum successivum habeat, v. g. ad edendas carnes tempore Quadragesimæ; (in quo casu concedit ipse Suar. esse mortale comedere carnes, & Merol. improbabilem opinatur sententiam Sal., & Granad. putantium esse tantum veniale) sed etiam si effectum habeat momentaneum, v. g., si quis dispensetur ad edendas carnes pro unico die propter infirmitatem dubiam, quæ independenter a dispensatione non excuset, & interim mane miraculose convalescat; ut docet Laym. tr. 4. cap. 22. Ad rationes itaque in contrarium respondetur, cessante causa dispensationis, reviviscere obligationem, quia dispensatio, seu exemptio ab obligatione pendet in fieri, & conservari a causa finali dispensationis. Nec per hoc sequitur, quod dispensatio sit conditionalis, quia talis conditio tacite inest; & conditiones, quæ tacite insunt, & semper subintelliguntur, non reddunt actum conditionalem; Sicut lex non est conditionalis quamvis non obliget cessante in universum sua causa finali. Nec est conditionalis absolutio sacramentalis, quamvis non conferatur nisi pœnitenti disposito. Hinc ad illa exempla a Suar. adducta respondetur, omnes illas dispensationes cessare, si cesset causa finalis illarum. Et ratio a priori est, quia illicita est dispensatio, pro quando non habetur causa dispensationis; Unde non est præsumendum, quod Superior velit pro tali tempore dispensare. Potest quidem aliquando Superior absolute dispensare, itaut valeat dispensatio, etiamsi cesset causa dispensationis; sed hoc non est præsumendum, nisi id Superior explicet.

II. Quæritur secundo, an dispensatio, & aliæ licentiæ expirent, si dispensatus discedat extra locum seu territorium concedentis; V. g., si Episcopus det alicui facultatem comedendi carnes diebus prohibitis, vel laborandi diebus festis, vel legendi libros prohibitos, poterit ne iste uti hac dispensatione extra Diœcesim talis Episcopi?

Respondeo, vel loquimur de dispensatione, aut licentia in iis, quæ jure communi sunt prohibita, vel in iis, quæ sunt prohibita jure speciali, itaut indigeant speciali licentia Superioris loci, ut licite fiant: Si in his dispensatio conceditur, non licet tali dispensatione, vel licentia uti extra territorium concedentis; V. g., si quis habeat ab Episcopo licentiam faciendi Sacrum, & ministrandi Sacramenta in toto suo Episcopatu, non potest ea licentia uti extra Episcopatum, quia privata jurisdictio non extenditur extra alienum territorium: Si vero concedatur dispensatio in iis, quæ jure communi sunt prohibita, probabilius est ex Sanch. lib. 8. disp. 31., Suar. lib. 8. de Legibus c. 26. Azor. lib. 5. cap. 23. quæst. 6., Merol. n. 465., quod possit talis dispensatio prodesse extra territorium concedentis, nisi ex speciali ratione ad locum limitetur. Ratio est, quia per dispensationem sublata fuit simpliciter obligatio, unde pro quocumque loco potest dispensatio prodesse. Quare dispensatus a suo Episcopo in irregularitate occulta poterit ubique ministrare, & Legatus Pontificis, quamvis non possit cum suis non subditis dispensare, si tamen cum aliquo subdito dispenset ad plura Beneficia, poterit hic illa obtinere extra territorium legationis; quia talis habilitas ad plura beneficia incedit cum

ipsa persona. Quare idem dicas, si Legatus det licentiam expendendi alicui Religioso, quin debeat illam manifestare Superiori loci; Et idem dicas de marito, cui dispensatum est ab Episcopo ad petendum debitum, &c. Notat tamen Suar., quod si Episcopus dispenset jus commune per generalem dispensationem pro aliquo loco ex speciali necessitate, (v. g., ut comedant lacticinia diebus prohibitis propter distantiam a mari) non poterunt incolæ talis loci extra illum locum uti tali dispensatione; quia cessat ratio dispensationis extra talem locum, nec dispensatio incedit cum persona, sed veluti loco adhæret: contra vero si dispensatio sit personalis, ut videtur usus has dispensationes interpretari. Addunt Suar., Sal., Bonac., probabile etiam esse, quod si dispensatio data sit ex legitima causa, v. g. pro omnibus jejuniis, excusetur dispensatus etiam a jejuniis præceptis a Prælato alterius loci, quia non est verisimile, quod alter Prælatus velit obligare personam ex legitima causa dispensatam ad omnia alia jejunia; nisi forte alter Prælatus nolit, quod aliquis his dispensationibus utatur sine sua ratihabitione, & notitia ad vitandum scandalum.

III. Quæritur tertio, an dispensatio obtenta cesset per mortem concedentis?

Respondeo cum communi negative; quia dispensatio, sicut & privilegium, est gratia, & gratia jam facta non amittitur morte concedentis. Hic autem notandum, aliam esse gratiam, quæ dicitur facta, & hæc conceditur alicui perfecte independenter ab alio; ut quando Pontifex dispensat alicui in voto, juramento, irregularitate, &c., aut quando concedit alicui facultatem dispensandi, absolvendi, &c. in gratiam ejus, qui debet dispensare, absolvere, &c. Aliam vero esse gratiam, quæ dicitur facienda, & hæc non conceditur perfecte ei, in cujus favorem datur, sed dependenter ab alio; ut si in favorem determinatæ personæ, cum qua dispensandum est, detur Confessario potestas dispensandi cum illa. Quando autem gratia concessa est facta, non expirat morte concedentis, etiamsi tunc non sit adhuc acceptata; quando tamen est facienda, morte concedentis expirat, si res sit integra; secus vero si res non sit integra; puta si aliquis actus judicialis relate ad talem gratiam sit inceptus, aut si confessio ejus, qui absolvi debet, sit jam incepta; ut communiter docent ex cap. *Si cui nulla*, *de Præbendis in 6.* apud Sanch. lib. 8. disp. 28.

Infertur hinc primo, quod facultas delegata audiendi confessiones, non expiret mortuo Episcopo concedente, vel si ab Episcopatu amoveatur, ut communiter docent contra Paludan., & Divum Anton. apud Merol. n. 493., quia est gratia facta. Et quamvis concedatur in favorem pœnitentium, quia tamen non conceditur in favorem alicujus pœnitentis determinati, censetur potius concessa in favorem Sacerdotis, & sic non expirat morte concedentis; Sicut non expirat potestas dispensandi cum personis indeterminatis. Neque dicas, potestatem jurisdictionis delegatam expirare morte concedentis re integra, ex cap. *Gratum de Officio Delegati*. Nam ibi sermo est de potestate jurisdictionis delegatæ contentiosæ, quæ computatur inter literas seu rescripta justitiæ, non de potestate jurisdictionis delegatæ voluntariæ, qualis est ista ad audiendas confessiones, quæ computatur inter literas, seu rescripta gratiæ: Ideo autem jurisdictio delegata contentiosa expirat morte concedentis re integra, quia Delegatus censetur una persona cum delegante, & ideo non convenit, ut mortuo delegante perseveret jurisdictio in delegato: Contra vero jurisdictio delegata voluntaria, quia est mera gratia facta, non debet morte concedentis perire.

Infertur secundo, quod facultas data alicui, ut possit sibi confessarium eligere, nec expiret per mortem concedentis, aut per ejus amotionem ab officio, ut communiter docent contra Tabien., Sylvest., Angel. apud Merol. n. 499., quia est gratia facta, cum perfecte concedatur ei, in cujus favorem conceditur; diximus enim tunc gratiam esse faciendam, quando concederetur alicui Sacerdoti facultas absolvendi Titium in favorem ipsius Titii; tunc enim Titius habet hanc gratiam dependenter a Confessario determinato illi faciendam: At quod Titius possit eligere confessarium, non est gratia facienda Titio dependenter a Confessario, quamvis absolutio a Confessario concedenda sit, quia independenter a quocumque Confessario determinato potest eligere Sacerdotem, a quo absolvatur. Notandum tamen, quod qui potest Confessarium eligere sibi, debet eligere Confessarium approbatum ab Ordinario suo, juxta formam Trident. sess. 23. c. 15. ut notat Suar. de Pœnit. disp. 28. sect. 4. n. 9.

Infertur tertio, quod si alicui concedatur facultas dispensandi cum personis indeterminatis, hæc non expiret morte concedentis, quia est gratia facta; secus vero si concedatur facultas dispensandi cum persona determinata; quia est gratia facienda respectu ejus, cum quo dispensandum est, in cujus favorem datur facultas. Notat tamen Sanch. n. 81., quod si hæc facultas detur in favorem utriusque, censenda sit gratia facta; atque adeo non expirat morte concedentis. In dubio tamen, an in favorem etiam dispensaturi concessa sit, præsumendum, quod non. Et ratio est, quia fere semper conceditur in favorem ejus, cum quo dispensandum est. Ita communiter contra Pal. de Privileg. punct. 16. §. 4.

§. 4. n. 5.; quia sit gratia ista etiam dispensanti per hoc, quod eligatur ut magis idoneus ad illam dispensationem concedendam.

Infertur quarto, literas dimissorias ad Ordines suscipiendos, & facultatem alicui a Rege concessam instituendi majoratum, non expirare morte concedentis, quia sunt gratiæ factæ. Idem dicas de licentia non residendi concessa ab Episcopo Clerici beneficiati causa studii, de licentia edendi carnes diebus prohibitis, de licentia prædicandi, celebrandi in Oratorio privato, & similibus.

Infertur quinto, quod Commissiones dispensandi in impedimentis matrimonii, vel in irregularitate, vel in similibus, quæ in foro externo committuntur Ordinariis, & in interno Confessariis, non expirent morte concedentis; ut communiter docent contra Navar., Ugol.. Guttier. apud Merol. n. 511. Ratio est, quia sunt gratiæ factæ, dum executor est necessarius, & committitur, ut dispenset: Tunc essent gratiæ faciendæ, quando executor esset voluntarius, & committeretur ei, ut posset dispensare cum persona determinata in favorem illius.

Infertur sexto, privilegia Bullæ Cruciatæ non expirare morte Papæ, non solum loquendo de indulgentiis concessis visitantibus Altaria, & de facultate comedendi lacticinia, & similibus, quæ a nullius executione pendent, sed etiam loquendo de indulgentiis semel in vita, & semel in morte per Confessarium concedendis, de absolutione a reservatis, commutatione votorum, &c.; ut communiter docent; quia sunt gratiæ factæ, ut diximus in illatione tertia, esse gratiam factam facultatem datam alicui eligendi sibi Confessarium.

IV. Præterea gratia concessa, v. g. per annum, durat per annum, etiamsi concedens ante annum moriatur; gratia etiam concessa ad beneplacitum sedis durat mortuo Episcopo, vel Papa: Contra vero si dicatur, quod duret ad beneplacitum personæ concedentis, seu donec voluerit; quia ea mortua nulla erit ejus voluntas. Quamvis aliqui putent in gratiis favorabilibus, puta absolvendi, dispensandi, idem significare, Donec voluero, ac Donec revocavero, seu Donec placuerit Sedi nostræ, quæ nunquam expirat; non tamen in gratiis ambitiosis, puta retinendi plura beneficia. Sed communius cum Sanch., & Suar. contra eos, quos referam cum de approbatione Confessarii, negant; unde docent communius, omnem gratiam concessam ad beneplacitum expirare morte concedentis.

V. Quæritur quarto, An dispensatio cesset per revocationem?

Respondeo cum communi, vim suam illam amittere, si revocetur, antequam adimpleatur ejus effectus; quia vim habet a voluntate dispensantis, donec executioni mandetur. Notandum hic, Superiorem valide, & illicite sine causa revocare dispensationem in lege sua, Dispensationem vero in lege Superioris ex justa causa datam invalide simul, & illicite sine causa revocari, juxta dicta de dispensatione data in lege propria, & in lege superioris. Dispensatio tamen in voto revocari nullatenus potest; quia cum vinculum voti non pendeat a voluntate Superioris humani, nec potest ab eo induci. Ita Suar. l. 8. c. 37., & Bonac. punct. 10.

VI. Quæritur quinto, An cesset dispensatio per renunciationem?

Respondeo cum Suar., Sal., Sanch., Bonac. punct. 10.; tunc dispensationem vim suam amittere per renunciationem, quando nondum est executioni mandata, & renunciatio acceptata est a dispensante: Quod si quis renunciaverit dispensationi obtentæ, sed renunciatio non sit adhuc acceptata a dispensante, poterit ille mutata voluntate uti dispensatione; quia per renunciationem non acceptatam a dispensante nondum abdicavit a se jus suum, atque adeo dispensatio vires suas non amisit.

VII. Notandum tamen, hanc doctrinam a Sanch. lib. 8. disp. 32. admitti solum in dispensatione legum, non vero in dispensatione voti, juramenti, &c.; docet enim istorum dispensationem amittere vim suam præcise per renunciationem illius, nec requiri, quod renunciatio acceptetur a dispensante: Et disparitatem assignat, quia obligatio legis pendet a voluntate Legislatoris, & ideo si non acceptet Legislator renunciationem dispensationis, adhuc dispensatio vim suam habet, cum non possit aliquis obligari a Superiore, qui non vult obligare; Contra vero obligatio voti ortum habet a voluntate voventis, & ideo præcise per renunciationem dispensationis votum iterum obligat, quia præsumitur, quod vovens renuncians dispensationi velit iterum vovere, seu obligationem voti sibi imponere; nisi aliter constet de mente ipsius: Hoc tamen intelligit, si dispensatio voti fuerit jam perfecta, & executioni mandata, & deinde successerit renunciatio; Quod si prius quam executioni mandetur dispensatio, vovens illi renunciaverit, immo si votum ipsum expresse iterum renovaverit, adhuc potest illam dispensationem recipere, cum possit eadem dispensatione idem votum sæpius repetitum auferri: V. g., si Episcopus, vel Papa commiserit Confessario dispensationem voti, & antequam Confessarius dispenset, Titius renunciet dispensationi, & votum repetat, poterit retractata voluntate recipere dispensationem, & ea uti.

VIII. Ex hac doctrina infert Sanch., quod licet possit vovens, cui votum commutatum est, propria auctoritate ad prius votum redire renun-

renunciando commutationi obtentæ, at post renunciationem commutationis non potest iterum commutatione uti; quia renunciatio commutationis æquivalet repetitioni voti.

Sed quamvis ista doctrina suam habeat probabilitatem, probabiliorem tamen puto sententiam Merol. num. 483. docentis oppositum; quod scilicet qui renunciavit dispensationi, & commutationi voti, adhuc possit retractata renunciatione uti dispensatione, & commutatione obtenta. Ratio est, quia renunciatio dispensationis, vel commutationis obtentæ non est censenda renovatio prioris voti, sed solum propositum non utendi ea dispensatione, aut commutatione; nam in dubio semper ita interpretanda est, ut sit simplex nolitio dispensationis, vel commutationis per modum propositi non utendi illa, & non intentio iterum se obligandi per modum renovationis prioris voti, nisi aliud evidenter constet de intentione renunciantis; quia nunquam præsumitur obligatio, nisi de illa constet manifeste, & quia ex communi usu non aliter habetur hic affectus renunciandi dispensationi, aut commutationi. Unde fit, quod possit vovens retractata renunciatione uti eadem dispensatione, aut commutatione; antequam renunciatio acceptetur ab eo, qui Dei nomine dispensavit, aut commutavit.

Neque dicas primo: Quod semel ab aliquo repudiatum est, reintegrari ab eodem non potest, ex leg. *fin. Cod. de Condit. insert.* Nam id intelligendum est, si repudiatio sit perfecta, & consummata, seu acceptata a Superiore.

IX. Neque dicas secundo, privilegium amitti per non usum, quia est tacita ejus renunciatio; ergo renuciatio expressa dispensationis a fortiori tollit vim dispensationi. Nam privilegium, quod non cedit in gravamen aliorum, sed est specialis favor privilegiarii circa actiones suas non amittitur per non usum, & consequenter nec dispensatio: Privilegium autem, quod cedit in gravamen aliorum, amittitur per non usum, quia alii præscribunt adversus privilegiatum, ut notat Pal. disput. 4. punct. 18.

X. Quæritur ultimo, An dispensatio concessa per primum actum finiatur? Exempli gratia, an habens votum castitatis, si dispensationem obtinuit ad contrahendum matrimonium, possit, mortua prima conjuge, aliud matrimonium contrahere?

Respondeo, universim dispensationem absolute, & sine limitatione concessam primo actu non finiri. Ita communiter contra nonnullos apud Sal. lib. 8. disp. 31. Ratio est, tum quia verba non sunt restringenda, juxta proprietatem suam naturalem accepta; tum quia Superior quando vult ad unum casum dispensationem dare, ipsum exprimit. Unde dispensatus absolute ad non jejunandum non censetur ad unum tantum jejunium dispensatus, & dispensatus in voto castitatis potest successive plura matrimonia contrahere, dummodo causa dispensationis perseveret, & Superior non aliud expresserit; quia dispensatio est absolute concessa ad contrahendum matrimonium. Si tamen pro causa dispensationis allegatus fuit, verbi gratia, mutuus inter contrahentes concubitus, vel stimuli carnis, qui non amplius deinde perseverent, non potest soluto uno matrimonio aliud contrahi.

Dices: Dispensatio est res odiosa, cum sit vulnus legis, & juri contraria: ergo stricte explicanda est, & consequenter non extendenda ultra primum actum. Respondeo nego consequentiam; ex eo enim, quod stricte explicanda sit, sequitur tantum, quod non sit extendenda ultra proprietatem naturalem verborum. Quare si concedatur absolute, non finitur primo actu, quia propria verborum significatio non fert, quod ad solum primum actum extendatur.

IX. Dices secundo: in leg. *Boves*, §. *hoc sermone*, *ff. De verbor. signif.* deciditur, sermonem simpliciter prolatum intelligi solum de prima vice. Respondeo, id esse verum, quando causa dispensarionis non manet etiam ad secundam vicem; aliter verba restriguntur in sua significatione naturali sine causa, seu sine qualitate dante causam restrictioni, ut explicabimus articulo sequenti.

ARTICULUS VII.

Quomodo dispensatio, & potestas dispensandi interpretanda sit?

I. *Dispensatio, quamvis sit Principis beneficium, stricte est interpretanda, utpote contra jus commune.*

II. *In pluribus tamen casibus dispensatio latam habet interpretationem; præsertim si motu proprio Principis concessa sit, aut sit incerta in corpore juris, Aut si alicui Communitati concedatur.*

III. *Similiter quæ fiunt ob publicam necessitatem, aut utilitatem.*

IV. *Dispensatio ad Ordines num se extendat ad Ordines Sacros? Et dispensatio ad beneficium num se extendat ad Curatum, & ad Dignitates?*

V. *Dispensatio ad matrimonium in gradibus consanguinitatis interpretanda juxta jus commune, unde facta in tertio gradu extenditur ad secundum cum tertio.*

VI. *Dispensatio non est ita restringenda, ut reddatur illusoria, nec se extendat ad necessario connexa.*

VII. *Num Subdiaconus dispensatus ad uxorem ducendam dispensetur etiam relate ad Horarum recitationem?*

VIII. *An dispensatio extendatur de causa ad ca-*

VIII.

sum, in quo sit vel eadem, vel major ratio?

IX. *Dispensandi potestas late est interpretanda, nisi vergat in præjudicium Tertii: Idemque dicendum de Privilegio.*

X. *In dubio, an potestas dispensandi, aut privilegium sint revocata, licitum est iis uti; si tamen deinde deprehendatur fuisse revocata, irrita censenda est dispensatio.*

XI. *Cur Episcopus valide commutet votum in dubio an sit reservatum, etiamsi deinde deprehendatur esse revocatum, contra vero habens facultatem delegatam commutandi vota, aut dispensandi, in dubio an ea potestas fuerit revocata, licite quidem ea utatur, sed irrita sit dispensatio, si deprehendatur fuisse revocatam?*

XII. *Num valida censenda sit dispensatio in dubio de ejus valore?*

XIII. *Quid si post dispensationem obtentam dubitetur, an Prælatus potuerit dispensare?*

I. PLurimæ quæstiones ex doctrina in hoc articulo danda decidi debent; ideo prius de dispensatione, deinde de dispensandi potestate inquirimus quomodo interpretandæ sint?

Quæritur itaque primo, strictene, an ample interpretanda sit dispensatio?

Respondeo, certum esse, quod dispensatio stricte interpretanda sit, unde si aliquid operetur juxta proprietatem naturalem verborum, non est amplius extendenda. Ratio est, quia dispensatio exorbitat a jure communi, & ideo tanquam odiosa restringenda est. Si enim lex ipsa, quæ corrigit jus commune, tanquam odiosa restringenda est, ex Reg. *Quæ a jure*, *De regul. juris in 6.*, a fortiori dispensatio, quæ vulnerat jus commune; Unde in dubio an dispensatio ad aliquem casum se extendat, interpretandum est, non extendi. Neque obstat, quod dispensatio sit Principis beneficium, & beneficium Principis latissime interpretandum sit, ex leg. *Beneficium*, *De constitut. Principis*. Nam hoc est verum, quando beneficium Principis non est contra jus commune, ut est dispensatio, sed præter illud; Sicut nec quando est in præjudicium aliorum.

II. Tunc dispensatio habet latam interpretationem, quando motu proprio, & non ad instantiam Partis a Principe conceditur; quia tunc est magis voluntaria, quam si ad instantiam Partis concederetur. Privilegium vero, quando est præter jus, etiamsi ad instantiam partis concedatur, late interpretandum est, & si motu proprio concedatur, interpretandum est latissime; ut notat Merol. num. 6. contra Sanch., qui putat latissime interpretandum, etiamsi ad instantiam Partis concedatur, hoc est ultra quam patitur naturalis verborum significatio.

In pluribus itaque casibus dispensatio habet latam interpretationem. Primo, ut diximus, si motu proprio a Principe concedatur, quia tunc dicitur aliquo modo beneficium Principis, ac omni ambitione vacans, ex cap. *Si motu proprio*, *de præbendis in 6.* Notat tamen Merol., & alii communiter, quod si in literis dispensationis dicat Princeps, se motu proprio illam concedere, ample interpretanda sit, quamvis constet eam ab impetrante petitam esse; quia Princeps illis verbis significat, se non illa petitione, sed proprio motu ductum concessisse.

Secundo late interpretanda est dispensatio, si sit in corpore juris clausa: quia tunc præsumitur motu proprio concessa, & habet vim legis, quæ extendi potest ad omnem casum, in quo vel eadem, vel similis ratio legis reperitur, ut notat Felin. apud Merol. Hoc autem intelligendum, nisi præjudicium inferat tertio; nam etiam privilegia in corpore juris inserta ex ea parte, qua alteri præjudicant, stricte intrepretanda sunt.

Tertio dispensatio stricte interpretanda est, si concedatur personis privatis: At si toti Religioni, verbi gratia, vel alteri Communitati concedatur, ample interpretanda est, tanquam favorabilis Religioni, etiamsi deroget juri communi. Ratio est, quia quando conceditur communitati in perpetuum, æquiparatur legi insertæ in corpore juris, seu constitutioni perpetuæ, & est privilegium potius, quam dispensatio, ut notat Merol. disp. 4. cap. 6. nm. 1. ex Suar. Ex quo infert Sanch. lib. 8. disp. 1., dispensationem ab Episcopo concessam beneficiato de percipiendis fructibus in absentia, ratione studii, esse late interpretandam, quia non conceditur personæ, sed causæ, in qua utilitas publica versatur. Et ideo quamvis privilegium concedatur, verbi gratia, ratione studii Theologici, extenditur etiam ad studium juris Canonici; quia in jure istæ scientiæ æquiparantur; Extenditur etiam ad alia studia, si pro iis militet eadem ratio.

II. Quarto late interpretanda est dispensatio debita, seu quæ debet dari a Principe ob necessitatem occurrentem, quia tunc est favor debitus causæ, & sic dilatandus. Unde dispensationes, quæ fiunt ex necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, utpote ex juris debito emanantes, ampliandæ sunt.

IV. Quinto Henr., Navar., Rodriq. apud Merol. num. 13. putant, dispensationem esse stricte interpretandam, hoc est non ultra verborum proprietatem, sed se extendere ad omnes casus comprehensos secundum propriam verborum significationem. Communius tamen cum Sal., Sanch. putant debere aliquando etiam strictius sumi; quia in Regul. *Odia*, *de Reg. juris in 6.* non dicuntur odia non esse amplianda, sed dicuntur odia esse restringenda, favores ampliandi.

Qua-

Quare juxta communiorem opinionem apud Merol. disp. 4. cap. 4. dispensatio ad Ordines non extenditur ad Sacros, quamvis Ordines sacri sint vere ordines. Sic dispensatio ad beneficia comprehendit solum simplicia, & non se extendit ad Curata, & Dignitates, nec ad beneficia electiva, nec ad Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis: Sic in odiosis nomine Ecclesiæ Parochialis non venit Ecclesia Parochialis collegiata; quia habet Collegii qualitatem supra Parochiam: & ex cap. *Licet*, *De elect. in 6.* nomine Monachorum, vel Monialium non venit Abbas, vel Abbatissa; Et nomine Clericorum non comprehenduntur Religiosi, ut docent communiter; immo nec Sacerdotes, & alii positi in dignitate, ut communius putant; quia isti habent aliam qualitatem, quæ in simplicibus Clericis non reperitur: Sicut enim favores sunt ampliandi, adeo ut verba extendenda sint ultra proprietatem, & significationem naturalem ad civilem, & juridicam; unde nomine filiorum veniunt nepotes, nomine Religiosi veniunt novitii, qui proprie religiosi non sunt: ita odia sunt restringenda, adeo ut intra naturalem significationem, & propietatem restringantur verba, quantum commode potest: Quod tunc recte fit, quando a verbis significantur proprie plura, quorum aliqua habeant aliquam qualitatem, unde possint eximi ab odio: Verbi gratia, nomine Clerici ita significantur proprie tam Clerici simplices, quam religiosi, ut Religiosi nomine illius qualitatis, hoc est Religionis, possint eximi a lege obligante Clericos.

V. Sexto quando dispensatio versatur circa materiam juris communis, debet interpretari juxta explicationem juris communis. Unde dispensatio facta in tertio gradu consanguinitatis extenditur ad secundum cum tertio, quia gradus computantur in jure communi a persona, quæ a stipite est remotior, ex cap. *final.*, *De consanguin.*, ut notat Sanch. loc. cit. num. 9.

Septimo si dispensatio est in statuto, seu consuetudine particulari contraria juri communi, est late interpretanda; quia reducit ad jus commune, quod est favorabile.

Octavo ex Merol., & aliis contra Sanch. probabilius est, præscindendo a Stylo Curiæ, quod dispensatio in causa matrimoniali late sit interpretanda. Nam dispensatio in quarto gradu consanguinitatis extenditur ad tertium cum quarto, ex Extravag. *Nuper*. Ratio a priori videtur esse, quia dispensatio in causa matrimonii reducit ad jus commune; nam jus commune non prohibet matrimonia in omnibus gradibus, in quibus ea prohibet Ecclesia; quando autem dispensatio reducit ad jus commune, est favorabilis, & extendenda.

VI. Notandum tamen, non esse adeo restringendam dispensationem, ut reddatur illusoria. Unde infertur cum Molin. contra Covar., quod licentia data Episcopis, vel Monachis a Pontifice ad testandum non arctetur ad solum primum testamentum; quia hoc esset contra testamenti naturam, quod de se est revocabile usque ad mortem.

Nec est dispensatio ita restringenda, ut non extendatur ad necessario connexa, & inseparabilia, ut patet; ne frustranea reddatur dispensatio: Verbi gratia, dispensatus ad plura beneficia censetur etiam dispensatus, ne in utroque residere debeat; & dispensatus cum minori viginti tribus annis, ut habeat beneficium Parochiale, censetur etiam dispensatus ne intra annum ad Sacerdotium promoveatur; cum non possit ante vigesimum quartum completum initiari. Quod si connexa sint separabilia, dispensatio ad unum concessa non se extendit ad alterum: Verbi gratia, dispensatio ad non residendum non se extendit ad fructuum consecutionem, qui ab absentibus perduntur; quia hæc possunt separari.

VII. Infertur ex dictis primo, quid dicendum in quæstione illa, An Subdiaconus dispensatus ad uxorem, dispensetur etiam ad recitationem officii? Negat Azor. quia status subdiaconi cum obligatione recitandi horas est quidem connexus, sed separabilis. Sanch. tamen lib. 8. disp. 8. & alii apud Merol. num. 33. affirmant; quia obligatio recitandi horas videtur inseparabilis a statu subdiaconi, quatenus status matrimonii est incompatibilis cum tali obligatione; gravis enim est talis obligatio homini vacanti rei familiari, & uxoriæ; Et idem dicas, si monachus dispensetur ad nuptias.

Infertur secundo, quid dicendum ad quæstionem illam, An dispensatus ad ova possit comedere lacticinia, & e contra? Negant Azor., & Bonac. de præcept. Eccles. disput. 1. punct. 2. apud Merol. num. 72., quia dispensatio hæc est contra jus commune, atque adeo stricti juris, & restringenda. Affirmant tamen Henr., Laym., Regin., Sanch. lib. 8. disp. 1.; quia in jure hæc æquiparantur, & unica, & individua est eorum prohibitio.

VIII. Infertur tertio, quid dicendum ad quæstionem, An in dispensationibus habeat locum argumentum ob identitatem rationis, vel a majori ad minus, itaut in iis fiat extensio de casu ad casum, in quo est eadem, aut major ratio? In quo Doctores diversimode philosophantur apud Merol. num. 64.: quæ tamen facile colligi possunt ex iis, quæ affatim diximus quæst. 5. art. 1. quæsito 4. agentes de Legis interpretatione, inquirendo, Num lex extendatur ad casum non comprehensum verbis legis, sive ob paritatem, sive ob identitatem rationis?

IX. Quod attinet ad potestatem dispensandi, quomodo interpretanda sit? Plura diximus in Opusculo de Conscientia dubia, & scrupulosa quæst. 5. art. 1., quæ hic summatim recolimus. Diximus siquidem ex Sanch. lib. 4. disp. 2., & aliis, per se loquendo late interpretandam esse, sive ea sit ordinaria, (quæ scilicet alicui competit ex proprio munere, ut competit Episcopis, & aliis Prælatis respectu suorum subditorum) de qua non dubitatur; sive sit delegata; Hæc enim censetur esse purum beneficium Principis, quod late interpretandum est, ac extendendum, cum contineat favorem absque ulla admixtione odii, ex Reg. 15. juris in 6.. Quamvis autem hujusmodi potestas per se loquendo latam habeat interpretationem, nihilominus stricte interpretanda est, si vergat in præjudicium Tertii; quia non præsumitur, quod Princeps velit alteri præjudicium inferre. Notandum tamen, ut supra diximus, quod si dispensandi potestas delegetur alicui, v. g. Confessario, in gratiam illius, & pro personis indeterminatis, ea habet rationem gratiæ tali Confessario collatæ, & ideo in dubio latam habet interpretationem: Si vero conferatur in gratiam personæ determinatæ, cum qua dispensandum est, tunc habet rationem potius dispensationis inchoatæ relate ad illam personam, & ideo stricte est interpretanda, ut notat Suar. lib. 6. de Legib. cap. 10., & Sanch. loc. laud.

Ex his descendit resolutio consimilis quæstionis, Num scilicet privilegium stricte, an ample interpretandum sit? Quod pariter fuse perpendimus in Opusculo laudato, articulo ultimo ejusdem quæstionis, dicendo; quod si privilegium a Principe motu proprio collatum sit, aut sit inclusum in corpore juris, late sit interpretandum; dummodo non cedat in præjudicium Tertii, nec deroget juri communi. Hinc Privilegium concessum alicui, v. g. de non solvendis decimis, non est intelligendum de non solvendis decimis ex prædiis futuris, si tale privilegium præjudicet Tertio, seu si decimæ solvendæ sint alteri a concedente privilegium; secus vero si ipsimet concedenti privilegium essent solvendæ; quia in primo casu stricte est interpretandum, utpote præjudicans Tertio; secus vero in secundo casu.

X. Dubitatur, Num in dubio an privilegium sit revocatum, licitum sit eo uti? Respondeo affirmative. Ratio est, quia stat illud in possessione, & in dubio melior est conditio possidentis. Notandum tamen, quod si deinde deprehendatur fuisse revera revocatum, invalida sint, quæ ex usu talis privilegii revocati provenerunt, ut ostendimus loco laudato: Ad eum modum quo potest a domino vendi servus in dubio, an ejus servitus cessaverit; At si deprehendatur deinde, quod ea cessaverit, talis venditio censenda est irrita: Quare si habens privilegium, v. g. commutandi vota, dubitet, an privilegium revocatum sit, nec possit vincere dubium, licite illa commutat; Sed si deinde detegitur privilegium fuisse revocatum, commutatio facta erit nulla.

XI. Dices: Si Episcopus commutet votum in dubio, an illud sit Pontifici reservatum, valida erit commutatio, etiamsi deinde advertat, quod votum sit reservatum. Pariter absolutio collata a Confessario in dubio de reservatione casus erit valida, quamvis deinde certificetur, quod casus esset reservatus; ergo pariter in casu nostro, dubitans, an amiserit privilegium commutandi vota, licite, & valide illa commutat, etiamsi deinde advertat privilegium fuisse antecedenter revocatum.

Respondeo, concesso antecedente, negari consequentiam. Disparitas est, quia Episcopus jure suo potest commutare vota, de quibus dubitatur, an sint reservata Pontifici; & Confessarius jure suo facultatem habet absolvendi a peccatis, etiamsi dubie sint reservata; propterea in tali dubio utuntur jure proprio, & ideo valida est commutatio, atque absolutio, etiamsi deinde constet de eorum reservatione. Contra vero habens privilegium commutandi vota non potest illa commutare jure suo, sed solum ratione privilegii, & quando dubitatur, an privilegium expirarit, licite illo utitur, eo quod stet illud in possessione. At si deinde detegatur, quod privilegium tunc expirasset, invalida censenda est illa commutatio, ut ostendimus paritate adducta de servo, cujus venditio est irrita, si tempore venditionis non erat servus; esto licite illum Dominus vendiderit, dubitans ne e servitute tunc esset exemptus: Quamvis tale dubium exponendum esset emptori, eo quod esset vitium procul dubio detegendum. Ex quibus sequitur, quod si Confessarius non dubitet de reservatione casus, sed dubitet, an jurisdictio sibi ab Episcopo collata expirarit, possit quidem licite absolvere in casu gravis necessitatis, exponendo pœnitenti hanc suam dubietatem, ut si forte deinde deprehendatur jurisdictionem expirasse, tunc iterum pœnitens clavibus ea peccata subjiciat, quippe absoluta citra jurisdictionem in Confessario.

XII. Ex iisdem principiis descendit pariter resolutio illius quæsiti; Num valida censenda sit dispensatio in dubio de ejus valore?

Ad quod respondendum, ex triplici capite posse tale dubium oriri; Primo quidem ex parte superioris, si scilicet dubitetur, an sit legitimus Superior, possitque dispensare? Secundo, ex parte causæ, si dubitetur, an sit sufficiens, & justa causa ad dispensandum? Tertio, ex parte ipsius dispensationis, si dubitetur, an compre-

hendat hunc casum? Quando dubietas est ex parte Superioris, distinguendum; Nam si Superior sit in possessione sui Superioratus, licite, & valide dispensat, eo quod non debeat Superior sua possessione spoliari, donec constet eam amisisse; Quod si non sit in possessione sui Superioratus relate ad talem subditum, nequit in dubio cum eo dispensare, eo quod in tali dubio stet in possessione præceptum. Ita Sanc. lib. 4. disp. 44.

Quod si dubietas oriatur ex secundo capite, videlicet num causa ad dispensandum sit sufficiens? Dicendum cum eodem Sanch., & Suar., quod subditus bona fide proponens Superiori causam, remittendo illius prudenti judicio, ut decernat num sit sufficiens, possit licite uti dispensatione ob eam causam data a Superiore, quamvis subditus dubitet num ea sit sufficiens. Quod si etiam Superior dubitet, distinguendum est. Nam vel dubitat num de facto detur talis causa, & profecto in tali dubio nequit licite dispensare; Vel dubitat num causa proposita certo existens sit sufficiens ad licite dispensandum? Et in tali dubio docet idem Sanch. lib. 4. disp. 45. cum aliis contra Medin., quod licite dispenset; cum id postulet suave regimen Ecclesiæ; eo modo quo diximus, posse Episcopum commutare votum in dubio an sit Pontifici reservatum, & posse Confessarium absolvere a peccato, etiamsi dubitet de ejus reservatione.

Denique, si dubium oriatur ex parte ipsius dispensationis; Num scilicet verba dispensationis talem casum comprehendant? Sanch. loc. cit. docet, in hoc dubio dispensationem ad hunc casum non se extendere, eo quod dispensatio tanquam vulnus legis sit odiosa, ac restringenda. Quare si Pontifex dispenset cum aliquo in voto castitatis, ut possit nubere, & dubitetur, an dispensarit totaliter in tali voto, dicendum quod non dispensarit totaliter; ac propterea vi talis dispensationis possit solum contrahere matrimonium; sed si contra castitatem peccaret, contra votum, atque adeo sacrilege peccaret. At si solum dubitetur, num sit valida dispensatio, quia dubitatur, num sit expositum verum, aut sit expressum falsum? in tali dubio standum pro valore dispensationis; quia delictum non præsumitur, ex leg. *Merito*, *ff. De Socio*. Denique si in petitione dispensationis sit expositum aliquod falsum, aut non sit expressum aliquod verum, & dubitetur, num hoc spectet ad causam finalem, quæ dispensationem vitiat, an vero solum ad causam impulsivam? Con. disput. 33. dub. 6. de Sacram., Guttier., & alii apud Sanch. lib. 8. disp. 21. docent, censendum esse, quod illud ad causam finalem spectet, ac proinde dispensationem esse surreptitiam. Ratio est, quia stat in possessione impedimentum, & dubia est dispensatio. Sed Pal., Sal., Bonac., & alii apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 64. probabiliter docent, in tali dubio censendum illud spectare ad causam impulsivam, & dispensationem esse validam; quia in dubio præsumendum est pro valore actus, ex leg. *Quoties*, *ff. De rebus dubiis*. Unde possessio videtur stare pro validitate dispensationis, non pro impedimento, quia, ut ostendit Merol. disp. 3. cap. 3. is possidet pro quo stat præsumptio pro foro externo. Quicquid sit an hoc sit verum solum in favorabilibus, & non in odiosis, seu quando derogatur juri communi, ut in casu nostro; quod fuse discutit Con. loc. laud., & Bardi disp. 6. cap. 5. §. 4.

XIII. Postremo ex iisdem pariter præjactis fundamentis descendit resolutio quæsiti illius, Num dispensatio censenda sit irrita, si deprehendatur Prælatum non potuisse dispensare? Ad quod dicendum, dispensationem esse procul dubio irritam, si deprehendatur Prælatum non solum non esse superiorem, sed neque errore communi talem reputari; esse vero validam, si errore communi cum titulo colorato ille existimetur Superior; quia ex l. *Barbarius*, *ff. De officio Prætor.* valida sunt gesta ab hujusmodi Superiore, idque propter bonum commune, supplente Ecclesia, vel Republica defectum jurisdictionis requisitæ: Immo ex Pont., & aliis contra Sanch. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 122. probabiliter id est verum, etiamsi detur solus error communis sine titulo colorato. Quod si deprehendatur Superiorem non potuisse dispensare ex defectu causæ, vel quia tacita fuit vera causa finalis, vel quia expressa fuit causa finalis falsa, pariter dispensatio erit irrita, ut notat Sanch. lib. 4. cap. 44. Si tamen dubitetur, num causa ad dispensandum fuerit sufficiens; sive dubitetur, an verba dispensationis ad talem casum se extendant, valida est dispensatio, si bona fide fuerit data, etiamsi deinde deprehendatur oppositum: Ad eum modum, quo valida est absolutio a reservato bona fide collata a Confessario dubitante de reservatione illius, etiamsi deprehendatur deinde, quod casus revera esset reservatus, ut supra ostendimus. Et eodem modo multi cum Sanch. lib. 8. disp. 6., Pal. tract. 4. disp. 6. punct. 5., & aliis docent, Episcopum posse dispensare non solum in voto, sed etiam in impedimentis matrimonii, si dubitetur, an dispensatio petenda sit a Pontifice; (puta si dubitetur, an per concubitum carnalem contracta sit affinitas, aut si dubitetur, num consanguinitas sit in quarto, an in quinto gradu) itaut valeat dispensatio, etiamsi deinde deprehendatur, votum esse Pontifici reservatum, affinitatem esse contractam, & consanguinitatem esse in quarto gradu, Quæ omnia fusius expendimus in laudata quæstione quinta Opusculi

sculi secundi de Conscientia dubia. Sit itaque hujus annui pensi (sed oh ubi Æternitatis)finis.

APPENDIX

„ *Quomodo dispensatio petenda a sede Apostolica?* „ ex P. Josephi Biner *Apparatu eruditionis ad Jurisprudentiam Part. I. cap.* V. §. VII.

„ Resp. Pro dandis dispensationibus duplex Romæ „ erectum esse tribunal. Alterum ex iis vocatur „ *Dataria*, quæ dispensat etiam pro foro externo: „ debetque *Oratoris* seu supplicantis proprium nomen simulque Dioecesis (vel dioecesium, si plures sint supplicantes e. g. circa dispensandum in „ impedimentis matrimonii) exprimi: solutis simul „ expensis ac taxa pecuniaria, nisi expetatur & expediatur dispensatio *in forma pauperum*. Quando „ scilicet Oratores veram paupertatem allegant, „ quod nempe ultra sustentationem statui suo convenientem non habeant, ac insuper sint *miserabiles*, hoc est, qui proprio labore & industria tantum vivant: debentque hujus paupertatis testimonium ab Ordinario petere ac Romæ exhibere.

„ Litteræ autem supplices diriguntur ad Papam, „ exponendo veras causas petendi dispensationem, sine ob-et subreptione. Exterius pariter fit inscriptio „ summo Pontifici, qui deinde dispensationem, per „ Cardinalem Datarium expeditam, dirigit ad Vicarium Generalem Diœcesis, eique mandat, ut „ servatis certis clausulis ibi expressis dispenset cum „ Oratoribus, idque gratis omnino; nam tantum „ Datariæ *compositionem*, ut vocant, seu taxam pecuniarum debent persolvere.

„ Porro Dataria adhuc alia duo tribunalia sub se „ complectitur, in quibus expediuntur dispensationes „ in impedimento consanguinitatis & affinitatis, „ videlicet *Cancellariam*, ubi in secundo, & tertio „ gradu; & *Præfecturam Brevium*, in qua in primo „ affinitatis gradu dispensatur ad matrimonium contrahendum, aut in contracto persistendum.

„ Alterum tribunal est sacra Pœnitentiaria; a qua datur dispensatio pro solo foro interno, idque circa triplicem materiam, nempe 1. circa *vota*, e. „ g. *castitatis* ad petendum debitum post matrimonium contractum, aut Religionis ineundæ propter vires debiles, aut gravem metum continentiæ. 2. Circa *impedimenta occulta matrimonii* contrahendi vel contracti (excepto impedimento consanguinitatis, in quo non dispensat Pœnitentiaria „ ad contrahendum, sed tantum ad permanendum „ in contracto: & quidem tantum in tertio vel quarto gradu). Denique 3. circa *varias censuras*, & „ *irregularitates occultas*; item ad condonandam obligationem restitutionis ob neglectas horas canonicas, „ aut ad commutandum onus recitationis horarum „ in aliud opus pium. *Occultum* autem delictum „ est, quod neque facto neque jure est notorium.

„ Si autem a Sacra Pœnitentiaria petatur dispensatio, non exprimuntur vera nomina dispensandorum, sed tantum ficta, e. g. *Cajus*, *Berta*, „ &c. aut per litteras A. B. C. neque ullæ solvuntur expensæ aut taxa.

„ Litteræ vero (in quibus exprimendum factum cum necessariis circumstantiis ac causis dispensandi, nihil addendo falsi, aut reticendo veri, „ per quod absterreri a dispensando posset) diriguntur vel ab ipso oratore, vel ab alio ejus nomine, „ ad majorem Pœnitentiarium, seu Cardinalem „ Pœnitentiarium, cum titulo: *Eminentissime ac* „ *Reverendissime Domine Domine*. Exterius autem „ sic fit inscriptio: *Eminentissimo ac Reverendissimo* „ *Domino Domino S. R. E. Cardinali majori Pœnitentiario. Romæ*.

„ In fine litterarum additur: *Dignetur sua Eminentia responsum Dirigere v. gr. Œnipontum ad* „ *me infrascriptum*.

„ Litteræ autem dispensatoriæ (involucro clausæ) „ Roma mittuntur ad eum, qui pro se, vel pro alio „ vel aliis dispensationem petiit, cum inscriptione „ exterius facta: *Discreto viro Confessario ex approbatis* „ *ab Ordinario*, per latorem (vel latricem) præsentium eligendo. Litteræ autem Romanæ una cum „ litteris supplicantis ad confessarium missæ, quando e. g. petita est in restituendis fructibus ob non „ recitatas horas dispensatio: *Sacra Pœnitentiaria tibi* „ *confessario, a Latore electo, concedit facultatem*, „ *ipsum latorem, si ita sit, audita prius ejus Sacramentali confessione ob omissionem recitationis præfatarum horarum canonicarum authoritate Apostolica absolvendi, illique fructus ex dicto beneficio hactenus male perceptos, mediante aliqua* „ *eleemosyna, arbitrio tuo taxanda, gratiose condonandi*. Debet autem Confessarius per se esse doctor Theologiæ aut SS. Canonum (nisi Roma aliter ordinaverit, aut aliis etiam hujusmodi litteras „ aperiendi privilegium dederit, ut dedit Gregorius „ XIII. PP. Societatis Jesu, a superioribus suis specialem ad id licentiam habentibus).

„ Postquam autem ille, ad quem Roma missæ „ sunt, litteras accepit debet eas (reserato involucro sibi inscripto) sigillatas tradere oratori (vel „ oratrici) potestque orator eligere Confessarium, „ quemcumque velit, modo prædictas qualitates habeat: huic igitur a se electo Confessario orator „ tradit litteras obsignatas, referandas ab eo, & legendas, atque apud eum deponit confessionem „ sacramentalem, in qua Confessarius examinat, an „ preces veritate nitantur & omnia ita se habeant „ (quia non est merus executor, sed judex delegatus) debetque credere oratori, nisi aliunde sciret, esse falsa, potestque opera præscripta secundum circumstantias, moderari, sed non omnino „ condonare. Tum vero data prius secundum formam consuetam Sacramentali absolutione, post „ illa verba *Ego te absolvo a peccatis in nomine* &c. „ addere debet (e.g. Si petita sit dispensatio in impedimento matrimonii jam contracti) *& eadem* „ *auctoritate declaro, te in dicto matrimonio manere, debitum conjugale reddere posse, & debere: dispenso etiam tecum, ut idem debitum petere licite* „ *possis, in nomine Patris &c.*

„ Data autem absolutione, & dispensatione debet „ litteras S. Pœnitentiariæ lacerare, vel alio modo, „ e.g. amoto Sigillo destruere, ut ad probandum pro „ foro externo nihil omnino valeant: alias incurrit excommunicationem, quia pro solo foro interno „ Pœnitentiaria concedit dispensationem. Unde si „ postea impedimentum e. g. matrimonii innotesceret, & deduceretur ad forum contentiosum, deberent separari, nisi nova dispensatio pro foro externo a Dataria obtineatur. Cæterum dispensatio „ Roma dimissa non expirat, licet re adhuc integra „ moriatur Pontifex aut Cardinalis Pœnitentiarius.

„ Illud adhuc notari potest præter Majorem Pœniten-

„ nitentiarium, qui semper est Cardinalis, constitutos esse Romæ in tribus præcipuis Basilicis alios „ quoque Pœnitentiarios subordinatos ac *Minores*, „ nempe in Vaticana PP. Societatis Jesu, in Lateranensi PP. Franciscanos Reformatos, & ad S. Mariam „ Majorem PP. Dominicanos, quibus executio, si „ supplicantes existant Romæ, sæpius committi solet. „ Ad quos, si non placeret immediate ad Cardinalem Pœnitentiarium scribere, pro dispensatione procuranda scribi potest, vel ad Procuratorem Generalem alicujus Religiosi ordinis Romæ degentem.

„ Qui plura desiderat de forma & praxi dispensationum tam pro foro interno tantum, quam etiam „ pro foro externo, consulat Thomam Sanchez lib. „ 8. *de matrimon. præsertim disput.* 34. Pyrrhum „ Corradum *in Praxi dispensat.* Lib. 7. & 8. Anacletum Reiffenstuel in *append.* Lib. 4. *decret.* & „ Vitum Pichler *ad tit. de matrim. contracto contra* „ &c. 2. & 3.

F I N I S.

Ad Majorem Dei gloriam, ac Deiparæ sine labe Conceptæ.

SYNOPSES OMNES,

Quæ in singulis Articulis Tractatus hujusce de Præceptis Decalogi habentur, hic colliguntur.

QUÆSTIO I.

De natura, & conditionibus Legis in communi.

ARTICULUS I. 2

Quid, & Quotuplex sit Lex?

I. Explicatur Legis definitio. II. Ea consistit tum in actibus intellectus, tum etiam voluntatis. III. Ut Lex obliget, necesse est, ut publicetur, & quod a Superiore feratur. IV. Lex omnis respicere debet bonum Communitatis; Quod pariter de Privilegio dicendum, si habeat rationem legis privatæ. V. In quo differat Lex a Consilio, Petitione, ac Pręcepto? VI. Num obliget Lex, de qua dubitatur, an sit utilis Communitati? VII. Ad legem ferendam non satis est potestas dominativa, sed requiritur potestas politica, & Jurisdictionis. VIII. Habens notitiam legis latæ illa non obligatur, antequam Communitati publicetur. IX. Dividitur Lex in Divinam, Naturalem, & Humanam. X. Necnon in Jus naturale, Jus Gentium, & Jus civile. XI. Sicut etiam in Affirmativam, & Negativam; odiosam, & favoribilem. XII. Quid, si dubitetur, an Lex sit odiosa, & eatenus restringenda?

ARTICULUS II. 5

De Conditionibus legis; Ac primo, quod lex debeat esse justa.

I. Ad legis validitatem septem conditiones requiruntur. II. Debet quidem esse justa. Quinque autem modis potest esse injusta. III. Non tenemur legem injustam servare, pręciso tamen scandalo. IV. Quid, si dubitetur de legis injustitia?

ARTICULUS III. ibid.

Quomodo lex respicere debeat bonum commune?

I. Num cessante fine legis in casu particulari desinat lex obligare? II. Num valeat lex quę uni Communitati est utilis, alteri vero noxia, si ab eodem Principe feratur? III. Num lex ab initio inutilis, si successu temporis fiat Reipublicæ utilis, incipiat tunc obligare? IV. Quid etiam de Voto, quod ab initio sit de re indifferenti, & successu temporis sit de meliori bono?

ARTICULUS IV. 6

De Promulgatione Legis.

I. Non obligat lex, antequam publice promulgetur. II. Num debeat scripto Lex promulgari? Et in quo differat a Consuetudine? Quid de Privilegio absque scriptura concesso? III. Lex Episcopalis, aut Principis inferioris ubinam debeat publicari? Ubinam lex Imperatoria, aut Regia? Et ubinam lex Pontificia? IV. Qui per revelationem duntaxat sciret legis promulgationem, num ea lege teneretur? V. Lex rescissoria contractus sufficienter promulgata irritat talem contractum postea celebratum, etiamsi invincibiliter ignoretur. VI. Secus vero lex revocatoria Privilegiorum. VII. Quænam verba legis denotant, Legislatorem velle sub gravi obligare? Quænam vero velle tantum hortari, aut sub levi duntaxat obligare?

ARTICULUS V. 8

De lapsu temporis ad legis obligationem requisiti.

I. Leges non obligare, nisi post duos menses a promulgatione in singulis Provinciis, non pauci docuerunt. II. At leges Pontificias post promulgationem factam in Curia Romana statim obligare, docent communius. III. Requiritur tamen aliquod tempus prudentium judicio statuendum, ut novæ legis notitia ad Communitatem perveniat, & tunc omnes obliget. IV. Ecclesia leges civiles admittit, & ubi nec rationi, nec Legibus Canonicis adversantur. V. Non solum pro foro externo, sed nec pro interno leges obligant ante lapsum sive duorum mensium a promulgatione, sive alterius temporis congrui. VI. Idque verum est etiam de legibus aliquem contractum irritantibus. VII. Necnon de legibus revocatoriis Privilegiorum. Quod extenditur ad revocationes Procuratorum, quorum gesta (dempto Matrimonio) valida sunt, donec revocatio iis innotuerit. VIII. Si de novo aliquis casus reservetur, absolutio collata ex ignorantia talis reservationis est invalida. IX. Sicut privilegii revocatio debet innotescere personę privilegiatæ, ut habeat effectum suum; ita pariter concessio privilegii. X. Privilegium Communitati concessum, si huic innotescat, validum est etiam relate ad personam particularem ignorantem illud.

ARTICULUS VI. 11

De Acceptatione Legis.

I. Leges universim ferri solent sub tacita conditione, quod acceptentur. II. Peccat tamen Communitas, si citra justam causam legem non acceptat. III. Lex acceptata cessat obligare, si a majori parte Communitatis non observetur, Sed quodnam tempus requiritur ad legem per desuetudinem abrogandam? IV. Num possit Legislator obligare subditos renuentes legem acceptare? Et quando id possit, aut velit? V. Quid veniat hac in re nomine Communitatis, a cujus majori parte debeat lex acceptari, ut obliget? VI. Lex a principio non acceptata, si successu temporis acceptetur, tunc obligat.

ARTICULUS VII. 14

De Perpetuitate Legis.

I. Leges prout a præceptis distinctę debent semper perdurare, donec revocentur. II. Præceptum respicit bonum personæ privatæ, & expirat morte præcipientis; Lex vero respicit bonum commune, & est perpetua. III. Mandatum continens commissionem jurisdictionis non expirat morte Mandantis, si res non sit integra. IV. Mandatum testatoris, utpote domini proprietatis, non jurisdictionis, confirmatur potius, quam

quam expiret post ejus mortem. v. Quamvis præceptum generale possit communitatem respicere, & esse perpetuum, non secus ac Lex, adhuc tamen multifariam differt a Lege. vi. Potest Legislator supremus legem ferre, qua præcipiatur, ut præcepta inferiorum non expirent morte præcipientis.

QUÆSTIO II.

Quænam sit legis materia, & Quinam possit leges ferre?

ARTICULUS I. 16

De Materia Legis. Præsertim de Actibus indifferentibus, ac de mere internis.

I. Universim materia legis sunt actiones humanæ ordinabiles ad bonum commune. II. Lex humana præcipere potest actus virtutum, sed non omnes, nimirum valde arduos; ac prohibere potest actus vitiorum, non tamen omnes, cum id non postulet commune bonum. III. Cur lex naturalis omnia vitia prohibere possit, & de facto prohibeat, non vero lex humana? IV. Qandonam possint actiones moraliter indifferentes præcipi, aut prohiberi? V. Lex civilis respicere debet rectam gubernationem, & bonum pacis in populo: Lex vero canonica respicit honestatem operationum ut conducentem ad finem supernaturalem, & ad bonum animarum. VI. Quædam vitia, ut Usuræ, Perjuria, Blasphemiæ, cur prohibeantur lege civili simul, & canonica, necnon naturali? VII. Num leges civiles, & canonicæ imperare aliquando possint actus mere internos? VIII. Solum actus interni, qui sunt necessarii ad externos, possunt a lege humana indirecte præcipi, aut prohiberi. IX Ecclesia præcipiendo auditionem missæ indirecte præcipit intentionem audiendi illam; Non tamen punit censuris defectum talis actus interni. X. Fit satis argumentis pro sententia opposita. XI. Cur possit Ecclesia dispensare in votis mere internis, & a peccatis internis absolvere; non possit tamen censuris peccata interna punire? XII. Potest confessarius actus mere internos pœnitenti injungere; Non potest tamen illos iujungere subditis Prælatus Regularis. XIII. Quod est per accidens occultum, puniri potest ab Ecclesia, non vero quod est occultum per se.

ARTICULUS II. 20

Quisnam possit condere leges civiles?

I. Reges ab ipsa communitate potestatem habent ferendi leges civiles. II. In quibus differat potestas dominativa a potestate Jurisdictionis, & Politica requisita ad leges ferendas. III. Probabilius nequit Pontifex leges civiles ferre obligantes totum Orbem. IV. Potestatem in temporalia omnia solum habet Pontifex indirectam, disponendo de illis, quando id expedit ad animarum salutem. V. Nec Imperator potest totum Orbem obligare legibus suis. VI. Reges ferre possunt leges juxta concessionem ipsis factam a Communitate; Et Proreges juxta concessionem factam a Regibus. VII. Ad Reginam spectat leges ferre, si jure successionis Regnum possideat, quamvis alteri matrimonio jungatur.

ARTICULUS III. 23

Quinam possit condere Leges Ecclesiasticas?

I. Pontificem posse suis legibus Ecclesiasticis totum Orbem obligare independenter a Conciliis Oecumenicis constat ex iisdem Conciliis, & ex ipsis Conventibus Galliæ Generalibus usque ad præsens sæculum. II. Cardinalium, & Theologorum consensus est conveniens, sed non necessarius, ut possit Pontifex aliquid statuere tanquam Christi Vicarius. III. Episcopi verius immediate a Pontifice, mediate a Christo Domino potestatem habent ferendi leges pro suis Diœcesibus. VI. Nequit Episcopus pro sua Urbe quicquid potest Papa pro toto Orbe. V. Non requiritur consensus Cleri, ut Episcopus legem ferat. Solum pro festis statuendis requiritur Cleri, & populi consensus. VI. Quid possint Archiepiscopi relate ad totam Provinciam? Quid Concilia Nationalia, Provincialia, & Diœcesana? VII. Non habent vim legis decreta Conciliorum, quæ in Gratiano reperiuntur, nisi a Pontifice sint approbata. VIII. Num habeant vim legis decreta Congregationum Cardinalium. IX. Capitulum Sede vacante probabilius potest leges condere, ut poterat Episcopus. X Quousque se extendat potestas Legislativa in Prælatis Regularibus, & in Abbatissa?

QUÆSTIO III.

De Subjecto Legum, seu de iis, qui Legibus obligantur.

ARTICULUS I. 28

An Legislator suis legibus teneatur?

I. Legislator suis legibus obligatur quoad vim directivam, non quoad coactivam. II. Obligatur autem Legislator directe non a lege sua, sed a lege naturali dictante, Quod Caput cum suis membris conformetur. III. Potest autem secummet ex causa dispensare, non secus ac cum subditis. IV. Quonam pacto Legislator teneatur legibus contractuum, & iis, quæ taxam mercibus imponunt; V. Num peccet mortaliter Legislator trangrediendo suas leges in re gravi, an solum venialiter? VI. Cur venialiter duntaxat peccent Moniales omittendo unam missam præceptam in virtute Sanctæ obedientiæ ab Abbatissa? VII. Cur sacrilege peccaret Pontifex, si secummet dispensaret ad ducendam uxorem? VIII. Legislator transgrediendo leges suas, quamvis peccet, non incurrit tamen pœnas latas adversus transgressores: IX. Nec Princeps supremus, nec Legatus Pontificis tenetur legibus municipalibus loci, quæ non sint ab iis confirmatæ.

ARTICULUS II. 30

Quibus legibus eximantur Infideles, Pueri legem ignorantes, Ebrii, & Amentes?

I. Num infideles peccent non solum contra præceptum Divinum de suscipiendo Baptismo, sed etiam contra præceptum de sumenda Eucharistia? II. Num peccet, qui diebus prohibitis ministrat carnes infidelibus, qui legibus Ecclesiasticis non tenentur; aut qui injungit illis opera servilia die festo? III. Nullis legibus tenentur Pueri, & Amentes, qui nunquam ratione usi sunt; At qui post usum rationis inciderunt in amentiam, verius per accidens ab observantia legum excusantur, non secus ac Ebrii; unde non possumus cum istis ad materialem legum transgressionem concurrere. IV. Num Amentibus injungi possint opera servilia die festo? Et num possint die festo duci belluæ onustæ? V. Pueri post usum rationis tenentur legibus etiam Ecclesiasticis; Sed ad communionem Paschalem circa decimum annum obligantur, quando solent

lant sacrum a profano discernere. VI. Ante pubertatem num incurrant Pueri censuras, & alias pœnas Ecclesiasticas? Num casuum reservationem? VII. Num Infantes, & Puellæ admitti possint in Monasteria Monialium, & Religiosorum? Quid de Amentibus?

ARTICULUS III. 34

Quibus legibus teneantur Peregrini, Forenses, & Vagi?

I. In quo differant peregrini a forensibus, & a vagis? Et quomodo domicilium aut quasi domicilium acquiratur, aut deperdatur? II. Sufficit quasi domicilium ad Sacramenta alicubi suscipienda, præter Ordinem, ad quem suscipiendum requiritur domicilium. III. Forensis Neapolim adveniens animo ibi permanendi per decennium tenetur legibus loci, tanquam civis, & incola. Immo etiam si adveniat animo permanendi per majorem partem anni. IV. Tenentur etiam forensis, & peregrini legibus juris communis, quamvis in propria Patria per desuetudinem non obligent. V. Pariter tenentur Peregrini legibus Municipalibus loci, per quem transeunt, si eædem sint in propria Patria; Necnon legibus contractuum; Ac etiam legibus, quarum transgressio specialiter cedit in ejus loci detrimentum. VI. Probabilius videtur, quod universim Peregrini non teneantur legibus loci, per quem transeunt, si brevi ibi commorentur, & scandalum absit: VII. Et probabilius nec tenentur legibus Patriæ, si non sint utrobique communes. VIII. Num possit quis eo fine iter arripere, ut effugiat obligationem alicujus jejunii? Fugere a loco, ubi lex jejunii obligat, non est idem, ac apponere impedimentum jejunio præcepto. IX. Habens casus reservatos num possit adire Diœcesim, ubi casus non est reservatus, ut ibi absolvatur? X. Si in aliqua Civitate sit dies festus, poterit ne idem civis mane exire, & sic ab auditione Sacri deobligari? XI. An discessurus a Patria, ubi obligat lex jejunii, possit mane jentaculum sumere, ac pluries comedere? Et an etiam qui perventurus est vespere ad locum, ubi jejunatur? XII. Num, & quando Sacerdos Græcus transiens per Ecclesiam Latinam possit in azymo consecrare; & similiter Latinus in fermentato? XIII. Num possit Peregrinus a suo Superiore puniri propter delictum patratum extra Territorium Superioris? XIV. Non est eadem ratio de subdito deliquente extra Territorium sui Superioris, ac de deliquente in locis exemptis. XV. Vagi tenentur legibus loci, ubi degunt.

ARTICULUS IV. 42

An Clerici, & Religiosi teneantur servare leges civiles?

I. Non ligantur Ecclesiastici legibus civilibus immunitatem lædentibus. II. Obligantur autem directe aliis legibus, quatenus a Sacris Canonibus approbantur, III. Non tamen obligantur quoad vim coactivam. IV. Consuetudo in contrarium, quæ habetur in nonnullis casibus, videtur per Bullam Cœnæ quotannis revocari. V. Possunt quidem Laici hic & nunc arma ab Ecclesiasticis tollere, ne damnum sequatur; sed ea tradenda statim sunt eorum Prælato. VI. Religiosi legibus Synodalibus, quibus Clerici astringuntur, non tenentur.

QUÆSTIO IV.

De Effectibus legis, præsertim Pœnalis, Irritantis, & Dubiæ.

ARTICULUS I. 44

De obligatione Legis universim.

I. Possunt leges etiam civiles obligare in conscientia, quamvis non omnes de facto obligent, præsertim sub mortali. II. Lex autem fundata in præsumptione non obligat, si præsumptio sit falsa. III. Quod si fundetur in præsumptione periculi, fraudum, &c., etiam in foro interno probabilius obligat, quamvis desint hic & nunc fraudes, &c., nisi locum habeat Epicheja, IV. Lex nequit obligare sub gravi in materia & secundum se, & relate ad finem levi. V. Potest tamen in materia gravi obligare sub levi tam lex, quam votum. VI. At juramentum in materia gravi semper obligat sub gravi. VII. Quod lex in materia gravi obliget sub gravi, colligi potest tum ex verbis graviter præceptivis; tum ex usu, & consuetudine; tum ex materia de se gravi, tum etiam si gravis pœna addatur transgressoribus; nec lex sit civilis, & pœnalis.

ARTICULUS II. 46

Ad quid obliget Lex Pœnalis?

I. Probabiliter lex civilis imponens pœnam transgressoribus non obligat sub gravi, nisi id Superior explicet. II. Lex pœnalis mixta probabilius obligat in conscientia. III. Lex Ecclesiastica imponens pœnam gravem in conscientia obligat. At quænam dicatur pœna gravis; Num excommunicatio sententiæ ferendæ? Num pœna Suspensionis? Quid de pœna privationis officii, vocisque activæ, & passivæ? IV. Quænam pœna ipso facto incurratur ante sententiam Judicis? V. Pœnæ, quæ requirunt actionem hominis, non incurruntur ipso facto ante sententiam declaratoriam criminis. VI. Probabiliter pœna privationis vocis activæ, & passivæ non incurritur ante sententiam declaratoriam criminis. VII. Judex subditus tenetur pœnam lege taxatam imponere, nisi rationabilis causa exigat, ut minuatur. VIII. Quandonam lex humana obliget etiam cum vitæ discrimine?

ARTICULUS III. 50

De Effectibus legis irritantis.

I. Lex aliquando vult contractum esse irritum, aliquando vero irritandum. II. Si lex irritet contractum in pœnam delicti, dicitur lex Pœnalis; secus vero si illum irritet ob bonum commune. III. Quænam verba legis denotent contractum esse irritum; quænam vero esse irritandum? IV. Ex actu irrito lege humana nulla oritur obligatio in conscientia: Idque etiam verum est, etiamsi lex irritans fundetur in præsumptione fraudis, quæ absit reapse. V. Si lex tamen præsumat fraudem in singulis casibus, cessante fraude, certe non obligat; secus vero si præsumatur fraus ut plurimum. VI. Regulariter, si irritatio actus sit pœnalis, requirit sententiam Judicis, ut illum irritet; non tamen si lex irritans non sit pœnalis. VII. Lex prohibens actum non eatenus universim illum irritat. VIII. Actus ex defectu formæ substantialis est irri-

irritus. Sed quænam dicantur pertinere ad formam substantialem actus, quænam ad accidentalem? IX. Ex regulis præjactis plura ad praxim infertur. X Actus præceptus, vel prohibitus in casu arduo pati potest Epichejam; Actus vero, qui ob defectum solemnitatis a jure præscriptæ est irritus, ut Matrimonium clandestinum, in nullo casu est validus. XI. Cur possit Episcopus ex urgentissima causa dispensare in impedimento dirimente, verbi gratia, consanguinitatis? non tamen in impedimento Clandestinitatis? XII. Lex irritans sicut non patitur epichejam, ita obligat etiam ignorantes illam. XIII. Sicut ignorantia legis non impedit actus irritationem, ita nec metus. XIV. Non cessat obligare lex irritans, si finis legis cesset negative; secus vero si cesset contrarie.

ARTICULUS IV. 55

De Obligatione Legis Dubiæ.

I. Alibi differuimus, num lex dubia obliget, sive dubium sit ex parte legis, seu præcepti, sive ex parte rei præceptæ, sive ex parte Superioris. II. In dubio, an detur lex, seu an hunc casum comprehendat, seu an sit promulgata, probabilius illa non obligat; Secus vero si dubitetur, an sit acceptata, an abrogata, an ab ea sufficienter excuseris? III. Epicheja locum habet, etiam quando solum probabiliter judicamus nolle Superiorem in tali cosu obligare; et. iamsi finis legis solum cesset negative. IV. In dubio, an res pæcepta sit licita, obtemperandum est Superiori illam præcipienti; Nisi tamen ea res sit valde ardua. V. Etiam Religiosi, quamvis sint subditi voluntarii, tenentur obedire Superiori præcipienti, etiam in dubio, an res præcepta excedat illius potestatem. VI. Quid si tam Superior, quam Subditus dubitent de honestate rei præceptæ? VII. Etiamsi dubitet subditus positive, & probabile sit quod res præcepta sit illicita, adhuc obtemperare tenetur Superiori præcipienti. VIII. In dubio de legitima Superioris potestate, si hæc sit in possessione, obtemperandum est præcipienti, nisi res præcepta sit valde ardua; secus vero, si ea non sit in possessione. IX. Quid si dubitetur, num lex sit directiva, an præceptiva; num obliget sub gravi, an sub levi? Num habeat rationem consilii, an legis? X. Quid dicendum in variis dubiis sive ad Votum, sive ad Juramentum spectantibus?

QUÆSTIO V.

Quomodo legi parendum?

ARTICULUS I. 58

De Intentione requisita ad satisfaciendum legi.

I. Ad satisfaciendum legi positivæ requiritur intentio ponendi opus præceptum. II. Non tamen ad satisfaciendum præcepto negativo. III. Qui invitus audit Missam, vel jejunat, non satisfacit præcepto; At qui invitus restituit, non tenetur ad aliam restitutionem. IV. Quid si quis per metum audiat Missam præceptam? V. Num satisfaciat jejunio precepto, qui tota ea die dormit nihil cogitans de jejunio? VI. Quamvis ad satisfaciendum præcepto requiratur intentio ponendi opus præceptum, non requiritur tamen intentio satisfaciendi præcepto. VII. Debens Titio centum, si immemor debiti donet illi centum, num teneatur alia centum dare, ut debito oblito satisfaciat? VIII. Num legi satisfaciat, qui ponit opus injunctum nolens per illud satisfacere, dummodo talem voluntatem deinde deponat? IX. Num pœnitentia, quæ virtute clavium debet impleri, possit pariter poni cum consimili voluntate? X. Qui ex pluribus titulis debet aliquid ponere, quin possit eodem opere omnibus obligationibus facere satis, cuinam ex illis censetur satisfecisse ponendo tale opus?

ARTICULUS II. 62

Quibus actibus legi satisfiat?

I. Quandonam possit uno eodemque opere pluribus obligationibus satisfieri? II. An, & quomodo possit nova superveniens obligatio cadere super eundem actum alias ex alia virtute prius debitum? III. Qui tenetur dare eleemosynam, num satisfaciat dando illam extreme indigenti? IV. Quandonam missio operis ex multiplici præcepto impositi sit multiplex peccatum in confessione explicandum? V. Num possit pluribus præceptis satisfieri diversis actionibus positis eodem tempore? VI. An possit per actum malum præcepto satisfieri? VII. Datur duplex intentio Legislatoris, alia legi intrinseca, seu de re præcepta, alia legi extrinseca, seu de fine obtinendo per rem præceptam. Qui solum adversus intentionem legi extrinsecam operatur, legem non transgreditur.

ARTICULUS III. 64

An qui non potest implere totum præceptum, teneatur ad partem, quam potest.

I. Difficultas procedit in casu, quo opus præceptum est divisibile; ut sunt Horæ Canonicæ, jejunium Quadragesimale, &c. II. Neque est verum, quod nullatenus teneatur ad partem, qui non potest totum præceptum implere; Neque est verum, quod teneatur ad quamcumque partem quam potest; Neque quod solum teneatur ad partem, quando ea est major pars operis præcepti. III. In infirmitate vitanda est perplexitas: Extra infirmitatem, si res præcepta soleat dividi, qui non potest totum, tenetur ad quamcumque partem, quæ sit moraliter integra; Si vero non soleat dividi, tunc excusatur, quando pars, quæ non potest impleri, non est modica. IV. Qui nequit integram missam audire, sed potest audire quoad ejus substantialia, ad id tenetur; Idemque dicas de jejunio. V. Probabilius dicendum, quod impotens implere totum præceptum teneatur ad partem, quam potest, si ea sit notabilis, & censeatur intenta a Superiore. VI. Qui nequit Horas sine socio recitare, num teneatur illum asciscere? Et num Previlegiarius tempore Interdicti teneatur audire Sacrum die festo?

ARTICULUS IV. 67

De Impedimentis non apponendis legi adimplendæ.

I. Præcepta naturalia obligant ad ponenda media ad eorum executionem, & ad removenda impedimenta. II. Non tamen omnia præcepta positiva ad id obligant. III. Num possit quis in pilæ ludo, vel in venatione die jejunii defatigari, prævidens, quod non possit jejunare? IV. Num id ipsum fieri possit in fraudem jejunii ad declinandam ejus obligationem; eo modo, quo porest quis egredi e loco, ubi obligat præceptum jejunii, ne teneatur jejunare?

v. Qui solum prævidet, quod in lusu pilæ defatigatus non possit deinde jejunare, ludendo dicitur apponere jejunio impedimentum remotum, & non peccat. Qui vero id intendit, ludendo dicitur apponere impedimentum proximum, & peccat contra legem jejunii. vi. Unde dignosci possit, num impedimentum, quod apponitur observantiæ legis, sit proximum, & eatenus peccaminosum, non vero remotum? vii. Variæ regulæ, quæ a Doctoribus adducuntur, multis exemplis subjiciuntur, ut in bono lumine reponantur. viii. Cur excommunicatus teneatur absolutionem procurare, ut possit in Paschate communicare, non vero ut possit die festo audire Sacrum? ix. Num liceat die Sabbati ire venatum, si prævideatur, quod die Dominico non possit Sacrum audiri? x. Num peccent barbitonsores, si tondeant die festo? Quid de puellis, quæ die festo suunt ad vitandum otium?

QUÆSTIO VI.

De Legis Interpretatione, Extensione, Abrogatione, & Cessatione.

ARTICULUS I. 70

De Legis interpretatione, & extensione.

i. Verborum proprietas, alia est Naturalis, alia Civilis. Quando verba legis extendi debent, sumuntur etiam secundum proprietatem civilem. ii. Doctores interpretari possunt leges ampliando illas interpretatione solum doctrinali, non auctoritativa. Quid de declarationibus Cardinalium? iii. Præter interpretationem legis Authenticam, & Doctrinalem datur etiam Usualis. iv. Undenam mens Legislatoris conjici potest, ut detur legi apta interpretatio? v. Variæ regulæ assignantur a Doctoribus ad rite leges interpretandas. vi. Quandonam particula disjunctiva *Sive* sumenda sit pro copulativa? vii. Quomodo sit interpretanda lex, quæ uni est favorabilis, alteri vero odiosa? viii. Quid si verba legis habeant plures sensus, nec constet de mente Legislatoris? ix. Quid si dubitetur an verba legis sumenda sint secundum propriam verborum significationem, an secundum communem, & usitatam?

ARTICULUS II. 75

Quandonam lex restringi, aut extendi debeat?

i. Lex odiosa aliquando restringi potest vi Epikejæ in casu, qui non videtur verbis legis comprehensus. ii. Num possit lex extendi ad casum verbis legis non comprehensum, vel ob paritatem, vel ob identitatem rationis? iii. In legibus pœnalibus non datur extensio de casu ad casum relate ad pœnam; imo nec relate ad obligationem. iv. Nec datur hujusmodi extensio in legibus correctoriis; Aut in dispensationibus, aut privilegiis alicui factis, quæ exorbitant a jure communi. Immo probabiliter nec in legibus favorabilibus. v. Extendenda tamen quælibet lex, quando, nisi extendatur, Legislator argueretur injustitiæ, vel imprudentiæ. vi. Similiter in æquiparatis, & in connexis. vii. Lex prohibens monialibus, ne egrediantur, nisi ob incendium, lepram, &c., num se extendat ad casus similes? viii. Num Bulla contra Confessarios, qui solicitant mulieres ad turpia, se extendat etiam ad masculos?

ARTICULUS III. 80

De legis Abrogatione.

i. In quo differat legis Abrogatio a Derogatione? Et quinam possit data causa legem abrogare? ii. Num possit lex ab inferiore condita ab eodem abrogari, si ea confirmata fuerit a Superiore? iii. Num possit Inferior in suo territorio legem Superioris abrogare, eo modo quo potest in ea dispensare? iv. Ut lex abrogetur, non requiritur talis abrogationis publicatio. v. Quandonam lex posterior censeatur priorem legem abrogare? vi. Quandonam fieri debeat prioris legis mentio, ut per posteriorem abrogetur? vii. Lex posterior specialis, si sit contraria legi priori generali, solum illi derogat, non abrogat illam.

ARTICULUS IV. 82

Quas ob causas cesset legis obligatio?

i. Novem de causis cessare potest legis obligatio. ii. Vis, & Metus, quæ solent a nonnullarum legum observantia excusare, in quo differant? iii. Metus excusat etiam a nonnullis legibus Naturalibus, & Divinis. iv. Non excusatur, qui metu mortis simulat Sacramenti administrationem. Quid si simulet contractum matrimonialem? v. Num liceat Sacerdoti metu mortis sine Sacris vestibus celebrare? Ad dandum Viaticum moribundo sine iis vestibus celebrare non licet. vi. Ad mortis periculum effugiendum licitum est carnibus humani cadaveris vesci. vii. Quænam impotentia a legis observantia excuset? viii. Num peccet, qui conjicit se in aliquod impedimentum, unde legem servare non possit? ix. Plurima alibi diximus de ignorantia excusante a legis transgressione, quæ hic solum innuuntur.

ARTICULUS V. 84

Utrum cessante fine legis negative cesset lex obligare?

i. Si solum cesset finis legis inadæquatus, lex non cessat obligare. ii. Si finis legis adæquatus cesset pro tota communitate, lex cessat simpliciter obligare; non secus ac votum cessat cessante ejus fine adæquato. iii. Num cessante fine legis adæquato relate ad personam particularem cesset lex; Eo modo, quo cessante fine legis adæquato relate ad totam communitatem pro aliquo tempore, cessat pro eo tempore lex obligare? iv. Cessante fine legis contrarie, procul dubio cessat lex. v. Quid si finis legis cesset, solum negative? Num ea cesset, sicut cessat lex correctionis fraternæ? vi. Probabilius ea non cessat; eo quod non cesset periculum damnorum, quæ lex vitare intendit. vii. Rationibus in contrarium fit satis, præsertim paritati de fraterna correctione. viii. Hisce responsionibus occurrunt Adversarii. ix. Conantur pariter satisfacere rationibus pro communiori, ac veriori sententia adductis.

ARTICULUS VI. 88

De Cessatione finis legis contrarie; ubi de Epikeja.

i. Quid sit Epikeja, & quomodo ea utendum, quando finis legis cessat contrarie? ii. Epikeja habet etiam locum, quando actus præceptus est arduus, quam-

quamvis non cessat contrarie finis legis. III. Finis legis cessat negative, quando in casu particulari cessat ratio Legis, quæ tamen sine incommodo servari potest; at cessat contrarie, si sine gravi incommodo servari non posset. IV. Ad usum Epikejæ satis est probabilitas excusationis, esto non detur evidentia; Dubium tamen de excusatione non est satis ad talem usum. V. Locum habet Epikeja non solum quando probabile est, quod non potuerit in tali casu Legislator obligare, sed etiam quando probabile est, quod noluerit. VI. Quid si lex sit ardua, ac dubitetur, num voluerit pro tali casu obligare Superior, qui consuli non possit? Num ea dicenda sit lex dubia, quæ non obliget?

QUÆSTIO VII.

De Consuetudine.

ARTICULUS I. 93

Quid, & Quotuplex sit Consuetudo?

I. Consuetudo sumpta pro facto est Frequens usus; Sumpta vero pro jure est Lex non scripta. II. Explicatur consuetudinis definitio, & plura inde deducuntur. III. In quonam ea differat ab usu frequenti, a stylo fori, & a Præscriptione? IV. Consuetudo alia est Canonica, alia civilis. Dividitur etiam in Communem, Nationalem, & Municipalem. V. Necnon in eam, quæ est Juxta legem, Præter legem, & Contra legem. VI. Num possit Consuetudo dari contra jus Gentium?

ARTICULUS II. 94

De Conditionibus Consuetudinis.

I. Non paucæ enumerantur conditiones ad Consuetudinem obligatoriam inducendam requisitæ. II. Consuetudo dicitur rationabilis, si sit de re honesta, & utili Reipublicæ, etiamsi consuetudo sit contra legem. III. In dubio, an sit rationabilis, in favorem consuetudinis introductæ judicandum est, nisi ipsa consuetudo a lege reprobetur. IV. Ut Consuetudo vim habeat legis, requiritur temporis diuturnitas, & probabiliter decennium non interruptum; ac forte quadricennium, si sit contra legem Canonicam. V. Quænam actuum frequentia requiratur ad inducendam consuetudinem? VI. Actus hujusmodi debent esse voluntarii, & ex animo inducendi consuetudinem eliciti, ac majori parti Communitatis manifesti. VII. Etiam actibus malis consuetudo habens vim legis introduci potest. VIII. Unde dignoscatur, quod consuetudo non sit introducta ex devotione, aut liberalitate; sed ex animo inducendi obligationem? IX. Quid de consuetudine abstinendi a lacticiniis in pervigiliis extra Quadragesimam? X. Qualis consensus Principis requiratur, ut consuetudo habeat vim legis?

ARTICULUS III. 97

Quinam possint Consuetudinem introducere?

I. Privata persona consuetudinem obligatoriam inducere non potest, quamvis sit Rex. II. Cur Episcopus per contrariam consuetudinem non procedit ad subditorum correctionem cum consilio Capituli, prout lege olim tenebatur? III. Neque Communitas imperfecta, ut familia, consuetudinem inducere potest. IV. Consuetudo laicorum non obligat Clericos, nec vice versa. At ad abrogandam legem, quæ laicis, & Clericis sit communis, sufficit major pars Communitatis, etiamsi sit solorum laicorum. V. Fœminæ non possunt sua consuetudine abrogare legem solos Masculos obligantem. Possunt tamen Moniales sua consuetudine proprias leges abrogare. VI. Mercatores possunt sua consuetudine abrogare leges proprias, ac veluti municipales.

ARTICULUS IV. 98

De Effectibus Consuetudinis.

I. Consuetudo inducit obligationem, abrogat legem, illam interpretatur, actum irritare potest, non secus ac lex, ac reddere aliquem inhabilem ad Beneficia. II. Potest aliqua consuetudo obligare solum ad pœnam, & non ad culpam. III. Potest etiam abrogare pœnam, relicta obligatione ad culpam. IV. Et e converso potest abrogare legem obligantem ad culpam, relicta obligatione ad penam. V. Num possit abrogare legem vetantem consuetudinem contrariam? VI. Lex de non trahendis Clericis ad potestatem laicam cur non possit consuetudine contraria abrogari? VII. Si reprobetur consuetudo contraria ob periculum damni, hoc cessante potest lex per consuetudinem in oppositum abrogari; Secus vero si reprobetur ob intrinsecam ejus malitiam. VIII. Num clausula illa, Non obstante consuetudine in contrarium, abroget non solum consuetudinem præteritam, sed etiam futuram? Et num etiam immemorabilem? IX. Potest consuetudo, non secus ac lex, abrogare legem irritantem; potest etiam reddere irritos actus cæteroqui validos. X. Quonam pacto consuetudo legem interpretetur? Et quomodo ea sit regula contractuum?

ARTICULUS V. 101

De Abrogatione Consuetudinis.

I. Consuetudo abrogatur aut per legem expressam, aut per contrariam consuetudinem. II. Neque lex, neque consuetudo contraria priorem consuetudinem abrogat, nisi ex diametro illi opponatur. III. Ut consuetudo contrariam consuetudinem abroget, debet esse legitime præscripta: Desuetudine autem consuetudo non abrogatur. IV. Non usus legis tunc legem abrogat, quando aliquid contra legem continet: Sicut Privilegium amittitur, si quis libere per decennium illo non utatur. V. Num per non usum amittatur Privilegium, quando facultas sit data simpliciter; adeo ut si ea detur, ut privilegiarius ea utatur ad arbitrium, nunquam amittatur per non usum? VI. Verius privilegium universim amittitur per non usum, quando per decennium Privilegiarius, oblata opportunitate, & potens eo uti, non vult uti, ac veluti illi renunciat. Oppositum tamen non caret sua probabilitate.

QUÆSTIO VIII.

De Dispensatione Legis.

ARTICULUS I. 102

Quid sit Dispensatio, & an cadere possit in legem Naturalem, & Divinam?

I. Dispensatio est juris relaxatio; atque adeo differt a

fert a legis Interpretatione, Abrogatione, Derogatione, Irritatione; necnon ab Absolutione, a Licentia, & a Privilegio. II. Dispensatio legis in quo differat a dispensatione in voto, & a relaxatione juramenti? III. Nequit Deus in lege naturali dispensare in iis circumstantiis, in quibus Lex naturæ obligat. Potest aliquando mutare materiam legis naturalis, mutando circumstantias, sub quibus ea obligat, & sic solum indirecte dispensat. IV. Pontifex indirecte dispensat in lege naturali, puta in voto, in juramento, & in iis omnibus, in quibus expediens fuit rectæ gubernationi hanc potestatem a Deo illi committi. V. In quibusnam casibus potest Pontifex in jure Divino positivo dispensare? VI. Num possit Pontifex dispensare, ut in una tantum specie Sacrificium offeratur?

ARTICULUS II. 106

Quinam possit in lege humana dispensare?

I. Potest Pontifex in legibus Apostolicis, & Concilii Oecumenici dispensare, II. Nequit Archiepiscopus dispensare in legibus Concilii Provincialis: Sed potest Episcopus dispensare in legibus Synodi Dioecesanæ, etiamsi a Pontifice confirmatæ sint confirmatione simplici, non tamen si essentiali. III. Nequit inferior in lege Superioris dispensare, nisi id illi saltem tacite permittatur. IV. Absolutio a censuris conceditur inferiori, nisi reservetur; Secus vero dispensatio. Pariter dispensat Episcopus in votis, si non reserventur; At non in legibus Pontificiis. V. Quandonam censeatur concessa Episcopo facultas dispensandi in lege Pontificia? VI. Si dubitetur, an possit hic & nunc Episcopus dispensare in lege Pontificis, probabiliter dispensare potest, etiamsi dubium sit negativum.

ARTICULUS III. 108

Circa quos possit Dispensatio exerceri?

I. Dispensatio, utpote actus jurisdictionis, cum subditis est exercenda. II. Prælatus dispensans universim cum subditis in aliqua lege, dispensat etiam secummet; etsi improprie secummet in sua lege dispenset. III. Directe Prælatus in lege Superioris secummet dispensat, quin ad exercendum hunc actum jurisdictionis voluntariæ requiratur distinctio personarum. Potest etiam secummet in votis dispensare, sicut cum subditis. IV. Num possit Pontifex directe sibi indulgentias elargiri? V. Nequit Prælatus inferior directe tollere a se irregularitatem, aut alias pœnas Ecclesiasticas per sententiam impositas; licet id possit cum subditis. VI. Quid possit Superior loci cum forensibus, vagis, & peregrinis relate ad dispensationes? VII. Quid pariter possit Metropolitanus cum Episcopis suffraganeis, & cum eorum subditis. VIII. Num possit Episcopus cum Regularibus exemptis dispensare eo pacto, quo potest cum subditis suis.

ARTICULUS IV. 112

De Causa ad dispensandum requisita.

I. Ad valide dispensandum in lege propria non requiritur causa; Requiritur tamen probabilius causa, ut valeat dispensatio data ab eo, cui Legislator tribuit facultatem dispensandi. II. Ut licite tamen dispensatio concedatur, quænam causa requiritur? III. Num, & quando mortaliter peccet Legislator dispensando in propria lege sine causa proportionata? IV. Qualiter peccet subditus petendo a Superiore dispensationem, quæ sine justa causa detur? V. Num peccet, qui utitur dispensatione valide quidem, sed illicite sibi data? VI. In dubio de sufficientia causæ ad dispensandum potest subditus judicio Superioris se remittere, & licite uti dispensatione. VII. Pro foro tamen externo constare debet de sufficientia causæ. VIII. In jure communi vetatur Episcopis, ne sine justa causa in suis legibus dispensent; sed non eatenus talis dispensatio est invalida. IX. Invalide dispensat Pontifex sine justa causa in jure Divino, ac naturali. X. Num sit invalida dispensatio in lege Superioris, si dispensanti non innotescat justa causa, quæ tamen revera adest? XI. Quid si viceversa causa justa absit, & Superior dispensans bona fide supponat illam adesse? XII. Quænam censenda sit legitima causa ad dispensandum? XIII. Num teneatur Superior data justa causa dispensationem concedere? XIV. An possit dispensans in lege Superioris onus aliquando imponere dispensato? XV. Qui potest in voto dispensare, potest etiam illud commutare; At qui potest in lege Superioris dispensare, non eatenus potest illam commutare. XVI. Episcopus dispensans in irregularitate quomodo possit aliquando mulctam imponere? XVII. Num requiratur gravior causa ad dispensandum in voto, quam in lege Superioris?

ARTICULUS V. 119

Quibus de causis obtenta dispensatio sit invalida?

I. Dispensatio est nulla, donec dispensatio innotescat, & acceptetur. II. Multis de causis potest in dispensante deficere voluntas dispensandi. III. Ratihabitio de præsenti signis externis manifestata sufficit ad dispensationis concessionem. IV. Ratihabitio de futuro, quæ sufficit ad licentiam concedendam, non sufficit ad concedendam dispensationem. V. Quibus signis censetur Superior tacite dispensare? VI. Prælati taciturnitas sæpe est signum permissionis, non dispensationis. VII. Num dispensationes metu extortæ sint validæ? VIII. Dispensatio extorta per dolum circa causam finalem est invalida: Secus vero si dolus sit circa causam impulsivam; In dubio præsumendum, quod causa fuerit impulsiva. IX. Rescriptum gratiæ surreptitium est irritum; Rescriptum vero justitiæ est irritandum. X. Dispensatio est irrita, etiamsi bona fide dispensans erret circa causam finalem. XI. Quid debeat in petitione exprimi, ne dispensatio sit surreptitia; XII. Quænam jure aut consuetudine universim exprimenda sunt? XIII. Quando dispensatio est irrita, si altera tantum ex causis expositis sit falsa? XIV. Num dispensatio sit partialiter valida, quando partialiter est surreptitia?

ARTICULUS VI. 122

Quomodo cesset, & vim suam amittat dispensatio?

I. Num cessante causa dispensationis jam obtentæ cesset dispensatio? II. Quandonam dispensatus uti potest dispensatione etiam extra territorium Prælati dispensantis? III. Quænam dispensatio, aut gratia expiret morte concedentis? IV. Quousque duret gratia concessa ad beneplacitum? V. Dispensatio cessat per revocationem, antequam ejus effectus adimpleatur. Dispensatio tamen in lege Superioris data ex justa causa invalide sine causa revocatur: Sicut invalide revoca-

vocatur dispensatio in voto. VI. Cessat dispensatio per hoc, quod illi renuntietur, dummodo dispensans in lege renunciationem acceptet. VII. Dispensatio tamen in voto, & juramento admittit vim suam per renunciationem, etiam præcisa acceptatione dispensantis. VIII. Qui dispensationi, aut commutationi voti renunciavit, num possit, mutata voluntate, dispensatione, aut commutatione obtenta uti? IX. Nec dispensatio, nec privilegium, quod non cedit in gravamen aliorum, amittitur per non usum; Secus vero si privilegium cedat in aliorum gravamen. X. Dispensatio sine limitatione concessa universim per primum actum non finitur. XI Tunc dispensatio post primum actum cessat, quando causa dispensationis non remanet etiam ad secundam vicem.

ARTICULUS VII. 126

Quomodo dispensatio, & potestas dispensandi interpretanda sit?

I. Dispensatio, quamvis sit Principis beneficium, stricte est interpretanda, utpote contra jus commune. II. In pluribus tamen casibus dispensatio latam habet interpretationem; præserttm si motu proprio Principis concessa sit, aut sit inserta in corpore juris; Aut si alicui Communitati concedatur. III. Similiter quæ fiunt ob publicam necessitatem, aut utilitatem. IV. Dispensatio ad ordines num se extendat ad Ordines Sacros? Et dispensatio ad beneficium num se extendat ad Curatum, & ad Dignitates? V. Dispensatio ad matrimonium in gradibus consanguinitatis interpretanda juxta jus commune, unde facta in tertio gradu extenditur ad secundum cum tertio. VI. Dispensatio non est ita restringenda, ut reddatur illusoria, nec se extendat ad necessario connexa. VII. Num Subdiaconus dispensatus ad uxorem ducendam, dispensetur etiam relate ad Horarum recitationem? VIII. An dispensatio extendatur de casu ad casum, in quo sit vel eadem, vel major ratio? IX. Dispensandi potestas late interpretanda, nisi vergat in præjudicium Tertii; Idemque dicendum de Privilegio. X. in dubio, an potestas dispensandi, aut privilegium sint revocata, licitum est iis uti; si tamen deinde deprenhendatur fuisse revocata, irrita censenda est dispensatio. XI. Cur Episcopus valide commutet votum in dubio an sit reservatum, contra vero habens facultatem delegatam commutandi vota, aut dispensandi, in dubio an ea potestas fuerit revocata, licite quidem ea utatur, sed irrita fit dispensatio, si deprehendatur fuisse revocatam? XII. Num valida censenda sit dispensatio in dubio de ejus valore? XIII. Quid si post dispensationem obtentam dubitetur, an Prælatus potuerit dispensare?

FINIS.

IN-

INDEX RERUM NOTABILIUM,

Quæ in hac Prima Parte de Legibus continentur.

Prior numerus Quæstionem; Alter Articulum; Tertius Numerum marginalem designat.

A

Abbatissæ num possint leges ferre non solum œconomicas, sed etiam spirituales? 2. 3. 10.

Abrogatio legis differt a derogatione. 6. 3. 1. Lex posterior specialis, si sit contraria legi priori generali, derogat illi, sed illam non abrogat. 6. 3. 7. Ad legis abrogationem non requiritur publicatio. 6. 3. 5. Quinam possit legem abrogare? 6. 3. 1. Ut lex prior per posteriorem abrogetur, num debeat illius fieri mentio? 6. 3. 6.

Abrogatur lex solum a consuetudine in contrarium, non a sola desuetudine. 1. 6. 2. Ut lex per actus contrarios abrogetur, quantum temporis requiritur? 1. 6. 3. Num requiratur decennium in lege civili, & quadricennium in Canonica? ibid. Si lex per actus contrarios abrogetur, extinguitur. Contra vero si non acceptetur, consopitur, ita ut successu temporis, si acceptetur, obliget. 1. 6. 6.

Absolutio ab excommunicatione procuranda est sub gravi, ut possit quis communicare in Paschate; non tamen ut possit Missam audire die festo. 5. 4. 7.

Absolutio a reservatis collata ex ignorantia reservationis est invalida. 1. 5. 8.

Absolutio potest conferri ab inferiore, si non reservetur expresse a superiore. Contra tamen dispensatio in legibus est reservata superiori, si non concedatur inferiori. At dispensatio in votis conceditur Episcopo, si non reservetur. 8. 2. 4.

Acceptatio legis ex benegnitate superioris est conditio requisita, ut ea obliget. 1 6. 1. Sed peccant subditi, si absque causa illam non acceptent. 1. 6. 2. A quanam communitate debet acceptari? 1. 6. 5.

Actiones moraliter indifferentes num possint esse materia legis humanæ? 2 1. 4. Num etiam actus mere interni? 2. 1. 7. Ecclesia a peccatis internis absolvit, sed illa censuris punire non potest. 2. 1. 11. At punit peccata externa occulta, 2. 1. 13. A lege humana præcipitur actus internus, quando hic est per se requisitus ad actum externum præceptum. 2. 1. 8.

Amentibus, qui nunquam habuerunt usum rationis, Eucharistia in articulo mortis non est ministranda; secus vero si illum aliquando habuerint. 3. 2. 3. Probabile est, quod perpetuo amentes solum per accidens ratione amentiæ, ut ebrii, & non per se, ut pueri, a legibus Ecclesiasticis excusentur: unde non possimus cum iis cooperari ad horum legum trangressionem. 3. 2. 4.

Archiepiscopus nequit in legibus Concilii Provincialis dispensare, licet possit Episcopus dispensare in legibus Synodi diœcesanæ. 8. 2. 12. Quid si leges diœcesanæ Synodi confirmatæ sint a Papa? ibid.

Archiepiscopus num possit dispensare cum suis Suffraganeis, & cum subditis Suffraganeorum, sicut potest cum subditis suis? 8. 3. 7.

B

Barbitonsores num peccent, si tondeant die festo? 5. 4. 10.

Bulla adversus Confessarios sollicitantes num extendatur ad eos, qui masculos sollicitant? 6. 2. 8.

Bulla Cœnæ continet censuras, quæ olim dicebantur ferri ab homine, eo quod pro uno tantum anno ferebantur; nunc censentur esse a Jure.

C

Capitulum vivente Episcopo num possit leges ferre, quibus ipsi Legislatores obligentur sine consensu Episcopi? 2. 3. 9. Quid possit Capitulum sede vacante? ibid.

Cardinalium Decreta num habeant vim legis, quando ab ipsis Congregationibus emanant? 2. 3. 8.

Carnibus humanis num liceat aliquando vesci? 6. 4. 6.

Carthusiani num ex voto, sed ex statuto, & consuetudine obligantur ad abstinendum a carnibus etiam cum vitæ discrimine. 4. 2. 8., & 6. 4. 2.

Castitas non obligat ad abstinendum a comestione calidorum, unde prævidetur pollutio secutura, obligat tamen ne quis ea intentione comedat calida, ut pollutio sequatur. 5. 4. 5. Sic justitia non obligat, ne corpus occisi ante januam alterius ponatur prævidendo illius damnum; obligat tamen ne eo animo id fiat. ibid.

Cessante fine legis in casu particulari, num cesset lex obligare? 1. 5. 1.

Clerici nequeunt ad laicam potestatem trahi vi consuetudinis introductæ. 7. 4. 6.

Communitatis nomine quid veniat, quando dicitur, quod lex debeat a Communitate acceptari, ut velit Superior illam obligare? 1. 6. 5. Num veniat Communitas universalis, an particularis? ibid.

Concilia particularia, sive Nationalia sint, sive Provincialia, sive Diœcesana, quas leges possunt condere? 2. 3. 6.

Conditiones ad legem requisitæ quænam sint? 1. 2. 1. Multifariam ea potest esse injusta, & sic invalida. 1. 2. 2. Quid si de ejus justitia dubitetur? 1. 2. 4.

Confessarius præcipere potest actus mere internos, puta orationem mentalem; non tamen Superior. 2. 1. 11.

Consuetudinis effectus sunt plures. 7. 4. 1. Potest consuetudo inducere obligationem ad pœnam, non ad culpam. 7. 4. 2. Et abrogare pœnam, relicta obligatione ad culpam. 7. 4. 3. Necnon viceversa. ib. Quid si per legem vetetur consuetudo in contrarium? 7. 4. 5. Quid si consuetudo contraria legi reprobetur? ibid. Potest consuetudo abrogare legem irritantem, necnon reddere irritos actus cœteroqui validos. 7. 4. 7. Quomodo consuetudo legem interpretetur? 7. 4. 10. Lex de non trahendis Clericis ad laicam potestatem nequit contraria consuetudine abrogari. 7. 4. 6. Consuetudo abrogatur quidem contraria consuetudine decennali, non tamen desuetudine. 7 5. 3.

Con-

Consuetudo de non comedendis lacticiniis in pervigiliis extra Quadragesimam num sit obligatoria? 7. 2. 9. Unde dignoscitur num consuetudo sit obligatoria? 7. 2. 8.
Consuetudo laicorum non obligat Clericos, nec vice versa. 7. 3. 4. Fœminæ non abrogant sua consuetudine leges solos masculos obligantes. 7. 3. 5. Possunt Moniales proprias leges abrogare vi consuetudinis contrariæ. ibid. Pariter Mercatores possunt proprias leges veluti Municipales abrogare. 7. 3. 6.
Consuetudo sumpta pro facto est ipse frequens usus, sumpta pro jure est lex non scripta. 7. 1. 1. Quid requiratur, ut consuetudo sit obligatoria? ibid. & 7. 2. 1. Multiplex datur consuetudo, præsertim juxta legem, præter legem, & contra legem 7. 1. 5. Num dari possit consuetudo contra jus Gentium? 7. 1. 6.
Consuetudo ut sit obligatoria, plures conditiones requirit. 7. 2. 1. In dubio num consuetudo introducta adversetur bono communi, an obliget? 7. 2. 3. Diuturnitas requisita ad consuetudinem inducendam probabiliter est decennium & adversus legem Canonicam quadricennium. 7. 2. 4. Quænam frequentia actuum requiratur ad illam inducendam? 7. 2. 5. Etiam actibus malis legi contrariis introduci potest consuetudo. 7. 2. 7.
Contractuum regula dicitur esse consuetudo, quatenus juxta consuetudinem introductam regulandi sunt. 7. 4. 10.
Contractuum leges obligant ipsum Legislatorem, ne contractus claudicent. 3. 1. 4.

D

Decreta, & Declarationes Congregationum Cardinalium num habeant vim legis? 2. 3. 8. & 6. 2. 2. Decreta Conciliorum, quæ in Gratiano reperiuntur, num habeant vim legis, nisi a Pontifice sint approbata? 2. 3. 7.
Desuetudo non abrogat aliquam consuetudinem legitime præscriptam, sed hæc contraria consuetudine ex diametro opposita abrogatur. 7. 5. 3. Desuetudo, seu non usus legem abrogat per actus privativos, seu legis violativos, non vero per actus mere negativos, ibid. Vide *Privilegium*.
Deus indirecte duntaxat potest in legibus naturalibus dispensare 8. 1. 3.
Dispensandi potestas in lege Pontificia quandonam censetur concessa Episcopo? 8. 2. 5.
Dispensatio in lege Superioris sine causa est nulla. 8. 4. 1. Quænam causa requiratur ut sit licita? 8. 4. 2. Num peccet qui utitur dispensatione data illicite? 8. 4. 5. Nequit valide Pontifex in votis, ac in lege naturali sine causa dispensare. 8. 4. 9. Qui potest in voto dispensare, potest illud etiam commutare. At qui potest illud dispensare in lege Superioris, nequit illam commutare. 8. 4. 15. Pluribus in casibus conceditur Inferiori facultas dispensandi in lege Superioris. 8. 2. 5. Num requiratur gravior causa ad dispensandum in lege Superioris, quam ad dispensandum in votis? 8. 4. 17.
Dispensatio legis in quo differat a dispensatione in Voto, & a relaxatione juramenti? 8. 1. 4. Quonam pacto Deus indirecte duntaxat possit in lege naturali dispensare? 8. 1. 3. Indirecte pariter Pontifex dispensat in Votis, & nonnullis aliis legibus naturalibus. 8. 1. 4. Num Pontifex dispensare possit, ut in una tantum specie Sacrificium offeratur? 8. 1. 6. Dispensatio differt ab interpretatione legis; necnon absolutione, a licentia, a privilegio. 8. 1. 1.
Dispensatio num cesset cessante fine dispensationis obtentæ? 8. 6. 1. Quandonam expiret morte concedentis? 8. 6. 3. Quandiu durat quæ conceditur ad beneplacitum? 8. 6. 4. Si non cedat in gravamen alterius per non usum non cessat, 8. 6. 9. Quandonam potest dispensatus uti dispensatione extra territorium dispensantis? 8. 6. 2. Dispensatio in lege ut cesset per renunciationem, requiritur acceptatio dispensantis, secus vero dispensatio in voto, & juramento. 8. 6. 6. V. alia V. *Legis dispensatio*.
Dispensatio obtenta non habet vim antequam innotescat. 1. 5. 9. At dispensatio facta communitati satis est, ut Communitati innotescat, quamvis ignoretur a persona particulari, ut habeat vim. ib.
Dispensatio quandonam dicatur surreptitia? 8. 5. 9.
Dispensatio quomodo sit interpretanda? 8. 7. 1.
Domicilium, & quasi domicilium quomodo acquirantur, ac deperdantur? 3. 3. 1. Quasi domicilium non sufficit ad Ordines suscipiendos, licet satis sit ad suscipienda reliqua Sacramenta. 3. 3. 2.
Dubitans an detur lex, seu an lex hunc casum comprehendat, aut num sit promulgata, ad illam non tenetur; secus vero si dubitetur, an sit acceptata, an abrogata, an detur excusatio sufficiens? 4. 4. 2. Quid si dubitetur, an res præcepta sit licita 4. 4. 5. Quid si subditus de hoc dubitet positive, probabiliter judicans rem præceptam esse illicitam? 4. 4. 7. Quid si dubitetur de legitima præcipientis potestate? 4. 4. 8. Aut num lex obliget sub gravi, an sub levi, aut sit tantum directiva? 4. 4. 9. Quid dicendum in variis dubiis voti, ac juramenti? 4. 4. 10. V. *Votum*. In dubio num lex sit favorabilis, an odiosa, quomodo est interpretanda? 6. 1. 7. Quid si dubitetur de sensu legis? 6. 1. 7., & 6. 1. 9. Quid si Episcopus dubitet, an possit dispensare? 8. 4. 6. In dubio num consuetudo introducta adversetur bono communi, an obliget? 7. 2. 3. Quid in dubio de valore dispensationis? 8. 7. 12.
Dubitans, an lex sit utilis Communitati, num ea obligetur? 1. 1. 6. Quid si quis dubitet num lex sit odiosa, & eatenus restringenda, an sit favorabilis? 1. 1. 12. Quid si dubitetur an lex sit justa, aut non sit acceptata? 1. 2. 4.
Si quis dubitet, num dispensatio sit obtenta per dolum, aut errorem circa causam finalem, an circa impulsivam, num ea sit irrita? 8. 5. 10.

E

Ecclesia quare dispenset in votis internis, & a peccatis internis absolvat, & illa non possit punire censuris? 2. 1. 11. Punit tamen peccata externa occulta. 2. 1. 13. Quomodo præcepit Ecclesia attentionem, & intentionem in recitandis horis? 2. 1. 10.
Ecclesiastici num teneantur legibus civilibus? 3. 4 2. Consuetudo puniendi Ecclesiasticos in nonnullis casibus a potestate laica per Bullam Cœnæ quotannis revocatur. 3. 4. 4. Possunt laici arma tollere ab Ecclesiasticis, ne damnum sequatur, sed statim tradenda eorum Prælato. 3. 4. 5.
Epicheja quid sit? 6. 5. 1. Non solum quando finis legis cessat contrarie, sed etiam actus præceptus est arduus, possumus ea uti. 6. 5. 2. Possumus etiam ea uti, si detur probabilitas, quod a lege excusemur, non tamen si detur dubium. 6. 5. 4. Quid si lex sit ardua, & dubitetur num Legislator voluerit pro tali casu obligare. 6. 5. 6.
Epichejæ usus in lege locum habet, quando probabiliter judicamus nolle Superiorem hic & nunc tanquam in re ardua obligare, etiamsi finis legis non cesset contrarie. 4. 4. 3.
Episcopi probabilius immediate a Pontifice, & mediate

diate a Christo Domino potestatem habent legislativam. 2. 3. 3.
Episcopus ex urgentissima causa dispensare potest in impedimento consanguinitatis, non tamen clandestinitatis. 4. 3. 11.
Episcopus nequit pro sua Urbe, quicquid potest Pontifex pro toto Orbe. 2. 3. 4
Episcopus quandonam potest in lege Pontificia dispensare? 8. 2. 5. Quandonam in votis? 8. 2. 4. Quid in dubio, an possit dispensare? 8. 2. 6. Dispensando in sua lege cum suis subditis indirecte dispensant secummet. 8. 3. 3. Dispensare potest secummet in votis, sicut cum subditis. ibid. At nequit a se irregularitatem tollere, prout potest cum subditis. 8. 3. 4. Quomodo se gerat cum forensibus, & peregrinis? 8. 3. 6. Quomodo cum Regularibus exemptis? 8. 3. 8.
Excommunicatio major latæ sententiæ non incurritur nisi ob culpam gravem. 4. 2. 3. Quid de excommunicatione sententiæ ferendæ? ib. Quid de pœna Suspensionis, Interdicti, Irregularitatis? ibid.
Excommunicatio non incurritur ab eo, cui sub pœna excommunicationis præcipitur, verbi gratia, auditio Missæ, si audiat Missam cum animo non satisfaciendi per illam præcepto; quamvis peccet, si voluntatem non mutet. 5. 1. 8
Excusatio a legis observantia novem de causis haberi potest. 6. 4. 1. Quomodo metus excusare possit ab observantia nonnullarum legum naturalium, & divinarum? 6. 4. 3. Quænam impotentia excuset? 6. 4. 7.
Extensio legis num possit fieri de casu ad casum ob paritatem, vel identitatem rationis? 6. 2. 2. In legibus pœnalibus talis extensio non datur. 6. 2. 3. Nec in legibus correctoriis, aut in dispensationibus vel privilegiis quæ exorbitant a jure communi. 6. 2. 4. Quid de æquiparatis, aut connexis? 6. 2. 6. Restringi aliquando potest lex odiosa vi Epichejæ. 6. 2. 1. Extendi vero debet, si aliter Legislator injustitiæ arguatur, vel imprudentiæ. 6. 2. 6.

F

Facultas absolvendi, aut dispensandi quandonam expirat morte concedentis? 8. 6. 3. Num expiret morte concedentis facultas absolvendi concessa ad beneplacitum ipsius concedentis? 8. 6. 4.
Festis diebus num liceat agere currus, vel mulos onustos? 3. 2. 4.
Festis diebus num possit Æditiuus templum verrere, & ornare, hostias conficere, &c. si possit ea præstare pridie? 5. 4 9.
Fine dispensationis cessante num cesset dispensatio? 8. 6. 1.
Fine legis cessante num cesset lex obligare? 6. 5. 1. Si finis adæquatus legis cesset pro tota Communitate, cessat lex obligare. 6. 5. 2. Quid si cesset finis adæquatus aut pro aliquo tempore, aut relate ad personam particularem? 6. 5. 3. Si finis hic cesset contrarie, certe cessat lex obligare. 6. 5. 4. Quid si solum cesset negative? 6. 5. 5. Probabilius non cessat, quamvis in tali casu cesset obligare lex correctionis fraternæ; cum non cesset periculum damnorum, quæ lex vitare intendit. 6. 5. 6. V. *Epicheja*.
Forenses in quo differant a peregrinis, & vagis; & quibus legibus teneantur? 3. 3. 1.
Forma substantialis dans valorem actui quænam dicatur, & quænam forma accidentalis? 4. 3. 8.
Fugiens e loco, ubi urget præceptum jejunii, non dicitur ponere impedimentum proximum jejunio, & sic peccare. 5. 4. 4.

H

Homicidium in Ecclesia dicitur committere, qui jactu sagittæ aliquem in Ecclesia occidit, quamvis ipse sit extra Ecclesiam. 3. 3. 12. Quid si in Ecclesia existens jactu sagittæ alium extra Ecclesiam occidat? ibid.
Horas qui non potest sine socio recitare, num teneatur illum asciscere? 5. 3. 6. Qui nequit totum officium recitare, potest tamen ejus partem, quandonam ad illam teneatur? 5. 3. 1

I

Ignorantia legis rescissoriæ contractuum non impedit quominus contractus sint irriti. 1. 5. 5. Num ignorantia revocationis Privilegii reddat irritum usum Privilegii? 1. 5. 6. Ignorantia revocationis Procurationis non reddit irrita Procuratoris acta, excepta celebratione matrimonii. 1. 5. 7. Ignorantia dispensationis obtentæ num reddat invalidum usum illius? 1. 5. 8
Ignorantia reservationis alicujus casus non reddit validam absolutionem ab illo. ibid. Valide quis utitur privilegio, quod ignorat, si illud innotescat Communitati, cui est concessum. 1. 5. 10.
Ignorantia quotuplex sit, & quænam excuset a legis transgressione? 6. 4. 9.
Impedimenta ad executionem præceptorum quænam removenda sint? 5. 4. 1. Quænam dicantur impedimenta remota, quæ non teneamur removere? 5. 4. 6. Prævidens quod ex lusu pilæ ita defatigetur, ut non possit jejunare, non dicitur apponere impedimentum proximum: secus vero si id intendat. 5. 4. 5.
Impedimentum dirimens consanguinitatis ex urgentissima causa dispensari potest ab Episcopo; non vero clandestinitatis. 4. 3. 11.
Impedimentum revera non apponit jejunio præcepto, qui fugit e loco, ubi lex jejunii obligat. 3. 3. 1. Num peccet, qui eo fine recedit a tali loco, ne ad jejunium obligetur? ibid.
Imperator nequit leges ferre totum Orbem obligantes, 2. 2. 4. Extra ditiones Imperatori subjectas leges Imperatoriæ allegantur velut dictamina rationi conformia; iisdem sic utuntur etiam Ecclesiastici. ib.
Impotentia excusans a legis transgressione quænam sit? 6. 4. 7.
Indulgentias num possit Pontifex sibimet directe elargiri? 8. 3. 4.
Infideles sicut peccant non suscipiendo Baptismum, ita probabilius peccant contra præceptum sumendi Eucharistiam, quatenus hoc præceptum est divinum. 3. 2. 1. Num peccet, qui Infidelibus ministrat carnes diebus vetitis; & qui iisdem injungit die festo opera servilia? 3. 2. 2.
Infirmitatis tempore quando quis nequit totum præceptum implere, & potest partem, vitari debet perplexitas. 6. 3. 3.
Injusta potest esse lex multipliciter, & eatenus invalida. 1. 2. 2. Quid si de ejus injustitia dubitetur? 1. 2 4.
Intentio ponendi opus præceptum requiritur ad satisfaciendum præcepto positivo. 5. 1. 1. Non tamen requiritur intentio satisfaciendi præcepto per tale opus. 5. 1. 6. Audiens Missam invitus præcepto audiendi Missam, utpote positivo, non satisfacit. 5. 1. 3. Quid si præceptum sit negativum, puta non furandi? ibid. Qui ponit opus injunctum nolens per illud satisfacere præcepto, num satisfaciat? 5. 1. 8.
Debens centum Titio, si immemor debiti donet illi cen-

li centum, num satisfaciat pro debito justitiæ. 5. 1. 7.
Intentio, quod aliquid turpe ponatur, sæpe fert causam proximam ad talem effectum, quæ non haberetur, si talis effectus solum prævideretur futurus. 5. 4. 5. Hinc peccat, qui eo animo non procurat absolutionem ab excommunicatione, ne teneatur audire Sacrum. 5. 4. 7. Et qui eo animo comedit calida, ut sequatur pollutio. 5. 4. 5. Et qui fluminis aquam derivat ab agro vicini, ut illi noceat, peccat contra justitiam, non tamen si id prævideat, sed non intendat. ibid.
Interpretatio legis alia est authentica, alia usualis, alia doctrinalis. 6. 1. 3. Quomodo verba legis, & mens Legislatoris interpretanda sit? 6. 1. 4. & 8. 1. 1. Quando verba legis sumenda sunt in sensu improprio? 6. 1. 5. Diversimode interpretanda lex pœnalis, & lex favorabilis. ibid. Quem sensum faciant in lege particulæ, Et, vel, Sive, & similes? 6. 1. 6. Consuetudo est optima legum interpres. ibid. Quid si dubitetur num lex sit favorabilis, & extendenda, an odiosa, & restringenda? 6. 1. 7.
Irritusne sit vi legis, an irritandus actus, unde dignosci possit? 4. 4. 3. Si talis irritatio sit pœnalis, requirit sententiam Judicis. 4. 3. 6.
Irritus est actus ex defectu formæ substantialis. 4. 3. 7. Quænam dicantur ad formam substantialem pertinere? ibid. Actus prohibitus pati potest Epikejam, non tamen actus irritus. 4. 3. 10. Nec ignorantia legis irritantis, nec metus impediunt actus irritationem. 4. 3. 13. Si finis talis legis cesset contrarie, cessat ea obligare; secus vero si solum cesset negative.
Judex num possit relaxare pœnam a lege impositam? 4. 2. 7.
Judicis sententia fundata in falsa præsumptione non obligat in foro conscientiæ. 1. 2. 2.
Judicis sententia post ejus mortem tanquam lex perseverat. 1. 7. 4.
Juramentum promissorium num possit in materia gravi obligare sub levi? 4. 5. 6. Quid de hujusmodi Voto? ibid.
Jurisdictio delegata contentiosa expirat morte delegantis, non vero voluntaria. 8. 6. 3.
Jus Gentium quodnam sit? 1. 1. 10. Num illud sit lex naturalis, an positiva? ibid.
Justitia strictius obligat quam aliæ virtutes morales, & major caus requiritur ad materialiter cooperandum cum peccato contra justitiam, quam contra alias virtutes. 5. 2. 1. Duplex debitum ex justitia non extenguitur unica solutione. ibid. Nec satisfit huic obligationi per solutionem probabilem, & incertam, ibid. Num eadem solutione satisfiat duplici debito, alteri ex justitia, alteri ex liberalitate? ibid. Num per eleemosynam datam extreme indigenti possit satisfieri debito ex justitia? 5. 2. 3.

L

Leges Canonicas ferre potest Pontifex independenter a Conciliis Oecumenicis, & a consensu Cardinalium. 2. 3. 2. Episcopi probabilius a Pontifice immediate, & mediate a Christo Domino potestatem habent ferendi has leges pro suis Diœcesibus. 2. 3. 3. At pro festis statuendis expectare debet Cleri, & populi consensum. 2. 3. 5. Quid possint Archiepiscopi relate ad totam Provinciam? Quid Capitulum Sede vacante? Quid Prælati regulares, & Abbatissæ? ibid.
Leges civiles quisnam possit ferre, & quas? 2. 2. 1. Imperator nequit suis legibus totum Orbem obligare. 2. 2. 5. Quandonam id possit Pontifex? 2. 2. 4. Legibus civilibus quandonam Ecclesiastici astringantur? 3. 4. 2.
Leges civiles quandonam obligent Ecclesiasticos, utpote jure Canonico comprobatæ? 1. 5. 1.
Leges etiam civiles possunt obligare in conscientia. 4. 1. 1. Quæ lex fundatur in præsumptione periculi, aut fraudis, probabilius obligat in foro interno, quamvis desint fraudes, nisi detur locus Epikejæ. 4. 1. 3. Unde colligi potest, quod in materia gravi lex obliget sub gravi. 4. 1. 7.
Legis abrogatio, ac derogatio. V. *Abrogatio*.
Legis acceptatio solum ex benignitate Superioris requiritur, ut ea obliget. 1. 6. 1. Peccant tamen subditi, si sine causa illam non acceptent. 1. 6. 2. Lex autem dicitur acceptata, quando major populi pars illam observat. ibid.
Legis conditiones quænam sint? 1. 2. 1. Quid si dubitetur, an sit justa, an sit acceptata, an sit utilis? 1. 2. 4. Lex, quæ non erat utilis Communitati, si evadat utilis, num obliget? 1. 3. 3.
Legis dispensatio obtenta num expiret morte concedentis? 8. 6. 3. Dispensatio in lege Superioris invalide sine justa causa revocatur; non secus ac dispensatio in Voto. 8. 6. 5. Non cessat per renunciationem dispensati, si renunciatio non acceptetur a dispensante in lege; secus vero dispensatio in Voto, aut juramento. 8. 6. 6. Qui dispensationi renuntiavit, num possit mutata voluntate uti dispensatione? 8. 6. 8.
Legis dispensatio stricte est interpretanda. 8. 7. 1. Sed in plurimis casibus latam habet interpretationem. 8. 7. 2. Dispensatio ad Ordines num se extendat ad Sacros? 8. 7. 4. Num Subdiaconus dispensatus ad ducendam uxorem dispensetur etiam ad recitationem Horarum? 8. 7. 7. Num dispensatio se extendat de casu ad casum, si eadem, vel major ratio relucet? 8. 7. 8. Dispensandi potestas, non secus ac Privilegium, late est interpretanda, nisi vergat in præjudicium tertii. 8. 7. 9. In dubio an ea sit reservata, & ea quis utatur, si deprehendatur deinde fuisse revocatam, dispensatio est irrita. 8. 7. 10. At si similiter deprehendatur fuisse revocatam potestatem dispensandi in Voto, dispensatio non est irrita. 8. 7. 11. In dubio de valore dispensationis an ea sit valida? 8. 7. 12. Quid si post dispensationem obtentam dubitetur an Prælatus potuerit dispensare? 8. 7. 13. Non est irrita dispensatio, si obtineatur per metum. 8. 5. 7. Neque si per dolum versantem circa causam impulsivam; secus vero si circa finalem. 8. 5. 8. Quid in dubio num causa fuerit finalis, an impulsiva? ibid. V. *Dispensatio*.
Legis extensio, vel restrictio. V. *Extensio*.
Legislator quonam pacto a lege sua obligetur. 3. 1. 1. Potest secummet ex causa dispensare, non secus ac cum subditis. 3. 1. 3. Quomodo teneatur legibus contractuum, & iis, quæ taxam mercibus imponunt? 3. 1. 4. Num peccet graviter transgrediendo suas leges in re gravi? 3. 1. 5.
Legis materia sunt actiones humanæ ordinabiles ad bonum commune. 2. 1. 1. Quænam sit materia legis civilis, quænam legis canonicæ, quænam legis naturalis? 2. 1. 3. Num lege humana præcipi possint actus moraliter indifferentes, aut actus mere interni? 2. 1. 4. Præcipit lex naturalis res arduas, quia Deus præcipiens dat vires sufficientes; secus lex humana, 2. 1. 3. Materia legis Canonicæ est spiritualis honestas actionum, quibus homo ad finem supernaturalem dirigitur? At legis civilis materia est tempora-

pora-

poralis, nempe recta gubernatio, & pax Reipublicæ. 2. 1. 5.
Legis obligatio. V. *Obligatio*.
Legis verba quandonam importent præceptum, quando vero consilium, & directionem, quando demum sint indifferentia ad significandum præceptum, vel consilium, & ab adjunctis, aut a gravitate materiæ dicantur importare præceptum? 1. 4. 7.
Legis verba quomodo sint interpretanda? 6. 1. 1., & 5. 7. 1 V. *Interpretatio*. Lex prohibens sub aliqua pœna delictum interpretanda est de delicto consummato in sua specie. 6. 1. 8.
Legi ut satisfiat, quænam intentio requiritur? V. *Intentio*. An legi satisfiat per actum malum? 5. 2. 6. Num pluribus præceptis possit eodem opere fieri satis? 6. 2. 1. An etiam diversis actionibus simul positis. 6. 2. 5.
Lex ardua poterit aliquando per Epikejam non observari, & interim supplicari Legislatori, ut revocetur. 1. 6. 4.
Lex discriminatur a præcepto, quia illa respicit bonum Communitatis, est perpetua, & non expirat morte Legislatoris; secus vero præceptum. 1. 7. 2. At potest præceptum aliquando post mortem præcipientis perdurare. 1. 7. 5.
Lex dubia num obliget, sive dubium sit ex parte præcepti, sive ex parte rei præceptæ, sive ex parte Superioris præcipientis. 4. 4. 1.
Lex irritat contractum, aut alium actum aliquando ipso facto, aliquando vult illum esse irritandum. 4. 3. 1. Unde id dignoscatur? 4. 3. 3. Si talis lex fundetur in præsumptione fraudum, plurimum adhuc obligat, si desit hic & nunc fraus. 4. 3. 5. Si talis lex sit pœnalis, requirit Judicis sententiam. 4. 3. 6.
Lex pœnalis num obliget in conscientia? 4. 2. 1. Quid si lex pœnalis sit mixta? 4. 2. 2. Quid si sit Ecclesiastica 4. 2. 3.
Lex Quid, & quotuplex sit? 1. 1. 1. Num consistat in actu intellectus, an voluntatis? 1. 1. 2. De publicatione requisita ut lex obliget. 1. 1. 3. Quid si dubitetur an habeat conditiones ad obligandum requisitas? 1. 1. 6. Num ea sit restringenda in dubio an sit odiosa? 1. 1. 10. In quo differat a præcepto? 1. 1. 5., & 1. 7. 2.

M

Mandatum expirat morte mandantis, quando res est integra, si contineat commissionem jurisdictionis; secus expirat semper morte mandantis, quamvis res non sit integra. 1. 7. 3. Mandatum tamen testatoris morte mandantis confirmatur. 1. 7. 4. Et sententia Judicis post hujus mortem tanquam lex perseverat. ibid.
Matrimonii impedimenta sintne ab Episcopo dispensabilia in casu urgentissimo? 8. 1. 7.
Matrimonium inter impeditos num valide contrahatur post obtentam dispensationem, antequam ea innotescat? 1. 5. 9.
Metu extorta dispensatio est valida, non tamen absolutio ab excommunicatione. 8. 5. 7. Quid de promissione metu extorta? ibid.
Metus quomodo aliquando excuset ab observantia legis etiam naturalis, & divinæ? 6. 4. 3. Non licet ob metum mortis simulare Sacramenti administrationem. 6. 4. 4. Quomodo liceat matrimonium simulare? ibid.
Missa non est celebranda sine sacris vestibus ad dandum Viaticum moribundo. 6. 4. 5.

Missam audire num teneatur, qui mane egreditur e civitate, ubi est dies festus, perventurus ante meridiem ad locum, ubi dies non est festus. 3. 3. 11. Num tempore interdicti teneatur illam die festo audire Privilegiarius? 5. 3. 6. Qui nequit totam Missam audire, tenetur ad ejus substantialia, si potest. 5. 3. 4.
Moniales num possint e Monasterio egredi in casibus, qui sunt similes expressis? 6. 1. 7.
Moniales omittendo unam Missam præceptam in virtute sanctæ Obedientiæ ab Abbatissa venialiter peccant. 3. 1. 6. Peccant tamen mortaliter ommitendo unam Missam ab Ecclesia præceptam. ibid.

O

Obligatio legis novem de causis cessare potest, ob vim, ob metum, ob impotentiam, ob ignorantiam, ob ejus abrogationem, ob consuetudinem contrariam, ob dispensationem, ob cessationem finis, ob epikejam. 6. 4. 1. Metus excusat aliquando etiam a nonnullis legibus naturalibus, & divinis. 6. 4. 3. Quænam impotentia excusat? 6. 4. 7. Et quænam ignorantia? 6. 4. 10. V. *Fine legis cessante*.
Obligatio legis unde dignosci possit quod sit gravis, & sub reatu culpæ mortalis? 4. 1. 7. Quomodo obliget lex pœnalis, sive Civilis, sive Ecclesiastica? 4. 2. 1. Quando lex humana obligat etiam cum vitæ discrimine? 4. 2. 8.
Obligationibus pluribus num possit eodem opere fieri satis? 5. 2. 1. Num etiam pluribus actionibus simul positis? 5. 2. 5. Omissio operis ex vi plurium obligationum debiti num sit multiplex peccatum, & quando? 5. 2. 4. Num per actum malum possit satisfieri legi? 5. 2. 6.
Obligatne lex, antequam Communitati publicetur? 1. 1. 8.
Oratio mentalis cur possit a Confessario præcipi pœnitenti, non vero a Superiore subditis? 2. 1. 11.

P

Peregrini in quo differant a Forensibus, & Vagis? 3. 3. 1. Quomodo domicilium, aut quasi domicilium acquirant, aut deperdant? ibid. Ad Ordines suscipiendos requiritur in iis domicilium, ad reliqua vero Sacramenta sufficit quasi domicilium. 3. 3. 2. Quibus legibus teneantur. 3. 3. 4. Quid si mane egrediantur e loco, ubi sit dies festus, aut obliget lex jejunii, perventuri ad locum, ubi dies non est festus, aut lex jejunii non obligat? 3. 3. 10. Num possint a suo Superiore puniri propter delictum patratum extra Superioris territorium? 3. 3. 13. Tenentur legibus juris communis, si sint in loco, ubi contraria consuetudo non viget: verbi gratia, Mediolanensi tenetur Neapoli quatuor primis diebus Quadragesimæ jejunare. 3. 3. 4. Num teneantur legibus loci, per quem transeunt? 3. 3. 5. Num legibus suæ patriæ? 3. 3. 7.
Perpetuitas negativa cuivis legi competit; Legi vero Evangelicæ num perpetuitas positiva? 1. 7. 1.
Pœna gravis temporalis imposita transgressoribus legis civilis num supponat culpam gravem? 4. 2. 1. Pœna gravis Ecclesiastica certe lethalem culpam supponit. 4. 2. 3. Quænam sit pœna isthæc gravis? Num etiam Excommunicatio ferendæ sententiæ, Suspensio, Interdictum, Irregularitas? ibid. Pœna, quæ nullam hominis actionem requirit, ut Excommunicatio ante sententiam Judicis in foro conscientiæ incurritur; non tamen quæ hominis actionem postulat. 4. 2. 4. Quid de pœna privationis vocis acti-

væ, & passivæ? Num requirat sententiam declaratoriam, si minus pœnæ, saltem criminis? ibid.
Pœnitentiam a Confessario impositam num impleat, qui ponit opus injunctum animo non satisfaciendi per illud? 5. 1. 9.
Pontifex invalide in votis, ac in lege naturali sine causa dispensat. 8. 4. 9. Num possit sibimet directe Indulgentias elargiri? 8. 3. 4.
Pontifex solum indirecte potest in voto, ac in nonnullis aliis legibus naturalibus dispensare. 8. 1. 4. Num possit dispensare, ut in una tantum specie Sacrificium offeratur? 8. 1. 6.
Pontifex non arctatur legibus civilibus, sed eas admittit, si bonis moribus non repugnent. 1. 5. 1.
Pontifex solum indirectam potestatem habet in omnia temporalia, dispensando de illis, quando id expedit ad animarum salutem. 2. 2. 4. Sacrilege peccaret, si secummet dispensaret ad ducendam uxorem. 3. 1. 7.
Pontificiæ leges num requirant lapsum duorum mensium post publicationem, ut obligent? 1. 5. 2. Num debeant in singulis Provinciis publicari? ibid. Quid de legibus Regiis? 1. 5. 3.
Potestas dominativa, & œconomica quomodo differat a potestate Jurisdictionis, & Politica, quæ requiritur ad leges ferendas? 2. 2. 2.
Præcepto satisfacit, qui assequitur intentionem Legislatoris legi intrinsecam, quæ est positio rei præceptæ, quamvis non assequatur intentionem legi extrinsecam, nempe finem legis. 5. 2. 6.
Præcepto recitandi Horas, & præcepto audiendi Missam potest simul satisfieri. 5. 2. 5.
Præceptum qui non potest integre ponere, num, & quando teneatur ad partem, quam potest? 5. 3. 1. Aliter discurrendum quando res est divisibilis, & quando est indivisibilis. 5. 3. 2. Et aliter in infirmitate ac extra illam, cum in infirmitate vitanda sit perplexitas. 5. 3. 3. Impotens implere totum præceptum tenetur ad partem, quam potest, si ea sit notabilis, & censeatur per se a Legislatore intenta. 5. 3. 6.
Præceptum in quo differat a lege? 1. 1. 5. Illud morte præcipientis universim expirat. ibid., & 1. 7. 2. At potest non expirare. 1. 7. 3.
Prælatus, qui legis transgressionem permittit, si potest illam facile impedire, & non impedit, censetur dispensare. 8. 7. 6.
Privilegium late interpretandum est, sicut potestas dispensandi, nisi vergat in præjudicium Tertii. 8. 7. 9. In dubio an sit revocatum, si quis eo utatur, & deinde deprehendatur revocatum, invalidus est ejus usus. 8. 7. 10. At si Episcopus in dubio de voti reservatione dispenset, etiamsi deinde deprehendatur reservatum, valida est dispensatio. 8. 7. 11.
Privilegium habet rationem legis privatæ, si detur alicui particulari Communitati; non vero si detur personæ particulari. 1. 1. 4. Respicit bonum privatum, non publicum. 1. 3. 1.
Privilegium quando per non usum amittatur. 7. 5. 6., & 8. 6. 9.
Privilegio obtento non possumus uti, nec dispensatione, antequam innotescant. 1. 5. 9.
Privilegium in quo differat a dispensatione, & a licentia? 8. 1. 1.
Procuratoris acta sunt valida, etiamsi suæ procurationis revocationem ille ignoret, excepta Matrimonii celebratione. 1. 5. 7.
Publicatio legis ubinam facienda? 1. 1. 3., & 1. 5. 1.
Publicatio requisita ad valorem legis qualis esse debeat? 1. 4. 1. Non obligat lex antequam publicetur. ibid. Ubinam facienda est publicatio legis, præsertim Imperatoriæ, & Pontificiæ? 1. 4. 3. Si ignoretur publicatio legis rescissoriæ contractus, adhuc contractus irritantur. 1. 5. 5.
Puellæ num peccent, si die festo laborent ad otium vitandum. 5. 4. 10.
Pueri probabilius tenentur legibus Ecclesiasticis, statim ac ad usum rationis pervenerint. 3. 2. 5. At non tenentur in Paschate communicare, nisi circa decimum annum. ibid. Censuras latas ab homine non incurrunt ante pubertatem, sed probabilius incurrunt latas a jure, puta percutiendo Clericum. 3. 2. 6. Num possint ante usum rationis intra septa Monialium admitti? 3. 2. 7.

R.

Ratihabitio de futuro non est satis ad dispensationem; secus vero ratihabitio de præsenti. 8. 5. 3. Idem dicas relate ad absolutionem. 8. 5. 4. Cur sufficiat ad licentiam ratihabitio de futuro? ibid.
Reges possunt leges ferre juxta concessionem iis factam a Communitate. 2. 2. 7. Regina pariter quando jure successionis Regnum possidet, quamvis alteri sit nupta. ibid.
Regula generalis ad dignoscendum quodnam sit impedimentum proximum ad executionem præcepti, non facile assignari potest. 5. 4. 6. Exemplificatur in variis præceptis. 5. 4. 7.
Regulæ plurimæ, quæ a Doctoribus assignantur ad rite leges interpretandas. 6. 1. 5.
Regulares exempti num possint ab Episcopo aliquando dispensari? 8. 3. 8.
Regulares num possint absolvere sæculares a reservatis in alia Diœcesi, ubi delictum est commissum, si ea non sint reservata in Diœcesi ubi degunt? 3. 3. 9.
Religiosi non tenentur legibus Synodalibus, quibus Clerici astringuntur. 3. 4. 6.
Rescriptum gratiæ surreptitium est irritum. At rescriptum justitiæ surreptitium est irritandum. 8. 5. 9.
Reservatio Sodomiæ num includat patientes? 6. 2. 5.
Residentia Pastorum quomodo sit de jure Divino? 8. 1. 3.
Reservationem incurrit, qui committit in Monasteriis Religiosorum casum ab Episcopo reservatum. 3. 3. 14. Regulares personæ, non Regularium loca dicuntur quoad hoc exempta. ibid.
Reservati casus in una Diœcesi num possint absolvi in Diœcesi, ubi non sunt reservati, quando quis eo fine illam Diœcesim adit, ut reservationem effugiat? 3. 3. 9.
Revocatio privilegiorum si ignoretur, num reddat irritum usum privilegii? 1. 5. 6. Revocatio Procurationis non reddit irrita acta Procuratoris illam ignorantis; nisi relate ad matrimonium contrahendum. 1. 5. 7. Revocatio privilegii facti Communitati satis est, ut Communitati innotescat, ut ejus usus sit invalidus. 1. 5. 8. Idem dicas de revocatione consuetudinis. ibid.

S.

Sacerdos Græcus transiens per Ecclesiam Latinam num possit in azymo consecrare? Necnon Latinus transiens per Ecclesiam Græcam consecrare in fermentato? 3. 3. 12.
Sacerdos simplex potest aliquando ex dispensatione Pon-

Pontificis Confirmationem conferre tanquam Minister extraordinarius. 8. 1. 5.
Sacrificium num possit ex Pontificis dispensatione in una tantum specie offerri? 8. 1. 6.
Sartores quandonam excusentur, si post mediam noctem praecedente festum laborent, ut vestes promissas conficiant? 5. 4. 9.
Superior quandonam possit punire subditum existentem extra territorium? 3. 3. 12.

T

TEmpus requisitum, ut novae leges post publicationem obligent, quodnam sit? 1. 5. 2.

V

VAgi tenentur legibus loci, ubi degunt, 3. 3. 15. Puniri possunt a Judice loci, in quo capiuntur, quamvis alibi delictum commiserint; ibid. Num remittendi sint ad Judicem loci, in quo delictum commiserunt, si ab eo petantur? ibid.
Venatum ire num liceat die Sabbati, si praevideatur, quod die Dominico non possit audiri Sacrum? 5. 4. 9. Num possit data opera ire venatum, ut homo reddatur impotens ad jejunandum? 5. 4. 3.
Verba legis duplicem habent proprietatem, Naturalem, & Civilem. 6. 1. 1. Quando lex debet extendi, secundum utramque proprietatem verba sumuntur. ibid.
Verba legis quaenam dicantur importare praeceptum, quaenam vero consilium; & quaenam sint indifferentia de se ad alterutrum significandum, ita ut aliunde eorum sensus expiscandus sit? 1. 4. 7.
Vigiliae, in quibus ex consuetudine obligatoria jejunatur, sunt plures. 7. 2. 9. Num possimus in iis comedere lacticinia? ibid.
Vota interna, & juramenta dispensari, ac relaxari possunt ab Ecclesia, quin haec possit punire censuris peccata mere interna. 2. 1. 11.
Votum dandi centum pauperi num impleatur ab eo, qui immemor voti pauperi donat centum. 5. 1. 7.
Votum in dubio an sit reservatum Pontifici, potest ab Episcopo dispensari; & si deinde deprehendatur esse reservatum, adhuc valida est dispensatio. 8. 7. 11. Secus vero dicendum, si quis habeat potestatem delegatam dispensandi. ibid.
Votum in materia gravi num possit obligare sub levi? 4. 1. 6. Quid de juramento promissorio? ibid. In dubio num votum sit emissum, an cum perfecta deliberatione, an sit de meliori bono, utrum obliget? 4. 4. 10. Quid si dubitetur num copulative, an divisive duplex res sit Deo promissa, quando alterutra non potest poni? ibid. Si dubitetur, an votum sit emissum ante pubertatem, num poterit a parte irritari? ibid. Num obliget votum in dubio an sit emissum ante septennium? ibid.
Votum paupertatis num violetur per licentiam praesumptam? 8. 5. 4.
Votum, si successu temporis fiat de meliori bono, num obliget? 1. 3. 4.
Vovens jejunare, si Confessarius consentiat, teneturne ad jejunium, si malis artibus illum inducat ad non consentiendum? 5. 4. 10.
Vovens recitare quotidie officium B. Virginis satisfacit recitando Horas canonicas, ad quas tenetur. 3. 2. 2.

FINIS.

R. P. DOMINICI VIVÆ

SOCIETATIS JESU

OPERA OMNIA THEOLOGICO-MORALIA.

TOMUS SECUNDUS

COMPLECTENS CURSUM THEOLOGICO-MORALEM,

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat

DE LEGIBUS, ac DE PRÆCEPTIS DECALOGI,

AD USUM TYRONUM ELUCUBRATUM,

Et in quotidianis Prælectionibus suis Auditoribus traditum in Palæstra Collegii Neapolitani ejusdem Societatis.

PARS SECUNDA

DE PRÆCEPTIS DECALOGI.

ADCEDUNT IN HAC NOVISSIMA EDITIONE

FRANCISCI ANTONII ZACHARIÆ S. J.

Bibliothecæ Estensi Præfecti, ac Socii Litterariæ Ecclesiasticæ Societatis Lucensis, & Auximatis

LUCULENTISSIMÆ ANIMADVERSIONES,

In quibus Romanorum Pontificum, & præsertim BENEDICTI XIV. Decreta ad Moralem Theologiam pertinentia suis locis inseruntur; Auctoris sententiæ, aut explanantur, aut confirmantur, aut a DANIELIS CONCINÆ, JOH. VINCENTII PATUZZII, aliorumque criminationibus strenue vindicantur; ac præcipua, quæ ad Jansenianam hæresim spectant, Epistolarum, & Decretorum monumenta Constitutionis UNIGENITUS illustrandæ causa in medium adferuntur.

FERRARIÆ,

MDCCLVII.

SUMPTIBUS REMONDINIANIS.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

INDEX
QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM,

Qui in hoc Secundo tractatu Theologico-Morali

DE PRÆCEPTIS DECALOGI

Continentur.

QUÆSTIO PRIMA

De Prolegomenis ad Præcepta Decalogi.

ART. I. *De Numero, Ordine, & Dispensabilitate Præceptorum Decalogi.* 2

II. *Quanam via Præceptorum transgressio possit de mortali in veniale transire, & econtra?* 3

III. *Quinam ad Præcepta teneantur?* 7

IV. *De Intentione requisita ad observantiam Præceptorum.* 10

V. *De Impedimentis non apponendis observantiæ Præceptorum.* 12

VI. *De Ignorantia, Metu, & Dispensatione excusantibus a Præceptorum transgressione, ac de Impotentia excusante.* 14

QUÆSTIO II.

De Primo Decalogi Præcepto.
Unum cole Deum.

ART. I. *De Virtute Religionis.* 19

II. *De Virtute Theologica Fidei.* 20

III. *De Spe, & Charitate.* 23

IV. *De Oratione, qua Deum colimus.* 24

QUÆSTIO III.

De Horis Canonicis.

ART. I. *Quinam ad Horas Canonicas obligentur?* 25

II. *Quodnam Officium recitandum sit.* 27

III. *Sub qua culpa, & pœna Officium sit recitandum?* 29

IV. *Quo pacto recitandæ sunt Horæ Canonicæ?* 31

V. *De Tempore, Loco, & Situ recitationis Horarum.* 34

VI. *De Causis excusantibus ab Horarum recitatione.* 35

QUÆSTIO IV.

De Dei Cultu per Adorationem.

ART. I. *De Adoratione Christi Domini, & Eucharistiæ.* 38

II. *De Adoratione Sanctorum, & Beatorum.* 40

III. *De Adoratione Sacrarum Reliquiarum.* 41

IV. *De Adoratione Imaginum.* 43

QUÆSTIO V.

De Superstitione.

ART. I. *De Superstitione universim, ac in specie Primo de Idololatria.* 44

II. *De Divinatione.* 46

III. *De Vana Observatione.* 48

IV. *De Magia.* 50

V. *De Maleficio.* 51

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De Irreligiositate, & in specie de Sacrilegio, Blasphemia, & Tentatione Dei.

ART. I. *De Sacrilegio.* 53
II. *De Blasphemia.* 56
III. *De Tentatione Dei.* 59

QUÆSTIO VII.

De Secundo Decalogi Præcepto.

Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum.

ART. I. *Quid, & Quotuplex sit Juramentum?* 61
II. *De Conditionibus requisitis ad licite jurandum.* 63
III. *De Materia Juramenti.* 64
IV. *De Juramenti Obligatione.* 66
V. *Quomodo quædam celebriora Juramenta interpretanda sint?* 70
VI. *Quomodo tollatur Juramenti obligatio?* 71
VII. *De Perjurio, ac de assueto ad jurandum.* 75
VIII. *De Adjuratione.* 76

QUÆSTIO VIII.

De Voto

ART. I. *Quid & Quotuplex sit votum?* 77
II. *De Materia, & obligatione Voti.* 79
III. *Quonam pacto tolli possit obligatio Voti per dispensationem?* 81

QUÆSTIO IX.

De Tertio Decalogi Præcepto.

Diem Sabbati sanctifices.

ART. I. *De Abstinentia ab operibus die festo.* 83
II. *De Operibus forensibus vetitis die festo.* 85
III. *De Missa die festo audienda.* 88

QUÆSTIO X.

De Jejunio.

ART. I. *A quibus cibis abstinendum die Jejunii, Et an etiam a potu?* 93
II. *De unica Refectione, ac de ejus Hora.* 97
III. *De Refectiuncula.* 99
IV. *De Obligatione Jejunii, & non cooperandi cum aliis in illius fractione.* 100
V. *De Infirmitate, & Paupertate a Jejunio excusantibus.* 103
VI. *De Labore, & Ætate, quæ a Jejunio excusant.* 111

QUÆSTIO XI.

De Quarto Decalogi Præcepto.

Honora Patrem tuum, & Matrem tuam.

ART. I. *De Obligatione filiorum erga Parentes.* 113
II. *De Obligatione Parentum erga filios.* 115
III. *De Obligatione Conjugum ad invicem.* 116
IV. *De Obligatione Dominorum, Superiorum, & Principum relate ad subditos, & ad invicem.* 117
V. *De Obligatione diligendi proximum.* 120
VI. *De Obligatione subveniendi proximo in suis necessitatibus.* 126

QUÆSTIO XII.

De Octavo Decalogi Præcepto.

Non loqueris falsum testimonium.

ART. I. *De forma juris a Judice servanda.* 129
II. *De Jurisdictione in Judice requisita.* 132
III. *De Judice in ferenda sententia.* 133
IV. *De Accusatore.* 136
V. *De Testibus, & Notariis.* 137
VI. *De Reo.* 139
VII. *De Advocato, & Procuratore.* 140

CUR-

CURSUS THEOLOGICO-MORALIS

Ad usum Tyronum elucubratus.

PARS SECUNDA.

DE PRÆCEPTIS DECALOGI.

PROOEMIUM.

PRæmisso jam de Legibus universim tractatu, præcipuum Theologiæ Moralis opus aggredimur, explanationem scilicet totius legis quam natura menti humanæ inscripsit, & Deus lapideis tabulis insculpsit; ut proinde unicuique non utilis modo, sed etiam pernecessaria sit institutio, quam molimur: Sed Confessariis præsertim debet esse perfamiliaris; cum enim omnia omnino præcepta in lege naturali fundentur, omnes omnino conscientiæ casus ex principiis, quæ passim in hoc opere jaciuntur, decidi universim possunt.

In prima itaque quæstione præambula examinabimus, quæ ad notitiam horum præceptorum apte acquirendam præmitti debent. Deinde de primo Decalogi præcepto fuse agemus; atque adeo de Virtute religionis, ejusque præcipuis actibus, Oratione scilicet, & Adoratione, ac de tribus virtutibus Theologalibus, quibus præsertim Deus colitur; Necnon de Vitiis religioni oppositis, videlicet de Superstitione, Blasphemia, Sacrilegio, &c. Præterea disceptabimus de secundo præcepto, ubi de Voto, & Juramento, necnon de Perfidia, Perjurio, Adjuratione. Tum de tertio præcepto, ubi de Operibus die festo prohibitis, & de Missæ auditione, ac de Jejunio. Postmodum de Charitate proximo debita, ac de Honore parentibus, ac majoribus præstando. Demum de Octavo præcepto, ubi de iis, quæ ad judicia spectant, breviter agendum. De sexto enim, & nono præcepto agendum cum de Matrimonio; De quinto vero, septimo, & decimo dicemus, Deo dante, cum de Restitutione.

QUÆSTIO PRIMA.

De Prolegomenis ad Præcepta Decalogi.

ANtequam ad singula Decalogi præcepta descendamus præmittere oportet. Primo, quæ ad numerum, ordinem, & dispensabilitatem eorumdem pertinent. Secundo, quoniam eorum transgressio vel est mortalis, vel venialis, agere oportet, quomodo peccatum mortale transeat in veniale ratione indeliberationis, aut imperfecti consensus, vel ex materiæ parvitate: Et quomodo peccatum veniale possit in mortale transire, vel ratione contemptus, vel ratione scandali, aut periculi incidendi in mortale, aut ratione finis ultimi in eo positi. Tertio discutiemus, Quinam ad præcepta teneantur? ubi de pueris, amentibus,

ebriis, infidelibus, peregrinis. Quarto, de Modo, quo præcepta sunt servanda; videlicet an cum intentione satisfaciendi, & an obligent ad impedimenta removenda? Quinto, quando ignorantia, metus, impotentia implendi totum præceptum, necessitas, dispensatio excusent transgressorem? Quamvis autem in tractatu de Legibus plurima hisce de rebus fuse differuerimus; Nihilominus quia ad hunc etiam tractatum ea apprime pertinent, idcirco operæ pretium est celebriora, & usitatiora hic summatim delibare.

ARTICULUS I.

De Numero, Ordine, & Dispensabilitate Præceptorum Decalogi.

I. Præcepta Decalogi sunt Legum Summa, & Epitome. Tria prima, quæ respiciunt Dei cultum, dicuntur Primæ tabulæ; reliqua, quæ ad homines referuntur, Secundæ tabulæ appellantur.

II. His decem præceptis corde, ore, & opere ad Deum, & ad homines ordinamur.

III. Cur non plura enumerentur aut pauciora?

IV. Quare duplici præcepto vetatur Adulterium, ac desiderare Uxores alienas, & non vetatur pariter duplici præcepto Homicidium, ac desiderare mortem alterius?

V. Num possit Deus in pręceptis Decalogi dispensare?

VI. Qua ratione dicatur aliquando Deus in his præceptis dispensasse?

I. PRęmitto, nomen gręcum, Decalogos, significare latine, Decem verba. Et quia Deut. 40. dicitur, *Ostendit vobis Deus pactum suum, & decem verba, quæ scripsit in tabulis lapideis*; Hinc factum est, ut nomine Decalogi veniant ea decem verba, quę locutus est Deus Moysi in monte Sinai, & in duabus lapideis tabulis inscripsit, ut a populo Hebręo servarentur. Hęc autem quia paucis continent, quę ad hominem recte formandum pertinent, idcirco ab August. Legum Summa, & Epitome nuncupantur. Ex his tria prima dicuntur primę tabulę, ex D.Th. 1.2.quęst.100., utpote quę ad Dei cultum pertinent; reliqua septem dicuntur secundę tabulę, utpote quę spectant ad socialem cum hominibus vitam peragendam. Utraque naturalia sunt, cum natura ipsa dictante accipiamus; Sunt etiam Divina, cum Deus ea per Angelum promulgarit.

II. Quæritur nunc primo: Quare Divina hęc præcepta numero denario comprehenduntur; Cur non fuerunt sufficientia duo illa, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; *& Proximum sicut teipsum*; aut illa, *Declina a malo, & fac bonum?* Cur non adduntur pręcepta Fidei, & Spei, & Charitatis; aut pręcepta a Christo Domino imposita suscipiendi Baptismum, Euchariſtiam &c.?

Respondeo cum D.Th. l. c., numerum denarium pręceptorum fuisse convenientissimum; iis enim apte ad Deum, & homines ore, corde, & opere ordinamur: Ad Deum enim ordinamur Corde per primum pręceptum colendi unum Deum; Ore per secundum, non assumendo nomen Dei in vanum; Opere per tertium, sanctificando Sabbata: Pręterquamquod fidelitas, reverentia, & obsequium Deo supremo Domino debita iisdem apte pręcipiuntur. Deinde ordinamur ad majores per quartum pręceptum, honorando parentes; ad reliquos ordinamur opere non occidendo, non mœchando, aut furando; Ore non loquendo falsum testimonium; & Corde non concupiscendo bona, aut uxorem proximi.

III. Verum quidem est, in duobus illis pręceptis Charitatis universam legem pendere. At Deus voluit apertius exprimere in Decalogo quęcunque primo intuitu lex naturalis unicuique dictat, nec voluit se extendere ad alia pręcepta, quę ex iis deducuntur, ne multitudo mentem rudium opprimeret. Pręcepta vero Fidei, Spei, & Charitatis ex August. includuntur in primo colendi Deum; non enim Deus aliter colitur, quam fide, spe, & charitate. Pręcepta demum Christi Domini non continentur in Decalogo, cum non sint naturalia, sed positiva. Est quidem naturale pręceptum pœnitentię, illud tamen in primo Decalogi pręcepto includitur, tanquam conclusio in suo principio.

IV. Rogabis. Cum pręter duo pręcepta non furandi, & non mœchandi dentur duo illa alia non concupiscendi bonum, & uxorem proximi, cur non dantur etiam pręter duo illa pręcepta non occidendi, & non dicendi falsum testimonium, duo alia; videlicet non concupiscendi mortem alterius, & non optandi falsum testimonium?

Respondeo cum D.Th., non omnia pręcepta naturalia in Decalogo expresse contineri, sed ea, quę maxime inculcanda erant hominibus; non enim expresse in Decalogo prohibetur fornicatio, peccatum contra naturam, mollities, mendacium, superstitio, trangressio voti, & alia hujusmodi: quę sane jure naturę prohibentur, & ad pręcepta Decalogi solum reducuntur. Quare cum delectatio adulterii, & utilitas divitiarum sint propter se appetibilia, inquantum habent rationem boni delectabilis, vel utilis, & facile in illa homo inclinetur, contra vero homicidium, & falsitas sint de se odibilia, ideo oportuit illorum etiam concupiscentiam expresse prohibere, non vero istorum.

Quæritur secundo; An pręcepta Decalogi sint dispensabilia?

Re-

Respondeo cum D.Th. contra nonnullos negative; nemo enim dispensare potest in præceptis naturalibus sub iis circumstantiis, sub quibus ex ipsa natura rei aliquando præcipiuntur, aut prohibentur. Et ratio D.Th. est, quia præcepta Decalogi continent debitum ordinem ad Deum, & ad alios homines; atqui fieri non potest, ut Deus velit hominem non debite ad Deum, & alios homines ordinari; ergo nec Deus ipse potest in præceptis Decalogi dispensare.

V. Oppones: Deus potest dispensare universim in iis, quæ sunt juris naturæ; ergo etiam in præceptis Decalogi, licet sint juris naturæ; Præsertim quia de facto dispensavit cum Machabæis in tertio præcepto, permittendo illis, ut in Sabbato operarentur; Cum Abraham in quinto præcepto dispensavit, ut filium occideret innocentem; In sexto cum Osee, ut assumeret sibi mulierem fornicariam; In septimo cum Hebræis, ut vasa pretiosa acciperent ab Ægyptiis.

Respondeo, Deum non posse in iis, quæ juris naturæ sunt, dispensare sub iis circumstantiis, sub quibus aliquid jure naturæ prohibetur ut fuse explicabimus in de Matrimonio. Ratio est, quia non potest Deus mutare naturas rerum, & reddere conveniens rectæ rationi, quod natura sua est disconveniens; quod autem jure naturæ prohibetur, disconveniens est rectæ rationi; ergo non potest Deus in eo dispensare, itaut rectæ rationi conveniens evadat. In casibus autem adductis non dispensavit Deus in iis, quæ juris naturæ sunt sub iis circumstantiis, sub quibus rectæ rationi disconveniunt. Nam furtum, v.gr., est intrinsece malum, si sit ablatio rei invito Domino; & occisio hominis est intrinsece mala, si fiat auctoritate privata; Fornicatio etiam est intrinsece mala, si sit accessus ad non suam; atque adeo manentibus his circumstantiis, non potest Deus in iis dispensare. Quod si Deus præcipiat Hebræis, ut vasa pretiosa accipiant ab Ægyptiis, tunc mutat circumstantiam in surreptione; & quia surreptio ista non est invito domino, (idest invito Deo rerum omnium domino) ideo talis surreptio non est furtum; unde non dispensavit Deus in præcepto de non furando. Eodem modo fornicatio est jure naturæ mala, si sit accessus ad non suam: Quod si Deus dicat Osee, ut assumat mulierem fornicariam, mutat circumstantiam, & dando potestatem in corpus mulieris, efficit, ut accessus ad illam sit accessus ad suam, & consequenter non est fornicarius, nec malus; Neque Deus dicitur dispensasse in sexto præcepto. Idem dicas in aliis casibus; Occisio enim innocentis non est contra jus naturæ, si fiat præcipiente Deo domino vitæ; nec est contra jus naturæ laborare die festo, si id fiat ad obediendum Deo præcipienti; nunquam enim tempus sanctificatur magis, quam cum Deo obedimus. Quia tamen aliqua sub quibuscumque circumstantiis sint intrinsece mala, ut est odium, vel contemptus Dei, mendacium, peccatum contra naturam, &c. non vero in aliquibus tantum circumstantiis, ut occisio innocentis, ablatio rei alienæ, idcirco illa in nullo casu possunt a Deo præcipi, nec potest in iis dispensari; potest vero in istis sub iis circumstantiis, sub quibus non sunt contra jus naturæ.

ARTICULUS II.

Quanam via Præceptorum transgressio possit de mortali in veniale transire, & econtra.

I. Transgressio præceptorum Decalogi secundum se, & ex genere suo est mortalis.

II. Quid importet peccatum esse ex genere suo mortale, & esse ex genere suo veniale?

III. Plures regulæ recensentur ad discernendum, num peccatum ex genere suo sit mortale, an veniale?

IV. Quomodo possit peccatum de se mortale per accidens in veniale transire?

V. Undenam conjicere poteris, quod cum imperfecta solum deliberatione, aut consensu peccatum commiseris?

VI. Num peccet mortaliter, qui plene advertit ad malitiam objecti, præscindat tamen num ea sit gravis, an levis?

VII. Non quodvis peccatum ex genere suo mortale potest ratione parvitatis materiæ transire per accidens in veniale.

VIII. Undenam mensuranda sit hac in re materiæ parvitas, aut magnitudo?

IX. Materia, quæ tam secundum se, quam relate ad finem a Legislatore intentum est levis, non est capax præcepti graviter obligantis.

X. Quid si dubitetur, an res præcepta levis graviter conducat ad finem.

XI. Quotupliciter possit peccatum de se, & ex genere suo veniale per accidens in mortale transire?

XII. Quandonam contemptus rei levis præceptæ est mortalis? Et quando frequentia venialium est mortalis, utpote ad mortale disponens?

XIII. Potest veniale in mortale transire etiam ratione conscientiæ erroneæ, aut perplexæ; Necnon ratione scandali; aut per additionem materiæ, quæ in unam gravem coalescat.

I. Certum est primo, transgressionem horum præceptorum esse peccatum. Nam ab August. Peccatum definitur, quod sit *Dictum, factum, concupitum contra legem æternam*, atque adeo contra rectam rationem.

II. Certum eſt ſecundo, tranſgeſſionem hanc eſſe ex genere ſuo peccatum mortale. Dicitur autem peccatum ex genere ſuo mortale, quod conſiderato objecto, ſeu materia, circa quam verſatur, fere ſemper eſt mortale; & aliquando tantum per accidens eſt veniale; ut eſt v.g., peccatum adverſus virtutes theologales, necnon adverſus Religionem, juſtitiam, caſtitatem, & alias graves virtutes: Contra vero dicitur peccatum ex genere ſuo veniale, quod fere ſemper eſt veniale, & per accidens aliquando mortale, ut eſt verbum otioſum, mendacium jocoſum, impatientia in laboribus, &c.

III. Regulæ, quæ a Doctoribus aſſignantur ad diſcernendum, num aliquod peccatum ſit ex genere ſuo mortale, an veniale? ſunt iſtæ. Prima, ſi gravem difformitatem contineat a recta ratione, & graviter lædat charitatem Dei, vel proximi, eſt ex genere ſuo mortale: Sunt vero ex genere ſuo venialia, quæ ſunt contra proprium bonum, ut vanæ cogitationes, & deſideria, immoderatus eſus, riſus, ſomnus, niſi graviter charitatem debitam lædant, ut ebrietas. Secunda regula eſt, ſi alicui operi Deus minetur excluſionem a regno Cœlorum: ut quando dicitur ab Apoſt. ad Galat. 5. *Fornicatio, Immunditia, Contentiones, Æmulationes, Iræ, Diſſenſiones, Sectæ, Invidiæ, Homicidia, Ebrietates, Comeſſationes, & his ſimilia: Qui talia agunt, regnum Dei non aſſequentur.* Tertia eſt, ſi aliqua peccata ſint contra graves virtutes, vel contra præcepta Decalogi, vel Eccleſiæ, aut ſi graviter prohibeantur, puta, In virtute Sanctæ obedientiæ, vel ſub interminatione gravis cenſuræ. Quarta, ſi Eccleſia declaravit aliquod peccatum eſſe de ſe mortale, ut in quadrageſima ex proſcriptis theſibus ab Alex. VII. declaratur de oſculo habito ob delectationem carnalem, & ſenſualem. Quinta, ſi ita communiter viri docti ſentiant.

IV. Quæritur nunc primo; Qua ratione quod eſt ex genere ſuo mortale, poſſit per accidens in veniale tranſire?

Reſpondeo, pluribus de cauſis id poſſe accidere: Primo quidem ex deliberatione, ſeu advertentia imperfecta, hoc eſt ex actu imperfecto intellectus non plene advertentis ad objecti malitiam; ut accidit in ſemidormiente, & in diſtracto in alias cogitationes, necnon in invincibiliter ignorante malitiam gravem actus. Secundo, ex imperfecto conſenſu, quando ſcilicet voluntas veluti per ſurreptionem, & non ex toto corde objectum illud amplexatur; Etenim in nobis dantur quidam motus voluntatis erga objectum, qui dicuntur primo primi, qui ſcilicet rationem omnem prævertunt, nec poſſunt a voluntate cohiberi, & iſti nullo pacto ſunt liberi, & ſic ne venialiter quidem peccaminoſi. Dantur etiam alii motus, qui dicuntur ſecundo primi, quos impedire quidem poſſumus, ſed ſub ſemiplena, & imperfecta libertate; & iſti quando ſunt circa objectum malum, ſunt venialiter tantum peccaminoſi ex imperfectione conſenſus. Dantur denique motus deliberati, & perfecti, qui ſunt plene liberi; & iſti quando verſantur circa objectum graviter malum, ſunt mortaliter peccaminoſi. Tertio, peccatum ex genere ſuo mortale tranſit in veniale ex parvitate materiæ, ut ſi quis carolenum furetur a divite. Quarto, ex alia cauſa excuſante, puta ſi quis ex ignorantia invincibili, aut leviter culpabili putet eſſe veniale, quod eſt mortale; Vel ſi quis neceſſitate ductus cooperetur materialiter cum peccato alterius; v. g., locando domum meretrici, dummodo neceſſitas leviter diſtet ab ea gravitate, & proportione, quæ requiritur ut poſſimus cum tali peccato cooperari.

V. Dubium tamen eſt primo; Quomodo cognoſci poſſit, an peccatum aliquod ſit commiſſum cum imperfecta ſolum advertentia, ſeu deliberatione, aut conſenſu?

Reſpondeo, apud Sanch. lib. 1. cap. 1., Pal., & Tambur. has regulas aſſignari. Primo, ſi animum firmum habeas, & ſæpe repetitum nunquam committendi mortale, itaut nunquam, aut fere nunquam in mortale incideris, præſumere potes in tali caſu te non plene conſenſiſſe. Secundo, ſi ſtatim ac advertiſti ad malitiam objecti, actum retractaſti. Tertio, ſi dubites, an perfecte e ſomno fueris excitatus, vel diſtractionem mentis aliud cogitantis excuſſeris. Ex his, & ſimilibus conjecturis regulariter deducere probabiliter poſſumus, non adfuiſſe perfectam libertatem, & conſequenter nec mortale.

VI. Dubium eſt ſecundo; An ſi quis plene advertat ad malitiam alicujus objecti, præſcindat tamen, an ſit mortalis, vel venialis, puta in perjurio, mendacio, &c. peccet mortaliter, an ſolum venialiter ea committendo?

Reſpondeo, Navar., Valent., & alios putare, quod ſolum venialiter; quia non relucet materia gravis; Vaſq. vero, Azor., Sanch., Rodri. apud Bonac., quod mortaliter; quia exponit ſe periculo amplectendi malitiam gravem. Equidem cenſeo cum Joan. Sanch. apud Tambur., pueros, & rudes plerumque ſolum peccare venialiter. Ratio eſt, quia ex una parte non advertunt ad obligationem examinandi gravitatem culpæ, ne ſe exponant periculo committendi mortale; ex altera parte apprehendunt malitiam quandam indeterminatam, ſeu communem veniali, & mortali; malitia autem, quæ eſt communis utrique, non poteſt eſſe gravis; ergo non graviter peccant; Quod etiam aliquando in ſubitis caſibus accidere poteſt doctioribus; quamvis univerſim docti graviter peccent, quia plerum-

plerumque advertunt ad gravem obligationem examinandi, num malitia illa sit gravis.

Probabilis etiam est opinio Th. Sanch., & Pal., qui docent, ut plurimum doctiores peccare mortaliter, vel venialiter juxta gravitatem objecti; idque præsumendum esse, quia saltem virtualiter apprehendunt objectum, & ejus malitiam sub ea gravitate, vel levitate culpæ, quam habet illud in se.

VII. Dubium est tertio; An quodlibet peccatum ex genere suo mortale possit ratione parvitatis materiæ per accidens transire in veniale?

Respondeo negative; quando enim eadem gravitas offensæ, & malitiæ reperitur tam in materia magna, quam in parva, tunc etiam in modicissima quacunque materia committitur peccatum grave: Exempli gratia, quia eadem gravis deformitas habetur, si vendatur res sacra gravis pretio magno, sive parvo, necnon sive juretur falso in materia gravi, sive in levi; idcirco in Simonia, & in perjurio non datur parvitas materiæ. Multi autem alii casus a Doctoribus enumerantur, in quibus non datur parvitas materiæ. Primo, in odio, & contemptu directo Dei; Sicut etiam in blasphemia, & in peccatis contra fidem, & spem theologicam. Secundo, in perjurio assertorio, non tamen in promissorio, aut in voto. Tertio, in magia, & superstitione, quæ sit cum pacto expresso cum dæmone. Quarto, in delectatione libidinosa deliberate quæsita. Quinto, in irritatione Sacramentorum, in fractione sigilli Sacramentalis, & in jejunio naturali ad Eucharistiam requisito. Sexto, in ætate requisita ad Ordines suscipiendos, vel ad professionem, & in similibus casibus, ut videre est apud Dian. part. 5. tract. 5.

VIII. Dubium est quarto; Unde sit mensuranda hac in re materiæ parvitas, vel magnitudo?

Respondeo cum Tambur. lib. 1. cap. 1. §. 2., attendendam quidem esse ex ipsa re tum absolute spectata, tum etiam comparative ad totum, quod præcipitur, sed principaliter mensurandam esse ex fine, propter quem præcipitur. Verbi gratia, dum quæritur an sit materia parva labor unius horæ die festo, vel comestio unius unciæ die jejunii, vel omissio unius psalmi in recitandis horis; consideranda sunt hæc tum secundum se, tum in ordine ad totum sed principaliter in ordine ad finem intentum; Aliquando enim quod est modicum comparative ad totum, secundum se spectatum est magnum; Sicuti etiam si spectetur relate ad finem ad quem præcipitur; & ideo materia illa dicitur gravis: Verbi gratia, si voveris dare centum aureos, & des tantum nonaginta, decem, qui supersunt, sunt materia gravis, non quidem relate ad totum, sed secundum se, & relate ad finem voti, qui est sublevatio pauperis: eodem modo communiter docent, omittere Vesperas Sabbati Sancti esse mortale, quia licet illa pars sit modica tam secundum se, quam relate ad totum officium; non est tamen modica relate ad finem cultus Divini pro illa hora. Est etiam mortale, si quis furetur acum Sutori pauperi, qui illius usu sustentatur, quia licet res illa sit modica, magna tamen est relate ad finem intentum a prohibente furtum; gravis enim damnificatio, & magna tristitia in Sutore sequitur ex illo furtulo: Contra tamen, si quis voveat recitare coronam ex sex decenariis, & omittat recitare duos decenarios, peccabit solum venialiter, quia quamvis hæc non sit modica pars relati ad totum, est tamen modica secundum se; & fini intento, scilicet cultui Virginis, modice nocet.

IX. Ex dictis sequitur, quod si res aliqua sit modica tam secundum se, quam relate ad finem, tunc non sit capax præcepti gravis. Unde si Prælatus præcipiat in virtute Sanctæ Obedientiæ, vel sub pœna excommunicationis, aut si quis voveat recitare Salutationem angelicam, non proferre verbum otiosum, &c. non peccat graviter, si id non faciat: Quod si res præcepta secundum se levis, sit gravis relate ad finem, erit capax præcepti graviter obligantis. Et talis fuit res præcepta Adamo, & Evæ, ne comederent fructus ex illa arbore. Quare si ob indecentiam Prælatus sub excommunicatione præcipiat, ne Clericus, exempli gratia, deferat per vias biretum lineum album, quamvis materia sit levis, ob finem tamen gravem tale præceptum graviter obligabit.

X. Quod si dubitetur, an res levis præcepta graviter conducat ad finem, Sanch., & Pal. apud Tambur. loc. cit. & communius docent, præsumendum esse, quod finis sit gravis, atque adeo quod detur obligatio gravissima; tum quia possessio stat pro lege, quæ certo adest; tum etiam quia communiter contingit, quod superiores prudentes, qui maturo consilio aliquid leve præcipiunt sub gravi, non decipiantur. Verum ipse Tambur. cap. 3. §. 7. num. 10. putat, in tali casu posse probabilitor judicari, quod finis sit levis, atque adeo quod non detur obligatio gravis; quia donec constet materiam esse capacem obligationis gravis, non constat de constitutivo legis, & obligationis gravis, atque adeo prævalet libertas, quæ stat in possessione. Sicuti enim si dubitetur, an præceptum obliget sub gravi, vel sub levi, præsumendum, quod obliget sub levi; ita si dubitetur, an materia levis præcepta ordinetur ad finem gravem, presumendum, quod non ordinetur ad finem gravem, quia in utroque casu possidet libertas; dummodo bene id perpendatur, consulendo Doctores, & libros, num res præcepta levis graviter ad finem suum conducat, & adhuc dubium remaneat.

XI. Quæ-

XI. Queres secundo; Quanam ratione quod est ex genere suo veniale, possit per accidens in mortale transire?

Respondeo cum Bonac.disp.2.quest.3.punct.5., multipliciter id accidere posse. Primo, ratione finis mortalis; Verbi gratia, si quis mentiatur ad fornicandum, tale mendacium erit mortale, quia actus specificatur a fine; Et eodem modo veniale transit in mortale ratione ultimi finis in eo positi; si scilicet quis ultimum finem in eo constituat, seu si quis adeo amet veniale, ut etiamsi esset mortale, illud non odio haberet: Quoniam autem in tali casu plus appretiative amatur talis res, quam Deus, qui est noster ultimus finis, ideo dicitur veniale in tali casu evadere mortale ratione ultimi finis in eo constituti.

XII. Secundo transit veniale in mortale ratione specialis contemptus; quando scilicet contemptus est causa, cur violetur preceptum leve, & Legislator spernatur, nolendo se subjicere ejus auctoritati rem illam levem precipienti. Ubi notandum, aliquando contemptum esse rei levis precepte, aliquando vero ipsius Legislatoris. Si quis venialiter peccet, v.gr. mentiatur, ex contemptus rei levis precepte, quatenus putat rem illam non esse tanti faciendam; dico cum Laym. contra Sanch. apud Tamb., quod peccet solum venialiter, nisi talis contemptus redundet etiam in Deum Legislatorem, videlicet putando, aut illum non habere potestatem prohibendi mendacium, aut male uti ea potestate, vel nolendo se subjicere ejus potestati: Si quis vero violet preceptum in materia levi, non quidem ex contemptu rei levis, sed ex contemptu Legislatoris, subdistinguendum est; Nam si contemnatur Legislator formaliter, quatenus Legislator est, hoc est spernendo ejus potestatem, quasi esset nullius momenti, semper est mortale; Si vero contemnatur Legislator materialiter, quatenus scilicet est vir imprudens, & indiscretus, est solum veniale. Sicuti etiam si quis transgrediatur preceptum leve Superioris humani, ne illum in ea re levi solatio afficiat.

Ex quibus sequitur, quod qui ex contemptu peccat mortaliter, v.gr. furando, duo peccata committat aperienda in confessione, alterum furti contra justitiam, alterum contemptus; qui est vel contra obedientiam, si spernat Legislatorem qua talem, nolendo se ejus potestati subjicere, vel est contra religionem, si spernat Deum Legislatorem materialiter seu ut imprudentem, & inutiliter prohibentem furtum.

Tertio, veniale transit in mortale ratione proximi periculi incidendi in mortale; ut si quis dicat verbum otiosum fœmine, advertens ex simili occasione sæpe alias lapsum esse in delectationem veneream. Ratio doctrinæ est, quia *Qui amat periculum peribit in illo.* Fieri etiam potest, ut aliquando venialia ratione frequentiæ disponant proxime ad mortale; & in tali casu ipsa frequentia venialium est mortalis, quando tale periculum advertitur. Hinc Sanch., & Bonac. contra Pal., Sal., & Tamb. docent, peccare mortaliter, ratione periculi proximi incidendi in mortale illum, qui statuit in corde suo nullum veniale vitare; juxta illud Ecclesiast. *Qui spernit modica, paulatim decidet.*

XIII. Quarto, ratione conscientiæ erroneæ; ut si quis putans esse mortale mentiri, adhuc mentiatur. Quod si quis haberet conscientiam perplexam, putando scilicet utramque partem contradictionis esse peccatum, v.gr., & quod sit peccatum relinquere infirmum ad audiendum sacrum, & quod sit peccatum omittere Sacrum ne relinquantur infirmus, in tali casu tenetur inquirere, quid potius agendum, & ponere debet quod dictamini rationis representatur esse minus malum. Quod si nequeat id discernere, potest facere quodcumque libet, cum non detur libertas ad utrumque omittendum: Et quamvis putet se peccare, si alterutrum faciat, vere non peccat quia peccatum non sequitur ad judicium intellectus, sed actum voluntatis. Quis enim dixerit, quod peccet, qui v.g. detentus in carcere existimat se peccare, si non audiat Sacrum, quod audire non potest? Contra vero peccaret v.gr. ægrotus, si putaret se peccare omittendo sacrum, cum liber sit ad illud audiendum, quamvis cum impendio sanitatis, & vitæ.

Quinto, ratione scandali; Verbi gratia, si quis loquatur turpia aut intendendo ruinam proximi; (quod dicitur scandalum directum) aut prævidendo, quod ex tali suo peccato facile alii in mortale lapsuri sunt; (quod dicitur scandalum indirectum, seu indirecte volitum). Et sane si quis loquatur turpia, exempli gratia, intendendo ruinam proximi, videlicet intendendo, ut proximus in fornicationem adducatur, duplex peccatum committit in confessione aperiendum, alterum contra castitatem, quæ obligat etiam, ne proximum in fornicationem adducamus; alterum vero contra charitatem intendendo ruinam, seu peccatum proximi. Quando vero scandalum est solum indirectum, putat Lug. contra Sanch., Vasq., & Con. apud Tamb. in Methodo Confess.l.2.c.1.§.17., quod non sit necesse in confessione explicare speciem peccati, ad quam proximum induxeris, sed satis sit dicere, quod pravis verbis, vel pravo exemplo induxeris proximum in peccatum mortale, non explicando, v. gr., adulterium, immo nec explicando conditionem personæ inductæ ad peccatum; num scilicet fuerit Sacerdos, vel conjugatus,

tus, qui in adulterium inductus est. Ratio est, quia tale peccatum est solum contra charitatem, non contra alias virtutes, quæ solum videntur obligare, ne positive inducamus alios ad peccandum contra illas, & ne intendamus nostris verbis, aut exemplis alios ad id inducere, non vero obligant, saltem graviter, ad impedienda vitia contra tales virtutes in aliis: Aliter qui, verbi gratia, pręvident ex sua intemperantia alium inducendum esse ad furtum, peccarent contra justitiam, & tenerentur ad restitutionem, quod nemo dixerit.

Ultimo, veniale transit in mortale per additionem materię; ut si quis habeat animum furandi carolenum a divite, & deinde pluries carolenum furetur. Ubi notandum, nunquam plura venialia pertingere ad mortale, nisi materię leves possint in unam gravem coalescere: V. g., qui sępius comedit die jejunii materias leves, peccabit graviter, quia materię illę leves conflant deinde unam gravem. Contra tamen, qui vovit recitare singulis diebus salutationem angelicam per annum, ita ut vota singulis diebus sint affixa, si id omittat, non peccabit graviter, quia ea non voventur per modum unius, quo pacto vovetur rosarium; & ideo omittens rosarium, quod vovit, peccat mortaliter. Eodem pacto non peccat mortaliter, qui singulis diebus festis per annum laborat uno quadrante, nec qui est causa, ut centum personę eodem die festo laborent uno quadrante, cum istę materię leves non coalescant in unam gravem: Quę fusius eplicavimus in expositione thesis 29. ab Alex. VII. proscriptæ, quę habet: *In die jejunii qui sępius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

ARTICULUS III.

Quinam ad pręcepta teneantur?

I. Non est idem lege non obligari, & a lege excusari?

II. Pueri nulla lege obligantur ante rationis usum: Postea vero legibus etiam Ecclesiasticis tenentur, pręterquam Jejunii, & Communionis; quamvis ante pubertatem pœnas Ecclesiasticas non incurrant.

III. Num possint pueri Divinis assistere in loco interdicto, aut introduci in Monasteria Monialium?

IV. Quid si dubitetur, an usum rationis adepti sint?

V. Quibus legibus teneantur Infideles, Amentes, Ebrii? Num amentes æquiparentur infantibus?

VII. Nec amentes, nec ebrii cogendi sunt ad Missam audiendam die festo: Possunt autem probabiliter amentibus & infidelibus die festo injungi opera servilia.

VII. Quibus legibus teneantur Peregrini, & Vagi? Num licitum sit recedere a loco, ubi est dies festus, ad exercenda opera servilia? Num debeat tunc mane audiri Sacrum? Num liceat egredienti a loco, ubi jejunatur, mane sumere jentaculum?

VIII. Probabiliter Peregrini non tenentur, secluso scandalo, legibus loci, ubi brevi morantur; (nisi eædem sint leges in proprio domicilio) tenentur tamen iis Vagi.

IX. Leges autem juris communis servare tenentur peregrini, quamvis in Parria essent abrogatæ.

I. PRænotandum, aliud esse lege aliqua non obligari, aliud vero a legis alicujus transgressione excusari; nam, v.gr., infideles non tenentur lege jejunii Ecclesiastica, ægrotus vero tenetur, esto ratione ægritudinis ab ejus transgressione excusetur: Pariter Peregrini juxta probabilem opinionem non tenentur legibus loci, ubi versantur; Incolæ vero excusantur, si legem loci ignorent. Examinandum nunc, an præceptis Decalogi teneantur etiam Pueri, Ebrii, Amentes, Infideles?

II. Quæritur primo, an pueri teneantur legibus, quibus tenentur adulti?

Respondeo, Pueros ante usum rationis nulla lege Divina, vel Naturali, vel Humana teneri. Ratio est, quia cum non sint capaces usus rationis, nec possunt esse capaces vinculi legalis, quod ratione utentibus imponitur. Nihilominus ubi ad usum rationis pervenerint; (quod plerumque fit septennio completo) tenentur legibus etiam Ecclesiasticis, præterquam jejunii, & Communionis, de quibus suo loco, ut communiter docent apud Sanch. l. 1. c. 12. contra Sotum, qui putat ante duodecimum annum pueros non teneri ad pręcepta Ecclesiastica, & ad annuam confessionem. Verum quamvis ante duodecimum annum non soleat Ecclesia punire pueros censuris; immo Sa, Fagund., & alii apud Tamb. in Methodo Comm. c. 4. §. 2. putent, decisum esse in c. 1., & 2. *De delictis puerorum*, quod nullam pœnam Ecclesiasticam latam a jure, vel ab homine incurrant pueri ante pubertatem; at si peccent mortaliter, obligatos esse ad confessionem annuam, constat ex cap. *Omnis utriusque sexus*: Ubi tamen ex contextu habetur, annos discretionis diversimode requiri ad confessionem, & ad Communionem.

III. Hinc docent Cordub., & Sanch. l. c., quod pueri doli capaces non possint Divinis assistere in loco interdicto, quia subjacent præceptis Ecclesię: Contra tamen pueri nondum doli capaces possunt iis admitti, sicuti etiam amentes rationis

nis usu omnino destituti; quia sola assistentia moralis, & humana videtur interdicta: Non possunt tamen in loco interdicto sepeliri, quia locus interdictus nullum cadaver admittere potest, ut notat Suar. de Censuris disp. 35. Et ratio a priori est, quia prohibitio sepulturæ Ecclesiasticæ tempore interdicti immediate cadit in sepelientes, non in cadavera sepelienda. Præterea putat Sanch.l.6.c.16. cum aliis, posse licite in Monasteria Monialium introduci pueros nondum doli capaces; quia Trident.sess.24.c.5. dum prohibet, ne ullus admittatur cujuscumque conditionis, sexus, vel ætatis, habet pro fine, ne pax Monialium perturbetur, ac ne ad peccandum incitentur; unde infantes videntur posse admitti, non tamen amentes, qui ad peccandum incitare possunt. In Synodo tamen Neapolitana prohibetur sub pœna excommunicationis, ne per Rotas, aut alia via introducantur in Monasteria Monialium infantes, sive masculi, sive fœminæ, etiam minores septennio, quamvis non extrahantur a Rota, sed in ipsa remaneant, ex parte clausuræ.

IV. Rogabis, si dubitatur, an aliquis puer adeptus sit usum rationis, licebuntne huic, quæ licent pueris ante usum rationis?

Respondeo, licere, si nondum septennium compleverit, secus vero non licere; cum enim per illud tempus advenire soleat usus rationis, in dubio præsumitur ante illud tempus non advenisse.

V. Quæritur secundo; An ebrii, amentes, & infideles teneantur legibus communibus?

Respondeo certum esse, quod infideles teneantur solum legibus naturalibus, & Divinis, non vero Ecclesiasticis; unde ante baptismum possunt die veneris carnes comedere; & sine culpa possunt a fidelibus carnes illis ministrari. Peccat tamen omittendo baptisma, quippe quod a Deo præcipitur; sed probabiliter non peccant omittendo sumptionem Eucharistiæ a Christo Domino præceptam; quia probabiliter hæc non præcipitur, nisi baptizatis, seu ex suppositione Baptismi suscepti.

Certum etiam est, quod amentes, qui aliquando habuerunt usum rationis, obligentur legibus communibus; quamvis ratione amentiæ excusentur in ea materia, in qua non sunt sui compotes, non secus ac ignorantes legem, vel dormientes; Et idem dicendum de ebriis: Qui vero ita sunt amentes, ut nunquam habuerint usum rationis, probabiliter ex Sanch.l.1.c.12. obligantur, quamvis excusentur; nec æquiparantur infantibus, qui simpliciter non obligantur. Ratio est, quia infantes per se carent usu rationis; amentes vero per accidens, sicut ebrii. Quare sicut catulus, v.gr., ante nonum diem non dicitur cæcus, sed dicitur non videns, quia per se illo tempore est incapax visus; at si post nonum diem non videat, dicitur cæcus; Ita qui post septennium caret usu rationis propter dementiam, vel ebrietatem, dicitur excusatus a legum observantia, non vero non obligatus.

VI. Dubium est; An curam gerentes amentium, & infidelium teneantur efficere, ut sacro intersint die festo, & ab opere servili abstineant, necnon ut jejunent, &c.?

Respondeo, omnibus amentibus tum ex consuetudine introducta, teste Azor., tum ne in deteriorem statum amentiæ decidant, posse ministrari cibos vetitos, ut docet Sanch. Ebriis tamen ministrari non possunt, cum iis non indigeant. Præterea nec amentes, nec ebrii cogendi sunt ad assistendum Sacro; quia non possunt assistere morali, & humano modo, prout præcipitur; Qui tamen sunt semifatui, nec in iis, quæ ad Missam pertinent, desipiunt, proculdubio debent Sacro interesse.

An autem amentibus, sicut & infidelibus injungi possint opera servilia die festo? Sanch. promisit materiam hanc se discussurum in tertio Decalogi præcepto, quod morte præventus non typis excudit.

Tamb. tamen l. 4. c. 3. re cum Theologis discussa putat cum Dian. part. 4. tr. 14. res. 7., & Laym. contra Fernand. licere. Ratio est quia infideles non tenentur legibus Ecclesiasticis; Amentes vero, vel quia nullo præcepto tenentur, ut multi probabiliter putant contra Sanch., vel quia, ut notat Laym., opera servilia prohibentur duntaxat iis, qui humano modo, & utiliter tale præceptum implere possunt, non secus ac præcipitur assistentia missæ; ideo amentes, & ebrii sicut non sunt cogendi ad missam audiendam, ita possunt opera servilia exercere, & possumus ea illis injungere, non secus ac animantibus. Non possunt tamen ebrii, & amentes induci ad blasphemandum, v.gr., vel fornicandum, quia vere iis legibus tenentur, quamvis per accidens excusentur a peccato, si sponte blasphement; nemo autem potest inducere positive alium ad trangrediendum præceptum, quo obligatur, quamvis per accidens hic & nunc excusetur: Exempli gratia, si quis ignoret esse hodie festum diem, non possum positive inducere illum ad laborandum, quamvis non tenear sub mortali monere illum de die festo, ne laboret, sed solum sub veniali ex virtute misericordiæ, quæ dictat docere ignorantes.

VI. Quæritur tertio; An Peregrini, & Vagi teneantur legibus sui domicilii, vel loci, ubi degunt?

Respondeo, certum esse primo, quod si leges domicilii, & loci, ubi degunt, sint eædem, peregrinus iis legibus teneatur; hoc enim communi-

muniter Doctores docent ex usu communi ratinabiliter introducto.

Secundo, etiam communiter cum Sanch. lib. I. cap. 12. contra Leonardum docent, quod vagi teneatur legibus, & consuetudinibus illius loci, in quo etiam obiter degunt. Ratio est, quia cum nullum peculiare domicilium habeant, sortiuntur illud in loco, ubi habitant; aliter essent liberi ab omnibus legibus Episcopalibus, & Municipalibus, quod videtur absurdum.

Tertio, certum est, peregrinos, & vagos, ad vitandum scandalum, si quando oriretur, teneri ad observantiam legum tam domicilii, quam loci: Ex naturali enim lege quilibet tenetur vitare scandalum. Notandum demum, peregrinum non esse, qui alicubi habitat animo ibi permanendi per majorem anni partem; hic enim dicitur esse habitator, etiamsi postea mutet animum permanendi; atque adeo a primo die tenetur legibus loci, tanquam civis, utpote habens ibi quasi domicilium; non enim requiritur, quod habeat domicilium, (seu quod habitet ibi animo permanendi perpetuo) ut legibus loci teneatur.

Dubium itaque solum est primo; an Peregrini teneantur legibus sui domicilii, si sint diversæ a legibus loci, ubi degunt? Verbi gratia, an teneantur ad jejunium, vel ad servandum festum proprii domicilii?

Respondeo cum Sanch. loc. cit. Suar. Sa, Rebel. probabilius esse, quod non teneantur; quia leges, & consuetudines locales respiciunt directe & per se territorium, illique sunt affixæ, nec ligant personas, nisi dum in eo territorio versantur. Idque verum est, etiamsi leges sint juris communis, & in aliquo loco sint abrogatæ; Unde potest vesci intestinis animalium, qui transit per Castellam, juxta usum illius loci; sicut etiam quilibet potest Mediolani vesci cibi Paschalibus primis quatuor diebus Quadragesimæ.

Hinc sequitur primo, quod possit aliquis recedere a proprio loco, ubi est dies festus, adeundo locum, ubi non est festus, ad exercenda opera servilia, etiamsi noctu redeat ad proprium locum: Immo probabiliter docet Sanch. cum Suar. quod in tali casu egrediens e suo loco non teneatur ante egressum audire missam, dummodo ante ultimam missam, hoc est ante meridiem, perveniat ad locum, ubi non est festum. Ratio est, quia tunc solum tenetur quilibet prævenire mane auditionem Missæ, quando reliquo tempore est impediendus, non vero quando intra præcepti tempus est eximendus ab illo.

Sequitur secundo, quod qui mane proficiscitur ex Oppido, ubi non jejunatur, perventurus meridie ad domicilium suum, ubi jejunatur, possit mane carnibus vesci; ita tamen, ut ubi ad domicilium suum pervenit, abstineat a carnibus; possit tamen pluries comedere, si carnes prius comederit, quia jam est liber a jejunio: Quod si vice versa proficiscitur ex proprio domicilio, ubi jejunatur, certo perventurus ad locum, ubi non jejunatur, potest mane jentaculum sumere; non tenetur enim eo die lege jejunii, cum possit vespere carnes comedere.

Docent tamen nonnulli, non esse licitum proficisci in ea loca in fraudem jejunii, aut alterius præcepti. Sed hanc limitationem improbant Sanch. & Suar. quia hæc non esset proprie fraus, sed fuga præcepti, quæ non prohibetur; non enim fraudem committit, qui utitur jure suo.

VIII. Dubium est secundo; An saltem peregrini teneantur legibus loci, ubi degunt?

Respondeo cum Sanch. certum esse, quod teneantur servare tum leges contractuum, quod jure communi cautum est, (dempto contractu dotis, qui ineundus est juxta leges domicilii viri) tum etiam leges, quarum transgressio cederet in particulare illius Oppidi damnum; ut si prohibeatur extractio tritici, vel mercium. Sed an festa, jejunia, & alia hujusmodi teneantur servare, dubium est apud Doctores. Probabilius censeo cum Sanch. Tolet. Azor. contra Suar. & Sa, quod non teneantur. Ratio est; quia ad obligandum legibus requiritur jurisdictio; hæc autem non habetur erga peregrinos, qui ex brevi mora in aliquo loco non fiunt subditi; Unde nequit Episcopus illis ministrare Sacramenta, (præter Confessionem, & Communionem, idque ex tacita proprii Episcopi licentia) nec potest cum iis dispensare; ut communiter Doctores docent. Quænam autem dicatur brevis mora, examinabimus cum de præcepto audiendi missam agemus.

Neque dicas, quod Episcopi soleant punire peregrinos non servantes leges loci: Nam vel puniunt, quia Episcopi sequuntur opinionem contrariam valde probabilem; vel quia peregrini non caute se gerunt vitando scandalum.

Neque dicas secundo, quod ex *Regulis juris in 6. Qui sentit commodum, debet & onus sentire.* Nam hoc est verum, quando onus est necessario annexum commodo, sicut fructibus beneficii annexa sunt onera beneficii: in casu autem nostro onus non est necessario annexum commodis peregrinorum. Sic Novitii gaudent multis privilegiis regularibus, nec eorum præceptis ligantur.

Neque dicas tertio, quod peregrini eximerentur legibus omnibus municipalibus, quod videtur absurdum, ut diximus de vagis. Nam hoc erit per accidens in peregrinis; & eo solum brevi tempore eximerentur, quo dicuntur esse peregrini; quod non accidit in vagis, qui semper eximerentur.

IX. Notandum tamen, quod si leges loci, ubi degunt peregrini, sint juris communis, teneantur eas servare, quamvis in proprio domicilio sint abrogatæ. Unde Mediolanensis tenetur jejunare primis quatuor diebus Quadragesimæ, si Neapoli transeat; & Castellanus tenetur die Sabbati abstinere ab intestinis animalium, si Neapoli sit peregrinus. Ratio discriminis est, quia in hoc casu condens jus commune habet jurisdictionem in omnes, & omnes obligat; nec aliquis excusatur, nisi ex eo, quod sit in loco, ubi lex illa abrogata est: Contra vero condens leges municipales jurisdictionem non habet in peregrinos; unde illos non obligat.

Dubium est tertio, Cujusnam Parochiæ legibus teneatur, qui ex æquo in duplici Parochia habitat, itaut sit utriusque Parochianus?

Respondeo, teneri legibus, & consuetudinibus ejus Parochiæ, in qua de facto habitat, quia tunc censetur ejus incola: Quod si in alteram per breve tempus adveniret, non teneretur ejus legibus, quia reputaretur peregrinus, & hospes.

ARTICULUS IV.

De intentione requisita ad observantiam præceptorum.

I. Ad satisfaciendum præcepto requiritur intentio ponendi opus injunctum.

II. Præcepto jejunii non satisfacit, qui invitus abstinet cibo.

III. Satisfacit tamen præcepto restitutionis, qui pravo fine restituit; Et qui invitus restituit, licet præceptum non impleat, non tenetur tamen iterum restituere.

IV. Non requiritur ad satisfaciendum præcepto intentio satisfaciendi per opus, quod ponitur: Non enim imponitur obedientia formalis, sed materialis.

V. Num satisfaciat debito justitiæ, qui immemor debiti eleemosynam largitur?

VI. Num præcepto, aut voto satisfaciat ponens opus præceptum, sed positive nolens per illud satisfacere?

VII. Qui nolens satisfacere per opus præceptum, quod ponit, mutata voluntate, nolit aliud opus ponere, requiriturne, quod velit per illud opus satisfecisse; an satis est, quod sciat se satisfecisse?

VIII. Qui audit Sacrum præceptum nolens per illud satisfacere, nec volens aliud audire, non transgreditur præceptum Ecclesiasticum, sed naturale.

I. DUplex dari potest intentio, altera implendi præceptum, seu ponendi opus præceptum; altera satisfaciendi præcepto per illud opus. De utraque nonnulla quærenda sunt.

Quæritur primo; Utrum ad satisfaciendum præcepto requiratur intentio ponendi opus injunctum?

Respondeo cum communi affirmative; nec satis est ponere illud opus sine intentione ponendi illud. Quare qui, verbi gratia, in ebrietate, vel somno recitat officium, aut interest Sacro, non satisfacit præcepto. Et a fortiori qui invitus per defectum cibi jejunat sine animo jejunandi, non satisfacit præcepto jejunii. Ratio est, quia præceptum impleri non potest, nisi per actum humanum, & liberum, quo homo velit exequi, quod præcipitur. Etenim lex imposita hominibus debet humano modo, non more brutorum impleri.

Confirmatur, quia lex non violatur, nisi per actum liberum, quo quis nolit ponere, quod præcipitur; ergo nec impletur lex nisi per actum liberum, quo quis velit ponere, quod præcipitur; & consequenter sicut non violat legem jejunii, qui invitus comedit, ita nec legem jejunii implet, qui invitus jejunat.

II. Ex quo sequitur, ut notat Sanch. lib. 1. cap. 13. recitantem attentissime horas Canonicas ex sola intentione legendi, vel addiscendi, non satisfacere recitationi horarum. Nec satisfacit obligationi audiendi Sacrum, qui in Ecclesia devotus persisteret coram celebrante, sed solo animo contemplandi Divina, & orandi, non animo audiendi Sacrum: Quamvis enim attentio ad orandum satis sit, ut satisfiat attentioni requisitæ ad audiendum Sacrum, ut suo loco dicemus, tamen si deficit intentio audiendi Sacrum, illud non dicitur audiri. Ita expresse Sanch. loc.cit. quia opus præceptum debet impleri scienter, & cum voluntate ponendi illud.

III. Notandum tamen, quod si præceptum sit negativum, verbi gratia, non comedendi carnes, ex doctrina Vasq. 1. 2. quæst. 100. art. 9. potest etiam a dormientibus impleri; quia tale præceptum impletur præcise per non positionem rei prohibitæ. At non impletur ab invitis, ut ostendimus: Qui enim invitus a carnibus abstinet, non satisfacit præcepto, sicut nec satisfacit, qui invitus interest Sacro.

Quod si quis per metum gravem recitet horas, aut Sacro intersit, satisfacit præcepto; etiamsi peccet, si habeat animum non implendi præceptum deficiente metu. Ratio est, quia metus non tollit, licet minuat, voluntarium; unde qui per metum recitat horas, libere recitat, atque adeo præcepto satisfacit. Eodem modo famuli, vel pueri, qui audiunt Sacrum ex eo, quod comitentur Heros, vel Pædadogos, satisfaciunt præcepto, si debitam intentionem absolutam habeant audiendi Sacrum, etiamsi habe-

haberent illam aliam intentionem peccaminosam conditionatam, Non audirem Sacrum, si non comitarer herum, ut notant Suar. & Sanch. contra Divum Antonin.

Rogabis; An satisfaciat præcepto restitutionis, vel præcepto dandi eleemosynam indigenti, qui invitus, vel ebrius, aut ignorans restituit, vel dat nummos pauperi?

Respondeo affirmative; his enim præceptis satisfit non solum ab ebriis, &c. sed etiam ab iis, qui pravo fine, verbi gratia, ob inanem gloriam, vel ad fornicandum restituunt, aut dant eleemosynam. Et ratio ex Vasq. loc. cit. est, quia etiam iis actibus tollitur materia, propter quam præcipitur restitutio, & eleemosyna, videlicet retentio rei alienæ, & necessitas indigentis; Unde ea sublata cessat obligatio. Qui tamen invitus restituit, aut dat eleemosynam, peccat quidem non implendo præceptum, sed exterius ita præceptum implet, ut non teneatur iterum restituere, aut eleemosynam dare, cum cessarit obligatio, sublata materia, propter quam talis obligatio fuit imposita. Quare qui sic satisfacit huic præcepto, revera præceptum non implet, sed non amplius illo obligatur.

IV. Quæritur secundo; An ad satisfaciendum præcepto requiratur intentio satisfaciendi per opus, quod ponitur?

Respondeo negative cum Sanch. Suar. Henr. contra Sylvest. Ledesm. Lopez. Ratio est, quia præcepta solum obligant ad ponendum voluntarie, & actu humano opus injunctum, non vero ut signate velimus per tale opus satisfacere præcepto; cum nullibi talis obligatio inveniatur.

Confirmatur, quia talis intentio non requiritur ad satisfaciendum præceptis negativis, verbi gratia, non furandi, non occidendi, &c. ut adversarii etiam fatentur; nec ad satisfaciendum præceptis naturalibus, verbi gratia colendi Deum, honorandi parentes, &c. ut liquet; ergo neque etiam requiritur ad satisfaciendum præceptis positivis.

Neque dicas, præcepta obligare ad obedientiam, quæ non habetur, nisi adsit intentio satisfaciendi præcepto. Nam præcepta obligant tantum ad obedientiam materialem, non ad formalem, hoc est ad ponendum id, quod præcipitur, non vero ad ponendum illud, quia præcipitur.

V. Ex data doctrina deducunt aliqui cum Baldello apud Dianam p. 5. tr. 13. ref. 94. quod si quis debens centum Titio, immemor talis debiti donet illi centum, satisfaciat debito, itaut non teneatur dare alia centum. Et ratio videtur esse, tum quia si is fuisset memor debiti, non dedisset centum animo liberali, sed animo satisfaciendi; tum etiam quia quilibet habet intentionem interpretativam satisfaciendi prius debito justitiæ, quam dandi gratis. Et idem docent de eo, qui ignorans debitum largiendi eleemosynam pauperibus, vel propter omissionem officii, (ut debent beneficiarii,) vel propter debita incerta, gratis eleemosynam largitur, non animo satisfaciendi: Et quamvis ab Alex. VII. damnata sit propositio 33. quæ dicit: *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas ante beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit:* Hoc putant intelligendum de eleemosynis factis ante obligationem restituendi, non vero ab immemore post obligationem.

Verum hoc negant communius apud eundem Dianam cum Sanch. lib. 1. cap. 13. & Lopez. Ratio est, quia quamvis immemor debiti, quando dat eleemosynam, non daret illam animo liberali, si recordaretur debiti, tamen non est attendenda voluntas ista conditionata satisfaciendi, sed requiritur intentio absoluta, quæ non habetur in casu nostro. Nec satis est ad operandum intentio interpretativa, sed requiritur intentio vel actualis, vel saltem virtualis. Verum quidem est, quod si quis immemor voti, quod habet, jejunandi, jejunet, satisfaciat voto; sicut qui ignorans hodie esse diem festum, audit sacrum, satisfacit præcepto: At si ignorans se debere centum Titio, donet illi centum, non satisfacit debito. Disparitas est, quia donans sponte vult debitum ex justitia prorogari, ut in quæsito sequenti explicabimus.

VI. Quæritur tertio; an qui audit missam, verbi gratia, & positive non vult per talem missæ auditionem satisfacere præcepto, adhuc satisfaciat?

Respondeo, communiorem sententiam esse, ut notat Sanch. quod non satisfaciat. Ratio est primo, quia actus non operantur ultra agentium intentionem, ex leg. *Non omnis*, *ff. Si certum petatur*. Secundo, quia si quis non vult audire Sacrum, cui assistit, vere non dicitur illud audire; ergo si non vult per Sacrum, quod audit, satisfacere præcepto, non satisfacit. Tertio, quia si debens centum Titio velit illi donare centum, & non satisfacere per illa suo debito, certe non satisfacit; ergo neque in casu nostro.

Verum idem Sanch. lib. 1. cap. 13. apud Tambur. lib. 4. cap. 2. docet, probabiliorem esse sententiam oppositam Suarii, Vasq. Valent. & aliorum, quod scilicet satisfaciat. Probatur, quia nemo potest transgredi præceptum per hoc, quod nolit id, ad quod præceptum non obligat; sed præceptum, ut diximus quæsito superiore, non obligat ad habendam intentionem illi satisfaciendi, sed solum præcipit liberam, & humanam externi operis executionem; ergo non transgreditur præceptum, qui non vult satisfacere,

dummodo ponat opus injunctum; cum non sit in potestate nostra non satisfacere præcepto, quando exequimur id, quod præcipitur. Quod patet in præcepto negativo. Etenim impossibile est, ut quis, verbi gratia, omittat furtum, & non satisfaciat præcepto non furandi; quamvis dicat se nolle per omissionem furti satisfacere tali præcepto; propterea solum peccaret contra legem naturalem, si haberet hanc intentionem; ergo idem dicendum in præcepto positivo, verbi gratia audiendi sacrum.

Confirmatur; quia satisfacit præcepto audiendi Sacrum, qui illud audit ob vanam gloriam, vel ut inducat alium ad peccatum, &c.; ergo a fortiori, qui illud audit sine animo satisfaciendi per illud; cum possit sine peccato nolle satisfacere præcepto per talem auditionem Sacri, eo quod velit deinde aliud audire.

Ad rationes in contrarium facile respondetur. Et quidem ad primam dico, regulam illam habere locum, quando ex operantis intentione dependet implere præceptum per illum actum; ut si quis debens centum Titio velit illi donare centum, & non satisfacere priori debito; in casu autem nostro non pendet ex operantis intentione implere præceptum per illam auditionem Sacri, ut ostendimus in probatione conclusionis. Ad secundum, negatur consequentia. Disparitas est, quia qui non vult audire Sacrum præceptum, non vult exequi, quod præcipitur, & sic non implet præceptum: E contra qui audiendo missam non vult per illam satisfacere, vere exequitur, quod præcipitur; ergo vere satisfacit præcepto exercite, licet signate dicat se nolle satisfacere; Non secus ac qui signate dicit se nolle loqui, vere exercite loquitur. Ad tertiam, negatur etiam paritas; quia obligatio ex justitia pendet ex contrahentium voluntate; unde si debens centum Titio donet illi centum nolens satisfacere debito justitiæ, vult consequenter remanere illæsum jus ad centum, atque adeo per donationem illam non satisfacit debito. Contra vero obligatio præcepti pendet ab intentione Legislatoris, & ideo subditus non potest illam ad libitum prorogare.

Hinc sequitur probabile esse, quod qui voverit jejunium, & nolit per primum jejunium satisfacere tali voto, vere non satisfaciat, quia pariter obligatio voti pendet ab ipsius voventis voluntate; unde ad libitum prorogari potest, sicut debitum justitiæ. At probabilius putat Sanch. quod per primum jejunium tali voto satisfaciat, etiamsi nolit vovens satisfacere. Ratio est, quia votum, & juramentum obligant instar præcepti, idest solum ad substantiam operis promissi ponendam actu humano; Unde non est in potestate voventis non satisfacere voto, quoties vult exequi opus promissum: Et quamvis possit velle ad aliud jejunium se obligare novo voto; (sicut qui debens centum, si donet centum, vult ex justitia obligari ad alia centum solvenda) tamen non intendit novum votum emittere per hoc præcise, quod dicat nolle se priori voto satisfacere: Ad eum modum, quo qui jejunando votum implevit, & deinde proponeret idem votum implere per novum jejunium, non tenetur vi voti ad novum jejunium, nec tale propositum habet vim novi voti.

Hinc fit, quod si votum sit disjunctivum, verbi gratia, vel jejunandi, vel dandi eleemosynam, & vovens jejunet animo non satisfaciendi voto per jejunium, volens satisfacere per eleemosynam, hic post jejunium ad eleemosynam non tenetur, quia votum vere implevit; nec electio illa habet vim voti, ut notat Sanch. lib. 4. cap. 13.

VII. Rogabis: Qui interfuit Sacro cum animo non satisfaciendi præcepto per illud, volens deinde aliud audire, si mutato proposito nolit audire aliud sacrum, teneturne habere intentionem satisfaciendi præcepto per prius sacrum jam auditum? An vero satis est, quod sciat se jam satisfecisse præcepto per illud?

Respondeo cum Sanch. loc. cit. contra Suar. & alios apud Dian. part. 1. tract. 12. resol. 37. satis esse, quod sciat se jam satisfecisse; illa enim intentio satisfaciendi præcepto per sacrum jam auditum nullatenus requiritur. Ratio est, quia implere præceptum non debet esse actus obedientiæ formalis, qua quis velit signate obedire, sed satis est, quod sit actus obedientiæ materialis, qua quis libere ponat, quod præcipitur.

Sequitur hinc primo, quod qui immemor præcepti audit Sacrum, si postea recordetur præcepti, neque tenetur audire aliud Sacrum, neque tenetur habere intentionem satisfaciendi præcepto per Sacrum auditum; sed satis est, quod sciat se jam præcepto satisfecisse audiendo sacrum actu humano.

VIII. Sequitur secundo, quod qui audit sacrum animo non satisfaciendi præcepto per illud, & simul animo non audiendi aliud sacrum, vere præcepto positivo auditionis missæ satisfecerit, & solum transgressus sit præceptum naturale, quo tenetur quisque subjectus esse legi humanæ, & non contemnere Legislatorem.

ARTICULUS V.

De Impedimentis non apponendis observantiæ Præceptorum.

I. *Diversimode quoad hoc in diversis præceptis ratiocinandum; inspiciendo num præceptum rigidius obliget? Num impedimentum sit proximius? Num necessitas sit gravior?*

II. *Quænam defatigatio incompossibilis cum jejunio liceat ipso die jejunii, aut pridie illius diei?*

III. Num

III. Num tempore Interdicti privilegiarius teneatur sacrum audire? Et detentus in carcere num teneatur uti licentia egrediendi ad sacrum audiendum?

IV. Quandonam possit quis iter arripere, prævidens, quod non possit deinde die festo sacrum audire?

V. Tenetur excommunicatus tollere impedimentum excommunicationis, ut possit in Paschate communicare; non tamen, ut possit die festo sacrum audire?

VI. Præceptum non solum obligat ad non apponenda impedimenta, sed etiam ad ea etiam pridie removenda.

I. QUæritur, An possit quis licite ponere impedimenta, quibus præceptum implere non possit? V. g., an possit quis die jejunii licite vacare saltui, venationi, equitatui, &c., itaut ratione lassitudinis non amplius obligetur ad jejunium?

Respondeo cum Sanch. lib. 1. cap. 15., Merol., Pal. de Legibus, non posse eandem regulam in omnibus præceptis assignari, aliqua enim præcepta obligant rigidius, ut præceptum audiendi sacrum; Aliqua benignius, ut præceptum jejunandi. Rursus aliqua impedimenta sunt magis proxima, ut projectio breviarii; Aliqua magis remota, ut quando iter inceptum impedit jejunium, vel auditionem missæ: Aliquando etiam apponitur impedimentum ex majori necessitate, vel utilitate, aliquando ex minori. Et ideo in diversis materiis diversimode discurrendum, itaut in præceptis, quæ benignius obligant, possit licite apponi impedimentum vel remotum, vel ex gravi necessitate proximum: In præceptis vero, quæ obligant rigidus, non possit poni impedimentum proximum, vel remotum ex levi necessitate. Quod clarius apparebit discurrendo in aliquibus materiis controversis apud Doctores.

II. Primo itaque nonnulli cum Medin. apud Sanch. contra communiorem opinionem docent, non peccare contra præceptum jejunii, qui libere se conjicit in impedimentum illius eadem die jejunii: Verbi gratia, si quis defatigetur venando, ludendo, quærendo concubinam, &c.; dummodo hæc non fiant in fraudem jejunii, ut notat Bonac. disp. 2. quæst. 8.; quia scilicet præceptum jejunii tantum obligat, ne per se, & ex intentione fiat opus ipsi incompatibile. Verum communius cum Less., Laym., Trull. lib. 1. in Decalogum cap. 2. dub. 7. docent, ea tantum licere tempore non multum proximo ipsi diei, quo præceptum urget; v. g., si quis die antecedenti defatigetur venando; Quamvis Trull., & Ledesm. excusent eum, qui semel, vel iterum assumit pilæ ludum, exempli gratia, vel venationem, licet prævideat eodem die non posse jejunare; quia scilicet præceptum jejunii non videtur obligare cum tanto rigore ad abstinendum ab iis actionibus honestis.

III. Secundo dubitatur a Doctoribus; An habens Bullam Cruciatæ concedentem privilegium audiendi Sacrum tempore interdicti localis teneatur illud eo tempore audire?

Negant Avil., Con., Dian. part. 1. tract. 2. resol. 2., quia nemo cogitur uti suo privilegio. Sed probabilius affirmant Suar., Medin., Lug. de Euchar. disp. 22.; quia præceptum obligat, quoties non habes impedimentum legitimum seu quando potes; sed qui habet privilegium audiendi, potest audire; ergo tenetur; Sicuti qui in carcere detentus habet licentiam a judice adeundi Ecclesiam ad Sacrum audiendum, tenetur illud audire.

IV. Tertio ex Pal., Sanch., Tambur. lib. 4. cap. 2. §. 3., potest aliquis tempore remoto a die festo implicare se in aliquo negotio gravi, vel in aliquem locum distantem ab Ecclesia discedere, puta navigare, etiamsi eo fine id faciat, ne teneatur audire sacrum; quia tunc præceptum non obligat, nec est in proximo, ut obliget; Unde potius esset effugere præceptum, quam ponere impedimentum præcepto; Non secus ac qui ad finem non jejunandi vel recedit a loco, ubi obligat præceptum jejunii, vel petit dispensationem: Contra vero non potest quis eodem die festo, vel tempore proximo ponere libere hujusmodi impedimenta ad sacrum audiendum; quia qui obligatur ad finem obligatur ad media, & ad non ponenda proxima impedimenta fini assequendo. Quare si quis vellet venatum ire paucis horis ante mediam noctem Sabbati, prævidens, quod die dominico non possit audire sacrum, peccat: Si vero venatum iret die Sabbati mane, probabiliter non peccat; quia præceptum audiendi Sacrum die dominico tunc non proxime urget, nec videtur tale præceptum tam rigide obligare ad tollenda impedimenta non adeo proxima.

V. Quarto, docet Tambur. in Meth. Commun. cap. 4. §. 4. n. 31. ex Suar., Avil., Lug. contra Henr., quod excommunicatus teneatur tollere impedimentum excommunicationis, ut possit in Paschate communicare: E contra detentus in carcere non tenetur procurare excarcerationem, nec infirmus procurare sanitatem, ut possit eo tempore communicare. Disparitas est, quia excommunicatio directe, & per se obstat impletioni talis præcepti; carcer vero, & ægritudo obstant per accidens. Cum autem confessio, & communio maxime conferant ad salutem animæ, obligant ad removenda ea, quæ directe illis opponuntur, non vero ad removenda mala temporalia, quæ impediunt per accidens. Quod constat a posteriori, quia qui sunt timo-

timoratæ conscientiæ, non multum sunt soliciti de procuranda excarceratione, & valetudine ad hunc finem, ut possint in Paschate communicare; Quamvis ex vi hujus præcepti teneantur tollere impedimenta voluntaria; v. g. tenentur non se vulnerare, inebriare, &c. Necnon impedimenta involuntaria, quæ facile tolli possunt, v. g. si facile ab amico posset obtineri excarceratio.

Quinto, ex Azor., Dicast., & aliis notat idem Tambur., quod excommunicatus non teneatur procurare absolutionem ab excommunicatione, ut possit audire sacrum die festo; teneatur vero, ut possit communicare in Paschate. Disparitas est, quia præceptum communionis rigidus obligat; tum quia est Divinum quoad substantiam; tum etiam quia præcipit res majoris momenti: Si quis tamen esset negligens in procuranda absolutione ad eum finem, ne teneatur audire sacrum, procul dubio peccaret.

VI. Sexto communiter apud Sanch. loc. cit. docent, non solum non posse apponi impedimentum præcepto, sed etiam ex vi præcepti debere illud tolli die præcedenti; unde æditus tenetur templum verrere, altaria ornare, hostias conficere pridie festi, ne ipsa festi die laboret.

ARTICULUS VI.

De Ignorantia, Metu, & Dispensatione excusantibus a Præceptorum transgressione, ac de Impotentia excusante.

I. Ignorantia præcepti, seu inadvertentia, si non sit graviter culpabilis, excusat a gravi culpa legis transgressorem.

II. Ignorantia vincibilis dividitur in affectatam, crassam, seu supinam, & levem. Præter ignorantiam vincibilem, seu consequentem, & invincibilem, seu antecedentem; datur ignorantia comitans, sive ea sit juris, sive facti, sive solius pœnæ.

III. Ignorantia solius pœnæ excusat ab illa incurrenda, si hæc sit extraordinaria: Ab ea tamen non excusat ignorantia crassa, supina, & affectata.

IV. Ejusdem speciei est peccatum commissum ex ignorantia culpabili legis, ac scienter commissum.

V. Ignorantia, quæ est graviter culpabilis respectu juris Divini, & Naturalis, aliquando non est graviter culpabilis respectu juris humani, quod non obligat adeo stricte.

VI. Ignorantia etiam crassa pœnæ non petendi debitum excusat ab ea incurrenda, utpote imposita contra scienter operantes.

VII. Metus gravis non excusat a culpa, quando prohibetur res intrinsece mala, aut præcipitur res ex se connexa cum vitæ periculo; secus vero si connectatur per accidens.

VIII. Excommunicatus vitandus potest ad mortem declinandam celebrare; non tamen confessiones audire, & absolvere.

IX. Num liceat ob metum gravem simulare Matrimonium, illudque consummare?

X. Num Carthusiani teneantur vesci carnibus in extrema necessitate.

XI. Qui non potest totum præceptum implere, tenetur ad partem, quam potest, si ea sit notabilis, & dividua, & censeatur a Legislatore intenta.

XII. Quandonam dispensatio obtenta excuset a præcepti transgressione?

XIII. Num possit Episcopus in lege Pontificia dispensare in casu occurrenti, sive quia necessitas urget, sive quia dubitatur, an res indigeat dispensatione?

I. QUæritur primo; An ignorantia precepti excuset a culpa transgressorem?

Respondeo, tam ignorantiam, quam inadvertentiam, seu oblivionem sive juris, sive facti excusare a culpa gravi; dummodo ignorantia non sit crassa, vel supina, vel affectata, vel notabilis, seu graviter culpabilis. Ita communiter cum D. Th. 2. 2. quæst. 76. Ratio est, quia quicquid omnino est involuntarium, caret culpa; Atqui ignorantia invincibilis, si sit facti, reddit actum simpliciter involuntarium; (ut si quis volens occidere feram occidat hominem). Si vero ignorantia sit juris, reddit actum involuntarium, inquantum malum est, & prohibitum, ergo per talem ignorantiam tollitur omnis culpa: Si vero ignorantia sit culpabilis, proculdubio culpa non vacat, & quidem gravi, si ignorantia sit crassa, vel supina, vel affectata, vel notabilis.

Notandum itaque, ignorantiam dividi in Invincibilem, & Vincibilem. Ignorantia invincibilis (quæ etiam dicitur inculpabilis, justa, probabilis, antecedens) dicitur, quoties quis vel non dubitat de malitia actus, ita ut teneatur ad veritatem inquirendam; vel si dubitat, adhibuit moralem diligentiam ad dubium deponendum: Contra vincibilis (quæ etiam dicitur culpabilis, injusta, improbabilis, consequens) habetur, quoties non est adhibita moralis diligentia ad tale dubium deponendum.

II. Præterea Ignorantia vincibilis, seu culpabilis dividitur in Affectatam, Crassam, vel Supinam, Notabilem, & Levem. Affectata est, qua quis data opera vult, seu affectat ignorare, num actus sit malus, ne cogatur ab eo abstinere; ut si quis nolit scire, an hic liber sit prohibitus, ut possit illum liberius legere; unde dicitur Psal. 35. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Crassa,

vel

vel Supina dicitur, quando quis ignorat per meram negligentiam, quam pingues, & supini exercere solent. Notabilis dicitur, quando quis adhibet quidem aliquam diligentiam ad dignoscendum, num actus sit malus, sed non tantam, quanta moraliter requiritur ad assequendam veritatem; ut si quis ab indocto inquirat, an hic liber sit prohibitus. Levis dicitur, quando quis adhibet non aliqualem, sed notabilem diligentiam, non tamen quanta requiritur; ut si quis a mediocriter docto inquirat de prohibitione hujus libri. Quinam autem gradus diligentiæ adhibendus sit in inquirendis obligationibus præceptorum, non est facile decernere; Certe major requiritur in iis, quæ sunt juris naturalis, quam positivi; Major, ubi agitur de damno tertii, quam ubi hoc non intervenit; Major, ubi agitur de vita, quam ubi agitur de re familiari. Demum datur ignorantia comitans, quando scilicet aliquis ita legem sive vincibiliter, sive invincibiliter ignorat, ut adhuc si illam sciret, vellet eam transgredi.

III. Quæritur secundo; An ignorantia pœnæ excuset ab illa incurrenda?

Respondeo cum Con., Suar., Avil. contra Covar., & Hurt. apud Leand. de Censuris quæst. 2. affirmative; ut fuse ostendemus cum de censuris in genere, loquendo tamen de pœna extraordinaria, seu quæ pendet a judicis voluntate illam comminari; ut sunt Censuræ, Irregularitas ex delicto, prohibitio petendi debitum, & juxta non paucos, Reservatio casuum, &c. Ratio est, quia, ut quis hanc pœnam extraordinariam mereatur, debet delinquere contra legem comminantem illam; atqui quoties, v. g., Petrus percutit Clericum ignorans legem imponentem pęnam excommunicationis, quamvis delinquat contra legem naturalem, non tamen delinquit contra legem humanam comminantem talem pęnam; ergo non meretur pęnam illam; Idque sive ignorantia sit juris, sive sit facti, sive sit solius pęnæ; ut si quis sciat prohibitam esse graviter rebaptizationem, sed nesciat impositam esse pęnam irregularitatis. Hæc tamen non militant in pęna ordinaria, seu debita culpæ ex natura sua; nam satis est cognoscere, quod culpa mereatur pœnam, & quod talis actus sit graviter culpabilis, ut qui talem actum operatur, mereatur pęnam inferni, quamvis infernum non cognoscat.

Notandum tamen, quod ignorantia crassa, supina, & affectata non excusat ab incursione pęnæ, ut notat Merol. apud Tambur. Ratio est, quia talis ignorantia non excusat a culpa; ergo nec a pęna; Præsertim quia in Cap. *Ut animarum de Constitution. in 6.* dicitur aperte, *Statutis Ordinariorum non ligari ignorantes*, *nisi eorum ignorantia sit crassa*, *vel supina*. Verum si lex comminatur pęnam cum talibus formulis; Qui scienter, vel consulto; vel qui præsumpserit, aut temerarius violator extiterit, &c. docent communiter Doctores contra Hurt., quod talis pęna non incurratur ab eo, qui habet ignorantiam supinam, & crassam, sed solum ab eo, qui habet ignorantiam affectatam; quia hæc æquiparatur scientiæ, ex Cap. *Eos qui, de temporibus Ordination. in 6.* Et ratio a priori est, qua, ut notat Sanch. lib. 1. cap. 13., Ignorantia supina, vel crassa minuit voluntarium, & consequenter minuit peccatum; Contra tamen Ignorantia affectata auget peccatum, ex D. T. 1. 2. quæst. 76. art. 4.; præsertim si sit ad liberius peccandum; quia talis voluntas continet majorem contemptum præcepti, ut constat ex illis verbis impiorum Job. 21. *Recede a nobis*, *scientiam viarum tuarum nolumus*.

IV. Notandum secundo, ejusdem speciei esse tam peccatum commissum cum ignorantia culpabili legis, quam scienter commissum; nec esse explicandum in confessione, quod quis, v. g., omiserit jejunium præceptum scienter, aut quod omiserit ex ignorantia legis graviter culpabili. Ratio est, quia, ut probabilius docet Sanch. loc. cit. eadem virtus, quæ obligat, v. g., ad jejunium, obligat etiam ad non culpabiliter omittendam notitiam talis legis; ergo ejusdem speciei, & malitiæ est utrumque illud peccatum: Sicut ejusdem malitiæ est omissio jejunii præcepti facta ab ebrio voluntarie exponente se tali periculo, & a non ebrio voluntarie illud omittente.

V. Notandum tertio ex eodem Sanch. Ignorantiam, quæ esset vincibilis, & mortaliter culpabilis respectu juris Divini, & naturalis, non esse aliquando talem respectu juris humani; quod non obligat adeo stricte ad ignorantiam tollendam. Quare in præceptis humanis quoties diligentia in inquirenda veritate non est adeo modica, ut fere nulla reputetur, tunc ignorantia excusat a mortali, etiamsi respectu præceptorum naturalium, & Divinorum non excusaret.

VI. Ex dictis sequitur primo ignorantem pęnam non petendi debitum impositam tam conjugibus cognoscentibus consanguineam sui conjugis in primo, & secundo gradu, quam iis, qui sine necessitate baptizant, vel levant filium sui conjugis, non incurrere talem pœnam, etiamsi ignorantia fuerit crassa; quia in Sacris Canonibus talis pęna imposita est contra scienter operantes, ut notat Tambur. lib. 1. cap. 2. §. 10.

Sequitur secundo ex Sanch. lib. 4. cap. 22., quod si quis, v. g., voveat non ludere sub pęna solvendi centum, & deinde memor voti, sed immemor pęnæ ludat, peccat quidem contra votum, sed non tenetur pęnam hanc subire.

VII. Cir-

VII. Circa metum aliquando excusantem, certum est, præcepta prohibentia rem intrinsece malam, verbi gratia, adorationem Idoli, mendacium, &c. ob nullum mortis metum posse violari; Sicuti nec præceptum, quod ex se conjungitur cum vitæ periculo: ut si Episcopus tempore pestis percipiat Parochis, ne oves deserant, vel si Dux militibus præcipiat, ut hostes invadant: Etenim cum prævaleat bonum publicum privato, potest præceptum humanum in his casibus cum tanta severitate imponi, ut omnes docent cum Sanch. lib. 1. cap. 18.

Quæritur itaque tertio; An quando lex non prohibet aliquid intrinsece malum, & legis observantia conjungitur solum per accidens cum periculo vitæ, vel alterius gravis mali, tunc excusemur ab ejus transgressione?

Respondeo cum communi affirmative, sive præceptum sit humanum, ut jejunandi; sive sit Divinum positivum, ut est integritas materialis confessionis, & præmissio confessionis ante Eucharistiam; sive sit Divinum naturale, ut est restitutio, adimpletio voti, eleemosyna danda extreme indigenti, &c., quæ sane cum periculo vitæ non obligant. Et ratio est, quia non expedit ad commune bonum, quod ea præcepta cum tanto rigore obligent, neque hoc patitur suavis, ac prudens providentia in gubernando.

Hinc sequitur primo, quod si quis minetur mortem Titio, nisi præceptum abstinendi a carnibus violet in religionis Christianæ odium, aut in contemptum præcepti, teneatur hic potius subire mortem, non quidem vi præcepti humani de abstinendo a carnibus, sed vi præcepti naturalis tunc concurrentis, & obligantis cum vitæ discrimine ad tuendam existimationem religionis, & reprimendum contemptum præceptorum in adversariis; Et contrarium esset exterius negare fidem, & contemptori præceptorum cooperari, quod est intrinsece malum.

VIII. Secundo sequitur, excommunicatum vitandum posse quidem metu mortis audire Sacrum, immo & celebrare præmissa contritione, non tamen confessiones audire, & absolvere; etenim cum tunc careat jurisdictione, redderet irritum Sacramentum, quod est intrinsece malum. Nec potest administrationem Sacramenti Pœnitentiæ simulare; ut constat ex thesi vigesima nona ab Innoc. XI. confixa, quæ habet: *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.*

Tertio excusatur, qui per metum gravem cogitur missam celebrare sine vestibus sacris, & aliis jure Canonico requisitis, ut docet Vasq., Valent., Bonac. disp. 2. quæst. 8. art. 3.

Quarto sequitur cum Sanch., Sot. contra Azor., non teneri quempiam cum vitæ discrimine suscipere Sacramentum baptismi, aut pœnitentiæ, cum possit saluti suæ consulere cum contritione; nec tenetur media tutiora cum tanto periculo quærere.

IX. Quinto juxta opinionem nonnullorum cum Petro Ledes. apud Sanch. lib. 4. disp. 16. peccat mortaliter, qui per metum gravem celebrat Matrimonium, quatenus ex parte sua reddit irritum Sacramentum quod ministrat, & suscipit. Quod tamen Sanchez negat, eo quod verba quæ profert non sunt materia & forma Sacramenti, cum Matrimonium istud sit irritum. Peccat certe graviter, si illud consummet; Ratio est, quia matrimonium metu contractum est irritum, unde consummare esset fornicari; Immo si interveniat inter contrahentes impedimentum aliquod jure naturæ dirimens, peccat etiam simulando contractum; secus vero si interveniat impedimentum dirimens jure Ecclesiastico, ut dicemus in de Matrimonio, & expendimus in Trutina thesium damnatarum, exponendo dictam thesim vigesimam nonam.

Sexto, probabile est cum Sanch. Navar., Tolet., Sa, contra Azor., Victor. Valent. in extrema necessitate, & quando alius minatur cæteroqui mortem, licitum esse vesci carnibus humanis; cum hoc non videatur intrinsece malum. Neque dicas, D. Th. 2. 2. quæst. 142. art. 4. comparare talem culpam fornicationi, quæ in nullo casu licet. Nam D. Th., ut notat Sanch., comparat illam fornicationi in hoc tantum, quod utrumque sit contra naturam, seu a quo communiter natura abhorret. At non omne, quod sic est contra naturam, est intrinsece malum, itaut in nullo casu liceat; nam non restituere, & non implere votum sunt etiam contra naturam, & tamen ea permittuntur in vitæ discrimine. Fornicatio autem in nullo casu licet, sicut nec mollities, ut constat ex propositionibus 48., & 49. damnatis ab Innoc. XI. Adde, quod sicut Mumia (in qua admiscentur carnes humanæ) licite uti possumus in medicamentum, ita in extrema necessitate licite vescimur carnibus humanis, saltem per modum medicamenti, si minus per modum cibi: Quamvis ad id non teneamur; tum quia probabilis etiam est opposita sententia docens esse intrinsece malum vesci carnibus humanis; tum etiam quia non tenemur tueri vitam omnibus mediis licitis, v. g. abscissione cruris, vel brachii; ergo nec esu carnium humanarum, quo solum barbari brutis feriores utuntur.

X. Demum quamvis probabile sit ex Ledesm., & aliis apud Salm. de. Legibus disp. 2. sect. 2., Carthusianos obligari ex proprio statuto, & consuetudine ad abstinendum a carnibus in extrema necessitate; quia ad magnum, & publicum illius Religionis bonum spirituale spectat, ut cum tanto rigore talis observantia vigeat, pro-

probabile etiam est ex Sanch., Lorca, Dian. part. 5. tract. 4. resol. 32. posse eos secluso scandalo, & contemptu in articulo mortis vesci carnibus, etiamsi alios cibos habeant; non tamen ad id teneri, nisi aliis cibis careant.

XI. Quod attinet ad impotentiam excusantem, certum est, excusare a præcepti humani observantia impotentiam non solum physicam, sed etiam moralem, ut quando non potest illud observari sine periculo gravis damni sive proprii, sive alieni.

Quæritur tamen quarto; Quandonam impotens implere totum præceptum teneatur ad partem, quam potest?

Respondeo, multiplicem esse sententiam; dum quæritur, an impotens recitare totum officium teneatur ad partem, quam commode potest. Prima sententia Ledesm. absolute affirmat teneri ad illam partem, quam potest, etiamsi sit minor. Secunda Manuel. tom. 1. sect. 42. absolute negat teneri ad partem, quam commode potest, etiamsi sit major. Tertia Navar., quæ docet potentem recitare majorem partem officii ad illam teneri; potentem vero minorem ad illam non teneri, quia aliter quilibet innumeris perplexitatibus, & scrupulis angeretur, cum vix sit valetudinarius, qui aliquam brevem officii partem non possit recitare. In jure autem regulare est, ut major pars ad se minorem trahat, ex *cap. de iis, quæ fiunt a majori*: ergo bene videtur assignari regula, quod qui potest majorem partem officii, aut fere æqualem recitare, ad illam teneatur, qui vero hanc non potest, ad nihil teneatur.

Sanch. lib. 1. cap. 19. huic sententiæ subscribit. Addit tamen, quod ea vera sit, quando quis, v. gr., dubitat, an ex valetudine possit recitare totum officium, vel totam Quadragesimam jejunare; ad vitandam enim perplexitatem prædicta regula observari potest; Contra vero, si quis, verbi gratia, careat breviario, & solum possit unam horam recitare, vel si solum primo die Quadragesimæ jejunare possit, & deinde ex defectu cibi non possit jejunare; tenetur ad parvam illam partem, quam potest; quia obligatio est in re dividua, & in parva illa parte consistere potest præceptum, & in tali casu cessat omnis perplexitas. Quod si obligatio sit de re individua, ut est peregrinatio Romana, v. gr. qui potest majorem partem itineris conficere, non tamen Romam pervenire, non tenetur ad partem, quam potest, quia in ea præceptum, vel obligatio voti non consistit.

Notandum tamen, damnatam esse ab Innoc. XI. propos. 54. dicentem: *Qui non potest recitare matutinum, & laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem*. Et quidem merito prohibetur, ut in ejus expositione ostendimus in Trutina; tum quia reliquæ horæ sunt pars fere æqualis; tum etiam quia probabilius censent Doctores, quod singulæ horæ per se præcipiantur: Ex quo docent, quod qui suscipit Subdiaconatum hora nona, verbi gratia, non teneatur recitare eo die officium, nisi ab hora nona; Unde cum in singulis horis consistat obligatio præcepti, non debet deobligari a recitandis reliquis horis, qui non potest matutinum, & laudes.

Quare universim placet sententia Bonac. disp. 2. quæst. 8. dicentis cum Ledesm., quod qui commode non potest totum præceptum implere, teneatur implere partem, quam commode potest, dummodo sit pars notabilis, & dividua, & censeatur intenta Legislatore. Ratio est, quia non datur sufficiens causa excusans a tali parte notabili. Nam *Utile per inutile non vitiatur, ex reg. juris in 6.*: Diximus tamen, modo res sit notabilis, & dividua, quia aliter non censetur a Legislatore intenta, & subditus non obligatur ultra voluntatem, & intentionem Legislatoris.

Hinc sequitur primo, quod qui vovit peregrinationem Lauretanam, si possit ponere partem notabilem itineris, & non possit Lauretum pervenire, non teneatur ad illam; quia res hæc non est dividua, nec pars illa censetur intenta a vovente: etenim vovens videtur voluisse se obligare ad iter solum ratione termini, ut docent Suar., & Azor..

Secundo, qui solum usque ad vesperas potest jejunare, non tenetur ad jejunium, nec peccat, si sumat mane jentaculum, quia talis pars non censetur a Superiore intenta, quando præcipitur unica comestio; tenetur tamen abstinere a carnibus, quia præceptum hoc negativum obligat semper, & ad semper.

Tertio, qui propter infirmitatem, vel aliam causam non potest totum officium recitare, tenetur ad partem notabilem, quam potest; cum sit res dividua, & videatur a Legislatore intenta. Monet tamen Suar. tom. 2. de Religion. lib. 4. cap. 28. non in quacumque infirmitate scrupulose agendum, ut qui potest aliquam horam recitare, ad illam teneatur: Et idem dicas de eo, qui potest aliquo die in Quadragesima jejunare; nam hoc esset nimis onerosum, & præter suavitatem legis Ecclesiasticæ, ob perplexitatem, quam induceret. Sed de hoc cum de horis Canonicis redibit sermo.

Quarto, qui potest partem notabilem missæ audire, tenetur ad illam: Nec placet opinio Suar., & Sanch. dicentium quod qui potest solum in principio missæ usque ad consecrationem audire, non teneatur; cum enim missa, quæ præcipitur, principaliter consistat in consecratione, consequenter talis pars videtur notabilis, & a Legislatore intenta.

Quinto, qui non potest recitare totum rosarium, quod vovit, tenetur recitare partem notabilem, quam potest; & qui non potest integram Quadragesimam jejunare, tenetur iis diebus, in quibus bona valetudine utitur; & qui die festo mane ex necessitate laboravit, tenetur reliqua diei parte non laborare.

XII. Quæritur demum, Quandonam dispensatio obtenta excuset a præcepti transgressione?

Respondeo, quod si dispensatio sit valida, & ex rationabili causa concedatur, excusat omnino; Si vero sit valida, & sine justa causa detur, qui ea utitur, excusatur a mortali, non tamen a veniali: Si demum sit invalida, a mortali non excusatur in re gravi. Recolenda tamen hic, quæ diximus, cum de dispensationibus in tractatu de Legibus, videlicet dispensationem sine legitima causa factam ab inferiori in lege Superioris esse invalidam; puta si Pontifex sine causa dispenset in jure Divino, ut in voto; aut si Episcopus dispenset absque justa causa in jejunio Quadragesimali. Quare peccat graviter, qui conscius defectus causæ talem dispensationem petit; sicut etiam qui illam concedit, & qui ea utitur. Quod si Superior in lege propria dispenset sine legitima causa, dispensatio est valida, sed qui eam petit, & qui illam concedit; & qui ea utitur, peccat solum venialiter, nisi scandalum grave, aut notabile aliorum damnum sequatur, ut notat Sanch. lib. 1. cap. 20., & Bonac. de Legibus qu. 1. quamvis ex eodem Sanch. lib. 8. disp. 18. nu. 10. probabile etiam sit, quod ne venialiter quidem peccet qui ea utitur.

XIII. Demum urgente necessitate in casu occurrente potest Episcopus valide, & licite dispensare in lege Pontificis, ut dicemus cum de Dispensationibus in impedimentis matrimonii. Et ratio est, tum quia sicut in præceptis, quæ frequenter indigent dispensatione, ut in jejuniis, in festis, &c., præsumitur data Episcopis facultas dispensandi, quia hoc expedit bono animarum; Ita etiam quando gravis aliqua necessitas, vel utilitas subito advenit; nec est facilis recursus ad Papam; Tum etiam quia in cap. *Nuper*, *de Sententia Excommunicationis in 6.* habetur, facultatem absolvendi concedi inferiori eo ipso, quod Superior illam sibi non reservat; ergo a pari probabiliter censetur inferiori concessa facultas dispensandi eo ipso, quod non reservatur: Et ita tenent Sot., Victor. Covar., Sal. apud Bonac. contra Suar., Sylvest., & alios quorum sententia est probabilior, ut alibi expendimus.

Dubium est, an possit Episcopus dispensare in lege Pontificis, quando dubitatur, an subditus egeat dispensatione?

Docet Sa apud Bonac. loc. cit. posse Episcopum declarare, quod non egeat dispensatione, & ad cautelam dispensare quod: Salas putat non esse improbabile; quia Episcopus dispensare potest in casibus, qui frequenter accidunt; & sæpe accidit dubitari de necessitate dispensationis. Bonac. tamen censet, quod quando probabiliter opinamur rem non egere dispensatione, neque a Papa, neque ab Episcopo necessario petenda sit dispensatio, cum possimus deposito practice dubio sequi opinionem probabilem; si vero solum dubitemus, an res egeat dispensatione, hæc petenda sit a Papa, ut constat tum ex praxi, tum quia non debemus nos exponere periculo delinquendi contra legem Superioris, in qua Episcopus, exceptis quibusdam casibus, dispensare non potest.

QUÆSTIO II.

De Primo Decalogi Præcepto.

Unum cole Deum.

IN primo Decalogi præcepto verus Dei cultus præcipitur, falsorumque Deorum cultus prohibetur: Idcirco agendum hic primo de Virtute Religionis, quæ Dei cultum immediate præcipit; deinde de tribus Virtutibus theologalibus Fide, Spe, & Charitate, quibus Deus specialiter colitur. Tum de Oratione, (ubi fuse de Horis Canonicis) necnon de Adoratione, tanquam de præcipuis actibus Religionis. Adoratio enim est præcipuus ex actibus externis, Religionis, sicut Oratio est præcipuus ex internis; Et ad hanc reducitur Devotio, quamvis ista magis effectum cultus, quam ipsum cultum significet. De Juramento tamen, & Voto, quibus nosmet Deo devovemus, commodius in secundo Decalogi præcepto agi solet. Præterea agendum de Vitiis, quæ per excessum virtuti Religionis adversantur, videlicet de Superstitione, Divinatione, vana observantia, Maleficio, Magia; Sicut etiam de Vitiis quæ eidem virtuti adversantur per defectum, videlicet de Irreligiositate, Tentatione Dei, Blasphemia, Sacrilegio. De Simonia tamen nonnulla dicemus in sequenti tractatu de Restitutione, ubi de Restitutione in particulari; fuse enim de ea diximus in tertio ex Opusculis Theologico-moralibus, ubi de Beneficiis Ecclesiasticis.

AR-

ARTICULUS I.
De Virtute Religionis.

I. *Religio est virtus inter Morales præstantissima, quæ habet pro formali objecto cultum Divinæ excellentiæ præstandum.*

II. *In quo differant virtutes Theologales a Moralibus?*

III. *Quinam sint actus a virtute Religionis eliciti, & quinam imperati?*

IV. *Primum Decalogi præceptum obligat ad actus Religionis externos inquantum conjunctos cum internis.*

V. *Ad quos actus externos Religionis obligat lex positiva, & lex naturalis?*

VI. *Quandonam exercendi sunt actus Religionis?*

I. Virtus Religionis est Theologalibus inferior; sed præstantior Moralibus. Ejus munus est prescribere qualis cultus Deo prestandus sit, propter ejus excellentiam supra omne, quod non est Deus, sicut etiam, ubi, quomodo, & quando prestandus sit. Quare quia Religio respicit Deum super omnia, participat de virtutibus theologalibus, quia vero respicit tanquam suum objectum formale ipsum cultum Dei, qui est aliquid creatum; propter honestatem, quam habet in se talis cultus, ideo non dicitur virtus theologalis; Sicut non est virtus theologalis Obedientia, quę habet pro objecto formali ipsam obedientiam prestandam Deo Superiori supremo.

Anxie disputatur apud Theologos, in quo differat Religio, & alię virtutes morales a Theologalibus?

II. Ad quod dicendum, in hoc potissimum differre, quod solum de ratione virtutis theologalis sit habere pro objecto formali, seu motivo intrinseco ipsumDeum, vel aliquam ejus perfectionem, quę super omnia attingatur: Contra vero virtutes morales habent pro objecto formali aliquid creatum, quamvis aliquando habeant etiam pro objecto terminativo extrinseco ipsum Deum: Exempli gratia, Fides credit Deo, habetque pro objecto formali non ipsam honestatem fidei, sed auctoritatem Dei, quam prefert cuilibet auctoritati createe. Spes tendit ad beatitudinem non propter honestatem spei, aut propter excellentiam beatitudinis, sed habet pro objecto formali Deum auxiliatorem, in quo super omnia confidit; Charitas autem habet pro objecto formali non ipsam honestatem amoris, sed ipsum Deum propter summam ejus bonitatem, propter quam super omnia diligendus est: Contra tamen Religio, Obedientia, & alię virtutes morales habent pro objecto formali ipsam honestatem actus religionis, obedientię &c. Dum enim Religio veneratur Deum super omnia propter ejus excellentiam, habet solum pro objecto terminativo extrinseco excellentiam Dei, quia non movetur ab illa ad cultum Dei, sed ab honestate talis cultus, ut Theologi communius docent; Si enim ab excellentia Dei moveretur ad illum colendum super omnia, tunc Religio haberet rationem virtutis theologalis; sicuti e converso Fides, verbi gratia, si non moveretur ad credendum ab auctoritate Dei loquentis, sed solum ab honestate ipsius actus fidei, haberet rationem virtutis moralis. His explicatis, quærenda nonnulla sunt de virtute Religionis, ac de tribus theologalibus, quibus specialiter Deus colendus est, ut primo Decalogi præcepto obediamus.

III. Quæritur primo; Quinam sint actus Religionis?

Respondeo cum D. Th. 2. 2. quæst. 81., alios actus esse proprios Religionis, & a tali virtute elicitos, alios vero esse solum imperatos a Religione. Dicuntur actus imperati a virtute Religionis omnes actus cujuscumque virtutis, qui ad colendam summam Dei excellentiam ponuntur, ut sunt, v. gr., actus Temperantiæ, Obedientiæ, &c. qui elicitive sunt a propriis virtutibus, sed imperative sunt a virtute Religionis: Et in hoc sensu Jacob. 1. dicitur: *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est, visitare pupillos*, &c. Actus vero proprii Religionis sunt, qui a tali virtute eliciuntur; Et isti juxta doctrinam Angelici dividuntur in interiores, & exteriores, seu corporeos; Ex interioribus præcipui sunt Oratio, quæ est actus, quo aliquid a Deo suppliciter rogamus; & Devotio, quæ est actus, quo nosmetipsos offerimus ad Divinum cultum; Devovere enim idem est, ac consecrare, seu offerre, & mancipare se alteri; quod si talis oblatio fiat cum juramento, vel voto, gravem obligationem inducit. Inter exteriores vero actus Religionis numerantur Adoratio Dei, ac ejusdem Invocatio, Templorum erectio, Oblationes, Decimæ, Primitiæ, &c.

IV. Quæritur secundo; Ad internosne, an ad externos Religionis actus obliget primum Decalogi præceptum?

Respondeo cum Suar., Fagund., & aliis, obligare universim ad actus externos prout conjunctos cum internis: non vero ad solos actus internos. Ratio est, quia nullum assignari potest præceptum Divinum, quod per se & directe obliget ad meros actus internos Religionis. Nec videtur dari de tali actu præceptum naturale; nam cum præceptum de colendo Deo, quod ratio naturalis præscribit, impleri sufficienter possit per actus externos conjunctos cum internis, & a Religione imperatos, non debemus asserere, quod detur præceptum naturale de mero actu interno Religionis. Adde, quod cum nos corpore simul, & anima constemus, externis simul, & inter-

nis simul, & internis actibus colere Deum debemus, atque adeo ad utrrosque obligamur.

V. Rogabis; Quinam sint actus externi, ad quos ex virtute Religionis obligamur?

Respondeo, ex lege positiva tam Dei in veteri testamento, quam Christi Domini in novo, præcipi Sacrificia, & usum Sacramentorum; In lege vero naturæ, ut notat Suar. lib. 1. de Relig. cap. 3., hic specialis cultus Dei per sacrificia fuit adeo usitatus, ut dici potuerit fuisse de jure Gentium, & naturæ hominis consentaneus; Verum neque a Deo, neque a natura fuit præceptus, quia potest Deus sufficienter aliter coli, v. g., vel in faciem procidendo, vel per capitis inclinationem, per genuflexionem, per extensionem brachiorum, aut manuum elevationem, per tunsionem pectoris, per laudationem vocalem, &c.

VI. Quæritur demum; Quandonam obliget virtus Religionis ad Deum colendum per hujusmodi actus externos?

Respondeo, nullum assignari in decursu vitæ certum tempus; idemque communiter docent de actibus Fidei, Spei, & Charitatis, ut fuse diximus in Trutina exponendo primam thesim ab Alexand. VII. confixam, quæ habet: *Homo nullo unquam vitæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*. Quare præter ea, quæ jure positivo injunguntur; videlicet sanctificando diem festum, &c. identidem hujusmodi actus exercendi sunt arbitrio prudentis, & spectatis circumstantiis personæ, ut notat Pal. tract. 6. disp. 1. punct. 4., Sunt enim in vita, & in morte maxime necessarii, & summe meritorii. Sicut autem non sufficit actum fidei semel in vita elicere; ut liquet ex decima septima thesi ab Innoc. XI. proscripta; nec est probabile, præceptum Charitatis erga Deum ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare; ut constat ex sexta thesi ab eodem Pontifice profligata, sed hujusmodi actus non raro exercendi sunt, spectatis circumstantiis personæ, ita pariformiter ratiocinandum de actibus Religionis spectantis Dei cultum; Sicut etiam de actibus Penitentiæ exercendis a peccatore juxta uniuscujusque opportunitates, ut diximus loco laudato.

ARTICULUS II.

De Virtute Theologica Fidei.

I. *Per fidem, quæ virtus Theologalis est, quid præcipiatur?*
II. *Tria sunt præcepta fidei affirmativa, & duo negativa.*
III. *Ad fidei confessionem quandonam teneamur.*
IV. *Ad quid obliget præceptum negativum non negandi fidem exterius?*
V. *Quando dubius in fide est infidelis?*
VI. *Quinam dicantur Pagani? Quinam Judæi? Quinam Hæretici, Schismatici & Apostatæ?*
VII. *Quænam sit pertinacia ad hæresim requisita?*
VIII. *Ad hæresim externam requiritur, ut signum externum de se sit significativum hæresis internæ, & ad incurrendas censuras, debet esse actus exterior de se gravis.*
IX. *Quænam communicatio cum Judæis, & Saracenis prohibeatur?*
X. *Quid teneamur præstare erga Paganos?*
XI. *Num liceat Catholicis de rebus fidei disputare?*

I. QUæritur primo; Quid sit Fides, & quid per illam principaliter præcipiatur?

Respondeo, Fidem esse virtutem thologicam, per quam firmiter credimus propter summam Dei auctoritatem, qui nec fallere, nec falli potest, quæcumque a Deo revelata sunt, & ab Ecclesia nobis proponuntur.

II. Quinque continet præcepta Virtus Fidei, quorum tria sunt affirmativa, duo negativa. Primum ex tribus preceptis fidei affirmativis est, explicite credere Deum esse, & Remuneratorem esse: Credere etiam duo mysteria Trinitatis, & Incarnationis, & quoad substantiam scire, & credere articulos Symboli Apostolici, Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, ac præcepta Decalogi.

Secundum est, non semel ea credere; nam damnata est ab Innoc. XI. prop. 17. dicens: *Satis est actum fidei semel in vita elicere*; nec non 65. *Sufficit mysteria Trinitatis, & Incarnationis semel credidisse*; sicuti etiam 16. dicens: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.*

III. Tertium est, exterius fidem fateri; quando talis confessio necessaria est ad Dei magnum honorem, vel ad proximi, aut ad tuam salutem; seu quando honor Dei periclitatur circa fidei veritatem, vel quando aliter scandalum præberetur proximo circa fidem; ut notat Valent. apud Bonac. Ex quo colligit D. Th., quod non solum coram Tyranno interrogante de fide unusquisque fateri debeat se esse Christianum, sed etiam si vir admodum gravis interrogetur a privatis, puta ab hæreticis, an sit Christianus Romanus, non possit tacere, si grave scandalum populi timeatur; nec possit fugere persecutionem, qui ejus conditionis est, ut ipso fugiente periclitetur honor Dei, vel salus animarum. Contra vero ad confessionem fidei non tenetur, qui interrogatur, an sit Christianus, ut sciatur tantum cujus Nationis, non cujus Religionis est, aut si interrogetur auctoritate privata, & ex reticentia non impediatur magnus honor Dei; quæ omnia fuse prosecuti sumus in Trutina exponendo thesim decimam octavam ab Innoc. XI. confixam: *Fidem confiteri, ut Deo, & Fidei*

Fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno. Quando autem Tyrannus jubet, ut Christiani gestent signum, quo ab aliis distinguantur, non tenentur tali præcepto, utpote iniquo, & injusto obedire, ut docent Sanch. Bonac. & alii contra Navar. & Cajet. Falsum enim est, quod in tali eventu lex habeat vim interrogantis de fide uniuscujusque, sed solum præscribit modum profitendi fidem deferendo tale signum; & ideo qui inter hæreticos interrogatur, an audierit Sacrum, an recitarit officium, ut sic deprehendatur, an sit Christianus Romanus, non tenetur respondere, ut docent Doctores citati. E contra si quis videret Turcam profanare templa, vel virgines Sacras, aut conculcare Sacras imagines, teneretur etiam cum vitæ periculo illum cohibere, si speret profectum; Sicut Pastor tempore persecutionis non potest fugere, si timeat existimationem fidei minuendam, aut a subditis deserendam.

IV. Primum vero ex duobus fidei præceptis negativis est illam exterius non negandi, seu non ponendi ea signa, quæ indicarent internam fidei denegationem. Unde peccat contra Fidem, qui dicit se non esse Christianum, dum nomen Christiani accipitur non ad significandam nationem, sed religionem; Sicut etiam qui utitur signis protestativis falsæ sectæ. Quod si quis habitum Turcarum, vel Judæorum induat, quando fidem suam non tenetur propalare, sed sic incedat, vel ut incolumis transeat per medios hostes, vel alia de causa, non peccaret; quia hoc non esset profiteri falsam religionem, sed solum politica symbola exhibere; Secus vero si ante Idolum serio genuflecteret. Immo Laym. contra Sanch. & Azor. apud Tambur. non audet damnare eos, qui existente gravi causa, puta ad reportandam victoriam infidelium, induerent vestes, ubi sit depictum falsum Idolum, puta Veneris, Jovis, &c. quia ea signa sæpe ornatus causa deferuntur, nec sunt destinata ad exhibendum cultum tali Idolo: Contra vero, si in eis esset, verbi gratia, depictus Mahometes; quia tale signum destinatum est ad protestandam fidem Mahometis. Demum nunquam licet thus adolere, aut genuflectere idolo, quia hoc est apertum signum cultus interni; Possumus tamen ob fines indifferentes ingredi Moschæas falsæ religionis, vel Synagogas Judæorum, verbi gratia, ad inserviendum domino, ut concessit Nahamano Elisæus 4. Reg. 5. Si quis tamen ingrederetur ea templa, quando infideles confluunt ad orandum, aut aliter appareret, ingressum illius templi significare protestationem illius sectæ, certe peccaret contra hoc fidei præceptum. Unde Paulus V. apud Tambur. rogatus, an in Anglia liceret Catholicis ingredi templa hæreticorum cum protestatione, quod id facerent ad obediendum civiliter Regi in hac re indifferenti? Respondit, non licere; quia in iis circumstantiis non poterat præsumi, quod præciperetur ingressus templi materialis, sed ut signum profitentium sectam illam.

V. Secundum ex præceptis fidei negativis est, fidem ne interius quidem negare, videlicet aut dubitando per deliberatam voluntatem de articulis fidei, (nam sic dubius in fide est infidelis), aut aliam sectam amplectendo, videlicet aut Paganismum, aut Judaismum, aut Hæresim.

VI. Quæritur secundo; Quinam dicantur Pagani, seu Gentiles, aut Ethnici? Quinam Judæi, vel Hebræi? Quinam Hæretici, Schismatici, & Apostatæ?

Respondeo, dici Paganos, seu Gentiles, qui nullatenus Christianam fidem in Baptismo promiserunt, nec amplexi sunt, sed Idola colunt, & idcirco etiam dicuntur Idololatræ; Quamvis si Deum nullatenus colant, dicantur Athæi; si vero Mahometis sectam sequantur, ut Turcæ, Maurj, Arabes, &c. dicantur Saraceni, seu Mahòmetani. Dicuntur vero Judæi, seu Hebræi, qui veteri solo testamento credunt, & Christianam fidem in adventu Messiæ promittunt se servaturos; nondum enim credunt venisse Messiam; Hæretici autem dicuntur, qui Christianam fidem solemni professione promiserunt in Baptismo, vel in Catechismo, & deinde aliquem fidei articulum cum pertinacia negant, vel saltem deliberate putant esse rem dubiam, seu opinabilem: Quod si articulos omnes fidei negarent, dicerentur Apostatæ a fide: Si demum credant fidei articulos, & solum se subtrahant ab obedientia Summi Pontificis, dicuntur Schismatici, seu divisi a Capite; ita tamen, ut si ideo se subtrahant ab obedientia Summi Pontificis, quia non credunt illum esse caput Ecclesiæ, sint Schismatici simul, & Hæretici.

VII. Dubium est primo; In quo consistat pertinacia requisita ad hæresim?

Respondeo cum Sylvest. & Tambur. consistere in electione deliberata voluntatis alicujus opinionis cum certa cognitione, quod talis opinio sit contra id, quod docet Ecclesia. Hinc Suar. & alii communius contra Sot. & Lorcam volunt, non esse hæreticum, qui errat contra fidem cum ignorantia, etiamsi affectata, & culpabili quia pertinacia stare non potest cum tali ignorantia. Unde non est idem specie peccatum negare fidem scienter, & illam negare cum ignorantia affectata; quamvis e contra in aliis materiis idem specie peccatum sit transgredi aliquam legem scienter, & transgredi cum ignorantia culpabili; verbi gratia, non audire missam die festo sic cognito, & non audire missam ex ignorantia culpabili, quod hodie sit dies festus.

VIII. Du-

VIII. Dubium est secundo; In quo consistat hæresis externa?

Respondeo, quod sicut hæresis interna est error intellectus voluntarius contra fidem, & cum pertinacia, qui nullo signo externo prodatur; ita hæresis externa est, quæ exterius proditur per vocem, nutum, aut aliud signum; itaut si tale signum coram multis prodeat, dicatur hæresis externa publica; si coram paucis, puta coram duobus, vel tribus, aut coram nullo, dicatur hæresis externa occulta. Quod si quis solum exterius proferat hæresim sine ullo errore intellectus, aut sine pertinacia voluntatis, hic vere non erit hæreticus, nisi dumtaxat secundum forum externum.

Notandum tamen hic ex Sanch. lib. 2. cap. 8., & Tambur. lib. 2. cap. 1. §. 4., ad rationem hæresis externæ duo requiri; primum, ut vox, seu signum exterius procedat ex affectu hæresis, & non aliter; unde qui hæresim aliorum refert, etiamsi interius illam ipse habeat, non est hæreticus exterior.

Secundum, ut tale signum, seu vox ex se, vel ex circumstantiis determinate hæresim exprimat; & talia sunt verba absoluta, & non sub dubio hæresim significantia; Item facta proprie hæreticorum, verbi gratia eorum cœna, & aliæ cæremoniæ, necnon ipsa bona opera hæreticorum, videlicet visitare infirmos, Ecclesiam adire, &c., quando ex circumstantiis colligitur ea fieri ab aliquo, ut se conformet sectæ hæreticorum.

Ex quo fit, ut nec sit hæreticus exterior, qui disputandi gratia hæresim proferat, aut ex hæretico affectu moveat caput, aut dicat, non est ita; dummodo non appareat velle hæresim confirmare; Nam in tali casu hæc signa non exprimunt hæresim determinate. Eadem ratione non est hæreticus exterior, qui comedit carnes die vetito, qui ducit duas uxores, qui Eucharistiæ non aperit caput, &c. quando ea fiunt in iis circumstantiis, in quibus non apprehenduntur fieri ob errorem contra fidem, sed ob inordinatum affectum erga gulam, & luxuriam, & ob irreverentiam erga Eucharistiam. Adde ex eodem Sanch., quod si actus exterior de se sit levis seu veniale peccatum, etiamsi procedat ex affectu interno ad hæresim, non sufficit ad incurrendas pœnas hæresis externæ; Ver. g. si quis comedat parum carnis die vetito animo sequendi sectam hæreticorum. Etenim, ut dicemus de Censuris, & de casuum reservatione, actus exterior de se debet esse gravis, ut sit obnoxius gravibus pœnis, quas Ecclesia nunquam propter merum actum internum infligit.

IX. Dubium est tertio; Qualis communicatio cum Hebræis seu Judæis prohibeatur Christianis?

Respondeo, prohiberi habitare cum illis, eorum azymis vesci, Judæis medicis uti, aut ab iisdem pharmaca accipere, seclusa necessitate, cum iis simul in balneo se lavare, eos invitare, ad eorum convivia accedere, aut legata iisdem in testamento relinquere; prohibitum etiam est tam Judæis, quam Saracenis famulari, & illis officia publica committere, cum iisdem matrimonia inire, aut portare iis lignamina, arma, & similia in Catholicorum perniciem. Non semper tamen est mortale aliquem ex actibus hujusmodi prohibitis exercere, præsertim si longe absit periculum subversionis.

X. Quæritur tertio; Quid teneamur præstare erga Paganos?

Respondeo, & dico primo, non licere nobis baptizare ante rationis usum infantes Gentilium sine consensu unius saltem ex parentibus, si sint sub eorum potestate, non urgente periculo mortis. Et ratio est, ne decursu temporis exponatur Sacramentum Baptismi sacrilegiis ejusdem baptizati. Secundo, nec possumus Paganos ad fidem cogere, quia Christi fides sponte suscipienda est; aliter magnum periculum esset fictionis, & sacrilegii. Unde fit, quod non possit suscipi bellum contra Infideles ex eo solum capite, quod fidem respuant. Tertio, possunt quidem cogi Gentiles, qui sunt subjecti Principi Christiano, ad audiendum Evangelium, (ut etiam Hebræi coguntur Romæ,) & ad abstinendum a peccatis contra jus naturæ; Non possunt tamen ad hæc cogi Gentiles, qui non sunt subjecti; nisi præcludant aditum Prædicatoribus, aut Evangelium, & Christianos persequantur; aut nisi Diis immolent, vel comedant homines; quia hoc non esset jus dicere erga non subjectos, sed esset innocentes defendere, & punire eos, qui injuriam Christo, ejusque religioni inferunt. Quarto, possunt Principes Christiani tolerare in suis Regnis ritus Paganorum, ne dissidia, & rixæ oriantur, & ut facilius convertantur. Quia tamen conversatio Christianorum cum Infidelibus multa mala solet gignere, idcirco possunt expelli, si ad fidem converti nolunt; ita tamen ut vendant omnia sua bona, & cum eorum pretio transmigrent alio, ut fecit Philippus III. anno 1609. expellendo Mauros ex Hispania.

XI. Quæritur quarto; An liceat de rebus fidei disputare?

Respondeo, non licere indocto eas disputationes aggredi, si periculum subeat deceptionis; idque ex præcepto naturali: Ex precepto tamen Ecclesiastico solum laicæ personæ prohibetur publice, vel privatim de fide Catholica disputare, ex cap. *Quicumque de Hæret. in 6.*

AR-

ARTICULUS III.

De Spe, & Charitate.

I. Contra spem Theologalem peccat tam qui præsumit propriis viribus beatitudinem supernaturalem obtinere, quam qui ex sola Dei misericordia sine propriis operationibus illam expectat.

II. Duplex datur præceptum Spei, alterum Negativum non desperandi, nec præsumendi; alterum positivum identidem sperandi.

III. Qui post peccatum omittit actus fidei, ac spei debitos, directe peccat contra virtutem Pœnitentiæ, quæ prævios illos actus requirit.

IV. Charitas debet super omnia Deum amare appretiative, non intensive.

V. Duplex pariter est præceptum Charitatis; videlicet negativum non odio habendi, aut contemnendi Deum, & Affirmativum amandi illum identidem; Sed quanam frequentia?

VI. Non datur materiæ parvitas in odio Dei; sicut nec in Infidelitate.

I. SPes est altera virtus theologalis, qua speramus a Deo beatitudinem, & quæ ad illam pertinent, divino auxilio obtinendam; cum enim viribus naturæ illam assequi non possimus, committeremus peccatum præsumptionis, si absque Divina misericordia illam vellemus obtinere ex solis nostris meritis naturalibus; juxta errorem Pelagianorum; Sicuti etiam contra spem peccaremus, si vellemus ex sola Dei misericordia absque nostris bonis operibus beatitudinem obtinere, juxta errorem Lutheri.

II. Quæritur primo; Quotuplex detur præceptum Spei?

Respondeo cum communi, duplex dari præceptum Spei, alterum negativum non desperandi, nec præsumendi; alterum affirmativum, scilicet positive sperandi; ipsa enim ratio naturalis dictat, habitum supernaturalem spei in Baptismo nobis infusum non debere esse otiosum; & ideo Psalm. 4. dicitur: *Sperate in Domino*; sicut etiam passim in aliis Scripturæ locis. Quare contra hoc præceptum peccari potest omittendo actum spei longo tempore, ut dicitur de actibus fidei, & charitatis; Præsertim quando quis graviter urgetur tentationibus contra spem, & est in periculo desperationis, nisi se muniat actibus spei. Peccatur etiam contra præceptum spei negativum, tum præsumendo consecutionem beatitudinis sine Dei misericordia, aut sine propria cooperatione, ut diximus; tum desperando, quando scilicet quis desperans gratiam, vel gloriam, non curat adhibere suam cooperationem. Putant etiam nonnulli, peccari contra spem tentando Deum, quia tentans Deum non sperat, sicut oportet; Sed nos infra dicemus cum communiori, tentationem Dei esse peccatum potius contra virtutem Religionis, quam contra spem.

III. Notandum hic cum Bonac., quod omittens se convertere ad Deum post peccatum, quamvis omittat actus fidei, & spei debitos, tamen proprie, & directe peccat contra præceptum pœnitentiæ, non contra præceptum fidei, & spei. Et ratio est, quia in tali casu solum per accidens tenetur ad actus fidei & spei, quatenus scilicet pœnitentiam agere non potest, nisi eliciendo actus fidei prævios, & sperando veniam peccatorum.

IV. Denique Charitas est ex Apostolo excellentissima inter virtutes theologales; quia per illam Deum super omnia diligimus, & sic illi perfecte conjungimur.

Quæritur nunc secundo; Utrum teneamur amare Deum super omnia appretiative tantum, hoc est appretiando illum tanquam summum bonum super omnia, an etiam intensive, ita scilicet, ut amor Dei debeat esse intensior, quam quilibet amor erga objectum creatum?

Respondeo, teneri ad amandum Deum super omnia solum appretiative; nam qui patrem, aut matrem, aut quodcumque aliud supra Deum diligit, non est Deo dignus. Non tenemur tamen Deum super omnia diligere etiam intensive, quia si ad id teneremur, angeremur scrupulis dubitando, an actus amoris a nobis elicitus sit intensissimus, qui a nobis elici possit hic & nunc; & sic jugum Divinæ legis non esset suave, nec onus leve. Quare diligimus Deum ex toto corde, & ex tota mente, si super omnia appretiative illum diligamus.

V. Quæritur tertio; Quotuplex sit, & quando obliget præceptum Charitatis?

Respondeo, duplex dari præceptum Charitatis erga Deum, alterum negativum, videlicet non odio habendi Deum, nec illum postponendi creaturis; & hoc obligat semper, & ad semper; Alterum affirmativum, videlicet eliciendi sæpius actus amoris; & circa hoc damnata est ab Innoc. XI. propos. 6., qua dicitur, Ne singulis quidem quinquenniis ad hos actus nos obligari. Communiter tamen docent, ad eosdem nos obligari, primo dum insurgunt tentationes, & periculum est, ne iis assentiamur; deinde quando tenemur elicere actus contritionis; cum contritio sit saltem virtualis dilectio Dei. Præterea alii putant, quod singulis diebus festis; alii quod semel, aut bis in anno, ut dicemus in de Pœnitentia. Equidem vero censeo, non esse eandem unicuique talem obligationem; Sæpius enim ad

actus

actus amoris tenentur docti, quam rudes; sæpius qui majorem habent opportunitatem, & qui in majoribus periculis peccandi versantur, quam alii: Quod fusius in expositione dictæ proscriptæ thesis expendimus in Trutina Thesium damnatarum.

VI. Quæritur quarto; An in odio Dei detur parvitas materiæ, sicuti datur in odio proximi?

Respondeo cum communi negative. Ratio est, quia quodlibet odium Dei maxime repugnat summæ Divinæ bonitati; Sicut enim in Infidelitate erga Deum non datur parvitas materiæ, sed peccat mortaliter quicumque discredit cuilibet minimo articulo fidei; contra vero qui fidem viro probo in minimis non præstat, non peccat mortaliter; Ita pariter qui vult Deo quodvis minimum malum, peccat mortaliter, secus vero qui vult illud homini.

ARTICULUS IV.

De Oratione, qua Deum colimus.

I. Quænam a Deo in oratione petenda, in Oratione dominica disertissime recensentur.

II. Oratio definitur, Petitio decentium a Deo. Ea nobis præcipitur tum præcepto naturali, tum etiam positivo Divino, & Ecclesiastico.

III. Triplex est Orationis effectus, mereri, satisfacere, & impetrare.

IV. Etiam peccatoris oratio est impetratoria ex divina promissione, dummodo ille non petat, inquantum peccator est, videlicet aut mala, aut ad malum finem.

V. Quid requiritur, ut Oratio impetret infallibiliter?

VI. Oratio vocalis naturæ humanæ conformior est, quam mentalis, multis de causis.

I. POtissimus Religionis actus est Oratio, qua petimus a Deo bona nobis decentia, ex D. Th. 2. 2. quæst. 83. Quæ autem bona dicantur decentia, & quo ordine petenda sint, ostendit nobis Christus Dominus docens orandi formam Matth. 6. ubi dixit: *Cum oratis, dicite, Pater noster, &c.* Quod observat D. Th. loc. cit. ex August. Primo enim petenda est Divini nominis sanctificatio, amando illum amore amicitiæ. Secundo, nostrum bonum, petendo adventum regni Dei, seu visionem beatam in Patria, ubi Deus suum habet pacatissimum regnum. Tertio, media, quibus utrumque assequamur; Ea vero sunt tum conformatio cum divina voluntate, tum etiam bona spiritualia, & temporalia, quibus juvamur ad Dei voluntatem exequendam: Quia vero ab iisdem arcemur per peccatum, ideo deinde peccatorum remissionem petimus, & tentationum victoriam; ac demum ut ab omni nos malo temporali, & spirituali liberet, quod ad transgressionem divinorum præceptorum inducit. Explicatis itaque actibus virtutum Theologalium, progredimur ad explicandos actus virtutis Religionis, quę directe respicit Dei cultum.

II. Oratio itaque stricte sumpta definitur, quod sit *Petitio decentium a Deo*; large vero sumpta significat quamcumque mentis elevationem ad Deum per laudem, benedictionem, adorationem, gratiarum actionem, invocationem, confessionem peccatorum, &c. Præcipitur tamen oratio stricte sumpta non solum præcepto naturali, quo tenemur procurare bona nobis convenientia, præsertim supernaturalia, & perseverantiam in bono, ac removere mala, & tentationes; quæ omnia nonnisi per orationem a Deo conceduntur; sed etiam præcepto positivo, tum divino, ubi dixit, *Oportet semper orare; Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem;* tum etiam Ecclesiastico, quo obligamur diebus festis assistere sacro, & cum Sacerdote orationes, & adorationes Deo exhibere, & sacrificium offerre. Propterea agemus hic de oratione in genere. Deinde quia præcipua oratio vocalis in Ecclesia Dei sunt Horæ Canonicæ, ideo de illis quæstione sequenti seorsim agendum.

III. Quæritur nunc primo; An quælibet Oratio sit meritoria, satisfactoria, & impetratoria?

Respondeo, Orationem hominis justi valere ad merendam gratiam, & gloriam, necnon ad satisfaciendum pro pœna temporali peccatis debita, & demum ad impetrandum a Deo id, quod petitur. Primus, & secundus effectus fundatur in gratia sanctificante, seu in amicitia cum Deo, & uterque effectus communis est omnibus operibus bonis factis ab homine justo; unde peccatores orando, aut exercendo quodcumque aliud bonum opus nec merentur, nec satisfaciunt.

Tertius effectus impetrationis non fundatur in gratia sanctificante, sed in divina promissione. Matth. enim 7. dicitur. *Omnis, qui petit, accipit*; Et ideo etiam oratio peccatoris impetratoria est.

IV. Neque dicas: Joan. 9. habetur: *Scimus, quia peccatores Deus non exaudit*; & Psalm. 69. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus*; & Proverb. 28. *Oratio peccatoris erit execrabilis*. Nam, ut notat D. Th. loc. cit. ex August., & Chrysostomo, si peccatores non exaudiret Deus, frustra Publicanus dixisset: *Domine propitius esto mihi peccatori*. Quare peccatores Deus non exaudit solum, inquantum peccatores sunt, seu quando aut petunt mala, aut in malum finem.

V. Quæritur secundo; Utrum Oratio impetret infallibiliter?

Respondeo affirmative cum D. Th. loc. cit. art. 15., dummodo tamen debitæ circumstan-

tiæ concurrant, sub quibus Deus promisit concedere, quæ petuntur. Prima circumstantia est, ut petantur bona, seu utilia ad salutem animæ. Secunda, ut petantur a bonis, seu a justis, aut si petantur a peccatoribus, non male petantur, seu ad malum finem, quia, ut diximus, peccatores inquantum tales Deus non exaudit. Tertia, ut petantur bene, hoc est pie, cum reverentia, humilitate, & fiducia. Jacobi enim 1. dicitur: *Postulet autem in fide, nihil hæsitans*: & cap. 4. *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis*. Quarta, ut petantur cum perseverantia, quæ sæpissime commendatur in Scriptura; Deus enim non semper statim exaudit, ut magis excitet orantium preces.

VI. Notandum tamen demum; Orationem aliam esse mentalem, quæ scilicet actibus intellectus, & voluntatis perficitur; aliam vero vocalem, quæ scilicet verbis exprimitur: Hæc magis conformis est naturæ humanæ, non solum quia corpore simul, & mente laudare debemus Dominum, sed etiam quia mentis evagationes facile per vocalem orationem cohibentur; Firmatur enim facilius voce animus ad ea, quæ ore profert. Quoniam vero inter orationes vocales celeberrima est recitatio Horarum Canonicarum, ideo de hac speciatim agendum.

QUÆSTIO III.

De Horis Canonicis.

DIcuntur Horę Canonicę, quia statis horis distributę sunt per Sacros Canones; vocanturque etiam Officium divinum ad significandum, quod officium, & actus proprius Ecclesiasticorum sit Deum laudare. Quare examinabimus primo, Quinam ad horas obligentur? Secundo, Qua forma, seu quodnam officium recitandum sit; Tertio, Sub qua culpa, & pœna; Quarto, Quo modo, & ordine? Quinto, Quo tempore, loco, & qua corporis habitudine? Demum, Quę causę ab iis excusent?

ARTICULUS I.

Quinam ad horas Canonicas obligentur?

I. *Ad horas tenentur Clerici in Sacris constituti, Beneficiarii, & Regulares Professi ad Chorum deputati.*

II. *Plura requiruntur, ut Beneficiarius ad horas teneatur.*

III. *Non tenetur ad horas Beneficiarius iis annis, quibus ob sterilitatem non recipit fructus a Beneficio.*

IV. *Quid si Beneficium sit tenue? Et quodnam dicatur tenue?*

V. *In dubio de tenuitate Beneficii, num deobligetur Beneficiarius totaliter, an partialiter? An vero absolute obligetur?*

VI. *Prælatus regularis sub mortali tenetur efficere, ne Chorus desit. Quid tamen si nonnisi quatuor, aut quinque Monachi sint in Monasterio?*

VII. *Professi, & Moniales tenentur privatim officium recitare, si absint a Choro. Num sit probabilis sententia opposita?*

VIII. *Probabiliter satisfacit obligationi horarum, qui illas recitavit mane, antequam ordinaretur in Sacris.*

IX. *Excommunicatus quamvis fructus Beneficii non percipiat, adhuc ad horas obligatur. Quid de Degradato?*

X. *Probabiliter excusantur ab horarum recitatione damnati ad triremes. Quid de inclusis in carcere tetro? Quid de Uxoratis ex dispensatione Pontificis? Quid de maximo mœrore affectis?*

I. CErtum est, ad horas teneri Primo omnes Clericos constitutos in Sacris; quamvis enim id non constet ex ullo jure scripto, constat tamen ex consuetudine, ut notat Suar., Pal., Azor., & alii; eamque obligationem supponit Concil. Basileense sess. 21. Secundo, tenentur Beneficiarii. Tertio, Regulares professi utriusque sexus deputati ad Chorum. Dixi, Professi, quia Novitii in odiosis habentur pro sæcularibus. Dixi etiam, Deputati ad Chorum, quia professi religionum militarium, & Societatis Jesu, qui ad Chorum non obligantur, non tenentur ex vi status religiosi officium recitare.

II. Quæritur nunc primo; Quid requiratur in Beneficiariis, ut ad horas teneantur?

Respondeo cum Tambur. ex Pal., & aliis, requiri, Primo, quod beneficium aliquod sive simplex, sive curatum valide, & juste sit illis collatum. Unde fit non teneri ad officium, qui habet Cappellaniam, quæ a laicis conferri solet; quia Beneficium dicitur, quod a Prælato confertur personæ Ecclesiasticæ ad officium Ecclesiasticum exercendum. Nec tenetur ad officium, qui est Vicarius Beneficiarii, aut qui est Coadjutor cum futura successione; quamvis enim isti gaudeant portione beneficii, non dicuntur tamen Beneficiarii. Eodem modo non tenentur, qui habent Pensionem, quæ ex aliquo beneficio extrahitur. Hic tamen notandum, quod quamvis ex Bulla Pii V. habens Pensionem Clericalem, quæ scilicet requirit primam tonsuram in Pensionario, (ut explicabimus cum de Censuris) debeat officium Beatissimæ Virginis recitare, ta-

men huic obligationi satisfacit, si recitet officium divinum. Quare si ratione Ordinis Sacri, v.g., teneatur Pensionarius ad officium divinum, non tenetur etiam recitare officium B. Virginis, ex Suar., & aliis apud Tambur. Demum non tenetur officium recitare, qui injuste, vel invalide beneficium recepit, puta per violentiam, vel per simoniam, aut dum erat excommunicatus, vel irregularis. Ratio est, quia hic intrusus nec habet titulum beneficii, nec fructus facit suos, sed obligatur relinquere beneficium, & fructus restituere.

III. Secundo requiritur, quod fructus sufficientes ad sustentationem recipiat ex beneficio, ut ad officium teneatur: Non est enim æquum, ut qui de altari non vivit, altari serviat, & tanto onere gravetur. Hinc sequitur, non teneri ad officium, qui licet habeat titulum beneficii, caret tamen sine sua culpa ejus possessione: Secus vero si sua culpa careat, quia non est æquum, Ecclesiam privari servitio debito ob culpam tuam: Si tamen habeat possessionem litigiosam, sed fructus recipiat, tenetur ad officium, etiam si fructus respondentes huic tempori non recipiat de præsenti propter litem, sed speret certo illos percepturum; Satis enim est certa spes ad inducendam obligationem. Eodem modo non tenetur ad officium, ut probabiliter putant Sanch. & Trull., qui non residet ex legitima licentia, & sic fructus non recipit; cum talis obligatio consurgat ex sustentatione accepta. Idem docent Less., & Laym. de filio coacto a patre ad statum Ecclesiasticum, si non ipse, sed pater percipiat fructus beneficii; unde pater tenetur ad restitutionem. Demum Pal. punct. 1. §. 2. contra Suar. docet, quod si beneficium ob sterilitatem annorum nullos fructus redderet, Beneficiarius iis annis non teneatur ad horas, quia pro tali tempore non habet nisi titulum beneficii, qui non est satis ad hanc obligationem inducendam.

Nec obstat primo, quod annis præteritis collecti sint fructus abundantes, aut colligendi sint annis sequentibus. Nam illi fructus licet abundantes respondent suo tempori, & dantur pro officio illo tempore exercendo, & non alio.

Neque obstat secundo, satis esse spem certam percipiendi fructus sufficientes ad sustentationem, ut quis teneatur ad horas. Nam requiritur spes certa percipiendi fructus respondentes huic tempori, puta huic anno, ut tenear hoc anno ad horas; In casu autem nostro hoc non habetur.

IV. Tertio, requiritur probabiliter ex Sanch., Pal., Less. apud Dian. part. 2. tract. 12. resol. 9., ut beneficium sit pingue ad hoc, ut obliget ad horas. Ratio est, quia beneficium tenue reputatur pro nullo, eo quod parum pro nihilo reputetur. Communior tamen sententia cum Suar., Reginald., & aliis apud eundem Dian. docet dari obligationem ad horas, etiamsi beneficium sit tenue; quia beneficium tenue vere est beneficium, & reddit Beneficiarium eodem modo privilegiatum; unde possit ad Sacros Ordines promoveri sine sufficienti patrimonio. Sed Less. lib. 2. cap. 34. dub. 31. putat cum aliis, quod habens beneficium tenue teneatur ad horas solum Dominicis, & aliis festis diebus.

Rogabis hic, quodnam beneficium dicatur tenue?

Sotus putat esse tenue illud, ex quo proveniunt octo aurei; Less., ex quo sexdecim: Ledesm. ex quo viginti; Alii communius, ex quo provenit minus, quam sit tertia pars mediocris sustentationis talis Clerici, qui utatur victu honesto, quali solent uti Clerici ejusdem conditionis.

V. Quod si dubitetur, an beneficium sit tenue? Vasq. part. 2. disp. 69. cap. 3. putat, obligari Beneficiarium, quia stat in possessione certitudo beneficii. Caramuel tamen apud Tambur. lib. 1. cap. 3. §. 7. putat, illum non obligari; quia libertas præcedit obligationem, quæ ex tali beneficio oritur, & sic stat in possessione libertas. Equidem existimo, quod habens beneficium tenue non teneatur quotidie officium recitare, sed solum aliquibus diebus pro ratione tenuitatis; itaut si habeat, v. g., tertiam partem mediocris sustentationis per totum annum, ad Horas recitandas teneatur per totum annum; ut communiter docent; Si vero habeat tertiam partem mediocris sustentationis solum per sex, aut quatuor menses, teneatur solum per sex, aut quatuor menses officium recitare. Quod si tua culpa beneficium evaserit tenue, non deobligaris ab officii recitatione; quia non est æquum, quod Ecclesia suo servitio privetur ob tuam malitiam.

VI. Quæritur secundo; An regulares professi deputati ad Chorum teneantur sub mortali interesse Choro; & quando non intersunt, privatim officium recitare?

Respondeo, subditos non peccare mortaliter, si chorum non frequentent, secluso scandalo, & contemptu; quia solum est obligatio Communitatis, ut canatur in choro officium: cui obligationi etiam per solos Novitios satisfieri potest. Quare Prælatus sub mortali providere debet, ne Chorus desit; Et si Prælatus non prospiciat, id curare debent subditi: Quamvis autem videri possit alicui probabile, quod tali obligationi satisfiat, si duo tantum, vel tres saltem aliquando sine scandalo canant in Choro, cum sic servetur essentia Chori, idest cantus alternus; tamen probabiliter etiam Bordon. apud Pellizar. tract. 5. cap. 8. excusat Communitatem religiosorum a Choro, si ea constet solum ex quatuor, vel quinque religiosis; quia non videtur

detur

detur tam paucis ea obligatio quotidiana imponenda: contra vero Beneficiarii, & Collegiati, etiamsi duo tantum sint, videntur ad Chorum obligandi, quia pactum implicite initum inter Fundatores, & Beneficiarios ex justitia requirit Chorum, quoties ejus essentia consistere potest.

VII. Professi autem, (sicut etiam Moniales professæ) si quando absunt a Choro, tenentur privatim officium recitare ex vi consuetudinis ab omnibus receptæ, ut communiter docent apud Dian. part. 6. tract. 8. resol. 12., itaut oppositam sententiam Caramuelis, & Bordoni Reginaldus temerariam vocet, & Sanch. apud Tambur. non probabilem, & Dian. loc. cit. improbandam; Cum communiter Doctores docent, consuetudinem istam, etiam Monialium, recitandi privatim officium, si absint a Choro, esse obligatoriam. Less. tamen apud Dian. part. 9. tract. 6. resol. 7. conatur ostendere, consuetudinem istam non esse obligatoriam sub gravi; Quod pariter docet Marchant. apud eundem Dian., qui jure merito istorum sententiam rejicit, utpote contra communem Doctorum sensum.

VIII. Quæritur tertio; Quando incipiat obligatio recitandi officium in Subdiacono, Beneficiario, & Professo?

Respondeo, incipere a puncto, quo ordinatur, vel ad Beneficium promovetur, aut profitetur; itaut solum ad horas consequentes illius diei teneatur. Probabile autem est, talem obligationem implevisse eum, qui officium mane recitasset ante promotionem per solutionem anticipatam.

IX. Quæritur quarto; An excommunicatus teneatur officium recitare? Et idem quæritur de Suspenso, Interdicto, Irregulari, Degradato.

Respondeo, excommunicatum teneri recitare privatim sine socio, & sine *Dominus vobiscum*; quamvis enim excommunicatus per censuram privetur fructibus beneficii; at non privatur titulo, possessione, & jure percipiendi fructus; cum per ipsum stet, ne percipiat: Ex reg. enim 86. *juris in 6. Domum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare*: Et propterea qui culpabiliter non residet, adhuc recitare tenetur officium, quamvis non percipiat fructus beneficii. Dixi tamen, quod teneatur recitare privatim, eo quod excommunicatio non prohibeat orationem privatam, sed solum publicam; Immo si habens Ordines Sacros tamquam hebdomadarius solemniter recitaret officium cum, *Dominus vobiscum*, fieret irregularis, quia per exercitium Ordinis Sacri violaret censuram. Verum Suar., & Ugolin. notant, quod non peccaret, qui habens Cappellanum, vel famulum cum eo officium recitaret, ex Cap. *Inter alia, de Sententia Excommunicat.*: Nec peccaret graviter, ut docet Suar. contra Navar. si sine contemptu privatim diceret, *Dominus vobiscum*, quamvis talis salutatio ne Subdiaconis quidem non excommunicatis permittatur; Immo Avil., & Hurt. putant, quod ne venialiter quidem peccaret, si tamquam privata persona diceret, *Dominus vobiscum*, eo modo, quo potest dicere, *Venite Adoremus*, &c.

A fortiori tenentur officium recitare Interdictus, Suspensus, & irregularis. Dubitant solum aliqui de Degradato. Communiter illum obligant cum Pal. punct. *6.*; quia non debet ex sua culpa commodum reportare. Aliqui tamen apud Sa, & Tambur. §. 2. illum excusant; quia ab Ecclesia spoliatus est omni Clericali privilegio, & in statum sæcularem ejectus.

X. Quæritur ultimo; An teneantur ad Horas, Primo damnati ad triremes. Secundo inclusi in carcere. Tertio capti ab infidelibus. Quarto Latini, qui vel ex concessione Pontificis, vel alia de causa post Sacros Ordines duxerunt uxorem?

Respondeo, probabile esse ex Sanch., & Less. apud Dian. part. 2. tract. 12. resol. 4., damnatos ad triremes excusari; Sicut etiam qui sunt in captivitate, capti ab infidelibus. Ratio est, quia alienum videtur ab Ecclesiæ benignitate illos in tanta afflictione positos ad officii onus astringere. Idem dici forte posset de inclusis in carcere publico, si quando essent in statu miserrimo valde triremibus affini; secus vero non excusantur, cum sint in perpetuo otio. Uxorati etiam a Sanch. lib. 8. de Matrim. disp. 8. probabiliter excusantur, si ex dispensatione Pontificis ad nuptias transierunt, quia sunt in statu a tali obligatione alieno. Præterea Tancredi apud Tambur. excusat Sacerdotem damnatum ad mortem pro tribus illis diebus, dum est in sacello: sicut etiam captum ob enorme delictum, puta ob rebellionem; necnon afflictum aliquo repentino, & maximo mœrore, puta ob mortem filii, ob jacturam patrimonii, &c., quando scilicet perturbatio animi magnam difficultatem recitandi pareret; secus vero non excusantur, ut inferius dicemus.

ARTICULUS II.

Quodnam officium recitandum sit.

I. Quinam possint Horas recitare, & non ex Romano Breviario?

II. Num recitandum sit privatim officium B. Virginis, & defunctorum, quando in Rubrica præscribitur; præsertim die Commemorationis defuuctorum?

III. Num liceat Horas recitare idiomate Greco, aut Hebræo, vel vulgari?

IV. *Peccat graviter, qui semel unum officium pro alio notabiliter diverso; necnon qui sæpius unum officium pro alio recitat.*

V. *Rubricæ servandæ aliæ sunt Præceptivæ, quæ obligant sub mortali; aliæ Directivæ, quæ non obligant sub mortali.*

VI. *Si per errorem officium pro officio recitatum sit, corrigatur error, ubi deprehenditur.*

VII. *Qui missam celebrat de Sancto, cujus festum in aliqua Ecclesia celebratur, potest aliquando probabiliter officium de eodem Sancto recitare.*

VIII. *Quilibet potest sequi ritum socii, cum quo Horas recitat.*

I. PRocul dubio recitandum est ab omnibus officium ex Breviario Romano, exceptis iis, qui alio Breviario utuntur ex consuetudine ante ducentos annos a constitutione Pii V. edita anno 1568. ut sunt Benedictini, Dominicani, Ecclesia Mediolanensis, &c.; qui probabiliter non possunt privatim uti Breviario Romano, cum debeant se suæ Ecclesiæ conformare; Quamvis possit consentiente Prælato recipi ab iis Communitatibus Breviarium Romanum, quo recepto non possunt amplius ad suum redire: Bonac. tamen cum Less., Suar., Sà putat probabile etiam esse, quod Dominicanus, vel Benedictinus possit privatim uti Breviario Romano; quia sic conformaretur Ecclesiæ communi, quæ est Mater omnium. Notandum etiam, Breviarium Romanum editum fuisse primum a Pio V., deinde a Clem. VIII. recognitum; demum cum novis hymnis ab Urbano VIII. revisum; qui præcepit, ut hoc novo omnes uterentur; permisit tamen, ut qui haberent illud Pii V., & Clem. VIII., illo uti possent. Ex quo fit, neminem teneri, licet possit, ad emendum hoc novum Breviarium, cum permissum sit uti antiquo.

II. Quæritur nunc primo; An qui ad Horas tenentur, debeant etiam recitare officium Beatissimæ Virginis, & Defunctorum, quando in Rubrica præscribitur?

Respondeo cum Tambur. ex Bulla Pii V. non teneri ad recitandum illud privatim, qui utuntur Breviario Romano. Utrum autem in die Commemorationis Defunctorum teneantur? Et utrum ad litanias teneantur in festo Divi Marci, & tribus diebus Rogationum? Communiter Doctores affirmant; Multi tamen negant, quia Pius V. absolute liberat Sacerdotes ab obligatione recitandi officium Defunctorum privatim. Quare ex hoc, quod Rubrica illorum dierum imponat officium defunctorum, & litanias, docent non sequi, quod ista sint pars officii illius diei, sed solum quod habeatur talis Rubrica directiva, non præceptiva; quam sententiam putat probabilem Tambur.. Sed a communi non est recedendum.

III. Quæritur secundo; Utrum peccet, qui recitat officium idiomate græco, vel italico, vel hebræo, &c.?

Respondeo cum Bonac., & Sa, non peccare, qui privatim sic recitaret ad aliquem bonum finem, puta ne dediscatur tale idioma. Ratio est, quia retineretur quoad substantiam formula Romana precandi. Si vero sine ullo bono fine, græco, vel hebræo idiomate recitaretur, videtur veniale; quia fieret contra consuetudinem Ecclesiæ Latinæ in re non admodum gravi. Verum si vulgari idiomate recitaretur, peccaretur graviter; quia ex Bellarm., & Suar. Ecclesia Romana semper abstinendum duxit a vulgari lingua. Qui tamen ex voto, vel pœnitentia deberet recitare Pater, & Ave, non peccaret, si vulgari idiomate recitaret, quia hæc passim proponuntur ab Ecclesia in compendiis doctrinæ Christianæ. Immo si Psalmi ex voto, aut pœnitentia recitandi privatim recitentur idiomate vulgari ob bonum aliquem finem, videlicet ob majorem devotionem, Tambur. ex Bonac. putat, quod neque ullo pacto peccaretur.

IV. Quæritur tertio; An liceat officium pro officio recitare?

Respondeo, damnatam esse ab Alex. VII. propos. 34., quæ dicit: *In die Palmarum recitans officium paschale satisfacit præcepto*. Ex qua damnatione insinuatur peccari graviter, quoties mutatio unius officii in aliud est notabilis mutatio ritus Ecclesiæ. In hac re Suar. tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 2., & 23., Bellarm., Reginald., Navar., Filliuc., Bonac., & alii putarunt peccari graviter, etiamsi semel officium pro quolibet alio officio recitetur. Ratio est, quia Pius V. in Bulla, quæ in fronte Breviarii apponitur, vult, & declarat non aliter satisfieri præcepto recitandi officium, quam recitando illud juxta Rubricas præscriptas, quæ non solum præscribunt officium in genere, sed etiam quod tale officium tali die recitetur; Quare qui illud omittit, substantiam illam præcepti non adimpleret; Sicut substantiam præcepti non adimpleret, qui loco officii recitaret mille orationes dominicas, quamvis longius oraret: Unde docent, quod qui propter inadvertentiam unum officium pro alio recitavit, teneatur iterum sub mortali recitare officium illius diei, nisi parvitas materiæ diverse excusaret.

Communior tamen sententia apud Pelliz., Tambur. & Dian. part. 2. tract. 12. resol. 3. docet peccare graviter, qui aut semel mutat officium in notabiliter brevius (puta officium Palmarum, vel Passionis, aut consimilis Dominicæ in Paschale) aut sæpius mutat unum in aliud officium pene æquale; Contra vero peccare venialiter, qui raro sine causa ob solam commoditatem mutat unum officium in aliud non notabiliter

liter

liter diversum; Et ne venialiter quidem peccare, qui rarissime ratione itineris, studii, infirmæ valetudinis, magnæ defatigationis, vel etiam non mediocris devotionis erga aliquem Sanctum mutat unum officium in aliud, licet brevius; dummodo non sit notabilis variatio ritus Ecclesiastici; qualis esset, si die lugubri Palmarum, vel hebdomadæ Sanctæ recitaret officium Paschæ. Ratio horum omnium est eadem, quia scilicet Pius V. præcipit, ut officium recitetur juxta rubricas Breviarii Romani. Quare quando Rubricæ violantur in materia gravi, peccatum est mortale, quando in materia levi, peccatum est veniale; Si vero sufficiens ratio detur, ne in materia levi Rubricæ observentur, peccatum est nullum. Quæ omnia fuse perpendimus in Trutina Thesium damnatarum exponendo prædictam thesim ab Alex. VII. confixam.

V. Notandum hic ex Lug. de Euch., Gavant., Tambur. de Sacrif. Missæ lib. 2. cap. 5. Rubricas Missalis, & Breviarii alias esse Directivas, alias Præceptivas: Istæ obligant sub mortali, nisi excuset parvitas materiæ; Illæ vero cum sint de consilio, non obligant sub mortali; & si ex aliqua causa negligantur, ne sub veniali quidem obligant. Sunt autem Præceptivæ ex Lug., quæ ex jure, vel ex legitima consuetudine aliquid graviter præcipiunt; ut est Sacrificii integritas, ac locus, jejunium naturale ante Sacrificium, vestes, & instrumenta debita Sacrificio adhibere, præmittere confessionem mortalium, &c. Aliæ vero Rubricæ, ver. g., de servando ritu duplici, de multiplicitate orationum, &c., dicuntur directivæ, quæ ad mortale non obligant, si sine scandalo, aut contemptu negligantur: Quia tamen qui ut plurimum eas non servat, videtur implicite contemnere, ut ait Gavant. part. 3. tract. 2., ideo qui continuo eas negligit, peccat mortaliter. Si vero negligentia sit modica, aut in parva materia peccatum est duntaxat veniale.

VI. Ex dictis infertur cum communiori sententia, quod qui invincibiliter erravit, officium pro officio recitando, non teneatur officium repetere: Quod si quis hodie recitavit officium crastina recitandum, aliqui putant, quod castrina deinde debeat recitare officium hodiernum. Equidem censeo cum communiori, quod ubi error advertitur, ibi corrigendus sit; unde crastrina debeat recitare officium illius diei, etiamsi illud hodie per errorem recitarit; sic enim semel, non bis erraret. Eodem modo qui matutinum, & laudes dixit de Sancto A., vel de feria, & deinde errorem advertit, quamvis uti possit iterum dicere matutinum debitum, non tamen tenetur; satis enim est si corrigat tunc errorem prosequendo horas debitas, quamvis non conformes matutino, quod recitavit.

VII. Dubium est primo; An qui celebrat in aliqua Ecclesia missam de aliquo Sancto, quod ibi solemnizatur, (potest enim id facere quilibet Sacerdos, ut se conformet loco, in quo celebrat) possit deinde recitare officium de eodem Sancto, ut missa cum officio concordet juxta Rubricas?

Respondeo, non facile id admittendum de quolibet Sacerdote. Tamb. ex Quintanadvenas tract. 8. singulari 7. solum docet, probabile esse, quod Capellanus Monialium si in Ecclesia Monasterii missam celebret de Sancto, quem Moniales forte propter suum ritum celebrant, ut se conformet cum solemnitate earum, quibus inservit, possit deinde domi officium privatum de eodem Sancto recitare. Idemque docet Croix lib. 4. n. 1254. de Sacerdote habitante cum Religiosis, aut exercitia obeunte apud illos. Ex quo sequitur, quod possit hic etiam anticipato primas vesperas recitare de eodem Sancto; quia primæ vesperæ sunt pars officii diei sequentis, ut notat idem Tambur. l. 2. c. 5.

VIII. Dubium est secundo; An liceat cuilibet sequi ritum socii, cum quo recitat officium, etiamsi nulla detur causa recitandi officium cum illo?

Respondeo ex Henr., & aliis apud eundem Quintanad probabiliter affirmative. Ratio est, quia, ut notat idem Tambur., id videtur consequi ad naturam societatis, in quo contractu Socii in lucro sunt omnino pares. Præterea, quod lex, seu privilegium disponit in uno ex correlativis, extendi solet ad aliud; ergo si uni detur privilegium recitandi, verbi gratia, officium de Conceptione, vel recitandi anticipato & possit hic ad libitum cum socio officium recitare, consequenter socius eodem privilegio uti poterit.

ARTICULUS III.

Sub qua Culpa, & Pœna officium sit recitandum?

I. Etiam qui semel officium omittit, peccat graviter.

II. Num septem peccata committat, qui septem officii horas omittit, an vero unum duntaxat?

III. Quænam dicatur pars Officii notabilis, cujus omissio sit lethalis?

IV. Qui omittit Horas, ad quas obligatur ratione Ordinis Sacri, & ratione Beneficii, probabilius unum peccatum contra Religionem committit, cum onere restituendi fructus.

V. Si dubites an partem officii omiseris, ad quid teneris?

VI. Surdus, qui cum socio recitat, tenetur recitare, quæ ipse non audit.

VII. Potest alter ex sociis omnes Lectiones, Capitula, & Orationes recitare.

VIII. Quan-

VIII. Quandonam Beneficiarius omittens horas ad restitutionem fructuum tenetur?

I. QUæritur primo; An peccet graviter etiam qui semel, aut iterum officium omittit?

Respondeo affirmative cum communi contra Angelum, & Aragon., quorum sententia reputatur improbabilis; Sicuti peccat graviter etiam qui semel in toto anno non assistit Sacro die festo; & qui semel in tota Quadragesima non jejunat. Ratio est, quia violatur præceptum in materia gravi pertinente ad virtutem Religionis; etiamsi talis omissio non sit ex consuetudine, aut ex contemptu, sed ex mera negligentia.

II. Quæritur secundo; An peccet graviter qui quamcumque horam omittit, itaut septies peccet, qui eodem die integrum officium omittit?

Respondeo, duas esse in hoc sententias. Prima Vasq., Suar., Bonac. docet, totum officium præcipi unico præcepto, itaut unum sit peccatum omittere integrum officium; quamvis majus peccatum sit, quam si solum matutinum omitteretur. Secundo Cajetan., Less. Tolet. docet, tot esse præcepta, quot horæ Canonicæ, unde septem peccata committat, qui totum officium omittit. Utraque sententia est probabilis, prior tamen est communior; & ideo juxta illam discurrendo certum est apud Doctores, quod mortaliter peccet, qui partem officii notabilem omittit.

III. Dubium tamen est: Quænam dici debeat pars notabilis officii?

Aliqui volunt decimam partem horæ parvæ, puta Completorii, esse partem notabilem; Alii tertiam partem; Alii medietatem, ut tenet Filliuc., Suar., Laym. Certe integram, aut fere integram horam parvam omittere est mortale, ut docent Less., Bonac. Pal. punct. 5., Tambur., & alii; Quare media pars circiter horæ parvæ probabiliter non est materia notabilis. Et ratio est, quia quod est minus tanta parte, non secundum se, nec relate ad totum officium videtur pars magna, nec notabiliter nocet fini intento a Legislatore per recitationem officii, qui est cultus Dei. Solum vesperæ sabbati Sancti, quia sunt brevissimæ, docent nonnulli, quod non sint pars notabilis; quamvis contradicat Suar., quia esset notabilis deformitas quoad officii integritatem illas omittere.

IV. Dubium est etiam; Utrum qui pluribus titulis tenetur officium recitare, videlicet ratione beneficii, & ratione Ordinis Sacri, plura peccata committat, si illud omittat? Suar. Fagund., Azor. putant plura peccata committi; nam ratione Ordinis Sacri peccatur contra Religionem, & ratione beneficii contra justitiam commutativam. Sed probabilius censeo cum Pal., Henriq., Dian. part. 2. tract. 12. resol. 22. unicum esse peccatum contra Religionem; quia tota obligatio recitandi Officium etiam in habente beneficium oritur ex vi præcepti Ecclesiastici, quod etiam obligat ad restitutionem fructuum, si omittatur officium a beneficiario, unde hic officium omittens non peccat contra justitiam commutativam; Quamvis contra justitiam peccaret, si fructus Beneficii retineret, utpote non suos.

Infertur ex dictis primo, merito damnatam esse ab Alex. VII. propos. 35. quæ dicit; *Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti, & crastino.* Nam consuetudo Ecclesiæ, quæ est certissima legum interpres, obligat ad singula officia singulis diebus; ut ostendimus in Trutina hanc thesim exponendo.

V. Infertur secundo, rejiciendam esse opinionem Leand. tom. 2. tract. 6. disput. 13. putantis adimpleri præceptum recitandi officium hodiernum, si incipiatur ante mediam noctem antecedentem, itaut in media nocte compleatur. Ratio est eadem, videlicet consuetudo Ecclesiæ, ut horæ nonnisi post mediam noctem recitentur, dempto matutino cum laudibus, quod potest anticipari.

Infertur tertio, quod qui dubitat, an aliquam horam omiserit, teneatur illam repetere, quia stat præceptum in possessione: Quod si recitato officio dubitas, an omiseris aliquam partem notabilem, putant probabiliter Homob., Tambur., Dian. part. 4. tract. 3. resol. 68. quod non tenearis repetere, quia possessio videtur stare pro re, posito quod officium recitaveris; præsertim si aut recitaveris legendo, aut scias, regulariter te non errare, nec saltare, dum recitas memoriter, ut notat Sanch. Quare tunc solum teneris repetere, quando vel dubitas, an officium omiseris, vel est moraliter certum, quod omiseris in recitando partem notabilem intermediam, non vero quando de hoc est solum dubium; præsertim si angaris scrupulis.

VI. Infertur ultimo, recitantem cum socio debere audire, quæ ille recitat, quia prolationi illius partis succedit tuus auditus; aliter non recitares integrum officium; Si enim quod recitatur a socio, nec percipitur, nec auditur a te, quomodo potest oratio illius esse tibi communis? Ex quo sequitur, surdum, qui cum alio officium recitat, debere privatim recitare partem, quam non audit, ut communiter docent contra Verricel.. Probabile tamen est quod docet Laym. contra Suar., eum, qui occupatur in pulsandis organis, in thure præbendo, &c. dum canitur officium in Choro, non teneri repetere ea, quæ tunc in Choro canuntur, quamvis ipse non audiat; Sicuti etiam, ut notant nonnulli apud Dian. part. 2. tract. 12. resol. 13., si quis ut apte pronunciet suam lectionem, prævidet illam, dum in Choro alia canuntur. Ratio ex Sanch.

Sanch. eſt, quia Chorus cenſetur eſſe unum corpus, & quod unus profert, cenſentur proferre alii, qui occupantur in iis, quæ ad Chorum ſunt neceſſaria. Et propter eandem rationem excuſatur, qui a tuſſi impeditur, ne proferat, aut audiat, quæ tunc canuntur.

VII. Ubi notat cum Suar. Pal. apud Dian. reſol. 22. contra Azor. poſſe lectiones omnes ab uno tantum recitari; ſicut etiam capitula, orationes, antiphonas, reſponſoria, &c. & ſatis eſſe ſi Pſalmi, & verſus Pſalmorum alternatim cum ſocio recitentur: Et ratio eſt ipſa praxis Eccleſiæ.

VIII. Quæritur tertio; Cuinam pœnæ ſubjiciatur omittens officium?

Reſpondeo, ſolis Beneficiariis, & Penſionariis (qui ſcilicet gaudentes penſione Clericali tenentur recitare officium B. Virginis) impoſitam eſſe pœnam reſtitutionis fructuum, qui ex beneficio, vel penſione pro illo tempore percipiuntur. Ita poſt Concil. Lateranenſe Pius V. qui tamen non obligat ad reſtitutionem fructuum, niſi illum, qui omittit officium poſt ſex menſes ab obtento beneficio; quamvis ſi intra hos ſex menſes officium omittat, peccet mortaliter.

Ubi notandum primo, quod ut quis teneatur ad reſtituendos fructus pro rata omiſſionis, debeat officium culpabiliter omittere; ſi enim abeſt culpa, aberit & pœna reſtitutionis. Explicat tamen Pius V. quid ſit reſtituere pro rata omiſſionis? Et ſenſus eſt, quod ſi uno die omittat officium, debeat reſtituere fructus reſpondentes tali diei; Unde ſi beneficium reddat quotannis tercentum ſexaginta quinque aureos, pro omiſſione unius officii debeat reſtituere unum aureum, & pro omiſſione duorum duos, &c. Si vero omittat ſolum matutinum, & laudes, debeat reſtituere mediam partem fructuum reſpondentium uni diei; ac pro omiſſione ſingularum horarum ſextam partem fructuum illi diei reſpondentium.

Secundo, facienda eſt reſtitutio ante Judicis ſententiam; tum quia oppoſita ſententia damnata eſt ab Alex. VII. in prop. 20. quæ habet: *Reſtitutio a Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eo quod ſit pœna.* Qua de re plura diximus in loco; tum etiam quia in conſtitutionibus Pontificiis dicitur, quod beneficiatus omittens officium fructus non faciat ſuos, atque adeo tanquam injuſte percepti reſtituendi ſunt.

Tertio, Reſtitutio hæc facienda eſt, vel in utilitatem fabricæ domus, in qua eſt beneficium, vel in utilitatem ipſius campi, ut poſſit deinde uberiores fructus reddere, vel demum pauperibus, cujuſcumque loci ſint. Inter pauperes etiam enumerari poſſunt animæ defunctorum, & tu ipſe, ſi vere es pauper; quia ſic non tam ipſe tibi, quam Pontifex tibi applicat eas eleemoſynas.

Quarto, Reſtitutio facienda eſt probabiliter, ut graves Doctores docent, ſolum de fructibus correſpondentibus recitationi officii, non vero de fructibus correſpondentibus aliis muneribus beneficio annexis, quibus beneficiarius ſatisfacit. Ratio eſt, quia durum videtur, eandem reſtitutionem faciendam eſſe a ſimplici beneficiario, ac a Parocho, vel Cappellano, qui aliis muneribus dant operam. Unde iſti Doctores docent, Epiſcopum, vel Parochum omittentem ſolum officium teneri reſtituere duntaxat quintam partem fructuum; Canonicum vero quartam partem; alios demum Cappellanos, & alios beneficiarios, qui præter recitationem habent alia onera, tertiam partem.

Quinto, qui omittit officium, quamvis cum intentione reſtituendi fructus beneficii, procul dubio peccat mortaliter; quia non ſatisfacit præcepto recitandi officium, quamvis velit ſatisfacere præcepto reſtituendi fructus, ſi non recitet.

Demum; qui officium hodie prætermittit, etiamſi cras bis officium recitet, adhuc tenetur reſtituere, quia onus recitandi officium eſt affixum diei.

ARTICULUS IV.

Quo pacto recitandæ ſunt horæ Canonicæ?

I. In virtute Sanctæ Obedientiæ præcipitur, ut ſtudioſe, & devote, atque adeo cum attentione, & intentione debita Officium recitetur.

II. Pronunciatio debet eſſe de ſe audibilis, ſaltem ab ipſo loquente.

III. Debent poſſe audiri, quæ ſocius pronunciat; non ſunt tamen ſupplenda, quæ per accidens non audiuntur; Secus ſi per ſe.

IV. Quænam verborum mutilatio dicatur notabilis?

V. Interruptio Horarum, aut Pſalmorum num pertingere poſſit ad culpam gravem?

VI. Quænam attentio, & quænam intentio requiratur in officii recitatione? Num ſatisfaciat, qui ſolam habet attentionem externam?

VII. Qui voluntarie diſtractus caret attentione debita ſi ſit Beneficiarius, licet graviter peccet, probabiliter tamen non tenetur fructus reſtituere.

VIII. Num ſimilis attentio, & intentio requiratur in auditione Miſſæ præceptæ?

IX. Probabiliter in virtute Obedientiæ præcipitur ſolum actus ſtudioſus externus.

I. CErtum eſt, horas ſtudioſe, & devote recitandas eſſe; tum quia hoc ſpectat ad orationem vocalem quamcumque, cum ſit locutio facta Deo; tum etiam quia id præcipitur in cap. *Dolentes*, *de Celebratione miſſarum*, ubi dicitur: *Hæc igitur, & ſimilia ſub pœna ſuſpen-*

suspensionis pœnitus inhibemus, districte præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter, & diuturnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter, & devote. Ut autem studiose recitetur, requiritur primo, ut nihil omittatur; Secundo, ut sine interruptione recitetur: Ut autem recitetur devote, requiritur attentio simul, & intentio.

II. Quæritur nunc primo; Qualis pronunciatio requiritur, ut studiose officium recitetur?

Respondeo, primo requiri pronunciationem vocalem exteriorem, per quam verba proferantur. Utrum autem pronuncians debeat posse seipsum audire, si absit strepitus exterior? Negat probabiliter Azor.cum Bonac. punct. 2. quorum doctrinam admittit Filliuc.solum pro scrupulosis. Et ratio est, quia id Ecclesia non præcipit;aliter surdastri deberent vociferari. Verum communiter apud Dian. part.2. tract. 12. resol.2. cum Reginald. & Suar. docent, quod vox debeat esse audibilis saltem ab ipso orante; quia de ratione orationis vocalis est, ut voce proferatur, & consequenter ut possit audiri, quia vox essentialiter est sonus, & sonus est ex natura sua audibilis. Notat tamen Suar. quod physice loquendo vix formari possit vox, quæ ab ipso loquente audiri non possit seclusis impedimentis.

III. Secundo, quando recitas cum socio, debes ita pronunciare, ut possis a socio audiri, eumque vicissim audire. Ratio est, quia aliter non communicas cum ea parte, quæ a socio recitatur: Quamvis Sà putet, quod non tenearis supplere ea, quæ per accidens non audisti, nisi forte sis surdus, tunc enim non per accidens, sed per se fuit, quod non audires. Hinc sequitur etiam, quod tenearis attendere ad ea, quæ socius profert; aliter cum illo non communicas in recitatione.

IV. Tertio, pronunciatio debet esse integra sine mutilatione verborum, sine sincopa, sine præcipitantia; Et si recitas cum socio, non poteris ita festinanter recitare, ut nondum expletis ab illo versiculis, tu incipias. Quare si hoc fiat in notabili quantitate, peccatur mortaliter, ut communiter Doctores docent; Si vero in parva quantitate, solum venialiter; Si demum involuntarie propter inadvertentiam, vel inveteratam consuetudinem, quæ corrigi sine magna difficultate non potest, vel ob justam festinationem, vel ob linguæ balbutiem, nullum erit peccatum, ut docent Less. & Pal. Notat etiam Dian. part. 2. tract. 12. resol. 32. ex Filliuc. & Azor. quod si cum notabili abscissione verborum perseverat adhuc sensus, & significatio illorum, non videatur violari præceptum in re gravi; Unde sic recitans non teneretur officium repetere, si mutilando verba sensum verborum notabiliter non variaret, aut corrumperet; Et idem dicas, si officium recitetur cum aliquo socio, qui propter festinationem ita abscindit verba notabiliter, ut tamen sensum verborum notabiliter non corrumpat.

V. Quarto, pronunciatio cujuslibet horæ debet esse continuata: Quod si notabili tempore interrumperetur sine justa causa, putant Sà, Navar. Medin. Azor. quod peccaretur graviter; non secus ac graviter peccatur, si celebratio missæ sine causa interrumpatur. Et ratio est, tum quia non videtur moraliter continuari officium, quando longa est interruptio, tum etiam quia in Concil. Tolet. VII. sub pœna excommunicationis cavetur, ne quis divina officia interrumpat. Verum communius cum Filliuc.& Bonac.docent, quod si notabili tempore sine causa interrumpatur non solum hora, sed etiam Psalmus, peccetur duntaxat venialiter, & si cum causa, ne venialiter quidem. Ratio est, quia de substantia præcepti recitandi officium non videtur esse continuatio; cum preces interruptæ suam habeant significationem, quæ totum officium integrare possunt. Nec est eadem ratio de missa, aut de formis Sacramentorum; quia integra missa habet repræsentare mysteria sua, quæ non sufficienter repræsentantur, si notabiliter missa interrumpatur. Et eodem modo formæ Sacramentorum propter practicam verborum significationem requirunt continuationem moralem, quam non requirit officium. Ad id, quod additur de Concil.Tolet. Respondetur, pœnam excommunicationis imponi contra interrumpentes sacrificium missæ; cum loquatur ille textus de Sacerdote celebrante, vel si loquitur de divinis officiis, intelligendus est de illa inrerruptione, quæ fit animo non persolvendi ea, quæ supersunt recitanda, ut putat Bonac.

Notandum tamen primo, consilium esse, quod quando interruptio est longa, tunc ab initio repetatur saltem Psalmus. Secundo, divisionem matutini a laudibus non ferre interruptionem divini officii; unde privatim fieri potest etiam sine causa, ut docent Dian. part. 5. tract. 14. resol. 48. ex Sanch. Bonac. Filliuc. Nec est opus absolvere Matutinum addendo in fine orationem, nisi in nocte Natalis Domini juxta sententiam Sanchez contra Suarium t. 2. de Relig. lib. 4. cap. 6. num. 12. Nec oportet incipere laudes una cum Pater, & Ave, ut putat Gavant. contra eundem Suarium; quia de his nulla extat rubrica. Tertio, probabile est, singulos nocturnos posse separatim dici, saltem intra trium horarum spatium, quia sic antiquitus fiebat juxta nonnullos.

Quinto, recitari debent Horæ ordine suo; quamvis nonnisi veniale sit ordinem horarum invertere; & si causa subsit, ne veniale quidem:

Verbi

Ver. g., si velis cum amico, vel in Choro recitare posteriores horas, antequam recitaveris priores; vel si non habendo præ manibus officium, recites psalmos in diurno, dilatis lectionibus. Notat tamen Vasq. apud Dian. resol. 16. esse mortale sæpius sine causa invertere ordinem officii, quia nimis derogaretur ordini, & consuetudini Ecclesiæ. Sed opinio contraria est communior, & probabilior. Idem dicas, si missa celebretur ante recitationem matutini: quamvis enim olim putarint Bellarm., Azor., Reginald., & alii id esse mortale; communiter tamen nunc docent esse tantum veniale, si sine causa fiat; quia ea consuetudo non adeo stricte nunc est recepta.

VI. Quæritur secundo; Quænam attentio, & intentio requiratur ad horas devote recitandas, prout præcipitur in virtute Sanctæ Obedientiæ in laud. cap. *Dolentes?*

Respondeo, circa intentionem nos diximus quæst. 1. art. 4. requiri intentionem ponendi opus injunctum; quia præcepta impleri debent humano modo: Unde non satisfacit præcepto, qui recitat horas in somno, aut ebrietate, aut animo addiscendi tantum. Addidimus loc. cit. requiri quidem intentionem ponendi opus præceptum, non tamen intentionem satisfaciendi per tale opus præcepto; Immo si quis recitet officium animo non satisfaciendi præcepto per talem recitationem, adhuc probabiliter satisfacit, ut docet Suar., Vasq. contra Navar., Azor., & alios; quia vere ponit id ad quod obligatur.

Circa attentionem vero, Navar., Sylvest., Con. quæst. 83. de Sacram. nullam attentionem internam requirunt aut ad Deum, aut ad sensum verborum, sed putant satis esse attentionem externam, integre proferendo verba, supposito animo orandi, & vacandi Deo: Hæc autem attentio externa importat solum exclusionem omnis alterius actionis imcompossibilis cum attentione interna, (qualis esset, ver. g., recitando horas, legere epistolas, scribere, pingere, &c.) quamvis animo distraharis voluntarie: Quam sententiam non putant improbabilem Laym., Less., & alii apud Dian. part. 1. tract. 11. resol. 2.; quia Ecclesia non judicat de internis, atque adeo non præcipit actus internos.

Verum communiter Doctores aliquam attentionem internam saltem virtualem requirunt, quæ importat aliquam confusam attentionem ad Deum, vel ad sensum verborum. Ratio est, quia sine attentione ulla interna non subsistit oratio graviter præcepta. Unde sicuti præcipiendo confessionem Sacramentalem Ecclesia præcipit indirecte etiam actus internos ad illam requisitos; ita præcipiendo orationem vocalem, præcipit etiam attentionem internam, sine qua illa non subsistit. Satis autem est attentio interna virtualis, quæ habetur quoties attentio actualis non revocatur vel expresse, vel tacite per distractionem voluntariam, aut per actionem cum attentione interna incompossibilem, ut est lectio, scriptio, &c. Si vero actio externa non notabiliter impediat attentionem internam, ut est actio abluendi manus, induendi se, &c. erit tantum veniale sine causa tales actiones cum officio conjungere: Unde sequitur, ad devotam recitationem officii sufficere, si in genere intendas recitare officium modo consueto, & animo laudandi Deum, aut satisfaciendi proprio muneri, & deinde non admittas voluntarie mentis evagationes, nec occuperis in actionibus impedientibus attentionem internam ad Deum, vel ad sensum verborum.

VII. Quod si sponte distractus nullam habeas debitam attentionem, non solum peccasti graviter, sed etiam juxta communiorem, & probabiliorem sententiam teneris horas repetere, & restituere fructus beneficii, quia non implesti præceptum orandi devote. Quamvis nonnulli apud Dian. part. 1. tract. 12. resol. 13. probabiliter putent, quod licet graviter peccaveris, non teneris tamen restituere fructus beneficii; tum quia substantiam operis præcepti implevisti, licet solum absque circumstantia devotionis; tum etiam quia duplex datur præceptum recitandi officium, ut notat Cajet., alterum ortum ex antiqua consuetudine recitandi illud simpliciter; alterum vero latum in cap. *Dolentes* citato recitandi devote, & cum attentione; pœna autem restituendi fructus beneficii imposita est contra omittentes divinum officium, atque adeo contra violantes primum præceptum; qui autem voluntarie distrahitur, quamvis violet secundum præceptum recitando male, non violat primum; quia vere officium recitavit; ergo non tenetur restituere.

VIII. Quod diximus de attentione in recitatione officii, dicendum de attentione in auditione missæ. Communiter enim docent requiri attentionem internam, saltem virtualem ad Deum, vel ad actiones ipsas Sacrificii; unde qui voluntarie distrahitur, peccat graviter, & aliam missam tenetur audire, quia oratio sine ulla interna attentione non est oratio. Verum Dian. loc. cit. cum Laym., Less. putat pariter non esse improbabile, satisfacere etiam præcepto audiendi missam, qui voluntarie distrahitur, ver. g. speculando, vel versando mente negotia, immo etiam cogitando turpia, dummodo non exerceat actionem ullam incompossibilem cum attentione interna, videlicet confabulando, ridendo, legendo ea, quæ devotionem non excitant, &c. Ratio est, quia Ecclesia non præcipit, nisi actum externum religionis, cum non possit præcipere actus mere internos, quos cognoscere, & judicare non potest; atqui tam auditio

ditio missæ, quam recitatio officii, si fiant cum debita reverentia externa, humano, & religioso modo, sunt actus religionis externi, etiamsi mens voluntarie distrahatur; ergo per hujusmodi externas actiones præcepto Ecclesiæ satisfit.

XI. Addit Con. quæst. 86. de Sacram. art. 6. quod in cap. *Dolentes*, ubi præcipitur in virtute obedientiæ, ut officium studiose, & devote recitetur, solum præcipitur actus studiosus externus, itaut exterius non peccetur contra religionem, ut patet ex contextu; quia ibi agitur contra illos, qui in divino officio fabulantur cum sæcularibus. Omnes tamen Doctores conveniunt, quod saltem venialiter peccet, qui Deum alloquitur in recitatione officii, & auditione missæ cum distractione voluntaria; nam ea saltem levis est irreverentia.

ARTICULUS V.

De Tempore, Loco, & Situ recitationis Horarum.

I. Quodnam sit tempus, quo singulæ horæ recitari debent?

II. Num possit officium defunctorum recitari pridie Commemorationis Defunctorum? Et num etiam Litaniæ, quando debent recitari?

III. Peccat mortaliter, qui incipit recitare officium hodiernum paulo ante mediam noctem sequentem cum animo prosequendi illud post mediam noctem.

IV. Qui mane recitavit totum officium citra ullam obligationem, si deinde meridie ordinetur, non tenetur repetere horas vespertinas.

V. Deputati ad Chorum tenentur illud in Ecclesia recitare publice; alii vero possunt ubilibet privatim recitare; non tamen in locis, qui attentionem debitam impediunt, aut in locis immundis.

VI. Non vacat veniali culpa recitare Horas aut decumbendo, aut cum situ parum decenti.

VII. Num sit veniale recitare stando, aut sedendo, quæ flexis genibus recitanda sunt?

I. Quæritur primo; Quo tempore recitandæ sint horæ?

Respondeo, matutinum, & laudes juxta sententiam Filliuc., Bonac., Tamb., Trull. l. 1. cap. 7. ex consuetudine jam recepta probabiliter recitari posse citra veniale, & absque ulla causa ab inclinato præcedenti die, videlicet duabus, vel tribus horis post meridiem diei antecedentis usque ad unam circiter horam post ortum solis diei sequentis; quare hyeme, verbi gratia, recitari potest Neapoli post horam vigesimam primam diei antecedentis usque ad decimam quintam cum dimidio subsequentis: æstate vero post horam decimamnonam ac prope vigesimam: At Prima, Tertia, Sexta, & Nona recitari debent ab aurora usque ad meridiem; Vesperæ, & Completorium a meridie usque ad vigesimam quartam horam: Nihilominus si intra eundem diem recitentur privatim, licet non in suis horis, peccari solum venialiter, si nulla causa subsit, communiter docent, & ne venialiter quidem, si aliqua detur causa. Verum sub mortali tenentur Prælati curare, ut suis horis cantetur officium in Cathedralibus, Collegiatis, & Regularium Ecclesiis, cum id sub indignatione Dei, & Sedis Apostolicæ præcipiatur in Clem. 1. *De Celebrat. Missar.*

II. Circa Matutinum defunctorum Gavan. in Rubricas Breviarii cap. 2. sect. 2. refert, S. R. Congregationem prohibuisse, ne die commemorationis defunctorum pridie recitetur. Sed Tamb. putat prohiberi recitationem publicam in Choro, non privatam. Additque de hac prohibitione non constare authentice. Quare cum Rubrica dicat, quod dicto, Benedicamus Domino, post laudes Sanctorum incipiatur absolute officium defunctorum, videtur, quod pridie utrumque matutinum recitari possit. Circa litanias, quæ diebus Rogationum, & S. Marci recitari debent, ut diximus superius, videntur non posse pridie recitari; tum quia Rubrica non designat unionem Laudum cum litaniis, sicut designat unionem Laudum cum officio defunctorum, dum dicit, Dicto Benedicamus Domino incipitur officium defunctorum; tum quia Rubrica loquens de litaniis dicit, *Hodie recitandæ sunt*, quod verbum, hodie, non apponitur in officio defunctorum.

III. Dubium est apud Dian. part. 10. tract. 2. resol. 16. An peccet mortaliter, qui paulo ante mediam noctem subsequentem incipit officium hodiernum, & deinde illum prosequitur post mediam noctem? Negat Leand., sicut enim missa non potest dici post meridiem sine privilegio, & tamen sine culpa potest ante meridiem inchoari, & post meridiem finiri, ut habet praxis Ecclesiæ, quia opus continuatum videtur pertinere potius ad tempus, quo incipit, quam ad tempus, quo finitur; ita in casu nostro. Sed communiter docent esse mortale, quia non est ea praxis Ecclesiæ in officio, sicut est in missa.

IV. Quæritur secundo; An qui mane recitavit integrum officium, & deinde circa meridiem suscipit, verbi gratia, Subdiaconatum, vel incipit possidere beneficium, teneatur repetere horas pomeridianas, eo quod illas sine ulla obligatione ante meridiem recitarit?

Respondeo, Bonac., & Pal. putare, quod debeat repetere. Sicut enim qui die Sabbati audivit missam, tenetur aliam deinde audire die dominico, eo quod præcepto non satisfit per opus posi-

positum, quando præceptum non urget; ita in casu nostro. Verum Lug. de Eucharist. disp. 16.sect.2., & Tambur. hic putant non teneri; quia multa sunt præcepta, quæ plene observantur, etiamsi ponatur opus paulo ante quam præceptum urgeat; Verbi gratia, si quis mane audiat Sacrum, ubi non est dies festivus, non tenetur iterum audire Sacrum, si perveniat ad locum, ubi dies est festivus. Ratio est, quia hoc præceptum in eo sensu accipitur communiter, quod scilicet teneatur quilibet audire Sacrum in loco, ubi est dies festivus, dummodo illud eodem die non audierit. Et idem dicas in casu nostro.

V. Quæritur tertio? Ubi officium recitandum sit?

Respondeo, Canonicos, & alios deputatos ad Chorum debere illud in Ecclesia juxta consuetudinem, & institutionem beneficiorum recitare publice in loco ad id designato; Si tamen Choro interesse non possint, poterunt ubilibet illud recitare. Quod etiam dicitur de iis, qui non sunt ad Chorum deputati; dummodo tamen recitent in loco decenti, & ubi attentio impediri non possit; Videtur enim esse venialis irreverentia officium in locis immundis recitare; Unde Molfes. apud Bonac. refert, quemdam post mortem ad eadem loca transmissum esse, ad luendas talis indecentiæ pœnas. Qui vero recitat in loco, ubi attentio facile impeditur, videlicet in frequenti hominum conventu, clamore, & strepitu profano, pariter peccat; quia cum teneatur attente officium recitare, tenetur consequenter vitare, quæ attentionem impediunt; Unde eo culpa est gravior, vel levior, quo magis, vel minus attentio debita impeditur.

VI. Quæritur ultimo; Quonam corporis situ officium recitari possit?

Respondeo, irreverentiam venialem esse sine necessitate officium recitare in lecto decumbendo, aut sub immodesta corporis positione.

VII. Utrum autem sit veniale stare, quando ex Rubrica genuflectendum est; aut sedere, quando est standum? Affirmant nonnulli, sed Pal., & Bonac. docent, in privata recitatione hujusmodi rubricas, teste consuetudine, non videri receptas ut præceptivas, sed ut directivas, unde non continent præceptum, sed consilium, cum sint ordinatæ ad Chorum. Quare in Choro illas non observare non vacat culpa veniali, ex Suar., Navar., Filliuc., & aliis.

ARTICULUS VI.

De Causis excusantibus ab Horarum recitatione.

I. Excusare solent ab Horarum recitatione Infirmitas, Gravis occupatio, Impotentia, & Dispensatio.

II. Infirmitas ut excuset, debet esse gravis, itaut recitatio valde noceat valetudini.

III. In dubio an infirmitas sit hujusmodi, standum est judicio Medici, aut Periti; sed quid si Medicus ipse dubitet?

IV. Quænam a Doctoribus censeatur esse infirmitas gravis? Num aliquando excusetur ratione ægritudinis ab officio, qui potest missam celebrare?

V. Qui excusatur a recitatione Horarum ob visus debilitatem, num peccet legendo diu Historias, & omittendo officium?

VI. Quænam dicatur occupatio gravis, quæ excuset? Num aliquando Concionatores, & Confessarii excusentur?

VII. Qui prævidet se vesperi impediendum, num teneatur mane Vesperas recitare?

VIII. Num excusentur ob moralem impotentiam, qui in triremibus, aut in carcere detinentur? Num gravi mœrore perturbati, ac scrupolosi?

IX. Num teneatur cæcus, aut carens Breviario recitare Psalmos Matutini, aut Horarum, quos solum scit memoriter.

X. Qui nequit sine socio officium recitare, num teneatur illum procurare, ac etiam conducere?

XI. Licite utitur dispensatione, qui a suo Episcopo, aut a suo Prælato regulari dispensatur ex causa rationabili, non tamen si dispensetur in perpetuum.

XII. Beneficiatus non tenetur fructus restituere, si Horas ob impotentiam omittat; secus vero si eas omittat ex dispensatione Episcopi. At oppositum non est improbabile.

I. Causæ, quæ a Doctoribus assignari solent, sunt infirmitas, Gravis occupatio, Impotentia, Dispensatio, de quibus seorsim agendum, omissis iis, quæ in prima quæstione articulo ultimo universim docuimus.

II. Quæritur itaque primo; Quænam infirmitas excuset ab officii recitatione?

Respondeo, solam infirmitatem gravem, ob quam pronunciatio verborum valde noceret valetudini, excusare. Ita ex cap. *Clericus*, dist. 91. Et ratio est quia pia mater Ecclesia non obligat cum tanto incommodo.

III. Hinc sequitur, non excusare infirmitatem levem, qualis esse potest dolor capitis, stomachi, aut etiam aliquando febris tertiana, aut quartana: Quod si dubitetur an hic & nunc recitatio sit graviter nocitura, standum est judicio prudentis medici, ut docent communiter Doctores cum Suar. cap. 28.; quia universim in dubiis standum est judicio periti in arte, ex cap. *Fraternitatis, De frigidis, & maleficiatis.* Quod si ipse etiam medicus dubitet, nec alius peritus consuli possit, tunc ad horas non tenemur, cum nemo teneatur exponere se periculo damni gravis. Ita Pal., Bonac., Caram. contra

Suar. loc. cit., qui putat in tali casu dari tantum causam dispensationis, non vero absolutam excusationem, eo quod obligatio sit certa, & excusatio dubia. Sed hæc ratio non urget, quia, ut diximus, etiam dubium incidendi in grave damnum est certa excusatio, eo quod possessio, quam habet homo de non exponendo se periculo occisionis, seu gravis damni, prior est præcepto recitandi horas, & ideo talis possessio prævalet.

IV. Dubitatur tamen apud Doctores, quænam dicatur gravis infirmitas ad effectum omittendi officium; Et quodnam dicatur periculum incidendi in damnum notabile?

Respondeo, judicio prudentis id decernendum. Ut autem prudenter aliquis judicare possit, reflectere oportet ad ea, quæ Doctores hac in re decernunt. Sanch. lib. 7. consil. cap. 2. docet, excusationem sufficientem ab officio recitando haberi, si propter illud futura sit stomachi cruditas, vel capitis gravedo, vel virium lassitudo, vel tardior febris remissio. Præterea imbecillitas ejus, quem febris deseruit, excusat illum per aliquot dies judicio prudentis ab officio, quia imbecillitas illa convalescentis est quædam infirmitas: Additque Sanch., quod si vellet iste celebrare iis diebus convalescentiæ, posset, quamvis vacaret ab officio, cum id suavitati Ecclesiæ tribuendum sit. Docet ulterius Pellizar. tract. 5. cap. 8. quod quartana laborans, quando expectat vesperi accessionem febris, teneatur mane recitare horas tempori matutino respondentes; quamvis non teneatur juxta probabilem sententiam mane recitare Vesperas, & Completorium præveniendo tempus. Verum si mane sit imbecillis, timeatq; sibi recitationem officii nocituram, a toto officio excusabitur. Additque Pellizar., luscum, seu oculis laborantem non teneri ad legendas horas, si timeat paulatim mox se deperditurum vim videndi.

V. Dubitatur tamen; An hic peccet, si voluntarie legat fabulas, vel historias, omittendo officium ratione talis infirmitatis?

Respondet idem Pellizar. cum Tambur. non peccaturum contra obligationem recitandi officium, cum ad illud non teneatur; Sicuti qui ex infirmitate comedit carnes in Quadragesima, non peccat contra præceptum abstinendi a carnibus, si aliquando ob gulam comedat pisces; peccaret ergo uterque solum contra charitatem in seipsum, si hæc agat cum periculo gravis detrimenti; quod tamen raro accidit.

VI. Quæritur secundo; Quænam gravis occupatio excuset?

Respondeo, illam occupationem dici gravem, quæ necessaria est in re pertinente ad animæ salutem, ad vitam, honorem, fortunas, itaut si talis occupatio sit moraliter incompossibilis cum horarum recitatione, ab ea excuset; Unde ex Tambur. excusantur communiter habituri publicam lectionem in concursu ad cathedram, vel ad Doctoratus lauream acquirendam. Excusantur etiam concionatores, & confessarii, si nec concionem, nec confessiones possunt omittere sine nota, aut scandalo, quando simul satisfacere Officio non possunt. Raro autem accidit, ut non possint confessiones differri ad sequentem diem.

VII. Dubitabis, an qui prævidet se vesperi impediendum, teneatur mane recitare vesperas, & completorium?

Respondeo, quod quamvis universim verum sit, quod qui prævidet se non posse in fine temporis præfixi præceptum implere, teneatur prævenire; verbi gratia tenetur mane audire Sacrum, qui prævidet se impediendum sub meridiem; tamen probabile est ex Pelliz. tract. 3. c. 5., quod si impedimentum apponendum vespere sit involuntarium, non tenearis mane vesperas, & completorium recitare, v. gr., si laboraturus sis quartana a meridie; secus tamen dicendum si impedimentum sit voluntarium, v. gr. si velis post meridiem iter facere. Ratio est, quia obligatus ad aliquid ponendum tenetur tollere omnia impedimenta, quæ potest, & adhibere omnia media ad illud ponendum.

VIII. Quæritur tertio; Quænam impotentia excuset?

Respondeo, excusare quamcumque impotentiam sive physicam, sive moralem; verbi gratia si obliviscaris, si careas Breviario, si nescias legere: (quamvis enim peccet, qui beneficium, vel ordines suscipit ignorans legere, at deinde solum tenetur addiscere) Excusaris etiam, si sis mutus, si cęcus, quamvis cęcus teneatur, si sciat memoriter. Ratio horum omnium est, quia impossibilium nulla est obligatio, ex leg. *Impossibilium*, *ff. de. Reg. juris*. Excusat etiam impotentia moralis; unde, ut supra diximus, probabiliter excusantur damnati ad triremes, captivi apud infideles, & qui inclusi in carcere essent in statu miserrimo valde triremibus affini; Sicut etiam qui ex repentino, & maximo mœrore ita perturbantur, ut magnam habeant in recitando difficultatem: Et ita docent aliqui de viro nimis scrupuloso. An autem qui non potest totum officium recitare, teneatur ad illam partem, quam potest, diximus qu. 1. art. ult. num. 11.

IX. Adde hic, Joan. Sanch. putare, quod cęcus, qui memoriter scit psalmos matutini, non teneatur recitare matutinum, si non possit legere lectiones, quia psalmi sine lectionibus non sunt substantialiter matutinum; Et idem docet Garz. apud Dian. part. 2. tract. 12. resol. 43.. Hoc tamen Thomas Sanch. non admittit, saltem in matutinis trium lectionum; Sicut nec videtur admittendum quod docent Tolet., Dian., & alii apud Pel-

Pellizar. tract. 5. cap. 8., quod qui solum memoriter scit psalmos horarum, non vero capitula, & orationes, nec teneatur ad horas, eo quod psalmi sine capitulis, & orationibus non sint substantialiter horæ canonicæ. Ratio, cur id admitti non debeat, est, quia omnes psalmi sunt pars notabilis, quæ præsumitur a Legislatore intenta.

X. Dubitatur, an qui solum cum socio potest integrum officium recitare; teneatur socium adhibere ad præceptum implendum?

Respondeo cum Suar., Vasqu., Azor,, Laym. apud Bonac. qu. 6. punct. 2. contra Less., & Henr., beneficiatum non solum teneri socium adhibere, sed etiam illum conducere ex fructibus beneficii, modo commode possit; nam si sit surdaster, qui sine magna vociferatione, & incommodo non posset, non teneretur. Ratio est, quia cum ex justitia teneatur beneficiatus ad horas recitandas, tenetur adhibere media non multum difficilia ad talem finem ordinata. Contra tamen professus, & habens Ordines sacros non tenetur propriis expensis socium conducere, sed tenetur adhibere socium, si facile illum habere possit. Quamvis Tambur. putet probabile esse ad id non teneri, quia facultas adhibendi socium est privilegium, & privilegiis nemo uti tenetur; quæ ratio militat etiam pro beneficiario; & ideo Joann. Sanch. apud Garz. de Benef. 3. part. cap. 1. etiam beneficiarium deobligat; quod tamen Doctores communiter non admittunt.

XI. Quæritur demum. Quænam dispensatio excuset?

Respondeo, dispensationem habitam a Summo Pontifice excusare, etiamsi sine causa dispensarit; quia Pontifex in sua lege valide, quamvis illicite sine causa dispensare potest. Excusat etiam dispensatio Episcopi, vel Vicarii generalis cum subditis, necnon Prælatorum regularium cum subditis suis exemptis ab Episcopi jurisdictione, dummodo dispensatio fiat ex rationabili causa, & non in perpetuum. Ratio est, quia inferior non potest ex una parte sine causa dispensare valide in lege superioris, ex altera parte potest licite, quando necessitas urget, nec potest facile adiri superior, scilicet summus Pontifex, & multo magis in casibus, qui frequenter occurrunt, ut notant Suar., & Pal.; in iis enim censetur Pontifex potestatem concessisse Episcopis dispensandi, ne fideles cogantur ad Pontificem recurrere in casibus, qui sæpe occurrunt. Quia tamen raro accidit, quod debeat aliquis dispensari in recitatione officii in perpetuum, ideo non potest Eiscopus dispensare in perpetuum. Immo notat Merol., quod Vicarius generalis, & capitularis nonnisi de mandato speciali Episcopi, & capituli possit dispensare; quia quamvis omnis jurisdictio Episcopi communicetur Vicario generali, at non in iis, quæ sapiunt liberalitatem, & gratiam.

Notandum hic, quod quamvis beneficiatus impotens recitare officium vel ob gravem occupationem, vel ob infirmitatem, &c. non teneatur restituere fructus beneficii, eo quod non teneatur ad pœnam, ubi non præcessit culpa; tamen dispensatus ab Episcopo ob justam causam videtur obligandus juxta sententiam Tambur. hic ad restituendos fructus beneficii; quia non apparet posse adesse rationabilem causam, cur etiam in hoc dispensetur ab Episcopo, quod faciat suos fructus beneficii, qui restitui debent ab omittente Officium. Opposita tamen sententia non videtur improbabilis, cum non omittatur officium culpabiliter: Sicut qui ex dispensatione Pontificis non residet, non eatenus obligatur restituere fructus Beneficii correspondentes residentiæ; ut fert praxis, & fusius ostendimus in Opusculo de Beneficiis.

QUÆSTIO IV.

De Dei Cultu per Adorationem.

ADoratio, alter præstantissimus actus religionis, definitur a D. Th. 2. 2. quæst. 84. quod sit *Exhibitio reverentiæ, seu honoris cum submissione propter excellentiam ejus, cui exhibetur*: Et ex Damasceno Adoratio est *Submissionis*, *& humiliationis nota*. Quare differt honor ab adoratione, quia quamvis omnis adoratio sit honor, non tamen econtra; Nam honor etiam æqualibus exhiberi potest, adoratio vero nonnisi excellentiori, cui nosmetipsos submittamus. Quia tamen excellentia alia est increata propria Dei, alia Creata, idcirco tam Deus, quam creaturæ adorari possunt; quamvis diversimode, ut infra. Dividitur autem primo Adoratio ex parte actus in Internam, & Externam: Illa fert voluntatis submissionem alteri propter suam excellentiam; hæc vero fert eandem submissionem exterius significatam v. g. genuflectione, inclinatione, osculo pedum, manuum, &c.: Quia tamen ab hominibus adorari debet Deus animo simul, & corpore, seu adoratione externa, quæ supponat internam, idcirco D. Th. Adorationem reposuit inter exteriores actus religionis.

Secun-

Secundo dividitur ex parte objecti, seu ex parte personæ adoratæ in Latriam, Hyperduliam, & Duliam. Latria est adoratio, quæ soli Deo, ut primæ causæ, supremo Domino, & ultimo fini exhibetur, & hinc dicitur Idololatria Adoratio Idoli tanquam veri Numinis.

Dulia (quod vocabulum apud Græcos idem sonat, ac servitus) importat adorationem, quæ exhibetur Sanctis tanquam Dei servis. Hyperdulia est adoratio, quæ exhibetur Beatæ Virgini, utpote quæ aliis Sanctis Dei servis longe præstat tum sanctitate, & gratia, tum etiam maternitate Dei. Et eadem adoratione hyperduliæ adorari debet Humanitas Christi Domini secundum se spectata, secundum quod est aliquid creatum: Sicut etiam Unio hypostatica. Quamvis Christus Dominus cum sit vere filius Dei, adoratione latriæ adorandus sit.

Tertio dividitur in Absolutam, & in Respectivam. Illa convenit personæ secundum se adorabili, & honorabili, puta Deo, Beatæ Virgini, Sanctis, &c. Ista vero convenit rebus ratione carentibus per respectum, quem habent ad personas adorabiles; sicut adoratur Crux, imago, reliquiæ, ut mox explicabimus, quærendo sigillatim nonnulla prius de adoratione absoluta, qua Christum Dominum, & Eucharistiam, necnon Angelos, Sanctos, & Beatos adoramus, ac deinde de adoratione respectiva, qua adoramus Reliquias, Crucem, ac Sacras imagines.

ARTICULUS I.

De Adoratione Christi Domini, & Eucharistiæ.

I. *Adoratione Latriæ Christus Dominus adorandus; ita tamen, ut primario, & per se natura Divina adoretur, secundario vero, & concomitanter natura humana.*

II. *Etiam Christi corpus in sepulchro adorandum erat adoratione Latriæ.*

III. *Christus Dominus non orat pro nobis, sed miseretur nostri; orat tamen ejus Humanitas secundum voluntatem creatam.*

IV. *Quamvis Humanitas Christi Domini secundum se per intellectum separata a Verbo adorari possit adoratione Hyperduliæ; in praxi semper Christus Dominus adorari debet adoratione Latriæ.*

V. *Crux adoratur adoratione Latriæ, non tamen adoratione absoluta, sed respectiva. Beata Virgo in praxi non adoratur adoratione Latriæ respectiva, quamvis etiam Christum tetigerit, ne videatur illi tribui adoratio debita Deo.*

VI. *Cur quælibet crux adoretur adoratione Latriæ, & non quælibet spina, lancea, clavus, &c. sed solum illa, quæ Christum Dominum tetigerunt?*

VII. *Eucharistiæ Sacramentum adoratur unica adoratione Latriæ, itaut primario Christus Dominus in eo contentus adoretur, & concomitanter species Sacramentales.*

VIII. *Non vacat culpa adorare Hostiam consecratam conditionate, videlicet si sit consecrata; cum sit imprudens talis conditio.*

IX. *Si appareat in Eucharistia infans, non videtur adorandus adoratione Latriæ; sed hac adoratione adoranda tunc est hostia consecrata.*

I. Certum est primo, Christum Dominum adoratione Latriæ adorandum esse, cum sit verus Deus, videlicet una persona in duplici natura, humana simul, & Divina subsistens: Unde fit, ut utraque natura in Christo Domino unica, eademque adoratione Latriæ adoretur; Quamvis primo, & per se natura divina, secundario, & concomitanter humana: Eodem prorsus modo, quo dum adoratur homo propter ejus sanctitatem, anima simul, & corpus eadem adoratione adoratur, anima vero primario, & per se, corpus tamen secundario, & concomitanter propter unionem cum anima. Et eodem modo, quando Rex adoratur, eadem adoratione Regia adoratur persona simul, & purpura, quæ regiam dignitatem præsefert, persona quidem primario, & purpura secundario.

II. Hinc sequitur primo, etiam corpus Christi Domini in sepulchro adorandum fuisse adoratione Latriæ propter unionem cum Verbo; Et idem dicas de sanguine Christi Domini in triduo mortis separato a corpore Christi.

III. Sequitur secundo, non licere orare Christum Dominum, ut pro nobis oret, sed ut misereatur nostri. Et ratio est, quia preces nostræ non ordinantur ad naturam humanam, sed ad personam Christi Domini divinam; & ideo Ecclesia utitur hac formula; ne det ansam putandi Christum non esse Deum: Verum quia Humanitas Christi suam habet voluntatem creatam, quæ aliquid a Deo suo creatore petere potest, idcirco, si absit scandalum, possumus etiam a Christo Domino petere, ut per humanitatem suam pro nobis oret; nam ad Hebræos 7. dicitur, *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*; Et Joan. 14. *Ego rogabo Patrem*; & in deserto vere Christus Dominus oravit Patrem, ut a se transiret calix.

IV. Quæritur nunc primo; utrum natura humana Christi Domini adoranda sit adoratione Latriæ.

Respondeo cum communi apud Suar. de Incarnat. disp. 53. negative, cum sit quid creatum. Quia tamen talis natura unita est personæ increatæ, & quia sanctitate, & gratia reliquos Sanctos

ctos antecellit, ideo adoratione hyperduliæ adoranda est. Sed notandum cum Bonac. & Vasq., quod quamvis humanitas Christi per intellectum separata a Verbo adorari possit adoratione hyperduliæ, in praxi tamen semper debet Christus adorari adoratione Latriæ; tum quia semper humanitas a parte rei est unita Verbo; tum etiam quia Christus debet adorari adoratione debita supremæ suæ excellentiæ; sicut Rex licet habeat plures dignitates Comitis, Ducis, Principis, Regis, semper tamen honoratur honore debito supremæ suæ dignitati, scilicet Regiæ.

V. Dices: Crux, quia Christum tetigit, adorari debet adoratione Latriæ; ergo a fortiori humanitas Christi Domini.

Respondeo, Crucem secundum se nulla adoratione absoluta adorari posse, sed solum adoratur adoratione Latriæ respectiva, scilicet per ordinem ad Christum, quem repræsentat, & per eundem ordinem ad Verbum, cum quo unitur humanitas: Illud autem est discrimen inter adorationem debitam humanitati Christi Domini, & debitam cruci, quæ Christum tetigit, & debitam Beatæ Virgini, quæ pariter tetigit Christum Dominum, quod humanitas Christi debeat semper adorari adoratione Latriæ, & solum præciso scandalo adorari possit adoratione hyperduliæ, si secundum se spectetur: Econtra Beata Virgo adorari debeat semper adoratione hyperduliæ, & solum præciso scandalo adorari possit adoratione Latriæ respectiva per ordinem ad Christum, quem tetigit. Etenim cum Beata Virgo secundum se sit capax adorationis absolutæ, ne videatur illi tribui adoratio debita Deo, ideo adorari non debet adoratione Latriæ respectiva, sed solum adoratione ipsi debita absolute. Demum Crux Christi Domini, quia nullam de se meretur adorationem absolutam; idcirco adorari semper debet adoratione Latriæ respectiva; Patet enim, illi non aliter tribui adorationem, nisi per respectum ad Christum, quem tetigit.

VI. Hac de causa adorari possunt cineres alicujus Sancti, non vero vermes ex ejus cadavere geniti. Ratio est, quia in morali æstimatione solum cineres repræsentant Sanctum illum, non vero vermes: Sic etiam adorari potest adoratione Latriæ non solum Crux, in qua Christus pependit, sed etiam quælibet alia Crux, quia quælibet Crux Christum repræsentat: Econtra solum clavi, spinæ, lancea, funiculi, quæ Christum tetigerunt, adorari possunt adoratione Latriæ, non vero alii clavi, spinæ, lanceæ, quia non habent ista in morali æstimatione Christum repræsentare, sicut habet Crux, quæ Matth. 24. dicitur esse Signum filii hominis, quod apparebit in Cœlo: & ideo Angelus ad mulieres dixit, ut notat D. Th. *Jesum quæritis Crucifixum*, nec dixit lanceatum, spinis coronatum &c. Quare ne videamur cum Idololatris adorare creaturas insensatas ut Deos, debemus ab adoratione aliorum clavorum, spinarum, &c. abstinere.

VII. Quæritur secundo; An, & quomodo Eucharistiæ Sacramentum adorandum sit?

Respondeo, adorandum esse adoratione Latriæ, cum vere Chistum Dominum contineat: Sicut autem diximus Christum adorari unica adoratione, in qua primario Verbum, & concomitanter humanitas adoratur, ita unica adoratione in Eucharistia adorantur etiam species Sacramentales concomitanter, quia sunt veluti purpura, & thronus Regis Regum, & Domini Dominantium.

VIII. Dubium est, absolute ne adoranda sit hostia consecrata, an vero conditionate, si scilicet sit consecrata? cum possit accidere, quod non sit consecrata, vel ex defectu materiæ, vel intentionis ministri.

Rerpondeo cum Lug., Suar. de Incarn. disp. 65., & aliis communiter, adorandam esse absolute. Ratio est, quia, ut homo absolute operetur, satis est moralis certitudo: Sic absolute veneramur nostros parentes, quamvis fieri possit, quod non simus ab iis geniti; & absolute absolvimus sacramentaliter pœnitentes, itaut non liceat universim absolutio conditionata, quamvis aliquando accidere possit, quod pœnitens non sit dispositus; & ideo Ecclesia in orationibus missæ ante, Domine non sum dignus, absolute dicit, Libera me per hoc Sacrosanctum Corpus: Ut autem absit periculum Idololatriæ, satis est, adorantem ita affectum esse habitualiter, ut non adoraret, si sciret panem non esse consecratum: Unde aliqui putant, non solum non esse adhibendam conditionem sine causa, ne minuatur devotio, sed non vacare aliqua culpa talem conditionem adhibere, utpote imprudentem, & otiosam, & quæ dat ansam scrupulis impertinentibus.

IX. Dubium est secundo; An si appareat infans, vel sanguis, &c. in hostia consecrata, ille adorandus sit adoratione Latriæ?

Respondeo cum Azor., Suar. tom. 3. in 3. part. disp. 55., adorandam quidem esse tunc regulariter hostiam consecratam, ut communiter docent contra Durand.; quia plerumque istæ apparitiones fiunt absque mutatione reali specierum Sacramentalium; Sed non esse adorandum adoratione Latriæ id, quod apparet visibiliter sub specie infantis, aut carnis, aut sanguinis Christi; quicquid in contrarium sentiant Alens., Gabriel, & Palat. Ratio est, quia id, quod apparet, non est revera Christus Dominus, aut ejus sanguis, sed solum colore, & figura illum refert, cum id satis sit ad finem, propter quem tale miraculum fit: Nec est necesse multipli-

care

care aliud miraculum, quod scilicet Christus Dominus revera fiat infans; præsertim cum id indecens videatur: Unde id, quod in Eucharistia apparet instar infantis, adorandum est ex Azor. eo tantum cultu, quo res aliæ Sacræ adorantur, non vero adoratione Latriæ.

ARTICULUS II.

De Adoratione Sanctorum, & Beatorum.

I. Vocantur Sancti, etiam qui sunt in vita, si sanctam vitam vivant.

II. Debetur Sanctis Imaginibus, & Reliquiis Sanctorum, ac Sanctis Angelis cultus religiosus, & sacer, & adorari possunt adoratione duliæ.

III. Sancti canonizati adorari possunt etiam cultu publico, hoc est ab Ecclesia instituto, alii vero cultu privato etiam coram aliis.

IV. Etiam cultu publico adorari possunt qui ab Ecclesia habebantur ut Sancti, antequam a Leone III. institueretur Canonizatio.

V. Juxta Ecclesiæ institutionem septem enumerantur cultus, quibus Sancti adorari possunt.

VI. Quinam cultus Beatis exhiberi potest? Et quinam defunctis cum fama Sanctitatis?

VII. Quid permittatur, & quid vetetur a Sede Apostolica erga defunctos cum fama Sanctitatis exhibere?

I. Sancti vocantur quicumque in gratia Dei existunt, sive in vita sint, sive in Purgatorio, sive in Patria, sive sint canonizati, sive non. Etenim Apost. ad Roman. 1. Christianos primitivæ Ecclesiæ appellavit Sanctos, & Ambrosius Marcellam sororem suam, Hieronymus virginem Asellam, D. Thomas Bonaventuram, etiam dum viverent, Sanctos appellarunt; quia Sanctorum vitam vivebant, idest immaculatam, & honestis moribus imbutam.

II Quæritur nunc, An omnes hujusmodi Sancti possint adorari, & quo cultu?

Respondeo, & dico primo, de fide esse, ut constat ex Trident. sess. 24., Sanctos, necnon reliquias, & imagines Sanctorum, atque adeo etiam Angelos adorandos esse non solum cultu civili, & politico ad virtutem observantiæ pertinente, sicut veneramur personas in dignitate aliqua constitutas, verbi gratia Regem, Pontificem, ut contendebant hæretici; sed etiam cultu religioso, & sacro, scilicet vel propter eorum virtutem, & sanctitatem, vel propter beatitudinem, qua fruuntur in Patria. Hanc enim adorationem exhibitam esse hujusmodi Sanctis, sæpe legitur in Scriptura; nam Numerorum 22. Balaam adoravit Angelum; 1. Regum 28. Saul adoravit animam Samuelis; 3. Regum 18. Abdias Eliam; 4. Regum 2. Filii prophetarum Elisæum. Et ratio est, tum quia si possumus Sanctos precibus invocare, possumus pariter illos adorare; tum etiam quia ex Apost. ad Romanos 2., Gloria, & honor debetur bene operanti; cum ergo Sancti omnes bene operati sint, digni sunt honore, & adoratione, non quidem Latriæ, quæ soli Deo debetur, sed Duliæ, quæ servis Dei competere potest.

III. Dico secundo, Sancti canonizati possunt adorari cultu non solum privato, sed etiam publico, ut patet. Est autem cultus privatus ex Bellarm. lib. 1. de Sanctor. Beatitud. cap. 10. qui non exhibetur tanquam institutus ab Ecclesia, nec nomine Ecclesiæ, sed ex peculiari devotione colentis sive privatim, sive publice, & coram aliis. Econtra Cultus publicus non dicitur, qui coram aliis exhibetur, sed qui institutus est ab Ecclesia, & exhibetur nomine Ecclesiæ.

IV. Dico tertio, eodem cultu adorari possunt omnes ii, qui licet non sint canonizati, tamen in Ecclesia Dei coluntur ut Sancti ex veteri consuetudine, antequam institueretur Canonizatio. Etenim canonizatio, ut notat Bellarm. loc cit. cap. 8., nil aliud est, quam publicum Ecclesiæ testimonium de sanctitate, & gloria hominis jam defuncti, & simul judicium, ac sententia, qua decernuntur illi honores debiti iis, qui regnant cum Christo; Et a Leone III. primum introducta est, antea vero communi populi voce proclamabantur Sancti, qui sancte vixerunt, & cultu Sanctorum adorabantur: Proinde etiam nunc eodem cultu digni sunt, cum nunquam potuerit hac in re Ecclesia decipi, juxta illud Christi Domini, *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*.

V. Cultus autem debiti Sanctis juxta Ecclesiæ institutionem septem a Bellarm. cap. 7. enumerantur. Primus est, quod ab omnibus publice habeantur, & dicantur Sancti. Secundus, quod invocentur in publicis Ecclesiæ precibus. Tertius, quod templa, & aræ in eorum memoriam dicentur Deo. Quartus, Sacrificium offerre Deo, & Horas recitare in eorum honorem. Quintus, dies festos in eorum memoriam celebrare. Sextus, pingere eorum imagines, addito quodam lumine in signum gloriæ, quam habent in Cœlis. Septimus, eorum reliquias pretiosis in thecis includere, & publice honorare.

VI. Dico quarto; Beati, qui nondum canonizati sunt, coli quidem publice possunt, non tamen quovis genere cultus publici. Ratio est, quia Pontifex solum iis concedit posse vocari Beatos, & aliquando permittit, ut de iis possit in aliqua religione, vel Provincia officium, & missa celebrari. Unde fit, quod Beatis non possit exhibe-

hiberi ille publicus cultus, qui ab Ecclesia institutus est pro Sanctis, sed solum qui pro Beatis institutus est, ut videre est in decreto edito 20. Septembris 1659. ab Alex. VII.

Dico ultimo: Defuncti cum fama Sanctitatis coli non possunt cultu publico, antequam eorum sanctitas ab Ecclesia publice proponatur per canonizationem, vel beatificationem, vel generalem approbationem; ne scilicet aliquando adoretur publice pro Sancto impius, & damnatus; quod aliquando accidisse refert Bellarm. cap. 7.: Alex. enim III. reprehendit quosdam, qui hominem in ebrietate occisum ut martyrem (non tamen tota Ecclesia, quæ in hoc decipi non potest) venerabantur. Contra vero potest iisdem cultus privatus exhiberi, ut communiter docent. Ratio est, quia cum prohibeatur duntaxat cultus publicus, consequenter permitti censetur privatus; tum etiam quia possunt in hac vita homines justi invocari, & adorari, ut diximus, quamvis non certo nobis constet illos esse justos; ergo etiam mortui, quos confidimus esse in gloria, invocari poterunt, & adorari cultu privato; ad quem exhibendum satis est prudenter sibi persuadere illos esse amicos Dei, & in gloria; sic enim non erit periculum morale errandi.

Hinc sequitur ex Bonac. hic, Pal. tract. 8. disp. 1. de Adoration. punct. 5., Tambur., Bellarm., & aliis, Primo, posse nos imagines istorum in domibus nostris retinere, & colere, non tamen in templo reponere; nisi forte causa ornatus cum aliis imaginibus. Secundo, licere pedes, & manus istorum osculari, & reliquias retinere. Tertio, in anniversario abstinere ab operibus servilibus, jejunare, & iis votum offerre. Quarto, in privatis colloquiis, vel precibus eos Sanctos, vel Beatos nuncupare, & invocare, necnon Pater, & Ave in eorum honorem privatim recitare; hæc enim spectant ad cultum privatum.

Non potest tamen Episcopus diem festum in illorum honorem instituere; nec licitum est eos in litaniis, aut in officio divino, nec privatim quidem, Sanctos invocare, quia litaniæ, & officium, ut etiam Missa, sunt cultus publici, qui scilicet ex institutione Ecclesiæ Sanctis exhibentur; Nec licet horum reliquias publice venerandas exponere, aut altaria, vel templa iis dedicare.

Demum Urban. VIII. 1625. prohibuit, Primo, ne istorum imagines cum laureolis, radiis, & splendoribus habeantur, ne privatim quidem. Secundo, ne ad illorum sepulchra tabellæ, imagines, lampades apponantur ad testificanda accepta beneficia. Tertio, ne libri imprimantur, qui eorum gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia tanquam eorum intercessionibus a Deo accepta contineant, sine recognitione, & approbatione, primum Ordinarii, post consultos Theologos, & pios viros; & sine licentia postmodum Sedis Apostolicæ. Decrevit tamen anno 1634. idem Urbanus, quod tabellæ, & imagines, quæ in posterum offeruntur, possint recipi, approbantibus Ordinariis, & in secreto aliquo loco seorsim ab Ecclesia custodiri, ut si quando Deus voluerit eos canonizari, aut beatificari, extent hujusmodi sanctitatis qualescumque approbationes, Apostolicæ Sedis judicio examinandæ. Decrevit demum Alex. VII, ne istorum imagines, etiam non principaliter, & uti supplices appositæ, Simulacra, Picturæ, Tabellæ, aut Scripturæ eorum præclara gesta repræsentantes, aut referentes in Ecclesiis, Sacrariis, & Oratoriis quibuscumque, & præsertim in quibus missæ Sacrificium, vel alia divina officia peraguntur, inconsulta Sacra Congregatione exponantur. Quare si non repræsentent eorum præclara gesta, poterunt tamquam supplices exponi.

ARTICULUS III.

De Adoratione Sacrarum Reliquiarum.

I. *Quænam dicantur Reliquiæ Sanctorum? Vermes, in quos eorum carnes conversæ sunt, non dicuntur Sacræ Reliquiæ, licet materiam Sanctorum contineant.*

II. *Reliquiæ adorandæ sunt eadem adoratione, qua adorantur Personæ, cujus sunt reliquiæ.*

III. *Cur possit adorari adoratione latriæ Crux, quæ tetigit Christum Dominum, & non pariter Asellus, qui etiam tetigit Christum Dominum?*

IV. *Adorari possunt Sanctorum reliquiæ cultu privato, si de iis moralis certitudo, aut etiam probabilis conjectura habeatur. Ut adorentur tamen cultu publico, requiritur approbatio Pontificis, aut Episcopi. Sed quid si sint dubiæ?*

V. *Quid si alicujus Sancti corpus duobus in locis cum Episcoporum approbatione colatur?*

VI. *Agni cerei adoratione latriæ adorandi sunt, Neque possunt minio, aut alio colore pingi: Neque citra Simoniam vendi, nisi solum ratione materiæ.*

VII. *Qui reliquias furatur, peccat peccato furti, & sacrilegii, si grave damnum, & non levis injuria irrogetur.*

I. CErtum est, Reliquias Sacras adorandas esse ex Trident. sess. 24. cap. 2. contra hæreticos; & constat tum ex universali Ecclesiæ traditione, tum ex miraculis per Sanctorum reliquias a Deo patratis. Dicuntur autem Sacræ Reliquiæ ex Azor. tom. 1. lib. 4. cap. 6. Cor-

Corpora, Offa, Cineres, veftes Sanctorum, necnon vela, panni, &c., quæ ad eorum corpora admoventur, vel ad ipfos pertinuerint: Contra tamen non dicuntur Reliquiæ Sanctorum vermes, in quos eorum cineres, vel carnes converfæ funt; quia quamvis illorum materiam primam contineant, tamen cum formam animatam habeant, non videntur moraliter amplius ad illos pertinere; & in morali æftimatione non amplius illos repræfentant: Quare tales vermes nullatenus adorandi funt, tum quia eft indecens, tum ne videamur illos propter fe, non propter Sanctos adorare.

II. Quæritur nunc primo, Quanam adoratione reliquiæ adorandæ fint?

Refpondeo cum communi ex Azor. eadem omnino adoratione adorandas effe qua perfonæ, cujus funt reliquiæ, unde adoratione duliæ adorantur reliquiæ Sanctorum; hyperduliæ vero lac, capilli, veftes, & aliæ reliquiæ Deiparæ; demum latriæ, reliquiæ Chrifti Domini, puta fanguis in terra relictus, præputium, crux, fafciæ, fpinæ, clavi, fudarium, præfepe, fepulchrum. Ratio eft, quia cum reliquiæ fint creaturæ irrationales, non poffunt adorari ulla adoratione abfoluta; ergo tantum adorari poffunt adoratione refpectiva per relationem, quam dicunt ad illos, quorum funt reliquiæ; ac proinde in ipfis adoratur tanquam in imagine, feu in figno perfona, cui fuerunt conjunctæ.

III. Dices cum Hæreticis; Tam Crux tetigit Chriftum Dominum, quam Judæi crucifigentes, labia Judæ, Afellus, in quo Chriftus fedit, B. Virgo, &c.; ergo fi poteft crux adorari adoratione latriæ, ut reliquia Chrifti Domini, poterunt etiam hæc alia adorari.

Refpondeo cum Suar., Fagund. lib 1. cap. 32., & aliis communiter, negando confequentiam. Ratio eft, quia, ut fupra diximus, quamvis hæc omnia contineant totum id, ratione cujus adorari poffent adoratione latriæ, cum Chriftum Dominum tetigerint, tamen eft fpecialis ratio, cur non debeant adorari; quia fcilicet non habent moraliter repræfentare Chriftum Dominum, ficut habet Crux, reliquiæ, & imago. Unde fine fcandalo adorari non poteft Beata Virgo adoratione latriæ, nec ullatenus labia Judæ, aut ipfi crucifigentes, obftante eorum impietate; neque Afellus fine indecentia, &c.

IV. Quæritur fecundo, quando reliquiæ adorari poffunt cultu privato, quando publico, quando abfolute, quando vero conditionate?

Refpondeo cum Suar., Pal., & aliis poffe coli cultu privato, quando habetur moralis certitudo, quod fint veræ; ad quod fufficit teftimonium unius fide digni, vel alia probabilis conjectura; videlicet fi a defuncto viro probo, qui eas colebat, acceperis. Ut publico tamen cultui exponantur, debent a Pontifice, vel Epifcopo approbari, ex cap. *Cum ex eo, de Reliq.*, & ex Trident. loc. cit.: Quamvis autem non fit licitum reliquias approbatas approbatis mifcere, & publico cultui exponere, licitum tamen eft ex Sanch., Pal., Dian. contra Bonac. Crucem in altari collocandam reliquiis non approbatis ornare, quia in tali cafu fola crux exponeretur publico cultui, & reliquiæ culti privato, ad quem fatis eft, ut diximus, moralis certitudo de earum veritate. Quod fi dubiæ fint, ne privatim quidem coli debent; nifi fub conditione, fed vel in loco decenti cuftodiendæ, vel reverenter concremandæ, & in pifcinam mittendæ. Cæterum quando probabilis adeft conjectura, quod fint veræ, adorari debent abfolute, ut diximus de hoftia confecrata.

V. Quod fi aliqui dicant, corpus alicujus Sancti effe in uno loco, aliis perhibentibus effe in alio, certe ubi Epifcopi approbatio præceffit, adorari debet abfolute; quia vel, ut ait Theodoretus lib. 8. ad Græcos, Corpus eft utrobique, licet non utrobique integrum, vel, ut ait Suar. propter unitatem ejufdem nominis reliquiæ unius Sancti tribuuntur alii Sancto; & talis error non effet in fubftantia, quafi vero illæ reliquiæ non fint alicujus Sancti, fed folum in conditione, quatenus creditur corpus effe unius Sancti, cum fit alterius.

VI. Quæritur ultimo, Quanam adoratione adorandi fint agni cerei, qui a Pontificibus non folum primo anno fui Pontificatus, fed etiam deinde feptimo quoque anno benedicuntur folemniter, & Chrifmate confecrantur.

Refpondeo cum Azor., & Vafq. adorandos effe tanquam imaginem Dei, quam repræfentant fub figura Agni; atque adeo adoratione latriæ, ficut adoratur Crux. Ubi notandum, excommunicationem incurrere, qui hujufmodi agnos pingunt, aut dipingi vel minio, auro, aliove colore affici curant, necnon qui eos vendunt; quamvis, ut notat Sanch., & Bonac., qui eos venderet tantum ratione materiæ, ut venduntur calices, excommunicationem non incurreret; quia folum venditio fimoniaca prohibetur.

VII. Qui reliquias furatur, jure communi nullam excommunicationem incurrit, fed peccat graviter peccato facrilegii, & furti, quando dignitas, & æftimatio reliquiæ tanta eft, ut per ejus furtum irrogetur grave damnum, & non levis irreverentia cenfeatur. Extrahentes tamen reliquias ex Cœmeteriis, Cryptis, vel Catacumbis intra, vel extra Urbem exiftentibus excommunicantur ex Conftitutione Pauli V. an. 1613.

A R-

ARTICULUS IV.

De Adoratione Sacrarum Imaginum.

I. Imagines Sacræ, non secus ac Reliquiæ, adorantur adoratione respectiva per ordinem ad personam, quam repræsentant.
II. Sculptile, quod prohibetur a Deo, est Idolum.
III. Deus, & Tres Personæ repræsentari, ac adorari non debent, nisi sub imaginibus ab Ecclesia deputatis.
IV. Deus, & Angeli per quandam metaphoram sub corporis imaginibus adumbrantur.
V. Sicut imagines, ita etiam Nomina Sacra honore, ac adoratione digna sunt.
VI. Cur magis nonnullæ eorundem Sanctorum imagines adorentur, quam aliæ.
VII. Quomodo in VII. Synodo generali dicatur, minori adoratione colendam esse Christi imaginem, quam ipsum Christum?
VIII. Magis Christus, quam ejus imago adoratur, non solum si imago adoretur secundum se, tanquam res sacra; sed etiam si adoretur adoratione respectiva, quatenus primario Christus, & concomitantur imago adoratur.

I. Ex dictis de Adoratione Reliquiarum constat, Sacras etiam imagines adorandas adoratione respectiva, seu per ordinem ad personam, quam repræsentant, atque adeo eadem adoratione cum illa persona coadorandas esse, non secus ac thronus, & purpura Regis. Probatur id primo ex Triden. sess. 24. contra Iconomachos, hoc est, imaginum impugnatores, quibus adhæserunt Lutherus, & Calvinus. Probatur secundo ex usu Ecclesiæ, quæ semper illas venerata est, cum ipse Christus Dominus Abagaro Regi Edessæ suam effigiem miserit, & faciei suæ imaginem linteo Veronicæ impressam reliquerit; quæ etiam nunc colitur Romæ; & corporis sui lineamenta voluerit impressa in Sacra Syndone, quæ Taurini colitur. Probatur tertio ex miraculis, quibus testatur Deus cultum hunc esse sibi gratum; cum per sacras imagines illa patraverit. Probatur demum ratione, nam honor, qui defertur imagini, nonnisi exemplari, & prototypo defertur, ut proinde omnes nationes imaginibus præclarorum virorum semper usæ sint.

II. Oppones cum hæreticis primo, Usum imaginum prohibitum esse a Deo, Deuter. 4., ubi dicitur, *Non facies tibi sculptile*. Secundo, quia si posset adorari imago Dei mortua, a fortiori adorari posset adoratione latriæ homo, quia est imago Dei viva, nam Genes. 1. dicitur: *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Tertio, quia Deus, & Angeli cum sint spiritus, nullatenus pictura corporea repræsentari possunt. Quarto, quia etiam nomina deberent adorari, ut imagines. Quinto, quia eadem reverentia cuicumque imagini ejusdem personæ deberetur. Constat autem, majorem reverentiam in Ecclesia exhiberi aliquibus imaginibus, v. gr., Beatæ Virginis a Divo Luca depictæ, vel Sancti Domini de Soriano, &c.; quam aliis.

Respondetur tamen communiter, Ad primum, prohiberi tantum a Deo, ne alius, quam verus Deus adoretur; qui enim idola adorant manibus fabricata, illa tamquam vera numina, non tanquam imagines veri Numinis adorant.

III. Ad secundum, si homo præcise inquantum imago Dei est, adoraretur adoratione latriæ, non esset de se malum, ex D. Th. art. 3. ad 3.; quia sic Deus in homine adoraretur, ut notat Suar. Verum non est sic adorandus, non solum ad vitandum scandalum, ne scilicet videamur homines tanquam Deos venerari, quod periculum cessat in imaginibus mortuis; sed etiam quia solum adorari debent imagines Dei ab Ecclesia ad Deum rupræsentandum deputatæ; non est autem homo imago ad id ab Ecclesia deputata, sicut est deputata imago Dei Patris in forma senis, imago Spiritus Sancti in specie Columbæ, aut flammearum linguarum, imago Filii in forma hominis, vel sub specie agni, vel sub speciebus panis, & vini, itaut pictura Eucharistiæ sit imago Christi Domini.

IV. Ad tertium, quamvis nen possint Deus, & Angeli apte exprimi corporeis imaginibus, possunt tamen nobis per quandam metaphoram, seu proportionem repræsentari; sicut Ezechielis 1. per species quatuor animalium adumbrantur quatuor Evangelistæ; & ideo Deus, & Angeli sæpe sub forma sensibili apparuerunt.

V. Ad quartum, concedit Suar. sequelam; Nomina enim rem sacram, & honore dignam repræsentant; non secus ac imagines; & ideo ad Philip. 2. dicitur; *In nomine Jesu omne genuflectatur*; nec solemus tale nomen invocare capite non inclinato; quo pacto canimus etiam trisagium illud, *Gloria Patri*, &c. ab Angelis acceptum, & a Sancto Ignatio martyre fidelibus communicatum.

VI. Ad ultimum respondet Suar. sect. 8. aliquibus imaginibus homines magis affici, vel quia majorem devotionem excitant, vel propter artificem, ut quia a Divo Luca, vel ab Angelis depictæ sunt, vel quia ad præsentiam illarum majora solet Deus conferre beneficia, & nonnulla patrare miracula.

VII. Oppones secundo: In VII. Synodo generali citata a Suar. de Incarnat. disp. 54. sect. 4. dicitur, quod imago Christi Domini non adoratur latriæ adoratione, sicut Christus, sed quadam minori veneratione, seu honoraria adoratio-

oratione; ergo falsum est, eadem adoratione adorari imaginem, & prototypum.

Respondeo cum eodem Suar., dupliciter posse imaginem adorari, Primo, adoratione respectiva, itaut potius prototypum in ipsa adoretur, quam ipsa dicens ordinem ad prototypum; Et sic imago Christi adoratur latria, sicut Christus, nam, ut notat D. Th. in 3. part. quæst. 25. art. 3. ex Philos. in libris de memoria, motus animæ erga imaginem, secundum quod imago est, non est alius a motu animæ erga exemplar: Secundo, potest adorari imago tamquam res sacra repræsentans exemplar, itaut per se adoretur sola imago, quæ dicit respectum, & ut dicens respectum ad exemplar, quin exemplar ipsum adoretur; eo modo, quo possumus amare proximum propter Deum, quin formaliter, & ut quod amemus ipsum Deum; & sic imago Christi non adoratur latria, sed adoratione minori veneraria.

VIII. Adde ex Suar., quod in imagine Christi directe, & ut quod adoratur Christus; & imago eadem adoratione solum concomitanter adoratur; ergo bene stat, quod adoratio, qua imago Christi adoratur, sit inferior adoratione latriæ, qua adoratur Christus, cum hic principaliter, illa minus principaliter, & concomitanter adoretur.

QUÆSTIO V.
De Superstitione.

Explicatis actibus virtutis Religionis, explicanda supersunt vitia eidem opposita; quæ quidem varia, & multa sunt, sed ad duo præcipua reducuntur, ad Superstitionem, & ad Irreligiositatem. Superstitio enim includit Idololatriam, Divinationem, Vanam observationem, Magiam, Maleficium; Irreligiositas vero includit Blasphemiam, Sacrilegium, Tentationem Dei, Perjurium, Adjurationem, Simoniam, &c.

Superstitio dicitur opponi virtuti Religionis per excessum, non quidem secundum substantiam; nunquam enim cultus per Religionem exhibitus potest esse nimius, sed secundum circumstantiam aliquam, vel personæ, quæ colitur, ut si colatur creatura cultu divino; vel modi, quo Deus colitur, ut si colatur Deus cæremoniis Judæorum, vel aliis, quam usitatis ab Ecclesia. Irreligiositas vero dicitur opponi virtuti Religionis per defectum, eo quod deneget Deo debitum cultum, aut illum despiciat: Per blasphemiam proferuntur verba contumeliosa in Deum, aut in Sanctos: per Sacrilegium violatur res sacra, & idem dicas de reliquis. De his omnibus singillatim agendum quæstione sequenti; nunc vero de Superstitione in genere, & in specie.

ARTICULUS I.

De Superstitione universim, ac in specie Primo de Idololatria.

I. *Superstitio est falsa Religio, qua vel creatura cultu divino, vel Deus cultu indebito adoratur. Utraque superstitio, sive ratione rei cultæ, sive ratione medii, quo Deus colitur, plures sub se species continet.*

II. *Cultu indebito Deus adoratur, tam si colatur cultu falso, quam si cultu superfluo.*

III. *Quandonam jejunare diebus Dominicis dicatur Dei cultus superstitiosus, aut superfluus, aut falsus?*

IV. *Cultus superstitiosus falsus ex genere suo est mortale; Superfluus vero secundum se est peccatum veniale.*

V. *Idololatria proprie dicta habetur, quando quis Creaturæ tribuit honorem Deo debitum.*

VI. *Censuræ Bullæ Cœnæ tunc incurruntur ob Idololatriam, quando baptizatus internam simul, & externam Idololatriam committit cum errore intellectus, & pertinacia voluntatis. Ignorantia invincibilis, quæ excusat ab hæresi, nequit ab Idololatria excusare.*

I. Superstitio idem est, ac falsa Religio, seu cultus vitiosus, quo vel colitur creatura cultu divino, vel Deus modo indebito. Unde duplex est Superstitio, altera ratione rei cultę, altera ratione modi, quo Deus colitur. Prima continet sub se plures species; nam si colatur creatura cultu divino, talis superstitio dicitur Idololatria; si colatur creatura, ut aliquid occultum revelet, dicitur Divinatio; Si ut juvet, & dirigat nostras operationes, dicitur Vana observatio, si ut operetur mira, dicitur Magia, ad quam reducitur maleficium.

II. Secunda superstitio, videlicet colendi Deum modo indebito, habetur tam si colatur Deus cultu falso, quam si colatur cultu superfluo. Dicitur Deus coli cultu falso, verbi gratia, si adoremus Deum cæremoniis Judæorum, perinde ac si non esset adhuc incarnatus, aut si falsis miraculis vellemus nostram fidem comprobare; aut exponendo falsas reliquias, ut adorentur; aut mutando formas Sacramentorum; aut admiscendo turpia divinis officiis, tanquam partem illorum. Dicitur vero coli Deus cultu superfluo, quando ponitur Religio in iis rebus, aut circumstantiis, in quibus non est ponenda; verbi gratia, in numero tot candelarum talis coloris, in tali situ, &c., vel variando cæremonias Ecclesiæ, in missa addendo Alleluja, Credo, &c., quando non sunt dicenda. Eodemq; modo si quis, verbi

gratia,

gratia, putaret orandum esse ante solis ortum, aut si quis voveret in honorem Sancti Laurentii non edere carnes assas die festo illius, eo quod ille igne sit assatus; vel qui voveret in honorem Beatæ Virginis indui vestibus albis die sabbati, vel brutorum capita non edere in honorem Divi Joannis Baptistæ, eo quod illi caput obtruncatum sit. Ratio est, quia nihil horum confert in honorem Sanctorum, si præcise in iis sistatur; Unde nisi intendatur propria mortificatio, &c., talia vota sunt irrita, ut notat Sanch. l. 4. c. 7.

III. Quæritur nunc primo, An jejunare diebus Dominicis sit cultus Dei superstitiosus?

Respondeo, Cajet. recensere talem cultum inter superstitiosos falsos. Navar. & Sayr. recensent inter superstitiosos superfluos; & D. Th. illum damnat; quia usus Ecclesiæ est excipere in Quadragesima tale jejunium, nec non anticipare vigiliam incidentem in diem Dominicum; sicut etiam interdicitur tale jejunium in Cap. *Tamquam*, & in cap. *Ne quis jejunet*, *de Consecrat dist.* 3.

Verum Sanch. lib. 2. cap. 3. distinguit. Nam si fiat in contemptum Resurrectionis Christi Domini, ut fiebat a Manichæis, aut cum scandalo, & errore, veluti reprobando Ecclesiæ consuetudinem, procul dubio est cultus falsus, & idcirco damnatus a jure, & a D. Th. Si vero fiat cum singularitate, est cultus superfluus, & ideo secundum se peccatum veniale; unde qui voveret ordinarie diebus Dominicis, aut iis solum diebus jejunare, ad id non teneretur: Si demum fiat propter specialem devotionem, aut mortificationem, licitum est, & laudatur a Sancto Augustino, & Hieronymo, qui scribit Apostolos tale jejunium servasse; Unde votum sic jejunandi ob finem honestum, præciso scandalo, & singularitate, validum est, & honestum. Quare si quis voveat jejunare die festo alicujus Sancti, quocumque die incidat, tenetur jejunare, etiamsi incidat in diem Dominicum. Potest tamen juxta Ecclesiæ consuetudinem tale jejunium transferre ad Sabbatum præcedens, quia sic votum commutatur in manifeste melius, conformando se universali ritui Ecclesiæ.

IV. Dico secundo, cultum superstitiosum modi indebiti falsum etiam ex genere suo esse mortale; Unde qui, verbi gratia, divinis officiis intermiscet turpem sonum, & cantica profana, peccat mortaliter non solum peccato scandali, sed etiam superstitionis; si scilicet velit tali cultu falso Deum colere. Quod si ea non intermisceat ad Deum colendum cultu falso, sed solum ob vanam delectationem, peccabit mortaliter, vel venialiter contra reverentiam Deo debitam, prout gravis, vel levis erit irreverentia; Si enim cantica profana intermisceantur, irreverentia erit gravis, si solum vana admisceantur, erit levis.

Dico tertio, cultum superstitiosum superfluum secundum se peccatum veniale esse. Quare variare, verbi gratia, missæ cæremonias secundum se est veniale, nisi magna inversio ordinis contingat, quę magnam includat irreverentiam.

V. Porro prima species superstitionis est Idololatria, quæ dicitur ab Idolo, quod est effigies falsi numinis, cui cultus latriæ Deo debitus exhibetur. Idololatria autem dupliciter sumi potest; Primo improprie pro quolibet peccato, cui homo adhæret tanquam ultimo fini; Unde ad Ephes. 5. Avaritia vocatur Idololatria, & ad Philip. 2. dicitur, *Quorum Deus venter est*. Secundo proprie pro peccato, quo quis creaturæ tribuit honorem Dei. Rursus Idololatria proprie dicta subdividitur in Internam, per quam creatura existimatur digna honore Dei; & Externam, per quam tribuitur exterius creaturæ honor Dei.

VI. Quæritur nunc, An incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ quicumque Idololatra?

Respondeo, Idololatras gentiles non esse capaces censuræ, cum non sint ingressi Ecclesiam per januam baptismi dicente Apostolo, *Quid ad me de iis, qui foris sunt, judicare?* Baptizati vero si committant peccatum Idololatriæ solum internæ, neque ullam censuram incurrunt, cum Ecclesia non judicet de internis; Ipsa enim sensibilis, & visibilis est, & ideo solum propter peccatum externum, & sensibile minatur pęnas suas, videlicet censuras: Si vero committant peccatum Idololatriæ solum externæ, hoc est sine errore intellectus, verbi gratia, si adorent Idolum ob metum mortis, aut dæmonem ad aliquem turpem finem assequendum, quin existiment illum dignum honore Dei, neque censuram incurrunt; quia talis Idololatria, quamvis sit verum peccatum, & crimen lesæ Majestatis Divinæ, est tamen solum apparens, & falsa Idololatria, unde non subjacet pœnis impositis Idolatriæ veræ.

Quare tunc solum censuræ latæ in Bulla Cœnæ incurruntur ab Idololatra, quando baptizatus internam simul, & externam Idololatriam committit, scilicet cum errore intellectus, (æstimando Deitatem esse in Idolo, seu in creatura) & simul cum pertinacia voluntatis, videlicet id sentiendo, etiamsi cognoscat id esse contra universalem Ecclesiæ sensum, & contra lumen rationis; ac demum id manifestando adoratione externa. Unde fit, posse quidem ignorantiam invincibilem excusare aliquando ab hæresi, ut si quis invincibiliter ignoret Mysterium Trinitatis; sed ab Idololatria excusare non poterit ignorantia, quia recta ratio, seu lumen rationis naturale evidenter manifestat non esse colendam creaturam loco Dei.

ARTICULUS II.

De Divinatione.

I. Divinatio est prænunciatio rerum occultarum ope dæmonis facta.

II. Divinatio habetur vel cum expressa, vel cum tacita dæmonis invocatione; Eaque haberi potest, etiamsi quis protestetur se nolle dæmonem invocare.

III. Ars inveniendi furtum occultum, vel quid simile per Astrologiam est superstitiosa.

IV. Divinatio per expressam dæmonis invocationem est multiplex, videlicet Oroculum, Præstigium, Necromantia, &c. sicut est multiplex per dæmonis invocationem tacitam, ut Astrologia, Augurium, Omen, Chiromantia, &c.

V. Sortilegium divinatorium de se est mortale. Quid de Consultorio, aut Divisorio?

VI. Non datur materiæ parvitas in Divinatione. Multipliciter tamen sæpe a mortali excusatur Divinatio, videlicet ratione ignorantiæ, curiositatis, joci, &c.

VII. Ejusdem speciei sunt omnes divinationes, sive fiant cum tacita, sive cum expressa dæmonis invocatione: Sæpe tamen expressa invocatio annectitur aliis peccatis in Confessione explicandis.

VIII. Quandonam liceat somnia, motus animalium, aut astra observare?

IX. Physionomia quomodo liceat? Non licet tamen Ægyptios consulere, ut futuros eventus prædicent.

I. DIvinatio idem sonat, ac divina actio; cum enim prænunciatio futurorum soli Deo competat, hinc prænunciatio futurorum, necnon rerum occultarum inordinate quæsita, seu ope dæmonis facta dicitur Divinatio, quæ altera species superstitionis est, cum a dæmone exposcatur id quod proprium Dei est.

II. Quæritur primo, Quotuplex sit Divinatio? Respondeo, Divinationem dupliciter evenire posse. Primo, cum expressa dæmonis invocatione, & cum pacto explicite inito, ut contingit, quando divinator expresse intendit invocare dæmonem, vel quando sciens dæmonem per aliquod signum manifestare latentia, utitur tali signo, ut sibi latentia manifestentur. Secundo, cum tacita dæmonis invocatione, & cum pacto implicite contracto; ut contingit quando quis mediis vanis, quibus se immiscet dæmon, nititur adipisci notitiam rerum occultarum, quam humana arte comparare non potest. Ubi notandum, divinationem cum tacita dæmonis invocatione etiam contingere, quando quis signis vanis utens expresse dicit, se nolle dæmonem invocare. Ratio est, quia dicta in hoc casu sunt contraria factis; cum enim serio usurpet ea vana signa, per quæ intendit adipisci notitiam rerum occultarum, quam sine dæmonis ope comparare non potest, consequenter implicite vult invocare dæmonem, quem constat libenter se immiscere hujusmodi vanis, & inutilibus signis; Neque enim Deus, aut Angeli talibus se immiscent.

III. Unde fit, modum divinandi thesaurum, vel inveniendi furtum occultum, aut alterius virginitatem per astrologiam esse superstitiosum; cum enim astra impedire libertatem non possint per suos influxus, sequitur, quod talis cognitio nonnisi arte dæmonis comparari possit. Quare universim illa dicuntur signa vana, & inutilia, quæ nullam vim naturalem habent indicandi rem, cujus notitia desideratur.

IV. Divinatio per expressam dæmonis invocationem, si fiat per Idola, dicitur Oraculum; si per mortuorum apparentem resuscitationem, dicitur Necromantia; Si per somnia, dicitur Oniromantia; si per fictas, & apparentes figuras, dicitur Præstigium; si per signa apparentia in extis animalium, dicitur Aruspicium; si per figuram in terra, Geomantia; si per figuram in aqua, Hydromantia; si in aere, Aeromantia; si in igne, Pyromantia. Divinatio vero per tacitam dæmonis invocationem, si fiat per situs, & motus astrorum, dicitur Astrologia; si ex signis volucrum, aliorumque animalium, videlicet per talem situm, numerum, motum, passum, &c., dicitur Auspicium; si per cantus, vocesque avium, aliorumque animalium, dicitur Augurium; si ex humana voce casu facta, aut sternutatione, aut ex funeris occursu, &c., dicitur Omen, si ex lineamentis hominis, aut manuum, aut pedum, aut totius corporis, dicitur Chiromantia, Pedomantia, Physionomia, Metoposcopia, &c., si demum ex fortuito eventu, verbi gratia, ex jactu taxillorum, libri apertione, dicitur Sortilegium.

V. Sortes autem aliæ dicuntur divinatoriæ, quæ scilicet emittuntur ad aliquid occultum cognoscendum; aliæ Consultoriæ, quæ ad dignoscendum, quid agendum sit; aliæ divisoriæ, quæ ad cognoscendum, quid cuique tribuendum sit in electionibus, controversiis, &c.; Sortes divisoriæ licitæ sunt; quia important merum contractum fortunę, in quo partes æqualem subeunt conditionem lucrandi, aut perdendi. Sunt etiam licitæ aliquando sortes consultoriæ, quando videlicet necessitas cogat; (dummodo id non fiat in electionibus Ecclesiasticis, cum prohibeatur in cap. fin. *de Sortileg.*) & fiat debito modo, ne divina consilia convertantur ad res vanas, & negotia, ac lucra sæcularia; quamvis in hoc casu nonnisi venialiter peccaretur. Demum sortes divinatoriæ ex se sunt mortale.

VI. Quæ-

VI. Quæritur secundo, Utrum in divinatione detur parvitas materiæ, quæ scilicet excuset a mortali?

Respondeo cum Sanch., Valent., Bonac., negative. Ratio est, tum quia usurpatio cognitionis rerum occultarum Deo reservatæ est ex se res valde gravis; tum etiam quia per quamcunque divinationem habetur consortium, & societas, sive expresse, sive tacite cum dæmone Dei hoste; homo enim per divinationem subjicit se disciplinæ diaboli, ut ab ipso occulta doceatur, ipsumque honorat, ejus documentis fidem præstando; quod certe redundat in Dei injuriam, & contemptum; Sicut in Republica societas, & commercium cum hostibus est crimen læsæ Majestatis. Adde, quod divinator exponit se periculo apostasiæ; nam si querit a diabolo notitiam certam de futuris liberis, tribuit illi, quod est proprium Dei.

Excusari tamen aliquando potest a mortali divinatio; primo, ratione ignorantiæ, dummodo non sit affectata, vel crassa; quamvis enim vix dari possit ignorantia invincibilis in divinatione facta cum expressa dæmonis invocatione, facile tamen dari potest, quando fit cum invocatione tacita. Secundo, si quis joci causa utatur divinatione ad oblectationem, sciens ea media esse inutilia, sed ad videndum quid casu accidat; hæc enim potius est vanitas, quam superstitio. Tertio, si observentur sortes, auguria, somnia, &c., non adhibendo illis fidem, sed timorem aliquem concipiendo de futuro eventu; non enim intenditur ex iis aliqua prædictio, sed præcautio alicujus mali. Hinc fit, ut quamvis mortale sit universim ex somniis, auguriis, sortibus, aut aliis hujusmodi divinationibus dirigere operationes suas, semel tamen, aut iterum hæc observando aliquam operationem indifferentem omittere, erit duntaxat veniale, ut advertit Sanch., Navar., Cajet. Et ratio est, quia in tali casu non habetur perfecta superstitio.

VII. Quæritur tertio; An omnes divinationes ex se sint ejusdem speciei?

Respondeo affirmative; sive enim cum expressa, sive cum tacita dæmonis invocatione fiant, non differunt specie. Ratio est, quia Tacitum, & Expressum, Incompletum, & Competum differunt inter se intra eandem speciem. Verum quia invocatio expressa dæmonis sæpe habet adjunctam vel hæresim, vel adorationem dæmonis, aut alia peccata, ideo in tali casu explicanda est in confessione. Non est tamen explicandum, an fiat divinatio per astra, vel per somnia, vel per aerem, vel per aquam, quia id materialiter se habet.

VIII. Notandum autem hic, quod observare somnia, motus animalium, astra, &c. relate ad ea, cum quibus habent connexionem naturalem, non est superstitio ulla, sed honeste, & licite fit. Sic Medici solent ab infirmo somnia inquirere, ut humorem prædominantem explorent: Nam qui constat humoribus frigidis, & abundant pituita, solent ea somniare, quæ in aqua, vel nive solent evenire; qui abundant flava bile, solent videre incendia per somnium; qui atra bile abundant, somniant funera, fumum, caliginem; qui redundant semine, somniant, quæ provocant ad libidinem. Pariter nonnulla animalia solent prædicere terræmotus naturaliter: Astra etiam, quia influunt in sublunaria, solent significare plures naturales effectus; & idcirco Astrologi possunt licite inclinationes hominum conjicere ex astris; quamvis difficillimum sit scire punctum Cœli, in quo nativitas alicujus contingit. Verum ex astris velle cognoscere eventus liberos superstitiosum est; & idcirco sola astrologia naturalis licita est; unde dicitur, *Sapiens dominabitur astris*; Astrologia vero judiciaria illicita est, & omni jure prohibita; & ideo dicitur Hier. 10. *A signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes; quoniam leges populorum vanæ sunt*; liberum enim arbitrium non pendet ab astris tanquam a causis naturalibus, ut effutiebant, qui propugnabant dari Fatum, hoc est immutabilem omnium eventuum dispositionem ab astris dependentem; ut proinde apte dixerit Augustinus; *Fatum non ponunt, nisi fatui*. Et Cicer. lib. 2. de Divinat. advertit, plures Astrologos promisisse Pompejo, Cæsari, Crasso faustissima, & tandem domi nonnisi senes morituros cum summa gloria, ubi deinde quilibet istorum immature, & infeliciter periit. Nec solum falluntur Astrologi in divinandis operationibus liberis, sed sæpissime etiam in divinandis inclinationibus naturalibus; Nam Esau, & Jacob gemelli fuerunt, & pene simul nati sunt, diversissimas tamen inclinationes naturales habuerunt.

IX. Notandum etiam ex Physionomia naturali, seu ex partium corporis dispositione velle aliquam conjecturam accipere de inclinationibus animi licitum esse; Ver. g., ex lineis manuum conjicere ingenium, indolem, inclinationem ad luxuriam, ad maturitatem. &c.; at hinc prædicere futuros eventus liberos ver. gratia, hominem futurum divitem, pauperem, in patibulo suspendendum, Episcopum, &c., est omnino illicitum. Quare graviter peccat, qui ab Ægyptiis petit bonam, vel sinistram fortunam; cum id naturaliter sciri non possit; si tamen id fiat curiositatis, & risus causa, & sine scandalo, non animo credendi, ut communiter fit, nonnisi veniale peccatum erit.

ARTICULUS III.

De Vana Observatione.

I. *In hoc differt Vana observatio a Divinatione, quod illa ordinetur ad aliquid obtinendum; hæc vero ad aliquid cognoscendum.*

II. *Sæpe Vana observantia habetur solum cum tacita dæmonis invocatione, quamvis fiat protestatio, quod dæmonis concursus in ea re recusetur.*

III. *Ea dividitur in Artem notoriam, in Observationem sanitatum, & Observationem eventuum. In quo hæc differat a Divinatione?*

IV. *Plura recensentur, quæ non raro ponuntur, & tamen sunt superstitiosa.*

V. *Quonam pacto possit quis aliquando in his vanis observationibus a mortali excusari?*

VI. *Quænam observationes non sunt vanæ, nec superstitiosæ, sed licitæ?*

VII. *Quid de unguento armario?*

VIII. *Unde dignosci possit, quod aliqua observatio non sit superstitiosa?*

IX. *Quid si dubitetur, num effectus aliquis sit superstitiosus, an naturalis? Aut si dubitetur, num effectus præternaturalis sit a Deo, an a dæmone?*

I. VAna observatio est pariter species superstitionis, sed differt a divinatione, quia hæc refertur ad aliquid cognoscendum; illa vero ad aliquid obtinendum mediis inutilibus, & vanis. Quare Vana observantia est superstitio, qua mediis vanis procurantur commoditates, divitiæ, sanitas, benevolentia, & alia hujusmodi. Dicitur etiam Vana observatio, quando ex consideratione alicujus effectus casualis conjicit quis aliquid prosperi, vel adversi eventurum, & inde actiones suas moderatur, ut notat D. Th. quæst. 96. art. 1. Appellatur talis superstitio Vana observatio, vel quia effectum non consequitur; vel si consequitur, illum habet a dæmone, & sic plus incommodi habet, quam commodi.

II. Universim autem Vana observatio fit, vel cum expressa dæmonis invocatione, vel etiam cum tacita; ut si quis dicat aliqua verba tanquam habentia vim ad aliquem effectum, ver. g., ad movendum annulum, ut quota hora diei sit, cognoscatur, &c. Dicitur id fieri cum pacto dæmonis tacito, quia verba illa sine ope dæmonis talem effectum parere non possunt: Idque verum est, etiamsi hoc fiat præmissa protestatione, quod nolis ad talem effectum dæmonem concurrere; Cum enim constet hoc esse superstitiosum, protestatio dicitur esse contraria facto, ut notant Bonac., Valent., Silvest.. Similis superstitio exercetur a lusoribus quando mutant locum ad vitandam malam fortunam; Sanch. tamen excusat istos a mortali, eo quod non videatur peccatum perfectum superstitionis, cum lusores non certo credant se mutaturos malam fortunam.

III. Quæritur primo; Quot sint species vanæ Observantiæ?

Respondeo esse tres. Prima est ars notoria. Secunda, observatio sanitatum. Tertia, observatio eventuum. Dicitur Ars notoria superstitio illa, qua quis credit se statim consecuturum scientiam per potionem, vel per bolum aliquem, vel mediis quibusdam jejuniis; hæc enim dicuntur media vana, & inutilia; quia neque a Deo, neque a natura habent parere talem effectum. Dicitur observatio sanitatum superstitio illa, qua adhibentur varia media ad curandos morbos hominis, vel animalium, ut gestare amuleta, ligaturas, involucra falsis characteribus signata ad vitanda vulnera, vel ne sanguis effluat, aut gestare imagines talibus characteribus signatas, certa cum fiducia non moriendi sine confessione; sunt enim hæc media vana ad hos effectus, ac vim non habent. Demum observatio eventuum est superstitio, qua ex consideratione alicujus eventus casualis fit conjectura de eo, quod futurum est, & inde operationes diriguntur. Differt hæc a divinatione, quia per divinationem quæruntur media inutilia ad divinandum; per observationem vero eventuum signa vana diriguntur ad operationes, quibus possimus aliquid mali vitare, vel boni obtinere.

IV. Quæritur secundo; Quænam observationes censeantur communiter a Doctoribus vanæ, & superstitiosæ?

Respondeo, præter istas, quas innuimus, censeri superstitiosas, Primo, annulo suspenso intra vas velle dignoscere quota hora sit. Card. de Lugo testatur in Hispania annulum pulsare horas astronomicas, in Italia vero italicas; quod cum naturali causæ tribui non possit, procul dubio est superstitiosum. Secundo, dies aliquos habere faustos, v. g. diem Jovis, alios infaustos, verbi gratia Martis, & Veneris; vel habere infaustum numerum tredecim personarum simul prandentium, propter facinus Judæ. Tertio, statuam alicujus Sancti demergere in flumen, ut pluat. Quarto, credere, quod non possint orationes, nisi in tanto numero sine interpellatione dictæ, cum tot candelis, &c. Quinto, fœminarum carminatricum preces, & benedictiones esse sufficientes ad depellandos statim morbos; Vocantur istæ ab Hispanis las Empsalmadoras, quia sæpe utuntur verbis Psalmorum. Verum quia nec præsumitur gratia iis gratis data, nec virtus supernaturalis præsumi debet, nisi probetur; & quia solent etiam superstitiosa, & vana admiscere, ideo communiter Docto-

res

res cum Sanch., & Fagund. docent permittendas non esse. Sexto, Mulierculas nocte Sancti Joannis Baptistæ aliquid precari, auditumque applicare, ut nomen futuri mariti audiant. Hæc, & similia, quæ passim a Doctoribus congeruntur, reputantur communiter superstitiosa, atque adeo a mortali excusari non possunt.

V. Potest tamen aliquando esse veniale, si scilicet adsit ignorantia invincibilis, & bona fides vel si id fiat ex intentione dandi operam hujusmodi vanitatibus non tanquam efficacibus, sed ex quadam levitate, vel curiositate semel, aut iterum in re levi, ut dictum est de Divinatione: Quamvis enim communiter Doctores cum Sanch. putent, in his rebus non dari parvitatem materiæ; tamen Valent. disp. 6. quæst. 13. punct. 3. putat dari posse parvitatem materiæ, quoties non intervenit pactum expressum cum dæmone; ut si quis semel movere faciat annulum intra vas suspensum, quia ex hoc solo parvo commercio cum dæmone non imminet notabile damnum salutis; Hoc tamen ipse non admiserim. Sanch. lib. 2. moral. cap. 40. num. 25., quamvis neget cum communi dari parvitatem materiæ in his rebus, concedit tamen aliquod ex his esse veniale, si semel fiat ad experiendum effectum curiositatis causa; etenim cum actus non fiant serio, sed joco, & curiositate, vel ad experiendum, non tam erit superstitio quam animi levitas, & ideo tantum veniale. Monet tamen Trull. id non esse facile permittendum, ne curiositatis quidem causa, propter periculum deceptionis a dæmone.

VI. Quæritur tertio; Quænam observationes reputentur communiter a Doctoribus licitæ, & non vanæ, aut superstitiosæ?

Respondeo, non reputari superstitiosam; Primo, artem inveniendi aquas in terra latentes, adhibita virga salicea, vel amygdalina, quia, ut notat Bonac., & Trull., effectus iste inclinationis virgæ, ubi absconduntur aquæ defluentes, reputatur naturalis. Secundo, observare lunam ad fructus colligendos, ad tabulas secandas, &c. Tertio verba Sacra, aut reliquias usurpare sine ullis vanitatibus, sperando tantum a Deo effectum sine ulla infallibilitate. Quarto, eodem modo triginta missas celebrare in memoriam Sancti Gregorii, qui triginta diebus fecit orare pro defunctis. Quinto, ter, vel novies jumenta circumducere circa templum alicujus Sancti, vel die festo alicujus Sancti venam equis secare, dummodo speretur effectus tantum a Sanctis, nec reputentur istæ circumstantiæ efficaces, & infallibiles: Quamvis Sanch. notet, ista extirpanda esse, eo quod superstitionem sapiant, ac sint præter modum ab Ecclesia usitatum honorandi Sanctos. Sexto, Sanch. excusat eos, qui sanant morsus canis rabidi solo halitu, aut sputu, aut tactu, eo quod putet iis forte inesse gratiam gratis datam, vel inesse naturalem virtutem a tali complexione, cum id passim ubique permittatur. Sic multæ familiæ habent vim ad curandos morsus venenosos sputo; Et septimus masculus, quando nulla fœmina intercessit, curare solet strumas saliva; sicut etiam Rex Galliæ. Et Tambur. hic num. 31. refert, aliquos natos nocte Conversionis Sancti Pauli sputo, vel tactu sanare morsus venenatos. Septimo, certum est licere uti virtute rei naturalis, etiamsi per superstitionem sit cognita; eo modo quo licite utitur meretrix pecunia illicite comparata. Ratio est, quia licet illa notitia male fuerit acquisita, peccatum tamen transiit, & affectus ille naturalis nihil mali ab ea culpa contraxit; Eodem modo licitum est uti thesauro per superstitionem invento, si pecuniæ non sint apparentes, nec constet dæmonem illas ab aliis sustulisse.

VII. Circa unguentum armarium puto cum Trull., Bonac., & aliis, qui casum examinant, esse superstitiosum. Ratio est, quia non videtur posse dici talis effectus naturalis causatus per sympathiam, quando vulneratus longe distat a gladio, vel panno sanguine imbuto, cui unguentum, vel pulvis applicatur. Causæ naturales in majori distantia semper remissius operantur; hoc autem non accidit in hoc unguento; ergo non operatur naturaliter.

VIII. Quæritur quarto; Quænam regula generalis assignari possit ad dignoscendum, num aliqua observatio sit superstitiosa?

Respondeo ex Tambur., præsumi superstitiosam, & in ea pactum cum dæmone intercedere, quoties ad aliquem actum interponuntur verba non significativa, vel figuræ inutiles, vel falsitas, verbi gratia, quod Christus habuerit febrim; Vel conditiones vanæ tanquam necessariæ, verbi gratia, tot cruces in tali hora, situ, &c., Vel promissio effectus infallibilis ultra vires naturales mediorum.

IX. Difficultas est, Utrum quando dubitatur, an effectus sit a dæmone, vel a Deo vel a causa naturali, teneamur abstinere ab iis mediis tanquam superstitiosis?

Respondeo, Lessium lib. 2. cap. 44. num. 46. putare, quod abstinendum sit, ne exponamur manifesto periculo superstitionis; nisi forte id fiat cum expressa protestatione voluntatis contrariæ: Quod Tambur. admittit, si aliquando propter notabilem necessitatem iis mediis utaris, protestando te nolle effectum, si a dæmone proveniat. Sanch. vero putat, quod si omnibus expensis dubium sit, an effectus procedat a causa naturali, an vero a dæmone, præsumendum sit, quod procedat a causa naturali, & sic sine ulla superstitione possis tali medio uti; quia in tali dubio stat in possessione libertas, & innumeræ sunt agentium natura-

naturalium vires occultæ. Quod si certum sit talem effectum non esse naturalem, (ut esset subita sanatio, vel sanatio per verba sacra) sed dubium sit a Deo ne, an a dæmone talis effectus habeatur, præsumendum, quod a dæmone; quia Deus effectus miros causat supernaturaliter, vel per Sacramenta, vel propter sanctitatem personæ operantis; unde effectus præternaturalis aliter procedens nonnisi a dæmone est.

ARTICULUS IV.

De Magia.

I. Magia est ars operandi mira ope dæmonis. Differt Magia superstitiosa a Naturali; quia hæc operatur mira per causas naturales.

II. In quo differat Magia a Vana observatione, a Maleficio, & ab Incantatione?

III. Magia naturalis non est superstitiosa, sed Auctores, qui de illa pertractant, non raro plura superstitiosa permiscent.

IV. Naturalis a superstitiosa Magia discerni facile potest ex conditione Causarum, Operationis, & Effectus. Quonam pacto philtra amatoria ad amorem, ac libidinem alliciant?

V. Quanam arte dæmones familiares in annulis, aut phialis includantur?

VI. Num vis fascinandi sit naturalis, an superstitiosa?

I. MAgia ad Vanam observationem a nonnullis reducitur, sicut Maleficium ad Magiam. Etenim Vana observatio est superstitio, ut diximus, qua mediis vanis procurantur ope dæmonis commoditates, divitiæ, sanitas, benevolentia: Magia vero est ars operandi mira ope dæmonis per signa vana, & inutilia; sicut Maleficium est ars nocendi aliis per signa vana ope dæmonis. Quoniam vero Magia est ars operandi mira, idcirco duplex distingui solet Magia, altera Naturalis, altera Superstitiosa; illa operatur mira, & insolita per causas naturales; hæc vero operatur mira per causas morales, hoc est per signa vana, quibus positis dæmon allicitur ad operandum quæcumque Magus exposcit. Allicitur autem dæmon; tum quia his signis honoratur; tum etiam quia talia signa ex ejus instituto dependent.

II. Quare Magia differt a Vana observatione, quia illa solum ordinatur ad facienda mirabilia; Quod si ordinetur ad facienda mirabilia mere propter ostentationem, dicitur absolute Magia: Si vero ad inferendum alteri damnum, dicitur Maleficium; Si demum solis verbis, & non aliis signis aliquid mirum per Magiam fiat; dicitur talis Magia Incantatio: Definitur enim Incantatio, quod sit Ratio operandi mira solis verbis.

III. Quæritur nunc primo; An sola Magia superstitiosa sit prohibita?

Respondeo affirmative. Magia enim naturalis (qua, verbi gratia, per causas naturales statuæ se salutant, sibilant, saltant, tonitrua excitantur, aut aliud mirabile fit) non est mala de se, cum sit pars scientiæ naturalis. De ea extant variæ regulæ, & exempla apud Joannem Baptistam a Porta, apud Cardanum, & alios. Notat tamen Less. auctores Magiæ naturalis aliquando permiscere quædam superstitiosa; unde monet hujusmodi libros habendos esse suspectos, & tanquam periculosos a juventute vitandos.

IV. Quæritur secundo; Unde dignosci possit, opera magica esse superstitiosa, & connaturalia?

Respondeo cum Trull., Less., & aliis, tripliciter dignosci posse. Primo, ex conditione causarum, quæ adhibentur, quando scilicet non habent vim naturalem ad talem effectum, ut solet accidere, quando expresse dæmon invocatur; aut quando admiscetur orationibus falsitas, ut Christum habuisse febrem; vel quando præter signum crucis intermiscentur verba inepta, imagines, signa, figuræ, &c., aut unctiones, & ligaturæ præter morem Ecclesiæ; Vel si apponantur circumstantiæ ridiculæ, ver. g., si talia verba debeant scribi manu sinistra, ab aliqua virgine, tali hora, &c., Secundo, ex conditione operationis, ut si repente curetur homo, vel animal, si brevissimo tempore longum iter conficiatur; si hic pungatur imago cerea Petri, & ille alibi doleat. Tertio, ex conditione effectus, si scilicet humanam industriam superet; ut si opera Magica excitent tempestates, terræmotus, si præstigiis illudant, si reddant hominem invisibilem, si divitias mari abditas, vel thesauros occultos offerant; (quamvis raro id permittat Deus, ne detur maximum incentivum ad malum; unde Magi fere omnes pauperes sunt, abjecti, & viles). Demum si incitent ad odium, ad amorem, ad libidinem; Quod præstant dæmones assidue repræsentando phantasiæ objectum tanquam conveniens, vel disconveniens, & simul excitando humores ad affectum amoris, odii, vel libidinis.

Quare quando a Magis, vel a Sagis dantur philtra, seu pocula amatoria, non sunt illa, quæ homines alliciunt, & veluti vim inferunt ad amorem, vel odium, sed iis positis, dæmon proponit phantasiæ objectum, & humores excitat, ut amor, vel odium sequatur.

V. Quæritur tertio; Quanam arte dæmones, quos vocant Familiares, includantur in annulis, speculis, vel vasculis, aut a corporibus ejiciantur, & iterum advocentur?

Respondeo cum Azor. & Fagund. cap. 41., id naturali arte fieri non posse; cum enim natura

tura dæmonum sit longe superior humana, non possunt naturaliter ad id ab hominibus astringi. Quare id præstatur ex pacto cum illis inito tacite, vel expresse, ut, verbi gratia, ad prolationem talium verborum, aut positionem signorum huc, vel illuc se conferant.

VI. Quæritur demum, Utrum fascinationis vis sit naturalis, an superstitiosa?

Respondeo, communiter docere Doctores esse naturalem: quia aliquando ex vehementi cogitatione alicujus objecti immutantur spiritus, præsertim subtiliores, qui ad oculos permeant, & aerem ad certam distantiam corrumpunt; Unde inficiuntur corpora mollia puerorum, pullorum, arbusculorum, &c; sicut fœmina post menstruum inficit vicinum aerem, & labem in speculum causat. Verum Azor., & Trull. cum multis Medicis docent, non esse naturalem vim fascinandi, seu nocendi hominibus, vel belluis ex solo aspectu aut commendatione apud alios, sed dæmonis malignitate aerem infici, & hominis, aut belluæ corpus lædi.

ARTICULUS V.

De Maleficio.

I. Maleficium est ars nocendi aliis ope dæmonis. Dividitur in Amatorium, & Veneficum; quod appellatur Veneficium.

II. Remedia adversus maleficium alia sunt Naturalia, alia Supernaturalia, alia Moralia.

III. Num liceat a Malefico petere, ut Maleficium dissolvat, si non constet, quod sine novo maleficio possit illud dissolvere?

IV. Quid si constet posse illum quidem sine novo maleficio maleficium dissolvere, sed non esse illud dissoluturum sine novo maleficio?

V. Licitum est dissolvere maleficium ponendo signa contraria, quibus positis expiret pactum cum dæmone.

VI. Idque verum est, etiamsi per accidens inde sequatur alteri damnum; dummodo illud non sequatur ex actione dæmonis positiva. Sed quid si de hoc dubitetur?

VII. Quomodo gerere se debeat Confessarius cum Maleficis, Magis, & Incantatoribus?

I. Maleficium, ut diximus, est Ars nocendi aliis ope dæmonis; & ideo pars est Magiæ. Unde quando ligaturis, nodis capillorum, &c. aliquod malum aliis præstandum ope dæmonis intentatur, tale maleficium vulgo dicitur *Fattura*. Porro Meleficium si ordinetur ad carnalem amorem, vel odium excitandum, dicitur Amatorium; si vero ad inferendum damnum sive personæ, sive ejus bonis dicitur Veneficum; unde hujusmodi Maleficium appellatur Veneficium.

II. Quæritur nunc primo; Quænam remedia adhiberi possint adversus effectus maleficii?

Respondeo ea esse triplicis generis, Naturalia, Supernaturalia, & Moralia. Dicuntur remedia moralia, quæ fiunt removendo magica signa, ad quorum præsentiam dæmon damnum infert, quod quomodo fieri possit, examinabimus quæsito 3.

Naturalia sunt, quæ sunt apta naturaliter ad curandos morbos causatos a maleficiis, quamvis parum ista prosint, quando morbi causantur arte Sagarum, quia possunt facile dæmonis ope vim medicamentorum impedire. Demum Supernaturalia, seu Ecclesiastica sunt, Primo Exorcismi; etenim a Christo Domino tradita est Exorcistis potestas expellendi dæmones, quamvis ea non sit infallibilis, seu non semper cum effectu conjungatur, nisi adsint conditiones a Christo requisitæ: Sicut de fide etiam est, habere Pontificem potestatem applicandi indulgentias pro defunctis, sed ut illis prosint, requiruntur circumstantiæ debitæ; Et de fide est, quod quicquid orantes petimus, obtinemus; si tamen cum debitis requisitis oramus. Secundo, magna fides in protectione divina; quod colligitur ex illo Psalmo, *Qui habitat in adjutorio Altissimi.* Tertio, iterata susceptio Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; Sicut etiam Sacramentalium, necnon usus Agnorum Dei, signum Crucis, invocatio Christi Domini, & Beatissimæ Virginis, Angeli Custodis, Reliquiæ Sanctorum, & inter cætera Sacrificium Missæ. Sicut autem remedia naturalia non statim curant morbos, sed frequentari debent, ut perfecte curent, ita remedia hæc supernaturalia; cum Deus dederit illis vim per modum causæ naturalis; Sicut etiam eodem modo causant gratiam ipsa Sacramenta, ita scilicet, ut subjecto magis disposito majorem gratiam causent, ut ignis, verbi gratia, in subjecto magis disposito majorem calorem.

III. Quæritur secundo; Utrum liceat petere a malefico, ut maleficium dissolvat?

Respondeo, & dico primo, a malefico quantumvis parato non potest peti, ut maleficium alio maleficio dissolvat; quia nunquam peti potest directe, quod est intrinsece malum: Unde infert Sanch. lib. 2. Moral. cap. 41., nec licere petere a Malefico dissolutionem maleficii, quod potest modo licito dissolvi: quando talis modus a malefico ignoratur; quia in tali casu perinde esset, ac petere, ut alio maleficio dissolvat. Quod si dubitetur, an Maleficus sciat modum licitum dissolvendi maleficium, communiter Doctores cum Suar., Sanch. Less. apud Trull. docent nec licere petere dissolutionem; tum quia præsumi debet, ut docet Sanch., quod maleficus sciat duntaxat modum dissolvendi superstitiosum; tum etiam quia petens in tali ca-

ſu exponeret ſe periculo petendi rem illicitam; non eſt autem licitum operari cum dubio rei illicitæ, ut communiter Doctores. Verum Tamb. hic docet aliquando licere cum dubio hoc negativo petere diſſolutionem maleficii; quia præſumi poteſt ex communiter contingentibus non ignorari a Malefico modum diſſolvendi licitum; nam, ut dicemus quæſito ſequenti communis modus diſſolvendi licite maleficium eſt tollere ſignum dæmonis, ad cujus præſentiam dæmon ex pacto operatur. Addit Tamb. ſententiam hanc non adverſari opinioni communi; tum quia in tali caſu dubium vinceretur a præſumptione orta ex communiter contingentibus; tum etiam quia communis ſententia procedit, quando peteretur diſſolutio maleficii ab alio Mago, qui cum non fuerit auctor hujus maleficii, non facile poterit niſi novo maleficio illud diſſolvere.

IV. Dico ſecundo; Licitum eſt petere a Malefico, ut diſſolvat maleficium, non ſolum ſi certo conſtet, ſed etiam ſi probabile ſit ipſum ſcire illud diſſolvere modo licito; idque verum eſt, etiamſi certo cognoſcam Maleficum novo maleficio eſſe diſſoluturum maleficium prius. Ita Sanch., Filliuc., Trull. contra nonnullos. Ratio eſt, quia ſicut habens neceſſitatem poteſt petere mutuum ab eo, quem certo ſcit uſuras exacturum; & petere juramentum ab illo, quem noſcit juraturum per falſos Deos; quia petitur res indifferens, ſeu id, quod licite ab alio præſtari poteſt; ita pariter in caſu noſtro. Dixi, etiamſi tantum probabile ſit maleficum ſcire modum diſſolvendi licitum, quia univerſim, ut notat hic Tamb., operari cum probabilitate eſt operari cum prudentia; atque adeo ſine culpa. Cavendum tamen eſt ex Sanch., ne petens cooperetur cum malefico in novo maleficio, verbi gratia, recipiendo medicinam &c.

Notandum etiam, quod ſi ſpes ſit, ut petito remedio licito, Maleficus hoc adhibeat, & non ſuperſtitioſum, tenemur ex charitate illud petere. Demum nullatenus licet petere a dæmone, ut ceſſet vexare; quia talis petitio involvit ſocietatem cum dæmone; Solum licitum eſt per imperium, & objurgationem dicere, ver. g., Ceſſa mala beſtia abhinc malefacere.

V. Quæritur tertio: Utrum liceat diſſolvere maleficium deſtruendo ſigna, quibus illud eſt annexum; aut ponendo ſigna contraria, honeſta tamen, & indifferentia, quibus poſitis expirat pactum dæmonis?

Reſpondeo affirmative cum Leſſ., Suar., Sanch. apud Trull. Ratio eſt, quia ſic nec pactum cum dæmone, nec amicitia captatur, ſed ſolum evertuntur ſigna illa, quæ erant occaſio mali. Quare ſi dæmon cum Malefico fecit pactum nocendi Maleficiato, niſi ſignet ſe ſigno Crucis, vel niſi lavet frontem, poteſt ille licite munire ſe Cruce, aut frontem lavare, ne lædatur a dæmone, animo tollendi ſignum illud, non vero animo ſanandi medio invento a dæmone. Similiter ſi verum eſt, quod quando Venefica te tangit, te inficiat, ſed deſinat inficere, ſi illam repercutias, poteris illam repercutere. Propter eandem rationem licite Judices lavant maleficos torquendos, & pilos illis radunt, ne arte dæmonis inſenſibiles fiant ad tormenta; ſic enim dumtaxat tollunt ſignum dæmonis latens ſub pilis; vel quia pactum fuit cum dæmone, quod ad tonſionem pilorum ceſſaret conventio. Pariformiter qui audiit a Mago ſe conveniſſe cum dæmone, quod quidam theſaurus cuſtodiretur, & nemini permitteretur, niſi illi, qui in tali loco bene potaret, poterit bene potare in eo loco, & deinde ſibi theſaurum arripere.

VI. Ex quibus infert Filliuc., poſſe ſigna magica deſtrui, etiamſi redundaret damnum in maleficum, quia quilibet habet jus ſibi conſulendi, etiamſi per accidens ſequatur alteri damnum. Notat pariter Trull., quod infectus a Saga, v. g., ſciens nocumentum deſiturum, ſi porrigat illi panem, (forte propter Euchariſtiæ Sacramentum) poſſit quidem panem porrigere, dummodo porrigendo panem dæmon deſinat tantum nocere. Quod ſi porrectio panis ſit novum ſignum, quo poſito dæmon per actionem novam poſitivam, & per favorem ſuccurrat, procul dubio non licet panem porrigere. Si tamen de hoc dubitetur, nec licet, ut communius docent; aut ad ſummum in caſu neceſſitatis licet cum expreſſa proteſtatione, quod nolis effectum poſitivum a dæmone. Leſſ. enim lib. 2. cap. 44. num. 46. hæc habet: *Non eſt licitum uti remedio, de quo dubium eſt, an contineat tacitam dæmonis invocationem; hoc enim eſt ſe exponere manifeſto periculo ſuperſtitionis; niſi forte id fiat cum expreſſa voluntatis contrariæ proteſtatione.*

VII. Quæritur ultimo; Quid faciat Confeſſarius cum Maleficis, Magis, & Incantatoribus?

Reſpondeo, debere examinare illos de genere ſuperſtitionis, an ſcilicet fuerit cum expreſſa, vel tacita dæmonis invocatione, & de aliis peccatis admixtis, puta hæreſis, idololatriæ, luxuriæ, injuſtitiæ, &c. Si deinde maleficus pactum iniit cum dæmone, debet illud diſſolvere; non eſt tamen neceſſe, ut chirographum malefico reſtituatur a dæmone; quia per pœnitentiam ſufficienter recedit a pacto: Si injuſtitia præceſſit, imponi debet reſtitutio; ſi hæreſis formalis, & externa ſit tali peccato conjuncta, nonniſi a Pontifice abſolvi poterit. Si vero adoratio dæmonis non ſtet cum hæreſi, ſeu cum hoc, quod dæmon exiſtimetur dignus adoratione, talis ſuperſtitio poterit a quolibet Confeſſario abſolvi, niſi in aliqua Diœceſi ſit ab Epiſcopo ſibi reſervata.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De Irreligiositate, & in specie de Sacrilegio, Blasphemia, & Tentatione Dei.

DIximus in principio quæstionis superioris, virtuti Religionis opponi per defectum Irreligiositatem, quæ plura sub se vitia continet. Omissis aliis, videlicet Perjurio, & Adjuratione, de quibus infra cum de Juramento, necnon Simonia, de qua cum de Restitutione in particulari, agendum hic superest de Sacrilegio, Blasphemia, & Tentatione Dei.

ARTICULUS I.

D Sacrilegio.

I. Sacrilegium est rei Sacræ læsio. Triplex autem est, Personale, Locale, & Reale: Specialiter autem in Confessione aperiendæ sunt Sacrilegii species.

II. Probabiliter tres istæ Sacrilegii species sunt atomæ, non subalternæ; itaut de consilio, non de præcepto explicandus sit in confessione modus Sacrilegii, tanquam circumstantia aggravans.

III. Quænam Persona dicatur Sacra, itaut eam lædens Sacrilegium committat?

IV. Per læsionem Personæ Sacræ quadrupliciter committitur Sacrilegium, injiciendo manus violentas, perducendo ad tribunal sæculare, subjiciendo oneribus vectigalium & per actiones venereas.

V. Novitius non habens votum castitatis non est sacrilegus, si carnaliter peccet. Quid de habente hoc votum, si alios inducat ad peccandum carnaliter? Quid de Sacerdote Græco, si peccet contra castitatem?

VI. Communius docent contra nonnullos, fractionem cujuscumque voti esse sacrilegam.

VII. Quare non sint sacrilega omnia peccata Personæ Sacræ, sed solum peccatum contra castitatem?

VIII. Quare percussio Clerici habentis primam Tonsuram, & Novitii sit sacrilega, & non sit sacrilegium peccatum istorum contra castitatem?

IX. Quinam dicatur locus sacer, cujus violatio sit Sacrilegium?

X. Latius patet locus sacer relate ad effectum gaudendi immunitate, quam relate ad effectum constituendi furtum, verbi gr.. sacrilegum.

XI. Locus sacer violatur per illas duntaxat actiones, quæ in locis Sacris intuitu Religionis prohibentur, puta per effusionem sanguinis, vel seminis, si delicta sint publica, per extractionem violentam e loco Sacro, per mercatus, convivia, furta, &c.

XII. Est Sacrilegium furtum sacri de sacro, Sacri de non Sacro, & non sacri de Sacro, si res non sacra sit in Ecclesia custodiæ causa, aut illi commodata.

XIII. Num sit Sacrilegium furari aliquid e Sacristia. Non est Sacrilegium furari aliquid e Claustris Religiosorum, aut ex Oratoriis privatis. Quid de furto in Oratoriis Xenodochiorum, & Eremitoriorum?

XIV. Nomine rei Sacræ veniunt Sacramenta, ornamenta Ecclesiæ benedicta, bona Ecclesiæ, & similia. Non tamen tempus; & locus; unde de se non est Sacrilegium peccare die festo, aut in Ecclesia.

XV. Est Sacrilegium concupiscere copulam habendam in Ecclesia; sed non est Sacrilegium in Ecclesia concupiscere copulam habendam extra Ecclesiam. Actus turpes si in Scclesia committantur, explicandum est in Confessione.

XVI. Multipliciter Sacrilegium reale committi potest; præsertim si quis abutatur aut rebus, aut verbis sacris, si irreverenter officium recitetur, si imagines Sacræ, vel Reliquiæ male habeantur, &c.

I. SAcrilegium idem sonat, ac sacræ rei læsio, seu violatio. Dicitur autem res sacra, quę ad cultum Dei consecrata est, sive ex lege Divina, sive Ecclesiastica: Quia tamen triplex genus rerum Deo consecratur, videlicet Personæ, loca, & aliæ res, ideo triplex genus Sacrilegii datur, nempe Personale, Locale, Reale, seu violatio personæ Sacræ, loci sacri, & alterius rei sacræ. Unde specialiter in Confessione aperiendum est, persona ne, an locus, an alia res sacra violata sit? cum species peccatorum ex Trident. aperiri debeant in confessione.

II. Quæritur tamen primo; An hæc divisio Sacrilegii in has tres species sit divisio in species subalternas, hoc est, quæ continent sub se alias species, an vero in infimas, & atomas?

Respondeo, Suar. lib. 5. de Sacram. cap. 5., Less. lib. 2. cap. 45. dub. 3., Filliuc. putare, divisionem hanc esse in species subalternas. Unde fit, in confessione non solum explicandum esse, num persona, aut locus, aut alia res sacra læsa sit, sed etiam modum particularem Sacrilegii; verbi gratia, num persona sacra violata sit per percussionem, aut per fornicationem; num locus per effusionem sanguinis aut seminis; num res sacra violata sit per violationem Sacramentorum, & præsertim Eucharistiæ, aut aliarum rerum Sacrarum?

Verum

Verum D. Th. 2. 2. quæst. 99. art. 3., Caiet., Trull. hic putant probabilius divisionem illam Sacrilegii esse in tres species ultimas. Unde fit, modos prædictos Sacrilegii differre tantum numero; sicut differt sacrilegium commissum contra Petrum a commisso contra Paulum; vel saltem differre secundum circumstantiam aggravantem. Ratio D. Th. est, quia solum habitudo ad sanctitatem istarum specierum est simpliciter diversa; Nam persona dicitur sacra, quia est subjectum sanctitatis; locus dicitur Sacer; quia continet personas, & res sacras; res aliæ dicuntur Sacræ, quia ad sanctitatem ordinantur. Adde, quod si istæ species non essent infimæ, difficillimum esset assignare species infimas in confessione explicandas; unde quamvis consilium sit explicare modos illos significatos Sacrilegii, inquantum sunt sacrilegi, & virtuti religionis opponuntur, possunt tamen citra culpam reticeri.

III. Quæritur secundo; Quid veniat nomine personæ Sacræ & quot modis lædatur?

Respondeo, personam sacram dici, quæ vitæ statu, vel per votum, vel per sacrum Ordinem Deo specialiter est consecrata: Tales sunt Clerici omnes, & Religiosi, ac Religiosæ, etiamsi nondum professionem emiserint. Quare si hujusmodi personæ lædantur, quatenus Sacræ, seu quatenus in Dei cultum destinatæ sunt, sacrilegium committitur. Et quia Ecclesia intuitu virtutis Religionis prohibuit, ne in eas violentæ manus injiciantur, ne ad secularia judicia pertrahantur, ne vectigalibus, & tributis subjiciantur, ideo Sacrilegium committitur eas in his actionibus offendendo, quia offenditur Deus in personis sibi specialiter dedicatis.

IV. Quadrupliciter itaque committitur sacrilegium per læsionem personæ Sacræ. Primo, per violentam manuum injectionem. Secundo, per usurpatam jurisdictionem quoad forum, seu si ad sæculare tribunal pertrahantur. Tertio, si subjiciantur oneribus vectigalium. Quarto, per actiones venereas; itaut quælibet persona habens votum castitatis sacrilegium committat, si carnaliter peccet, sive corpore, sive etiam mente, quia abutitur persona Deo per tale votum dicata, tam corpore, quam anima.

V. Novitius tamen non habens votum castitatis, si carnaliter peccet, sacrilegium non committit: Sicuti nec committit Sacrilegium, qui habens votum castitatis inducit alios ad peccandum carnaliter, apud Tambur. lib. 2. Methodi Confess. cap. 6. §. 5. Et ratio est, quia per votum castitatis videtur homo se obligare tantum ad non peccandum contra castitatem, seu ne ipse in sua persona delectationes venereas admittat, non vero ne alios in easdem inducat; propriam enim, non alienam castitatem promittit. Putat etiam Tambur. in Decalogum hic, Sacerdotem Græcum non esse sacrilegum, si peccet contra castitatem; quia non constat emitti a Sacerdotibus Græcis votum ullum castitatis.

VI. Dubium est, Num habens votum, verbi gratia, jejunandi, obediendi, &c., sit etiam sacrilegus, si non jejunet, obediat &c. Affirmant communius cum Less., Cajet., Valent.; quia per quocumque votum tam persona relate ad illam operationem, quam res, quæ promittitur, Deo specialiter dicatur. Sed probabiliter negant Pal., & Tambur. hic ex Suar. tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 3. cap. 3.; quia nihil sacrum violatur; sed solum peccatur contra fidelitatem Deo debitam per promissionem, seu votum. Quare ex Suar. sola violatio voti solemnis castitatis est sacrilega, quia per tale votum duntaxat persona ex ordinatione, & acceptatione Ecclesiæ Deo specialiter dicatur anima, & corpore: Jejunium vero, quod promittitur per votum, non dicitur res Deo dicata, sed solum promissa; unde qui violat votum jejunandi, non peccat contra virtutem Religionis, peccat tamen peccato perfidiæ contra Deum explicando in confessione, seu contra fidelitatem Deo debitam; Et idem putat Suar. dicendum de violante votum simplex castitatis. Communius tamen docent, ut diximus, omnem voti fractionem esse sacrilegam; & Sanch. lib. 7. de Matrim. disp. 27. probabiliter docet, votum simplex castitatis a voto solemni non differre specie. Unde satis est in confessione dicere, commissum esse peccatum contra votum castitatis, vel cum habente votum castitatis, non explicando Sacerdotium, aut professionem.

VII. Ex dictis infertur primo, Quare si Sacerdos furetur, blasphemet, &c., non sit sacrilegus? Contra vero si violet votum castitatis? Disparitas est, quia persona per votum specialiter Deo dicatur relate ad operationem, quam vovet, & ideo violando votum violatur persona sacra, quatenus sacra est: At furando, blasphemando, &c., solum læditur jus naturale, & divinum; non vero persona sacra, quatenus sacra est; aliter omnia peccata Sacerdotum essent sacrilegia. Verum quidem est, quod Sacerdos sit sacrilegus, si in mortali celebret, vel Sacramenta suscipiat, aut conferat; id est tamen propter irreverentiam gravem, quam irrogat rebus sacris, atque adeo tale sacrilegium non est ratione personæ, sed ratione rei Sacræ.

VIII. Infertur secundo disparitas, quare percussio Clerici etiam habentis primam tonsuram, & novitii nullum habentis votum sit sacrilega; Econtra fornicatio eorumdem non sit sacrilega? Ratio est, quia persona etiam per primam tonsuram, & per novitiatum sacratur Deo, uxta institutiones Ecclesiasticas, itaut per percussionem censeatur persona sacra violari: Contra-

tra tamen juxta institutiones Ecclesiasticas non censetur per primam tonsuram, aut per novitiatum ita sacrari Deo persona, ut committat sacrilegium, si fornicetur. Et per hæc etiam patebit, quare effusio sanguinis, vel seminis facta in loco Sacro sit sacrilegium; non vero blasphemia, aut aliud enorme peccatum non specialiter ab Ecclesia prohibitum, si in loco Sacro committatur!

IX. Quæritur tertio, Quænam loca dicantur Sacra, & quomodo violentur?

Respondeo, nomine loci Sacri, quoad hunc effectum constituendi sacrilegum peccatum in eo commissum, venire solum Ecclesias, Cæmeteria, Monasteria, Hospitalia, & Oratoria auctoritate Episcopi approbata, in quibus tam sacrificium Missæ, quam alia divina officia celebrantur.

X. Notandum tamen, quod nomen Ecclesiæ in favorabilibus, seu relate ad effectum gaudendi immunitate, importet etiam Ecclesiæ fabricam, parietes, turres, tectum, januam, scalas, atrium, claustrum, & ambitum exteriorem: in odiosis tamen, seu relate ad effectum constituendi, verbi gratia, furtum sacrilegum, nomen Ecclesiæ importat solum Ecclesiam cum suis cappellis, & cæmeterio, ut notat Sanc. lib. 9. de Matrim. disp. 15. num. 23.

XI. Violatur autem locus sacer per illas tantum actiones, quæ jure Canonico intuitu Religionis in locis Sacris prohibentur.

Primo itaque committitur sacrilegium per violationem loci sacri, quoties injuriose effunditur in loco Sacro sanguis, vel semen, juxta explicanda in de Matrimonio. Ubi notat Tambur. lib. 2. Meth. Confes. cap. 6., hujusmodi delicta, ut sint sacrilega, debere esse publica, & notoria; quia intantum committitur Sacrilegium, inquantum polluitur Ecclesia, & indiget reconciliatione; sed non polluitur Ecclesia per hæc delicta, nisi sint publica, & notoria; ergo si sint occulta, non sunt sacrilega. Ita Pont., Vasq. contra Suar., Sanch., Bonac.; qui putant esse sacrilega, etiamsi sint occulta.

Secundo, si locus sacer destruatur, spolietur, incendatur, &c.

Tertio, per Sepulturam vel excommunicati vitandi, vel non baptizati, etiamsi infantis, modo parentes saltem fideles non sint, ex Sayr.

Quarto, per extractionem violentam personæ a loco Sacro.

Quinto, si in Ecclesia turpes ludi exerceantur.

Sexto ex Suar. apud Trull., si in Ecclesia fiant mercatus, deambulationes, conclamationes, sæcularia concilia, convivia, strepitus judiciorum sæcularium, (non tamen Ecclesiasticorum, quæ præsumuntur pietatem concernere) & alia hujusmodi, quæ divinum cultum impediunt; Quamvis ex D.Th. in necessitate ea liceant aliquando, v.g., ob multam pluviam, ob solis æstum, si alius locus opportunus ad se recipiendum absit; dummodo a strepitu, & immodesta compotatione abstineatur; Immo nec videtur grave peccatum aliqua particularis comestio moderata, & honesta in loco Sacro facta sine necessitate, dummodo fiat sine tumultu, clamore, & scandalo, ut dicitur de deambulationibus, & parlamentis, quia non videtur gravis injuria irrogari sanctitati loci.

XII. Septimo, Sacrilegium ratione loci sacri committitur per furtum rei etiam profanæ ibi commissum. Etenim ex cap. *Quisquis inventus* 17. *quæst.* 4. sacrilegium est non solum furtum Sacri de Sacro, & Sacri de non Sacro, sed etiam non sacri de sacro, seu rei profanæ de loco sacro. Notat tamen Tambur. lib. 2. Methodi Confess. cap. 8. cum Lug., Pal., Azor. contra Suar. Vasq., Laym. Bonac. non esse sacrilegium quodlibet furtum rei profanæ, seu non sacræ in Ecclesia commissum, sed solum quando res non sacra est in Ecclesia custodiæ, aut securitatis causa, vel est Ecclesiæ commodata, itaut Ecclesia de re illa teneatur; quia tunc aliquo modo ad Ecclesiam pertinet. Unde non committit Sacrilegium, qui crumenam divitis in Ecclesia furatur, aut gladium parochi, quem parochus possidet nomine suo, non Ecclesiæ: Committit vero (ut communiter docent contra Fagund. in secundum præceptum Ecclesiæ lib. 2. cap. 5. n. 21.) duplex specie sacrilegium, reale scilicet, & locale, qui rem sacram de loco sacro furatur; verbi gratia calicem in Ecclesia, vel in Cæmeterio, aut in Sepultura sub Ecclesia, quæ etiam venit nomine loci sacri.

XIII. Dubium tamen est; An sit sacrilegium locale, si quis furetur aliquid de Sacristia?

Sanch. loc. cit. n. 31. contra aliquos Neotericos putat, nomine loci sacri non venire Sacristiam, quia est extra Ecclesiam. Illud certum est, non esse sacrilegium locale furari aliquid in Claustris Religiosorum, quamvis gaudeant immunitate; Immo nec in Oratorio domus privatæ, in quo de licentia Episcopi celebratur; quia hujusmodi Oratoria privata non veniunt nomine loci sacri, ne in favorabilibus quidem, cum non gaudeant immunitate; possunt enim ad nutum fundatoris in profanos usus converti. Demum de Oratoriis Xenodochiorum, & Eremimitoriorum, quæ auctoritate Episcopi sunt erecta, sed non sunt benedicta, aut consecrata, dubium est apud Doctores, an veniant nomine loci sacri? Sanch. n. 39. affirmat, quia ad profanos usus converti nequeunt, & gaudent immunitate, quamvis in eis divina officia non celebrentur.

XIV. Quæritur quarto; Quid veniat nomine rei sacræ, per cujus violationem committitur Sacrilegium?

Respon-

Respondeo, venire, Primo Sacramenta. Secundo Vasa sacra, quæ sunt instrumenta rebus sacris administrandis, necnon imagines Sacras, & Reliquias Sanctorum, ad quæ reducuntur verba sacra. Tertio ornamenta Ecclesiæ, vel Ministrorum; quæ scilicet per specialem benedictionem, vel consecrationem divino cultui deputantur, unde horum omnium profanatio, vel furtum est sacrilegium; Sicut etiam destructio irreligiosa templi, ejusque profanatio, vel abusus ad choreas, ad obscœnas comædias, &c., necnon abusus Sacramentalium, puta aquæ lustralis, vel candelæ, aut rami benedicti. Quarto demum nomine rei sacræ veniunt bona Ecclesiæ, decimæ, primitiæ, &c. quia hæc suo modo sacrata sunt, & ad cultum Dei deputantur, quatenus destinantur sustentationi eorum, qui Dei cultui inserviunt, unde eorum pariter furtum sacrilegium est.

Contra vero nec tempus, nec locus veniunt nomine rei sacræ, quamvis divino cultui specialiter dicentur; unde peccans die festo, aut hebdomada Sancta, vel peccans in Ecclesia non committit ex hoc capite sacrilegium; eo quod non est specialiter prohibitum intuitu Religionis peccatum tali tempore, vel tali loco: Esset solum sacrilegium ratione temporis sacri, si dies festi violaretur operibus servilibus, & aliis prohibitis, ut notat Trull. ex Less.

XV. Est etiam sacrilegium ratione loci, si quis, verbi gratia, concupiscat copulam habendam in Ecclesia; quamvis non sit sacrilegium concupiscere in Ecclesia copulam habendam extra Ecclesiam. Et ratio disparitatis est, quia in primo casu objectum actus interni est sacrilegium; in secundo casu circumstantia loci non fert secum speciem sacrilegii. Ita Doctores communius. Quamvis Suar. tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 7. putet, non solum pollutionem occultam, sed etiam tactus impudicos habere specialem malitiam in confessione aperiendam, si in Ecclesia committantur, non quidem ex ullo præcepto Ecclesiæ, sed ex vi legis naturalis prohibentis fieri in Ecclesia actus turpes ob reverentiam loci sacri.

XVI. Ex dictis sequitur, sacrilegium reale esse suscipere, vel administrare Sacramenta in mortali. Secundo, abuti sacris vasis, puta uti calice consecrato ad bibendum. Tertio, abuti sacris verbis ad superstitiones, ad facetias, ad amatoria, ad stabiliendas hæreses. Quarto, Sacrilega est omnis irreverentia, quæ committitur in recitando divino officio, vel in sacris cæremoniis obeundis, quamvis sæpe a Sacrilegio lethali ex materiæ parvitate irreverentia isthæc excusetur. Quando tamen Sacerdos, (quod utinam nunquam accidat) ut brevi Missam absolvat, notabiliter obtruncat verba, & cæremonias confundit, irreverentia certe non est levis, nec sacrilegium veniale. Quinto, male habere imagines, & reliquias; puta illas inhoneste pinguendo, vel istas dispergendo, ne colantur. Sexto invasio bonorum, vel jurium Ecclesiasticorum, retentio legatorum Ecclesiæ, &c.

ARTICULUS II.

De Blasphemia.

I. Blasphemia proprie solis verbis, non vero factis contumeliosis exhibetur contra Deum, aut Sanctos, sive mente, sive ore, sive scripto.

II. Non datur materiæ parvitas in blasphemia, etiamsi joci gratia proferatur.

III. Ex consuetudine sine plena advertentia blasphemare non vacat culpa lethali.

IV. Blasphemia hæreticalis continet hæresim, seu quod articulo fidei directe opponitur; secus vero Blasphemia simplex. Hæreticalis aut tollit a Deo quod habet, aut per contumeliam tribuit Deo, quod non habet.

V. Simplex Blasphemia est quadruplicis generis, Enunciativa, Detestativa, Irrisoria, & Juratoria.

VI. Probabiliter non differunt specie Blasphemiæ in Deum, & Blasphemiæ in Beatam Virginem, & in Sanctos; nisi proferantur in Sanctos ob propriam eorum excellentiam.

VII. Qui maledicit craturis, inquantum Creaturæ Dei sunt, profecto blasphemat; sicut qui rebus sacris maledicit: Quid si quis creaturis irrationabilibus maledicat? Et quid si tempori, pluviæ, ventis?

VIII. Discutiuntur plures formulæ, quæ frequenter usurpantur, num sint Blasphemiæ.

IX. Quid de formula illa conditionata, Deum abnego, si res non ita se habet? Quid de illa, Per vitam Dei? aut de illa alia, Corpo di Dio con voi?

X. In dubio, an formula aliqua sit Blasphema, non est talis censenda.

XI. Blasphemi denunciandi sunt (si Blasphemia sit hæreticalis) intra sex dies a notitia, sub pœna Excommunicationis late sententiæ.

I. Blasphemia est convicium, seu verbum contumeliosum, quod jacitur contra Deum, aut Sanctos, sive mente, sive ore, sive scripto proferatur. Ita communiter. Putant tamen nonnulli, etiam factis, vel signis posse blasphemiam committi, puta conculcando imagines, infrendendo dentibus in Deum, expuendo in cœlum; sed hoc negat Bonac. ex Suar., & Less.; quia blasphemia opponitur laudi Dei, quæ solis verbis mente, vel ore, vel scripto exhibe-

exhibetur; unde blasphemia in solis verbis, non factis proprie consistit.

II. Hinc sequitur primo, blasphemiam opponi virtuti Religionis; quia hæc divinum honorem, & laudem tuetur, quam blasphemus offendit derogando illi, vel diminuendo.

Sequitur secundo peccatum hoc ex genere suo esse mortale, & solum ratione inadvertentiæ posse esse veniale, non vero ex levitate materiæ, puta ratione levitatis, & joci. Ratio est, quia nulla respectu Dei dari potest levis contumelia, & gravis est ex se deordinatio, etiam per jocum blasphemare, ac Deum inhonorare. Putat quidem Villalob. apud Trull. cum Dia. part. 5. tract. 5. resol. 3. probabiliter in hoc dari posse parvitatem materiæ, ut si quis velit facetiam confirmare verbis Sacræ Scripturæ. Sed communiter rejicitur, quia vel hoc fit sine contemptu, & est sacrilegium veniale, non blasphemia; vel fit cum contemptu, & est blasphemia mortalis, quia est gravis irreverentia.

III. Hinc etiam fit, quod qui ex habitu, & consuetudine sine plena advertentia ad Dei inhonorationem solet blasphemare, teneatur sub mortali conari ad talem habitum evellendum; tum quia aliter est in morali periculo, & proxima occasione blasphemandi: tum etiam quia gravis deordinatio est Deum sic inhonorare.

IV. Quæritur nunc primo; Quotuplex sit Blasphemia?

Respondeo, aliam esse simplicem, aliam hæreticalem. Hæreticalis dicitur, quæ continet hæresim, seu quæ alicui articulo Fidei directe opponitur, ut, Abnego Deum, Abnego Crucem Christi, Beatam Virginem, Deus est injustus, dæmon est omnipotens. In quibus casibus blasphemus, si credat, quod ore profert, erit pariter hæreticus, & ut talis judicandus; secus vero si id non credat, cum non habeat errorem circa fidem. Simplex vero blasphemia dicitur illa, quæ errorem circa fidem non continet, ut solent esse, quæ dicuntur per modum optandi, imperandi, imprecandi, &c v. g., Maledictus Deus, displiceat Deo, quod vulgo dicitur, A dispetto di Dio; vel si quis irreverenter nominet membra Christi Domini, vel pudenda Sanctorum, ut notant Suar. Sanch. apud Trull., quia sic intendit facere illos contemptibiles propter tales partes naturales.

Sequitur ex dictis primo, duobus præsertim modis blasphemari, vel scilicet tribuendo Deo per contumeliam id, quod non habet, eique repugnat, ut appellando Deum injustum, crudelem, &c.; vel tollendo a Deo id, quod habet, & illi essentialiter convenit, ut dicendo, non habere providentiam, omnipotentiam, dæmonem esse omnipotentem, &c.

Sequitur secundo, blasphemiam esse detestari divina, vel Deum maledicere, illique mala imprecari. Ratio est, quia tribuitur Deo id quod non habet, eique repugnat, ut si dicatur, Maledictus sit Deus, Pereat, Velit nolit, hoc erit, &c. Vel si quis juret per vitam, aut per caput Dei, aut Sanctorum, quia ex Azor. sensus est, quod Deus, aut Sancti amittant vitam, si res non ita est.

Sequitur tertio, blasphemiam esse exprobare Deo ea, quæ habet, seu tribuendo illi ea, quæ habet, sed irreverenter ut jurare per corpus, aut sanguinem Dei ex indignatione; sicut etiam jurare per falsos Deos: Seclusa tamen indignatione contra Deum, & contemptu, non est blasphemia jurare per corpus Dei, scilicet Christi Domini.

Sequitur quarto esse blasphemiam ea, quæ sunt propria Dei communicare creaturæ, ut vocare dæmonem omnipotentem, fœminam amatam vocare Deam; aut jurare per falsos Deos, cum sic tribuatur illis infallibilis veritas, quæ soli Deo convenit.

Sequitur quinto, esse blasphemiam dicere, Pereat, qui me sustentat, intelligendo Deum; sicut etiam dicere, Perdat te sanguis Christi, Occidat illum Sanctus Franciscus, Sanguis enim Christi Domini, & Sancti ad salvandum nos, non ad perdendum sunt parati; unde magna afficiuntur contumelia per talem formulam, ut notat Laym. apud Tambur.

V. Sequitur ultimo, blasphemiam simplicem, seu non hæreticalem esse quadruplicis generis: nam vel est Enuntiativa, ut Ad injuram Dei hoc faciam; vel Detestativa, ut Pereat Deus, Maledictus sit Deus, Displiceat Deo; vel Irrisoria, ut Vah qui destruis templum Dei; vel Juratoria, ut Pereat Deus, si ita non est, vel si hoc non erit.

VI. Quæritur secundo; An differant inter se specie blasphemiæ in Deum, in Beatam Virginem, & in Sanctos?

Respondeo, Suar., Sanch., & alios apud Tambur. in Methodo Confessionis lib. 2. cap. 3., probabilius putare, quod specie differant, quia blasphemia in sanctos præter propriam malitiam blasphemiæ, habet etiam malitiam contra Duliam, (quæ est honor speciale debitus Sanctis) sicut blasphemia contra Beatam Virginem continet malitiam contra Hyperduliam: Etenim per blasphemiam in Sanctos non solum Deus, sed etiam ipse Sanctus injuria afficitur; Econtra per blasphemiam in Deum soli Deo irrogatur injuria; ergo blasphemiæ in Deum, & in Sanctos differunt specie.

Sed probabile etiam est, quod docet Azor., & alii apud Dian. part. 1. tract. de Circumst. resol. 50. non differre specie; sicut non differunt specie juramentum per Deum, & juramen-

tum per Sanctos. Ratio est, quia cum omnes communiter honorent Sanctos non ob præcisam eorum propriam excellentiam, sed quatenus ad Deum ordinantur, ideo nec illos injuria afficiunt, nisi quatenus ad Deum referuntur; Unde ab uno Deo omnes blasphemiæ specificantur. Quare juxta hanc sententiam satis est in confessione dicere, Blasphemavi, non explicando an contra Deum, vel contra Sanctos, aut alias creaturas verbum contumeliosum sit prolatum, nisi forte alicubi sola blasphemia contra Deum esset reservata.

Quamvis, quando blasphemia fuerit hæreticalis, debeat exprimi hæc nova species peccati; sicut etiam si blasphemia ex odio formali Dei, vel ex desperatione proferatur. Verum si proferatur in Sanctos ob propriam eorum excellentiam, & non quatenus ad Deum referuntur, debet in confessione id exprimi, quia tale peccatum est contra virtutem Duliæ, non Religionis.

VII. Quæritur tertio; Utrum committatur blasphemia non solum conviciando Sanctos, sed etiam maledicendo aliis creaturis?

Respondeo cum Bonac., & Less. cap. 45. dub. 5., puram maledictionem creaturarum sine ordine ad Deum non esse proprie blasphemiam, (quamvis sit peccatum mortale contra charitatem, si conjungatur cum desiderio notabilis damni; sit vero solum veniale, si tantum ex passionis, & iracundiæ impetu imprecemur alicui grave damnum). Est autem blasphemia maledicere creaturis, ut creaturæ Dei sunt, seu per ordinem ad Deum; sicut etiam blasphemando res sacras; quia per hujusmodi maledictionem tribuitur per contumeliam Deo id, quod non habet, eique repugnat, aut tollitur a Deo, quod essentialiter habet; cum talis maledictio redundet in Deum auctorem creaturarum. Sicut enim Deus in creaturis honoratur, ita inhonorari potest per maledictionem creaturarum, inquantum creaturæ Dei sunt, aut per blasphemiam rerum sacrarum.

Hinc sequitur, ut notat Sayr., & Suar., committi blasphemiam spernendo Sanctos; nam sicut in Sanctis laudatur Deus, ita in illis potest Deus contumelia affici, & blasphemari; & ideo diximus, blasphemiam in Sanctos, aut in alias creaturas non differre specie a blasphemia in Deum. Demum maledicere creaturis irrationabilibus secundum se non est mortale; immo potest nec esse veniale; si enim possumus illas occidere, quidni & malum imprecari? Si tamen creaturæ irrationales considerantur, inquantum sunt hominis, esset mortale illis maledicere; non secus ac maledicere ipsi homini, ut si quis velit arborem incendi, equum occidi ex odio hominis: Si vero maledicatur tempus, pluvia, ventus, &c., quatenus illis Deus utitur ad nos puniendos, esset profecto blasphemia: Quod si non sit indignatio contra Deum, sed contra creaturas, non erit blasphemia; ut si dicatur, Maledicta hora qua mei parentes me genuerunt; hæc enim indignatio est contra parentes, atque adeo est peccatum contra pietatem, leve, vel grave, prout leviter, vel graviter læditur observantia erga illos.

VIII. Quæritur quarto, Quænam formulæ usurpari solitæ nullam contineant blasphemiam; quænam vero dubium est, an contineant; & quomodo istæ interpretandæ?

Respondeo, non reputari a Doctoribus blasphemiam, Primo, si dicatur, Hoc est verum, sicut est verum evangelium, vel, sicut est verus Deus; quia communiter volumus per hæc verba indicare similitudinem quandam, quod sicut unum est verum, ita & aliud. Esset vero blasphemia, si vellemus veritatem creatam defectibilem cum divina indefectibili æquiparare. Secundo, quando dicitur, Po far di Dio, Potenza di Dio; Hæc enim verba solum important quoddam signum admirationis contra rem, quæ inopinato accidit. Tertio, Pejerans non est blasphemus, cum nihil tribuat, aut tollat a Deo in ejus convicium; nam pejerans non petit, ut Deus firmet falsitatem, ut censet Pal. tom. 3. disp. 2. punct. 2. §. 3., sed enunciative tantum profert cum temeritate illud falsum a Deo confirmari, non optative. Quarto, non est blasphemia dicere, sic tandem fato futurum erat, si non intelligatur fatum Gentilium fatuorum, sed sola necessitas talis eventus consequens ad Dei prævisionem.

Dubium tamen est primo, An qui nolens dicere blasphemiam hanc, (Santo diavolo) dicat, Santo dia, vel Santo diammant, etiam blasphemet? Respondendum tamen, quod si animo nolit diabolo sanctitatem appingere, vere non blasphemet, ut Tambur. cum doctis viris ab ipso consultis censet; quia idcirco dicit, dia, vel, diammant, ne blasphemiam proferat. Idem dicendum contra Bonac. de eo, qui diceret, nego Di, quia non vul dicere, Dio; quamvis in tali formula scandalum facilius adsit.

IX. Dubium est secundo de blasphemia conditionata, verbi gratia, Renego Deum, si ita res non est, Deus est injustus, si te non occiderit &c., Sanch., & Pal. putant has esse blasphemias; Quod tamen negant Sal., & Tambur. quia, non videtur fieri sensus, quod fides in Deum, vel justitia Dei pendeat a veritate rei creatæ, aut a futuro eventu, quod sane esset blasphemia; sed sensus videtur esse, quod sicut certum mihi est ex Dei gratia nunquam me Deum renegaturum, ita certum est, quod assero; & sicut certum est, Deum non esse injustum, ita certum mihi est te esse occidendum, per similitudinem quan-

quandam, non per æquiparantiam, ut diximus de illa formula, Hoc est verum, sicut est verus Deus: nec est sensus, ut putat Pal., quod Deum renegaturus sim, si res ita non sit, aut quod Deus erit injustus, si non occidaris.

Dubitatur tertio; an sit blasphemia dicere, Per vitam Dei, vel Sanctorum? Affirmat Decian., qui putat ejus sensum esse, amittat Deus, vel Sancti vitam, si res ita non est; Sed communiter cum Sanch. negant; quia sensus est, Sicut Deus vitam habet, ita verum est, quod dico.

Dubitatur ultimo; An sit blasphemia dicere ex indignatione contra hominem, vel jumenta (Corpo di Dio con voi, Ah Sangue di Dio.) Communiter negant, quia tota indignatio est in creaturas, & nihil Deo tribuitur, vel tollitur per convicium; Est tamen peccatum veniale irreligiositatis contra secundum præceptum Decalogi, ut notat Laym., quando solum indignatio fertur in creaturas; Quod si indignatio ferretur etiam in Deum, esset profecto blasphemia, quia in actu exercito significaretur, Deum esse dignum nostra indignatione.

X. Regula generalis est, ex Bonac., Pal., Tambur., quod quoties aliqua verba sumi possunt in utramque partem, pro blasphemia scilicet, & non blasphemia, non sint sumenda pro blasphemia; quia in dubio non sunt accipienda, ut sonent delictum, cum delictum non præsumatur, nisi clare constet.

XI. Quæritur ultimo; An blasphemi sint corrigendi, & denunciandi?

Respondeo, audientem blasphemos ex præcepto naturali teneri illos corrigere, si possit absque gravi incommodo, & sit spes fructus; quamvis non expediat id fieri, dum blasphemi sunt in ira, quia magis irritarentur. Tenetur etiam audiens denunciare blasphemias hæreticales Inquisitoribus, vel Ordinario; blasphemias vero simplices judici sive Ecclesiastico, sive Sæculari, cum sint mixti fori, ex decretis Pii I., & Julii III.; Quamvis hæc decreta relate ad blasphemias simplices propter desuetudinem non videantur obligare, ut notat Pal. Blasphemi vero hæreticales intra sex dies a die notitiæ denunciandi sunt sub pœna excommunicationis latæ sententiæ impositæ in Edicto Sanctæ Inquisitionis.

ARTICULUS III.

De Tentatione Dei.

I. Tentatio secundum se alia est Probationis, alia Inductionis. Ad primum genus spectat tentatio Dei, quippe quæ est Probatio alicujus divini Attributi modis indebitis.

II. Expressa Dei tentatio habetur, si directe intenditur experimentum de aliqua Dei perfectione. Tacita vero habetur, quando sine tali expressa intentione aliquid ad id ordinatur.

III. Tentatio Dei ex genere suo est peccatum lethale; cum gravem irreverentiam erga Deum importet.

IV. In lege veteri præcipiebantur a Deo nonnullæ purgationes, itaut miraculis innocentia alicujus detegeretur; At in nova lege prohibentur.

V. Tentat Deum, qui miraculum ab eo petit citra necessitatem, aut Dei impulsum; Sicut etiam qui ex curiositate vult experiri opus aliquod supernaturale.

VI. Poterit aliquando Tentatio Dei a mortali excusari, si aut desit plena deliberatio, aut detur materiæ parvitas.

I. Tentatio in genere dividitur in tentationem Probationis, & Inductionis. Tentatio probationis est dictum, vel factum ad capiendam experientiam, verbi gratia, ad explorandam alicujus probitatem, scientiam, potentiam, veracitatem, &c. Tentatio inductionis est ipsa provocatio, seu inductio ad malum. Quare primo genere tentationis dicitur Deus tentasse Abraham, Tobiam, Job, & alios Sanctos, ut eorum virtutes manifestaret. Secundo vero genere tentationis tentant nos diabolus, & concupiscentia; unde Jacobi 1. dicitur, *Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat; Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua.*

Tentatio Dei sumitur juxta primam significationem, unde definitur a D. Th. 2. 2. quæst. 97., quod sit probatio, seu experientia alicujus divini attributi (puta scientiæ, potentiæ bonitatis, aut divinæ voluntatis) indebitis modis. Quare Tentatio Dei est actus contra Religionem, ut docent D. Th., Suar., Bonac.; quia importat irreverentiam contra Deum velle de ipsius perfectionibus experimentum capere indebitis modis, hoc est absque justa causa, relictis mediis a Deo institutis; Ut si imperitus vellet absque justa causa concionari nulla prævia præparatione, sperans a Deo suggerenda sibi verba ad rem. Aliqui vero cum Azor., Reginald. lib. 2. cap. 34. putant, tentationem Dei opponi virtuti Spei, quia tentans Deum sperat aliquid a Deo modo indebito: non dicitur tamen sperari aliquid modo indebito, quando ex inspiratione, vel impulsu Dei speratur aliquid per media extraordinaria: ut fecit Gedeon Judicum 16., Elias 3. Regum 18., Abraham Genes. 15., atque adeo isti non tentavere Deum, sed ejus se voluntati conformarunt.

II. Dividitur Tentatio Dei in Expressam, & Tacitam, seu Interpretativam. Expressa dicitur, dum aliquid fit ea intentione, ut experientia capiatur de aliqua divina perfectione, V. g., si quis petat miraculum sine necessitate

ad confirmandos articulos fidei; vel si velit se præcipitem agere de turri, ut experiatur, an a Deo adjuvetur. Tacita vero dicitur, quando aliquid fit sine tali expressa intentione capiendi experimentum de perfectionibus divinis; Nihilominus quod fit, vel dicitur, ad nihil aliud ordinatur, quam ad capiendum tale experimentum; Ut si quis velit ad imitationem Christi Domini abstinere ab omni cibo toto tempore quadragesimali: aut si omissis scalis velit e turri descendere, sperans se a Deo incolumem servandum: Vel si pretermissis mediis naturalibus vellet sola oratione bona temporalia obtinere; aut si ægrotus curari vellet nullo adhibito remedio naturali. Verum si aliquando ductis necessitate nil illis remanet, nisi Deum exorare, non est hoc tentare Deum; nam Paralipomenon 2. dicitur: *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.*

III. Quæritur nunc: An tentatio Dei ex genere suo sit peccatum mortale?

Respondeo affirmative cum communi. Est enim contemptus, & gravis irreverentia erga Deum, vel quia conjungitur cum dubitatione de ejus perfectionibus, & sic continet etiam infidelitatem: vel quia importat indebitam, & præsumptivam divinæ voluntatis investigationem per media ipsius providentiæ repugnantia.

Quare committitur peccatum mortale Tentationis Dei in sequentibus casibus. Primo, quando experimentum conjungitur cum manifesto periculo gravis damni; ut siquis gravi morbo laborans respuat medicinas, sperans a Deo sanitatem: vel quando quis duellum acceptat ad ostendendam suam innocentiam, putans a Deo servandum in signum suæ innocentiæ, ut olim erat in usu. Proinde cap. *Mendam*, & cap. *Consuluisti*, & cap. *Monomachiam 2. quæst.* 5. prohibentur illæ probationes tunc usitatæ, scilicet ferri candentis, vel ferventis aquæ, vel duelli ad explorandam veritatem aliquam, vel innocentiam alicujus.

IV. Neque dicas, quod Num. 5. præcipiebatur, mulierem de adulterio suspectam aquis amaris purgari: & quod Deus variis miraculis similes purgationes confirmarit, ut refert Delrio lib. 4. de Magia.

Nam respondetur, in lege veteri id Deum expresse voluisse, & præcepisse: in lege autem nova tale præceptum cæremoniale cessasse. Unde nunc tale experimentum non est licitum. Deinde verum est aliquando Deum confirmasse miraculis similes purgationes, sed id accidit, vel quando ex divino instinctu nonnulli ad id compulsi sunt, vel quia, ut notat Suar., & Sanch., quamvis homines tunc peccarint peccato tentationis Dei, voluit Deus miraculis vel confundere calumniatores, vel favere innocentiæ eorum, qui calumniam patiebantur.

V. Secundo, est peccatum mortale tentationis Dei, quando experimentum conjungitur cum scandalo: ut quando quis publice petit miraculum absque necessitate, aut impulsu Dei speciali ad confirmandam fidem.

Tertio, quando fit experimentum ad videndum aliquod opus supernaturale ex curiositate: tunc enim agitur cum Deo tanquam cum curiosorum fautore, & consequenter magna illi irrogatur injuria, ut notant Less., & Suar.

VI. In duobus tamen casibus peccatum tentationis Dei poterit esse veniale. Primo, si non intercedat plena deliberatio: quod habetur in qualibet materia peccaminosa. Secundo, si detur materiæ parvitas, v. gr.: si quis levi morbo affectus vane speret a Deo sanitatem, relictis mediis naturalibus: Quod si renuat medicinam, non quia vane sperat a Deo sanitatem, sed quia vult imitari Christum Dominum patientem, aut carnem domare, non dicitur tentare Deum, dummodo probabile mortis periculum non incurrat.

QUÆSTIO VII.

De Secundo Decalogi Præcepto

Non assumendi in vanum Dei Nomen.

PRogredimur ad explicandum secundum Decalogi præceptum, quod habetur Exod. 20. his verbis: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Et sensus est, non jurandum esse usurpando Dei nomen in vanum, hoc est, Primo, pro re inani, futili, & nullius momenti. Secundo, in vanum, hoc est sine necessitate. Tertio, in vanum, hoc est mendaciter. Dicitur etiam in vanum nomen Dei usurpare, qui male vovet; ideo hic de juramento simul, & de voto agendum, ac de eorum contrariis, videlicet de Perjurio, Adjuratione, & Perfidia. Incipientes autem a juramento inquiremus Primo, Quid, & quotuplex sit juramentum? Secundo, Quænam sint conditiones requisitę ad jurandum? Tertio, de Materia juramenti. Quarto de juramenti obligatione. Quinto, Quomodo celebriora quędam juramenta interpretanda sint? Sexto, Quomodo tollatur juramenti obligatio; Septimo, de Perjurio, & de assueto ad jurandum. Demum, de Adjuratione. In quæstione deinde sequenti disputabimus de Voto.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Juramentum?

I. Juramentum est Divini testimonii invocatio ad fidem faciendam; seu Invocatio Dei in testem. Invocatur autem Deus in testem vel explicite, vel implicite; ut quando juratur per Creaturas, quatenus in iis Deus relucet.
II. Juramentum fieri potest verbo, nutu, facto, scriptura, & mentaliter.
III Jurans per falsos Deos vere non jurat?
IV. Num sint juratoria hæc verba, Per fidem meam, Per conscientiam meam, Per fidem boni Christiani, Sacerdotis, &c.
V. In dubio num formula sit juratoria, quid in foro externo judicandum, & quid in interno?
VI. Jurans per suam barbam, vestem, aut alias res viles, in quibus divinitas specialiter non relucet, vere non jurat.
VII. Quid si quis usurpet formulas juratorias, nesciat tamen, quid sit juramentum, ut pueri, rudes, & mulierculæ? Quomodo Confessarii cum istis se gerere debent?
VIII. Hæc verba, Coram Deo loquor, Deus videt meam conscientiam, enunciative prolata non sunt juramentum; secus vero prolata invocative.
IX. Rustici passim dicentes, Per Deum, Per Corpus Christi, raro jurant, sed vel blasphemant, si adversus Deum indignentur, vel peccant contra charitatem, si adversus homines indignentur.
X. Jurans Per hanc Crucem, nullam signando Crucem, vere non jurat.
XI. Juramentum aliud Assertorium, aliud Promissorium, quod vel est Absolutum, vel Conditionatum, vel Pœnale.
XII. Per Juramentum Invocatorium, seu Contestativum Deus invocatur ut testis: Per Execratorium, seu Imprecativum invocatur etiam ut Vindex: Omnia autem juramenta censentur esse ejusdem speciei.
XIII. Juramentum Comminatorium (puta, Per Deum te occidam) vel reducitur ad Promissorium, vel ad Execratorium.

I. Quæritur primo: Quid sit Juramentum?

Respondeo, ex D. Th. 2. 2. quæst. 89. cap. 1., Juramentum derivari à jure, quia instar juris, ac legis habendum est; Diciturque etiam Sacramentum, eo quod sit actus Religionis, & rei sacræ attestatio. Quare definitur, quod sit *Divini testimonii invocatio ad fidem faciendam*; Et brevius, quod sit *Invocatio Dei in testem*: Quare duo ad juramentum requiruntur, & quod Deus invocetur, & quod invocetur in testem. Aliquando tamen Deus explicite invocatur, ut quando juratur per ipsum creatorem; V. g. quando dicitur, Testis est mihi Deus, Videt Dominus, Facio Deum testem, Sic me Deus adjuvet, Invoco Trinitatem, Per Christum, &c.; Aliquando invocatur implicite, ut quando juratur per creaturas, quatenus in ipsis relucet divinitas, dicendo, verbi gratia, Per Sanctos, Per Evangelia, Per cœlum, &c.. Nec differt specie hoc duplex genus juramenti, ut communiter docent Doctores, quia per utrumque idem divinum testimonium invocatur.

II. Præterea Juramentum fieri potest non solum verbo, sed etiam nutu, ut si tibi dicatur, An juras per Deum? & tu annuas; Necnon facto, ut si alicui deferatur liber Evangeliorum ad jurandum, & is illum tangat; Vel si subscribat scripturæ jusjurandum continenti; Ac demum sola mente; Unde juramentum promissorium sola mente factum obligat ex virtute Religionis, quamvis non obliget ex virtute justitiæ, nisi illud per signum externum constet parti acceptanti, juxta dicenda in de contractibus.

III. Ex dictis sequitur primo, jurantem per falsos Deos vere non jurare; quia non invocat verum Deum in testem. Quare solum ex conscientia erronea poterit obligari vi talis juramenti, quatenus putat se vere jurasse: quod si talem errorem deponat, nullatenus tenetur vi talis juramenti; nisi forte nomine Jovis ver. g., voluisset verum Deum insipienter invocare.

Sequitur secundo, Jurantem, Per hæc Evangelia, si putet illum librum esse Evangeliorum, cum tamen non sit, vere obligari vi juramenti; quia vere intendit jurare per Evangelia.

IV. Sequitur tertio, Jurantem, Per fidem suam, fide boni Christiani, aut Sacerdotis, per conscientiam suam, in Veritate, &c. si intendat per ea verba jurare, hoc est Deum in testem vocare, verum juramentum efficere, ut docet Sanch. lib. 3. cap. 2.; Sicut etiam si per fidem intelligat fidem catholicam. Quod si is intendat solum propriam fidem, & conscientiam, vel veritatem humanam invocare in testem, tunc profecto non juravit. Et sane Bonac. cum Sanch., Less. putat hujusmodi formulas non adhiberi ad jurandum.

V. In dubio tamen, an adhibueris ad jurandum quæcumque verba protuleris; sicut etiam in dubio, an habueris animum te obligandi, & in dubio an tua verba invocationem Dei (quæ est de essentia juramenti) saltem tacite contineant,

tineant, in foro externo ſtandum pro communi verborum acceptione; in foro interno judicari poteſt te non juraſſe, juxta probabilem ſententiam: Sicut in dubio ſimilis voti cenſendum eſt te non voviſſe, ut probabiliter putant Tambur. lib. 1. cap. 3. §. 7. V. *Votum*, Caram., & De Leon. contra Sanch.

VI. Sequitur quarto, jurantem per ſuam barbam, per equum, per veſtem, &c., nec jurare; quia non cenſetur invocari Deus invocando tales viles creaturas; Contra vero ſi invocentur creaturæ, in quibus ſpecialiter relucet divinitas; ut quando per Crucem, per reliquias, per lucem; per ſolem, per animam, per vitam, per ſalutem, per imagines juratur. Quod ſi adducatur in teſtem creatura aliqua, expreſſo nomine Dei in obliquo, ut, Per aerem Dei, per ignem Dei, &c., ſemper habetur juramentum. Quare tribus modis adduci poteſt creatura in teſtem. Primo, inquantum illa eſt teſtis infallibilis veritatis; & ſic eſt blaſphemia. Secundo, inquantum relucet in illa ſpecialiter Deus; & ſic eſt juramentum. Tertio, ſecundum dignitatem, quam habet in ſe, non vero per ordinem ad Deum; ut per meam conſcientiam, fide boni Sacerdotis; & ſic non eſt juramentum.

VII. Sequitur quinto, quod ſi quis uſurpando formulas juratorias velit jurare, neſciat tamen, quod jurare ſit Deum in teſtem invocare, ut communiter neſciunt pueri, & mulierculæ, atque adeo id non intendens, vere non jurat. Ita Tamb. hic: Et ratio eſt, quia cum talis voluntas jurandi non dirigatur a præcognitione, qua ſciatur quid ſit juramentum, vere, & efficaciter juratoria eſſe non poteſt; Quamvis ſi velit jurare juxta modum ordinarium, quo alii jurant, implicite habet intentionem invocandi Deum in teſtem, & ſic vere jurat, quando formulæ ſunt juratoriæ: Quando tamen formulæ non ſunt juratoriæ, ſi quis intendat facere, quod alii faciunt per ſimiles formulas, neque jurat, ut patet.

Sequitur ſexto, aptam eſſe pro Confeſſariis regulam allatam a Tamb., quod quando pœnitentes fatentur ſe cum mendacio juraſſe per animam, per conſcientiam, per cœlum, non ſint ſtatim de perjurio damnandi, ſed ſi rudes ſint, rogandi, num per ea verba intenderint vere jurare, & Deum invocare, vel ſe juxta conſuetudinem graviter obligare, an vero ea verba protulerint materialiter, aut non intendendo poſitive Deum implorare ut teſtem, aut præſcindendo ab imploratione, vel non imploratione Dei. Si enim poſitive noluerunt implorare Deum, peccarunt quidem jurando ſine animo jurandi; per hoc autem non peccarunt peccato perjurii, & fortaſſe aliquando ſive ex inadvertentia, ſive ex alio capite ſolum venialiter; Si vero præſcindebant a tali invocatione, certe non jurarunt, nec pejerarunt. Verum ſi pœnitentes non ſint rudes, & adhibeant juramentum, quo clare Deus invocatur, ut Per Deum, per Beatam Virginem, ſaltem in confuſo cognoſcendo invocationem Dei, tunc vere jurant; Quamvis nonnulli apprehendant tantum in his juramentis aliquam rationem mali præſcindentem a peccato mortali, & veniali; in quo caſu probabile eſt tantum veniale committi.

VIII. Sequitur ſeptimo, quod hæc verba, Coram Deo loquar, Deus ſcit, Deus videt meam conſcientiam, ſi proferantur enunciative, non ſint juramenta, ut patet; At invocative prolata ſunt juramenta, quia per illa invocatur Deus ut teſtis. Notat etiam Bonac. ex Sanch., quod tales formulæ prolatæ a viris jurare ſolitis præſumendæ ſint juramenta, niſi aliter conſtet de animo jurantis; quia verba præſumuntur prolata juxta conſuetudinem; Si vero proferantur in judicio, aut in cauſa damnum tertii reſpiciente, intelligendæ ſunt juxta communem audientium ſenſum; quia jurans ſic tenebatur illis uti, ne alios deciperet, vel damnificaret.

IX. Sequitur octavo, quod dicens ex ira, ut ſolent ruſtici, Per Deum, Per Corpus Chriſti, &c., non intendens Deum in teſtem adducere, vel aliquid confirmare, vere non jurat; nam potius hic intendit malum imprecari, vel iram, aut tædium patefacere, quam jurare.

Diximus autem articulo ſecundo quæſtionis antecedentis ex Laym., in his caſibus committi peccatum blaſphemiæ, ſi proferantur hæc verba ex indignatione contra Deum; ſecus vero ſi ex indignatione contra creaturas; Quod ſi per modum juramenti proferantur, erunt peccatum Irreligioſitatis contra ſecundum præceptum Decalogi, non tamen erunt blaſphemiæ.

X. Sequitur nono ex Bonac., & Suar. tom. 2. de Relig. lib. 1. cap. 2., quod ſi quis dicat, Per hanc Crucem, & conſulto nullam faciat Crucem, non jurat; quia cum nullam crucem faciat, nullam crucem adducit in teſtem, nec habet proinde animum jurandi, ſed decipiendi.

XI. Quæritur ſecundo; Quotuplex ſit Juramentum?

Reſpondeo, præter vulgares diviſiones in ſimplex, & ſolemne, (quod ſcilicet fit coram teſtibus, & notario cum aliqua juris forma, & tactu Evangeliorum) in Judiciale, & Extrajudiciale, in Abſolutum, & Conditionatum, dividi primo in Aſſertorium, & Promiſſorium. Aſſertorium eſt, cum Deus aſſumitur in teſtem alicujus veritatis aſſertæ, ſive de præterito, ſive de præſenti: Promiſſorium eſt, per quod juramus aliquid nos facturos, quod vel abſolutum eſt, ut Juro me iturum Romam, vel conditionatum,

verbi

verbi gratia, Si convalescam; vel pœnale, v. gr., Sub pœna solvendi centum, nisi ivero.

XII. dividitur secundo in Invocatorium, seu Contestativum, quod scilicet fit per simplicem contestationem Dei, ut Juro per Deum; & Execratorium, seu Imprecatorium, per quod nosmetipsos, vel aliquid nobis carum divinæ ultioni subjicimus, si non sit verum, quod asserimus; Ver. g., Deus annihilet me, vel filios meos, si hoc non est ita. Quare per Invocatorium Deus solum invocatur ut testis; per Execratorium Deus invocatur etiam ut vindex. Proinde dubium est apud Doctores, Num quando falso sic juratur, præter peccatum perjurii contra Religionem, sit conjuncta alia species peccati contra charitatem sui, vel proximi?

Communius cum Suar. contra Bonac., & Less. negant; quia non solet quis amico suo, vel sibi ea ex animo imprecari, sed potius cogitat Deum ea non esse facturum. Quare juramentum quodcumque, quovis modo fiat, communiter censetur esse ejusdem speciei; unde in confessione erit opus exprimere, num juramentum fuerit assertorium, num promissorium, num execratorium, ut communiter docent apud eundem Bonac. quæst. 1. punct. 2.

XIII. Demum datur juramentum comminatorium, ut si quis dicat, Per Deum te puniam, te occidam, sed hoc a nonnullis reducitur ad promissorium cum Busemb.; ab aliis cum Trull. ad execratorium.

ARTICULUS II.

De Conditionibus requisitis ad licite jurandum.

I. Tres sunt juramenti liciti comites, Veritas, Justitia, & Judicium, jurari enim nequit, nisi de re, quæ satis probabiliter putatur vera; item de re honesta, & ex necessitate. Si quis juret se venialiter peccaturum, num peccet mortaliter?

II. Gravius peccatum est jurare se mentiturum sine animo ponendi mendacium, quam jurare cum tali animo.

III. Pejerat, qui rem dubiam asserit cum juramento.

IV. Ad licite jurandum privatim satis est certitudo moralis de rei veritate: at ad jurandum in judicio requiritur notitia de visu, & præsentia.

V. Quamvis jurans se positurum rem levem graviter peccet, si tunc non habeat animum illam ponendi, non peccat tamen graviter, si deinde illam non ponat.

VI. Mater, quæ juramento comminatorio jurat se punituram filium, peccat graviter, si non puniat, quando punitio est justa, & gravis.

VII. Non dicitur esse universim juramentum falsum, sed temerarium, quando quis jurat se positurum rem illicitam, puta homicidium: Sicut etiam quando quis jurat se, verbi gratia, patrasse homicidium, ordinando hoc peccatum jactantiæ ad alios scandalizandos.

VIII. Si Sortes putet aliquid esse verum, quod tu scis esse falsum, non poteris inducere illum ad jurandum hoc, quod materialiter est falsum.

I. Tres conditiones requiruntur, ut liceat jurare, Veritas, Justitia, & Judicium. Dicitur enim Jerem. 4. *Jurabis, vivit Dominus, in Justitia, in Judicio, in Veritate.* Veritas consistit in hoc, quod jurans non levi, sed valde probabili conjectura pariente certitudinem aliquam moralem arbitretur verum esse, quod jurat. Justitia consistit in hoc, quod non fiat de re illicita; peccas enim graviter, si jures, verbi gratia, te fornicaturum, ex defectu justitiæ in juramento; Si tamen jures te patraturum peccatum veniale, aut te non servaturum consilia Evangelii, peccatum erit leve, juxta probabilem sententiam Suar., Valent., Sanch., & aliorum apud Bonac., eo quod non fiat gravis irreverentia Deo vocando illum in testem in tali casu: Quamvis Less. dicat lib. 2. cap. 42. dub. 4. communem sententiam esse, quod sit mortale. Judicium consistit in hoc, quod fiat cum necessitate; unde si quis juret in re levi, quæ non indiget confirmari juramento, peccabit ex defectu judicii, quamvis tale peccatum sit solum veniale, nisi adsit contemptus, aut periculum pejerandi.

II. Ex defectu tamen veritatis semper juramentum est mortale, sive res sit levis sive gravis, tam in juramento assertorio, quam in promissorio, si scilicet non habeas animum ponendi, quod spondes; unde si jures te mentiturum, non habens animum mentiendi, procul dubio erit mortale: Si vero habens animum mentiendi adducas Deum in testem talis veritatis, probabile est, quod sit solum veniale; quia non adducitur Deus ut approbator mendacii, sed solum ut testificans veritatem talis tui propositi mentiendi. Ex quo sequitur, minus malum esse jurare se commissurum veniale animo illud exequendi, quam animo non exequendi, ut notat Sanch. hic.

III. Quæritur nunc primo; An peccet etiam mortaliter, qui rem dubiam jurat?

Respondeo affirmative; Eodemque modo pejerat, tam qui jurando asserit tanquam certam rem dubiam, quam qui tamquam dubiam asserit rem certam: Pejerat proinde qui jurat se facturum aliquid, quod dubitat, an sit facturus; In confessione tamen satis est dicere, Toties falsum juravi, quia omnia hæc peccata ejusdem sunt rationis.

IV. Du-

IV. Dubium tamen eſt, quamnam diligentiam adhibere debeat jurans ad cognoſcendam rei veritatem ne ſit perjurus?

Reſpondeo, diverſam adhibendam eſſe diligentiam pro diverſitate materię, ut notat Bonac. ex Sanch.: Profecto ad quodvis juramentum requiritur certitudo moralis veritatis rei; nam licet, verbi gratia, probabile ſit, Sacerdotem ſolitum quotidie celebrare, hoc mane celebraſſe, non poteris tamen id jurare, niſi habeas certitudinem moralem, verbi gratia, ex relatione alicujus fide digni. Verum licet ad juramentum privatum ſatis ſit certitudo moralis iſta, verbi gratia, quod rem audieris a perſona fide digna; at ad jurandum in judicio rem ita eſſe, id non eſt ſatis; In judicio enim jurari tantum poteſt, quod novimus de viſu, & præſentia; ut præcipit Calliſtus Papa in cap. *Teſtes* 3., *quæſt.* 9.: Et ratio eſt, quia teſtis de auditu in judicio non probat ſemiplene, ſicut teſtis de viſu; Si tamen in judicio hoc ipſum juret, ſcilicet rem accepiſſe a viro fide digno, non peccat.

V. Quæritur ſecundo; Quodnam peccatum committitur ab eo, qui non adimplet, quod jurans promiſit?

Reſpondeo, ſi promiſit aliquid grave, verbi gratia, ſe ingreſſurum in Religionem, peccare mortaliter id non ponendo: Si vero promiſit rem levem, puta recitaturum, Ave, communiter Doctores apud Dian. part 4. tract. 4. reſol. 7. docent contra Cajet., & Leſſ. cap. 42. dub. 5. eſſe veniale. Sicut enim violatio voti in re parva eſt veniale, ita violatio juramenti promiſſorii; nam per juramentum Deus in teſtem adducitur ſolum veritatis præſentis, ſeu quod detur de facto animus ponendi, quod promittimus; non vero in teſtem veritatis futuræ, ſeu quod ponetur, quod promittimus; unde qui non adimplet juramentum, non eſt mendax, ſed infidelis: non ſecus ac qui non adimplet votum; & ideo tamen violatione voti, quam in violatione juramenti promiſſorii in re parva levis irreverentia irrogatur Deo.

VI. In juramento tamen comminatorio, quando, verbi gratia, mater jurat ſe punituram filium; ſi id faciat ex paſſione, & vindicta inordinata, certe non tenetur punire; quia juramentum non obligat ad faciendum malum, cum non ſit vinculum iniquitatis: Si vero punitio ſit juſta, erit peccatum grave, ſi ea non ponatur, quando res eſt gravis, leve vero, quando res eſt levis, dummodo tamen cauſa punitionis, ac circumſtantiæ, ut diximus, maneant invariatæ; nam ſi punitio erat juſta, quando cum juramento fuit promiſſa, & deinde poſita emendatione, & pœnitentia delinquentis, aut interceſſione facta ab amico, punitio non eſt requiſita a culpa, certe mater ad illam non tenetur; quia juramentum, ſicut & votum, habet ſemper tacitam illam conditionem; *Niſi Cauſa varietur*: Demum fœmina, quæ jurat ſe fracturam brachia puero, tenetur ſolum moderate illum caſtigare, quia illa locutio eſt hyperbolica.

VII. Quæritur tertio; Quodnam peccatum ſit juramentum adhibere tanquam medium ad malum; Verbi gratia, ſi quis juret ſe habere animum fornicandi; vel ſi quis juret Petrum eſſe adulterum, adhibendo juramentum, ut Petrus occultus adulter infametur?

Reſpondeo, peccatum hoc non eſſe proprie, & ſtricte perjurium, quia ſupponitur jurari verum, ſed eſt peccatum grave ex defectu juſtitiæ in juramento requiſitæ, eo quod gravis irreverentia ſit adducere Deum ad confirmandam iniquam actionem; Si vero materia eſſet levis, peccatum eſſet veniale, & tale juramentum vocatur a Doctoribus Temerarium, quia temere prolatum: Qui vero ob jactantiam, & ut credatur, jurat ſe commiſiſſe, verbi gratia, homicidium, neque perjurium committeret, neque juramentum temerarium, eo quod non aſſumeret juramentum tanquam medium ad confirmandam iniquam actionem, nec invocaret Deum ut teſtem peccati, ſed ſolum ut teſtem veritatis; quare ſolum committeret peccatum mortale jactantię, niſi talem hanc jactantiam ordinaret ad alios ſcandalizandos; ſic enim juramentum eſſet temerarium. Ita Tambur. ex Pal., & Suar.

VIII. Quæritur ultimo; An ſit peccatum inducere aliquem ad jurandum falſum, quod is credit eſſe verum; Verbi gratia, ſi quis putet te eſſe Romanum, cum ſis Neapolitanus, poteriſne illum inducere ad jurandum, quod tu ſis Romanus?

Reſpondeo, id affirmare Hurt., & Dian. part. 5. tract. 7. reſol. 14. cum Tamb. cap. 1. § ult. poſt fuſe diſcuſſam hanc quæſtionem. Verum Lugo aperte negat, cum Suario, Azorio, Pontio apud eundem Dianam. Ratio eſt, quia ſicut non poſſumus inducere infantem ad blaſphemandum, ebrium ad fornicandum, nec ſervum ad laborandum die feſto, quem ille putat eſſe feriatum; ita in caſu noſtro non poſſumus inducere ignarum ad pejerandum, ſeu ad jurandum, quod tantum materialiter falſum eſt.

ARTICULUS III.

De Materia Juramenti.

I. Juramenti promiſſorii materia debet eſſe res licita, poſſibilis, honeſta, & non indifferens, nec impeditiva majoris boni.

II. Si jures in obſequium Dei te ducturum Uxorem, ad id non teneris; Secus vero ſi id jures in gratiam fœminæ, quam vis ducere.

III. Qui rem bonam, puta jejunium, jurat ob finem malum, ad illam non tenetur; Secus vero ſi illam jurat ob finem bonum, quamvis hic per peccatum aſſequendus ſit,

IV. Se-

IV. Secunda sponsalia jurata, etiam dissolutis prioribus sponsalibus, non obligant.

V. Promissio facta pro turpi facinore patrando, num eo patrato obliget?

VI. Promissio prodiga num obliget ad totum? num ad partem, in qua non sit prodigalitas? Num simpliciter non obliget?

VII. Juramentum non obligat ad ponendum, quod lege etiam civili vetatur; obligat tamen ad id, quod lege civili non prohibetur, sed permittitur in favorem jurantis.

VIII. Juramentum de non acceptando Episcopatu, si fiat ex affectu humilitatis, validum est; secus vero si fiat ad declinandas curas Episcopales.

I. Certum est, materia juramenti promissorii debere esse rem licitam, possibilem, honestam, & non impeditivam majoris boni. Quare juramentum de re illicita est illicitum, & non obligatorium; Juramentum vero de re impossibili cognita ut tali est temerarium, & graviter peccaminosum: quia non stat cum animo exequendi, quod juratur: Juramentum de re indifferenti neque est obligatorium; Verbi gratia, de non fricando barbam, de non transeundo per talem viam, nullo adhibito fine honesto, vel de non ludendo in tali domo, vel cum tali persona eo quod infeliciter luseris. Ratio est, quia Deus non obligat ad aliquid vanum, & otiosum; nisi tamen res indifferens fiat bona ex aliqua circumstantia, vel sit in favorem Tertii.

II. Neque demum est obligatorium juramentum faciendi, quod est impeditivum majoris boni, nisi sit factum in gratiam alterius: V. g., si jures inire matrimonium: quod est impeditivum status perfectioris, videlicet cœlibatus, non teneris: Si vero promittas alicui fœminæ matrimonium, & jures, teneris. Et disparitas est, quia promissio facta homini respicit, quod est homini gratius, licet sit impeditivum majoris boni; Promissio vero facta Deo respicit, quod est gratius Deo; Qnod autem est impeditivum majoris boni, non est gratius Deo; & ideo ad id non obligat juramentum.

III. Sequitur ex dictis primo, invalidum esse juramentum, si Amasius, & Amasia jurent se turpiter alios non cognituros; cum enim hoc fiat, ut magis foveant inter se amorem, juramentum est de peccato mortali; atque adeo de re illicita: Et universim quoties juratur, aut vovetur aliquid ob finem malum, qui sit finis rei promissæ, juramentum, & votum sunt irrita, ut late explicat Tamb. lib. 3. cap. 15. §. 2.: Quare si jures, aut voveas jejunium, vel eleemosynam, ut duellum acceptetur, vel ut possis usuras accipere, non teneris jejunare, &c. Contra vero si jures, aut voveas jejunium, ut ex duello incolumis evadas, vel ut ex concubina filium reportes, teneris ad jejunium; quia finis intentus non est peccatum, quamvis per peccatum assequendus sit.

IV. Sequitur secundo, juramentum de facto alieno, puta quod filius ingressurus sit Religionem, esse illicitum; nisi forte intendas, quod quantum est in te facturus sis, ut filius talem statum libere amplectatur. Ratio est, quia non est materia tibi possibilis electio libera status facienda ab alio.

Sequitur tertio, illicitam, & invalidam esse promissionem juratam factam contra priorem promissionem licitam; Verbi gratia, secunda sponsalia jurata facta contra priora sponsalia non obligant; cum sint de re illicita, idest contra jus prioris sponsæ. Immo si priora sponsalia aliqua ratione dissolvantur, adhuc secunda remanent invalida, juxta regulam illam juris in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod a principio non subsistit.*

V. Sequitur quarto, eum qui juravit tradere meretrici, aut sicario pro turpi facinore pecuniam, ante patratum facinus teneri contractum rescindere, ne alter ad peccatum incitetur; eo tamen secuto teneri solvere, quod promisit; quia promissio solvendi post culpam est de re licita. Ita communius contra nonnullos apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 27.

VI. Sequitur quinto, promissionem prodigam juratam non obligare quoad eam partem, in qua est prodigalitas, quia non est de re licita. Ita Sot. contra Cajet. apud Dian. loc. cit. Probabile tamen putat Tamb. cap. 3. §. 5. talem promissionem ad nihil obligare, quia facta est per modum unius, & indivisibiliter; unde cum tota materia sit inhonesta, promissio simpliciter non obligat. Sanch. vero lib. 3. disp. 9. n. 28. contra communiorem putat, promissionem prodigam obligare ad integram solutionem; quia quamvis peccarit, saltem venialiter, qui prodige promisit, at non peccat solvendo, cum in tali solutione adsit justitia, eo quod sit solutio debiti jam contracti.

VII. Sequitur sexto, non solum juramentum factum contra legem naturalem, aut divinam, aut canonicam non obligare, cum sit de re illicita; sed nec obligare juramentum contra legem civilem, quæ spectat bonum publicum, & commune; verbi gratia, juramentum factum a Clerico de renunciando privilegio fori, vel juramentum de extrahendis frugibus, equis, armis contra leges id prohibentes propter commune bonum.

Utrum autem obliget juramentum contra legem civilem, quæ spectat primario ad bonum privatum ipsius jurantis, & non vergit in preju-

judicium tertii? Affirmat universim Sanch., quia quilibet potest cedere juri suo. Propterea quamvis lex civilis irritet donationes inter conjuges, & contractum minoris sine Curatore, necnon promissionem, qua fœmina obligat se non regressuram amplius ad bona paterna; at juramentum contra has leges obligat; Unde fit quod donatio inter conjuges jure civili irrita, juramento firmata sit valida.

Verum Tamb. cap. 3. §. 5. ex Pal. distinguit. Nam vel tales leges aliquid prohibent, aut præcipiunt; vel solum permittunt: Contra leges prohibentes, aut præcipientes, docent juramentum non obligare, contra permittentes vero obligare: Verbi gratia, prohibet lex civilis, ne fundus dotalis a muliere alienetur, & permittit, quod fundus alienatus non repetatur, ideo si mulier juret alienare, non tenetur; si juret vero non repetere fundum alienatum, tenetur. Eodem modo lex civilis prohibet, ne ludens pecunia credita solvat, quod amittit: Quare si quis juret solvere, non tenetur; Si vero solvat, & juret non repetere, tenetur; quia id lex permittit. Jurans autem solvere usuras, aut pecuniam latroni tenetur; quia leges id permittunt solventi, & solum prohibent usurario, & latroni.

VIII. Sequitur ultimo, juramentum de non acceptando Episcopatu, factum vel ex consideratione propriæ insufficientiæ, vel ex affectu humilitatis, esse validum: Contra si fiat ex fuga incommodi, quod debet subire Episcopus in pascendo grege. Ratio est, quia in hoc secundo casu juramentum esset de re impeditiva majoris boni, ex D. Th. 2. 2. quæst. 185. art. 1.; In primo vero casu non sic; ideo Professi Societatis tale votum emittunt; nec dici potest esse invalidum, quando tale institutum a Pontificibus approbatum est, & illud impugnantes excommunicantur.

ARTICULUS IV.

De Juramenti Obligatione.

I. Qui jurat sine animo jurandi, secundum se peccat graviter: sicut etiam qui jurat sine intentione se obligandi.

II. Quandonam possit sine mendacio, & perjurio quis jurare, utendo æquivocatione, aut restrictione non pure mentali, sive locutione materiali?

III. Juramentum, sicut & votum, non obligat, si dolus, aut error dans illi causam versetur circa substantiam rei, aut circa circumstantias notabiles, quæ in ipsam rei substantiam redundent; secus vero si versetur circa circumstantias parvi ponderis.

IV. Est pariter invalidum juramentum, & votum, si error dans causam contractui versetur circa causam finalem, (quod verum est, etiamsi error sit concomitans,) non tamen si error incidat in contractum, & versetur circa causam impulsivam.

V. Error tamen circa qualitates magni ponderis, & circa causam finalem non invalidat Professionem Religiosam; sicut nec matrimonium, aut susceptionem Ordinis Sacri, nisi exprimatur.

VI. Qui juravit, vel vovit, & dubitat, an habuerit animum se obligandi, probabilius obligatur. Qui tamen juravit se non lusurum, præscindendo a lusu moderato, vel immoderato, poterit lusu moderato ludere.

VII. Juramentum metu extortum obligat pro foro interno, non pro externo. Et nisi a Prælato ex juxta causa relaxetur, poni debet, quantumvis arduum sit, quod juratum est, si citra culpam poni potest.

VIII. Matrimonium, & votum extorta metu gravi injusto ideo sunt irrita, quia jure Ecclesiastico irritantur; Juramentum tamen hujusmodi ab Ecclesia non irritatur.

I. Quæritur primo: An obliget juramentum factum animo ficto?

Respondeo, & dico primo, jurantem sine animo jurandi, si intendat rem falsam confirmare juramento, peccare graviter, ut notat Bonac. quæst. 1. punct. 7., & Trull. lib. 1. cap. 1. dub. 10. ex Less. Ratio est, quia externo actu adducit Deum in testem falsi, quod est gravis irreverentia; non secus ac exterius sacrificare Idolo. Et eodem modo peccat graviter, qui jurat sine animo jurandi, quando rationabiliter exigitur juramentum; quia intercedit gravis deceptio contraria fini juramenti. Si vero jurans non intendat referre juramentum ad rem illam falsam, sed velit vel æquivocare, vel loqui materialiter, non erit mortale, quando non exigitur juramentum rationabiliter, sed per injuriam extorquetur, & falsitas est omnino occulta, ut docent nonnulli apud Less. cap. 42. dub. 8.

II. Dico secundo, jurantem sine animo jurandi, vel cum expressa intentione non se obligandi peccare quidem graviter, ut diximus, quia deest veritas præsens; jurat enim se facturum, quod non intendit facere: Verum non obligatur vi juramenti; deficiente enim intentione jurandi, non habetur juramentum, & deficiente intentione se obligandi, nec obligatur; quia Deus non acceptat juramentum, nisi secundum hominis intentionem. Ita communiter apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 33. Cogitur tamen iste in foro externo juramentum servare, & tenetur

etiam

etiam in conscientia, si adsit scandalum, aut si intercedat damnum tertii. Ratio est, quia si adsit scandalum, tenemus illud vitare, & si interveniat damnum tertii, tenemur illud resarcire; eo quod per talem fictionem delinquatur contra justitiam.

Ex dictis sequitur, quod promissio liberalis jurata ficte, secluso scandalo, aut damno, non pariat obligationem executionis, neque ex capite Religionis, quia non interfuit juramentum; neque ex virtute justitiæ, quia promissio ista ficta non peperit ullum damnum proximo, quamvis afferat cessationem lucri: Contra vero si quis ficte promisit cum juramento matrimonium, quia talis contractus est onerosus, tenetur uterque ex justitia ponere verum consensum, atque adeo decipiens tenetur ad matrimonium, ut dicemus in de sponsalibus cum Vasq. disp. 6. n. 36., Pontio, Ledesma apud Sanch. lib. 1. disp. 10.; Etenim in omnibus contractibus onerosis, ubi alter ex sua parte implevit, tenetur alter implere, quamvis ficte contraxerit, eo quod teneatur ex justitia vere contrahere. Quare cum mulier jam implevit tradendo jus ad corpus, tenetur fictus promissor implere eam ducendo. Sanch. loco laudato n. 26. speculative loquendo putat probabilius esse, quod secluso damno non teneatur fictus promissor matrimonii illud implere. At disp. 11. n. 5. docet, semper ex hac ficta promissione sequi notabile damnum alteri vere promittenti, ac proinde in praxi ad matrimonium obligari.

II. Quæritur secundo; An possimus, jurando uti æquivocatione, vel restrictione mentali?

Respondeo, damnatam esse ab Innoc. XI. propos. 26., ex qua sequitur, jurantem cum restrictione pure mentali mentiri, & esse perjurum. Quamvis autem non liceat uti restrictione pure mentali, possumus tamen aliquando uti licite æquivocatione in juramento, aut restrictione non pure mentali, prout explicavimus in Trutina exponendo hanc thesim proscriptam; quando scilicet adest justa causa: V. g., quando juramento promittimus aliquid latroni; vel quando quis a suo judice non interrogatur juridice; aut quando habet justam causam non ferendi testimonium in judicio, vel quia timet sibi grave malum, vel quia crimen est occultum; si tunc cum juramento neget tale crimen, non mentitur, nec est perjurus, quia respondet ad mentem interrogantis, juxta explicata loco laudato, & ita respondendo non jurat falsum. Eodem modo qui obiter petransit e loco peste infecto, itaut constet nullum omnino esse periculum, quod pestem contraxerit, poterit ex Tolet., Bonac., & aliis apud Dian. part 3. tract. 6. resol. 30. cum juramento negare, quod e tali loco (idest peste infecto) veniat, quia respondet ad debitam intentionem interrogantis; Sicuti si habeas penes te centum aureos Titii, & alter petat a te mutuos centum, sine mendacio dicis, Te non habere nummos, quia cum non sint tui illi, quos habes, bene respondes ad mentem interrogantis. Sic ex Tambur. lib. 3. cap. 4. cum communi Doctorum excusatur, qui cum juramento negat, se commisisse homicidium, quod sine culpa commisit; necnon qui negat adulterium, quod commisit occulte; sic enim jurare cum æquivocatione non est pejerare, nec uti restrictione pure mentali, sed ad mentem boni, & justi judicis respondere. Pariter Clericus interrogatus in porta Civitatis, num ferat secum aliquid spectans ad gabellam, potest cum juramento negare; cum non teneatur gabellam solvere: Sic Confessarius interrogatus, an audierit peccatum in confessione, potest cum juramento negare; iterum interrogatus, an in tali responsione utatur æquivocatione, potest etiam negare; quia in tali casu vel respondet ad mentem debitam interrogantis, negando se habere scientiam de tali re communicabilem; vel loquitur tantum materialiter. Sic qui aliquid abscondit ad sui sustentationem, interrogatus a judice, potest cum juramento negare, quod aliquid absconderit; Et pœnitens temere rogatus, an tale peccatum confessus sit potest negare, ut notat Henr. lib. 6. de Pœnit. cap. 19.; Sicut etiam adultera, si a marito rogetur, an adulteraverit, ex Navar., & Laym.: Similiter si pauper excusetur a solvendo debito propter paupertatem, & a judice iniquo prematur ad solutionem, interrogatus a tali judice, potest jurare se nihil debere, nec pecuniam a creditore accepisse, quia respondet ad mentem debitam interrogantis, dum dicit se non accepisse pecuniam, ita scilicet ut statim debeat solvere. Ita Sanch. lib. 3. cap. 6. n. 32. Et qui ficte matrimonium promisit, potest interrogatus a judice negare, quod promiserit. Sicut etiam qui reperto cadavere interrogatur, an gladius ibi inventus sit suus, vel an illac transierit, poterit negare, si ea petantur tanquam indicia homicidii, quod vere non commisit, ut notat Less. lib. 2. cap. 31. num. 14.

Admittit etiam Sanch. loc. cit., Bonac., Sylvest., & alii apud Trull. dub. 15. num. 12., & Dian. part. 2. tract. 6. resol. 30. quod si quis petat a te pecuniam mutuam, aut librum, potes cum juramento negare, quod habeas, si scilicet non potes commode mutuare, quia sic respondes ad mentem debitam petentis.

Rogabis, mortaliterne, an venialiter peccet, qui joco utitur restrictione non pure mentali, vel æquivocatione jurando sine necessitate: Verbi gratia, qui dicit Pontificem fuisse suspensum, intelligendo ejus imaginem.

Respondeo, Armil., Sayr., Navar., Tolet., & alios apud Bonac. putare, quod peccet mortaliter, qui jurat in re falsa. Mihi tamen videtur distinguendum; nam si utatur restrictione pure mentali, peccat mortaliter, quia vere mentitur, & est perjurus, juxta thesim damnatam ab Innoc. XI.; Si vero utatur æquivocatione, aut restrictione non pure mentali, quatenus ex circumstantiis colligi facile potest, quod non sit sermo de persona, sed de imagine Pontificis; cum non mentiatur, nec juret falsum, dicendum, quod solum venialiter peccet, si non temere, sed ex aliqua causa id fiat.

III. Quæritur tertio, An juramentum, vel votum dolo, aut errore emissum obliget?

Respondeo, recolendum esse, quod dolus, & error alius est in substantia rei; alius in qualitatibus: Alius dat causam contractui, seu versatur circa causam finalem, quo scilicet deprehenso contractus, & juramentum secundum prudentem æstimationem non fieret; Alius incidit in contractum, seu versatur circa causam impulsivam, quo scilicet deprehenso adhuc fieret contractus, & juramentum, licet diversimode. His positis,

Dico primo, si dolus, aut error sit circa substantiam rei, verbi gratia, si quis juret se daturum rem aliquam, quam putat vitream, & reperit esse gemmeam, juramentum non obligat, quia scilicet deficit consensus, seu intentio jurandi; nihil enim est magis contrarium consensui, quam talis error: Sic qui vovet ingredi Religionem, ignorans illam esse perpetuam, nulliter vovet, quia talis error pertinet ad substantiam rei.

Dico secundo: Est pariter nullum juramentum, & votum, quoties error est circa qualitates, seu circumstantias, & accidentia, quę sint tanti ponderis, ut in ipsum voti objectum, & substantiam videantur redundare. Ratio est, quia talis error videtur potius esse circa substantiam, quam circa circumstantias: E. gr., si quis voveret peregrinationem ad loca Sancta, putans quod ea non longe distent; si deinde deprehendat ea longissime distare, non tenetur tali voto: Contra vero si circumstantię sint parvi ponderis, votum est validum; verbi gratia, si voveas dare eleemosynam Titio, quem putas Sacerdotem, cum tamen non sit.

IV. Dico tertio, est etiam invalidum juramentum, & votum, si error det causam contractui, seu si versetur circa causam finalem; ut si quis juret se empturum domum, quam putat aptam ad habitandum, & deinde comperiat illam esse in fundamentis vitiosam; Sic qui juravit stare contractui venditionis, & postea deprehendit se notabiliter læsum in defectu pretii, juramentum non obligat, & potest æqualitatem pretii sibi procurare; juramentum enim fuit factum cum errore circa causam finalem; ideo enim juravit, quia putavit contractum fuisse justum. Idque verum est ex Suar., Sanch., Bonac. disp. 4. quæst. 1. punct. 8. contra Trull. cap. 1. dub. 2., etiamsi talis error sit concomitans, seu etiamsi verum esset, quod deprehenso tali errore adhuc jurasset: etenim consensus ille conditionatus non ponit obligationem absolutam, ut communiter dicunt Doctores in simili de Matrimonio; si enim error sit circa substantiam, verbi gratia contrahendo cum Lia, quam puto Rachelem, matrimonium est invalidum; etiamsi verum sit, quod si cognoscerem illam esse Liam, adhuc contraherem.

Ubi notandum, quod non solum juramentum, & votum, sed etiam omnes contractus (excepto matrimonio) sunt invalidi, si dolus, & error sit circa causam finalem; non quidem jure naturæ; nam sic neque matrimonium esset validum, sed jure positivo, ut dicemus suo loco.

V. Dico quarto, quando error incidit in contractum, & est circa causam impulsivam, seu est talis, ut adhuc eo deprehenso communiter soleant homines jurare, vovere, contrahere, in tali casu juramentum, votum, & contractus cum tali errore præstita sunt valida, cum non desit consensus sufficiens.

Dico quinto cum Tamb. cap. 3. §. 5. ex Pal.; Quando error est tantum circa qualitates in Professione religiosa, sicut etiam in matrimonio, & in iis, quæ pertinent ad statum aliquem perpetuum assumendum, videlicet in susceptione Sacrorum Ordinum, &c., nisi quis expresse dicat se nolle vovere, aut contrahere non posita tali qualitate, votum, & contractus sunt valida, etiamsi qualitates sint magni ponderis, & error sit circa causam finalem. Unde si quis promittat cum juramento matrimonium puellæ, quam putat virginem, nobilem, divitem, nisi expresse dicat se nolle contrahere sine his qualitatibus, contractus, & juramentum obligant, etiamsi desint tales qualitates. Sic qui ære alieno gravatus, aut laborans morbo gallico, si interrogatur a Prælato, occultat debita, aut morbum, & profitetur, Professio religiosa est valida, quamvis Prælatus illum non acceptasset, si ejus debita novisset; ut præcipit Clemens VIII., qui sustulit ab his incapacitatem ad profitendum impositam a Sixto V. Eodem modo Episcopus quamvis prohibeat, verbi gratia, excommunicatum ordinari, tamen si illum ordinat, valide ordinat, nisi expresse dicat, Ordino te, si non es excommunicatus; Et qui profitetur in Religione Minimorum ignorans illos abstinere ab esu carnium, valide profitetur, nisi aliud exprimat. Ratio horum omnium est, quia ex communiter contingentibus præsumitur, quod absolute ponatur consensus in his casibus per-

pertinentibus ad statum perpetuum assumendum, nisi expresse ponatur conditio contraria.

VI. Quæritur quarto, An teneatur implere juramentum, vel votum, qui postquam juravit, dubitat, an habuerit animum se obligandi?

Respondeo, Sanch., & Bonac. cum communi affirmare; tum quia possessio stat pro juramento; pro illo enim stat possessio, pro quo stat juris præsumptio; Tum etiam quia probato facto præsumitur intervenisse omnia requisita ad factum, ex cap. *In præsentia, de Probation.* Verum Tambur. lib. 1. cap. 3. §. 2. V. *Votum* ex Caram, & Leon. putat non esse improbabile, quod non tenearis; quia dum dubitatur de substantia promissionis, possidet libertas in foro interno, quamvis in foro externo possideat juramentum. Quæ sententia magis habet locum, si juramentum fuit emissum ex metu gravi, ut notant nonnulli apud Sanch., quia non præsumitur in tali casu animus se obligandi. Præterea Tambur. lib. 3. cap. 3. §. 5. docet, quod si jurasti non ludere, nihil cogitando, an de ludo immoderato, & periculo duntaxat, an etiam de moderato intellexeris, non tenearis abstinere a ludo moderato, quia ex leg. *Quicquid, de Verbor. significat.* interpretatio juramenti ita fieri debet, ut minorem, quæ fieri potest, obligationem inducat.

VII. Quæritur quinto, An juramentum metu extortum obliget?

Respondeo cum communi apud Less. cap. 42. dub. 6. contra nonnullos, obligare in foro interno, si factum sit animo se obligandi; quia tenemur efficere, ut verum sit, quod juramus, ne Deus adducatur in testem falsi: Et quamvis promissio per vim extorta, utpote non sufficienter libera, ex se non obliget juxta multorum sententiam apud Truli. hic dub. 12., obligat tamen ratione juramenti in foro interno; Quamvis in foro externo tale juramentum non obliget, quia præsumitur non esse factum animo jurandi, ex cap. *Verum, de Juram.*

Hinc sequitur primo, quod qui juravit solvere usuras, teneatur vel illas solvere, vel petere relaxationem juramenti, ex cap. *Ad audientiam, de iis quæ vi*: Quamvis si solvat, possit illas in judicio repetere, vel si id non possit, per occultam compensationem.

Sequitur secundo, quod si quis promiserit sine juramento per gravem metum, verbi gratia redire in carcerem, non teneatur; eo quod promissio non fuerit sufficienter libera; si vero juraverit, teneatur redire, non solum si carcer sit justus, quod omnes concedunt; sed etiam si sit injustus, & periculosus, videlicet vel tyranni, vel judicis incompetentis, nisi relaxationem obtineat, aut nisi tempore juramenti fuerit inscius tanti periculi; cum juramentum, & votum habeant semper tacitam illam conditionem, nisi notabilis mutatio superveniat, aut de novo appareat. Ita Less., Suar., & alii communius contra Navar., Vasq., Reginald., qui putant in tali casu non teneri; quia nemo potest seipsum occidere, sed quisquis tenetur propriæ vitæ consulere: Imo nonnulli apud Tambur. putant peccare, si redeat, quia opus est temeritatis sine necessitate offerre se morti. Ad quod tamen respondent Suar., & Less., quod licet nemo possit immediate se ipsum occidere, potest tamen ex justa causa exponere se periculo mortis, ut in hoc casu; justa enim causa est, ut fidelitas, & veritas juramenti servetur: Quod confirmatur a Laym., quia Princeps peccat permittendo Hebræis sine necessitate libertatem suorum rituum; at si id juravit, obligatur juramentum servare, (non secus ac obligatur vi juramenti usuras solvere, qui juratus illas promisit) ne cum damno commercii fides humana rumpatur; ita in casu nostro.

VIII. Oppones: Matrimonium, sicut & votum factum metu gravi injuste incusso ad illud extorquendum est irritum; ergo etiam simile juramentum.

Respondeo, concesso antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia Ecclesia matrimonium, & votum irritavit, non tamen juramentum, ut notat Sanch. lib. 3. de opere morali cap. 2.. Cum enim votum fiat Deo, & juramentum homini, facilius oritur scandalum, si juramentum homini factum non servetur, quam si non servetur votum factum Deo; & ideo votum meticulosum, non juramentum irritatum est ab Ecclesia: Quamvis Sot., & alii apud Sanch. lib. 4. de Matrim. disp 5. contra communiorem putent, votum meticulosum non solum jure Ecclesiastico, sed etiam naturali esse irritum; Sylvest. vero, & Suar. lib. de Voto cap. 8. putant solum votum solemne professionis, & simplex Religionis metu extorta irritari ab Ecclesia. Sed communior sententia apud Bonacin. disput. 4. quæst. 2. punct. 3. docet, omne votum meticulosum ab Ecclesia irritari; tum quia si irritatur votum solemne, a fortiori irritatur quodvis votum simplex, quod non adducit obligationem adeo gravem; tum etiam quia in cap. *Cum dilectus, de iis que vi*, decernitur votum fuisse validum; quia non fuit factum per metum gravem; ergo a contrario sensu votum factum per metum gravem non est validum.

Demum inquirendum esset, An juramentum confirmet contractus, ita ut contractus de se invalidi, aut rescindendi vi juramenti tribuant alteri jus justitiæ. Verum quia quæstio hæc perplexe nimis ab auctoribus agitatur, ut notat Tambur. lib. 3. cap. 3. §. 6.; ideo commodius de hoc Deo dante cum de Contractibus nonnulla dicemus; & fuse de hoc diximus in primo ex Opusculis

sculis Theologico-Moralibus de Principiis Moralitatis.

ARTICULUS V.

Quomodo quædam celebriora Juramenta interpretanda sint.

I. Prima regula servanda, quod juramentum, quantum fieri potest, minus obliget servata verborum proprietate. Altera, quod cadens supra promissionem, hujus naturam sequatur.

II. Juramentum de non ludendo secundum se intelligitur de ludo illicito.

III. Qui jurat se soluturum debita intra mensem, prorogato tempore de consensu creditoris, non tenetur amplius vi juramenti.

IV. Juramentum Medicorum de non visitandis post tertium diem infirmis, nisi confessionem præmiserint, quomodo intelligendum est?

V. Si quis jurat se ducturum Bertam divitem, & sanam, non tenetur eam ducere, si incidat in gravem ægritudinem, & paupertatem.

VI. Qui promittit aliquid Titio cum juramento, non tenetur, si ille fiat ingratus, aut frangat fidem datam.

VII. Si quis juratus promittat aliquid absenti, potest promissionem revocare, antequam acceptetur. Pariformiter discurrendum de pluribus aliis juramentis, quæ passim fiunt.

I. UNiversim duæ regulæ hac in re assignantur. Prima est, quod in dubio, seu quando non constat de mente jurantis, juramentum interpretandum sit, itaut, quantum fieri possit, minus obliget servata verborum proprietate. Secunda regula est, quod juramentum cadens supra propositum, vel promissionem habentem tacitam conditionem, vel ex mente jurantis, vel ex consuetudine jam recepta, vel ex dispositione legis, explicandum sit eo modo, quo ipsa promissio explicatur, idest cum eadem conditione. Etenim juramentum sortitur naturam actus, supra quem cadit, ex *leg.* 1. *cod. de Non numerata pecunia*; & cum juramentum sit accessorium, sequi debet naturam principalis, ex *reg.* 24. *juris in* 6.

II. Ex prima regula infertur primo ex Sanch. apud Bonac. punct. 17., quod id dubio de mente jurantis juramentum non ludendi interpretandum sit de ludo illicito, non de licito, qui recreationis causa suscipitur.

III. Infertur secundo ex Less. cap. 42. num. 57. contra Sanch., & Bonac., quod si jurasti solvere intra mensem, prorogato termino a creditore, non teneris amplius ex vi juramenti, sed solum ex vi pacti: Sicut etiam compromissarii, qui jurant se non recessuros a sententia certa die ab Arbitris danda, prorogata die de consensu partium, non tenentur amplius vi juramenti, ut putat Azor. contra eosdem.

IV. Infertur tertio, juramentum Medicorum de admonendis infirmis, ut confiteantur, & de non visitandis illis post tertium diem non facta confessione; Primo non obligare, ubi usu non est receptum hoc decretum Pii V.; quia juramentum censetur factum de servando decreto, quatenus obligat. Secundo, ubi est receptum, obligat medicos, si speretur, immo etiam si dubitetur, quod admonitio sit profutura, secus vero non obligat, quia nemo obligatur ad inutile, ut dicitur cum de correctione fraterna. Tertio, obligat solum dum morbus est gravis, vel periculum est, ut fiat gravis; quamvis universim talis censeatur esse, quoties cogit infirmum jacere in lecto, ut patet ex ipso decreto, nisi tamen ex podagra, verbi gratia, decumbat. Quarto, satis est, si admonitio fiat per alios. Quinto, non obligantur Medici infirmum deserere cum gravi ejus damno; quia præceptum humanum non obligat contra charitatem, quæ præcipit, ut ægro subveniatur; Præsertim quia fieri potest, ut infirmus si convalescat, resipiscat: Quod si non immineat ægro grave mortis periculum, si deseratur, deseri debet, ut apte notat Suar. apud Bonac. punct. 16.

V. Ex secunda regula infertur primo, quod si jurasti ducere Bertam sanam, divitem, bonæ famæ, virginem, &c., non tenearis, si incidat in infirmitatem incurabilem, in paupertatem, fornicationem, &c., quia sponsalia habent hanc tacitam conditionem; ergo etiam juramentum adjectum sponsalibus.

VI. Secundo, qui promisit aliquid Titio cum juramento, non tenetur, si Titius fiat ingratus, aut si mutuam repromissionem frangat; quia ex Molin., Sanch., Bonac. loc. cit. tale juramentum habet hanc tacitam conditionem; nisi fueris ingratus, aut fidem frangas.

Tertio, qui urbanitatis causa juravit non bibere, non sedere, &c., nisi alter prius bibat, sedeat, &c., non tenetur, si a socio cogatur, quia subest hæc tacita conditio, ut notat Sanch.; Quamvis Less. cap. 42. num. 22. putet, juramentum hoc fieri in favorem socii, & ab eo relaxari, dum prior bibere non vult.

VII. Quarto, qui promisit aliquid absenti cum juramento, potest promissionem revocare, antequam acceptetur, (nisi fiat per modum voti) quia promissio habet hanc tacitam conditionem, si acceptetur. Ita Less. loc. cit. & Sanch. contra Suar. apud eundem Bonac.

Quinto, si facta pace cum inimico jurasti te illi non nociturum, intelligitur ex causa præterita, seu nisi ipse novam causam dederit.

Sexto, si jurasti servare secretum, intelligitur, nisi vergat in damnum alterius.

Septimo, si jurasti te puniturum filium, intelligitur, nisi ob aliam causam aliud visum fuerit; videlicet vel quia veniam petit, vel quia alter intercedit, vel quia damnum majus sequitur ex punitione, &c.

Octavo, si jurasti te soluturum alteri centum, quæ mutuavit, intelligitur, nisi aliunde satisfeceris, vel compensaveris; unde poteris uti compensatione, quia compensatio est quædam solutio, & vera satisfactio.

Nono, si jurasti facere quicquid alter petierit, intelligitur dummodo non petat aliquid immoderatum, aut illicitum, ut petiit ab Herode puella saltans. Ultimo, si jurasti judici te dicturum quæ novisti, non teneris occulta pandere.

ARTICULUS VI.

Quomodo tollatur juramenti obligatio?

I. Juramenti obligatio impeditur aut per legem irritantem contractum, aut per legem prohibentem contractus jurati executionem.

II. Tollitur vero juramenti obligatio aut per cessationem causæ principalis, aut per mutationem materiæ, aut per irritationem, aut per commutationem, aut per relaxationem. Et eadem est ratio de Voto.

III. Cessat juramenti, & voti obligatio, si superveniat notabilis mutatio, qua prævisa non jurasset, aut vovisset. Sed quid si dubitetur, an sit hujusmodi mutatio, quæ supervenit?

IV. Quinam possint, & quomodo juramenta, ac vota irritare?

V. Quid intersit inter irritationem, & dispensationem voti, ac relaxationem juramenti?

VI. Quænam vota, aut juramenta filiorum possit Pater irritare? Num etiam id possit mater? Quænam servorum juramenta possit Dominus irritare?

VII. Quænam possit Uxoris juramenta Maritus irritare, aut Uxor Mariti?

VIII. Superiores Regulares quænam vota, & juramenta subditorum irritare possint? Pontifex Regularium vota potest irritare, sæcularium vero potest solum dispensare. Quid hac in re possint Abbatissæ? Quid de novitiis?

IX. Quinam possit juramenta relaxare, ac vota dispensare? Et quænam causa ad id requiratur?

X. Voti vinculum est fortius vinculo juramenti; unde reservato voto, v. gr. castitatis, non eatenus reservatur tale juramentum.

XI. Qui potest vota, & juramenta commutare, non eatenus potest dispensare in illis; quamvis e converso qui potest dispensare, potest etiam vota jurata commutare.

XII. Ipse vovens, & jurans potest votum, & juramentum, si non sint reservata, commutare in melius & probabiliter etiam in evidenter æquale; jurans tamen, aut vovens in favorem alterius nequit ea si sint acceptata, commutare.

I. Obligatio juramenti potest primo impediri, ne inducatur, & secundo potest inducta tolli. Dupliciter impeditur, ne inducatur, Primo, per legem irritantem contractum, aut juramentum, ut Trident. Sess. 24. cap. 5. irritat renunciationem juratam Novitii factam ante duos menses præcedentes professionem. Secundo, prohibendo executionem contractus; juramentum enim non potest obligare ad id, quod lege prohibetur. Sic aliqui cum Less. cap. 42. n. 55. putant, impediri obligationem pœnæ conventionalis sponsalibus appositæ, & juramento firmatæ. Ex quo patet, Principem sæcularem posse indirecte irritare vinculum juramenti, prohibendo scilicet executionem alicujus contractus, cui adjectum est juramentum.

II. Deinde obligatio juramenti semel inducta potest quadrupliciter tolli, cessatione videlicet seu mutatione materiæ, Irritatione, commutatione, & Relaxatione, sive hæc fiat ab homine, in cujus favorem juratur, sive a superiore tollente ex justa causa obligationem. Nam quod in votis dicitur dispensatio, in juramentis dicitur relaxatio. De his omnibus sigillatim agendum: Et quoniam eadem est ratio de juramento, ac de voto, ideo de utroque hic erit sermo.

III. Quæritur itaque primo; Quomodo cesset juramenti, & voti obligatio?

Respondeo cessare primo, si cesset causa principalis, ob quam factum est: Verbi gratia, si jurasti non ingredi talem domum, quia ibi Berta erat tibi occasio peccandi, mortua Berta, cessat obligatio juramenti. Secundo, cessat etiam per mutationem materiæ, videlicet si superveniat, aut de novo appareat notabilis mutatio, & difficultas, quæ si prævisa fuisset, juramentum, seu votum prudentis arbitrio non fuisset factum; ut si quis v. gr. juraverit jejunare die Sabbati, & postea ægrotet. Ita D. Th., & alii apud Trull. lib. 2. cap. 2. dub. 8.

Quando autem dubitatur, an si prævisa fuisset talis difficultas, adhuc factum fuisset juramentum, vel votum, tunc ex Sanch. apud Trull. dub. 28. adimplendum est; quia stat possessio pro illo. Verum Bonac. disp. 4. quæst. 2. punct. 7. censet in tali casu judicandum in favorem voventis; quia in dubio nemo præsumitur velle seipsum posita notabili mutatione obligare.

IV. Quæritur secundo. Quomodo irritentur Juramenta, & Vota: & a quibus?

Respondeo, juramenta, & vota irritari, quando ea non approbantur a superiore, a quo indigent approbari, ut robur accipiant. Quare

potest

poteſt juramenta, & vota irritare, itaut nunquam reviviſcant, quicumque habet poteſtatem dominativam vel in rem promiſſam, vel in perſonas jurantes, etiamſi careat poteſtate ſpirituali: Unde fit poſſe Patrem (etiam ſine culpa veniali, ut communiter docent contra Sayr., & Sanch.) irritare vota filii, Virum vota Uxoris, Dominum ſervi, Prælatum Regularem vota ſuorum ſubditorum, excepto voto arctioris Religionis, & Pontificem omnium Regularium. Si tamen Superior approbavit juramenta ſubditorum, valide quidem poterit deinde illa irritare, ſed illicite, niſi detur juſta cauſa: Quamvis probabiliter ex Suar. contra Sanch. apud Trull. dub. 20. raro id ſit peccatum mortale, niſi ſcandalum, aut contemptus adſit.

V. Ex quo patet diſcrimen inter irritationem, & diſpenſationem, ſeu relaxationem; hæc enim cauſam requirit, unde cognoſci debent in particulari vota, ut poſſint diſpenſari, & juramenta relaxari: Contra vero poſſunt ſimpliciter omnia omnino vota, & juramenta ſubditi indiſcriminatim irritari a Superiore, quamvis ea in particulari non cognoſcantur.

VI. Loquendo in ſpecie primo de votis, & juramentis filiorum, certum eſt patrem poſſe irritare omnia vota filiorum impuberum, ex cap. *Mulier* 21. *quæſt.* 2., idque propter imbecillitatem ætatis. Quare etiam votum ingrediendi Religionem irritari poteſt; etiam votum factum ante pubertatem, ſed implendum poſt pubertatem, niſi poſt pubertatem ratificatum ſit: Contra vero non poteſt Pater vota perſonalia filiorum puberum irritare, niſi forte hujuſmodi vota repugnarent domeſticæ gubernationi, & poteſtati Patris; ut ſi filius voveat peregrinationem longam, aut multa jejunia cum periculo morbi; immo etiam jejunium unius diei, ſi proinde Pater cogeretur parare alios cibos a communibus. Poteſt tamen pater vota realia filiorum puberum irritare, (niſi filii habeant bona caſtrenſia, vel quaſi, aut ſint emancipati). Sicut etiam irritare poteſt vota mixta, exempli gratia de peregrinando &c., in quibus admiſcentur expenſæ reales labori perſonali; niſi forte filius intendat peregrinari mendicando. Si tamen filius habeat bona caſtrenſia, (parta ſcilicet occaſione belli, ut ſunt ſtipendia militum, ſpolia, &c.) vel quaſi caſtrenſia, (quæ ſcilicet acquiruntur ratione beneficii, officii publici, aut artis liberalis, non vero mechanicæ, ut videre eſt apud Leſſ. c. 4. dub. 3.) vota realia de iis expendendis non poſſunt a Patre irritari; cum habeant filii de iis liberam poteſtatem diſponendi, ſicut quando ſunt emancipati. Nec poteſt Pater irritare vota realia puberum exequenda tempore, quo erunt ſui juris.

Secundo, Mater non poteſt vota filiorum irritare vivente Patre, aut ſaltem Avo, Tutore, aut Curatore; quia in jure nullam tunc in filium habet poteſtatem: Si tamen his omnibus filius ſit deſtitutus, poteſt Mater, & ea mortua, Avia.

Tertio, Dominus poteſt irritare vota mancipii, quæ illius obſequio præjudicant, ut votum peregrinationis, religionis, &c. Unde non poteſt irritare votum caſtitatis, orationis moderatæ, &c. Votum autem Religionis, & quodcumque aliud ante ſervitutem emiſſum remanet ſuſpenſum tempore ſervitutis. Si tamen tempore ſervitutis emiſſum ſit, & tempore ſervitutis ſit etiam exequendum, ſemel irritatum non reviviſcit; Si vero poſt ſervitutem exequendum ſit, (ut ſi voveat ſervus ingredi Religionem poſt ſervitutem) certe ad id tenetur, cum non præjudicet ſubjectioni, ut docent communiter.

Uxor autem Domini, quia non habet bonorum omnium adminiſtrationem, vota ſervorum irritare non poteſt.

VII. Quarto, Maritus poteſt omnia vota, & juramenta uxoris irritare, quæ matrimonio ſunt incommoda, & domeſticæ gubernationi. Vota vero non præjudicantia, ut orandi, non mentiendi, &c. communiter docent, quod non poſſit irritare: Quamvis probabiliter putet Pal., Bonac., Azor., quod poſſit; ſicut Pater poteſt omnia vota filii irritare. Nam Geneſ. 3. dicitur de uxore: *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*, unde etiam poteſt irritare vota tempore conjugii emiſſa, ſed implenda mortuo marito, verbi gratia, votum non iterum nubendi, aut caſtitatis, &c., ut notat Sanch. lib. 4. cap. 31., & Dian. part. 4. tract. 4. reſol. 110. Votum non petendi debitum ab uxore emiſſum poteſt irritari a marito abſque ulla cauſa, ſi ſine ſua licentia factum ſit; ſi vero de ſua licentia, valide poteſt ſine cauſa irritari, ſed illicite irritatur. Quod tamen non militat in ſimili voto viri emiſſo de licentia uxoris, ut mox dicemus.

Quinto, uxor poteſt irritare ſolum vota mariti ſibi præjudicialia, ut votum caſtitatis, longæ peregrinationis, immoderatæ abſtinentiæ, aut eleemoſynæ. Ratio eſt, quia vir non ſubjicitur uxori quoad voluntatem, ſed quoad materiam per votum promiſſam. Si vero vir de licentia uxoris emiſit votum ſibi præjudicans, verbi gratia non petendi debitum nec licite, nec valide poterit ab uxore irritari, ut communiter docent apud Tambur. contra Trull. c. 2. dub. 33. Ratio eſt, quia intantum poteſt uxor irritare vota mariti, inquantum ſibi præjudicant, non quia habet poteſtatem dominativam in illum; atqui per licentiam datam cum ſuo præjudicio jam renunciavit; ergo non poteſt amplius irritare: Quod idem docent Doctores de votis ſervorum de licentia Domini emiſſis.

VIII. Sexto, Superiores Regulares poſſunt irritare omnia vota ſubditorum, non ſecus ac Pater

Pater filiorum impuberum; quia subjectam sibi habent eorum voluntatem. Solum irritare non possunt vota constituentia statum religiosum, ut patet; quia sic haberent potestatem destruendi suam potestatem; Nec votum assumendi Religionem strictiorem, ex cap. *Licet de Regularibus*.

Nomine autem Superioris Regularis venit ettiam Summus Pontifex, qui proinde irritare potest regularium vota; Reliquorum vero fidelium vota, & juramenta Pontifex solum potest dispensare, non irritare. Et ratio est, quia solum Religiosi per votum obedientiæ illi tanquam capiti subjiciuntur; potestas autem irritandi consequitur ad votum obedientiæ; potestas vero dispensandi ad potestatem jurisdictionis. Abbatissæ juxta Sanch., & Suar. possunt etiam irritare vota subditarum, quia pariter subditæ emittunt vota obediendi Abbatissis; Et quamvis careant istæ jurisdictione spirituali; adhuc vota Monialium irritare possunt, ex Suar. apud Trull., sicut potest Pater irritare vota filiorum. Azor. tamen, & Pal. solum concedunt Abbatissis, quod possint irritare vota præjudicantia gubernationi domus.

Relate ad Novitios, non possunt Superiores eorum vota irritare, ex Suar., Sanch., Pal. apud Tamb., cum votum obedientiæ non emiserint. Omnia tamen vota novitii tempore novitiatus suspenduntur, si præjudicant probationi, & commutari possunt in professionem religiosam. Immo ex Less. disp. 40. num. 8. possunt dispensari a Prælato regulari, qui erga illum habet potestatem quasi Episcopalem, cum non deceat ad Episcopum recurrere. Demum si Superior dedit facultatem vovendi subdito, non potest licite sine causa tale votum irritare; potest tamen licite successor, quia non amisit jus suum.

IV. Quæritur tertio; Quinam possint juramenta relaxare, & vota dispensare?

Respondeo, relaxationem juramenti vel fieri per condonationem factam ab eo homine, in cujus favorem juratur; ut si juraveris dare centum Petro, & ille remittat; Vel fieri a Superiore tollente ex justa causa obligationem, eo modo quo vota dispensantur. Certum autem est, ad hanc relaxationem, seu dispensationem requiri justam causam, non solum ut licite, sed etiam ut valide fiat. Est autem justa causa ad dispensandum, & a fortiori ad commutandum Ecclesiæ utilitas, Dei honor, bonum jurantis, magna ejusdem fragilitas, per quam timetur juramentum, aut votum sæpe violandum. Item jurantis inconsideratio, levitas, inconstantia, timor, vel alia animi perturbatio in jurando.

Notandum ulterius, juramentum aliud fieri in purum obsequium Dei per modum voti; ut si alicui jures te nunquam lusurum, pejeraturum, &c.. Aliud vero in commodum, lucrum, vel obsequium alterius; ut si jures dare centum Titio, solvere usuras, &c. His explicatis

Dico primo, juramenta, & vota in utilitatem alterius facta ne a summo quidem Pontifice regulariter dispensari possunt, si sint acceptata, nisi forte aliquando bonum commune dispensationem requireret. Ratio est, quia non potest Pontifex privare homines jure suo: per hoc autem, quod acceptata sit promissio jurata, jam ex justitia debetur, quod juratum est. Ita Cajet., & Abbas. Dixi, Regulariter, nam dispensari possunt a Papa, Primo, si juramentum fraude, vel metu sit extortum; ut si jurasti dare centum latroni. Secundo, ut adsit injustitia; ut si jurasti solvere usuras. Tertio, in pœnam justam, & debitam ei, in cujus favorem juramentum est præstitum; ut quando vi, vel fraude extorquetur juramentum.

Dico secundo, juramenta, & vota prædicta, si non sint acceptata, poterunt ex justa causa a Superiore dispensari, vel commutari. Ratio est, quia non posita acceptatione, nondum ab altero est acquisitum jus. Idem dicitur de juramentis, & votis acceptatis ab eo, in cujus favorem emittuntur, quando principaliter, & ultimate emittuntur in obsequium Dei, & minus principaliter in favorem alterius. Verbi gratia, si jurasti dare dotem Bertæ, itaut præcise in honorem Dei promiseris talem favorem Bertæ. Ita Dian. part. 6. tract. 6. resol. 61., Fagund., & alii cum Tambur. lib. 3. cap. 17. Ratio est, quia in hoc casu acquiritur jus ab acceptante dependenter a beneplacito Dei; cum non sit ipsi principaliter directa promissio jurata; atque adeo si ponatur aliquid Deo gratius, non fit contra juramentum, præsertim quia semper votum, & juramentum principaliter factum in Dei obsequium habet illam tacitam conditionem, nisi voluero hoc votum in melius commutare; ergo tale votum poterit etiam propria auctoritate in melius commutari.

Dico tertio cum Pal. apud Tambur. lib. 3. cap. 3. num. 45. Quando juramentum non confirmat contractum, (qui scilicet contractus jure civili est irritus) licitum est petere relaxationem, & facillimo negotio dari debet a Prælato, non solum si in eo appareat turpitudo ex parte recipientis, ut in juramento de solvendis usuris, sed etiam in aliis, ut in juramento de solvenda pecunia credita ludo amissa. Nam ex hoc juramento, ut supponimus, nullum jus consurgit creditori; Causa autem justa, ut relaxetur, est, ne homines assuescant contra legum dispositiones operari, seu ne alia via frustretur effectus per legem intentus, ut notat Sanch. lib. 3. cap. 12.

Dico quarto, Omnia juramenta, & vota in obsequium Dei præstita, & quæ jus justitiæ in altero non præsupponunt, dispensari possunt

a Papa. Etiam votum solemne Religionis, ut communiter docent apud Trull. dub. 38. contra D. Th. 2. 2. quæst. 88. art. 2. Sæpe enim in talibus votis Papæ dispensarunt; debuit quippe talis facultas a Deo conferri Pontifici; cum ea aliquando opus sit.

Dico quinto, Possunt etiam Episcopi eadem vota, & juramenta dispensare, & commutare, nisi a Papa sibi reserventur. Ratio est, quia talis potestas tradita est a Christo Domino Apostolis, eorumq; successoribus pertinens ad externam Ecclesiæ gubernationem, sicut est potestas excommunicandi, &c.. Unde debetur Episcopis, nisi sit illis limitata a Pontifice; ut de facto limitatur relate ad illa quinque vota Castitatis perpetuæ, Religionis, & trium peregrinationum, Romanæ, Compostellanæ, & Hierosolymitanæ, quæ Pontifici reservantur, quando sunt absoluta, & perfecta, & non sub pœna, vel sub conditione emissa, ut infra dicemus cum de voto.

X. Dubium tamen est, An sicut votum castitatis est Pontifici reservatum, ita pariter sit reservatum juramentum, quo quis jurat se castitatem servaturum? Sanch., & alii apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 69. affirmant. Sed Laym., Pelliz., & alii apud Tamb. probabiliter negant, quia solum ea quinque vota, non vero juramenta reservantur; Diversum autem est vinculum voti a vinculo juramenti; immo illud est majus, quia importat irreverentiam simul, & infidelitatem erga Deum, juramentum autem solam irreverentiam, ut notat D. Th. 2. 2. quæst. 89. art. 8. Unde reservato voto castitatis non sequitur, quod sit etiam reservatum juramentum: Contra vero, quia vinculum juramenti est minus arctum, quam voti; & juramentum promissorium est affine voto, idcirco Suar., Sà, & alii probabiliter docent, quod cui conceditur facultas dispensandi, vel commutandi vota, ei pariter concedatur facultas relaxandi, vel commutandi juramenta, atque adeo vota jurata, quæ emittuntur per hæc verba, Voveo, & juro me hoc facturum, &c.

Dico sexto: Vicarii Generales Episcoporum non possunt ex officio in votis dispensare, ut notat Sanch. lib. 2. disp. 40. Nec possunt Parochi, cum non habeant jurisdictionem in foro externo. Episcopus tamen in casu necessitatis potest in voto castitatis dispensare, puta si immineat ex mora periculum incontinentiæ, aut gravis damni, nec sit facilis aditus ad Pontificem; ut Sanch. lib. 8. disp. 9.

Dico ultimo, facultas dispensandi in votis etiam Episcopo reservatis concessa est a Martino V. Confessariis Benedictinorum, atque adeo eam habent omnes Regulares cum iis communicantes. Immo Societati nostræ concessit Gregor. XIII. facultatem commutandi omnia vota etiam jurata, exceptis illis quinque; Et circa hanc facultatem dicitur in nostris privilegiis V. *Commutatio*, *Communicatur omnibus Confessariis pro solo foro conscientiæ*; Commutatio tamen fieri non potest in præjudicium tertii.

XI. Quæritur ultimo, Quinam possit juramenta, & vota commutare?

Respondeo, quod cum minor causa requiratur ad commutandum, quam ad dispensandum, quia plus est dispensare; ideo quicumque habet potestatem dispensandi, habet etiam commutandi; etenim commutatio tanquam pars minor in dispensatione continetur. Contra vero qui habet privilegium commutandi, non habet eatenus dispensandi.

XII. Dubium est, an possit ipse jurans, & vovens commutare sibi votum, & juramentum.

Respondeo, posse etiam sine ulla causa commutare in opus evidenter melius. Ratio est, quia non dicitur promissum infringere, qui illud commutat in melius; Potest etiam probabiliter commutare in opus evidenter æquale, itaut constet non esse minus. Ita Henr. apud Tamb. contra Suar., Sanch., & alios communius. Ut autem in æquale commutet, Less., & Tamb. aliquam saltem levem causam requirunt, Villalob. nullam apud Dian. part. 3. tract. 5. res. 25.

Excipe tamen primo vota, & juramenta in favorem alicujus principaliter præstita, & acceptata, quia homini non semper est gratius, quod est melius. Si tamen principaliter sit præstitum juramentum in obsequium Dei, & minus principaliter in favorem alterius, diximus cum Dian. part 6. tract. 6. res. 61. probabiliter posse commutari in opus Deo gratius; Verbi gratia, si vovisti dare dotem Bertæ principaliter propter obsequium Dei, poteris hanc dotem dare alteri magis indigenti, quæ scilicet non solum a miseria, sed etiam a peccato tollatur. Excipe etiam quinque illa vota reservata, quia eo ipso, quod votum reservatur, subditur arbitrio solius superioris; Quamvis ex cap. *Scriptura*, *de Voto*, omnia vota etiam reservata commutari possint in ingressum Religionis.

Notandum hic, quod qui non habet facultatem dispensandi, sed solum commutandi, si commutet in notabiliter minus, graviter peccat, V. g., si jejunium mutaretur in quinque Pater, & Ave: Sic etiam peccat graviter habens facultatem dispensandi, si aut dispenset, aut commutet in notabiliter minus sine justa causa, itaut etiam dispensatio sit nulla; commutatio vero ex Sanch. lib. 4. cap. 51. sit valida, quamvis vovens contrahat obligationem gravem supplendi id, quod deest ad æquandam materiam subrogatam pro re promissa. Non est tamen necess-

necesse, quod habens facultatem commutandi commutet semper in æquale; poterit enim ex justa causa commutare in minus, habens proportionem cum re promissa, ut docet Less., & alii, & ipsa praxis confirmat. Ratio est, quia cum probabiliter possit votum propria auctoritate commutari in evidenter æquale, facultas superioris commutandi, ne sit frustratoria, debet posse etiam in minus, dummodo non notabiliter.

Dubium est secundo, an facta commutatione liceat ad prius votum redire?

Respondeo, certum esse, quod possit, si commutatio facta sit in minus, vel in æquale; si tamen facta sit in majus, affirmat etiam Sanch. lib. 8. de Matr. disp. 9. contra Filliuc. Ratio est; quia commutatio facta est in favorem ipsius voventis, cui potest ipse renunciare; si tamen commutatio in melius facta sit ob majorem Dei cultum, cum sit facta in favorem Dei, non est licitum ad prius votum redire. Illud demum certum est, quod si commutatio fiat in opus, quod deinde vovens implere non potest, ad nihil amplius teneatur: Verbi gratia, si votum preregrinationis mutetur in jejunia, & propter ægritudinem deinde non possit jejunare, nec ad jejunia tenetur, nec ad peregrinationem, nec ad aliud.

ARTICULUS VII.

De Perjurio, ac de assueto ad jurandum.

I. *Perjurium presse sumptum est juramentum, cui deest veritas; late vero sumptum est, cui deest judicium, & justitia, seu necessitas, & honestas. Est perjurium peccatum gravius homicidio.*

II. *Estque pariter peccatum gravius homicidio, nullum tempus velle dicare divino cultui.*

III. *Consuetudo conjungendi juramentum cum mendacio sub mortali tollenda est. Immo mortaliter peccat, qui cum hac consuetudine inadvertenter jurat cum proximo periculo pejerandi; etiamsi tunc juret verum.*

IV. *Quænam remedia adhiberi possint ad evellendam jurandi consuetudinem?*

V. *Ut mortaliter peccet, qui assuetus juramentis hic, & nunc jurat, debet advertere ad obligationem, quam habet evellendi talem consuetudinem, aut ad periculum proximum pejerandi. Quonam pacto hæc peccata in confessione aperienda? Et quando negari debet absolutio?*

I. Perjurium proprie, & prout in jure sumitur, est Juramentum, cui deest aut veritas asserta in assertorio, aut veritas rei promissæ in promissorio: Late autem sumptum significat omne juramentum, cui deest aliqua ex iis tribus conditionibus, videlicet vel veritas, vel judicium, vel justitia. Est autem perjurium peccatum gravius homicidio, ex D.Th., & Sot. contra alios; tum quia opponitur præstantiori præcepto primæ tabulæ, tum quia est directe contra charitatem Dei; homicidium vero contra particularem proximi justitiam.

II. Neque dicas, quod pariter peccatum contra tertium præceptum, videlicet die festo laborare, esset peccatum gravius homicidio.

Nam respondet Sylvest., & Sot., quod vel observantia diei festi sumitur, quatenus est de jure positivo, nempe prout est talis diei determinatio, & sic est minus grave homicidio; Vel sumitur quatenus est de jure divino præcipiente, quod aliquo tempore vacetur Deo; & sic qui per totam vitam nullum tempus divino cultui dicaret, committeret peccatum gravius homicidio.

III. Circa consuetudinem jurandi, cum hæc facilitet, & ponat hominem in proximo periculo jurandi; si sit solum consuetudo jurandi, sed non mentiendi, non tenemur sub mortali illam extirpare, quia per illam non versamur in proximo periculo peccandi graviter, seu pejerandi: Contra vero si sit consuetudo conjungendi juramentum cum mendacio. Qui vero habet consuetudinem tam jurandi, quam mentiendi, non tamen conjungendi juramentum cum mendacio, si quoties jurat, advertenter jurat, & procurat non conjungere cum juramento mendacium, (*a*) neque tenetur sub mortali talem consuetudinem extirpare. Secus vero si inadvertenter jurat ita scilicet ut sit in proximo periculo pejerandi. Unde fit, ut notant Suar., & Sanch. apud Trull.dub.20., quod hic peccet mortaliter, quoties jurat inadvertenter, etiamsi verum juret; quia jurat cum proximo periculo pejerandi; etenim *Qui amat periculum, peribit in illo*; debet tamen ad hujusmodi periculum advertere, ut peccet mortaliter.

„ Contra ea quæ heic dicuntur, multa exag-
„ gerat Concina *T. IV. lib. 4. diss. VII.cap.V.*,
„ quem si lubet inanem, ac maledicum de-
„ clamatorem consulere, adi.

IV. Remedia autem ad extirpandam aliquam consuetudinem sunt, firmiter proponere, frequentius confiteri de singulis actibus malis, vel aliquam eleemosynam elargiri, vel orationem recitare, &c., & ante cubitum advertere quotidie ad profectum in ea re factum; & efficacius remedium esset mordere linguam statim postquam lapsa est in juramentum. Quare qui nullum adhibet remedium ad consuetudinem evellendam, absolvi quidem poterit prima, secunda, tertia, & ad summum quarta vice, si vere doleat, & proponat remedia adhibere, sed si nunquam propositum servet, non est deinde absolvendus.

V. quia tamen revera non peccatur mortaliter, quoties juratur sine advertentia ulla neque ad perjurium, neque ad periculum pejerandi, sed solum quando assuetus juramento advertit se graviter obligari ad evellendam consuetudinem, & omittit remedia opportuna, ideo cum difficile sit has advertentias numerare, satis est in confessione aperire tempus durationis talis consuetudinis peccaminosæ.

ARTICULUS VIII.

De Adjuratione.

I. Adjuratio vel est Imperativa, ut erga dæmones, vel Obsecrativa, erga Deum.

II. Obsecrativa est actus latriæ, si fiat invocatione Dei; Est actus Duliæ, si fiat invocatione Sanctorum; & Hyperduliæ, si Beatæ Virginis, quando autem fit per alias creaturas, non est actus Religionis.

III. Creaturæ irrationales adjurantur improprie, quatenus obediunt Creatori.

IV. Per orationem petimus aliquid a Deo; Per Adjurationem petimus aliquid propter Deum.

V. Differt Adjuratio a juramento; quia per illam adducitur Deus, non ut testis, sed ut ejus amore, vel timore aliquid obtineatur. Requirit tamen Adjuratio tres illos juramenti Comites, Veritatem, Justitiam, & Judicium.

VI. Quibus liceat dæmones adjurare adjuratione imperativa? Num etiam laicus possit exorcizare publice citra mortale?

VII Vis expellendi dæmones per exorcismos est ex opere operato.

VIII. Privata Adjuratio adversus dæmones cuilibet est licita.

IX. Quid possint, aut non possint Exorcistæ a dæmone interrogare?

X. Videtur mortale creaturas irrationales exorcizare directe. Indirecte adjurari possunt, vel adjuratione deprecativa, prout moventur a Deo, vel imperativa, prout moventur a dæmone.

I. ADjuratio ex D.Th.2.2.quæst.90. est actio, per quam aliqua persona inducitur ad aliquid faciendum, vel imperando, ut adjurari debent dæmones; vel obsecrando invocatione alicujus rei Sacræ, ut cum ad Rom. 12. dicit Apost. *Obsecro vos per misericordiam Dei*; & quando orat Ecclesia dicendo, *Per Christum Dominum nostrum*; Sic etiam cum dicitur, fac hoc per amorem, quem erga Deum geris, per vitam tui patris.

II. Hinc sequitur primo, Adjurationem aliam esse Imperativam, ut cum dæmonibus imperamus, ne noceant per virtutem Sanguinis Christi; Aliam vero Deprecativam; Quæ si fiat invocatione rei Sacræ, est actus Religionis; itaut sit actus latriæ, si fiat invocatione Dei, aut eorum, quæ ad Deum pertinent; sit vero actus Hyperduliæ, si quid obsecramus, vel dæmonibus, aut aliis creaturis imperamus per Beatam Virginem; sit actus Duliæ, si per Sanctos; Quod si fiat per creaturas, ut per vitam tui patris, talis adjuratio non est actus Religionis.

III. Sequitur secundo, adjurari posse omnes creaturas, quibus aliquid possumus imperare, aut deprecari, atque adeo omnes creaturas rationales: Creaturæ vero irrationales improprie adjurantur, quatenus scilicet audiunt vocem Creatoris, & illi physice obediunt; ut quando dicitur monti, In nomine Christi transferte hinc ad alium locum.

IV. Sequitur tertio, In hoc differre Adjurationem ab Oratione, quod per Orationem aliquid a Deo petimus; per Adjurationem vero petimus aliquid propter Deum.

V. Sequitur quarto, differre etiam a Juramento, quia in juramento Deus adducitur ut testis; in Adjuratione vero adducitur Deus, seu res sacra, ut ejus amore, vel timore res petita obtineatur. Exigit tamen adjuratio eodem modo tres illos comites, sicut juramentum, nempe Veritatem, Justitiam, & Judicium, ne temere contra virtutem Religionis exerceatur. Veritatem quidem exigit, quia per Deum verum debemus adjurare, non per falsos, aut per dæmonem; Nec debet intermisceri in adjuratione mendacium; quare peccaret etiam contra Religionem (quamvis ex Sanch. venialiter tantum) pauper fictus petens per amorem Dei eleemosynam: Exigit etiam justitiam, quia res, quæ petitur, debet esse licita; unde peccaret graviter contra Religionem, qui peteret ab alio peccatum grave per Beatam Virginem, exempli gratia: Demum exigit judicium; quia debet fieri cum necessitate, & cum debita reverentia.

VI. Quæritur nunc primo; An omnibus liceat adjurare dæmones adjuratione imperativa?

Respondeo, & dico primo, adjurationem publicam, & solemnem non licere, nisi Exorcistis, qui sunt ministri Ecclesiæ ad id destinati. Exorcizare enim græce idem est ac Adjurare: Convenit tamen, quod qui exorcizat, sit Sacerdos prudens, & doctus; Quamvis Tamb. contra Tancredi probabiliter putet, quod si laicus publice exorcizet, præciso scandalo, nonnisi venialiter peccet: Sicut enim laicus exercet munus Acolythi serviendo Missæ, ita in necessitate posset laicus exercere munus Exorcistæ; cum cuilibet fideli a Deo data sit potestas expellendi dæmonem; dicitur enim Marci ult. *Signa eos, qui crediderint; &c. in nomine meo dæmonia ejicient.*

VII. Ubi notandum, quod potestas exorcizandi

zandi dæmones, & expellendi non fundatur in Sanctitate ministri, sed in invocatione divini Nominis, & in Sanctitate Ecclesiæ, in cujus persona ministri exorcizant; Sicut nec efficacia Sacramentorum pendet a ministri sanctitate. Quare exorcismi habent ex opere operato vim expellendi dæmones; sicut Sacramenta vim consecrandi gratiam; ut docet D. Th. 3. part. quæst. 71. art. 3. Impeditur tamen sæpe hujusmodi effectus, vel ob modicam ministri fidem, ut notat Valent., vel quia effectus non est infallibilis, sed ex congruitate quadam, ut Sanch. lib. 2. Moral. cap. 42.; Unde tunc in nomine Christi dæmonia ejiciuntur, quando id expedit; non enim semper ob culpam dæmoniaci dæmon non expellitur, sed etiam ex occulto Dei judicio, vel ob utilitatem animæ, vel propter exemplum aliorum &c.: Sicut Sacramentum Extremæ Unctionis, quamvis institutum sit ad conferendam etiam corpori salutem, non semper tamen illam confert, sed quando expedit ad salutem animæ.

VIII. Dico secundo: Adjuratio privata contra dæmones cuilibet est licita: quia de omnibus fidelibus dictum est, *In nomine meo dæmonia ejicient*. Quare quilibet potest privatim dæmonem adjurare: sicut cum tentatur, potest per Deum, per Sanctos adjurare illum imperative, ne noceat: ut Sanch. loc. cit.

IX. Hic autem notandum, Exorcistis non licere quodcumque a dæmone interrogare, sed solum quæ ejus expulsioni a corpore obsessi conducunt, puta ejus nomen, causam ingressus, quot sint, aut aliquam veritatem ad gloriam Dei, & in adstantium utilitatem: Quod tamen a solis Sanctis viris, & prudentibus faciendum esse docent Doctores: Si tamen res curiosæ, & inutiles interrogentur, vel vanum aliquod petatur, puta ut moveat ingentem lapidem, &c., ubi semel, aut iterum id fiat, erit solum veniale, ob actus imperfectionem, ut docet Navar., & communiter contra Pal. tom. 3. tract. 14. disp. 4. Erit tamen mortale, si longi sermones de his rebus misceantur, aut si fiat cum intentione addiscendi a dæmone, aut fidem certam illi dandi.

X. Quæritur secundo: An Creaturæ irrationales adjurari possint, puta grandines, locustæ, tempestates?

Respondeo cum Sanch. loc. cit., & Trull. non posse adjurari directe, quasi vero ipsæ se moveant, & malum causent, & a timore Dei, per quem adjurantur, abstineant a nocendo. Hoc enim vanum esset, & ex Nav., Bonac. contra Suar., & Sanch. esset peccatum mortale, propter irreverentiam contra exorcismos Ecclesiæ, eo quod vane adhiberentur. Quia vero creaturæ irrationales ab alio moventur ad nocendum, scilicet vel a Deo, vel a dæmone, ideo indirecte adjurari possunt adjuratione, quæ relate ad Deum moventem sit deprecativa, relate ad dæmonem sit imperativa, eo modo quo utitur Ecclesia in Exorcismis.

QUÆSTIO VIII.

De Voto.

Cum Votum sit juramento promissorio valde affine, plurima diximus quæstione superiore ad Votum pertinentia agentes de juramento: hic pauca, quæ supersunt, explicabimus, inquirendo prius, Quid, & Quotuplex sit Votum? Deinde, ejus materiam, & obligationem. Demum, Quonam pacto tolli possit Voti obligatio, præsertim per dispensationem.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Votum?

I. Votum est promissio deliberata facta Deo de meliori bono.

II. Differt a proposito; quippe quod non est obligatorium, saltem sub gravi.

III. Si votum fiat cum semiplena deliberatione, non obligat. Quid si dubitetur, an deliberatio fuerit plena?

IV. Ad votum sufficit voluntas implicita illud emttitendi; ut in suscipiente Ordines Sacros: Qui si nolit vovere castitatem, adhuc ad illam obligatur, saltem ex statuto Ecclesiæ, & est sacrilegus, si adversus illam.

V. Quid invalide suscipit Ordines Sacros, ad castitatem non tenetur: Secus vero qui invalide in Religione profitetur.

VI. Soli Deo votum fieri potest, Deiparæ vero, & Sanctis, quatenus Deus in iis inhabitat.

VII. In quo sensu votum est de meliori bono?

VIII. Vinculum voti est fortius vinculo juramenti promissorii.

IX. Vinculum invalidum per ratificationem non revalidatur, si ejus invaliditas ignoretur. Quid si quis dubitet, an voluerit per ratificationem novum votum emittere?

X. Multipliciter dividitur votum: præsertim in Solemne, & Simplex: Solemne emittitur in susceptione Ordinis Sacri, & in Professione Religiosa, & irritat matrimonium: quod pariter irritat Votum simplex in Societate JESU.

XI. Per votum pœnale, puta non Blasphemandi

mandi sub pœna jejunandi, ut plurimum duo promittuntur Deo; Id tamen pendet ex intentione voventis.

I. QUæritur primo, Quod sit Votum, & in quo differat a proposito, & juramento promissorio?

Respondeo, Votum ex D. Th. esse promissionem Deo factam voluntariam, & deliberatam de bono meliori.

II. Unde sequitur primo, quod quamvis omne votum sit propositum, seu deliberata voluntas aliquid faciendi, tamen non omne propositum est votum, cum non omne propositum sit promissio, seu voluntas se obligandi Deo. Quare qui non observat votum in materia gravi, est perfidus, seu violat fidem, & promissionem datam, & peccat mortaliter; qui vero propositum non observat, est solum inconstans, & peccatum mortale non committit; Immo dubium est apud Doctores, an peccet venialiter. Affirmat enim Pal., quia est levitas animi, saltem sine causa, a bono proposito se avertere: Negat vero Sanch. lib. 4. cap. 1., & alii, quia nulla lex obligat ad propositum servandum: Et quamvis sit quædam levitas mutare propositum sine causa, at non est levitas peccaminosa; quia est solum defectus majoris boni; nec fit contra virtutem constantiæ obligatoriam.

III. Sequitur secundo, quod votum fieri debeat cum plena advertentia ad id, quod promittitur, & cum plena libertate; sufficit autem ea deliberatio, & libertas, quæ satis est ad peccatum mortale. Quod si deliberatio sit semiplena, peccat quidem venialiter sic vovens, cum adsit defectus prudentiæ, sed ne sub veniali quidem obligatur ad votum, ut communiter docent apud Trull.. Et ratio est, quia nemo censetur velle sibi onus assumere, nisi plene advertat ad id, quod agit; etenim sic veluti per ignorantiam censetur vovere; ut accidit, cum quis ex subito animi motu vovet, vel ex consuetudine linguæ mentem prævenıente. Si tamen dubites de plena advertentia, Pal., & Bonac. putant probabilius te obligari, quia possessio, & præsumptio stat pro voto; Alii vero apud Tambur. c. 3. l. 1. §. 7. V. *Votum*, & apud Trull. l. 2. c. 2. probabiliter putant, te non obligari; quia stat in possessione libertas in foro conscientiæ, quamvis in foro externo stet in possessione votum.

IV. Notandum tamen, ad votum sufficere promissionem deliberatam implicitam, qualis requiritur in suscipiente Ordines Sacros, quibus ex intentione, & instituto Ecclesiæ annectitur votum solemne castitatis. Etenim qui deliberate vult aliquem statum suscipere; deliberate vult subire omnia onera tali statui annexa; ergo quamvis ignoret annecti Ordinibus Sacris votum castitatis, quia tamen deliberate vult illos suscipere, consequenter deliberate emittit votum castitatis, quamvis implicite. Quod si positive nollet vovere castitatem, non solum peccaret, sed teneretur etiam castitatem servare, saltem ex statuto Ecclesiæ; Quinimmo si peccaret contra castitatem, quamvis non peccaret contra votum, eo quod noluerit votum emittere, adhuc sacrilege peccaret, eo quod tale peccatum adversaretur sacro statui, in quo reperitur, qui Sacros Ordines suscepit.

V. Qui tamen Ordines suscipit invalide, ad castitatem non tenetur; quia destructo principali, corruit etiam accessorium: Econtra qui invalide in Religione profitetur, tenetur ad castitatem, quia in tali casu castitas non se habet ut accessorium, sed ut principale.

VI. Sequitur tertio, Votum soli Deo fieri posse, quia votum est actus Religionis respiciens cultum Deo debitum; testamur quippe per votum Deum esse summe providum, eique in angustiis recurrendum, ut opem ferat. Quando autem Beatæ Virgini, vel Sanctis aliquid vovemus, tunc etiam mediate, & tacite vovemus ipsi Deo, quatenus in iis habitat per sanctitatem: Sicut enim juramus per Sanctos, quatenus sunt aliquid Dei, ita iisdem Sanctis vovemus tum quia sunt aliquid Dei; tum etiam ut sint testes voti, & Patroni, ac intercessores ad votum servandum, & ad obtinendum quod intendimus.

VII. Sequitur ultimo, votum de re, quæ est incompossibilis cum majori bono, esse nullum; ut votum de nubendo, quod impedit cælibatum. Dicitur tamen esse votum de meliori bono, non solum quia debet esse melius, quod promittitur, quam ejus oppositum, sed etiam quia ipse actus vovendi rem bonam facit illam meliorem; nam sive res, quæ promittitur, sit præcepta, sive non, semper vovere illam est actus supererogationis, & opus consilii; Unde cæteris paribus magis meritorium est facere opus ex voto, quam sine illo. Nam jejunium, exempli gratia, cum voto est actus religionis simul & abstinentiæ, ubi sine voto esset solum actus abstinentiæ. Unde dixit Divus Anselmus lib. de similitud. c. 84. *Plus est dare arborem cum fructibus, quam solos fructus.*

VIII. Porro differt Votum a Juramento promissorio; etenim, ut diximus art. 6. num. 10. vinculum voti fortius est vinculo juramenti: Votum fert promissionem Deo factam de aliquo faciendo; & ideo, si id non fiat, peccatur contra religionem, & contra fidelitatem Deo debitam; juramentum promissorium fert invocationem Dei in testem voluntatis præsentis de aliquo faciendo; unde si id postea non fiat, solum peccatur contra reverentiam Deo debitam, atque adeo contra religionem, ut notavimus etiam quæst. super. ex D. Th. 2. 2. quæst. 89. art. 8.

IX. Quæ-

IX. Quæritur secundo; An votum invalidum per ratificationem revalidetur.

Respondeo distinguendo; nam vel ratificans scit, aut credit, votum, quod emisit, fuisse invalidum, & certe per ratificationem revalidatur; vel id ignorat, & non revalidatur; nam per ratificationem confirmatur prius votum, quod si fuit nullum, & ignoratur, solum confirmatur votum, prout fuit prius emissum; & sic non revalidatur. Quod si quis dubitet, an ratificando votum, quod ignorat fuisse invalidum, voluerit solum illud confirmare, an novum emittere, ex Sanch., & Bonac. apud Trull. l. c. distinguendum est: nam si sciat, vel probabiliter opinetur se conscium fuisse prioris voti invalidi, præsumitur voluisse illud solum confirmare; secus vero præsumitur voluisse novum votum emittere.

X. Quæritur tertio; quotuplex sit votum?

Respondeo, dividi primo in Personale, ut peregrinandi; Reale, ut dandi eleemosynam; & Mixtum, ut peregrinandi, & aliquid offerendi. Secundo, in Temporale, ut servandi castitatem per annum, & Perpetuum. Tertio, in Expressum, & Tacitum, ut est votum castitatis emissum in Susceptione Ordinis Sacri. Quarto, in Simplex, & Solemne, quod scilicet cum solemnitate quadam fit, verbi gratia cum traditione proprii corporis, & libertatis acceptata; Tale est votum religionis in professione; & votum castitatis in susceptione Ordinis Sacri; & utrumque habet irritare matrimonium; quod etiam irritat votum simplex castitatis emissum in religione approbata, puta in Societate. Dicitur tamen hoc votum simplex, quia quamvis religiosus offerat se in perpetuum religioni, hæc tamen non se obligat ad illum retinendum, si delinquat. Quinto, dividitur in reservatum, & non reservatum. Sexto, in Absolutum, & Conditionale; Quod etiam subdividitur in Pœnale, ut si voveas te non blasphematurum sub pœna jejunandi; & non pœnale, ut voveo peregrinationem, si pater consentiat.

XI. Rogabis, Num hujusmodi votum pœnale includat duo vota, videlicet & non blasphemandi, & simul jejunandi, in casu blasphemiæ, an vero hoc secundum tantum?

Respondeo, hoc dependere ex intentione voventis, ut plurimum autem utrumque vovetur. Eodem modo si quis vovet sub pluribus conditionibus, pendet ex intentione voventis, num una tantum purificata, teneatur ad votum, an vero purificatis omnibus. Si tamen non constet de intentione, tunc si conditiones sint appositæ copulative per particulam, *Et*, non tenetur, nisi purificatis omnibus; Secus vero si sint appositæ disjunctive per particulam, *Vel*, quia verba accipienda sunt juxta propriam significationem.

ARTICULUS II.

De Materia, & Obligatione Voti.

I. Quando materia voti partim est apta, partim inepta, vovens ad nihil tenetur, si utramque materiam vovit per modum unius; secus si per modum plurium.

II. Quamdiu differri possit voti adimpletio, præsertim si sit de Religione ingredienda?

III. Num possit emitti votum cum intentione, quod solum obliget sub levi in materia gravi, & sub gravi in materia levi?

IV. Quandonam materia levis ex circumstantia evadit gravis?

V. Num peccet graviter, qui sæpe violat votum in materia levi?

VI. Peccatne mortaliter, qui eodem die violat plurima vota diversa, quorum singula sunt de re levi?

VII. Cessat voti obligatio, facta aut deprehensa notabili mutatione, quæ si fuisset prævisa, votum non fuisset emissum.

I. QUæritur primo, Quando materia partim est apta voto, partim inepta, obligatne votum ad partem aptam, an simpliciter non obligat? Verbi gratia, si voveas ducere Bertam meretricem, quamvis ad matrimonium non tenearis, cum non sit de meliori bono, tenerisne tamen ad meretricem illam ducendam, posito quod velis nubere?

Respondeo, ut dicemus in de Sponsalibus, quod quoties materia partim est apta voto, partim inepta, toties si votum respicit materiam per modum unius indivisibilis, est simpliciter invalidum; si vero respiciat materiam divisibiliter, tunc vovens tenetur ad solam illam partem materiæ, quæ est apta voto: Verbi gratia, qui vovit jejunium crastinum, si possit jejunare solum usque ad vigesimam horam, ad id non tenetur, quia jejunium vovetur per modum unius indivisibilis; Si vero voveat jejunare totam Quadragesimam, & solum possit octo dies jejunare, ad id tenetur; quia jejunium quadragesimale vovetur divisibiliter. Idem dicas in casu adducto: nam si quis voveat ducere meretricem per modum unius voti indivisibiliter, & absolute, tunc votum est simpliciter nullum: unde si vult nubere, potest cum qualibet nubere; si vero votum sit per modum plurium, itaut absolute voveat nubere, & simul conditionate voveat, quod si nubat, nonnisi meretrici nubet, tunc quamvis prius votum absolutum sit nullum, unde simpliciter non teneatur nubere, tamen quia secundum conditionatum est validum, tenetur, si vult nubere, ducere meretricem: Ita Suar., Bonac., & alii.

II. Quæ-

II. Quæritur secundo; Quandonam votum obliget?

Respondeo, obligare pro tempore præfixo ex intentione voventis. Quod si nullum tempus præfigatur, obligat quamprimum commode impleri possit, nam Deuter. 23. dicitur: *Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

Difficultas tamen est, quandonam mora dicatur notabilis, itaut ad mortale pertingat?

Respondeo, quod quando nullum tempus præfixum est a vovente, aliter discurrendum sit de votis, quæ per dilationem patiuntur diminutionem, (ut est, verbi gratia, votum ingrediendi religionem, aut serviendi hospitali toto vitæ tempore; nam quo longius differtur voti adimpletio, eo minus vovens vivit in religione, & servit hospitali) & aliter discurrendum de votis quæ per dilationem non patiuntur diminutionem, ut est, verbi gratia, votum peregrinationis Romanæ.

In his postremis votis, quando per dilationem non incurritur periculum omittendi votum omnino, quamvis Pal. putet non esse mortale moram duorum, triumve mensium tantum; at probabile etiam est, quod docet Tambur. cap. 12. §. 3. quamcunque moram esse tantum veniale; & ex Bonac. ne veniale quidem, si rationabilis causa differendi intercedat; Verbi gratia, si credatur votum adimplendum postmodum cum majori devotione. Ratio est, tum quia quoties ex dilatione nullum patitur damnum creditor, dilatio non est damnanda de gravi errore, sed solum de negligentia levi; tum etiam quia qui vovendo nullum tempus præfixit, videtur solum se obligasse ad rem quocumque tandem tempore ponendam. In primis vero votis Pal. putat dilationem sex mensium esse mortale; alii vero cum Ledesm. dilationem trium annorum. Tambur. tamen verius putat, attendendam esse ætatem voventis: nam si hic agat quindecim annos, non videtur longa dilatio trium, vel quatuor annorum, quia cum homines soleant statum vitæ assumere circa quindecim, vel viginti annos, non videtur renunciasse huic modo, & tempori consueto assumendi statum vitæ, qui nullum tempus voto præfixit: Quod si vovens esset, verbi gratia, quadraginta annorum, dilatio sex mensium videtur notabilis.

III. Quæritur tertio, An votum de re gravi possit obligare sub levi ex mera intentione voventis?

Respondeo, multos negare cum Sot., Vasq., Pont.; sed Suar., Sanc., Pal. tom. 3. tract. 15. affirmant; quia cum obligatio voventis dependeat ab ipsiusmet voluntate, poterit ad libitum obligare se sub levi, dummodo id exprimat. Quamvis autem vovens rem gravem possit ad arbitrium obligare se sub levi; non potest tamen viceversa vovens rem levem obligare se ad illam sub gravi, ut communiter docent contra Sayr., & Fagund. apud Dian. part. 5. tract. 5. resol. 50. Ratio est, quia sicut non potest Legislator obligare sub gravi in materia levi, ut probat Sanch. lib. 1. cap. 40. ita nec vovens.

IV. Notandum tamen, quod aliquando materia levis possit ex circumstantia adjuncta esse gravis; verbi gratia, si ex omissione illius cesset magnus honor Dei; sic qui vovet dare carolenum pro Missa celebranda, peccat mortaliter, si illum non det; secus vero si voveat dare carolenum pauperi; Sic peccat mortaliter, qui non adimplet votum visitandi aliquam Ecclesiam ad lucrandam indulgentiam pro defunctis: Et qui semel non adimplet votum sumendi Eucharistiam, ut notant Sanch., & Bonac.

V. Rogabis, an peccet mortaliter, qui sæpe violat votum de re levi: Verbi gratia, qui vovit quotidie per annum recitare Pater, & Ave aut dare parvam eleemosynam?

Respondeo cum iisdem Doctoribus apud Trull., quod si hæc vota sint affixa singulis diebus, itaut elapso die cesset obligatio, nunquam eorum violatio pertinget ad mortale; quia innumera venialia non faciunt mortale; si vero dies appositus est, ne ultra illum differatur executio, non obligatio voti, tunc omissio erit mortalis, quando materiæ leves pertingunt ad quantitatem notabilem, ut dicitur de furtulis iteratis.

VI. Rogabis secundo, An peccet mortaliter, qui plura vota de re levi emisit quotidie implenda, si eodem die omnia violavit; Verbi gratia, qui vovit recitare Ave pro Sancto Antonio, & aliud Ave pro Sancto Francisco, & sic pro centum aliis Sanctis, si uno die omittat recitare hæc centum Ave, quæ debet pro centum votis emissis, peccabit ne mortaliter, an solum committet centum venialia?

Respondeo cum iisdem Doctoribus, quod peccet mortaliter. Ratio est, quia illa vota sunt ejusdem rationis, & obligant pro eodem tempore ex virtute, & præcepto religionis; ergo si simul violentur, violatur præceptum religionis in re gravi, atque adeo committitur mortale; Sicut peccat graviter qui eidem debet magnam pecuniæ summam ex multis promissionibus, & donationibus, singulis de re modica, si illam non solvat.

VII. Quæritur quarto, An cesset obligatio voti, facta notabili mutatione rei promissę, quę si prævisa fuisset, votum non fuisset factum?

Respondeo, hanc regulam communiter tradi a Doctoribus apud Sanch. l.4.c.2., & Trull. dub. 8., quod id liberet a voti, vel juramenti obligatione, quod si a principio accidisset, vel

notum

notum fuisset, impedisset ne votum, aut juramentum emitteretur. Ratio est, tum quia votum non obligat ultra voventis intentionem; vovens autem non præsumitur habuisse voluntatem obligandi se superveniente, aut de novo cognita tali mutatione notabili; tum etiam quia votum censetur factum sub hac tacita conditione, nisi scilicet superveniat notabilis mutatio, aut de novo appareat: etenim in casu nostro idem est de novo apparere, ac de novo esse.

ARTICULUS III.

Quonam pacto tolli possit obligatio Voti per dispensationem?

I. Potest Episcopus in omnibus votis suorum subditorum dispensare, nisi expresse a Pontifice nonulla reserventur; ut de facto quinque reservantur Pontifici.

II. In dubio an votum sit Pontifici reservatum, potest dispensare Episcopus: sicut etiam in dubio an egeat dispensatione.

III. Pariter potest Episcopus in votis Pontifici reservatis dispensare in casu necessitatis, quando periculum gravis damni esset in mora.

IV. Sicut etiam probabiliter id potest, si votum reservatum sit emissum ex metu levi; Aut si votum castitatis sit ad tempus, aut non sit perfectæ castitatis.

V. Potest Episcopus dispensare in voto pœnali castitatis relate ad pœnam, quæ est accessoria; Et in voto suscipiendi Ordines Sacros.

VI. Facta a Pontifice commutatione Voti sibi reservati, potest Episcopus dispensare in materia subrogata.

VII. Si votum sit disjunctivum, antequam eligatur pars reservata, potest in illo Episcopus dispensare.

VIII. Potest etiam dispensare in differenda executione voti Religionis; & in voto ingrediendi Ordinem Militarem, dempto Ordine Sancti Joannis Hierosolymitani.

IX. Pariter dispensare potest in votis factis in favorem alterius, si nondum sunt acceptata; si tamen sint acceptata, tunc solum probabiliter potest dispensare, quando emissa sunt principaliter in honorem Dei, & secundario in favorem alterius.

X. Itidem vota reservata, si sint conditionata, (& probabiliter etiam post conditionem purificatam) dispensari possunt ab Episcopo.

XI. Habens potestatem commutandi vota, aut in iis dispensandi, potest illam secummet exercere.

XII. Habens facultatem dispensandi in Votis num possit eatenus juramenta relaxare?

XIII. Quænam dicatur causa justa ad dispensandum in Votis?

I. Diximus in 6. art. quæstionis superioris, multifariam posse tam impediri, quam tolli juramenti obligationem; quæ omnia juramento pariter, & voto communia sunt. Quare hic solum inquirimus de votorum dispensatione.

Quæritur itaque primo, In quibusnam votis possit Episcopus dispensare?

Respondeo, præter ea, quæ diximus loc. laud. de Juramento; Episcopum posse in sua Diœcesi dispensare in omnibus votis, in quibus potest Papa in toto orbe, nisi ab illo specialiter aliquod sit reservatum. Et ratio est, quia habet in suas oves potestatem ordinariam sibi a Christo Domino concessam per illa verba dicta Petro Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram erit solutum & in Cœlis*. Quia tamen Episcopus potestatem hanc habet subjectam Pontifici, ideo potest Pontifex aliquorum votorum dispensationem sibi reservare. Et de facto reservavit illa quinque castitatis, & Religionis, & trium peregrinationum, Romanæ, Hierosolymitanæ, & Compostellanæ. Quamvis autem Tabien., & alii putent, hæc tria posse ab Episcopo dispensari, quando facta sunt causa devotionis, & non in subsidium; Contrarium tamen universali Ecclesiæ consuetudine est receptum. Quia tamen reservatio est odiosa, eo quod deroget potestati ordinariæ Episcoporum, ideo stricte est interpretanda.

II. Hinc sequitur primo, in dubio, an votum sit Papæ reservatum, judicandum non esse reservatum; non secus ac dum dubitatur, an casus aliquis sit reservatus, ut notat Dian. part. 4. tract. 3. resol. 59. Et eodem modo si dubium sit, an res egeat dispensatione Papæ, poterit Episcopus absolute dispensare, eo quod casus hujusmodi dubius non sit reservatus?

III. Sequitur secundo, posse Episcopum in iis dispensare in casu necessitatis, quando scilicet non patet facilis aditus ad Papam, & ex mora est periculum incontinentiæ, aut gravis scandali, aut damni; non enim censetur mens Pontificis velle votum reservare cum tanto periculo; Verbi gratia, si quis astrictus voto castitatis, aut religionis velit ducere fœminam a se defloratam, & si expectetur dispensatio a Papa, ingens periculum habeatur mutationis voluntatis, aut impediendi matrimonii, unde deberet illa puella manere sine remedio cum honoris jactura; vel si esset periculum, ut ille moreretur absque prolis legitimatione, vel cum animæ periculo.

IV. Sequitur tertio ex Less. lib. 2. c. 40. num. 106., Navar., Bonac., & aliis contra Sanch., & Suar., posse Episcopum in iis votis dispensare, si ex metu levi sint emissa; quia cum reservatio sit odiosa, strictam patitur interpretationem, adeoque intelligenda est de votis cum plena libertate emissis, & perfectis. Hinc ex Sanch., & Bonac. potest etiam dispensare in voto castitatis facto ad tempus, verbi gratia, per octo annos; & in voto solum non nubendi, non fornicandi, necnon si votum emissum sit cum intentio-

tentione obligandi se sub levi, & in voto castitatis emisso a conjugibus post consummationem matrimonii. Cum enim hic teneatur reddere debitum, consequenter votum non est perfectæ castitatis: si tamen votum sit emissum ante matrimonium, eo inito, poterit solum Episcopus dispensare ad petendum debitum, etiam ante consummationem matrimonii ex consuetudine legitime præscripta, ut notat Sanch. l. 8. de Matr. disp. 12.

V. Sequitur quarto, posse Episcopum etiam dispensare in iis, si sint annexa tanquam quid accessorium Voto principali non reservato: Verbi gratia, si quis voveat non ludere sub pœna castitatem servandi. Contra vero si quis voveat, v. gr., castitatem sub pœna jejunii, Episcopus non poterit dispensare in voto principali castitatis, poterit tamen in hoc voto pœnali jejunii. Eodem modo poterit Episcopus dispensare in voto assumendi Ordines Sacros, quia votum castitatis iis annectitur accessorie; unde si fornicaretur, qui vovit suscipere Ordines Sacros, non esset sacrilegus, & si matrimonium iniret, peccaret quidem, sed posset debitum petere.

VI. Sequitur quinto, quod si Papa commutet votum reservatum castitatis in materiam non reservatam, puta in jejunia, poterit Episcopus in his dispensare. Neque obstat, quod subrogatum sapiat naturam ejus, pro quo subrogatur, ut docent communiter Canonistæ: Nam hoc procedit quoad intrinseca, ita scil. ut ejusdem ponderis sit, non quoad extrinseca, sicut est reservatio, ut notant Sanch., & Bonac.

VII. Sequitur sexto, quod quando votum disjunctive emittitur, & una tantum pars est reservata, possit Episcopus in eo dispensare, antequam vovens eligat partem reservatam; ut si quis voveat vel castitatem, vel servire in Xenodochio.

VIII. Sequitur septimo, posse Episcopum dispensare in differenda executione voti religionis; quia hoc non est dispensare in substantia voti: Sicut potest etiam commutare votum religionis arctioris in religionem minus arctam; Potest etiam commutare votum ingrediendi Ordines militares, excepto Ordine Sancti Joannis Hierosolymitani, quia probabiliter hic unus est vera religio, non vero alii Ordines militares, quippe qui vovent castitatem conjugalem; quicquid in contrarium sentiat Navar., & Covar. apud Sanch.

IX. Sequitur octavo, posse Episcopum dispensare in votis in favorem tertii emissis, si nondum sint acceptata; quia sic nulli fit injuria. Ubi nota, quod quamvis probabile sit, juramentum additum promissioni nondum acceptatæ non indigere relaxatione; (quia, ut notat Less. l. 4. c. 42. n. 22., promissio habet hanc tacitam conditionem, si scilicet valide acceptetur; cum ergo juramentum sequatur naturam actus, cui additur, inde fit, ut sicut promissio ante acceptationem non obligat, ita nec juramentum) nihilominus votum additum promissioni nondum acceptatæ, immo & ipsum juramentum, si fiat per modum voti, obligat etiam ante acceptationem ex virtute religionis, ut notat idem Less. cap. 17. n. 52., quia scilicet est promissio facta Deo dandi, verbi gratia, aliquid pauperi.

Utrum autem quando vota, & juramenta hujusmodi sunt acceptata, possint ab Episcopo dispensari? Diximus cum de juramento ex Tambur., & aliis probabiliter dispensari, & commutari posse, quando principaliter facta sunt in obsequium Dei, & minus principaliter in favorem tertii: & ideo Fagund. apud Tambur. docet, quod etiam propria auctoritate possint in melius commutari. Quam doctrinam Sanch. lib. 4. cap. 41. num. 16. admittit, si votum præcise fiat in honorem Dei, non respiciendo, ne secundario quidem, utilitatem pauperis, aut loci pii acceptantis promissionem.

X. Sequitur nono, Episcopum dispensare posse in quinque illis votis reservatis, quando sunt pœnalia, & conditionalia, eo pacto, quo explicavimus, dummodo conditio non sit de præterito, aut de præsenti, sed de futuro, itaut ab illa dependeat obligatio voti & hactenus remaneat suspensa: Nec solum dispensari possunt ante purificatam conditionem, sed etiam post illam. Ita Sanc. lib. 8. de Matrim. disp. 10. & alii apud Trull. contra Navar., qui putat nec ante, nec post conditionem purificatam dispensari posse, & contra Less., Suar. & Bonac, qui putant ante purificationem conditionis dispensari posse, non post illam, quando jam evaserunt absoluta. Ratio nostræ doctrinæ est, quia quamvis purificata conditione obligatio sit absoluta, tamen radix, & origo talis obligationis fuit imperfecta quædam voluntas ponendi rem promissam, verbi gratia castitatem, utpote pendens a futuro eventu conditionis. Quare cum reservatio sit odiosa, restringenda est ad ea vota, quæ ex amore perfecto, & absoluto castitatis, verbi gratia, aut religionis, emissa sunt; Qui autem vovet castitatem, si luserit, si convaluerit, videtur magis amare negationem lusus, & sanitatem, quam ipsam castitatem.

XI. Quæritur secundo, Utrum qui habet potestatem generalem dispensandi in votis aliorum, possit pariter secum ipse eandem potestatem exercere, aut dare facultatem alteri, ut secum dispenset?

Respondeo affirmative cum Sanch. lib. 8. de Matrim. disp. 3., Bonac., Henr., Trull. disp. 1. Ratio est, quia hic actus est jurisdictionis gratiosæ, non contentiosæ, & ideo non repugnat exerceri in seipsum, aut alteri delegari; cum possit idem propter diversas rationes esse agens, & patiens.

XII.

XII. Quæritur tertio, Num habens facultatem commutandi, aut dispensandi in votis, possit pariter commutare, aut relaxare juramenta?

Respondeo cum Suar., Sanch., & aliis contra Less., Azor., Bonac. apud Trull. disp. 41. affirmative; quia quamvis specie differant vinculum voti, & vinculum juramenti in rigore metaphysico: at quoad vinculum moraliter omnino conveniunt, quia utraque obligatio oritur ex virtute religionis, & utriusque Deus solus est creditor. Unde secundum se qui potest in votis dispensare, potest etiam juramenta relaxare, necnon vota jurata, si non sint in præjudicium tertii. Notandum tamen, quod in nostris Privilegiis V. *Confessarius* §. 6. diserte habetur, Confessarios Societatis solum relate ad Nostros relaxare posse juramenta sine præjudicio tertii.

XIII. Denique diximus cum de Juramento, causas justas ad dispensandum in votis, aut juramentis esse universim utilitatem Ecclesiæ, honorem Dei, utilitatem, & fructum spiritualem voventis, imperfectam deliberationem in voto emittendo, metum etiam levem incussum ad extorquendum votum, dubium de obligatione voti, notabilem difficultatem supervenientem, & alia hujusmodi ad arbitrium prudentis: quæ si quando ad dispensationem non sufficiunt, saltem sufficere possunt ad commutationem.

QUÆSTIO IX.

De tertio Decalogi Præcepto.

Diem Sabbati sanctifices.

IN primo, & secundo præcepto prohibita sunt, quæ a vera Religione abducunt, ut est Idololatria, Infidelitas, &c.: In tertio præcipitur, quod ad veram Religionem perducit; ad quam pertinet signo externo cultum vero Deo exhibere, ut notat D. Th. 2. 2. quest. 122. art. 4. in gratitudinem beneficiorum, quæ ab eo recipimus. Per sanctificationem autem Sabbatorum præcipitur sanctificatio festorum, quæ ab Ecclesia determinantur, hoc est a Pontifice pro toto orbe, & ab Episcopo pro sua Diœcesi cum consensu Cleri, seu majoris partis Capituli, & cum consensu populi, seu populo non contradicente, ut notat Tambur. ex consuetudine legitime introducta; quæ etiam a Regularibus observanda sunt, & quidem ab omnibus sub mortali. Damnatur enim ab Innocent. XI. proposit. 52. dicens: *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus*. Quomodo autem sanctificanda sint festa? Varii varia. Certum est præcipi primo auditionem Sacri; Secundo, abstinentiam ab operibus servilibus; Tertio, abstinentiam ab aliquibus operibus forensibus; Quarto, observationem jejuniorum, quæ instituta sunt in vigiliis aliquorum festorum in honorem Christi Domini, Deiparæ, & Sanctorum. Aliqui ulterius cum Angelo contendunt, diebus festis eliciendos esse actus dilectionis Dei, & contritionis peccatorum, & audiendam esse concionem, & Horas Canonicas, saltem vespertinas, faciendas esse obligationes, orandum, vacandum Deo, eoque fruendum, adeo ut speciali obligatione teneantur fideles abstinere die festo a peccatis; unde qui, verbi gratia, fornicatur, duplex peccatum committat, alterum contra observationem Festorum, seu contra Religionem, alterum contra specialem virtutem, nempe contra castitatem. Sed communiter rejiciuntur; quamvis enim finis præcepti de abstinendo ab operibus servilibus sit, ut facilius Deo vacetur; at finis præcepti non cadit sub præceptum. Et idcirco qui audita Missa toto die confabularetur, aut luderet, non peccaret specialiter contra præceptum diei festi; quamvis forte peccaret otiose tempus terendo. Quare hic de his dumtaxat, quæ præcipiuntur, agendum. Et primo, de Abstinentia ab operibus servilibus. Secundo, de forensibus. Tertio, de obligatione audiendi Missam. In quæstione autem sequenti agemus de Jejunio.

ARTICULUS I.

De Abstinentia ab operibus servilibus die festo.

I. Non est speciale peccatum die festo peccare, & diabolo inservire; sed est peccatum opera servilia exercere. Sunt autem servilia opera non solum quæ a servis communiter exerceri solent, sed etiam quæ servis, & liberis solent esse communia, itaut usus, & consuetudo habeat pro servilibus.

II. Prohibentur servilia, etiamsi gratis, & sine labore exerceantur; & permittuntur liberalia, etiamsi ob stipendium, & cum labore fiant.

III. Permittitur transcribere etiam notas musicas, non tamen lineas his notis subjectas ducere. Licitum etiam est Typographo charactères ordinare, rationes dati, & accepti facere, & transcribere.

IV. Probabiliter licet etiam delineare, & sine magno apparatu pingere; Immo etiam acu pingere.

V. Permittitur etiam probabiliter piscari, & venari sine magno apparatu, ac labore.
VI. Pariter permittuntur præliationes, artes militares, & ars digladiandi.
VII. Ars sculptoria censetur servilis, sive in ligno, sive in marmore, aut creta sculpatur.
VIII. Licitum est iter facere etiam in lectica, quæ portetur ob hominibus.
IX. Non licet ducere jumenta, aut currus onustos, si cum magno labore onera iis imponenda sunt. Qui vero comitantur jumenta onusta, raro peccant mortaliter; quia raro ultra spatium duarum horarum in imponendis oneribus laborant.
X. Idem dicendum de iis, qui ducunt animalia, quæ in pistrino molunt, ac de iis, qui exercent opus distillandi; aut frumentum cribro eventilatum manibus purgant.
XI. Num liceat Infidelibus injungere die festo opera servilia?

I. QUæritur primo; Quænam regula assignari possit ad dignoscendum, num opus aliquod sit servile, an liberale?

Respondent communiter, triplex genus operum dari; Aliqua, quæ proxime, & immediate tendunt ad corporis utilitatem, & commodum, & a servis exerceri solent: ut terras colere, fabricare, cibaria præparare, sculpere, imprimere, &c., & universim omnia opera artium mechanicarum: Aliqua, quæ proxime, & immediate tendunt ad mentem instruendam, & communiter a liberis, & nobilibus exercentur: ut legere, scribere, concionari, docere, & quæ ad artes liberales pertinent; ut cantare, saltare, instrumenta musica pulsare, &c.: Alia demum, quæ communia sunt liberis, & servis, ut iter facere, piscari, venari, &c. Certum est, opera illa primi generis prohiberi. Levit. enim 72. dicitur: *Omne opus servile non facietis in eo*. Certum proinde etiam est, opera secundi generis liberalia permitti. Circa opera tertii generis, regula ad dignoscendum, num sint servilia, & prohibeantur, est ipse usus, & consuetudo; Si enim usus, & consuetudo opera habeat pro servilibus, ea vetantur; secus vero si habeat pro liberalibus, ut notat Tambur. lib. 8. cap. 3., quia servitus, & ignobilitas operis ab ipsa hominum existimatione comprobanda est.

II. Hinc sequitur primo, opera servilia prohiberi etiamsi gratis, & ob finem honestum, & sine labore exerceantur: Sicut e contra permitti liberalia, etiamsi exerceantur propter stipendium, & cum defatigatione.

III. Sequitur secundo, licitum esse die festo transcribere, etiam lucri gratia, ut communiter docent contra Azor., Navar., & alios; quia, ut notat Pal. disp. 2. punct. 5., talis actio immediate deservit animæ, non corpori; ordinatur enim ad exprimendos mentis conceptus: Et propter eandem rationem licet ex Tambur. scribere, & transcribere notas musicas, non tamen ducere lineas iis notis subjectas, quia id mechanicum est, & est apparatus ad scribendum. Licitum est etiam Typographo characteres ordinare, seu componere, quamvis non exprimere torculari, ut notat Laym. cum Dian. part. 4. tract. 4. resol. 62. contra Pal.. Item licet rationes dati, & accepti facere, & transcribere.

IV. Sequitur tertio probabiliter ex Laym., Pelliz., & aliis apud Tambur, licitum esse delineare, designare, & pingere; (dummodo id fiat sine magno apparatu, videlicet miscendo colores, efformando pennicillos, &c.) probabiliter etiam fœminis licet acu exemplaria excipere, quod est acu pingere. Ratio est, quia pictura scripturæ simillima est; quamvis scriptura exprimat mentis conceptus, pictura vero rerum imagines. Qua de causa communior sententia apud Pal. loc. cit. picturam inter serviles artes recenset; quia scilicet non exprimit conceptum, sed rem per conceptum repræsentatam, non secus ac ars fabrilis: unde probabilius est, non esse licitum pingere die festo: præsertim si in pictura ignobili magis corpus, quam mens occupetur.

V. Sequitur quarto, probabiliter ex Navar., Gran., Medin., & aliis apud Dian part. 4. tract. 4. resol. 222. contra Suar. & Fagund. licitum esse piscari, aucupari, & venari: (dummodo non intermisceantur opera servilia; ut sunt reficere retia, componere escas, hamos, & magna retia, seu sciabbicas cum magno nisu, & piscatorum labore longo tempore attrahere.) Et sane Tolet., Cajet., & Sot. apud Tambu. cap. 2. n. 23. quamvis putent piscationem, aucupationem, & venationem esse opera servilia, censent etiam ex consuetudine scientibus, & patientibus Prælatis permitti: quamvis Tambur. putet consuetudinem istorum esse, dummodo fiant sine magno apparatu, ut diximus.

VI. Sequitur quinto, idem dicendum de præliationibus, ex Dian. part. 4. tract. 4. resol. 229. (quamvis hæ fere semper liceant ratione necessitatis) necnon de exercitationibus militaribus tempore pacis. Ratio est, quia parum habent de opere servili, & consuetudo eas permittit: Sicut etiam permittit artem digladiandi: quamvis Fagund. contra Granad. putet esse artem mechanicam.

VII. Sequitur sexto, Artem sculptoriam, sive sculpatur in marmore, aut in metallo, creta, ligno, &c., esse servilem, & mechanicam, cum sic usus interpretetur.

VIII. Sequitur septimo, licitum esse iter facere pedibus, equo, navi, curru, lectica sive ab equis, sive ab hominibus delata; quia iter facere vel non est opus servile, ut putant Suar., Azor.,

& alii

& alii communiter, sed liberale; cum sit actio naturalis consistens in quadam corporis situatione, & exercitatione; Vel si opus est servile, ut putant Cajet., & Sot., consuetudine viatores excusantur.

IX. Certum tamen est, esse opus servile, & prohibitum ducere currus onustos, & naves mercibus onustas, necnon animalia onusta, quando cum magno labore imponenda sunt onera curribus, & jumentis. Verum ob approbatam consuetudinem excusantur muliones, qui die festo jumentis oneratis, iter ante diem festum inceptum non intermittunt: Necnon qui iter incipiunt die festo, postquam Sacro interfuerunt, comitantibus mulis onustis suppellectili, viaticis, &c.. Immo Dian. part. 1. tract. 1. resol. 36. putat, raro in praxi dictos muliones peccare mortaliter, quia in iis oneribus ligandis, vel imponendis tempus notabile non insumunt; unde ratione parvitatis materiæ a mortali excusabuntur; Docetque ibidem cum Filliuc., spatium duarum horarum non esse tempus notabile. Rodr. demum apud Trull. excusat hujusmodi muliones, qui hoc habent ex officio; tum quia concurrere videtur aliqua necessitas, & utilitas Reipublicæ; tum quia ita consuetudine est receptum.

X. Idem dicendum de iis, qui utuntur pistrino; nam ubi necessitas, vel consuetudo habetur, procul dubio licet molere: Si autem necessitas, aut consuetudo absit, ex Sanch. licitum est molere mola, quæ vento, vel aqua circumagitur, quia id sine labore hominum fit; Negat vero licitum esse molere pistrino, seu mola, quæ ab animantibus circumfertur, quia in eo magnus labor, & occupatio haberi solet. Quare bene Tamb. docet, quod si quando animal est tam bene instructum, ut sine notabili hominis ministerio suum munus obeat, die festo pistrino molere non sit mortale, secus vero si sæpius equus sit alligandus, & solvendus, aut si cum eo male instructo sæpe incedendum sit, stimulando illum voce, & baculo, vel si mola non raro sit obvertenda, quia sic labor servilis non modicus intercederet.

Propter eamdem rationem Filliuc. excusat opus distillandi aliquod simplex, vel mixtum, si in eo exigua corporis fatigatio impenditur. Et Tambur. non audet damnare fœminas, quæ frumentum cribro jam e ventillatum manibus purgant a quibusdam minutis ramentis, cum modicissimæ applicationis sit talis occupatio; unde etiam recreationis causa ab honestis fœminis excipi soleat.

XI. Quæritur secundo, An sicut licitum est animanti injungere die festo opus servile; ita liceat idem injungere Turcis, & aliis, qui Ecclesiæ legibus non subduntur, eo modo, quo licitum est iisdem ministrare carnes die veneris?

Respondeo, nonnullos apud Dian. part. 5. tr. 14. resf. 7. negare; quia non videtur diem festum more humano sanctificare, qui quamvis ipse quiescat, servis tamen ratione utentibus opera servilia injungit; unde quamvis non peccet infidelis, qui ea opera exercet, peccat tamen fidelis, qui illum ad ea inducit. Verum quia Laym. l. 1. tr. 4. c. 9. concedit perpetuo amentibus posse opera servilia injungi diebus festis, putat Dian. loc. cit. & Tamb. non improbabiliter, quod propter parem, immo majorem rationem, possint eadem infidelibus injungi, ut diximus quæst. 1. art. 3. Quibus autem de causis opera servilia aliquando liceant die festo, dicemus art. sequenti.

ARTICULUS II.

De Operibus forensibus vetitis die festo.

I. Prohibetur die festo Mercatus, Judicium forense, & juramentum.

II. Nomine mercatus veniunt Nundinæ universales, & particulares, nec non actus mercandi. Quid tamen permittitur ex consuetudine?

III. Nomine Judicii forensis venit strepitus judicialis, itaut actus judiciales sint invalidi, nisi necessitas, aut pietas aliud suadeat.

IV. Sententia excommunicationis nec irritatur, nec prohibetur; Sicut neque aliæ sententiæ, & actiones, quæ strepitum judicialem non requirunt: Probabilius tamen licita est Appellatio.

V. Nomine Juramenti, quod prohibetur die festo, venit juramentum judiciale, quod fit pro rebus temporalibus.

VI. Pluribus de causis aut licent opera forensia, ac servilia die festo, aut non est mortale ea exercere; Præsertim ratione necessitatis, consuetudinis, dispensationis, aut parvitatis materiæ.

VII. Quid de sutoribus laborantibus die festo?

VIII. In dubio an detur necessitas, aut consuetudo approbata, petenda est dispensatio: Secus tamen si probabile sit dari necessitatem, aut consuetudinem, & scandalum vitetur.

IX. Est sufficiens causa excusans timor gravis damni, & amissio ingentis lucri.

X. Num possit quis ad otium vitandum laborare, saltem ad sublevandam alicujus gravem necessitatem? Num possint ea fieri die festo, quæ ad cultum divinum spectant?

XI. Quænam sit parvitas materiæ in operibus servilibus; quænam in forensibus, quæ a mortali excuset?

XII. Plurimi ex consuetudine a Doctoribus excusantur. Quid de barbitonsoribus, & sutoribus? Quid si de consuetudine dubitetur.

XIII. Demum excusat dispensatio, quam data justa causa potest etiam Vicarius Generalis ex speciali mandato concedere: Immo etiam Parochus, qui potest etiam in jejuniis dispensare. Prælati Regulares dispensare possunt cum subditis suis, non cum famulis sæcularibus.

I. Quæritur primo, Quænam opera forensia die festo prohibeantur?

Respondeo, in c. p. *omnes dies, de feriis*, prohiberi sub hoc genere mercatum, judicium forense, & juramentum; quia quamvis istæ actiones serviles non sint, multum tamen distrahunt, & impediunt vacationem rebus divinis.

Primo itaque prohibetur Mercatus, quo nomine tria possunt intelligi, Primo, Nundinæ universales, vulgo dictæ *Fiera*; quæ semel, aut bis in anno celebrari solent. Secundo, Nundinæ particulares de quibusdam rebus usualibus, vulgo dictæ *Mercato*, quæ semel, vel bis in hebdomada habentur. Tertio, ipse actus mercandi, idest emptiones, & venditiones rerum.

II. Porro Nundinæ universales, ex consuetudine jam recepta etiam die festo nunc celebrantur. Nundinæ particulares ex Pal. alicubi non permittuntur die festo; esto in aliquibus locis ex consuetudine permittantur; unde mos patrius servandus est. Demum actus mercandi, seu contractus emptionum quamvis die festo prohibeantur, tamen consuetudo magna ex parte hanc etiam legem abrogavit; quamvis hujusmodi contractus propter reverentiam festi soleant non quasi in pubblico fieri, sed semiclausis officinarum januis, soleantque Episcopi prohibere, ne ea fiant nondum facta concione. Consuetudo itaque ubilibet servanda est. (*a*)

,, Benedictus XIV. 5. Novembris 1745. litteras dedit ad Ordinarios ditionis Ecclesiasticæ; in illis autem præmissa distinctione nundinarum annuarum ab hebdomadariis, quas *mercatum* dicimus, mercatum diebus festis haberi omnino prohibuit; annuas vero nundinas non tam permittendas, quam ad evitanda populorum incommoda, ex quadam conniventia, tolerandas duxit, modo non exerceantur iis matutinis, & vespertinis horis, quibus divina officia in Ecclesiis celebrantur. Vide eumdem Benedictum de *synodo diœces. lib. VII. cap. 3. num. 2. seq.*

III. Secundo, prohibetur judicium forense; quod etiam dicitur Placitum, & Strepitus judicialis. Unde prohibetur primo citatio partis; sub qua venit mandatum judicis de citando reo, & hujus mandati executio. Secundo, formatio processus, seu cognitio causæ; sub qua venit interpositio jurisjurandi, & depositio testium. Tertio, sententia, & sententiæ executio tam in causis criminalibus, quam in civilibus; ita- ut istæ actiones non solum sint illicitæ, sed etiam invalidæ etiam in tribunali Ecclesiastico; nisi tamen necessitas urgeat, aut pietas aliter suadeat; ut habetur expresse in *cap. ult. de feriis:* Verbi gratia: si expediat captum ob sceleris notorii gravitatem statim sine processu damnari; vel si periculum timeatur, ne justitia impediatur; vel si ita postulet conditio belli, aut bonum Reipublicæ: Ob quam rationem potest publice executioni mandari sententia criminalis, ut fit in tribunalibus Sanctæ Inquisitionis.

IV. Dubium est, An prohibeatur etiam, & irritetur sententia excommunicationis, suspensionis, vel interdicti?

Respondeo, communiter cum Pal. punct. 7. contra nullos negari; ubi tamen hujusmodi sententiæ non requirunt causæ cognitionem, Ratio est, quia solum prohibetur die festo strepitus judicialis; Et consequenter sententiæ, quæ sine strepitu judiciali feruntur, seu quæ causæ cognitionem non requirunt, non prohibentur; ut patet in absolutione ab excommunicatione, in dispensationibus, privilegiis, provisionibus, collationibus beneficiorum, & aliis actibus voluntariæ jurisdictionis, qui permittuntur, quia sine strepitu judiciali fiunt. Licitum est die festo adoptare, emancipare, manumittere, advocatum consulere, apud judicem totam causam deferre, ut ea probe cognita sententiam commodius ferat, testamenta conficere, contractus celebrare, & alia hujusmodi, quæ dictum strepitum non requirunt.

Difficultas est de Appellatione, an ea liceat die festo?

Suar., & Reginal. negant, quia pertinet ad actus judiciales; Bonac. affirmat, quia instituta est ad sui defensionem, & fit sine magno strepitu, & consuetudine jam recepta permittitur.

V. Tertio demum prohibetur juramentum, hoc est judiciale, quod pro rebus temporalibus fit, non vero quod fit pro spiritualibus, ut notat D. Th. 2. 2. quest. 89. art. 10. Unde licita sunt juramenta solemnia, & publica, quæ præstantur Inquisitoribus ab iis, qui reconciliantur; Necnon juramenta, quibus confirmantur contractus permissi die festo.

VI. Quæritur secundo, Quibus de causis licent die festo opera prohibita non solum forensia, sed etiam servilia?

Respondeo, pluribus de causis aut licere, aut non esse mortale ea peragere. Causæ autem sunt, Primo necessitas, ad quam reducitur Obedientia, Utilitas, Pietas, & Religio, seu cultus divinus. Secundo, brevitas temporis. Tertio, Consuetudo. Quarto, dispensatio.

Primo itaque excusat necessitas sive propria, sive

sive aliena, tam spiritualis, quam temporalis, quia Ecclesia non obligat cum tanto onere, nec requiritur, quod necessitas sit maxima, quamvis non debeat esse modica.

Hinc primo permittuntur opera servilia pauperibus, si ad se, vel suos alendos laborare debent, dummodo id fiat sine scandalo.

Secundo, licet cibos coquere, & panem necessarium conficere, ac fructus ad necessarium usum colligere; Parare autem superflua ad cibum, & potum, & ad delectationem, verbi gratia colligendo fructus eodem die, ut integriores sint, coquere quotidie panem, ut mollior vendatur, animalia excoriare, &c., permittitur non ex necessitate, sed ex consuetudine, ut notat Pal. tom. 2. disp. 1. de observatione festorum punct. 10., & Azor. tom. 2. lib. 1. cap. 27.; Quamvis communius Doctores non excusent Pistores, qui possunt pridie festi coquere panem necessarium, si ad diem differant.

VII. Tertio, licet metere, vindemiam facere, serere, arare, messem colligere, &c., quando est periculum pluviæ, aut alterius impedimenti.

Quarto, licet Sutori suere vestes, quando bona fide absolvi non possunt diebus profestis, si ad usum expectant, qui eas commiserunt. Imo advertit Suar. tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 2. cap. 21., quod si quando opera servilia pridie fieri poterant, & cum culpa ad diem festum differuntur, adhuc possint deinde sine novo peccato fieri die festo, si sint necessaria.

Quinto, excusantur Pharmacopolæ, Medici, Chirurgi, modo conficiant medicinas pro eo die necessarias; Sicuti etiam milites, qui foveas, vel aggeres struunt, aut muros ædificant pro defensione Reipublicæ; Et ferrarii, qui ferreas laminas equis imponunt ob necessitatem iter agentium; Necnon qui pontes, & vias reficiunt, quando sine magno incommodo differi non possunt: Excusantur etiam navigantes, modo non incipiant navigationem die festo sine magna necessitate, ut supra diximus de mulionibus; Qui vero navi, vel phaselo iter agunt, possunt ex consuetudine incipere navigationem die festo.

VIII. Sexto, qui ad publicam lætitiam in adventu Principis, aut ex causa victoriæ, aut nuptiarum struunt theatra, arcus triumphales, libreas, &c., dummodo non potuerint prævenire; hoc enim fert ipsa etiam consuetudo. Quod si quando dubium est de necessitate, aut de consuetudine approbata, petenda est dispensatio, ut notat Sanch., quia stat in possessione præceptum; Secus vero si probabile sit dari sufficientem necessitatem, aut consuetudinem approbatam, & scandalum declinetur.

IX. Septimo, universim licita sunt opera servilia, quoties ex illorum omissione grave damnum sequeretur, ut accidit in decoctione calcis, vitri, laterum, saponis, & in tinctura lanæ. Immo ex Leand., & aliis, coctores ferri, & vitri etiam die festo possunt tale opus incipere. Hac de causa ex necessitate potius, quam ex obedientia licitum est famulis laborare ob timorem, ne a dominis dimittantur, si non obtemperent, & sic cogantur pauperiem pati; quamvis domini id imperantes a culpa non sint immunes: Sicut etiam licitum est filiis, uxori, & aliis personis subjectis laborare, si ad id compellantur, quando renuere non possunt sine timore gravis damni, aut gravis indignationis, modo id non præcipiatur in contemptum festi

Adde ex Dian. part. 2. tract. 15. resol. 34., & Sanch. contra Suar., & Pal. etiam ea opera licere ob magnam utilitatem, videlicet si aliter ingens lucrum amitteretur; quia amissio magni lucri damnum est; & ideo permittitur piscatio halecum, thynnorum, & similium piscium, qui brevi tempore excurrunt.

X. Octavo; Quamvis raro accidat ex Pal. laborandi necessitas ad vitandum otium, quod ferat periculum peccandi; at si accidat casus, licitum est laborare: Et licet Sylvest., Sa, Pelliz. apud Tamb. putent, licitum esse aliqualiter laborare præcise ad otium vitandum, hoc tamen communiter non admittitur, cum possit aliis viis facile otio occurri sine violatione præcepti; Si quis tamen ad otium vitandum vellet laborare, uti posset consilio Tamburini, qui permittit laborem ad sublevandam miseriam alicujus pauperis determinati existentis in gravi necessitate, hoc est in periculo moraliter certo gravis damni sive in corpore, sive in honore, sive in bonis suis, in qua necessitate multi pauperes ægroti versantur; Vel posset laborare conficiendo ornamenta necessaria pertinentia ad cultum divinum, quibus caret aliqua determinata Ecclesia nimis pauper. Ratio est, quia si potest pauper existens in gravi necessitate ipse pro se laborare, poterit etiam alius laborare pro ipso.

Nono, excusat necessitas ratione pietatis debitæ proximo; unde licitum est sepelire mortuos, inservire infirmis, vestire nudos, &c. Dubium tamen est, an sola pietas sine necessitate excuset? Affirmant Sylvest., & alii apud Sanch., & Trull. lib. 3. cap. 1. dub. 10., necnon Palat., Perez, qui apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 122. docent licitum esse laborare die festo ad faciendam eleemosynam. Ratio est, quia si causa pietatis permittuntur die festo opera forensia, quidni & servilia? quam sententiam Sanch. lib. 1 cap. 2. dub. 33. putat probabilem. Sed communior, & probabilior sententia est in oppositum.

Decimo, excusat necessitas ratione Religionis,

nis, sen cultus divini; unde licet altaria ornare, Ecclesiam verrere, & parare, hostias conficere. Quod si hæc potuissent die profesto fieri, probabile est ex Suar., & Tolet. non esse mortale ad diem festum differre, propter propinquitatem, quam habent cum rebus sacris. Quod etiam docet Fagund., si viæ parentur ad processiones: Secus vero si scienter tabulata ad videndas processiones fierent die festo, quando pridie fieri poterant, cum non habeant tantam propinquitatem cum rebus sacris: Quamvis si pridie non fuerint facta propter aliquod impedimentum, possunt die festo fieri sine culpa, quia sic concedit hic & nunc cultus divinus.

Hinc docet Tamb., sepulchra, præsepia, & moles artificiosas ad exponendam Eucharistiam, sicut etiam scenas ad repræsentationem sacram, posse sine mortali die festo fieri, quamvis potuissent fieri die profesto; quia propinquitatem habent cum rebus Sacris, non secus ac parare vias ad processiones: sed ne veniale quidem est, si necessitas urgeat, aut habeatur dispensatio.

XI. Secunda causa excusans a mortali est brevitas temporis, seu parvitas materiæ. Communius autem docent, parvitatem temporis esse spatium duarum horarum; quamvis Marcant. apud Tamb. requirat tres horas ad mortale, quæ sententia admitti posset, si aliqualis necessitas, vel alia causa concurreret, quæ de se non est satis ad excusandum. Azor. tamen, & Bonac. apud Dian. part. 2. tract. 15. resol. 36. putant, unum horam esse tempus notabile. Illud notandum ex Bonac., quod si quis pluribus servis imponat, quod successive laborent quilibet spatio unius horæ, non peccaret mortaliter, quia unum opus cum alio non connectitur: Contra vero si idem pluribus vicibus interpolatis eodem die per horam laboraret, ut dicitur de comedente pluries modica die jejunii.

In operibus autem forensibus die festo prohibitis parvitas materiæ, quæ a mortali excusat, non est desumenda solum ex brevitate temporis, sed etiam ex quantitate operis. Quare si venditio, verbi gratia, cum solemnitate celebrata fiat brevi tempore, sed sit res magni momenti, peccatur mortaliter; secus vero si sit res parvi momenti, & brevi fiat.

XII. Tertia causa excusans est Consuetudo approbata; Hæc enim ab omnibus legibus humanis excusat. Propterea primo Cajet., & Suar. ex consuetudine excusant eos, qui cibos coquunt, & alia præparant necessaria ad mensam; Et Pal. excusat etiam hac de causa, qui parant cibos superfluos, & ad delectationem. Secundo, Tolet., Sot. excusant venatores, aucupes, & piscatores, ut sup. diximus. Tertio, Fagund. excusat actiones delineandi imagines, & lineas ducendi ad eas postea pingendas; sicut etiam actionem digladiandi. Quarto, Navar., & Rodriq. excusant venditores calceorum. Quinto, Pal. exercitationes militares, quæ fiunt tempore pacis. Sexto, Sanch. qui dum habent segetes in area, trituram vertunt, extendunt, aut separant; necnon hortulanos rigantes olera die festo; & iter agentes comitando mulos onustos supellectili; necnon molitores, & nundinas. Septimo, Fernand. apud Dian. part. 2. tract. 15. resol. 36. excusat barbitonsores; (& idem potest dici de sutoribus, qui novos calceos die festo calceant) verum communius Doctores de hac consuetudine approbata dubitant, docentque, quod ubi ea est scita, & tolerata a Prælatis, procul dubio excuset; alioquin excusari poterunt vel ratione parvitatis materiæ, si scilicet unum, vel alterum tondeant; vel ex necessitate rusticorum, aut aliorum, quibus non conceditur nisi die festo posse tonderi, aut calceari, vel ex lucro cessante non ordinario; si enim recusent die festo ea peragere, facile barbitonsores, & calceatores a plerisque relinquerentur cum notabili lucri jactura.

XIII. Quarta demum causa excusans est Dispensatio, ad quam procul dubio causa justa requiritur, ut sit licita, & valida, si ab Episcopo concedatur in festis a Papa institutis, ut alias diximus. Potest etiam illam concedere Vicarius Generalis, non quidem ex officio, sed ex speciali mandato; quia quodcumque sapit liberalitatem, & gratiam, ut est dispensatio, non potest ex generali mandato, seu ex concessione Vicariatus a Vicario præstari, sed requiritur speciale mandatum; quod in casu nostro habetur, ut notat Merol., & Barbos. apud Tamb.: Parochus etiam dispensare potest tum ex consuetudine, tum ne desit parochianis, ad quem in facile occurrentibus, & minutis necessitatibus recurrant; Qua de causa potest etiam in jejunio Parochus dispensare, ut notat uterque Sanch.. Possunt etiam Prælati Regulares cum suis subditis duntaxat, non vero cum famulis secularibus.

ARTICULUS III.

De Missa die festo audienda.

I. Probabiliter satisfacit præcepto de Missa audienda, qui successive duas missæ partes audit quamvis ordine inverso.

II. Num partem missæ notabilem omittat, qui incipit illam audire post Evangelium? Aut qui per breve tempus abest, dum fit aut Consecratio, aut Communio?

III. Quænam dicatur præsentia moralis requisita ad satisfaciendum præcepto audiendi Missam?

IV. Non satisfacit, qui toto tempore missæ confitetur peccata sua.

V. Præ-

V. Præsentia moralis haberi potest aliquando, etiamsi audiens missam sit extra Ecclesiam; & potest non haberi, etiamsi sit intra Ecclesiam. Quid si inter fenestram domus, e qua auditur Missa, & Ecclesiam intercedat via publica?

VI. Missa in Oratoriis privatis Magnatum a quibusnam familaribus die festo audiri potest, itaut non teneantur illam in Ecclesia audire?

VII. Excusat ab audienda Missa Impotentia, Censura, Consuetudo, & Dispensatio. Impotentia habetur ab eo, qui sine gravi incommodo illam audire non potest. Quid si lucrum ingens ammitteret?

VIII. Num excusetur puella, quæ credit se ab adolescente lascivo concupiscendam, si domo egrediatur?

IX. Num teneatur privilegiarius missam audire tempore Interdicti? Et quid de detento in carcere, si facile potest facultatem egrediendi obtinere?

X. Excusantur viduæ, & similes, ubi est consuetudo, quod per aliquod tempus domo non egrediantur post mortem mariti: Sic etiam nubiles, pauperes, &c.

XI. Num peregrinus teneatur missam audire, ubi est festum municipale, si per viginti dies circiter ibi sit commoraturus?

XII. Num possit quis die Sabbati ire venatum, si die dominico non possit audire Sacrum?

I. CErtum est, omnes fideles rationis compotes teneri ad missam die festo audiendam ex præcepto Ecclesiastico; itaut qui partem ejus notabilem omittit, mortaliter peccet. Immo damnata est ab Innoc. XI. propositio decima tertia dicens: *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.* Quamvis probabiliter satisfaciat, ut plurimi docent cum Diana part. 5 tr. 4. ref. 54. contra Tamb., qui successive unam missæ partem audit ab uno Sacerdote, & alteram ab altero, etiamsi ordine inverso. Ratio est, quia moraliter censetur unam integram missam audire; Non secus ac unum dicitur esse sacrificium, quando incipitur missa ab uno Sacerdote, & eo deficiente ab alio perficitur: Verum sine causa id facere censent esse veniale communiter apud Dian. part. 2. tract. 3. ref. 18.

II. Quænam autem sit pars notabilis, variant Doctores. Putat Suar. esse usque ad Epistolam inclusive, Coninck, & Azor. probabiliter usque ad Evangelium inclusive, seu usque ad Offertorium exclusive; quia, ut notat Dian. part. 5. tract. 5. resol 44. satis est audire Evangelium in fine missæ. Cæterum quamvis probabiliter ex Con., & Pal. punct. 16. peccet mortaliter, qui vel solam consecrationem utriusque speciei, vel solam sumptionem omitteret, cum in iis consistat essentia Sacrificii; quia tamen non satis constat, in quanam istarum partium essentia Sacrificii consistat, ideo Suar. tom. 3. disp. 88. sect. 2. benignius censet non semper injiciendum esse scrupulum peccati mortalis ei, qui per breve tempus alterutram istarum partium omitteret.

Illud tamen videtur contra Joannem Sanch., quod si quis accedat ad Ecclesiam, dum incipit Præfatio, nec possit aliam missam audire, teneatur ad illam: Secus vero si accedat post consecrationem; quia hæc est pars missæ principalis, & forte essentialis, ut propterea die Parasceves non sit obligatio audiendi missam, etiamsi incidat festum Annunciationis, ut communius docent contra Henr., Vasq., & alios apud Trull., quia quamvis fiat eo die communio; non fit tamen consecratio.

III. Quæritur nunc primo; Quænam præsentia requiratur ad missam audiendam?

Respondeo, requiri præsentiam corporalem, moralem tamen, & humanam, ita scilicet, ut debeat homo habere intentionem non quidem satisfaciendi præcepto, sed audiendi missam præceptam, & ad eam attendat aliqualiter, atque in eo loco sit, ubi prudens spectator censeret illum audire missam.

Hinc sequitur non satisfacere, qui est præsens missæ animo, verbi gratia, expectandi amicum, vel etiam animo solum orandi, non vero audiendi Sacrum, & multo magis, si invitus assisteret. Ratio est, quia, ut diximus quæst. 1. art. 4., præceptum impleri debet per actum humanum, quo quis velit exequi quod præcipitur.

IV. Sequitur secundo, requiri attentionem saltem externam, prout explicavimus quæst. 3. art. 4. n. 6. Quamvis enim multi Doctores probabilius requirant attentionem internam, hoc est applicationem mentis sive ad verba, sive ad verborum sensum, sive ad Deum; non est tamen improbabile ex Less., Laym., Con., Dian. part. 3. tr. 3. ref. 101. sufficere externam; ita scilicet ut nulla ponatur actio incompossibilis cum attentione interna, (ut esset confabulari, ridere, dormire, extasim pati, scribere, vel legere libros non conciliantes internam attentionem) unde possit esse testis eorum, quæ tunc fiunt, esto voluntarie distrahatur.

Propterea communiter cum Suar., & Azor. apud Tambur. contra Reginald., & Pal. docent, non satisfacere eum, qui tempore missæ confitetur peccata sua; secus vero si examinet conscientiam, etiam de libro; quia talis lectio attentionem internam favoret.

V. Sequitur tertio, præsentiam moralem requisitam

ſtam conſiſtere in hoc, quod vel videatur, aut audiatur celebrans, vel eo loco ſit audiens, ut ex ſignis, & geſtis ſaltem circumſtantium, quæ in Miſſa fiunt, colligere poſſit, & ut ad multitudinem aſſiſtentium cenſeatur pertinere. Quare non requiritur abſolute, ut oculis videantur, quæ fiunt, aut auribus audiantur, quæ profert Sacerdos; nam etiam ſurdi, cæci, & qui in Choro poſt Altare, vel in Eccleſia poſt parietem, aut columnam ſunt; & extra Eccleſiam in magna diſtantia, ſatisfacere poſſunt, dummodo cenſeantur ad multitudinem aſſiſtentium pertinere; quod in parvo ſacello facile contingit.

Moraliter etiam adeſſe dicitur, qui ab Altari, non vero ab Eccleſia recedit ad procuranda hic & nunc neceſſaria ad ſacrificium, ſcilicet vinum, hoſtiam, thus, &c. Si quis tamen in maxima Baſilica eſſet in una cuppella, & in altera diſtantiſſima fieret Sacrum, aut ſi eſſet poſt columnam ab altari diſtantem, nec eſſet ea multitudo audientium, ut is cenſeatur ad illam multitudinem pertinere, procul dubio præſentiam moralem hic non haberet, etiamſi adeſſet intra Eccleſiam.

Hinc reſolvitur celebre dubium, An quis poſſit e feneſtra ſuæ domus miſſam audire, quando inter feneſtram, & Eccleſiam intermediat via publica? Filliuc. cum Dian. part. 4. tract. 4. reſol. 154. abſolute negat. Lug. tamen de Euch. diſp. 22. ſect. 2. affirmat, ſi parva ſit diſtantia ab altari Eccleſiæ, itaut audiens cenſeatur eſſe moraliter præſens miſſæ; ſecus vero ſi diſtantia ſit magna; non enim neceſſe eſt, ut intra Eccleſiam ſit, qui miſſam audit, ſed ſolum neceſſe eſt, ut miſſæ dicatur moraliter præſens.

VI. Quæritur ſecundo; Quo in loco miſſa audienda ſit; & a quo Sacerdote?

Reſpondeo ad primum, olim audiendam fuiſſe in Parochia; non ſecus ac nunc Communio Paſchalis in propria Parochia facienda eſt; ſed uſu, & conſuetudine talis lex abrogata eſt; unde etiam extra Parochiam audiri poteſt miſſa præcepta. Dubium ſolum eſt, an omnes etiam in Oratoriis privatis: cum in Brevi hæc habeantur: *Volumus autem, quod familiares ſervitiis tuis non neceſſarii ibidem intereſſentes ab obligatione audiendi miſſam in Eccleſia diebus feſtivis de præcepto minime liberi cenſeantur.* Homobon., & Pelliz. tract. 8. tom. 2. ſect. 2. putant, per talis miſſæ auditionem ſatisfieri nunc præcepto, quia jam eſt nunc conſuetudo audiendi miſſam extra Eccleſiam parochialem; unde talis prohibitio in Brevi ponitur ſolum ex ſtylo Eccleſiæ, quia fortaſſe alicubi non eſt abrogatus uſus audiendi miſſam in Parochia. Sed communiter cum Tamb. de Sacrif. Miſſæ lib. 1. ca. 4. docent, non licere illis in Brevi recenſitis contra expreſſam voluntatem Pontificis ibi miſſam audire ad ſatisfaciendum præcepto. Dicuntur autem tunc neceſſarii ſervitiis domini, qui niſi tunc cum domino audiant Sacrum, non facile poſſunt domino inſervire; ut ſolent eſſe auriga, famuli, ac famulæ, coqui, & ſimiles. Si tamen commode poſſint domino inſervire audiendo miſſam in Eccleſia, ad id obligarem. (a)

„ (*a*) Confer iſta cum ſanctiſſimi Domini Noſtri „ Benedicti XIV. decreto, quod heic ſubjicio.

D E C R E T U M

JUSSU SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

B E N E D I C T I XIV.

E D I T U M

Circa celebrationem Miſſæ in Oratoriis privatis.

Die ſeptima Januarii MDCCXLI.

„ CUm duo Nobiles Conjuges Diœceſis Marſi„ cen. obtinuiſſent a Sede Apoſtolica Indultum „ pro celebratione Miſſæ in privato ſuæ Domus O„ ratorio ſic conceptum: *Dilecte Fili, & dilecta „ in Chriſto Filia, ſalutem, & Apoſtolicam Bene„ dictionem. Spirituali conſolationi veſtræ, quan„ tum cum Domino poſſumus, benigne conſulere, „ Voſque ſpiritualibus favoribus, & gratiis proſe„ qui volentes, & Veſtrum ſingulares perſonas a qui„ buſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & inter„ dicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, Cenſuris, „ & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, „ vel cauſſa latis, ſi quibus, quomodolibet innoda„ tæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat, „ conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutas „ fore cenſentes, ſupplicationibus veſtro nomine No„ bis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Vobis, „ qui (ut aſſeritis) locorum Gallichii, & Meſſanelli „ Marſicen. ſeu alterius Diœceſis Jurisdictionem tem„ poralem in illis, ſeu eorum altero exercen. Baro, „ & Baroniſſa reſpective exiſtitis, ut in privatis „ Domorum veſtræ habitationis in Civitate, & Diœ„ ceſi Marſicen. exiſten. Oratoriis ad hoc decenter „ muro extructis, & ornatis, ſeu extruendis, & or„ nandis, ab omnibus domeſticis uſibus liberis per Or„ dinarium Loci prius viſitandis, & approbandis, „ ac de ipſius Ordinarii licentia ejus arbitrio dura„ tura, unam Miſſam pro unoquoque die, dummo„ do in eiſdem Domibus celebrandi licentia, quæ „ adhuc duret alteri conceſſa non fuerit, per quem„ cumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approba„ tum Sæcularem, ſeu de Superiorum ſuorum licen„ tia Regularem, ſine tamen quorumcumque jurium „ Parochialium præjudicio, ac Paſchatis, Reſurrectio„ nis, Pentecoſtes, & Nativitatis Domini Noſtri Jeſu „ Chriſti; aliiſque ſolemnioribus anni feſtis diebus „ exceptis, in Veſtra, ac Natorum, Conſanguineorum „ & Affinium in eadem Domo vobiſcum inſimul habi„ tan. Familiæque, & quoad Oratoria Ruri exiſten„ tia, etiam in Hoſpitum Nobilium, Veſtrorumque „ præſentia celebrari facere libere, & licite poſſitis, „ & valeatis, ac Veſtrum quilibet poſſit, & valeat, „ Authoritate Apoſtolica tenore præſentium concedi„ mus, & indulgemus:* Non obſtantibus *Conſtitutio-*

„ *ni-*

„ *nibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque* „ *contrariis quibuscumque. Volumus autem quod* „ *Familiares servitiis vestris tempore dictæ Missæ* „ *actu non necessarii, ibidem Missæ hujusmodi interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur.*

„ *Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem* „ *sub Annulo Piscatoris die 12. Februarii 1739.*

„ Cumque exorta esset dubitatio, an ex vi hujusmodi Indulti liceret Missam celebrari in privato Oratorio, etiam sine præsentia alterutrius ex dictis Conjugibus, in quos Indulti concessio directa erat, cui quidem dubitationi locum dedit opinio nonnullorum Doctorum pro affirmativa, & negativa respective sententia inter se certantium, Sacra Congregatio Concilii, ad quam hujus quæstionis resolutio delata fuit, die 3. Decembris 1740. censuit: NON LICERE; Deinde vero Sanctissimus Dominus Noster, reprobata contraria Doctorum sententia, prædictam Sacræ Congregationis resolutionem nedum approbavit, verum etiam præsenti Decreto publice evulgando voluit omnibus notum fieri, non posse vigore similis Indulti celebrari Missam in privatis Oratoriis, quando eidem Missæ actu non intersit aliquis ex iis, quibus principaliter Indultum concessum est, Indultum vero, principaliter concessum intelligi iis tantum, quibus Breve dirigitur, nimirum Personis illis, quæ a tergo ejusdem Brevis proprio nomine nuncupantur, adeo ut sine præsentia alicujus ex dictis Personis minime liceat Missæ Sacrificium peragi, etiamsi præsens sit aliquis sive ex Filiis, sive ex Consanguineis, sive ex Affinibus, sive ex Familiaribus, sive demum ex Hospitibus Nobilibus in eodem Brevi memoratis, quippe quibus nil aliud per ejusmodi Brevia conceditur, quam quod unusquisque eorum (dummodo, quod attinet ad Familiares, juxta clausulam in iisdem Brevibus insertam, non sit ex illis actu non necessariis) assistens Missæ, quæ celebratur in Oratorio privato in præsentia alicujus ex Personis a tergo Brevis proprio nomine nuncupatis, satisfaciat obligationi audiendi Missam diebus festis de præcepto. Sublata igitur, & proscripta quacumque minus germana interpretatione ejusmodi Brevium, & Indultorum in contrarium hactenus facta, SANCTITAS SUA ita declaravit, & servari omnino mandavit, districte præcipiens, ut omnes Episcopi, aliique locorum Ordinarii, etiam tamquam a Sede Apostolica Delegati executioni, & observantiæ hujus Decreti diligenter incumbant per Canonicas pœnas contra inobedientes eorum arbitrio constituendas.

„ Quod vero attinet ad Oratoria, seu Capellas privatas, quibus certus fixusque assignatus est locus, in domibus tam Episcoporum, quam Cardinalium, possunt plures quotidie Missæ celebrari etiam a Sacerdotibus, qui non sint ex familia, licet Episcopus vel Cardinalis absit; quique, etiamsi ex familia non sit, diebus festis ibi Missam audiat, Ecclesiastico præcepto satisfacit. Ita idem Pontifex in eo, quem Cardinalis primum edidit Italice, deinde Pontificia dignitate ornatus retractavit, ac latine emitti jussit, commentario *de Sacros. Missæ Sacrif. l. 3. c. 6. n. 6.*

„ De *Oratoriis domesticis* legendus omnino doctissimi P. Joannis Baptistæ Gattico Canonici Regularis Lateranensis liber Romæ vulgatus an. 1746. cui nihil addi posse videtur. Unum ex eo *cap. 29.* hic adnoto, vetitam nempe esse in ejusmodi Oratoriis administrationem Sacramenti Eucharistiæ, etiam in ipso Missæ Sacrificio, inconsultis Episcopis, eorumque non impetrata licentia. Fuit quidem qui Gatticum ob hanc doctrinam reprehenderet, conviciisque grassissimis lacesseret, novaturiens quidam, cujus nomini parco; sed præterquam quod Gatticus ipse Epistola ad amicum apologetica Bergomi superiore anno 1751. divulgata se strenue æque ac modeste defendit, Benedictus XIV. in Encyclica ad Primatem, Archiepiscopos, & Episcopos Regni Poloniæ. 2. Junii ejusdem anni directa sanxit, *ne in privato Oratorio recipi Communio possit ab iis, qui in eodem Missæ intersunt, quam vel sæcularis Sacerdos, vel Sacerdos Regularis celebraret*, nisi de Episcoporum licentia.

Ad secundum dico, missam audiri posse a quolibet Sacerdote etiam Græco, vel alterius idiomatis, etiam ab excommunicato tolerato, atque adeo etiam ab hæretico, si cesset scandalum, ita scilicet ut non videaris ejus hæresis particeps esse, dummodo missa catholico ritu peragatur. Solum audiri non potest a Sacerdote excommunicato vitando, aut publico Clerici percussore, necnon ab irregulari denunciato, vel degradato, aut deposito. Ratio est, quia fortius judicatur esse præceptum non communicandi in rebus sacris cum tali Sacerdote vitando, quam præceptum audiendi missam.

VII. Quæritur tertio, Quænam causæ excusent ab audiendo Sacro?

Respondeo, eas reduci ad impotentiam, ignorantiam, censuram, & consuetudinem, omissa dispensatione, de qua satis superque art. super. cum de abstinentia ab operibus servilibus.

Primo itaque excusat Impotentia; atque adeo quicumque nequit missam audire sine gravi detrimento sui, vel proximi, Animæ, Corporis, Famæ, Honoris, Rei familiaris, &c., ad illam non tenetur: Nec qui notabile lucrum amitteret; sicut enim non obligat præceptum de abstinendo ab operibus servilibus, ut diximus, eos qui ingens lucrum amitterent, ita nec præceptum de missa audienda

Hinc excusantur primo, qui multum distant a loco ubi celebratur, videlicet per tria milliaria, vel per duo, aut etiam aliquando per unum, attenta circumstantia Personæ, pluviæ, æstus, & aliarum circumstantiarum, itaut tali personæ judicetur tale iter notabiliter difficile; cum Ecclesia non obliget cum incommodo notabili.

Secundo, excusatur mater, quæ domi remanet ad custodiendam filiam, cui timet peri-

culum probabile, tam si illam ducat in Ecclesiam, quam si domi solam relinquat; Et eodem modo filia nubilis, si sine probabili periculo egredi non potest; Et gravida, quæ exeundo e domo propalaret suum lapsum; Et eadem ratione nutrix, quæ nequit periculo infantem domi relinquere, nec ducere sine perturbatione celebrantis, vel adstantium.

Tertio, ægroti, qui e domo exire non possunt propter alia negotia; & qui timent sibi periculum gravioris morbi: In dubio autem debent Medicum, aut Parochum consulere, & illi acquiescere: Quod si neminem consulere possunt, & adhuc dubitant, non tenentur domo exire, & exponere se periculo morbi gravioris, prævalente præcepto de diligendo seipsum; Et ob eandem rationem non tenetur missam audire, qui infirmo deservit, ea solum de causa, quod si abeat, vel solus relinquatur ægrotus, laborem, animique anxietatem pateretur, vel non possent illi convenienti tempore adhiberi remedia.

Quarto, excusantur, qui missam audire nequeunt, quin grave aliquod negotium prætermittant, quod differri non potest. Qua ratione excusantur Tabellarii, vulgo *li Corrieri*: Excusat enim eos amissio boni temporalis, ex quo tanquam officio utili, & necessario Reipublicæ vivunt. Excusantur etiam nautæ, muliones, seu vectores mercium, qui non possunt sine magno incommodo; Sic etiam iter faciens, si cogatur socios relinquere, quibus indiget, quia viam ignorat, aut latrones timet; secus vero si iis non indigeat: Excusantur etiam illi, qui ubi unica missa celebratur, remanent ex timore latronum ad custodiam domus, vel ex necessitate ad cibos præparandos: Necnon publici ministri, qui ratione muneris castra dimittere, vel murorum portas, quas custodiunt, deserere non permittuntur; Sicut etiam Senatores, seu viri primarii; qui gravia Reipublicæ negotia differre non possunt; Et custodes gabellarum, vineæ, gregis, mercium, domus, quando propter missam dubitant de furto, incendio, &c.

Quinto, excusatur fœmina honesta, sicut etiam quicumque caret vel veste convenienti, vel socio, aut pedissequo, sine quibus irridetur, aut magno rubore suffunditur.

Sexto, Uxor, quæ non potest sine rixa notabili mariti domo exire; & quæ non accedit ad missam, ut marito zelotypo obediat; necnon famuli, ut obediant dominis, timendo aliter gravem rixam, vel detrimentum, ut domo ejici, si non facile alios dominos inveniant, quibus serviant; Quamvis nec domini peccent, si tempore missæ ea præcipiant famulis, quæ juxta communem vivendi modum differri non possunt.

Septimo, non obligatur, qui detinetur aut in vinculis, aut domi loco carceris; & ii qui bona fide, præsertim promissione jurata data viro nobili, e domo exire non possunt. Immo si Oratorium privatum domi habeant, non tenentur juxta probabilem sententiam Suar., & Trull. contra Macrin. quærere Sacerdotem, præsertim stipendiatum, ut ibi celebret; quia privilegium, quod habent, non videtur obligare ad tale medium non consuetum, & extraordinarium.

VIII. Dubitatur, an excusetur puella, quæ credit se ab adolescente lascivo concupiscendam, si domo exeat?

Respondeo, Navar., & alios apud Dian. part. 5. tract. 7. resol. 22. putare, quod non excusetur; quia tale scandalum non est datum, sed acceptum, & sequitur ex illius malitia. Verum communius cum Sà, Bonac., Sot., Trull. putant posse (saltem si id sæpius non accidat) missam omittere ad vitandum grave damnum spirituale proximi; sed ad id non teneri, quia potest uti jure suo, & propter scandalum passivum non tenetur privare se ingenti bono auditionis missæ.

IX. Secunda causa excusans est Ignorantia invincibilis, sicut etiam inadvertentia, oblivio, &c. hæc enim a transgressione cujusvis legis excusant.

Tertia est Censura, unde excusatur primo personaliter interdictus, & quilibet excommunicatus. Secundo, qui lato Interdicto locali generali, non potest commode adire locum non interdictum. Certum autem est, neminem obligari ad obtinendum eo tempore privilegium, saltem si commode haberi nequit; (sicut nec tenetur qui detinetur in carcere petere privilegium exeundi ad audiendam missam, si commode habere illud non possit, ut notat Trull. hic ex Bonac. punct. ult. de Sacrif. missæ) quamvis qui privilegium habet tempore Interdicti, probabilius teneatur missam audire; quia præceptum obligat omnes, qui possunt, licet non obliget ad petendum privilegium, quod commode haberi nequit ad hoc, ut possint.

X. Demum excusat Consuetudo, quam ob causam Suar. excusat viduas, sorores, filias, quæ mortuo marito, fratre, patre, ad certum tempus juxta consuetudinem Patriæ non exeunt domo; Et Bonac. excusat sponsas, & nubiles, quæ non consueverunt juxta morem Patriæ egredi domo, donec nuptui tradantur. Olim etiam ex consuetudine, ut notat Fagund., excusabantur Eremi accolæ. Demum excusantur mulieres, quæ post partum consueverunt per aliquot dies se domi continere etiam postquam convaluerint, dummodo id fiat ex reverentia, & devotione, juxta caput ultimum *De Purificatione post partum*, & non ex ritu Mosaico, aut ex superstitione; non enim servanda nunc est purificatio antiquæ legis, etiamsi id fiat in honorem Beatæ Virginis.

XI. Quæritur quarto, Quandonam peregrini excu-

excusentur ab auditione missæ die, quo est festum municipale loci, per quem transeunt?

Respondeo, certum esse, quod, si ibi sint animo permanendi per majorem partem anni, teneantur a primo die, quo illuc perveniunt; cum quilibet teneatur legibus ejus Communitatis, cujus est pars: Si vero ibi pernoctent per unam, vel alteram noctem, puto cum Con., & Tamb. contra Less. lib. 4. cap. 2. num 51., & alios apud Dian. part. 1. tract. 9. resol. 2. non teneri ad missam audiendam; & consequenter nec ad abstinendum ab operibus servilibus, aut ad jejunandum, remoto scandalo. Ratio est, quia qui tam modico tempore ibi morantur, non censentur pars talis communitatis; & ideo, ut ostendimus quæst. 1. art. 3., communiter Doctores docent, peregrinos non teneri legibus loci, per quem transeunt.

Dubium tamen est, an teneantur, si per viginti dies, ver. g., ibi permaneant? Joan., & Th. Sanch. apud Dian. loc. cit. negant, si non habeant animum ibi permanendi per majorem anni partem: Suar. vero tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 2. cap. 14. cum aliis affirmat, quia secus nimis peregrino concederetur.

XII. Quæritur demum; An liceat apponere impedimentum executioni hujus præcepti; V. gratia, an liceat ire venatum, ubi non est opportunitas audiendi Sacrum?

Respondeo cum Pal., Sanch., Merol., quod tempore remoto a die festo liceat; verbi gratia potest quis die Jovis ire venatum, etiamsi die dominico non possit Sacrum audire; quia præceptum hoc humanum non obligat ad removenda impedimenta adeo remota. Et idem dicas de præcepto jejunandi.

Utrum autem die Sabbati, quando imminet dies festus, possis pariter idem facere?

Respondeo, in utramque partem probabiliter disseruisse duos Theologos apud Tamb. Alter affirmabat, quia videtur sufficiens distantia; Sicut enim itinerantes, & vectores mercium, quando bona fide incipiunt iter pridie festi, communiter excusantur, si deinde die festo iter prosequantur, & missam non audiant, si non possunt; ita in casu. Alter vero negabat, quia videtur magna propinquitas cum die festo relate ad hoc opus, quod ob delectationem suscipitur, non ob necessitatem, & bona fide, ut faciunt itinerantes. Quare illud certum est, quod ad judicandum, num distantia sit sufficiens, attendenda est gravitas, & rigor præcepti, praxis timoratorum, necessitas, utilitas operis, & pro diversis hisce circumstantiis diversimode judicandum.

QUÆSTIO X.
De Jejunio.

Jejunium dividitur in Naturale, & Ecclesiasticum. Naturale prerequiritur ad sumptionem Eucharistię; itaut violetur per quamcumque particulam cibi, aut guttulam potus, quę in os immittatur, & in stomachum trajiciatur; adeo ut Bauny apud Dian. part. 6. tract. 7. resol. 15. doceat, non solvi per deglutionem sacchari, vel alterius rei post mediam noctem, si sero id in os immissum fuit, quia solum solvitur per intromissionem cibi, aut potus in os ipsa die jejunii. Quæ doctrina, licet communiter rejiciatur, deservit tamen ad excusandos eos, qui mane deglutiunt particulas cibi, quæ inter dentes remanserunt. Ecclesiasticum vero jejunium est, quo præcipitur abstinentia a cibis paschalibus, & unica comestio a media ad mediam noctem sequentem, juxta præscriptum, & consuetudinem Ecclesiæ. De quo quærendum primo, A quibus cibis abstinendum sit? Secundo, Quotuplex refectio possit sumi, & qua hora? Tertio, Quantum jentaculum? Ex quibus cibis? & Quando? Quarto, De obligatione jejunii, & non cooperandi cum aliis in fractione jejunii. Quinto, De causis excusantibus ab hac lege; præsertim de infirmitate, paupertate, labore, & ætate.

ARTICULUS I.

A quibus cibis abstinendum die jejunii? Et an etiam a potu?

I Quænam animantia, quæ extra aquam vivunt, non prohibeantur?

II. Num laridum, & sagimen inter lacticinia numerentur? Quid de intestinis animalium?

III. Num lacticinia, quæ ex evidenti totius Ecclesiæ consuetudine obligatoria prohibentur in Quadragesima, pariter in aliis vigiliis prohibeantur?

IV. Dispensatus ad carnes, & non ob virium imbecillitatem, num teneatur ad unicam comestionem die jejunii?

V. Num dispensatus ad carnes, quo die ab iis abstinet, ad unicam comestionem teneatur?

VI. Utrum die jejunii liceat vinum bibere in fraudem jejunii ad vires reficiendas?

VII. Num liceat comedere, & bibere ob delectationem, & non ad satietatem?

VIII. Quinam universim dicatur potus usualis, a quo jejunium non frangatur? Num cervisia, num aqua sacchara, & aromatibus condita? Num Chocolata?

1. Cer-

I. CErtum est, a carnibus abstinendum. Nomine autem carnium intelliguntur, quæ juxta communem Catholicorum usum, & medicorum judicium a piscibus contradistinguuntur, habito respectu ad finem Ecclesiæ, qui est alimenta multum reficientia a fidelibus excludere. Proinde non prohibentur testudines, ranæ, conchæ, & limaces, quamvis extra aquam vivant: Et Tambur. putat nec viperas prohiberi, utpote anguillis, & modicæ nutritionis, cum sint admodum terreæ.

II. Quæritur nunc primo; An prohibito esu animalium, prohibeatur quælibet pars illorum?

Respondeo, nomine carnis venire quamlibet animalis partem, exceptis ovis, lacte, & quæ ex lacte fiunt, ut est caseus, butyrum, & similia, quæ veniunt sub nomine lacticiniorum. Quare prohibentur cartilagines, nervi, sanguis, necnon jus ex carnibus, quia continet partes subtiliores substantiæ carnis per elixationem eliquatas; quælibet item medulla, axuntia, pinguedo, & laridum; Et idem videtur dicendum de iisdem liquefactis, quæ post liquefactionem vocantur sagimen.

Non negaverim tamen, probabilem esse sententiam Azor., Laym., & Fagund., & aliorum apud Dian. part. 1. tract. 9. resol. 21. putantium laridum, & sagimen inter lacticinia numerari; quia scilicet pinguedo non est caro: ut probat Aristot. 2. de Generat.: quandoquidem finito naturali augmento animalis, augetur pinguedo. Verum probabilius censeo cum Trull. dub. 2. laridum, & sagimen permitti posse cum lacticiniis solum ubi est talis consuetudo: in aliquibus enim locis ex defectu olei, vel butyri præparantur ova cum sagimine, ut accidit in Regno Galleciæ, & Peruano, teste Henr. Et propter eandem rationem, quamvis intestina animalium sint etiam caro; nihilominus ex inveterata consuetudine, ut notat Sanch. de Matr. disp. 18. l. 8., licitum est apud Castellanos in Hispania iis sabbato vesci; sicut in Belgio ex consuetudine etiam permittuntur lacticinia in Quadragesima.

III. Quæritur secundo, An die jejunii prohibeantur etiam lacticinia?

Respondeo, damnatam ab Alex. VII. propositionem 32., quæ dicit: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadragesima obliget*. Et in cap. *Denique, dist.* 4., ubi sermo est de tempore Quadragesimę, hæc habentur: *Par etiam est, ut quibus diebus a carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam ex carnibus originem ducunt, abstineamus, a carne scilicet, caseo, & ovis*. Quam prohibitionem communiter extendunt etiam ad Dominicas Quadragesimæ; quamvis Trull. dicat, non esse improbabilem sententiam oppositam, quam sequitur Gomez., & Ilamas apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 13. Nihilominus esto probabile esset id non prohiberi in cit. cap., certe ex consuetudine prohibetur, ut communiter docent.

Utrum autem prohibeantur etiam lacticinia in jejuniis extra quadragesimam? Variant Doctores. Less., Azor, uterque Sanch., Vasq., & alii cum D.Th. 2.2. quæst. 147. art. 8. apud Dian. negant, contra Covar., Less., Layman, Navar., Medinam, & alios apud Pignatellum tom. p. Consultationum, Consult. quinta. Notant etiam Trull., & Henr. jure communi non prohiberi, unde comedi posse dicit, nisi aliud ferat approbata consuetudo. Aliqui enim apud Dian. part. 1. tract. 9. resol. 41. asserunt dari talem consuetudinem obligantem sub mortali: Sanch. autem lib. 4. cap. 2. absolute negat illam dari; Et Henr. addit cum Escobar, Fagund. Villalob., & aliis, quod si consuetudo adesset, non per hoc obligaret sub mortali, quia non constat esse introductam scienter, & animo se obligandi mortaliter, & non potius ex ignorantia, quia crediderint simpliciores se esse a jure obligatos: cum ergo incerta sit obligatio, prævalet libertas. Quod multi ex eo comprobant, quia Alex. VII. in propositione damnata loquitur solum de consuetudine abstinendi a lacticiniis in Quadragesima. Verum hæc comprobatio nulla est, quia Pontifex aperte in ea Bulla asserit non confirmare alias opiniones, a quibus præscindit. In casu autem nostro ab hac opinione præscindit; quare non approbat, immo cum decernat evidens esse, quod consuetudo abstinendi a lacticiniis in Quadragesima obliget, & eadem omnino videatur saltem in aliquibus Regionibus consuetudo abstinendi a lacticiniis in reliquis vigiliis, videtur etiam evidens esse, quod consuetudo hæc obliget, in iis saltem Regionibus, ubi habetur consimilis consuetudo. Ideo autem Pontifex solum loquitur de jejuniis Quadragesimæ, quia isthæc consuetudo pro Quadragesima viget pro tota Ecclesia, quæ pro aliis vigiliis forte non est universalis.

IV. Ex dictis sequitur, quod dispensatus ad lacticinia tempore jejunii, adhuc ad jejunium teneatur; siquidem ex jure communi cum essentia jejunii consistit esus lacticiniorum. Contra vero quia esus carnium probabiliter non cohæret cum essentia jejunii, ideo dispensatus ad carnes non tenetur ad jejunium, seu ad unicam comestionem; ut quamplures docent contra Bonac, qui absolute censet quæst. 1. punct. 2., quod teneatur ad unicam comestionem; Et contra Less., Navar., Sa, Cordub, Victor., Rodriq., & alios, qui censent dispensatum ad carnes ob debilitatem virium posse pluries se reficere, secus vero dispensatum ob detrimentum,

quod

quod habet a cibis quadragesimalibus. Verum opinionem oppositam Sanchez apud Trull. putat probabiliorem, tum propter usum, & consuetudinem fidelium, tum propter auctoritatem plurimorum Doctorum apud Dian. part. 1. tract. 9. resol. 25., & tract. 11. resol. 4. Clemens XI. tanquam Episcopus Romanus edixit, ut Romæ ad jejunium teneretur, qui ob detrimentum, quod habet a cibis Quadragesimalibus, non vero ob virium debilitatem ad carnes comedendas est dispensatus, juxta opinionem plurimorum veterum Auctorum, & non paucorum Recentiorum, quæ me judice a timoratis sequenda est ubique gentium.

V. Quæritur tertio; Num dispensatus ad carnes, si velit tantum vesci cibis quadragesimalibus, teneatur vespere jejunare, an possit etiam pluries comedere cibos quadragesimales?

Respondeo, communiter Doctores apud Dian. part. 9. tract. 6. resol. 2. cum Sanch. distinguere. Si enim dispensatur iste ad carnes propter debilitatem virium, poterit pluries se reficere, etiamsi nolit carnes comedere; secus vero si dispensatur ob detrimentum, quod habet a cibis quadragesimalibus; intantum enim posset pluries comedere, inquantum comedit carnes, quæ censentur destructivæ jejunii; cum autem carnes mane non comederit, non habet caput, unde ad jejunium vespere non teneatur. Verum probabiliter etiam Dian. loc. cit. cum Tambur. lib. 4. cap. 5. putat, hunc ad jejunium non teneri. Ratio est, quia cum liceat illi vespere carnes comedere ad satietatem; quare non licebit illi comedere solum pisces? cui enim conceditur plus, conceditur etiam minus; Et ideo dispensatus ad carnes tempore quadragesimali, intelligitur etiam dispensatus ad lacticinia, & potest in eadem mensa juxta communem opinionem contra Navar., & Graff. apud Dian. part. 1. tract. 9. resol. 26. comedere carnes simul, & pisces, itaut, si damnum notabile habet ab esu piscium, peccet contra temperantiam, non vero contra legem jejunii.

VI. Quæritur quarto, An liceat bibere in fraudem jejunii?

Respondeo, olim homines a vino abstinuisse tempore jejunii, ut constat ex Chrysost. hom. 6. apud. Bonac.; nunc tamen alia est Ecclesiæ consuetudo; unde tam in mensa, quam extra mensam licitum est bibere, & vino vires reficere, sicut etiam quolibet alio potu usuali.

Neque dicas; qui in fraudem legis operatur, non minus peccat, quam qui legem transgreditur; sed qui extra mensam bibit ad reficiendas vires, bibit in fraudem jejunii, & in fraudem legis; ergo peccat. Minor probatur ex leg. *Contra legem*, *ff. de Legibus*. *Ille dicitur operari in fraudem legis*, *qui salvis legis verbis ejus sententiam circumvenit*. Et in reg. 68. juris in 6. dicitur: *Is committit in legem*, *qui verba legis complectens contra legis nititur voluntatem*; quod habetur in casu nostro.

Respondeo tamen cum Reginald. negando minorem; non enim in fraudem legis operatur, qui utitur jure suo; quilibet autem ex consuetudine habet jus bibendi ad sedandam sitim; ergo si bibat etiam ad reficiendas vires, utitur jure suo; non enim prohibetur talis intentio, sed solum refectio virium per cibum; ut communius Doctores docent apud Dian. loc. cit. resol. 23. Et propter eandem rationem non peccat contra legem jejunii, qui unica refectione adeo ventrem replet, ut nullam jejunii difficultatem sentiat, nec carnis illecebras ullatenus comprimat. Et ratio radicalis assignatur ab Abulensi apud Bonac. punct. 2., quia scilicet non operatur in fraudem legis, qui facit contra finem legis, sed qui facit contra intentionem legis expressam; ut patet in observatione omnium legum, quarum finis ex Aristot. 2. Ethic. est efficere cives bonos; & tamen non peccat contra leges politicas, qui eas observat, quamvis non efficiatur bonus; unde Medin., & Reginald. dicunt, illum operari in fraudem legis, & peccare contra legem, qui facit contra intentionem legis objectivam, non contra intentionem finalem; Intentio autem objectiva est illa, quæ respicit, quod præcipitur, & expresse præcipitur, quod in casu nostro est unica comestio, & abstinentia a carnibus, non vero a potu.

VII. Utrum autem peccet venialiter, qui bibit, aut comedit solum ob delectationem? Joan. Sanch. apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 6. Martinus Perez, Escobar, & alii negant, si non noceat saluti; sicut non peccat, qui videt res pulchras, & olfacit odores solum propter delectationem. Neque id damnatur ab Innoc. XI. Nam propos. 8. damnata dicit: *Comedere*, *& bibere ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum*, *modo non obsit valetudini*, *quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui*. Quando enim ad satietatem quis comedit, aut bibit ob meram voluptatem, facile limites temperantiæ debitæ prætergreditur, & ideo venialiter peccat; quod non accidit, neque si comedat aliquid, aut bibat propter voluptatem, non tamen ad satietatem, cum periculo intemperantiæ; neque si ad satietatem videat res pulchras, aut olfaciat odores: Quod si se inebriaret, peccaret mortaliter, nam 1. ad Corinth. 6. dicitur: *Neque ebrii Regnum Dei possidebunt*. Cæterum quod nec aliqua veniali culpa vacet comedere, & bibere, etiam moderate, ob meram voluptatem, probabilius docent quamplures, quos retulimus in Trutina exponendo præfatam thesim ex D. Th. 4. contra Gentes cap. 87.; inverteretur quip-

pe

pe naturæ ordo, si in his actionibus voluptas tanquam finis amaretur, ubi ea ex institutione naturæ ad vitæ sustentationem ordinatur; Videre autem res pulchras, odores olfacere, per pomarium ambulare, ex intentione naturæ ad animum relaxandum ordinantur; & ideo citra culpam delectatio in his aliis actionibus intendi potest. (*a*)

„ Heic Vivæ imposturam impegit P. Conc. Tom. „ V. pag. 202. Nam ait:

„ Non minus improbabile nobis videtur, quod „ scribit P. Viva Tom. 1. part. 2. quæst. 10. art. „ 1 num. 7. pagina mihi 108. Utrum autem pec- „ cet venialiter qui bibit aut comedit *Solum ob* „ *delectationem*? Joannes Sanchez apud Dianam „ part. 3. tract. 5. Resolut. 6. Martinus Perez, E- „ schobar, & alii negant, si non noceat saluti; si- „ cut non peccat, qui videt res pulchras, aut ol- „ facit odores solum propter delectationem. Neque „ id damnatur ab Innoc. XI. Nam propositio da- „ mnata dicit, comedere & bibere *Ad satietatem* „ ob solam voluptatem non est peccatum, modo „ non obsit valetudini, quia licite potest appetitus „ suis actibus frui. Quando enim ad satietatem quis „ comedit aut bibit ob meram voluptaptem facile „ limites temperantiæ debitæ prætergreditur; & „ ideo venialiter peccat, quod non accidit neque „ si comedat, aut bibat propter voluptatem, non „ tamen ad satietatem cum periculo intemperan- „ tiæ. Siccine ergo decreta pontificia eluduntur? „ Quod itaque homo Christianus comedat ob *so-* „ *lam voluptatem nullum peccatum committit*. „ Tumne solum peccat, quando ob solam volu- „ ptatem comedit usque ad satietatem cum pericu- „ lo intemperantiæ?

„ Et in indice appellando hanc ipsam paginam „ 202. ita scribitur.

„ Viva (P. Dominicus) *Laxe* docet, *Licere* in die „ jejunii bibere vinum, mustum, & cerevisiam „ &c. *Etiam ob solam delectationem*.

„ Quis sibi non persuadeat, dum legit superiora „ verba Patris Vivæ a Patre Concina recitata; dum „ legit accensam illam declamationem; dum legit „ indicem; quis inquam, sibi non persuadeat, Pa- „ trem Vivam, qui solus excitatis auctoribus scri- „ psit post Innoc. XI., pontificia decreta eludere; „ in propria persona omnia recitata scribere; sen- „ tentiam Sancii, Escobarii, Perezii amplecti; & „ denique docere, *Nullum esse peccatum Comedere ob* „ *solam voluptatem*?

„ Atqui sciant lectores, patrem Vivam ex pro- „ pria sententia propugnare opinionem omnino op- „ positam; tueri, *Esse peccatum Veniale comedere* „ *ob solam voluptatem*; & Patrem Concina recitatis „ solum verbis, quibus Viva refert alienam do- „ ctrinam, *occultasse*, & *detruncasse illa*, quibus „ Viva aperit propriam mentem, & docet, ac sta- „ bilit propriam opinionem. En igitur, æquissi- „ mi lectores, quid subdat Viva.

„ Cæterum quod *Nec aliqua veniali culpa vacet* „ comedere & bibere *Etiam moderate ob meram* „ *voluptatem probabilius* docent quamplures, quos „ retulimus in Trutina, exponendo præfatam the- „ sim, ex D. Thoma 4. contra gentes cap. 87. In- „ verteretur quippe naturæ ordo si in his actioni- „ bus *Voluptas tamquam Finis* amaretur; ubi ea ex in- „ stitutione naturæ ad vitæ sustentationem ordinatur.

„ Et in Trutina in eo loco ad quem hic se remit- „ tit, ita habet num. 7.

„ Utrum autem non solum sit *illicitum* come- „ dere & bibere *ad satietatem*, sed etiam *modera-* „ *te comedere ob solam delectationem*, quamvis in „ proscripta thesi *id non exprimatur*; dicendum ta- „ men juxta communem Doctorum sensum contra „ nonnullos relatos a Moya Tom. 1. tract. 6. disp. „ 2. quæst. 3. quibus ipse subscribit, *neque id li-* „ *cere*.

„ Advertatur hoc diligenter, ut præcludatur adi- „ tus diverticulis; Non instituo ullam quæstionem „ de aliis quæ dicit Viva; nihil probo, nihil im- „ probo, quia ad præsens institutum hoc non per- „ tinet. Hoc dico; repræsentare P. Vivam tamquam „ docentem, *Nullum esse peccatum*, *licere comedere* „ *ob solam voluptatem*; ut repræsentat P. Conci- „ na, ejusque index; esse manifestissimam falsita- „ tem ut ex adductis P. Vivæ verbis ad eviden- „ tiam patet.

VIII. Quæritur ultimo, Undenam dignoscatur, utrum aliquid ad cibum, an ad potum pertineat?

Respondeo, ex communi usu catholicorum, & judicio medicorum discerni debere, ut diximus in casu, quo dubitatur, an aliquid ad carnes pertineat. Illud certum est pertinere ad potum, quod ex natura sua adhibetur ad vehiculum cibi, & sitim extinguit; debet autem ex natura sua adjuvare ad elixandum, & vehendum alimentum, & ad sedandam sitim; Nec satis est, si tu ad hunc finem illud assumas; aliter posses gallinam distillatam, ova, & lac potare.

Hinc communiter docent Doctores primo, licitum esse bibere vinum, mustum, cervisiam, aquas ex herbis distillatas; sicut etiam ex Tambur. aquam sacchcaro, & aromatibus conditam, vulgo *Sorbetta*, quia saccharum, & aliæ res, quæ intermiscentur, sunt modica quantitas, & adhibentur per modum medicinæ, ne sola aqua noceat; Sanch. tamen lib. 5. Consil. cap. 8. dub. 23. id negat; quod verum est si aquæ intermisceatur magna quantitas sacchari, & aliarum rerum, itaut extrahatur a natura potionis.

Secundo, Acetum, & Oleum, cum de se non ad potum, sed ad cibum pertineant, frangunt jejunium, si in refectiuncula ultra octo uncias adhibeantur.

Tertio, Uva etiam frangit jejunium, quamvis ex illa solum succum sumas, & cætera ex ore projicias. Ratio est, quia quamvis putes te mustum bibere; at ex communi usu uva assumitur per veram comestionem, & non bibitur per usualem potationem in alimenti vehiculum, ut sumitur mustum, vel vinum. Idem dicas de pomis, & de succo malorum massilicorum, medicorum, cidoniorum, punicorum, vulgo limoni, aranci, cotogni, granati. Idemque dicas de

de peponibus, vulgo Meloni d' acqua. Qua in re nuper ex hac nostra Academia in lucem editus est libellus, in quo erudite, ac nervose nimis confutatur Anonimus, qui qualibet solida ratiocinatione, ac auctoritate destitutus, adversus communissimam Doctorum sententiam in dubium revocare contendebat, num pepones jejunium frangerent.

Circa Chocolatam num frangat jejunium, varii varia. Complures affirmant apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 194., & part. 5. tract. 5. resol. 11. Aliqui negant apud Tambur. propter materiæ parvitatem. Alii vero apud eundem negant, quia est potus usualis in Mexico, non secus ac cervisia apud Germanos, & vinum apud Nostrates.

Idem Tambur., & Dian. propter auctoritatem extrinsecam multorum Theologorum, & propter usum timoratorum putant probabiliter jejunium non frangere. Machad. enim tom. 1. lib. 2. part. 4. tract. 3. dicit in Hispania usque adeo esse usualem, ut fere nemo sit, qui religioni habeat illam sumere die jejunii. Verum præcisa auctoritate extrinseca arridet mihi opinio Eminentissimi Brancatii, cum Escob., quod scilicet si ea utamur eo modo, quo in Mexico est potus usualis, (ita videlicet ut septem, vel octo unciis aquæ addatur una uncia chocolatæ, & media sacchari) jejunium non frangat; secus vero si magna quantitas chocolatæ intermisceatur aquæ, ita ut inducat rationem Pulmenti, ut diximus de Sorbetta. Ratio non est, quia uncia est materia parva; nam sic non posses illam pluries sumere sine mortali, nec semel sine veniali, sed quia in tanta quantitate est potus usualis apud illas Nationes, & sic quilibet tamquam potus usualis sumi potest.

Neque dicas primo, quod quamvis talis potus sit usualis apud Indos, non est apud Nostrates usualis. Nam si alicubi est potus usualis, jam natura sua habet sumi ad vehiculum cibi, & ad sedandam sitim; quod autem natura sua est tale, ubilibet est tale; & hac de causa apud Nostrates cervisia non frangit jejunium, quamvis non sit hic usualis.

Neque dicas secundo, quod vere nutriat. Nam idem dici posset de vino, & cervisia, quæ tamen jejunium non frangunt; quia, ut notat Laym., & Less., nutriunt per accidens; sumitur enim vinum magis ad alterationem corporis, & digestionem cibi, quam ad nutritionem, ut loquitur D. Th. quæst. 147. art. 6. ad 2., licet aliquo modo nutriat, & ideo jejunium non frangit. Cæterum, ut adverti in Trutina exponendo thesim 29. ab Alex. VII. proscriptam; in praxi non facile hisce opinionibus laxandæ sunt habenæ, præsertim a timoratis, qui Christum Dominum imitari, illique, non abdomini inservire satagunt. (*a*)

(*a*) „Contra hæc chocolatis inimicus insurgit Concina *T. V. lib.* 11. *diss.* 11. *c.* 10. *num.* 2. *seqq.* Sed „ quis sanæ mentis ejus declamationes Eminentissimorum Brancatii, & Cozzæ rationibus, ipsorumque Episcoporum, & Cardinalium consuetudini, „ quæ quidem in eo, de quo agitur, Ecclesiastici „ jejunii præcepto maxime consideranda est, anteponat? Atque ego malim equidem consuetudini „ huic insistere Theologos, quam rationi illi satis „ communi, quæ ex usuali potu ducitur. Nam „ nullo negotio tunc difficultates omnes solvuntur „ vespertinæ refectiunculæ molestissima paritate, „ neque absurda illa hinc sequuntur, quæ Concina, „ ejusque similes exaggerant, non enim consuetudo „ est, ut bis, ac multo minus ter, aut decies de „ die sumatur chocolate. Hinc pluries sumi quam „ semel jejunii diebus non posse ejusmodi potum „ lubens concessero.

ARTICULUS II.

De unica Refectione, ac de ejus Hora.

I. *Ex consuetudine, non ex lege scripta tenemur die jejunii ad unciam duntaxat refectionem: Et ex consuetudine etiam permittitur refectiuncula.*

II. *Qui bis comedit die jejunii, si iterum comedat, non peccat amplius; At si comederet carnes, peccat toties, quoties iterum illas comedit.*

III. *Qui inculpabiliter bis comedit, num teneatur non amplius comedere?*

IV. *Ut refectio dicatur moraliter unica, quantum temporis intercedere potest inter plures refectiones? Num possit vespere comedere, qui mane caruit notabili parte refectionis?*

V. *Hora refectionis, quæ olim erat ad Solis occasum, & deinde ad Tertiam post meridiem, nunc temporis est ad meridiem.*

VI. *Quid si anticipetur hora comestionis sine causa, aut privilegio per horam ante meridiem?*

I. CErtum est, die jejunii abstinendum non solum a cibis vetitis, sed etiam a multiplici refectione, ut constat ex consuetudine, & omnium consensu; Quamvis nullus textus sit, qui unicam refectionem præcipiat, ut notat Bonac.; Unde fit, quod quia consuetudo invaluit sumendi refectiunculam, ideo illa, prout est in usu, permittatur.

II. Quæritur nunc primo; An qui sæpius comedit die jejunii, tot peccata mortalia committat, quoties comedit?

Respondeo, quod si quis sæpius parvam quantitatem comedat, tunc solum peccet mortaliter, quando ad quantitatem notabilem pervenit: damnata enim est ab Alex. VII. prop 29. dicens: *In die jejunii, qui sæpius modicum quid* *come-*

comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium. Quamvis autem moraliter peccetur in secunda refectione, communiter tamen Doctores docent contra Navar., & Reginald. apud Bonac., quod non peccet amplius, qui ulterius comedit, nisi comedat cibos vetitos. Ratio est, quia præceptum de abstinentia a cibis vetitis est negativum, quod obligat semper, & ad semper: Unde facta prima carnium comestione, adhuc urget obligatio a talibus cibis prohibitis, & consequenter quoties comedit tales cibos, toties peccat transgressor. E contra præceptum de abstinentia a multiplici refectione est præceptum affirmativum, quod facta secunda refectione non potest amplius servari, & consequenter non amplius obligat; Unde postquam quis per secundam refectionem peccavit non potest amplius contra tale præceptum peccare, etiamsi millies comedat.

III. Neque dicas, quod qui ex inadvertentia bis comedit die jejunii, adhuc tenetur jejunare; ergo præceptum affirmativum de unica comestione adhuc post secundam comestionem potest obligare.

Nam quamvis Valent. Azor., Sa, & alii apud Less. concedant antecedens, & dent disparitatem; quia scilicet in tali casu præceptum jejunii nonnisi materialiter est violatum, cum ad violationem formalem præcepti requiratur ejus notitia; Nihilominus Bonac. negat etiam antecedens; (& idem docet Pont. apud Dian. part. 9. tr. 6. res. 28., de eo, qui inadvertenter comedit carnes, quod scilicet non teneatur amplius ad jejunium,) tum quia non potest amplius jejunium servari, quod in unica comestione consistit; tum etiam quia ex Navar., & Sylvest. apud Less. n. 18., qui mane sumpsit jentaculum animo laborandi, vel iter agendi, si postea non laboret, non tenetur jejunare propter eandem rationem; Quamvis Less., & Bonac. verius putent, hunc teneri jentaculum illud habere loco refectiunculæ vespertinæ, & semel tantum prandere, si commode possit. Propter eandem rationem notat Sanch. lib. 4. c. 2., quod qui vovit jejunare in pane, & aqua, si semel notabilem vini quantitatem bibat, non teneatur ab illo amplius abstinere, & possit quodlibet comedere; Contra vero si vovisset nihil sumere præter panem, & aquam, quia tunc votum esset negativum; unde peccaret toties, quoties.

IV. Dubium est; Quantum temporis requiratur inter unam, & alteram refectionem, ut refectio dicatur multiplex & non una continuata?

Respondeo, Sanch., & Filiuc. apud Dian. part. 1. tr. 9. res. 32. requirere quadrantem cum dimidio, etiamsi nulla causa subsit, & etiamsi post primam refectionem decreveris non amplius comedere; Portella apud Summam. Dian. permittit semihoram, dummodo non manducaveris, quod sufficit ad sustentationem; Verum si propter negotium aliquod interrumpatur comestio, tunc conceditur etiam hora, & Joan. Sanch. putat aliquando etiam concedi posse duas horas, quando scilicet interruptio facta est animo redeundi; quod tamen nimis esse censet Escob.

At Tamb. putat, quod si ob negotium magni momenti notabili refectionis parte quis caruerit, possit ex matutina, & vespertina refectione unam moraliter cœnam conflare; quia pia Mater Ecclesia non intendit homines sine sufficienti refectione diem transigere.

Ex quibus infert Thom. Sanch., quod Lectores mensæ, & famuli possint aliquid sumere immediate ante mensam domini, quia propter necessitatem legendi, & inserviendi censentur tunc incipere suam refectionem, quam post unam circiter horam perfecturi sunt. Idem pariter dicendum de multiplici comestione carnium; nam qui, v. gr., in principio tantum, & fine mensæ comedit carnes, unum tantum peccatum mortale committit, quia censetur moraliter unam carnium comestionem fecisse.

V. Quæritur secundo; Quanam hora sumi possit unica refectio?

Respondeo, quod in veteri lege jejunium solvebatur ad solis occasum, ut videre est Jud. 13. Qui mos receptus fuit in primitiva Ecclesia, ut patet ex D. Hieronymo, in vita Sancti Hilarionis; Deinde fervor intepuit, & cœperunt homines comedere ad horam nonam, hoc est ad Tertiam post meridiem; idque consueverunt usque ad tempora D. Th., qui vixit anno 1270., ut videre est 2. 2. quæst. 147. art. 7. Nunc vero communius usus fidelium fert, ut comedatur ad meridiem; ita tamen ut licitum sit ulterius differre, cum sic rigorose jejunetur; anticipare autem notabiliter sine causa non liceat.

Existimo tamen cum Laym., Filliuc., Bonac., Less., & aliis apud Dian. part. 1. tr. 9. res. 26, quod esset tantum veniale, immo ne veniale quidem, si cum causa refectio anticiparetur; verb. gr, ob iter, aut urgens negotium. Quare falsum videtur quod docet Sanch. disp. 53. horam comestionis ita pertinere ad essentiam jejunii, sicuti pertinet abstinentia a carnibus. Falsum etiam est, dari aut præceptum, aut consuetudinem graviter obligantem ad non anticipandam comestionem ante meridiem, ut putant Fagund., Sanch., Navar., Azor. apud Trull. Quia tamen meridies computandus est modo morali, non astronomico, ideo Trull. cum Villalob. putat, præciso ullo privilegio horam competentem comedendi die jejunii absque ullo pec-

lo peccato esse per horam circiter ante meridiem; quia parum a meridie distat, & pro meridie computari potest.

ARTICULUS III.

De Refectiuncula.

I. Varie opinantur Doctores circa quantitatem cibi in Refectiuncula; Omnium benignissima, & usu recepta opinio est, quod ea sit octo unciarum.

II. In pervigilio Nativitatis Domini refectiuncula potest esse duplo major; & in iis Regionibus, ubi est consuetudo sumendi triplo majorem, immo etiam in vigilia Paschatis, & Pentecostes servari illa licite potest.

III. Num possit in refectiuncula sumi exigua pars piscis majoris.

IV. Licetne sex uncias panis cum duabus unciis liquoris amygdalini coquere, & sumere pro jentaculo?

V. Num liceat sine causa cœnulam sumere mane, rejecta in vesperas cœna?

VI. Non licet diluculo jentaculum sumere, & ad meridiem, seu ad vesperas cenare.

I. Licitum esse vespertinum jentaculum nemo dubitat, cum consuetudine introductum sit; Et quamvis probabile sit introductum fuisse ex necessitate, vel ne potus vespere noceret, nunc tamen licitum est etiam sine necessitate, aut voluntate bibendi illud sumere, etiam causa alendi corpus.

Quæritur tamen primo; Quantum cibi possit in refectiuncula sumi?

Respondeo, omnes convenire, quod debeat esse modica quantitas. Variant tamen in ea assignanda. Graff. permittit tres uncias; Homob. quatuor; Villalob. sex; Alii vero cum Joan. Sanch. volunt variam esse pro varietate personarum, itaut plus liceat infirmis, provectioribus ætate, nobilibus viris assuetis pluribus epulis, necnon degentibus in Regionibus frigidioribus, defatigatis, &c., quam reliquis. Alii cum Filliuc., Reginald. assignant quartam partem cenæ ordinariæ uniuscujusque. Omnium autem benignissima opinio videtur esse illa Fagund., & Suar. apud Dian. loc. cit. resol. 1., & quæ in consuetudine est apud Nos, quod octo unciæ ab omnibus sumi possint; talis enim mensura universim excedit quartam partem cœnæ ordinariæ; quis enim vespere comedat plerumque ultra triginta duas uncias?

II. Verum in vigilia Nativitatis Domini duplo major (id est sexdecim unciæ) permittitur, etiamsi venerit in Sabbato quatuor temporum; Quamvis Petrus de Cenedo apud Dian. l. c. ref.35. putet posse sumi in tali pervigilio quantum libuerit ex fructibus, & dulciariis in iis Provinciis, ubi est talis consuetudo. Et sane collatiuncula isthæc, cum præcise ex vi consuetudinis permittatur ejus quantitas, sicut etiam qualitas ciborum, non aliunde metienda est, quam a consuetudine uniuscujusque loci ut bene notat Bonac., Less., Tolet. Hinc quamvis invenias apud Sanch. in Opusc. dub. 26. posse sumi in vigilia Nativitatis cænulam triplo majorem solito, eo quod talis sit usus timoratorum etiam religiosorum; talis tamen opinio non est sequenda, ubi non viget talis consuetudo. Et eadem ratione in vigilia Paschatis, & Pentecostes potest sumi refectiuncula duplo major in iis locis, ubi est talis consuetudo, quæ sane apud nostrates non extat.

III. Quæritur secundo; Quænam qualitas ciborum in refectiuncula permittatur?

Respondeo, Dianam pluribus in locis, præsertim part.1.tr.9.ref.1. acriter invehi contra illos, qui docent in refectiuncula attendendam esse solam quantitatem, non qualitatem ciborum, ostenditque consuetudine, & auctoritate Doctorum permitti solum cum modico pane aliquos fructus, vel dulciaria, aut ad summum ex Laym., & Azor. aliquem pisciculum; Unde expresse infert locutum fuisse sine ratione, & fundamento contra communem Doctorum sententiam Bonac. de Legibus disp.ult.punct.3., dum asserit, in serotina collatione non tam cibi qualitatem, quam quantitatem attendendam; Additque omnes Theologos tam suæ, quam nostræ Religionis ab ipso consultos uno ore clamitare, qualitatem cibi in refectiuncula frangere jejunium. Verum Bon. de Jejun. quæst. 1.punct. 3., Cajet., Sot., aliique apud Dian. part.9.tr.6. ref.8. cum Tamb. probabiliter putant, posse sumi octo uncias ex pane, & piscibus sale coctis; nec non ex pultibus, seu minestris. Immo permittunt etiam aliquid casei illi, cui permittuntur lacticinia. Excludunt autem ova, utpote magnæ substantiæ, & nutritionis, & ex diametro opposita jejunio: Contra vero, quia non est certum consuetudinem sumendi jentataculum introductam esse sub hac stricta necessitate, ut non possit nisi panis cum fructibus, aut herbis comedi, ideo etiam pisces sale cocti, & minestre permitti possunt, dummodo cum pane quantitatem debitam non excedant. Certum enim est, jentaculum sumi posse; dubium vero, an hi cibi substantiales sint exclusi? Igitur prævalet libertas illos assumendi. Sic discurrit Tamb., cujus sententiam non amplecterer, nisi putarem consuetudinem jam introductam, ut etiam exigua parte piscis majoris, ut loquitu Bonac. l. c., non tamen ovis in refectiuncula cum pane vesci possimus in debita quantitate octo uncia-

unciarum; quam si quis parum excederet, addendo unam, vel alteram unciam, ex Filliuc., Leand., & aliis apud Dian.loc.cit.res. 15. non nisi venialiter peccaret propter parvitatem materiæ superadditæ, dummodo alias eodem die parvitatem materiæ non sumpserit.

IV. Dubium est, An possit etiam quis panem, aut fabas in quantitate debita coquere in acqua, vel liquore amygdalino, & sic sumere pro jentaculo?

Negant communiter cum Filliuc., apud Tambur.; quia acqua illa non retinet amplius rationem potus, sed propter coctionem ex illa, vel pane, vel fabis fit cibus solidus, seu pulmentum, quod deinde excederet quantitatem debitam. At Leand. quæst. 35. cum Pelliz., & Escob., & Dian. part.10.tr.14. res. 58. ex Rochaful, Vival., Pasqualig., necnon Tamb. ex Boss. sect.4. de Jubilæo casu 18. putat id posse permitti; quia revera illa acqua semper remanet vehiculum alimenti, nihilque addit ad substantiam nutritionis, & ea coctio solum reddit cibum magis stomacho convenientem. Quare sicut sumi potest panis vino infusus, ita etiam panis aqua, vel alio liquore coctus. Horum tamen sententia scienda est, non sequenda, utpote communiter rejecta; nisi in casu necessitatis, aut nimię lassitudinis, quando præstat sententiam hanc sequi, quam ex impotentia jejunium frangere.

V. Quæritur ultimo; Quanam hora sumi possit refectiuncula?

Respondeo, sub vesperas, seu ante cubitum sumi posse juxta consuetudinem. Azor., & Fagund. apud Dian.part.1.tr. 9. res. 33. putant esse mortale sine necessitate illam sumere meridie, rejecta in vesperas refectione, quia cum vespertina tantum refectiuncula ex consuetudine permittatur, non matutina, qui mane illam sumeret, frangeret jejunium. Communius tamen docent, id tantum esse veniale; quia non variatur substantia jejunii, variando circumstantiam hujus cœnulæ. Tambur. demum ex Joan. Sanch. putat omnino licere, etiam sine causa; quod tamen non approbo. Illud certe licitum est omissa refectiuncula, cœnam ad vesperas differre.

VI. Sicut autem communiter docent esse saltem veniale refectionem notabiliter ante meridiem anticipare sine causa, quia aliqua deordinatio est tam cito ad prandium accurrere, quando cæteri se continent; ita a fortiori veniale est refectionem diluculo sumere, & deinde meridie, vel sub vesperas cœnare; præsertim quia esset novam jejunii formam inducere.

ARTICULUS IV.

De Obligatione Jejunii, & non cooperandi cum aliis in illius fractione.

I. Jejunium Quadragesimale non est de jure divino, sed jam inde ab Apostolis in Ecclesia præceptum.

II. Consuetudine plura jejunia in Ecclesia introducta sunt, & plura abrogata. Num Regulares teneantur ad jejunia consuetudine alicubi introducta?

III. Quandonam frangens jejunium, ad quod ex pluribus titulis obligatur, plura peccata committat?

IV. Num Franciscanus ad jejunia suæ Regulæ obligetur ante vigesimum primum ætatis annum?

V. Lex jejunii obligat etiam ad non cooperandum cum aliis in ejus fractione.

VI. Num liceat invitare ac offerre carnes parato jejunium frangere, non quidem absolute, sed sub conditione, quod velit omnino carnibus vesci?

VII. An peccent Caupones ministrando omnibus indiscriminatim carnes diebus esurialibus?

VIII. Licite carnes ministrantur infidelibus die jejunii, sicut pueris ante rationis usum.

I. NOtandum primo, obligationem jejunandi esse ecclesiasticam; si enim esset de jure divino, non posset tanta variatio fieri in cibis, ætate, tempore, exceptione, &c. nec consuetudo aliquid immutare potuisset. Dicitur autem a Sanctis Patribus Quadragesimale jejunium inductum esse a Domino, præscriptum in Evangelio, & a Christo consecratum; quia Ecclesia, seu Apostoli Ecclesiæ rectores, ac doctores occasionem præcipiendi jejunium quadragesimale sumpserunt ab exemplo Christi Domini, a Prophetis, & Evangelio, ut advertit hic Trull. ex Less.

II. Notandum secundo, etiam consuetudine introduci posse jejunia: & de facto ex sola consuetudine obligant vigiliæ Sancti Joannis Baptistæ, Sancti Laurentii, Pentecostes, & omnium Sanctorum. Ratio est, quia consuetudo habet vim legis, ex *leg. De quibus*, ff. *de legibus:* Sicut econtra per consuetudinem legitimam abrogari possunt jejunia: & de facto abrogata sunt jejunia Rogationum, & Feriæ quartæ, & sextæ Adventus, ut notant Azor., & Less.dub.4. Ubi tamen consuetudo est solum laicorum, non ligat Clericos; & ubi est Clericorum, non ligat Regulares. Et hinc est, quod Regulares non tenentur servare jejunia ab Episcopis indicta, nisi forte ad vitandum scandalum; Quamvis ex Trident. Regulares teneantur servare festa ab Episcopo indicta, & Interdictum. (*a*) Quod si in aliquo

quo Oppido, vel Provincia aliquod jejunium generali consuetudine introductum sit, procul dubio etiam Clerici, & Regulares obligantur, ut communiter docent; quia sunt communia, & omnium ibi habitantium moribus probata.

„ (*a*) Confer Benedictum XIV. *de Synodo diœces.* „ *lib.* 13. *c.* 4.

III. Notandum tertio, quod qui initio Quadragesimæ proposuit nunquam jejunare, unum numero peccatum commisit, (non secus ac qui uno ictu occidit plures) in executione tamen singulis diebus, vel quoties carnes comedit, nova mortalia committeret. Præterea frangens jejunium, ad quod ex duplici præcepto, v. g. quatuor temporum, & vigiliæ tenetur, unum numero peccatum committit, quia utrumque hoc præceptum obligat ex eadem virtute temperantiæ. Econtra si quis violet jejunium, ad quod tenetur & ratione vigiliæ, & ratione voti, aut præcepti superioris, vel Confessarii, multiplex peccatum committit; quia obligatio oritur ex pluribus virtutibus, videlicet temperantiæ, Religionis, obedientiæ, &c., Unde Franciscanus, qui die Veneris tenetur jejunare sub mortali vi suæ Regulæ, cui voto astringitur, si eo die occurrat vigilia, & frangat jejunium, duplex peccatum committit.

IV. Utrum autem ante vigesimum primum annum Franciscanus teneatur ad jejunium suæ Regulæ? Communiter affirmant apud Dian. part. 1. tract. 9. resol. 16., quamvis non teneatur ad jejunia Ecclesiæ. Tambur. tamen cum Medin. & Graff. putat probabiliter non teneri ad jejunia suæ Regulæ; quia præsumi potest nolle Regulam obligare sub mortali eum, quem non vult Ecclesia obligare: Et idem dicitur de sexagenariis; Unde qui vovit tota vita jejunare singulis Sabbatis, probabiliter non tenetur, quando est sexagenarius.

V. Notandum ultimo, nos non solum teneri ad servanda jejunia Ecclesiastica, sed etiam ad non cooperandum cum aliis in fractione jejunii, unde sicut non licet alios invitare ad fornicandum, ad occidendum, &c. ita neque ad frangendum jejunium ex intentione, quod frangant, quia directe ad malum invitarentur.

VI. Quæritur tamen primo; An urbanitatis causa liceat ad cœnam invitare paratum frangere jejunium, non quidem ex intentione, quod jejunium frangat, sed ex intentione, quod si velit frangere, potius tuæ domi, quam alibi comedat?

Respondeo, Villalob., Navar., Philiar., & alios apud Dian. resol. 38. id permittere, contra Less., & Fagun. Ratio est, quia non invitatur hic ad cœnandum absolute, sed conditionate, si scilicet vult frangere jejunium. Verum in hac re notandum, quod Tambur. advertit lib. 5. cap. 1. §. 4. de parato ad peccandum, v. g. ad frangendum jejunium, & de peccaturo, v. g. de transgressuro præceptum jejunii. Si Titius transgressurus est præceptum, quia, v. g., decrevit jam violare jejunium, ubicumque reperiat cibos, Vasq. docet, quod non licet illum absolute ad cœnam invitare, sed solum conditionate dicendo, Si omnino velis cœnare, cœna apud me; Et quamvis Pal. putet, quod id non liceat, immo quod nec possis illi cœnam præparare, eo quod cooperareris peccato illius, tamen Less. lib. 4. cap. 2. n. 24. permittit cum Vasq., quod conditionate invitetur, quia peccatum internum illius jam est patratum, & impediri non potest. Et Sanch. lib. 1. cap. 7. excusat universim a mortali, qui solum remote cooperatur cum transgressuro præceptum, v. g. vendendo Titio cibos, quos vult ad jejunium frangendum, ut vendendo agnum Infideli, quem scio velle ad immolandum Idolo; quia cum alius venditurus sit, si ego non vendam, & peccatum internum impediri non possit, non pecco graviter cooperando sine magna necessitate ad solum externum peccatum illius; Contra vero si cooperarer proxime cum transgressuro præceptum; unde non licet scalas admovere, vel humeris sustentare, quem scio velle furari, etiamsi alter id præstaret me recusante; nisi tamen excuser a causa urgentissima, puta a timore mortis.

Verum circa paratum ad peccandum, seu solitum transgredi præceptum, putant Sanch., Pal., nunquam posse nos illum invitare, nec absolute, nec conditionate; quia tenemur impedire peccatum etiam externum proximi, quando commode possumus. Ledesm., & Emman. cum Cajet. & Navar. apud Less. lib. 4. cap. 2. n. 21. putant licere, quando id fit urbanitatis causa, & non ex intentione peccati alterius. Immo Hurtad. apud Dian. part. 5. tract. 7. resol. 8. cum Lug. disp. 25. num. 234. absolute docent, quod liceat sine necessitate petere mutuum etiam signate ad usuras ab usurario parato; sicut etiam ex Azor. petere Sacramenta a Sacerdote parato illa ministrare in mortali, quamvis commode possis ea ab alio habere. Ratio est, quia dum facio, quod mihi utile, vel conveniens est, & de se non est malum, estque tale, ut eo alius recte uti possit, si non recte utatur, sibi imputet; Neque enim teneor abstinere ab actionibus de se non malis, eo quod proximus ex sua malitia abutatur ad peccandum. Verum Hurtad. cum Dian. loc. cit. hanc adhibet distinctionem: Si proximus sit paratus ad peccandum hic & nunc, non ex malitia, sed ex passione vehementi, idest ex fragilitate, tenemur sub pœna peccati scandali a talibus actionibus abstinere; quia scandalum hoc passivum pusillorum tenemur vitare,

vitare, quando commode possumus: Secus vero si ille sit paratus ad peccandum ex malitia; quia non tenemur vitare scandalum hoc pharisaicum. Has omnes opiniones ut probabiles admittit Tambur. loc. cit.

VII. Quæritur secundo; An peccent caupones, seu tabernarii offerentes cęnam omnibus indiscriminatim die jejunii,& ministrantes carnem?

Respondeo, communiter Doctores contra Less. loc. cit. docere, quod tabernarii non teneantur interrogare hospites cœnam, aut carnes petentes, an excusentur a jejunio, etiamsi dubitent, an excusentur, & a fortiori si probabiliter credant excusari. Ratio est, quia in dubio nemo debet præsumi velle peccare, ex *leg. Merito*, *ff. Pro socio*. Si vero probabiliter, vel certo moraliter sciant tabernarii, quod hospites peccent cœnando, Navar., Tolet., Medin., & alii apud Dian. part. 1. tract. *9*. resol. *39*. permittunt, quod illis cęna ministretur. Quod etiam docet Sanch lib. 1. cap. 7. Ratio est, quia ministratio illa, immo & ultronea invitatio non fit directe ad non jejunandum; sed solum ex intentione lucri invitantur ad cęnam; veluti conditionate, hoc est, si velitis cęnare, potius cœnate apud me, quam divertatis ad alium. (*a*) Præterea sicut ab usurario parato peti potest mutuum, quia de se potest id sine peccato poni, si scilicet detur mutuum sine usuris; ita quia potest hospes sine peccato cœnare, dummodo semel in die cibis Quadragesimalibus se reficiat, ideo absolute exhibetur illi aliquod de se indifferens, quo ille sua malitia abutitur. Si vero loquamur de ministratione, & invitatione ad carnes, certum est, non posse tabernarios invitare hospites, nisi conditionate, ut diximus quæsito antecedenti, dicendo, quod si velint absolute carnes comedere, potius illas comedant in tali taberna, quam alibi. Ratio est, quia comestio carnium fieri non potest sine peccato a non excusatis; sicut potest sine peccato fieri cęna, dummodo semel tantum fiat.

„ (*a*)P. Concina *Tom*. V. *pag*. 154. in Catalogo Propositionum damnabilium ita placuit locum hunc Vivæ adferre:

„ Si probabiliter vel certo moraliter sciant tabernarii, quod hospites peccent cœnando; DD. Navarrus, Toletus, &c. permittunt quod illis cœna ministretur ... Quia ministratio illa, immo & ultronea invitatio non fit directe ad non jejunandum, sed solum ex intentione lucri invitantur ad cœnam. P. Dominicus Viva in cursu Theologico-Morali Tomo 1. p. 2. quæst. 10. art. 4. n. 7.

„ Truncate refertur de more sententia P. Vivæ: & ea resecantur, quæ magnopere intererat non resecari; quia multum temperant eam opinionem, ut jam ostendam. Textus integer P. Vivæ iste est.

„ Si vero probabiliter vel certo moraliter sciant tabernarii, quod hospites peccent cœnando, Navarrus, Toletus, Medina, & alii apud Dianam p. 1. Tract. 9. Resol. 39. permittunt quod illis cœna ministretur. Quod etiam docet Sanchez lib. 1. cap. 7. Ratio est, quia ministratio illa, immo, & ultronea invitatio non fit directe ad non jejunandum; sed solum ex intentione lucri invitantur ad cœnam *VELUTI CONDITIONATE, HOC EST, SI VELITIS CŒNAM, CŒNATE POTIUS APUD ME, QUAM DIVERTATIS AD ALIUM*.

„ Hæc postrema verba majusculis caracteribus signata, omnia a P. Concina resecta sunt. Porro quantum illa temperent opinionem, nemo non videt. Ostendunt enim, P. Vivam non loqui promiscue & indefinite de quibuscumque hospitibus; sed definite de iis, qui jam cœnare vel apud hunc tabernarium, vel apud alium constituerunt. Jam vero valde diversum est, ut per se patet, invitare ad cœnam promiscue omnes hospites, qui prævidentur peccaturi cœnando, & invitare hospitem jam peccare & cœnare certum, ut, siquidem cœnare jam absolute constituit & vult, det potius lucrum mihi, quam alteri tabernario; in hac enim secunda hypothesi, etsi ego non procurarem mihi illud lucrum, adhuc peccatum hospitis non impediretur. Quamobrem opinio, docens licere hoc secundum, est, non dico vera, ne forte hoc mihi imponat P. Concina; sed multo temperantior, & mitior opinione docente licere primum. P. Viva in suo textu *integro* docet opinionem temperatiorem. In textu *mutilato* a P. Concina, apparet docere aliam magis intemperantem.

„ Sed ut semper clarius palam fiat, quod alias dixi, patrem Concinam vocare in invidiam nominatim solos Jesuitas: suos vero aut occultare, aut post terga Jesuitarum protegere; proferre placet duos insignes Dominicanos, qui eamdem cum Viva sententiam docent.

„ Cajetanus 2. 2. quæst. 147. artic. 4. in fine hæc habet. Si autem omnino cœnaturi sunt; & ego invito eos ad mecum cęnandum, non invito eos nisi ad locum & societatem cœnæ, vel ministro illis cibos. Ex nullo autem horum apparet peccatum aliquod; & propterea excusantur: sicut etiam hospites cœnaturos invitant, ut in suo hospitio magis quam in alio cęnent.

„ Petrus de Ledesma Tom. 2. Summæ de jejunio cap. 2. non procul a fine hæc habet. Dico 2. Invitare aliquem, qui jam alias paratus est cœnare causa urbanitatis vel hospitalitatis, ad cœnam non est peccatum mortale. Quia tunc ipse invitans non cooperatur peccato alterius.

„ P. Concina opinionem Patris Vivæ recensuit inter damnandas, Cajetani, & Ledesmæ non meminit. Jactet minus suam vacuitatem a studio partium; & tum ipse tum alii sibi persuadeant, me quoque posse, si velim, catalogos & indices pertexere non breviores.

VIII. Notandum demum, quod pueris ante usum rationis, sicut etiam Paganis licite carnes ministrantur; quia non tenentur legibus Ecclesiasticis.

AR-

ARTICULUS V.

De Infirmitate, & Paupertate a Jejunio excusantibus.

I. Excusant Dispensatio, & Impotentia sæpe orta ex infirmitate, paupertate, labore, ætate,
II. Infirmitas excusans debet esse notabilis, puta si timeatur ex jejunio capitis vertigo, aut stomachi dolor; Aut si ex illo impediantur consuetæ uniuscujusque operationes.
III. Prægnantes, & nutrices, etsi validæ, ad jejunium non tenentur, sed tenentur secundum se a carnibus abstinere. Qui absque cœna nequit noctu calefieri sufficienter, non tenetur mane jentare, ut vespere cœnet.
IV. In dubio, an jejunium sit graviter nociturum, standum judicio Medici docti, & timorati; vel petenda est dispensatio; Quæ probabiliter dari potest, etiamsi dubitetur, an detur justa causa ad dispensandum.
V. Nec Medicus, nec Confessarius dispensare potest in jejuniis, sed solus Superior; etiam Parochus; non tamen Abbatissa.
VI. Excusatur pauper, si careat sufficienti cibo. Sed quinam dicitur cibus sufficiens?
VII. Num liceat messoribus, ac iter agentibus vesci lacticiniis, si desit sufficiens aliud alimentum?

I. A Jejunio excusant Dispensatio, & Impotentia, sive physica, sive moralis; hæc autem oritur ut plurimum ex infirmitate, paupertate, labore, ætate. In hoc articulo agendum de infirmitate, & paupertate, in sequenti de labore, & ætate.

II. Quæritur primo; Quænam infirmitas a jejunio excuset?

Respondeo nonnisi notabilis. Quare excusantur tam qui de facto infirmi sunt, quamvis ex propria culpa, quam qui ex jejunio notabilem infirmitatem timent, v. g. capitis vertiginem, stomachi dolorem; non enim expectandum est actuale detrimentum, sed sufficit timor non levis mali, non quidem gravissimi, sed notabilis. Quare qui sibi bona fide, vel experientia, vel ex probabili ratione persuadet graviter nociturum jejunium, non tenetur jejunare.

III. Si tamen petas, quodnam dicatur damnum notabile? Respondeo hanc regulam a Doctoribus assignari. Si ex jejunio impediantur operationes ordinariæ cujusque personæ, jejunium dicitur graviter nocere: V. g., si studens ex jejunio capite doleat, itaut cum magna difficultate possit studere; si cum gravi incommodo famula exerceat servitia domus, aut artifex opus suum. Et hac de causa communiter excusantur prægnantes omnes, & nutrices, idque etiamsi robustæ sint, ex Reginald. contra Sylvest. apud Dun. part. 1. tract. 9. resol. 14. quia istæ paucæ sunt, & leges aptantur ad communiora. Universim autem prægnantes, & nutrices indigent multiplici refectione; quamvis teneantur abstinere a carnibus, nisi specialiter indigeant. Idem putat Tambur. dicendum de fœmina, quæ probabiliter mox est conceptura, si a medicis judicetur; jejunia matris nocitura proli suscipiendæ; debet enim mater convenientia remedia, & alimenta ponere, ne forte fœtus concipiendus elanguescat. Excusatur etiam, qui ita stomacho debili friget, ut sumere non possit una vice refectionem sufficientem; Necnon qui noctu per notabile tempus dormire non potest, nisi cœnet; aut qui de nocte absque perfecta cœna calefieri notabiliter nequit. Hoc enim est nimis onerosum. Neque hic obligatur ad jentandum mane, ex Sanch., & Dian. resol. 5., Fagund., & Tambur. Ratio est, quia nemo obligatur ad remedia extraordinaria, & relinquere jus suum comedendi circa meridiem.

IV. Adde, non solum infirmitatem actualem, aut imminentem excusare, sed etiam si sentias stomachi debilitatem extraordinariam aut notabilem lassitudinem, ex Bonac.; quia universim cum gravi incommodo præceptum jejunandi non obligat. Quando autem dubium est, an infirmitas sit satis ad excusandum a jejunio, vel ab abstinentia a carnibus requiritur vel medici docti, & timorati judicium, vel dispensatio Superioris. Certe autem sufficiens causa habetur, quando adest solum periculum probabile damni gravis: Immo quando adest dubium, an detur causa sufficiens ad dispensandum, poterit etiam dari dispensatio, ut docet Sanch. lib. 4. cap. 45. contra Bonac. apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 31.; quia bonum, & suave Ecclesiæ regimen id postulat. Quamvis in tali casu consultius sit ex Tambur., quod admisceatur aliqua commutatio, verbi gratia in eleemosynam, orationem.

V. Quæritur secundo, An etiam Confessarius, & Medicus dispensare possint in jejuniis?

Respondeo negative, cum non sint Superiores. Quare possunt hi, & quilibet alius vir prudens, & peritus solum declarare, quod adsit causa sufficiens ad non jejunandum; dispensare autem potest solus superior habens jurisdictionem in foro externo, videlicet Episcopus & Prælati regulares relate ad suos subditos: Vicarius etiam generalis Episcopi, non quidem ex generali commissione Vicariatus, sed ex speciali mandato, ut diximus cum de præcepto missæ: Et propter præscriptam consuetudinem etiam Parochus ex Sanch. lib. 8. disp. 9., ne nimis graventur fideles, & Episcopi, si essent pro his frequentibus, & minutis dispensationibus semper adeundi. Non tamen Abbatissa, cum non habeat

beat jurisdictionem spiritualem; nec detur talis consuetudo, sicut datur in Parocho. Quando autem nec datur superior, qui dispenset, nec vir peritus, qui declaret sufficientiam causæ excusantis, satis est ex Sa, quod ipse subditus bona fide putet dari sibi causam sufficientem.

VI. Quæritur tertio; Quænam paupertas excuset?

Respondeo, excusare paupertatem, quando quis ob illam cogitur laborare, & propter defatigationem indiget secunda refectione. Secundo, quando quis caret cibis, quibus unam sufficientem refectionem assumat. Non habet autem sufficientem refectionem ex Tambur., & aliis apud Dian., qui solum habet copiam panis, & vini relate ad eos, qui non sunt ad id assueti, eo quod tale jejunium videatur nimis onerosum. Si vero semel, aut iterum habeat insuper aliquod absonium, v. g. nuces, olivas, cæpas, &c., ubi non patiatur notabile incommodum, videtur universim obligandus. Quod si contingat non raro, solum videntur obligandi rustici firmæ sanitatis, & his vilioribus obsoniis assueti, non vero alii, qui sic nimis, & extra modum macerarentur; nisi tamen haberent quotidie plura ex his vilibus obsoniis; quicquid alii in hoc contradicant.

VII. Ex his infertur, excusari iter agentes, qui hora prandii non possunt invenire sufficiens alimentum. Secundo, ex Sanch. apud Trull. excusantur agricolæ, si edant, & præbeant suis domesticis messoribus, putatoribus lacticinia, & ova, quæ possunt facile invenire, quando commode non possunt invenire pisces, aut aliud, quod comedant. (*a*)

„ (*a*) Huc spectant de jejunio Benedicti XIV. Constitutiones, quas propterea heic adscribere necesse est.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, & Episcopis universis gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.
Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam benedictionem.

„ IN suprema Universalis Ecclesiæ procuratione, „ meritis licet imparibus, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam ut Orthodoxæ Fidei assertores, sic etiam Ecclesiasticæ disciplinæ custodes ac vindices constituti, Quadragesimale præsertim Jejunium, quod inter præcipua orthodoxæ disciplinæ capita semper & ubique ab ipso Ecclesiæ exordio numeratum esse nemo ex Catholicis inficiatur, ab hodierna jejunantium corruptela vindicare, & in pristinam, quantum, benedicente Domino, fieri posset, observantiam revocare cupientes, per alias nostras in simili forma Brevis litteras ad Fraternitates vestras die 30. proxime elapsi mensis Maji currentis anni datas eximium Fraternitatum vestrarum zelum excitandum curavimus, ut adlaborare studeretis, ne hac in parte & optatum Apostolicæ nostræ sollicitudinis angoribus levamen, & salutare abolendæ sacratissimi Jejunii corruptelæ remedium deesset. Quoniam autem Paternæ Pontificiæ charitatis, quæ novit imbecillitates infirmorum sustinere, atque etiam cum infirmantibus infirmari, non immemores, quemadmodum a Jejunio aliquando legitima causa, aut gravissima urgentique necessitate exigente dispensandum esse ex Apostolica benignitate censuimus; ita inter cetera præscripsimus Unicam Comestionem servandam, & licitas atque interdictas Epulas minime esse apponendas. Hinc factum esse accepimus, quod non defuerint qui per humanas & hominibus a Christiana pœnitentia abhorrentibus dumtaxat dignas illationes sibi aliisque persuadeant, Unicam potissimum Comestionem servari, atque Epulas licitas & interdictas minime apponi debere; cum multitudini quidem indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, non vero singulis ob legitimam causam & de utriusque Medici consilio dispensatur. Quam sane persuasionem a sententia nostra alienam ut ex omnium animis penitus evellamus, Nos quibuscumque quacumque occasione sive multitudini indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam & de utriusque Medici consilio, dummodo nulla certa & periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri necessario exigat, in Quadragesimæ, aliisque anni Temporibus, & diebus, quibus carnium, ovorum, & lacticiniorum esus est prohibitus, dispensari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, Unicam Comestionem servandam, & licitas, atque interdictas Epulas minime esse apponendas tenore præsentium declaramus & edicimus; quemadmodum per singulas nostras in pari forma Brevis litteras singulis utriusque sexus Christi fidelibus ob corporis infirmitates, quibus obnoxii reperiuntur, in sacratissima Quadragesima aliisque Jejunio consecratis diebus vescendi prohibitis licentiam dantes, unicuique expresse præscribimus atque præcipimus. Eapropter Fraternitates vestras rogamus, atque in Domino obsecramus, ut populos vestræ curæ commissos ad tam opportunum sanandis vulneribus, quibus per humanam infirmitatem quisque sauciatur, sanctissimi Jejunii remedium alacriter adhibendum cohortantes, sedulo ac paterne moneatis, rem agi non quidem exiguam, sed longe gravissimam de observando sustinendoque Jejunio purificandis animis corporibusque salutari. In spem igitur illos erigite cœlestium præmiorum, quibus assequendis non sunt condignæ passiones hujus temporis; imo leve ac momentaneum non tribulationis, sed modicæ abstinentiæ nostræ incommodum magnum gloriæ pondus operatur in Cœlis. Ab omnibus se abstinent, qui in agone contendunt, ut corruptibilem coronam accipiant, pudeat tam imbelles ac delicatos Christianæ militiæ milites refugientes a consortio Crucis Christi, qui coronam legitime certantibus propositam sperare præcipit incorruptam; ad cujus auspicium & pignus Fraternitatibus vestris Apostolicam benedictionem iisdem etiam populis vestris nostro nomine impertiendam peramanter elargimur. Volumus autem, ut præsentium transumptis sive exemplis etiam impressis manu alicujus No-

„ Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in „ dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem „ prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus „ adhiberetur, & adhiberi posset, si forent exhibi- „ tæ, vel ostensæ.

„ Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub „ Annulo Piscatoris die 22. Mensis Augusti 1741. „ Pontificatus Nostri Anno secundo.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, & Episcopis universis gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem & Apostolicam benedictionem.

„ NON ambigimus, Venerabiles Fratres, quin „ universis Catholicæ Religionis Cultoribus „ notum sit, a tota per Christianum Orbem Eccle- „ sia inter præcipua Orthodoxæ disciplinæ capita „ perpetuo adnumeratum retineri Quadragesimale „ Jejunium; quod olim in Lege & Prophetis pri- „ mitus adumbratum, ipsius Domini Nostri Jesu „ Christi exemplo veluti consecratum, ab Aposto- „ lis traditum, a Sacris Canonibus ubique præscri- „ ptum, & ab universali Ecclesia ab ipso sui pri- „ mordio retentum & observatum est. Hoc nimi- „ rum, ut veteres tradidere Patres, nobis quotidie „ peccantibus communis pœnitentiæ constituto re- „ medio, per consortium Crucis Christi nos etiam „ aliquid in eo, quod ipse propter nos præstitit, „ agimus; simulque ad recolenda sacratiora Redem- „ ptionis nostræ mysteria, quæ per Dominicæ Pas- „ sionis, ac Resurrectionis memoriam, Quadragesi- „ mali potissimum tempore solemnius celebrantur, „ purificatis Jejunio corporibus & animis dignius „ paramur. Hoc veluti nostræ militiæ tessera ab „ inimicis Crucis Christi secernimur, flagella divi- „ næ ultionis avertimus, & cœlesti præsidio in dies „ adversus Principes tenebrarum munimur. Hoc de- „ spectui habito non contemnendum divinæ gloriæ „ detrimentum, non leve catholicæ Religioni de- „ decus, nec dubium animabus Christifidelium pe- „ riculum oboritur: nec aliunde populis calami- „ tates, rebusque publicis & privatis cladem exi- „ tiumque importatum esse constat. Ab hac vero „ insita inhærentique in omnium Catholicorum ho- „ minum animis de sacratissima Quadragesima, a- „ liisque diebus jejunio consecratis persuasione & re- „ verentia quam aliena, quam discors, quam abso- „ na sit hodierna Jejunantium consuetudo, quan- „ tum ab ipsa Jejuniorum institutione, & servata „ semper, ubique, & ab omnibus disciplina quam „ longissime distet; Vos, Venerabiles Fratres, qui „ populorum curæ vestræ commissorum mores, & „ usus probe nostis, pro singulari sapientia vestra „ præ ceteris clarius intelligitis. Nos sane, quibus „ in hac sublimi Apostolicæ procurationis specula „ constitutis undique gentium nuntii afferuntur, „ lacrymis deplorare non possumus, augustissimam „ Quadragesimalis Jejunii observantiam ob nimiam „ nullis legitimis urgentibus caussis ubique indiscri- „ minatim dispensandi facilitatem plane sublatam „ esse; itaut Orthodoxæ quidem Religionis Culto- „ res merito querantur; hæresum vero Sectatores „ illudant & exultent. Perniciosæ huic corruptelæ „ plurimorum insuper licentiam adjunctam esse gra- „ viter dolemus; quæ usque adeo invaluit, ut nul- „ la Apostolici Instituti sacratissimique præcepti ha- „ bita ratione, Jejuniorum tempore palam & im- „ pune ab iisdem agitentur Convivia, & Epulæ in- „ terdictæ promiscue inferantur. Ea propter quem- „ admodum quibus curis, solicitudinibus, & an- „ goribus urgeamur, cum Fraternitatibus Vestris „ communicamus; ita facere non possumus, quin „ pro injuncto Nobis supremo sacrosancti Apostola- „ tus officio & ardentissimum Fraternitatum Ve- „ strarum zelum ad opportunum hisce malis adhi- „ bendum remedium excitemus, & ad congruentes „ hujusmodi abusibus penitus extirpandis leges præ- „ scribendas meditemur. Interea, Venerabiles Fra- „ tres, gaudium & corona nostra, nobiscum consi- „ derantes, nihil Deo acceptius, nihil pastorali „ ministerio nostro dignius, nihil gregibus curæ no- „ stræ commissis utilius, quam ut verbo & exem- „ plo præeuntes, Christifideles ad tam salutarem „ Christianæ pœnitentiæ & pietatis exercitationem „ alacrius suscipiendam, constantissime retinen- „ dam, & ea, qua instituta fuit, disciplina pera- „ gendam vehementius inflammemus; omni opera „ atque industria studeamus, ut fideles populi in „ conspectu Dei per austeriorem jejuniorum obser- „ vantiam tales permaneant, quales in ipso Pascha- „ li festo dignum est inveniri. Debitum igitur pa- „ ternæ uniuscujusque vestrum sedulitatis & chari- „ tatis officium jure postulat, ut omnibus notum „ faciatis & annuntietis, nemini quidem sine „ legitima causa, de utriusque Medici consilio; „ multitudini vero, veluti populo, aut civitati, „ aut genti indiscriminatim integræ, nonnisi gra- „ vissima & urgente necessitate, & in casibus per „ sacra Canonum statuta præscriptis cum debita A- „ postolicæ hujus Sanctæ Sedis reverentia a Qua- „ dragesimali Jejunio dispensationem toties, quo- „ ties opus fuerit, concedendam, nec audacter fi- „ denterque usurpandam, nec superbe & arroganter „ ab Ecclesia, sicut alicubi in more positum esse „ accepimus, esse postulandam. Gravissimam vero „ urgentemque necessitatem, etsi non est, cur Vo- „ bis explicemus; nolumus tamen Vos ignorare, „ cum hujusmodi necessitate & servandam esse po- „ tissimum unicam Comestionem, sicut alias hic „ Romæ, ac Nos ipsi hoc anno urgentibus causis „ dispensantes, expresse præscripsimus, & licitas „ atque interdictas Epulas promiscue minime appo- „ nendas esse. Porro quemadmodum de ejusmodi „ Indulgentia tam caute impertienda, si secus fie- „ ret, Nos persuasum habemus, districtam supre- „ mo Divino Judici redditum iri rationem, ita „ conscientiam uniuscujusque Vestrum onerandam „ esse ducimus. Insimul Fraternitates Vestras ro- „ gamus, & in Domino exhortantes, obsecra- „ mus, ut populos, qui communem omnium „ Christifidelium pœnitentiam ac disciplinam serva- „ re nequeant, commonere satagatis, ne per alia „ pietatis opera, ut sua cuique devotio suggeret, „ peccata sua expiare, & Deo satisfacere negligant; „ quinimo sanandis vulneribus, quibus humana in- „ firmitas sauciatur, diligentem adhibere studeant „ curationem, ut culpas de mundano pulvere con- „ tractas, dum casta jejunia decoquere non possunt, „ pia opera, orationum suffragia, & eleemosynæ „ munera redimant. Iterum solatium & levamen

,, non leve mærori nostro a pastorali vigilantia &
,, charitate vestra præstolantes, ac certo Nobis pol-
,, licentes; Apostolicam benedictionem cum uberi
,, cœlestium charismatum copia conjunctam in eos-
,, dem populos vestros redundaturam, Vobis, Vene-
,, rabiles Fratres peramanter impertimur. Volu-
,, mus autem, ut præsentium transumptis sive e-
,, xemplis etiam impressis manu alicujus Notarii
,, publici subscriptis, & Sigillo personæ in dignita-
,, te Ecclesiastica constitutæ munitis eadem pror-
,, sus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus ad-
,, hiberetur, & adhiberi posset, si forent exhibitæ,
,, vel ostensæ.

,, Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub
,, Annulo Piscatoris die 30. mensis Maji 1741. Pon-
,, tificatus Nostri Anno primo.

SS. DOMINI NOSTRI BENEDICTI PAPÆ XIV.

Epistola Encyclica ad Patriarchas, Primates, Metropolitanos, Archiepiscopos, & Episcopos universos, gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentes.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

,, LIbentissime quidem amplectimur, quæ Nobis
,, offeruntur occasiones ad Vestros animos exci-
,, tandos, ut Ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ sedu-
,, lam curam conferatis: Etenim Summi Pontifica-
,, tus dignitati, ad quam Nos, licet immerentes,
,, evecti fuimus, conjunctam esse intelligimus soli-
,, citudinem aliarum Ecclesiarum, Nobisque com-
,, mendatam, qui plane tenuitatem virium nostra-
,, rum non ignoramus.

,, Cum itaque præsentium litterarum argumen-
,, tum totum sit de Jejunio, quod tempore Quadra-
,, gesimæ, veteri Ecclesiæ instituto, ac lege Fide-
,, libus indicitur; supervacaneum ducimus longam
,, orationem conficere de Quadragesimæ Institu-
,, tione, & Patrum, & Conciliorum omnes super
,, hac re in medium proferre authoritates; Diffi-
,, cile id quidem Nobis parum videretur, sed po-
,, tius alienum, & nullo modo consentaneum Vo-
,, bis, quos doctrinæ laude, Canonum, & Sacræ
,, Historiæ cognitione præstantes arbitramur. Por-
,, ro ad scribendas has litteras adducti fuimus gra-
,, vissimis illis verbis Tridentinæ Synodi, quæ *sess.*
,, 25. *de Reformat.* præcipit Episcopis omne stu-
,, dium impendere ut Fideles ipsorum curæ traditi
,, magna religione perficiant ea, quæ a Sacris Ca-
,, nonibus præscribuntur: *Ut illis omnibus, & iis*
,, *præcipue sint obsequentes, quæ ad mortificandam*
,, *carnem conducunt, ut ciborum delectus, & je-*
,, *junia.*

,, Ubi primum Bononiensem Ecclesiam admini-
,, strandam suscepimus (ad quam beneficio Clemen-
,, tis XII. fel. record. ab Sede Anconitana transla-
,, ti fuimus) mandatum evulgavimus (quod Libro
,, primo Institutionum Nostrarum pro Viris Eccle-
,, siasticis decimoquinto loco continetur:) In illos
,, plures difficultates indicavimus, ob quas minime
,, solvendos Jejunii legibus putabamus illos, qui ob
,, legitimam causam, & legitima prius authoritate
,, interposita, Quadragesimæ abstinentiam non ob-
,, servarent, minime, inquam, solvendos a Jeju-
,, nio, itaut liceret ipsis quodlibet die mensam bis
,, instituere, non unica vice, vespertina superaddi-
,, ta Refectione, quæ permitti jejunantibus consue-
,, vit. Tandem in hac Pontificia Sede collocati,
,, rem totam in examen iterum revocavimus, &
,, præstantissimis quoque Viris demandavimus ip-
,, sam diligenter, accurateque perpendere, ac suas
,, deinde opiniones Nobis exponere. His peractis
,, hujusmodi Controversiæ finem tribuere constitui-
,, mus, illudque decrevimus, ne ulla in posterum,
,, sive peculiaris, sive generalis pro aliqua Civita-
,, te, vel Oppido concedatur facultas adhibendi car-
,, nes ad mensam tempore Jejunii, vel Quadragesi-
,, mæ, nisi conditio servandi Jejunii, sive unius
,, comestionis interponatur; & illud quoque moni-
,, tum addatur, nequaquam licere mensam eandem
,, carne, ac piscibus instruere. Equidem declinatis
,, hac ratione nimium implicatis quæstionibus, exi-
,, stimavimus unicam singulis diebus comestionem
,, inducere illis etiam, qui carnibus uti, cum Je-
,, junium indicitur, rite obtinuerunt; & pravam
,, illam consuetudinem, quæ apud multos jam ni-
,, mis invaluerat, penitus evellere, afferendi nem-
,, pe carnes in mensam cum piscibus, postquam ipsi
,, Quadragesimalis abstinentiæ præcepto soluti fue-
,, runt, ob eam potissimum causam, quod grave
,, detrimentum saluti ab esu piscium accipiant.

,, Hæc apertissime constant ex nostris Apostolicis
,, Litteris, quas in forma Brevis dedimus ad omnes
,, Episcopos Orbis Catholici anno 1741. quarum pri-
,, mæ incipiunt: *Non ambigimus*: alteræ vero: *In*
,, *suprema.* Nos profecto nulli unquam elargiti su-
,, mus vesci carnibus, cum tempus Quadragesimæ,
,, sive aliud Jejunium præcipitur, nisi indicta, scri-
,, ptaque conditione, quam superius commemora-
,, vimus. Maximam pariter lætitiam percepimus
,, cum redditæ Nobis fuerunt plures Epistolæ, ac
,, mandata vestra Litteris nostris Apostolicis omni-
,, no consentanea, quibus pro virili parte conten-
,, distis adducere Populos Vobis subiectos, ut pro-
,, positam in illis disciplinam pie servarent.

,, Interim promulgatis iisdem Apostolicis Litteris,
,, quas paullo ante nominavimus, plures cavilla-
,, tiones excogitatæ sunt a nonnullis, uti Nos an-
,, tea facili conjectura suspicati fuimus. Plures et-
,, iam quæstiones propositæ Nobis fuerunt, exigui
,, quidem ponderis, ac momenti, quemadmodum
,, Nos opinamur; cum illæ vel ipsius Legis ver-
,, bis, vel sensu penitus corruant, ac dissolvan-
,, tur. Attamen Sacro Tribunali Nostræ Pænitεn-
,, tiariæ rerum hujusmodi conscio, ac peritissimo,
,, easdem quæstiones expendendas commisimus, qui-
,, bus omnibus plene, cumulateque, quoties opus
,, fuit, satisfecit.

,, Archiepiscopus Compostellæ, in Hispaniarum
,, Regnis primus Inquisitor, nuperrime vita fun-
,, ctus, longam ad Nos dedit Epistolam, qua plu-
,, res recensebat difficultates, quæ Litteris Nostris
,, Apostolicis adversabantur, quominus executioni
,, mandarentur, eo quod nonnulli Theologi in di-
,, versas opiniones, ac sententias abirent in sol-
,, vendis quibusdam quæstionibus, quibus Litteræ
,, Nostræ Apostolicæ caussam, & occasionem præbe-
,, bant; ac proinde de illis judicium Nostrum ex-

quire-

„ quirebat. Equidem Archiepiscopi Litteræ Nos „ gravissimis, ac difficillimis temporibus occupatos deprehenderunt. Attamen, dum quæstiones in „ ipsis expositas percurrimus, visum Nobis est non „ quidem expeti, ut iis quæstionibus responsum fieret, ipsisque solutis nullum impedimentum, sive „ obstaculum Nostris Litteris Apostolicis superesset, „ sed potius ut objectis cavillationibus ad optatum „ finem ipsæ minime adducerentur. Accedit etiam „ quod Epistola Archiepiscopi multis argumentationibus, & obscuris vocibus redundabat: quamobrem licet plures hortarentur, ne ullum Archiepiscopo responsum redderemus; illi tamen satisfecimus, res præcipuas ex ejus litteris delibantes, „ & quæstiones omnes ad certum numerum redigentes. Primum Nostris occupationibus tribuendum testati sumus, quod tarde ipsi responsum „ daremus, ejus studium commendavimus, & etiam „ magnopere probavimus, quod anceps, ac dubius „ ad hanc Sanctam Sedem confugerit, ut consilium „ exposceret. Deinde prolatis quæstionibus satisfacere non prætermisimus, illum tamen monentes „ de Instituto Summorum Pontificum, qui leges „ condere solent, disciplinam decernere, neque ullam habere rationem illorum, qui dubitandi caussas objiciunt, ut quæ constituta sunt, perturbent, ac evertant.

„ Vix redditis Litteris, Archiepiscopus paullo post „ vitæ cursum absolvit: Itaque non immerito suspicamur, responsa Nostra, quæ Litteris continebantur, haud cognita fuisse, & perspecta illis, qui „ quæstiones excitaverant. Post hæc alii pariter ex „ Hispanis Episcopis nonnullas ex iisdem quæstionibus Nobis proposuerunt; quare iisdem responsis „ usi sumus, quæ tradita prius Archiepiscopo Compostellæ a Nobis fuerant. Non defuerunt etiam „ præstantes inter Italos Theologi, qui Litteras „ Nostras Apostolicas datas anno 1741. egregiis commentariis illustrarunt: Idem contigit Responso, „ quod fecimus Archiepiscopo Compostellæ *die* 8. „ *Julii anno* 1744. quod sane integrum suis Libris „ præfigendum curaverunt. At quoniam Libri ejusmodi ad Vos fortasse nondum pervenerunt, vel „ curis aliis distenti illos percurrere minime potuistis, his Litteris Encyclicis adjungimus illas pariter, quas (uti dictum sępius est) ad Archiepiscopum Compostellę jam pridem scripsimus, ut quę „ disciplina Vestris in Diœcesibus tenenda sit, plane cognoscatis, ac ne Vos deterreant difficultates, si quę a captiosis hominibus concitentur.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Compostellæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

„ SI *Fraternitas Tua secum reputabit, quot gravissimis, & maximis curis propemodum obruamur, quantumque, hoc præsertim difficillimo tempore, prorsus Nos teneat imposita tenuitati Nostræ solicitudo omnium Ecclesiarum, non sane mirabitur, tamdiu sibi procrastinatum fuisse responsum ad eas Litteras, quibus Apostolica authoritate dissolvendas rogasti obortas in Hispania disputationes aliquas e duabus nostris Epistolis ad omnes Episcopos superioris anni* 1741. 30. *Maji*, & 22. *Augusti, quibus intra legitimos fines coercuimus invalescentem Ecclesiastici Jejunii relaxationem. Potius tibi in mentem veniet cogitare de singulari Nostro in religiosissimam Hispanam Ecclesiam amore, unde Nos immensa licet rerum mole fatigatos, ad expediendum sibi in omni sua perplexitate salutis iter opem nostram præsto habet. Quamquam igitur, dum prænunciatas Constitutiones edidimus, non aliud propositum Nobis fuerit, ac refrænare paucorum nimis ingenio fidentium Theologorum licentiam, qui opinionum novitate gaudent: nec otium, nec animus Nobis fuerit definire quidquid subtili indagatione deduci possit ex proposita a Nobis jejunandi regula; tamen eximia Paterna charitate complectimur adeo observantissimos Romanæ Sedis Hispanos, tantique facimus obsecrationes tuas, ut occurrere anxietati vestræ libenter adjecerimus animum, & Nos ipsi quæstiones abs te propositas dirimendas constituerimus. Sic autem se habent.*

„ I. *Utrum, quæ in antedictis Nostris Litteris in forma Brevis de unica comestione, & de epulis non permiscendis præscribuntur, sub gravi etiam præcepto prohibeantur?*

„ Respondemus: *Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis hisce adjectis conditionibus, videlicet unicæ in diem comestionis, & non permiscendarum epularum. Eos vero, qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.*

„ II. *An ii, quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci, quæ jejunantibus permittitur?*

„ Respondemus: *Non licere, sed opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticulosæ conscientiæ.*

„ III. *An qui jejunii tempore vesci carnibus permittuntur, & unica comessatione uti debent, horam jejunantibus præscriptam servare opus habeant?*

„ Edicimus, *observandam iis esse.*

„ IV. *Quænam sint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdictis conjungi?*

„ Respondemus: *Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas: epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & laticinia.*

„ V. *An præceptum de utroque epularum genere non miscendo, dies quoque Dominicos Quadragesimales complectatur?* Affirmatur *complecti*

„ VI. *Utrum hæc lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cruciatæ edere possunt ova, & lacticinia?*

„ Rescribimus: *Nihil in prænunciatis nostris Apostolicis Litteris statutum esse, quod respiciat gratiosum Cruciatæ Diploma. Quare qui eo gaudent, illius tenorem stricte, & considerate perpendant, ex ejusque Sententia se gerant. Caveant autem, ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur præscriptis ibi Legibus.*

„ VII. *Utrum memorata duo præcepta urgeant extra Quadragesimam?*

„ Respondetur: *Urgere extra Quadragesimam utrumque præceptum: illud scilicet unicæ comestionis cum reliquis Legibus in secundo, & tertio ad hæc postulata responso expressis: & alterum non*

„ *permiſcendi epulas licitas cum interdictis , ut in* „ *quarto poſtulato definitum eſt.*

„ *Habeas, Venerabilis Frater, penitus explicatum* „ *quidquid apud Vos ex noſtris ſæpius nuncupatis A-* „ *poſtolicis Litteris dubitationem attuliſſe ſcribis. Qua* „ *quidem in re laudavimus conſilium tuum interro-* „ *gandæ ſupremæ Romanæ Sedis, ut libero, & non* „ *vacillanti greſſu ad oves ſana doctrina imbuendas* „ *incedere Paſtores queant : in iſtoque tuo ſuſcepto* „ *conſilio agnovimus Hiſpanam religionem, nihil ſi-* „ *bi tutum, niſi e Divi Petri Cathedra acceptum ,* „ *reputantem; qua ſplendidiſſima gloria tantum no-* „ *men , & incorruptæ Fidei fructum Hiſpania ſibi* „ *peperit. Cavendum autem Vobis eſt (idque pluri-* „ *mum ad te pertinet, qui illuſtris Archiepiſcopi, &* „ *Inquiſitoris geris præcipuum munus) ne in expen-* „ *dendis Apoſtolicæ Sedis Conſtitutionibus pro nimia* „ *exhauriendi argumenti ſolicitudine nullus fiat diſ-* „ *ſerendi, ambigendique modus. Sedula deinde opera* „ *conferenda, ut iſtiuſmodi dubia, quæ facile, pro* „ *ingeniorum varietate, diſputando emergunt, peni-* „ *tus inter vos dirimantur , ne diuturna unquam* „ *diſceptatione fluctuent animi, præſertim cum Con-* „ *ſtitutiones ipſæ Apoſtolicæ ſcopum , quo tendunt ,* „ *aperte demonſtrent, & illuc prompte dirigi poteſt* „ *quidquid dubitando interturbare videatur. Id ſi a-* „ *nimadvertiſſent qui de præſenti negotio plura du-* „ *bitarunt, nodum ſibi exſolviſſent. Patebat enim,* „ *nihil aliud nobis in animo fuiſſe , quam cobibere* „ *vivida nonnullorum Theologorum ingenia, qui ni-* „ *mium ſacri jejunii fines prætergreſſi, & non parum* „ *obliti, illud ad retinendum in officio corpus divi-* „ *nitus inſtitutum , hoſti huic Spiritus infenſiſſimo* „ *blandiebantur. Statim ſiquidem comperiſſent quid* „ *in propoſitis quæſtionibus conſtituendum eſſet , nec* „ *ſibi moleſtiam exibuiſſent, nec Nobis, quos graviſ-* „ *ſimæ undique circumſtant curæ, non parum tempo-* „ *ris occupaſſent , quod tamen pro ſingulari noſtro in* „ *veſtram gentem ſtudio, atque amore libenter impen-* „ *dimus ad rectum vobis iter moſtrandum: in poſte-* „ *rum ſimul præcaventes, quomodo in hujuſmodi quæ-* „ *ſtionibus firmare greſſus veſtros in promptu ſit. Reli-* „ *quum reſt, Venerabilis Frater, ut tibi, quod facimus* „ *ex animo , præcipuæ benevolentiæ noſtræ pignus* „ *Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertiamur.*
Datum &c. 8. *Julii* 1744.

„ Cum hæc ita ſe habeant , ſatis muneri noſtro „ feciſſe videmur, ne illi (quibus licet carnes ede- „ re) , cum Jejunium tempore Quadrageſimæ, vel „ extra Quadrageſimam Fidelibus perſcribitur, unius „ comeſtionis limites excedant, ac ne piſcibus ſi- „ mul, & carnibus parari ſibi menſam patiantur , „ neve cavillationes perſcrutentur , ut legi tene- „ bras offundant . Pauca tamen adhuc ſuperſunt , „ quæ remedium a Nobis depoſcunt.

„ Siquidem advertimus jam multis ab hinc annis „ non ſolum plures in qualibet Italiæ Urbe veſtra „ authoritate diſſolvi a Quadrageſimali abſtinentia, „ ſed etiam magno ſtudio contenditis , ut univer- „ ſam Civitatem , totamque Diœceſim eadem abſti- „ nentia liberemus . Hinc factum eſt , ut in qui- „ buſdam Civitatibus, ac Diœceſibus jam per mul- „ tos annos Fideles univerſi abſque ullo diſcrimine „ carnibus per Quadrageſimam utantur. Id quidem „ maximam nobis affert ſolicitudinem, eo quod de- „ prehendimus certis Teſtimoniis in quibuſdam Re- „ gionibus Septemtrionis toto Quadrageſimæ curſu „ lactis, & ovorum uſum libere permitti, quia per „ plures annos eandem facultatem petierint, & ab „ Sede Apoſtolica conſecuti fuerint: quamobrem il- „ li Populi ſibi in animum induxerunt, non eſſe „ rurſus ad Pontificem confugiendum pro hujuſmo- „ di facultate impetranda , ſed priores conceſſiones „ ſingulis annis acceptas ſufficere, ut lactis, & ovo- „ rum conſuetudo per Quadrageſimam comprobe- „ tur . Præterea maximi facienda eſſe ducimus ea „ verba Trident. Conc. *Seſs.* 25. *cap.* 18. *de Reform.* „ *Sicuti publice expedit, Legis vinculum quandoque* „ *relaxare, ut plenius , evenientibus caſibus , & ne-* „ *ceſſitatibus pro communi utilitate ſatisfiat; ſic fre-* „ *quentius Legem ſolvere, exemploque potius, quam* „ *certo perſonarum, rerumque delectu, petentibus in-* „ *dulgere, nil aliud eſt, quam unicuique ad Leges* „ *tranſgrediendas aditum aperire.*

„ In Litteris Noſtris Apoſtolicis, quas *anno* 1741. „ ad omnes Catholicos Epiſcopos dedimus, huic cor- „ ruptelæ viam præcludere cogitavimus ea ratio- „ ne, illiſque verbis, quæ rurſum hic ſubjicimus : „ *Debitum igitur Paternæ uniuſcujuſque veſtrum ſe-* „ *dulitatis, & charitatis officium poſtulat, ut omni-* „ *bus notum faciatis, & annuntietis nemini quidem* „ *ſine legitima cauſſa, & de utriuſque Medici con-* „ *ſilio, multitudini vero, veluti Populo, aut Civi-* „ *tati, aut Genti indiſcriminatim integræ , nonniſi* „ *graviſſima, & urgente neceſſitate , & in caſibus per* „ *Sacra Canonum Statuta præſcriptis, cum debita A-* „ *poſtolicæ hujus Sanctæ Sedis reverentia a Quadra-* „ *geſimali Jejunio diſpenſationem, toties quoties opus* „ *fuerit, concedendam, nec audacter, fidenterque u-* „ *ſurpandam , nec ſuperbe, & arroganter ab Eccle-* „ *ſia, ſicut alibi in more poſitum eſſe accipimus, eſ-* „ *ſe poſtulandam.*

„ Porro Nos hanc normam ſecuti ſumus , cum „ multitudinem , veluti Populum , aut Civitatem „ integram Quadrageſimali abſtinentia immunem „ declaravimus. In primis loci Epiſcopus id poſtu- „ lare a Nobis debuit, ac de graviſſima , urgenti- „ que neceſſitate ſuum teſtimonium interponere . „ Deinde carnes minime permiſſæ fuerunt, ſi la- „ ctis, & ovorum uſus ſatis eſſe videretur . Tum „ vero facultas edendi carnes tribui ſolum conſue- „ vit, cum interpoſito Epiſcopi teſtimonio id o- „ mnino neceſſarium judicaretur; nec ſufficiens ne- „ ceſſitati remedium afferri conſtaret , ſi ova ſo- „ lum, & lacticinia concederentur. Quoties autem „ abſtinentia Quadrageſimæ noſtra authoritate ſolu- „ ta fuit, certos tamen dies præſcripſimus, quibus „ integra abſtinentia ſervaretur , nempe diem Ci- „ nerum, dies quatuor temporum , vigilias præce- „ pto obeundas, dies Majoris Hebdomadæ a Domi- „ nica Palmarum . Quandoque recenſuimus etiam „ totam hebdomadam Cinerum; aliquando etiam „ indiximus abſtinentiam Feriis ſextis, ac Sabatis, „ etiamſi facultas a Nobis tradita lactis, & ovorum „ uſum ſolum complecteretur . Poſtremo eam con- „ ditionem ſemper addidimus, ne jejunii lex, u- „ nius per diem comeſtionis ullo modo violaretur , „ ac ne ſimul in menſa carnes , & piſces appone- „ rentur.

„ Dum rationem hujus conſilii Noſtri ſerio per- „ pendimus, haud plene acquieſcimus, ob eam ſo- „ licitudinem, ac dubitationem, ne cauſſa ab Epi- „ ſcopo loci prolata, quam Nos legitimam credidi- „ mus ad ſolvendam Quadrageſimæ abſtinentiam , „ ejus naturæ fortaſſe non ſit, quæ veram, & ur- „ gentem neceſſitatem contineat . Quippe illud

„ Nobis semper ante oculos propositum habuimus, ut nihil a ratione alienum, nihil inconsulto, ac temere faciamus; hærent pariter animo defixa Sancti Bernardi verba ad Pontificem Eugenium *libro 3. de Consideratione c. 4. Facitis hoc, quia potestis: Sed, utrum debeatis, quæstio est, & quomodo*. Attamen fidem præstitimus iis, quibus præstanda fuerat, Episcopis nempe locorum. Non enim alio pacto exerceri potest solicitudo peculiarium Ecclesiarum, ac Diœcesum, nisi fides habeatur Episcopis, a quibus illæ administrantur. Sed in posterum, ut gravissimum hoc negotium tutius, quam fieri possit, geratur, molestum vobis non sit, animum iis advertere, quæ subjicimus.

„ Non ignoratis ab Innocentio III. Prædecessore nostro *Cap. Consilium, de observatione Jejuniorum*, inter caussas legitimas solvendi abstinentiam a Carnibus jejunii tempore, recenseri veram, & existentem reipsa ægritudinem: *Præterea de illis, qui in Quadragesima, vel in aliis jejuniis solemnibus infirmantur, & petunt sibi esum Carnium indulgeri, respondemus: quod, cum non subjaceat legi necessitas, desiderium infirmorum, cum urgens necessitas exigit, supportare potes & debes, ut majus periculum in eis evitetur.* Idem statuerant multo ante Innocentium III. Patres octavi Concilii Toletani *Can. 9.* quod anno 653. celebratum fuit: *Quisquis absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidentis languore, seu etiam ætatis impossibilitate, diebus Quadragesimæ esum Carnium præsumpserit attentare, non solum erit reus Resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem diei Sancta* Communione.... *Illi vero, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant, quam a Sacerdote permissum accipiant.*

„ Nemo est, qui non intelligat hujusmodi causas satis esse, ut aliqui a Jejunii legibus, & abstinentia immunes existimentur; non autem, ut Populus, vel integra Civitas idem privilegium obtineat. Quis enim sibi persuadere possit, cives universos alicujus Urbis, vel Diœcesis eodem tempore gravissimo morbo teneri, vel in eodem discrimine versari omnes, ut periculosam ægritudinem contrahant? Nisi forte eos morbos intelligamus, qui ab aeris intemperie, vel infectione promanant, de quibus paullo post verba faciemus. Quis credat unquam Populum universum alicujus Diœcesis vel communi languore penitus extenuatum, vel extrema senectute confectum?

„ Neque vero caussa sufficiens habenda est, ut aliqua Civitas, vel Populus abstinentia Quadragesimali liberetur, ipsique Carnes permittantur, si forte pisces, vel ova caro pretio vendantur. Sicut enim Urbes habent egenos Cives, ita etiam opulentos; e quibus etiam alii vitæ sustentationem labore, ac sudore sibi comparant, alii vero patrimonio, ac divitiis satis superque abundant. Itaque, si pro emendis piscibus grave pretium solvendum sit, id quidem egenis Civibus non vero divitibus suffragatur. Id afferunt etiam nonnulli Theologi haud severioris disciplinæ, quorum sententiam recensuimus Capite nono libri tertii Nostrarum Institutionum, quas Bononiæ Typis impressimus.

„ Illud etiam inane commentum prorsum existimari debet, solvendas esse abstinentia Quadragesimæ Civitates, vel Diœceses, ubi exercitus versantur, eo quod Milites in iis locis permanentes abstinentiæ leges minime observant. Id potius animos Civium inflammare deberet ad jejunium rite, religioseque suscipiendum, ut nempe Milites tanta virtute temperantiæ permoti ipsorum exemplum sequantur. Illud solum, pro legitima caussa in medium proferri potest, Copias Militum tantam afferre Civitati penuriam herbarum, atque olei, licet Quadragesimæ Jejunio non obtemperent, ut harum rerum pretia summopere augeantur. Tunc autem eadem statuenda sunt, quæ paullo ante diximus, cum pisces, & ova cariori pretio comparantur. Igitur peculiares morbi, quamvis frequentes, in posterum pro caussa solvendæ abstinentiæ non adducantur, nisi forte Civibus universis iidem morbi communes habeantur ob aliquam aeris corruptionem: neque in posterum herbarum, olei, piscium, & ovorum pretia tanti ponderis esse censeantur, ut omnis Civitas, vel Diœcesis ab instituto Quadragesimæ Jejunio, ac temperantia liberari contendat. Quod si veras, ac legitimas a Nobis caussas ad hanc facultatem obtinendam expetitis, duas potissimum percensebimus, quarum prima ex jure Canonico, altera vero ab ipsa rerum magistra experientia deprompta est.

„ Innocentius III. quem superius nominavimus, *eodem Cap. Consilium, de observatione Jejuniorum*, Archiepiscopo Bracarensi postulanti, qua pœna plectendos judicaret illos, qui tempore Quadragesimæ a Carnibus non abstinuerant ob summam rerum caritatem, & angustiam, itaut plures fame enecarentur, respondit his verbis: *Cum autem quæsieris, quæ sit illis pœnitentia injungenda, qui diebus Quadragesimalibus tempore quo tantæ famis inedia ingruebat, quod magna pars populi propter inopiam annonæ periret, carnes comedere sunt coacti; respondemus: quod in tali articulo illos non credimus puniendos. Preces tamen Domino pro illis, & cum illis effundas, ne ipsis aliquatenus imputetur, quia bonarum mentium est, ibi timere culpam, ubi culpa minime reperitur.* Si quis hoc tempore Episcopus adductus exemplo Bracarensis Antistitis idem consilium peteret ab Sede Apostolica, tanquam ineptus, ac simplex haberetur; sed illo Ecclesiæ felicissimo sæculo maximi pendebatur, uti æquum est, Quadragesimæ præceptum. Hinc magna severitate inquirebantur illi, qui minime paruissent, licet talis caussa intercederet, ut liberi ab eodem præcepto viderentur; nec ulla ratio habebatur Virorum Principum, licet ipsorum incolumitas cum Reipublicæ felicitate conjuncta putaretur, uti Nos fuse ostendimus in decima quinta Nostrarum Institutionum libri primi. Sed iis omissis, & aliis bene multis, quæ in hanc rem congeri a Nobis possent, illud primum delibabimus ex responso Innocentii III., tunc Quadragesimæ abstinentia solvi posse integram Civitatem, vel Diœcesim, cum reipsa non suppetunt ea, sine quibus præceptum Quadragesimæ observari nequit. Itaque si revera in aliquo loco neque oleum, neque pisces comparari possint, tunc Incolis ejusdem loci permitti fas est, ut lacte, & ovis utantur: Si hæc autem revera deficiant, tunc Carnis, salubris tamen, edendæ facultas conceditur, interposita semper Jejunii servandi conditione.

„ Insula Sancti Dominici in America Meridionali in Temporalibus paret Charissimo in Christo

„ sto Filio Nostro Ludovico Galliarum Regi Christianissimo, nec ei ullus præest Episcopus. Præfectus Patrum Societatis Jesu anno 1742. a Nobis quæsivit, an ex concessione sibi facta a Sede Apostolica dispensandi super esu carnium, ovorum, & lacticiniorum tempore Jejuniorum, & Quadragesimæ, dici posset, sibi etiam datam fuisse facultatem dispensandi nedum particulares personas, sed etiam multitudinem hominum, & omnes sui districtus Incolas, quando coram Deo id expedire judicasset: habitoque responso, facultatem ei fuisse concessam dispensationem indulgendi particularibus hominibus, non autem multitudini hominum, & omnibus Incolis sui districtus, pro concessione exoravit. Pro caussa exposuit venenificam piscium qualitatem, exiguum piscatorum numerum, qui longe ab Insula piscantes, pisces deferebant aut fœtentes, aut corruptos ob nimios calores, paupertatum earum gentium, quæ oleum emere non poterant pro cibis Quadragesimalibus necessarium, deficientiam denique olerum, & leguminum, quæ in ea Regione facile corrumpuntur, aut a vermibus consumuntur. Re subinde mature discussa coram Nobis in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis *die* 12. *Aprilis anno* 1742. habita ratione regionis nimis remotæ, a qua quolibet anno impossibilis erat ad Sedem Apostolicam recursus; indulgentes necessitati Fidelium degentium in Insulis Ditionis Gallicæ in America, facultatem concessimus Præfectis Missionum illarum partium, ut in casu veræ, & ineluctabilis necessitatis, & tantum de anno in annum; præfataque vera necessitate durante, & non aliter, nec alio modo, ut possent & valerent cum Fidelibus Populis ipsorum regimini commissis dispensare super esu ovorum, & lacticiniorum, & etiam carnium tempore Quadragesimali, indicta simul cum hujusmodi dispensatione, observantia Jejunii per unicam comestionem, onerataque prædictorum Præfectorum conscientia, si adamussim juxta præscriptum concessa facultate usi non fuissent.

„ Sed jam ad experientiam deveniamus. Quindecim ab hinc annis per totam fere Europam morbus invaluit, qui pectoris inflammationem inferebat, ita tamen, ut ex una Civitate in aliam, & ex una Provincia in aliam hæc funesta lues promanaret. Id contigit annis 1730. 1733. 1740. Licet autem morbus ejusmodi, qui universos hominum ordines, atque ætates corripiebat, lentam solum in pectore inflammationem excitaret, tamen senibus matura jam ætate debilitatis extremam afferebat perniciem: nam ex ipso febres acutissimæ, ac mortales sequebantur. Idem morbus in periculum trahebat juniores etiam, qui paululum infirmo pectore laborarent. Postremo multorum pectora adeo labefactavit, ut gravissima deinde mala provenerint.

„ Alias quoque morbos hujus generis, pectoris inflammationem magno cum periculo afferentes, ægros in discrimen vitæ adduxisse Medici Scriptores luculenter testantur. Itaque, si Medicinæ Professores acciti, monitique graviter, ut nihil a veritate alienum respondeant, unanimi consensu fateantur (uti nobis ipsis accidit, cum adhuc Bononiæ versaremur) morbum esse talis naturæ, qualem superius commemoravimus, itaut nulla ætas libera, & incolumis esse queat; & affirment illis ipsis, qui inter Cives salvi, & integri numerantur, eandem perniciem imminere; id præterea conferre plurimum ad ejusmodi luem depellendam, aut evitandam, si tum ægrotantes, tum sani a piscibus & oleo, & quandoque pariter a lacte, & ovis abstineant, si, inquam, res ita se habeat, tum procul dubio caussa sufficiens judicanda est, quæ experientiæ innititur, & quæ semper probata, & in posterum probanda videtur, ut nempe Populus, seu Civitas integra a carnibus abstinendi præcepto non teneatur.

„ Neque ulla difficultas removere Vos debet a consulendis Medicis, qui præstantiores habeantur. Cavendum pariter, ut quidquid revera senserint, scripto testari non prætermittant; quæ conditio si desit in posterum, nulla unquam facultas Civitati, aut Diœcesi carnibus, aut lacticiniis vescendi tempore Quadragesimæ tribuetur: quippe id necessarium omnino videtur. Accedit etiam, quod Medici facilitate quadam incredibili peculiares quidem Cives a Quadragesimæ præcepto liberos, & immunes decernere soleant; (de qua re gravissime monendi a Vobis sunt, ne suas animas indulgendo nimis aggravent). Cum vero pro universis Civibus idem statuendum proponitur, tum se difficiles, anxios, ac solicitos præstare Nos ipsis experti sumus. Postremo si velint percurrere ea, quæ in Italia, & extra ipsam præclarissimi Authores Medici Typis evulgarunt, facile deprehendent, abstinentiam, ciborumque parsimoniam ab illis magnopere commendari, discrimen inter morbos constitui, & certis rationibus ostendi, in curandis quibusdam morbis nequaquam requiri, ut jusculum, & carnes loco piscium, olei, & herbarum substituantur; in aliis vero juvare plurimum, si sublatis carnibus, cum indicitur Jejunium, oleo, vel lacte ægrotantes utantur: Demum advertent, quam diligenter, accurateque scribant de pectoris intommodis, cum in omnibus generatim excitantur, ne corripiantur eodem morbo, qui adhuc incolumes a communi lue superſunt.

„ Hæc Vobis indicanda putavimus. Reliquum est, ut Vos hortemur, ne tam facile suscipiatis negotium petendæ facultatis utendi carnibus & lacticiniis tempore Quadragesimæ pro universa Civitate, vel Diœcesi. Quippe abrumpenda tandem est consuetudo, ob quam jam per tot annos in quibusdam locis hę facultates tribui consueverunt. Illud etiam experientia a Vobis compertum erit, delicatis quoque, ac mollibus abstinentiam Quadragesimę nullam inferre perniciem; neque plures ob hanc caussam inter ęgrotos, vel mortuos recenseri. Hanc rationem, & institutum Nos ipsi secuti sumus Romę, ac Bononię (cujus Sedem adhuc retinemus), cum nuper Quadragesimę tempus ageretur. Si Vos id quoque pręstabitis, neque facile a Nobis pro universa Civitate, vel Diœcesi facultatem solvendi Quadragesimę abstinentiam postulabitis, vel (si necessarium id arbitremini) non aliter, quam servatis pręmissis conditionibus Dispensationis instantia ad Nos deferretur, non solum ii fructus provenient, quos jam indicavimus, sed etiam repulsę pudorem evitabitis, Nosque pariter ea molestia vindicabitis, quam ferimus, dum votis vestris minime obsecundamus. Postremo vos omnes peramanter amplectimur, & Apostolicam Benedictionem Vobis, Populisque Vestris impertimur.

„ Datum ex Arce Castri Gandulphi die 10. Junii 1745. Pontificatus Nostri Anno quinto.

„ Nota

„ Nota tamen Theologicam quæstionem de essentia „ jejunii non fuisse a Pontifice diremptam, quidquid garriant inepti ac maledici aliqui scribillatores. Nam id disertis verbis fatetur ipse Benedictus XIV. *de Syn. Diœc. lib. 7. c. 3. n*, 1. cui si „ majorem fidem habuero quam nugacissimis illis „ Theologastris, quis mihi vitio vertat?

ARTICULUS VI.

De Labore, & Ætate, quæ a jejunio excusant.

I. Excusantur a jejunio, qui exercent artem de se laboriosam, quamvis possent commode jejunare.

II. Quænam dicatur ars de se laboriosa incompossibilis cum jejunio?

III. Num videantur artes de se laboriosæ, Ars Sutoris, qui pannos suit, & Ars Barbitonsoris; unde solum per accidens excusari possunt.

IV. Quænam reputentur exercitia de se non laboriosa? Num Cantoris, Advocati, Concionatoris? Et quid de iter agentibus?

V. Qui arti laboriosæ operam navant, si uno, aut altero die a labore desistant, num teneantur iis diebus jejunare?

VI. Quandonam Conjux a jejunio excusatur, si non possit aliter debitum reddere?

VII. Non licet in fraudem jejunii opus laboriosum assumere, aut longum iter. Quomodo liceat aliquando ire venatum, quamvis non sit compossibile jejunium cum ea venatione?

VIII. Probabiliter senes etiam robusti ad jejunium non obligantur inchoato anno sexagesimo; Et fœminæ juxta nonnullos inchoato quinquagesimo. Quid si dubitetur de talı ætate?

I. Quæritur primo; Quinam labor excuset a jejunio?

Respondeo, laborem omnem cum jejunio incompossibilem excusare. Dicitur autem incompossibilis labor, quoties cum gravi difficultate, & incommodo laborans jejunaret. Immo ex Eugen. IV. excusantur omnes illi, qui artem de se laboriosam exercent, puta lignarii, fossores, bajuli, etiamsi quis reperiatur, qui possit commode cum tali labore jejunare. Ratio est, quia semper a lege inspicitur, quod communiter, & per se contingit.

II. Dubium est primo, Quænam dicatur ars de se laboriosa?

Respondeo omnem illam, quæ fit cum magna membrorum agitatione, & consumptione spiritum. Universim autem laboriosam artem exercent fossores, aratores, bajuli, figuli, ferrarii, lignarii, argentarii, seu aurifices, qui malleo, aut lima metallum versant, fullones, seu qui toto die vestibus, aut telis lavandis dant operam, coriarii, lanarii, seu qui lanis tergendis, lavandis, & discutiendis navant operam; necnon pistores, iter pedibus agentes, cursores, seu deportatores epistolarum, qui equo currunt magnam diei partem, typographi, qui versant prælum, non vero qui literas ordinant, ut bene Dian. part. 4. tract. 2. resol. 137., ornantes templa, quando circumferendo scalas, ac per illas ascendendo magno labore agitantur: Item sutores ex Azor., seu qui calceos suunt, quorum ars est laboriosa; nisi tamen, ut notat Tambur., solum scindant corios ab aliis suendos; vel nisi suant corium tam molle, ut pannum suere videantur.

III. Dubium est secundo de sutoribus, qui scilicet pannos suunt; ac de Barbitonsoribus, & aliis hujusmodi.

Respondeo, putare Trull., & Tambur. ex Ledesm., & Sa non esse improbabile, quod non teneantur, ea ratione: quia Eugenii IV. privilegio excusantur omnes artifices, qui artem laboriosam exercent, sive Eugenius declaret eos non teneri, sive privilegium illis concedat.

Sed communius cum Less. Laym., Filliuc., Bonac. apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 8. putant teneri; quia Eugenius, ut notat Tambur. n. 28., dum eximit a præcepto jejunii artifices, loquitur de artificibus exercentibus artes laboriosas; unde discutiendum semper est a Doctoribus, an istæ sint artes laboriosæ; præsertim quia confixa est ab Alex. VII. propos. 30. dicens: *Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.*

Non nego, magis late patere omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sub quo nomine veniunt etiam scribæ, notarii, &c. quam omnes artifices exercentes artes laboriosas. Unde Alex. VII. non damnat aperte opinionem adductam, quod hujusmodi artifices non teneantur. Verum hæc condemnatio videtur magnum pondus addere sententiæ communiori, quod scilicet Barbitonsor, verbi gratia, de se non excusetur; quamvis per accidens excusari potest, si continue stando suum officium exercere non possit, nisi se reficiat.

IV. Dubium est tertio; Quænam reputentur exercitia non laboriosa?

Respondeo, esse illa, quæ exercent scriptores, notarii, pictores, nentes filum, statuam fingentes sine magno mallei strepitu, & conatu, famuli comitantes moderate per Urbem Dominum rheda ambulantem, sicut etiam equo, vel rheda iter agentes. Damnatur etiam ab Alex. VII. prop. 31. dicens: *Excusantur absolute a præcepto jejunii, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.* Qui tamen iter unius diei, vel per magnam diei partem, videlicet, ut notat Trull., duodecim, vel quindecim milliariorum, pedibus conficit, aut iter plurium dierum, puta octo, vel decem,

cem, conficit equo, vel rheda cum magna defatigatione, per accidens etiam excusabitur. Sic coqui si toto fere die exercitia culinæ exequantur; sic Concionatores, si saltem ter quaterve in hebdomada cum magna contentione concionem habeant ad populum. Immo si unam tantum concionem habeant eo die, per accidens excusari possunt, si debilitas id exigat. Sic demum lectores, confessarii, advocati, procuratores, cantores, scribæ, quando labor est improbus, & complexio debilis, itaut suum munus obire sine gravi incommodo non possint. Immo, ut notat Trull. n. 9. excusantur ratione laboris, qui labore suo victitant, ex quo gravis, vel mediocris afflictio (secus si levis) sequeretur; quia Ecclesiæ præcepta benigne sunt interpretanda; & in moralibus, quod est valde difficile, reputatur impossibile.

V. Dubium est quarto; An qui artem de se laboriosam exercent, teneantur jejunare, si uno, vel altero die in Quadragesima non laborent?

Respondeo cum Dian. resol. 9. ex Fagund., & Sanch. non teneri; quia indigent viribus ad laborem sequentium dierum, & remanent a laboribus præteritis debilitati. Verum, si multis diebus a labore vacent, procul dubio tenentur.

VI. Dubium est quinto; An conjux liberetur a jejunio, si non possit aliter debitum reddere?

Respondeo, certum esse, quod prævaleat obligatio ex justitia reddendi debitum, quæ est naturalis, obligationi positivæ jejunandi. Quare peccaret conjux jejunando, si sic redderetur notabiliter impotens ad debitum reddendum. Notandum tamen, quod non teneatur ex justitia reddere debitum nisi moderate, & juxta qualitatem suæ complexionis; moderatio autem attendenda est spectata conjugum qualitate, nam senes, & imbecilliores rarius uti convenit matrimonio, quam juvenes, & robustos. Quare conjux non liberatur jejunio, ut potens sit ad reddendum debitum immoderate. Immo nec liberatur, ut potens sit ad petendum debitum moderate, ut notat Tambur. contra quendam, qui putat liberari, eo quod ad talem petitionem conjuges habeant jus. Ratio est, quia sic fere omnes conjuges liberarentur. Liberatur tamen conjux, si advertat in alio periculum incontinentiæ, nisi petat, nec possit petere, si jejunet: necnon uxor si ex jejunio continuato ita reddatur pallida, & macie confecta, ut timor rationabilis sit, ne minus notabiliter a viro ametur, & idcirco aut rixæ proveniant, aut alii a viro quærantur amores. Idem dicas de puella volente nubere, si ex jejunio speciositatem faciei notabiliter amitteret, maciemque contraheret extraordinariam; Ac demum si uxor ita prohibeatur a viro jejunare, ut nisi obediat, notabiles discordiæ exoriantur, dummodo id non prohibeatur ex contemptu præcepti Ecclesiastici.

VII. Quæritur secundo: An possit quis sine causa die jejunii aliquod opus laboriosum, sive iter assumere, ne jejunet, quando commode alio die tale opus exercere potest? Et idem quæritur de eo, qui medicinam eo die sumit, ne jejunet.

Respondeo, Sanch., & alios apud Trull. putare, quod si in fraudem jejunii sine ulla causa tale opus assumatur, non liceat. Ratio est, quia fraus, & dolus nemini patrocinantur. Si vero non in fraudem jejunii, sed bona fide assumatur aliquis labor honestus; quamvis prævideatur esse incompatibilis cum jejunio, licet illum assumere. Unde Sanch. lib. 5. Consil. cap. 1. dub. 2. permittit, quod Magnates recreationis causa eant ad venandum, vel in ludo hastarum se exerceant, dummodo semel, aut iterum id faciant, non frequenter, nec in fraudem jejunii, quamvis prævideant non posse tunc jejunare.

Non nego, Dian. part. 1. tract. 9. resol. 52. putare ex Joanne Sanch., & aliis contra Azor., quod possit quilibet die jejunii assumere laborem cum jejunio incompatibilem, etiam animo ne jejunet, quamvis possit commode tali labore abstinere; quia in tali casu non intervenit fraus, aut dolus, sed fuga quædam ab obligatione præcepti, quæ tamen contra præceptum non est; Sicut non est contra præceptum jejunii egredi ex illa civitate, in qua urget obligatio jejunii municipalis, ne quis ad jejunium teneatur. Et Ledesm. apud Dian. loc. cit. resol. 40. aperte dicit ex Medin., non peccare eum, qui apponit jejunio impedimentum; etiamsi quis, verbi gratia, iter faciat ad fornicandum; peccaret enim contra castitatem, sed non contra legem jejunii. Hæc tamen sententia jure merito communiter rejicitur; quia universim præceptis non licet apponere impedimenta; verbi gratia, non licet projicere breviarium, ne teneamur ad horas, nec licet die festo ire venatum, ubi non est opportunitas audiendi Sacrum? (quamvis id permiserimus, si tempore remoto ab obligatione præcepti tale opus assumatur, verbi gratia, die antecedente) ergo nec licet sine causa in fraudem jejunii assumere defatigationem, medicinam, &c., incompatibilem cum jejunio. Nec Doctores a Dian. citati loquuntur in casu, in quo obligante præcepto, velit quis apponere impedimentum, ne obliget, sed in casu, quo quis egreditur e loco, ubi præceptum obligat, qui casus est omnino diversus: Et quamvis possit quis egredi e loco, ubi præceptum obligat, ne obligetur; non potest tamen juxta sententiam Valer. apponere præcepto impedimentum, ne obligetur. Et ratio radicalis est, quia qui obligatur ad finem, obligatur ad ponenda media, & ad removenda impedimenta; unde precepto urgente, non licet

appo-

apponere impedimentum. Contra vero nemo obligatur remanere in loco, ubi præceptum obligat; unde licite egreditur, ne obligetur.

VIII. Quæritur tertio; Quænam ætas a jejunio excuset?

Respondeo, excusari omnes ante vigesimum primum annum completum, & senes post sexagesimum inchoatum, ut probabiliter docent Doctores contra nonnullos apud Dian. part. 1. tr. 9. res. 20. qui docent sexagenarios robustos adhuc obligari. Sed Sanch. de Matr. l. 7. disp. 62. excusat sexagenarios non solum a jejuniis Ecclesiæ, sed etiamsi certis diebus vovissent tota vita jejunare; quia ætas illa est facile obnoxia valetudini infirmæ, a qua ægre potest deinde senex se liberare. Præterquamquod robur senum est illusivum, & indigent repetito alimento. In fœminis autem probabiliter ex Val., Narbon. Machad. Pelliz., Dian. part. 9. tr. 7. res. 73. contra quamplures putantes id non esse tutum, desinit obligatio jejunandi inchoato anno quinquagesimo. Si quis autem post adhibitam debitam diligentiam adhuc dubitet, an annum vigesimum primum compleverit, jejunare non tenetur, quia stat in possessione libertas. Contra vero si dubitet an ad ætatem senilem pervenerit; adhuc tenetur jejunare, quia stat in possessione præceptum.

QUÆSTIO XI.

De Quarto Decalogi Præcepto.

Honorandi Parentes.

EXplanatis præceptis primæ tabulæ, quæ ad Dei dilectionem, & cultum spectant, descendimus ad præcepta secundæ tabulæ, quæ pertinent ad proximi bonum, & amorem. Quia tamen inter proximos parentes sunt proximiores, ideo primum præceptum hujus tabulæ (Exod. 20.) est, *Honora patrem tuum, & matrem tuam, & eris longevus super terram.*

Nomine autem Parentum veniunt etiam omnes, qui carnis cognatione conjuncti sunt, ut Avi, Fratres, Patrui, Conjuges, necnon superiores tam Sæculares, quam Ecclesiastici, & ii, qui pro nobis curam gerunt, ut tutores, magistri, procuratores. Quare primo agendum de obligatione filiorum erga parentes. Secundo, de obligatione parentum erga filios. Tertio, de obligatione conjugum ad invicem, necnon de obligatione servorum, & subditorum erga dominos, & alios superiores.

ARTICULUS I.

De Obligatione filiorum erga parentes.

I. *Filii Parentibus debent Amorem, Reverentiam, Obedientiam, & Subventionem.*

II. *Amor Parentibus debitus consistit in fuga odii, & in exhibitione signorum amoris; necnon in dilectione interna, & formali.*

III. *Reverentia Parentibus debita quid ferat? Et quando ab ea filii deobligentur?*

IV. *Quandonam graviter peccent filii non obtemperando Parentibus?*

V. *In iis, quæ pertinent ad vitæ statum, tenentur filii consulere Parentes, quamvis non teneantur deinde eorum consilium sequi.*

VI. *Tenentur filii Parentibus subvenire tam in necessitatibus spiritualibus, quam in temporalibus.*

VII. *In gravi necessitate Parentum tenentur filii abstinere ab ingressu in Religionem; necnon in extrema fratrum, aut sororum. At egredi e Religione tenentur solum in extrema Parentum necessitate.*

VIII. *Eodem modo Parentes tenentur ab ingressu in Religionem abstinere in gravi necessitate filiorum, & in extrema egredi.*

I. IN quatuor consistit talis obligatio, seu honor parentibus, videlicet in Amore, Reverentia, Obedientia, & Subventione tam in spiritualibus quam in temporalibus. Quare primo filii tenentur amare præ omnibus aliis Parentes, quamvis non præ Deo. Nam Lucæ 14. dicitur, *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, non potest meus esse discipulus.* Secundo, tenentur revereri illos reverentia interiori simul, & exteriori. Tertio, obedire, (quando tamen non præcipiunt aliquid contra bonos mores, & salutem animæ) verb. gr. si illis præcipiant vitare pravas amicitias, relinquere ludos prohibitos, &c. Demum subvenire in omnibus eorum necessitatibus.

II. Quæritur nunc primo; In quonam consistat amor a filiis debitus erga Parentes?

Respondeo, consistere in fuga odii, & in exhibitione signorum amoris. Unde peccant mortaliter primo, si illos odio prosequantur, aut si malum illis grave excogitent, v. gr. mortem, ut potiantur hæreditate, aut ut liberentur eorum vexationibus, etiamsi id desiderent non ut malum patris, sed ut bonum cupientis, ut loquitur Innoc. XI. in propos. 4. damnata; qui etiam damnavit propos. 15., quæ dicit; *Lici-*

tum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas. Secundo, peccat etiam graviter, qui torvis oculis fere semper parentes intuetur, & ita aspere alloquitur, ac si odio haberet; quamvis illos interius diligat. Præterea sicut tenemur diligere proximum actu interno, & formali, ut constat ex thesi decima ab Innocentio Undecimo confixa, quę habet: *Non tenemur diligere proximum actu interno, & formali*: ita a fortiori tenemur sic Parentes etiam diligere.

III. Quæritur sæcundo; Quænam reverentia Parentibus debeatur?

Respondeo, non solum interiorem, per recognitionem subjectionis erga illos, & timorem quendam filialem, sed etiam exteriorem verbis, & aliis signis, v. gr. honorifice loquendo de illis, non detrahendo, caput aperiendo, famulando, ac damna impediendo. Hinc etiam peccant mortaliter, qui maledicta, & convitia animo deliberato, & contumelias in parentes etiam mortuos conjiciunt, nisi excusentur ratione parvitatis materiæ, aut indeliberationis. Peccant etiam mortaliter, qui parentes passim increpant, aspere, & dure tractant, & illos in magnam iram provocant, etiamsi reipsa illi non indignentur; Et qui illos percutit, aut manus elevat ad percutiendum, aut contemnit, nec vult parentes recognoscere; (nisi forte sint infames, proditores, hæretici, &c. tunc enim propter bonum commune justa datur causa dedignationis) Peccat demum graviter filius, si parentem de aliquo crimine, etsi vero, accuset; cum in omni lege prohibeatur filiis accusare, vel testificari contra parentes; exceptis duobus casibus, scilicet Conjurationis in Patriam ante crimen patratum, & hæresis, ut communiter docent contra Simancham ex Abulensi apud Trull.; potestque etiam filius agere contra parentem denegantem alimenta.

IV. Quæritur tertio; In quibusnam filius debeat obedire parentibus?

Respondeo, in omnibus, in quibus est subjectus, itaut graviter peccet in materia gravi, & venialiter in re levi. Unde sequitur peccare graviter filium qui patri aliquid circa bonos mores præcipienti non obedit, ut circa fugam pravarum amicitiarum, ludorum, nisi parvitas materiæ excuset; quia pater tenetur filium bonis moribus imbuere. Peccat etiam graviter non obediendo in iis, quæ ad domesticam gubernationem spectant, si res sit gravis, ut notat Sanch.l.4.c.15. Notat tamen Bonac. hic, quod in re levi excusetur etiam a veniali filius inobediens, si pater imperet aliquid non intendens obligare ad obediendum obedientia sibi debita; cum præceptum non obliget ultra intentionem præcipientis. Et ideo in tractatu de Matrim. dicitur, quod uxor denegans viro debitum excusetur a mortali, si vir benevole illud petat, & non ut sibi debitum ex justitia, seu non intendens illam obligare ad reddendum sibi debitum.

V. In iis, quæ pertinent ad vitæ statum non tenetur patri filius obedire, videlicet in materia religionis, aut matrimonii: Et hinc est, quod potest inscio patre statum assumere, si prævideat injuste sibi impediendum: Aliter tenetur ex reverentia debita illum monere, & consulere, quamvis non teneatur deinde ejus voluntatem sequi, nisi ducat indignam; aut malus ex digna timeatur exitus, & scandalum; vel nisi multum expediret, quod ducat dignam, quam pater vult, puta quia cessabunt inimicitiæ. Quamvis autem graviter peccet filia, (sicut etiam filius) quæ invito Patre vult nubere indigno, non eatenus exhæredari potest, ut fuse ostendit P. Andreas Zuccherius Societatis Jesu ex Molin., Sanch., & aliis in suis valde commendatis Decisionibus Patavinis de obligationibus Patrumfamilias Casu 2. Mensis Decembris.

VI. Quæritur quarto; Quandonam filii teneantur subvenire parentibus?

Respondeo in necessitate tam temporali, quam spirituali eos ad subveniendum teneri. Unde peccant graviter filii primo, si non curent patrem in mortis articulo confiteri, & alia Sacramenta suscipere, aut si impediant, ne testamentum faciat, aut aliquid pauperibus in animæ utilitatem eroget: faciunt enim contra præceptum succurrendi parentibus in spiritualibus. Secundo, si differant solutionem legatorum, & debitorum patris; fieri enim potest, ut notat Bonac., quod ex solutione legatorum a purgatorio ejus anima liberetur. Tertio, si parentum funus non celebrent pro viribus, nec curent corpora sepulturæ mandare, ac preces & sacrificia pro illis fundere. Quarto, tenentur parentes alere, si non habeant, unde se possint honesta, ac decenti arte sustentare. Quinto, debent invisere parentes infirmos, aut in carcere detentos, & eorum incolumitati consulere.

VII. Dubium est, an filius teneatur a religione egredi, ut parentibus succurrat?

Respondeo, certum esse, quod teneatur ab ingressu religionis abstinere, dum parentes in gravi necessitate versantur; quia præceptum præferendum est consilio, gravis autem necessitas dicitur, si illi sine ope alterius non possent vivere absque notabili jactura sui status, & conditionis, v.gr. si nobiles tenerentur mendicare, aut famulari; Et idem dicas, si talis necessitas non sit præsens, sed probabiliter sit futura, ut notat Sanch.; Quæ tamen intelligenda, modo filius manendo in sæculo non incurrat grave periculum salutis spiritualis; quilibet enim tenetur salutem spiritualem propriam temporali proximi

præ-

præferre. Certum est etiam, solum pro extrema, non vero pro gravi necessitate fratrum, sororum, aliorumque conjunctorum teneri sub mortali ab ingressu Religionis abstinere; quia magis stricte obligat præceptum subveniendi parentibus, quam aliis. Certum est tertio, teneri in his casibus filium e novitiatu egredi, cum militet eadem ratio. Verum ad egrediendum e religione solum tenetur, quando necessitas parentum est extrema, non vero quando est gravis, ex Sanch. apud Bonac.: Tenetur quidem in necessitate extrema; nam si extraneus, v.gr., in puteum cadat, & solus Religiosus subvenire possit, ad id tenetur etiam Prælato invito; ergo a fortiori si pater sit in extrema necessitate; non tenetur tamen in gravi, quia res uni tradita non potest extra necessitatem extremam illi auferri, & alteri tradi.

VIII. Quod diximus de filiis relate ad parentes existentes in necessitate; dicas de parentibus relate ad filios in eadem necessitate existentes. Quare non possunt parentes ingredi religionem, si filii sint in gravi necessitate, aut non habeant necessaria ad educationem, quia parentibus incumbit illis providere: Tenentur vero e Religione egredi in extrema necessitate filiorum, deferendo tamen habitum, & observando vota, & præcepta Religionis eo modo, quo commode fieri potest; sublata vero necessitate extrema tenentur ad Religionem regredi.

Demum in iis casibus, (de quibus articulo sequenti,) in quibus pater potest exhæredare, & alimentis privare filios, non tenentur filii patrem sustentare.

ARTICULUS II.

De Obligatione Parentum erga filios.

I. Tenentur parentes bono spirituali, & temporali filiorum multipliciter prospicere; & si ad eorum emendationem est necessarium, possunt percutere etiam in Sacris constitutos.

II. Mater solum tenetur lactare, & educare filium usque ad tertium annum, nisi pater sit impotens ad alendum filium. In defectum parentum tenentur Avi, deinde Aviæ. Si divites exponant filios Hospitali, tenentur huic expensas compensare.

III. Plurimæ causæ a Doctoribus assignantur, ob quas potest Pater filium exhæredare.

IV. Si filia contra voluntatem Patris nubat indigno, non potest exhæredari.

V. Num Pater filio, quem exhæredare potest, teneatur alimenta præstare ad vitam sustentandam.

VI. Quid veniat nomine alimentorum, quę Pater tenetur filio præstare. Num teneatur etiam alere uxores filiorum, & filiæ spuriæ dotem constituere?

VII. Obligatio, quam habent parentes alendi filios, transit ad hæredes; Sicut etiam si bona parentis donentur Monasterio, aut addicantur fisco.

VIII. Quinam debet filium adere, si dubitetur num sit filius Petri, an Pauli? Et Paterpatratus a Patrene, an a filiis alendus est?

I. PArentes jure naturæ tenentur curam filiorum gerere; Unde peccant graviter primo, si non curent, quantum in se est, ut præcepta Dei, & Ecclesiæ observent, a mortali saltem abstineant, & necessaria ad salutem addiscant, v.gr. symbolum, orationem dominicam, &c. Secundo, ex Axor., & Reginald. si non faciant sumptus necessarios, ut filii studia literarum, aut artem aliquam addiscant, prout reliqui ejusdem conditionis facere solent. Tertio, si malo exemplo, & consiliis filios depravent, aut si non avertant occasionem peccandi; v. gr. si permittant inter sponsum, & sponsam de futuro tactus impudicos; aut si filiabus permittant amatorem ad malum finem; Immo etiam si absque rationabili causa a bono revocent; ut ab ingressu in Religionem, a votorum impletione, &c.; necnon si cogant ad matrimonium contrahendum; Et excommunicationem incurrunt latam a Trident.sess.24.cap.18. si filias cogant ad ingrediendum in Religionem, vel ab ea retrahant vi, fraude, injuria.

Quarto peccant etiam, si non objurgent, aut castigent filios, quando id est necessarium ad eorum emendationem; possunt enim moderate percutere etiam filium Clericum; & ex Bonac. contra Tolet. etiam in Sacris constitutum. Quinto, si non dent filiis etiam illegitimis, & adoptivis necessaria alimenta, & filiabus dotem; nisi tamen detur justa causa exhæredandi, & alimentis privandi. Demum, si non adhibeant saltem mediocrem diligentiam ad acquirenda bona, quibus filii juxta propriam conditionem alantur; Et ut sufficientem habeant hæreditatem post mortem patris. Dicitur enim 1. ad Corinth. 12. *Non debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis.*

II. Quæritur nunc primo; Ad quid mater teneatur erga filios?

Respondeo, per se loqnendo solum teneri educare, & lactare filium etiam spurium usque ad triennium, modo ipsa lacte non careat, aut justam causam non habeat non lactandi, ex leg. *Nec filium*, Cod. *De patria potestate*; Excepto autem lacte, nihil aliud tenetur mater filiis præbere, nisi tamen pater sit impotens ad alendum filium, tunc enim tenetur mater etiam post triennium, & in defectu matris Avi, & in ho-

rum defectu Aviæ. Quare ex Azor., & Navar. peccat saltem venialiter, si proprio lacte mater filium suum non lactet, nisi justa causa excuset; ut si mater sit imbecillis, aut nobilis, quam ex more patrio id dedeceat; tunc enim tenetur bonam illi nutricem quærere. Peccant vero graviter parentes, si sine justa causa exponerent filios hospitali; si vero adsit causa, videlicet vel gravis necessitas, vel periculum infamiæ, non peccant. Si tamen divites sint, tenentur expensas hospitali restituere, quia hospitalis domus non est instituta ad alendos filios divitum, ut communius docent contra Henr.

III. Quæritur secundo; Quænam sint causæ negandi alimenta, & exhæredandi filios?

Respondeo, plurimas communiter assignari ex Sanch., Bonac., & aliis, videlicet si filius graviter in patrem manus injiciat, si contumelia gravi afficiat, si fiat hæreticus, si histrio, aut gladiator, si cum maleficis intermisceat se, si prohibeat patrem testari, si eundem accuset extra casum hæresis, aut conjurationis in Patriam, vel Principem; si insidietur vitæ patris, si ejusdem uxorem, hoc est novercam suam violet, aut ejus concubinam; si requisitus a patre in carcere incluso noluerit esset fidejussor; si patrem in judicium deferat cum ejusdem gravi detrimento; si patre offerente dotem filia minor vigintiquinque annis luxuriose vivat; si parentis furiosi curam negligat; si eundem captivum non redimat, cum possit.

IV. Dubium est primo; An si filius committat aliud crimen simile, aut majus enumeratis, possit pariter exhæredari?

Negat Molin. cum Juristis communius; quia in Authentica dicitur, quod præter causas enumeratas nulli liceat alias ingratitudinis causas exponere. At Bonac., Reginald. cum Theologis communius affirmant, quia lex ad similia trahi potest; præsertim cum similis, aut gravior causa existit, ut loquitur Azor.part.2. l.2.c.19. quæst.6.Illud certum est, quod si filia nubat indigno contra voluntatem patris, non possit exhæredari, ne præjudicetur libertati matrimonii.

V. Dubium est secundo; An propter causas adductas non solum possit filius exhæredari, & privari alimentis, sed etiam omnibus necessariis ad vitam sustentandam?

Affirmat Molin., quia filius non habetur tunc pro tali; unde solum, sicut cæteri in extrema necessitate constituti, adjuvandus est; Covar. vero benignius docet teneri patrem necessaria alimenta præstare, quia ille non amittit ob culpam esse physicum filii; atque adeo in patre aliqua major obligatio residet, quam in aliis.

VI. Quæritur ultimo; Quid veniat nomine alimentorum, quæ pater tenetur præstare filiis? & utrum obligatio alendi filium transeat ad hæredes?

Respondeo, nomine alimentorum venire victum, vestitum, lectum, habitationem, medicinas, sumptus ad filii institutionem, & disciplinam, & alia ad vitam necessaria, juxta personæ conditionem.

Ex Molin. autem contra Bonac. veniunt etiam expensæ funeris, si filius decedat, & expensæ competentes pro anima defuncti. Ex Sanch. vero l.4.disp.26. pater non solum tenetur alere filios, sed etiam eorum uxores; quia in leg. *Si quis, ff. de liberis agnoscendis* dicitur, quod pater teneatur filiorum onera sustinere. Proinde tenetur filiæ etiam spuriæ constituere, dotem, quæ vicem alimentorum gerit.

VII. Hæc autem obligatio alendi filios procul dubio transit ad hæredes illius, qui hanc obligationem habebat. Quare si quis sua bona Monasterio reliquit, tenetur Monasterium filios illius alere. Et eadem est ratio, si ob crimen parentis ejus bona fisco addicantur; quia non debent filii privari alimentis jure naturæ debitis ob culpam patris. Quando tamen filius alimentis aliunde, quam a patre petitis, se sustentavit, non tenetur pater in foro conscientiæ ad restitutionem; quia filio debentur alimenta solum in subsidium, ut vivat; Quare cum aliunde vixerit, non tenetur pater alimenta in præteritum debita reddere, ut notant Reginald., & Bonac.; nisi tamen filius ob id contraxerit debita, ut probabiliter limitat idem Bonac.

VIII. In dubio autem, an Petrus sit filius Titii, vel Caji, probabiliter ex Tamb.l.1.c.3.§.7. neuter tenetur illum alere; probabilius tamen videtur, quod uterque in solidum. Quod si uxor rem habeat cum marito, & cum adultero, hic non tenetur prolem alere in dubio, an sit ab ipso genita. Demum si quis sit paterpatratus, seu habeat simul filios, & patrem, probabilius alendus est a patre, quam a filiis, ut multi docent contra nonnullos apud Dian. part.10.tr. 13. res. 13.

ARTICULUS III.

De Obligatione Conjugum ad invicem.

I. Etiam vir debet uxori, præter amorem, obedientiam in iis, in quibus est subjectus, & honorem.

II. Potest vir objurgare, & leviter percutere uxorem, si sit spes emendationis; at nequit sine gravi culpa illam graviter percutere.

III. Secundum se tenetur vir alere uxorem, quamvis illam duxerit indotatam.

IV. Num teneatur illam alere, quando ob utriusque culpam ab eo recesserit?

V. Ali-

V. Aliquando tamen uxor tenetur virum alere.
VI. Majorem debet amorem, reverentiam, & obedientiam uxor viro, quam uxori Vir, quippe qui est caput mulieris; unde tenetur uxor virum sequi. Sed quid si pactum intercedat non mutandi locum?

I. QUæritur primo; An vir debeat uxori, præter amorem, etiam obedientiam & honorem?

Respondeo, debere illi obedire in iis, in quibus est subjectus; ex mutua enim conjugum obligatione fit, ut uterque teneatur ad arbitrium alterius debitum reddere: Consequenter debet uxori etiam honorem, quia honor debetur ratione superioritatis, & excellentiæ; uxor autem aliqualem habet superioritatem, ut diximus, erga virum, habetque propriam excellentiam.

II. Hinc sequitur, peccare graviter maritum primo, si verba infamatoria proferat in uxorem, etiamsi sine animo infamandi, dummodo cum plena advertentia; Sicuti etiam si graviter illam verberet, cum non sit serva, sed socia; Quamvis possit aliquid discrete contra eam proferre, & moderate tantum verberare, juxta conditionem personæ, quando est spes emendationis. Secundo, peccat graviter, si impedimentum illi sit ad observantiam præceptorum Dei, & Ecclesiæ sine justa causa. Tertio, si sine justa causa non cohabitet cum illa longo tempore ipsa invita: Est autem legitima causa, si domus negotia magni momenti tractet, si timeat sibi aliquod grave damnum, dum est in civitate, si ex præcepto Superioris absit. Verum si spes redeundi ad Patriam tollatur, debet uxorem secum adducere.

III. Quæritur secundo; An vir teneatur uxorem alere?

Respondeo affirmative; ad hoc enim recepit dotem: Quod si pauperem duxit sine dote, sibi imputare debet vir, quod duxerit indotatam: Quare peccat graviter negando illi alimenta, modo alere possit, aut is, qui dotem promisit, non sit in mora culpabili solvendi dotem, aut nisi dos perierit culpa ipsius, qui solvere dotem tenebatur, aut nisi dos perierit culpa ipsius uxoris, aut demum nisi uxor sua culpa a mariti consortio recesserit; nam ex leg. *ulius ff. de actione emptoris, Qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet.*

IV. Dubium est; An uxor sit a viro alenda, quando utriusque culpa recessit a consortio illius?

Respondeo, ex Sanch. inspiciendum esse, cujus sit ultima culpa: nam si ob utriusque culpam recessit, & deinde vult uxor reverti, nec vult vir, tenetur hic alere, quia ultima culpa est viri: Quod si uxor ob sævitiem viri recessit, & deinde oblata sufficienti securitate suavis tractationis in posterum, non vult uxor reverti, illam alere non tenetur; quia pœnitentia viri purgat delictum, & perinde se habet, ac si propria sponte uxor recesserit.

V. Quæritur ultimo; An uxor pariter teneatur aliquando virum alere?

Respondeo, debere, quando scilicet presso ex inopia viro, ipsa habeat, quomodo illi succurrat, sive ex bonis dotalibus, sive ex paraphernalibus, sive aliis, cum hoc postulet nexus conjugalis; etiamsi maritus sua culpa triremibus sit addictus, aut sit infirmus; modo sua culpa non recesserit ab uxore, nec velit redire.

VI. Sicut autem diximus debere virum uxori præstare amorem, reverentiam, & obedientiam in iis, in quibus est subjectus, pariter debet id uxor viro; & a fortiori, quia vir est superior, & caput mulieris. Unde sequitur primo, peccare graviter, si notabiliter sit inobediens in iis, quæ spectant ad bonos mores, & ad familiæ gubernationem, cum in iis viro sit subjecta. Secundo, peccat etiam, si maritum in gravem iram, vel blasphemiam provocet, cum id obstet reverentiæ, & amori debito. Tertio, peccat etiam, si maritum alio pergentem sequi recusset sine justa causa; qualis esset periculum mortis, aut peccati: Vel si maritus post matrimonium fieret vagus; vel si pactum intercessisset non mutandi locum; (quamvis si justa causa superveniat mutandi locum, ut esset morbus, inimicitia, &c., tenetur uxor non obstante pacto maritum sequi.) Quarto, peccat, si reddere debitum recuset. Quinto, si jus gubernandæ domus sibi arroget; quamvis excusetur, si vir sit prodigus, aut si sit morosus, nec velit concedere, quæ in utilitatem familiæ redundant. Demum debet uxor tolerare mariti defectus; cum id ferat amor, & reverentia debita.

ARTICULUS IV.

De Obligatione Dominorum, Superiorum, & Principum relate ad subditos, & ad invicem.

I. Mancipia tenentur cum periculo vitæ dominum defendere.
II. Servis in bello justo captis licitum est fugere, si non dederint fidem non fugiendi.
II. Quicquid servus acquirit, domino acquirit, si de consensu domini non habeat peculium.
IV. Famuli non tenentur, sicut tenentur servi, dominum defendere cum vitæ discrimine. Num debeatur famulo salarium, si diu ægrotat?
V. Num Superiores, Magistri, Parentes possint mode-

moderate ad correctionem verberare etiam in Sacris constitutos?

VI. Quomodo se gerere debet Herus erga famulos? Num possit illos ægrotantes mittere ad Hospitale subtrahendo mercedem? Ecclesia Clericis ægrotantibus non denegat distributiones.

VII. Religiosi non tenentur obedire Prælatis suis in iis, quæ sunt aut supra regulam, aut præter regulam.

VIII. Prælati tenentur ad residentiam, & ad dispensandos reditus Ecclesiasticos superfluos congruæ sustentationi in usus pios.

IX. Parochus quomodo debeat providere de Vicario, si non resideat ex justa causa?

X. Subditi erga Principes laicos ad quid tenentur?

XI. Ad quid vero Principes laici erga Vassallos?

XII. Peccat Princeps, & ad restitutionem damni secuti tenetur, si ad Officium Gubernatoris, vel Judicis promoveat ineptos.

XIII. Peccat etiam plerumque graviter, & contra fidelitatem erga Rempublicam, & contra justitiam distributivam, si ad hæc Officia promoveat dignos, omissis dignioribus, seu Reipublicæ utilioribus.

XIV. Officia sæcularia solus Princeps supremus potest aliquando moderate vendere, idque propter Reipublicæ utilitatem, non ob privatum commodum.

I. Quæritur primo; Ad quid teneantur servi, seu mancipia erga dominos?

Respondeo, teneri primo ad honorem, itaut graviter peccent, si contemnant, irrideant, &c.. Secundo, ad obedientiam in iis, in quibus sunt subjecti, itaut graviter peccent, si in rebus magni momenti non obediant. Tertio, debent conservare pro viribus res domini. Quarto, in ægritudine domini debent illi procurare Sacramenta, si desint propinquiores. Quinto, debent defendere a malis gravibus imminentibus dominum, etiam cum periculo propriæ vitæ.

II. Dubium est; An liceat servis in bello justo captis fugere?

Respondeo, probabile esse, quod liceat, ex Azor., Trull., & aliis, dummodo non dederint fidem non fugiendi; Sicut reis licet fugere a carcere citra vim custodi adhibitam, vel fraudem. Ratio est, quia sicut jure gentium facti sunt servi, ita consuetudo, & tacitus consensus populorum dat iis jus fugiendi.

III. Dubium est secundo; An si donentur centum servo, hic acquirat eorum dominium?

Respondeo, servum habere posse peculium de consensu tantum domini. Quare sine hoc consensu ea centum absolute donata evadunt domini, quia quicquid servus acquirit, domino acquirit; si tamen sub ea conditione donentur, quod non perveniant ad dominum, non evadunt domini, ut notat Trull. l. 4. in decal. cap. 2. d. 4. Less. & alii.

IV. Quæritur secundo; Ad quid teneantur famuli erga heros?

Respondeo, teneri sicut servos ad honorem, obedientiam, & ad operas suas; serviendo scilicet, impediendo damnum domini, & illum defendendo, quamvis non cum periculo propriæ vitæ, nisi ad id specialiter sint conducti, & dominus non temere se ingerat in pericula. Notandum tamen, quod si famulus conducatur per annum, v. g. & per aliquot menses ægrotet, non debeat operas supplere post annum; quia in ea promissione operarum censentur excepti casus fortuiti. Præterea dominus non debet famulo ægrotanti salarium, quando non conducitur ad tempus determinatum, nisi ægritudo sit per modicum tempus, videlicet per unam, vel alteram hebdomadam, idque ex æquitate, nisi aliud in pactum sit deductum, aut aliud ferat consuetudo approbata.

V. Quæritur tertio; Ad quid Superiores erga subditos, & domini erga servos, & famulos teneantur?

Respondeo, dominos, & superiores erga servos, famulos, ac subditos teneri eorum curam gerere, cum sint eorum caput, & parentum vices gerant. Quare si notabiliter negligant eorum salutem, peccant graviter; cum Apost. 1. ad Timoth. 5. dicat: *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Hæc autem obligatio ad tria capita reducitur. Primo, ad honestam sustentationem. Secundo ad institutionem in rebus fidei. Tertio, ad correctionem non solum fraternam, sed etiam domesticam, cum opus est, idest ad verberationem; possunt enim universim Superiores tam Sæculares, quam regulares, parentes, ac magistri verberare moderate subditos, etiam in Sacris constitutos, ex gravi causa; cum possint uti mediis ordinatis ad salutem subditorum. Si tamen modum excederent, incurrerent excommunicationem. Et quamvis Tolet. neget apud Trull. posse etiam patrem verberare filium in Sacris constitutum, id tamen permittit Bonac. Et Molin. disp. 228. observat, etiam seniores posse moderate percutere pueros pro suis excessibus, dum ipsorum propinqui, aliive, quorum curæ subduntur, præsentes non sunt, nec est periculum scandali, & rixæ. Fratres etiam, & patrui sorores, & nepotes verberare moderate ad correctionem possunt, si ipsorum cura sibi commissa sit, & vices parentum gerant.

VI. Herus tamen erga famulos prospicere tenetur saluti tam corporis, quam animæ, ac pretium conventum illis dare. Quod si famulus ægrotet, debentur illi modicæ necessariæ expensæ juxta usum, qui talem obligationem inter-

interpretatus est; ut notat Filliuc. apud Trull. (quamvis præcisa consuetudine in contrarium possit mercedem subtrahere.) Si vero morbus sit gravis, poterit illum ad hospitale mittere, cum non teneatur dominus huic famulo subvenire, nisi in extrema, vel gravi necessitate. Ecclesia tamen concedit Clericis ægrotantibus distributiones, ne alii a Sacro ministerio deterreantur. Utrum autem teneatur dominus ejicere famulum, quem ne verberibus quidem moderatis potest corrigere; dicendum, quod teneatur, si probabiliter existimet meliorem evasurum; quod si timeat pejorem reddendum, non tenetur ejicere.

Ex dictis sequitur, peccare graviter dominos primo, si famulis, aut servis occasionem peccandi permittant; sicut etiam si non curent, ut a peccatis abstineant, ut tempore præscripto confiteantur, & communicent, ut jejunent, ut doctrinam christianam addiscant. Secundo, si absque justa causa impedimento illis sint, ne missam audiant, vel in causa sint, ut serviliter die festo laborent. Tertio, si illos gravibus injuriis afficiant, ut si appellent canes, diabolos, &c.

VII. Quæritur quarto; Ad quid teneantur Clerici, & Religiosi erga Prælatos suos?

Respondeo, ad amorem, obedientiam, reverentiam, & defensionem. Debent tamen solum in iis, quæ ad proprium statum pertinent, obedire; puta si præcipiat Episcopus Clerico, ut Romam adeat pro negotiis Ecclesiæ, ut reum excommunicet, &c.: Religiosi vero subditi ex D. Th. in 2. dist. 44. quæst. 2. art. 3. debent Superioribus obedire in iis, quæ necessaria sunt ad exequendum, quod in regula continetur, & in iis, quæ imponuntur pro culpis contra prædicta. Quare non tenentur ex Sylvest. obedire in iis, quæ sunt vel supra regulam, ut si Prælatus præcipiat jejunia, & disciplinas supra perfectionem regulæ; vel in iis, quæ sunt præter regulam, ut si præcipiat impertinentia, & indifferentia, puta aspicere aves volantes, tollere festucam, &c.; vel in iis, quæ sunt contra regulam, ut si præcipiat inobservantias, &c.

VII. Quæritur quinto; Ad quid teneantur Prelati, & Superiores Ecclesiastici erga Clericos, & alios subditos?

Respondeo, Episcopos etiam de jure divino, ut communius docent, teneri ad residentiam, itaut si intra annum ultra tres menses sive continuatos, sive interpolatos a sua Ecclesia absint sine justa causa, non faciant suos fructus respondentes tempori absentiæ, atque adeo teneantur statim illos restituere, vel dare fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus loci, quin possint eos erogare in fabricam beneficii, aut aliis pauperibus, quam illius loci; sicut possunt Beneficiarii omittentes culpabiliter horarum recitationem. Secundo, tenentur Episcopi dispensare suos redditus pauperibus, subtractis iis, quæ ad decentem victum, vestitum, & ornamentum domus pertinent, ex cap. *Si privatum* 12., *quæst.* 1.

IX. Parochus tenetur etiam residere, itaut non faciat fructus suos, si sine justa causa per multum tempus absit; Si tamen detur justa causa, & absentia sit longa, hoc est ultra duos menses, requiritur licentia Episcopi, ut docent communiter cum Navar., & Azor. Verum, ut absit per bimestre sibi a Tridentino permissum, Palaus putat requiri pariter Episcopi licentiam; quod negant Navar. Azor. Sa, Rodriq. Qua in re verius consulenda est praxis uniuscujusque regionis; ut diximus in Opusculo de beneficiis Ecclesiasticis quæst. tertia artic. 2. Quando autem Parochus ultra octo, vel novem dies abest, debet Episcopus providere illi de Vicario: Si vero per sex, vel octo dies absit, poterit ipse suum Vicarium constituere, sic declarante consuetudine. Nec requiritur præter justam causam licentia Episcopi pro absentia hujus brevis temporis. Alias Episcopi, & Parochi obligationes vide in laudato opusculo, & apud Summistas.

X. Quæritur sexto; Ad quid obligentur subditi erga Principes laicos?

Respondeo, Vassallorum quinque esse præcipuas obligationes. Primo, ut in rebus justis debeant esse Principi subjecti, unde acceptare debent ejus justas, & honestas leges, Secundo, ut cogi possint aliquando ad aliquid agendum cum periculo vitæ, & sub pœna mortis, quando scilicet id expedit ad conservationem Reipublicæ. Tertio, ut teneantur legibus etiam civilibus obedire sub mortali, quæ scilicet respiciunt bonum Communitatis, ut est, v. g., lex taxans pretium rerum, vel irritans contractus, vel lex de non asportanda pecunia, frumento, armis, &c. Pal. tamen apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 90., & part. 5. tract. 5. resol. 49. putat non esse peccatum mortale transgressionem harum legum, nisi quantitas pecuniæ, vel mercium, quæ asportantur, pertingat ad centum aureos; quia per minorem quantitatem non pateretur Respublica grave damnum: Quamvis Sanch. lib. 1. cap. 4. sit rigidior, quia non debet attendi quale damnum in Republica sequatur uno tantum contraveniente, sed quale si multi contraveniant, & communiter id fiat. Verum putat Reginald. probabiliter, & alii apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 17.; quod lex pœnalis non obliget sub reatu peccati mortalis, etiamsi sub pœna capitis aliquid prohibeat. Quarto, tenentur subditi suum Principem ab hostibus defendere, & pro eo, si opus sit, vitam

tam profundere. Demum debent justas gabellas solvere; unde juxta communiorem, & probabiliorem opinionem peccant mortaliter, qui fraudant gabellas; quamvis Less., & Bonac. apud Dian. loc. cit. resol. 19. putent istas habendas esse ut leges pœnales; Licet enim jure naturali debeantur gabellæ, tamen qui eas fraudat, non vult legem naturalem transgredi, sed cum ea lex sit pœnalis, ejus arbitrio relinquitur, vel gabellam solvere, vel exponere se periculo pœnæ cum notabili Principis emolumento, quando pœna est pecuniaria.

XI. Quæritur ultimo; Ad quid teneantur Principes erga Vassallos laicos?

Respondeo, virtutes Principis proprias esse octo, Clementiam, Mansuetudinem, Liberalitatem, Justitiam, Fortitudinem, Prudentiam, Magnificentiam, & Magnanimitatem: facile autem peccare potest Princeps in immodica regnandi libidine, usurpando aliena, & indicendo bellum injustum, in non subveniendo pauperibus, in non reficiendis, & custodiendis viis publicis, in non tollendis pravis consuetudinibus ludorum, usurarum, & aliorum contractuum injustorum, in condendis legibus potius ad privatum, quam ad commune bonum, in cogendo ad aliquod matrimonium.

XII. Petes tamen primo; An peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem Princeps assumendo ad gubernationem minus aptos?

Respondeo cum communi peccare mortaliter, si assumat ad officium Gubernatoris, vel Judicis ineptos, vel qui existimantur male illud administraturi; in quo casu, ut notat Less. lib. 2. cap. 32. tenetur Princeps ad restitutionem damni secuti, quia ex lege justitiæ ratione sui muneris tenetur procurare aptos ministros; propter hoc enim tributa accipit.

XIII. Præterea ex Sot., & aliis apud Trull. lib. 4. cap. 1. dub. 10. peccat plerumque mortaliter, si ad hæc officia Princeps assumat aptos, omissis aptioribus; tum quia facit injuriam aptiori; tum etiam quia facit contra fidelitatem Reipublicæ debitam, ex qua constituere tenetur ministros maxime idoneos, non secus ac œconomus ex fidelitate debita domino debet conducere operarios maxime aptos: Quamvis Princeps in hoc casu ad restitutionem relate ad digniorem non teneretur, quia non faceret contra justitiam commutativam, sed contra distributivam; quod peccatum dicitur Acceptio personarum; quia scilicet in distribuendis bonis communibus spectatur aliqua conditio personæ nihil faciens ad distributionem: hoc autem ex natura sua est peccatum mortale in materia gravi, quia cum injuria proximi præfertur minus dignus digniori.

Neque dicas, Deum dona suæ gratiæ distribuere præferendo sæpe peccatores justis. Nam Deus ex duplici capite non est acceptor personarum. Primo, quia distribuit bona sua, non bona communia, ad quæ quisquam jus ullum habeat. Secundo, quia non præfert indignum digno ob aliquam conditionem personæ, quam spectet, sed ob justissimas causas, nempe ut ostendat se gratis dare, & nemini esse debitorem donorum.

XIV. Petes secundo: An possit Princeps vendere officia sæcularia sui status?

Respondeo ex Less. loc. cit. dub. 4. posse ea moderate vendi, non quidem ratione oneris, quod habent, vel ratione justi stipendii, quod meretur tale onus: sed ratione eminentiæ, ob quam in Republica officialis honoratur, necnon ratione occasionis lucrandi, & ratione excessus stipendii ultra debitum: cum hæc omnia sint res humanæ, non spirituales, & pretio æstimari soleant.

Tria tamen notat Less. ex D. Th. in Opusc. ad Ducissam Brabantiæ cap. 21. Primum est, auctoritatem vendendi hæc officia esse solum penes Principem supremum, hoc est penes Reges, aut Rempublicam liberam. Ratio est, quia hæc sunt dona Reipublicæ; ergo eorum dispensatio ad supremum Principem pertinet, vel ad ipsam Rempublicam, si sit juris sui. Unde Principes inferiores, etsi Magnates sint, ea vendere non possunt, nisi vel ex concessione Principis supremi, vel ex præscriptione. Secundum est, non expedire, ut a Regibus ea officia vendantur, & plerumque esse illicitum, & perniciosum. Ratio est, quia si vendantur, facile præferuntur dignioribus magis divites; & hi, qui pecunia consecuti sunt officia, intendunt potius pretium recuperare, ac ditescere, quam Reipublicæ bonum; præsertim si pretio immoderato empta sint. Tertium est, hanc venditionem non debere fieri, nisi ob Reipublicæ necessitatem, vel utilitatem, & non in proprium commodum supremi Principis. Ratio est, quia hæc officia non sunt bona propria Prnicipis, ut tributa, sed sunt bona Reipublicæ communia, quorum administrationem, & collationem populus commisit Principi ratione communis utilitatis: ergo solum propter bonum commune vendi possunt.

ARTICULUS V.

De obligatione diligendi proximum.

I. Tenemur proximum diligere etiam actu interno, & formali.

II. Etiam peccatores diligendi sunt, ac etiam inimici actu interno, & formali amore prosequendi. Non tenemur tamen per se loquendo illos salutare, si scandalum absit.

III.

III. Non tenemur actionem coram Judice omittere, ut offensor satisfactionem præbeat pro injuria, & damnis illatis. Quid si sponte exhibeat ipse satisfactionem?

IV. Quonam ordine proximus diligendus est? Diversus ordo servandus in necessitate extrema, vel gravi, ac extra necessitatem.

V. Quænam sint peccata omissionis, & commissionis, quæ charitati erga proximum adversantur?

VI. Explicanda est in confessione species mali, quod vis proximo inferre, non tamen species mali, quam proximo desideres.

VII. Adversantur charitati erga proximum non solum Odium, sed etiam Indignatio, & Ira; qui tamen actus licite cum moderatione debita exerceri possunt.

VIII. Adversantur etiam Discordia, Contentio, Rixa, Seditio, (quæ a Bello, & a Schismate differt) & Scandalum.

IX. Non est peccatum contra charitatem scandalum acceptum, sed Scandalum datum.

X. Scandalum Activum aliud est directum, aliud indirectum: Scandalum passivum aliud est Pusillorum, aliud Pharisaicum.

XI. Scandalum directum semper est peccaminosum; at non semper scandalum indirectum; quod cum nonnullis limitationibus permitti potest.

XII. Quænam dicantur actiones licitæ, quamvis cum iis materialiter cooperemur cum peccato proximi?

XIII. Sine causa permitti non potest scandalum acceptum, ne pharisaicum quidem.

XIV. Ad vitandum scandalum Pusillorum omitti aliquando potest nonnullorum præceptorum observantia.

XV. In pluribus casibus abesse potest peccatum scandali, quamvis coram aliis peccetur.

XVI. Num aperienda sit in confessione species peccati, ad quod inducitur proximus, qui scandalizatur.

I. UT altius dignosci possit, quonam pacto Parentes, ac Superiores honore, ac amore prosequendi sint, inquirimus hic, quanam dilectione teneamur proximum prosequi? Et quando teneamur illi in suis necessitatibus sive spiritualibus, sive corporalibus subvenire? Cum enim strictior sit obligatio erga Parentes, ac Superiores, quam erga proximum, ex iis, quæ tenemur erga proximum exhibere, facile est dignoscere, quid erga Parentes debeamus. In hoc autem articulo agemus de dilectione erga proximum debita, ac de vitiis, quæ charitati erga proximum adversantur: In sequenti vero agemus de obligatione subveniendi proximo in suis necessitatibus.

Quæritur itaque primo; Utrum, & quonam pacto teneamur proximum diligere?

Respondeo, de fide esse, quod proximus sit diligendus, dicitur enim Deuteron. 6. *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: Et Joan. 12. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Quinimo proscripta est ab Innoc. XI. thesis 10. dicens: *Non tenemur diligere proximum actu interno, & formali*; necnon undecima, quæ habet: *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos*: Obligat autem tale præceptum ex Bagnez semel in anno; & ex Trull. cum aliis tenemur pariter, quando urget tentatio odii contra proximum, quæ aliter superari non potest; Sicut etiam in aliis eventibus, in quibus sub mortali tenemur illi auxilium ferre.

II. Hinc sequitur primo, diligendos esse non solum justos, sed etiam peccatores; etenim quicumque est capax beatitudinis, dicitur esse proximus noster; & recta ratio dictat, illis faciendum esse, quod nobis fieri cupimus, juxta illud Christi Domini, *Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, eadem vos facite illis*. Solum damnati non debent diligi ex charitate; tum quia non sunt proximus noster; tum etiam quia recta ratio non dictat, ut illis velimus beatitudinem, a qua sunt perpetuo exclusi.

Neque dicas, a Davide peccatores esse odio habitos, cum Psal. 18. dicat: *Iniquos odio habui*; & alibi, *In matutinis interficiebam omnes peccatores terræ*. Nam David in peccatore solum odio habebat peccatum ex amore non solum Dei, sed etiam ipsius peccatoris: Etenim ex amore proximi provenit, ut odio habeamus id, quod ei malum est.

Sequitur secundo, non solum amicos, sed etiam inimicos esse diligendos, & quidem amore interno, & non solum per actus externos, ut diximus; præsertim quia Matth. 5. dicitur: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, & benefacite iis, qui oderunt vos*. Et ad Roman. 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi; & in hoc imitamur Patrem nostrum, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & plui super justos, & injustos*. Notandum tamen, ex hoc Christi Domini præcepto non teneri nos exhibere inimicis specialia signa benevolentiæ; non enim propter offensam nobis factam efficiuntur melioris conditionis, quam reliqui. Unde fit teneri nos quidem non solum ad non odio habendum inimicum, sed etiam ad non præbendum signum ullum odii, denegando illi communes salutationes, quibus omissis præberetur signum odii; at non teneri nos per se loquendo specialiter salutare inimicum, illum alloqui, & familiariter cum illo versari; nisi forte id postulet ratio vitandi scandalum, aut nisi speretur, quod per salutationem odium deponat; cuilibet enim mandatum est de proximo suo, & quilibet tenetur illius scandalum, & ruinam vitare, quoties absque gravi incommodo potest: Confessarii tamen consulere debent pœnitenti, ut spon-

te inimicum salutet, non solum ut Christum dominum imitetur, qui pro inimicis oravit, sed etiam quia denegatio salutationis fere semper conjungitur cum odio, aut cum scandalo: & a fortiori scandalum, odium, & contemptus solet haberi, si inimicus non resalutetur: Quod si aliquando aliquis sit longe superioris conditionis, ut Prælatus, vel Nobilis respectu subditi, vel plebeii, & non sequatur scandalum, neque adscribatur contemptui denegatio resalutationis, certe nec tenetur illum resalutare post inimicitiam, sicut non tenebatur ante inimicitiam.

III. Rogabis: An teneamur inimico veniam concedere, si illam petat?

Respondeo, teneri quidem nos odium deponere, & signa benevolentiæ communia illi exhibere, ut hactenus ostendimus, sed non teneri actionem contra illum coram Judice omittere, ut satisfaciat injuriæ, & damnis illatis: Immo si sponte satisfactionem præbeat, adhuc licitum est satisfactionem juridice exigere præciso gravi damno illius, quod forte ex charitate teneremur impedire. Ita Valent., Sylvest., & alii apud Bonac. hic disp. 3. quæst. 4. punct. 3. contra Azor. docentem teneri læsum actionem injuriarum coram Judice intermittere, si ille debitam satisfactionem exhibeat: Cujus sententia regulariter consulenda est: tum quia raro sine odio, & vindicta coram Judice agitur adversus inimicum: tum etiam quia id est conforme consilio Christi Domini: *Si quis percusserit te in maxillam, præbe ei & alteram.*

IV. Quæritur secundo; Quonam ordine proximus diligendus est?

Respondeo, conjunctos magis diligendos esse, quam extraneos, & inter conjunctos, qui magis sunt conjuncti. Quare cæteris paribus ante omnes diligendus est Pater, cui præcipua cura incumbit alendi, & instituendi filium. Secundo, Mater; quia parentes ex D. Th. magis Deo assimilantur, nam post Deum illis debemus, quod simus, & vivamus. Tertio, Uxor, quæ una caro, est cum marito. Quarto, Filii, (quamvis talis ordinis perversio non sit satis ad mortale, propter exiguam inter has personas distantiam, ut docent communiter Theologi apud Bonac.) Quinto, cæteri consanguinei juxta gradum conjunctionis, itaut consanguinei præferantur affinibus. Demum reliqui, itaut vir justus peccatori præferatur. Dixi tamen, cæteris paribus; nam si mater sit benefica, pater crudelis, illa est præferenda: Et multi putant contra D. Th., Bonac., & alios, præferri posse parentibus eum, qui nos a morte liberavit: Et alii putant contra eundem Bonac., creditorem in extrema necessitate posse præferri etiam parentibus. Sicut autem in rebus temporalibus præferendus est Pater carnalis patri spirituali; ita in rebus spiritualis præferendus Pater spiritualis patri carnali, ut communiter docent contra Bagnez. Hic autem ordo servandus inter personas privatas; persona vero publica culibet privatæ præferri debet, ex Valent., & Bonac. quia vices Communitatis sustinet: magnum autem bonum Communitatis etiam proprio bono præferendum est.

Notat tamen ex Less. Tambur. lib. 4. cap. 3. §. 5., quod in rebus pertinentibus ad vitam, & naturam sustentandam in extrema, vel gravi necessitate, Primo, subveniendum sit Patri. Secundo, Matri. Tertio, filiis. Quarto, Uxori. Quinto, fratribus, & aliis: Sed extra necessitatem extremam, aut gravem in communibus necessitatibus succurrendum sit prius Uxori, quia est una caro cum marito: deinde filiis, quibus tenentur parentes alimenta præstare: Tertio, parentibus: & quidem prius Patri, quam Matri, eo quod illis debeamus vitam: Demum fratribus, sororibus, & aliis juxta ordinem assignatum. Henr. tamen apud Bonac. disp. 6. quæst. 7. punct. 10. docet, quod uxor præferenda sit parentibus, & filiis etiam in extrema necessitate, quia Genes. 2. dicitur, *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ;* Sed hoc intelligendum est de actu conjugali, & circa domesticam inter conjuges administrationem,

V. Quæritur tertio; quænam peccata commissionis, & omissionis charitati proximi opponantur?

Respondeo, peccata omissionis, quæ charitati proximi adversantur, sunt Primo, omissio amoris interni, & formalis, ut diximus. Secundo, neglectio salutis spiritualis, vel corporalis gravis tam propriæ, quam alienæ; unde contra charitatem peccat, tam qui in extrema necessitate spirituali proximi omittit illi succurere, etiamsi non possit aliter illi subvenire, quam cum periculo vitæ, (modo sit æque certa spes illum juvandi) quam qui in extrema, vel gravi necessitate corporali proximi non erogat illi eleemosynam. Tertio, omissio correctionis fraternæ, prout a Christo Domino præcipitur Matth. 18., quando scilicet culpa est certa, & gravis, & est spes emendationis.

VI. Peccata vero commissionis sunt, Primo, odium tam abominationis, quam malevolentiæ: Ubi notat Tambur. lib. 2. Confess. cap. 6. §. 3. quod si velis inferre proximo malum grave, tenearis in confessione aperire speciem mali; v. gr., si voluisti inferre mortem, infamiam, damnum in re familiari; quia diversa specie est malitia in his actibus, prout diversa sunt jura proximi ad vitam, famam, &c.: Contra vero si desideres illi malum grave, prout malum proximi est, nolis tamen illud inferre, probabiliter non est opus explicare speciem mali: Sicut nec etiam si gaudeas de malo proximi, puta de

mor-

morte, infamia, dedecore, incendio, &c., sed satis est dicere, toties delectatus sum de malo gravi proximi, ut docent Valent., Bonac., & alii apud Trull. lib. 1. cap. 6. dub. 2., & Dian. part. 1. tract. de Circumstantiis resol. 30. contra Pal., Suar. de Char. dist. 6. sect. 2. n. 2., & Con. Ratio est, quia per hæc omnia læditur sola charitas, qua tenemur proximum diligere, quin lædatur, aut desideretur læsio ullius juris particularis proximi.

Ubi notandum, damnatas esse ab Innoc. XI. propositiones illas, nempe 13., quæ habet: *Si cum debita moderatione facis, potes absque mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum*. Et 14., in qua dicitur: *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas*: Necnon 15., quæ dicit: *Licitum est filio gaudere de parricidio Patris a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas*.

VII. Secundum peccatum commissionis contra charitatem est indignatio, quæ est dolor, quod bona temporalia quis habeat; & Ira, quæ est irrationabilis, & immoderatus appetitus vindictæ ob injuriam acceptam; Isti tamen duo actus possunt cum debita moderatione exerceri, juxta illud Psalm. *Irascimini, & nolite peccare*, unde potest juridice exigi satisfactio deposito odio, ut diximus.

Tertium est Invidia, quæ est tristitia de bono alterius, vel gaudium de illius malo, quatenus proprium diminuit. Differt autem ab æmulatione, per quam dolemus de alterius bono, non quia in illo est, sed quia nos illo caremus. Quare æmulatio licita est, si dolor sit moderatus, & circa res licite appetendas: & ideo Apost. dixit: *Æmulamini charismata meliora*.

VIII. Quartum est Discordia, quæ ex D. Th. est dissensio voluntatis a voluntate proximi circa bonum, quod quis tenetur velle; ut si pauperem, volentem sibi providere sine justitia cupias, quod non obtineat intentum. Non est autem peccatum, quando quis probabiliter putat non esse bonum, quod alter vult. Quo pacto D. Th. excusat dissensionem inter Paulum, & Barnabam, Actor. 5. *Discordia opponitur* paci, & concordiæ, & ideo est speciale peccatum contra charitatem: Proverb. autem 5. post sex, quos odit Dominus, numeratur septimo loco is, qui seminat discordias inter fratres.

Quintum est Contentio, seu Altercatio verborum cum proximo contra veritatem ad eam impugnandam: proinde est quidam effectus discordię.

Sextum est Rixa, quæ est Pugna privatarum personarum ex mutua ira, & excandescentia concitata.

Septimum est Seditio, seu dissensio civium, quando scilicet una pars civitatis contra aliam insurgit ad pugnam. Hæc differt a Bello, quod est inter duas Respublicas, & a schismate, quia hoc est contrarium unitati spirituali Ecclesiæ; seditio vero adversatur unitati politicæ Reipublicæ.

Denique adversatur charitati erga proximum Scandalum, de quo plura quærenda sunt.

IX. Quæritur itaque quarto; Quid, & quotuplex sit scandalum?

Respondeo, scandalum ex D. Th. definiri *Dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ*; V. gr., si Clericus domi suæ alat mulierem suspectam, peccat peccato scandali, quia cum tale factum habeat mali speciem, dat occasionem ruinæ aliis, qui tali exemplo ad simile peccatum facile possunt induci. Quare Apost. 1. ad Thesal. 5. ait, *Ab omni specie mali abstinete vos*; non enim satis est abstinere a malo, sed etiam abstinere debemus ab omni specie mali, ut scandalum vitemus. Ubi duo notanda; Primum est, operationem de se venialem aliquando ex circumstantia scandali evadere mortalem, ut si Religiosus, aut Sacerdos proferret verba jocosa coram fœminis in iis circumstantiis, in quibus præbeat illis occasionem peccandi, vel si Adolescens proferat verbum amatorium coram muliere, audiente ejus marito zelotypo, unde probabiliter magna rixa sit secutura. Alterum est, quod si operatio de se non mala speciem mali habet, itaut alteri possit esse occasio lapsus, & ruinæ, tu tamen conaris ostendere justam causam, cur ab ea non abstineas, non peccas peccato scandali; Et si scandalum sequatur, illud dicitur esse scandalum Acceptum, non Datum; Verbi gratia, si comedas die Veneris carnes, patefaciendo ægritudinem tuam.

X. Dividitur itaque ex D. Th. scandalum in Activum, quod datur, & Passivum, quod accipitur, seu in Datum, & Acceptum; quæ iterum subdividuntur; nam scandalum Datum subdivitur in directum; ut si quis loquatur turpia directe intendens ruinam proximorum; & Indirectum, ut si quis loquatur turpia non intendens talem ruinam, sed solum prævidens fore ut probabiliter ex tali peccato alii in mortale labantur. Scandalum etiam Acceptum (quod habetur quando præter intentionem operantis, & præter naturam, seu conditionem operationis, alter ex ea accipit occasionem peccandi) subdividitur in scandalum Pusillorum, quod scilicet ex hominis ignorantia, vel infirmitate provenit, & Scandalum Pharisaicum, quod ex mera malitia ortum habet; sicut Pharisæi ex propria malitia accepe-

runt occasionem occidendi Christum Dominum ex ejus verbis, & miraculis.

XI. Quæritur quinto; Quodnam scandalum sit peccaminosum?

Respondeo, & dico primo, scandalum activum directum semper esse illicitum; ut si quis jussione, consilio, aut exemplo expresse, vel tacite inducat alium ad peccandum, directe intendens id, quod sine peccato ab eo fieri non potest. Ratio est clara, quia talis inductio est contra virtutem charitatis, & misericordiæ, & importat affectum ad peccatum. Hinc Christus Dominus Matth. 8. dixit: *Væ homini illi, per quem scandalum venit.*

Dico secundo, scandalum activum indirectum non semper est illicitum, quando scilicet quod præbet occasionem ruinæ proximo, est operatio de se bona, vel saltem indifferens, & ex bona intentione fit, & datur justa causa illam non omittendi; unde peccatum proximi solum permittitur, eo quod vel non possimus, vel non teneamur illud impedire; in quo casu dicimur materialiter tantum ad peccatum alterius concurrere, seu cooperari. Quare sicut sine peccato Deus tanquam causa prima concurrit ad peccatum creaturæ; ita sine peccato conjux reddit debitum alteri conjugi habenti votum castitatis, si illud exigat, nec possit a tali proposito illum vocare: Sine peccato etiam Parochus ministrat Eucharistiam peccatori occulto publice illam petenti; sine peccato in Civitatibus ad vitanda pejora mala locantur domus meretricibus; sine peccato Judęorum synagogæ, & hæreticorum templa, permittente Republica, ædificantur. Ubi notandum Primo, quod major causa requiratur ad cooperandum materialiter peccato alterius, si cooperatio materialis ad peccatum sit propinquior, quam si sit remota; V. g., major causa requiritur ad associandum furem, quam ad scalas sustentandas, ut per fenestram ascendat. Secundo, major causa requiritur si peccatum sit gravius; V. g. magis requiritur ad cooperandum materialiter peccato injustitiæ, aut peccatis publicis, blasphemiæ, &c., quam peccato luxuriæ, aut peccato occulto. Tertio, si probabilius est, te non cooperante, alterum non cooperaturum. Quarto, si minus juris habeas ad tale opus.

XII. Hinc infertur primo, licitum esse Christianis captis remigare in triremibus Turcarum contra Catholicos, quia cooperatio ista remote se habet ad peccatum Turcarum, & quia illis detrectantibus alii non deessent, qui hunc laborem obirent; ac demum quia metus gravis excusat. Contra vero non licet iisdem ignem admovere tormentis bellicis in perniciem Catholicorum; quia propinquius se habet ad peccatum talis cooperatio; immo aliquando est directa occisio, atque adeo intrinsece mala.

Infertur secundo, posse artifices vendere res indifferentes, puta gladios, aleas, &c., etiamsi alter sit iis abusurus; quia hæc remote se habent ad peccatum. Si tamen quis vellet emere gladium ad alium occidendum, non posset illi vendi; quia modicum lucrum postponendum est vitæ alienæ; ideo non licet venena vendere, nisi iis, qui putantur bene usuri, v. g. ad medicinam, confectionem colorum, &c.

Infertur tertio, non licere domum, aut instrumenta ministrare ad ludum, quoties ludentes prævidentur proni ad blasphemias, ad furta, &c., ut dicemus cum de contractu locationis; Nec licet meretricem paratam ad herum conducere, aut furi scalam applicare, &c., quæ omnia proxime ad peccatum concurrunt, & nonnisi metu mortis permitti possent.

Infertur quarto, licitum esse probabiliter Patrifamilias famulo, aut filio suspecto de furto pecuniam apponere, ut eum deprehensum emendet, & graviori malo occurrat; quia hoc non est intendere malum, sed impedire malum gravius, sicut Deus plurima peccata permittit subministrando materiam, ut majora bona inde resultent; Et Judith permittendo libidinem Holofernis ortam ex suo ornatu non peccavit. Ita Petrus Navar. contra Sanch. lib. 10. disp. 12. n. 35., Sa, & alios; quamvis recte notet Navar. id homini ordinarie non licere, cum non sit dominus absolutus rerum, & universalis.

XIII. Dico tertio, scandalum passivum, seu Acceptum, etiam pharisaicum, permitti non debet absque aliqua utilitate propria, vel aliena, saltem temporali; ut notat Dian. part. 5. tract. 7. resol. 24., quia tenemur ex charitate impedire peccata proximi, quando facile possumus. Unde non licet sine ulla causa petere a Sacerdote excommunicato tolerato, vel concubinario, ut sacrificet, aut ab usurario petere pecunias mutuas: Permitti tamen potest hujusmodi scandalum data justa causa; V. g. si indigeas, poteris petere nummos mutuos ab usurario, & juramentum a juraturo per falsos Deos. Hac ratione August. apud Laym. de scandalo excusat Abraham a peccato, quando Saræ uxori suæ Genes. 12. dixit: *Dic, obsecro, quod soror mea sis, ut bene sit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui.* Vere enim & uxor, & neptis erat ex fratre Aran; unde soror (licet ex paterno tantum sanguine) dici poterat, quia omnes consanguinei apud Judæos dicebantur fratres ex August., & constat in Evangelio de fratribus, & sororibus Domini. Permisit etiam Abraham, ut Ægyptii occasionem caperent mulierem rapiendi, confidens de illius pudicitia, quod ab eo periculo liberaretur.

Major autem causa requiritur ad permittendum scandalum Pusillorum, quam Pharisæorum, ut notat Busemb. ex Laym. & Bonac., illud quippe

quippe procedit ex ignorantia, aut infirmitate, ut si comedas carnes coram illis, qui nesciunt tuam necessitatem; & inde arrepturi sunt occasionem ad peccandum: Quamvis scandalum, quod procedit ex ignorantia, post debitam instructionem, & admonitionem non est amplius pusillorum, sed Pharisæorum, ut patet.

XIV. Ad vitandum tamen scandalum pusillorum aliquando omitti debet observantia aliquorum præceptorum: V. g., potest uxor omittere aliquod jejunium ad vitandam gravem discordiam cum marito; Potest Superior dissimulare aliquos defectus ad vitandas turbas, & majora mala; Potest mulier, immo debet semel aut iterum non egredi domo ad audiendam missam præceptam, si sciat aliquem in particulari ex suo aspectu scandalizandum; ut docent communiter apud Dian. part. 5. tract. 7. resol. 21., & 22. contra nonnullos; Quamvis ad id non teneatur, si putet aliquos tantum in genere esse scandalizandos. Qua ratione Doctores apud Busemb., & Laym. de scandalo num. 21. docent esse tantum veniale ornatum vanum mulierum, præsertim juxta morem Patriæ, si putent aliquos tantum in genere, neminem vero in particulari, ea occasione esse scandalizandos, ut videre est apud Dian. tract. 1. Miscell. resol. 30. Sà tamen docet, quod fœminam gerentem nudum pectus, quamvis non mala intentione, difficile absolveret; (etsi nonnulli illam a mortali excusent) Potest etiam, & aliquando debet Prælatus jurium, & bonorum Ecclesiæ, aut Monasterii exactionem differre ob scandalum ignorantium, & infirmorum vitandum. Potestque mulier omittere in confessione peccatum illud, ex quo intelligit Confessarium ex infirmitate grave scandalum esse passurum. Ratio horum omnium est, quia præcepto positivo prævalet præceptum naturale de impedienda spirituali ruina proximi.

XV. Hic tamen notandum, neminem peccare peccato scandali, nisi probabiliter, verbo vel facto conjiciat proximum in gravem tentationem fore lapsurum, cui difficulter possit resistere.

Ex quo colligis primo, non peccare peccato scandali eos, qui ita pravi sunt, ut eorum pravum exemplum parum noceat; sicut etiam excusatur, qui peccat coram iis, qui tam proclives sunt ad malum, ut non censeantur induci ab illo pravo exemplo; v. g., si quis fornicetur coram aliis, qui parati sunt idem facere, & de se incitati, ut notat Sanch. prim. Moral. cap. 6.

Colligis secundo ex Pal. apud Trull. lib. 1. c. 6. dub. 5. non peccare peccato scandali, qui solum dat occasionem admirationis, & horroris, ut si quis die Veneris comedat carnes, aut Moniales invisat, aut fornicetur coram illis, qui ex tali culpa horrorem tantum concipiunt, non vero propositum peccandi. Ratio est, quia in tali casu non præbet occasionem ruinæ proximo. Notat tamen Navar. in his casibus raro abesse occasionem ruinæ, & peccatum scandali, quia sæpe datur saltem occasio detrahendi, vel sinistre judicandi, vel liberius vivendi.

XVI. Quæritur sexto, An qui alterum scandalizat, peccet universim peccato speciali scandali aperiendo in confessione?

Respondeo, certum esse, quod qui verbis, aut factis inducit aliquem ad peccatum, directe intendendo ejus ruinam, duplex peccatum committit in confessione aperiendum; alterum illius speciei, cujus est peccatum, ad quod inducit; alterum vero scandali contra charitatem; V. g., qui suo exemplo, vel suasione inducit alium ad fornicandum, peccat tum peccato luxuriæ, tum etiam peccato scandali, ut communiter docent apud Tambur. in Meth. Confes. lib. 2. cap. 1. §. 17., itaut non satis sit in confessione dicere, Volui meo exemplo inducere alium ad peccandum, sed debeat explicari, quod volueris illum inducere ad tale peccatum, videlicet ad fornicationem. Ratio est, quia quælibet virtus non solum obligat nos, ne contra illam peccemus, sed etiam ne alium positive inducamus ad peccandum contra illam; ergo qui intendit positive inducere alium ad fornicandum, non solum peccat peccato scandali contra charitatem, sed etiam contra castitatem; atque adeo utrumque peccatum in confessione est explicandum.

Si vero non intendatur directe ruina proximi, sed illa solum prævideatur, putat Lug. de Pœnit. disp. 16. sect. 4. contra Laym. de scandalo num. 5., Sanch. Vasq., Con. apud Tambur. loc. cit., quod non sit necesse explicare in confessione speciem peccati, ad quod proximus inductus est; V. g., an ad adulterandum, vel occidendum; Nec oportet explicare conditionem personæ inductæ ad peccatum, an scilicet fuerit Sacerdos, qui in adulterium inductus est. Ratio est, quia tale peccatum est solum contra charitatem, non contra alias virtutes, quæ licet obligent, ne positive, & directe inducamus alios ad peccandum contra illas, non videntur tamen obligare, saltem graviter, ad impedienda vitia in aliis contra tales virtutes. Hinc qui furando prævidet, quod alter arrepturus sit ansam ad homicidium committendum, satis est, si in confessione dicat se furatum esse, & dedisse aliis occasionem peccandi graviter. Unde fit, quod quia non est reus homicidii talis fur, nec teneatur ad compensandum damnum ortum ex homicidio.

Qui tamen dum furatur occulte, suspicatur fore,

fore, ut alteri innocenti tale furtum imputetur per accidens, ex Laym., peccat tantum contra charitatem relate ad istum. Quod si furtum ex intentione operantis, vel ex modo, quo fit, ex natura sua ordinetur, ut alteri imputandum esset, tunc fur etiam comparatione hujus innocentis peccaret contra justitiam, & teneretur ejus damna resarcire.

ARTICULUS VI.

De Obligatione subveniendi proximo in suis necessitatibus.

I. In extrema necessitate spirituali proximi tenemur illi, etiam cum vitæ discrimine, succurrere.

II. In necessitate non extrema, sed gravi alicujus particularis non tenemur cum vitæ periculo succurrere; tenemur tamen in necessitate gravi alicujus Communitatis.

III. Pastor, etiam in gravi necessitate suarum ovium, tenetur opem illis ferre cum vitæ discrimine.

IV. Non tenemur, sed possumus periculo exponere vitam propriam pro vita temporali proximi.

V. Divitibus præcipitur facile tribuere eleemosynam indigentibus.

VI. In extrema proximi necessitate tenemur ad eleemosynam ex necessariis statui proprio, sed naturæ superfluis.

V. Num satis sit extreme indigenti mutuare?

VIII. Num in gravi necessitate proximi teneamur illi succurrere ex necessariis ad statum? Tenemur certe ex statui superfluis.

IX. Ad quid teneamur in communibus pauperum necessitatibus?

X. Beneficiarii magis, quam alii obligantur ad succurrendum pauperibus. Quonam pacto possint de redditibus Beneficii disponere?

XI. Quandonam teneamur proximum fraternaliter corrigere, & quomodo? Quid si dubitetur, an correctio sit profutura?

XII. Num etiam cum gravi incommodo fieri debeat aliquando fraterna correctio? Et num præmitti ea debeat semper, antequam delictum denuncietur?

I. QUæritur primo, An teneamur spirituali necessitati proximi subvenire etiam cum periculo vitæ?

Respondeo, necessitatem spiritualem aliam esse extremam; quando scilicet aliquis non potest sibi aliunde providere; (ut si infans, aut amens baptizandus sit in periculo mortis): Aliam vero non esse extremam, quando scilicet quis aliunde potest sibi prospicere, & probabiliter prospiciet. His positis,

Dico primo; si proximus sit in extrema necessitate spirituali, charitas obligat ad succurrendum illi, etiam cum periculo vitæ; si tamen sit spes quod auxilium sit profuturum, nec detur periculum animæ propriæ in opem ferente. Dicitur enim Joan. 3. *Et nos debemus pro fratribus nostris animas ponere*. Quare si quis sit in extremo vitæ, & indigeat absolutione sacramentali, tenetur Sacerdos illam conferre cum periculo vitæ; dummodo tamen ex Malder., & Bonac. moraliter constet non esse illum propria contritione justificandum, nec esse alium, a quo absolvatur. Ita Valent., Navar., Malder., & alii apud Bonac. Ex quo sequitur nos non teneri ire ad Indos ad prædicandum Evangelium; nam sunt alii, qui id faciunt, & tenentur facere. Sequitur etiam, quod si quis injuste nos invadit, possimus illum occidere, si necessarium sit ad vitam tuendam, quamvis sciamus illum esse damnandum. Et ratio est, quia hic non laborat necessitate extrema, quandoquidem ex sua malitia se conjicit in tale periculum.

II. Dico secundo. Extra extremam proximi necessitatem spiritualem non tenemur proximo succurrere cum periculo vitæ, aut cum notabili detrimento famæ, aut facultatum, V. g., non tenemur adulterum ab adulterio cum vitæ periculo retrahere. Ita Doctores citati. Et ratio est, quia natura dedit nobis magnum jus ad vitam, & facultates, unde non est credibile, quod homines ad id obligarit. Id tamen intelligendum est de necessitate non extrema alicujus particularis; non vero alicujus Communitatis; nam Communitati etiam in gravi necessitate laboranti succurrendum est cum periculo vitæ; quia bonum spirituale communitatis prævalet bono privato. Quare tenetur Concionator cum periculo vitæ peccata publica reprehendere, quando imminet periculum ruinæ Communitati; ut accidit si peccata ex sua natura alios inficiant; Si tamen necessitas Communitatis sit levis, hoc est in qua sine magna difficultate potest sibi subvenire, non tenemur cum tanto periculo.

III. Dico tertio, ex D. Th. 2. 2. quæst. 21. art. 1. Valent., & aliis, Pastorem teneri ovibus suis succurrere cum periculo vitæ, quando sunt in gravi necessitate; nam *Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis*. Ratio est, quia cum major sit obligatio Pastoris, quam reliquorum, si reliqui tenentur in extrema necessitate, Pastor tenetur etiam in gravi necessitate subvenire: Immo ratione officii tenetur etiam inquirere, ex Bonac., & D. Th. 2. 2. quæst. 21. eos, qui laborant gravi necessitate spirituali, ut eis subveniat. Hinc sequitur quod tempore pestis non possit Pastor a suis recedere, nisi alios ministros idoneos, & sufficientes substituat.

IV. Dico quarto; licet non teneamur, possumus

mus tamen periculo vitam nostram exponere pro vita temporali aliorum; hic enim est actus honestus. Nam Joan. 5. dicitur, *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*; unde possumus servire peste infectis, dissolvere rixam pugnantium, permittere, quod occidamur ab injusto invasore, ne ille, si a nobis occidatur, damnetur. Possumus etiam tabulam nobis necessariam in naufragio cedere amico, dummodo aliis damnum in his casibus non eveniat; ut si ex mea morte sequeretur damnum grave meæ familiæ; cum non possim ergo cedere juri alterius.

V. Quæritur secundo, Utrum teneamur proximo in egestate constituto per eleemosynam subvenire?

Respondeo, certum esse dari grave præceptum divitibus de facienda eleemosyna. Nam Joan. 3. dicitur: *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua, quomodo charitas Dei erit in illo?* Et Matth. 5. damnantur propter omissam elemosynam illi, quibus dicitur, *Esurivi, & non dedistis mihi manducare*. Et 1. ad Timoth. ult. dicitur: *Divitibus hujus sæculi præcipe facile tribuere*. Et in cap. *Pasce* dicitur, *Quisquis pascendo hominem servare poteras, si non pavisti, occidisti*. Tenemur autem ex charitate, non ex justitia, ut communiter docent contra Mendoz. apud Dian. p. 5. tr. 8. res. 2.

Difficultas est, num ad eleemosynam teneamur in extrema solum necessitate proximi, an in gravi, an etiam in communi? Dicitur autem extrema, vel quasi extrema necessitas, quando proximus est in probabili periculo mortis, aut ægritudinis, & miseriæ, ex qua mors sequatur; aut in probabili periculo amittendi aliquod membrum; ut si quis fame, vel frigore pereat, nisi illi succurram; aut latro illi minetur mortem, nisi det decem aureos, quos non habet. Dicitur etiam ex Filliuc. probabiliter necessitas extrema, quando quis ad illam evadendam eligit mortem spiritualem, v. g., prostituere filias, aut seipsum turpi lucro: non tamen quando Titius vult seipsum interficere, nisi dem illi mille aureos; quia hæc est malitiosa necessitas, a qua ipse potest se liberare. Gravis necessitas dicitur, quam incurrunt, qui non habent necessaria ad suum, & suorum statum; ut quando vir nobilis caret pallio, ut decenter adeat ad Divina audienda; Vel si quis ære alieno gravatus in carcere detineatur, aut inter hostes captivus, aut si victu, & vestitu tenuissimo vitam transigat. Communis, & ordinaria necessitas est, quæ passim occurrit in pauperibus ostiatim mendicantibus, & cui passim subvenitur. Sciendum præterea, quod bona, alia dicuntur esse superflua vitæ, alia superflua statui. Superflua vitæ sunt, quando sine illis potest quidem vita sustentari, non vero decenter juxta personæ statum. Superflua statui sunt, quando sine illis non solum vita, sed etiam status decenter conservari potest. Damnata autem est ab Innoc. XI. prop. 12. dicens: *Vix in sæcularibus invenis etiam in Regibus superfluum statui; Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluis statui*. Intantum autem dicebant vix reperiri superflua statui, quia multi cum Dian. part. 1. tract. 16. resol. 18. putant cum Vasq., quod bona, quæ conservantur ad acquirendum altiorem statum sibi, vel consanguineis, non dicantur superflua statui; quia ascensus ad majorem statum revocandus est ad necessitatem, & convenientiam status præsentis. His positis,

VI. Dico primo; in extrema, vel quasi extrema proximi necessitate obligamur ad eleemosynam, etiam ex superfluis ad naturæ conservationem, & necessariis statui; quia ordine charitatis præferenda est vita proximi statui nostro decenti. Ita communiter contra nonnullos apud Dian. p. 1. tract. 16. resol. 26. Non est tamen improbabile ex Trull., Pal., Con., & Dian. part. 5. tract. 8. resol. 7., quod non teneamur in extrema necessitate aliorum dare, quæ omnino necessaria sunt ad tuum, ac tuorum statum; quia non tenemur vitam proximi conservare cum tanto detrimento, quale est fieri miserum. Immo Pal. cum Con. putat, te non teneri ingentes divitias etiam statui non necessarias expendere pro vita proximi, v. g. tria, vel quatuor millia aureorum; quia talis sumptus in morali æstimatione, & quoad Reipublicæ utilitatem pretiosior est vita hominis. Hinc non teneris pro infirmo Medicos longe distantes vocare, aut medicinas pretiosas dare, etiamsi scires sic ægrotum non moriturum, quia charitas non obligat ad media extraordinaria.

VII. Dubium est, An quis posit satisfacere extreme indigenti mutuando, an debeat donare?

Sot. putat, quod debeat dare, contra Navar., & Tolet. Probabilius putant Sanch., Tambur., Trull., quod si egens non habeat hic pecuniam, aut aliud, quo indiget sed habeat alibi, aut probabiliter credatur habiturus, satis sit mutuare; secus debeat illi dari gratis.

VIII. Dico secundo; in gravi necessitate proximi, quamvis multi apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 215. doceant, de necessariis ad statum teneri divitem sub mortali elargiri eleemosynam; probabile tamen est ex eodem Dian., & aliis non teneri; quia in pari necessitate præferenda est conservatio proprii status conservationi status proximi; Tenetur tamen dives sub mortali de superfluis statui succurrere gravi necessitati proximi. Ita communiter Doctores, quicquid contradi-

tradicant Rosell., Gabriel., D. Antonin. apud eundem Dian. p. 5. tract. 8. resol. 14., & Bonac. disp. 3. quæst. 2. punct. 5., quorum sententiam probabilem putat Malder., & Dian. part. 1. tract. 16. resol. 28., ac Mendo V. *Eleemosyna*. Ratio est, tum quia 2. ad Timoth. ult. dicitur, *Divitibus hujus sæculi præcipe facile tribuere*; quomodo autem facile tribuit, qui expectat necessitatem extremam proximi ad tribuendum? tum etiam quia charitas præcipit proximo succurrere sine gravi incommodo succurrentis; qui autem de superfluis statui largitur, sine gravi incommodo succurrit; Ergo de iis tenetur in gravi necessitate.

IX. Dico tertio. In communibus pauperum necessitatibus multi cum Dian. part. 5. tract. 8. resol. 17., & part. 8. tra. 15. resol. 22., & tra. 16. resol. 28. putant, non teneri nos ad eleemosynam de superfluis statui; quia si hoc esset, nemo posset aliquid de superfluis statui donare, aut in pios alios usus erogare; nec posset sine peccato superfluum acquiri nisi ad subveniendum pauperibus. Verum probabilior videtur sententia Bonac., & aliorum apud ipsum, quod teneatur quilibet, prout judicaverit, sine notabili suo incommodo. Et ratio est eadem; quia cum præcipiatur nobis ex Apost. facile tribuere, non debemus expectare necessitatem proximi extremam, vel gravem. Putat tamen Tambur., satisfacere huic obligationi, qui habens, v. g., centum aureos annui redditus, det duos in eleemosynam.

X. Dico ultimo. Probabiliter ex Granad. apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 214. satisfacit huic obligationi Episcopus, si quartam partem redditus Ecclesiastici det pauperibus; Et alii Beneficiarii, si quintam, aut sextam partem, dummodo residuum post suam congruam sustentationem piis operibus impendant. Ratio est, quia tantum obligantur ad abundantes, & frequentes eleemosynas; non vero ad dandum totum, quod superest, pauperibus. Communiter tamen ex Trident. sess. 25. cap. 1. docent peccari mortaliter, si redditus Ecclesiastici in profanos usus consumantur; Quicquid in contrarium doceat Lorca, quem novissime refellit Dian. part. 10. tract. 11. resol. 35.; Etenim talia bona appellantur in jure Canonico patrimonium Christi, bona Ecclesiæ, bona pauperum. Illud certum est, quod si donent, v. g. parentibus, vel aliis non indigentibus, valide donant, eo quod Beneficiarii vere sint domini talium fructuum; Qui tamen ad id excitant, vel inducunt, peccant cooperando peccato illorum.

Adde, quod Beneficiarius attenta consuetudine loci, in quo non adest spoliorum usus, potest valide, & licite testari non solum de bonis patrimonialibus, sed etiam de fructibus Beneficii necessariis ad congruam sui, & suæ familiæ sustentationem; unde ea potest consanguineis etiam divitibus relinquere. Verum fructus congruæ sustentationi superfluos non potest licite, nisi in pios usus erogare; quamvis valide de iis ad causas profanas disponeret, aut testaretur, cum Beneficiarii sint eorum domini. Ita Bonac. ex Less. lib. 2. cap. 4. dub. 6., nec qui talem donationem acceptat, tenetur ad restitutionem. Qua de re fuse diximus in tertio Opusculo Theologico de Beneficiis Eccesiasticis.

XI. Quæritur tertio; An, & quando teneamur proximum fraternaliter corrigere?

Respondeo, nos ad id teneri sub gravi, etiam ex præcepto naturali, (non secus ac tenemur subvenire proximo in suis necessitatibus) si tamen quatuor conditiones adsint, videlicet, quod peccatum proximi, sive etiam periculum peccandi sit moraliter certum; Quod sit spes emendationis (quamvis hæc conditio non requiratur in Prælato corripiente); Quod detur opportunitas personæ, & temporis, nec sit alius magis idoneus, qui id sit facturus; & demum quod sine notabili incommodo correctio isthæc fieri possit. Dixi, quod peccatum proximi debeat esse moraliter certum; nam si sit dubium, aut sciatur per auditum, aut per rumorem, tunc ad Prælatum spectat corripere; quia hic tenetur etiam inquirere peccata subditorum ad correctionem faciendam; Reliqui tamen nonnisi in casu, quod peccatum redundet in damnum Communitatis, ut est hæresis, vel in damnum innocentis; aut si sit spes probabilis, quod proximus non sit id ægre laturus.

Quando tamen in aliquo habetur ignorantia invincibilis de legis transgressione, (ut si quis die festo laboret ignorans illum esse diem festum) non tenemur ad correctionem, si non sit spes utilitatis, vel si timeatur scandalum; secus tenemur ignorantiam illam depellere, & impedire materialem illam legis transgressionem; ad id autem non tenemur ex præcepto correctionis, sed ex virtute Misericordiæ spiritualis, cujus est docere ignorantem; atque adeo non tenemur sub gravi, ex Bonac., & aliis.

Dubium est primo; An teneamur ad correctionem, quando dubitatur, an ea sit profutura?

Respondeo cum Dian. part. 3. tract. 5. resol. 23., quod si dubium sit, an correctio sit animæ proximi nocitura, ut si ille eatenus inducendus sit in blasphemias, contumelias, &c., non tenemur, quia prævalet præceptum de non nocendo alteri, quam de adjuvando illum; propterea non tenemur corrigere proximum, cujus naturam, & indolem ignoramus; nisi forte in articulo mortis, ne pereat, aut peccatum vergat in damnum Communitatis. Si tamen dubium solum sit, An correctio sit profutura, & non

non sit dubium, an ea sit nocitura animæ proximi, sed solum bonis illius temporalibus v. g. quia proximus non parum de illa tristaretur, tunc ex Trull. tenemur illum corrigere, quia bonum animæ præferendum est bono corporis.

XII. Dubium est secundo; An teneamur aliquando proximum corripere, etiam cum notabili damno proprio, immo etiam cum periculo vitæ?

Respondeo, Prælatum ad id teneri, si sit spes emendationis; reliqui vero ad id tenentur solum, quando proximus est in extrema necessitate, ut si sit in extremo vitæ, & aliter sit damnandus. Notat tamen Dian. part. 4. tract. 4. res. 128. ex Sa, & Granad. raro omissionem correctionis esse peccatum lethale, quia raro concurrunt quatuor illæ conditiones enumeratæ; præsertim quia sæpe potest proximus ex se resipiscere; unde sæpe non est in necessitate spirituali talis correctionis; unde raro ad illam cum gravi incommodo obligamur sub gravi.

Dubium est tertio; An correctio fraterna præmitti debeat ante denunciationem cujuscumque delicti?

Respondeo cum D. Th. 2. 2. qu. 33. art. 7. negative. Si enim peccata sint publica, remedium publice adhibendum est. Nec habet tunc locum illud Christi Domini, *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe illum*; nam si peccatum sit publicum, peccat ille in omnes, quos turbat. Et eadem est ratio de peccato occulto, quod vergit in damnum proximorum sive spirituale, sive corporale, ut est hæresis, conjuratio, &c., Quare quando proximus non in te solum, sed in alios peccat, statim est denunciandus; nisi forte pro certo habeas, quod sit per secretam admonitionem corrigendus. Idque decrevit Sacra Congregatio anno 1660. approbante Alex. VII., ut notavimus in Trutina damnatarum Thesium exponendo quintam thesim ab eo Pontifice proscriptam.

QUÆSTIO XII.

De Octavo Decalogi Præcepto.

Non loqueris falsum testimonium.

A Quarto ad octavum Decalogi præceptum gradum facimus; diximus quippe in Procemio hujus tractatus, de quinto, septimo, ac decimo precepto agendum esse in de Restitutione anno insequenti; de sexto vero, & nono in tractatu de Matrimonio. In octavo itaque præcepto prohibetur omnis injuria verbo illata proximo tam in judicio, quam extrajudicialiter. In judicio autem injuria committi potest, vel a Judice injuste judicando, vel a teste falsum deponente, vel a reo injuste negante, vel a falso accusatore, vel ab Advocato iniquam causam defendente. Extra judicium vero committitur mendacio, detractione, conviciis, contumelia, & improperio, susurratione, irrisione, maledictione, & judicio temerario. De his autem agemus cum de Restitutione, inquirentes quid pro tali injuria restituendum sit. Hic tantum agendum de injuria, quæ in judicio committitur, & quam primario hoc præceptum prohibet.

ARTICULUS I.

De Forma Juris a Judice servanda.

I. Forma juris, seu Legum dispositio a Judice servanda est, tum in modo procedendi, tum in ferenda sententia.

II. Modus procedendi juxta formam juris est triplex, per Accusationem, per Denunciationem, & per Inquisitionem; Hæc autem triplex est, Generalis, Particularis, & Mixta.

III. Ut per Inquisitionem generalem procedat Judex, non prærequiritur Infamia, nec Accusatio. Debent tunc manifestari delicta, si delinquentes laborent infamia.

IV. Ad Inquisitionem specialem prærequiritur accusatio, quæ sufficienter habetur per infamiam, aut per publicum rumorem.

V. Infamia habetur per vocem multorum, quin taxetur numerus, sed arbitrio Judicis relinquendus.

VI. Num sufficiant indicia certa, ut possit fieri specialis Inquisitio?

VII. Quid prærequiritur ad Inquisitionem Mixtam?

VIII. In quibusnam casibus fieri potest Inquisitio specialis, nulla infamia præeunte?

IX. Quanam forma debet procedere Judex post accusationem, aut denuntiationem Rei?

X. Num licite procedat Judex propter meram querelam, aut denunciationem sine prævia infamia?

I. Judex multipliciter potest injuriam irrogare proximo in ferenda sententia, videlicet si non servet formam juris; si sine jurisdictione, seu potestate judicet; si in ferenda sententia judicet injuste, aut tarde; si careat debita scientia; si munera a parte accipiat, &c. De quibus omnibus breviter agendum, ac primo quidem de forma Juris a Judice servanda.

Præmitto tamen, duplicem dari formam Juris in judicando, alteram in modo procedendi, alteram in modo ferendi sententiam. Etenim sententia ferri debet juxta utramque formam Juris seu dispositionem legum, ex cap. 1. *de Sententia, & re judicata*. Et ratio est, quia sententia judicativa est declaratio legis, & juris in casu particulari; ergo ferri debet juxta dispositionem legis; unde fit, ut qui leges ignorat, teneatur consultorem eruditum habere rerum, cujus consilio utatur; aliter peccabit graviter, & tenebitur ad damni restitutionem.

II. Verum circa formam juris in modo procedendi sciendum, tripliciter posse Judicem procedere juxta legum dispositionem, videlicet per Accusationem, per Denunciationem, & per Inquisitionem. Accusatio est delatio criminis a spondente se illud probaturum: Denunciatio judicialis est delatio criminis sine tali onere facta coram Superiore tanquam judice, ut delictum puniat, & satisfactionem imponat; Et per hoc distinguitur a Denunciatione extrajudiciali, quæ fit coram Superiore, tanquam Patre, non ut puniat, sed ut corrigat reum. Utrovis modo procedat Judex, sive per accusationem, sive per denunciationem, procedere debet ad instantiam partis. Ex consuetudine autem accusationi succedit querela, ratione cujus procedere potest judex ad capiendas informationes, ad examinandos testes vel productos ab accusatore, vel a denunciante nominatos, & ultimo ad examinandum delinquentem juxta communem praxim. Procedere etiam poterit ex Azor. cap. 22. Judex per evidentiam criminis, & per deprehensionem in flagranti delicto.

At circa modum procedendi per Inquisitionem notandum, triplicem esse Inquisitionem, Generalem, Specialem, & Mixtam. Generalis inquisitio dicitur, quando a judice inquiritur delictum in communi, ut faciunt Prælati in civitate suæ Diœcesis. Specialis dicitur, quando inquiritur aliquod delictum particulare de persona particulari; v. g., an Titius commiserit adulterium. Mixta dicitur, quando vel de persona particulari inquiritur crimen in communi, ut si quæratur, an Titius sit flagitiosus, vel de persona in communi crimen particulare, ut si invento cadavere occisi quæratur, quinam fuerit homicida. His explicatis,

III. Quæritur primo, Quænam forma juris a judice servanda est, quando procedit per Inquisitionem?

Respondeo, & dico primo; ut judex procedere possit per inquisitionem generalem, (quæ dicitur esse ex officio, & non ad instantiam partis) non prærequiritur infamia, vel accusatio, vel denunciatio; aliter non esset consultum publico bono. Quamvis autem facta generali Inquisitione nemo teneatur manifestare delicta occulta; (nisi quando talis manifestatio esset necessaria ad bonum commune, vel ad utilitatem, & emendationem delinquentis) tenetur tamen quilibet ea manifestare, quorum auctores laborant infamia de aliquo delicto; quamvis nemo teneatur seipsum, aut complices manifestare.

IV. Dico secundo; Ut procedat judex per Inquisitionem specialem, per quam intenditur pœna delinquentis, prærequiritur infamia, aut clamorosa insinuatio, seu vox totius populi, & publicus rumor de tali delicto, ut præscribitur in cap. *Cum oportet*, *De Accusationibus*. Et ratio est, quia judex non potest sic procedere, nisi præcedat aliqualis accusator, qui sufficienter habetur per infamiam, vel publicum rumorem.

V. Est autem infamia frequens vox proborum virorum, quæ hominem de tali delicto suspectum reddit; ut notat Sanch. l. 2. de Matrim. disp. 46.; Ubi etiam docet, quid requiratur, ut fama probet, & probetur. Dubium est, quot homines ad infamiam requirantur. Docet Sot. cum aliis apud Bonac., quod requirantur decem; Navar. requirit majorem partem populi, vel saltem vicinorum. Avil., & Molin. putant relinquendum id judicio prudentis viri; quia nihil in jure præscribitur; & cum infamia sit vox multorum, non potest numerus taxari, quia decem in magnis populis sunt pauci, & in modicis multi.

VI. Ex dictis sequitur, non sufficere ad specialem inquisitionem indicia manifesta, præcisa consuetudine in contrarium. Ratio est, quia in jure prærequiritur vel infamia, vel clamorosa insinuatio; ergo indicia manifesta non sufficiunt. Adde, quod indicia certa in judicio sunt minoris probationis, quam duo, vel tres testes. Innoc. quippe III. in cap. *Accusationis*, *de inquisitionibus* statuit, non posse judicem inquirere contra non infamatum, etiamsi duo vel tres testes asserant se vidisse delictum ab homine committi. Ita Navar., & Valent. contra Sa, Molin., Azor., qui putant etiam unum testem sufficere, ut judex possit contra aliquem inquirere, atque adeo sufficere etiam indicia certa. Verum Bonac. utramque sententiam conciliat dicendo, ibi hoc permitti, ubi est talis consuetudo, quæ potest derogare juri positivo; Et sic in multis locis est praxis, quod invento cadavere, habitisque indiciis de aliquo, formetur contra illum inquisitio: quia id expedit ad bonum publicum, quod prævalet infamiæ personæ particularis, quæ sequitur ex tali inquisitione.

VII. Dico tertio; Ut procedat judex per Inquisitionem mixtam, requiritur vel infamia, vel clamorosa insinuatio, (ut dictum est de Inquisitione speciali,) vel etiam indicia juxta receptam loci consuetudinem, vel semiplena probatio, & accusatio. Ita Less., Navar., & alii apud Bonac.

Ratio

Ratio est, quia videtur famæ personarum, & bono publico expedire. Dicitur autem semiplena probatio dictum unius testis oculati fide dignissimi id deponentis in judicio cum juramento. Indicia autem certa, indubitata dicuntur, quæ sufficiunt, non solum ad examinandum, sed etiam ad torquendum reum, vel ad deferendum illi juramentum; Delatio enim juramenti quædam tortura est. Talia indicia sunt fuga delinquentis statim post crimen commissum, nisi forte suspectus purget suspicionem comparendo statim post citationem: Item gravis inimicitia conjuncta cum aliis indiciis, vel existentia rei furto ablatæ apud delinquentem, &c. Hæc tamen indicia non sunt satis ad puniendum reum pœna ordinaria, quia fieri potest, ut non sit reus: Indicia vero, quæ reputantur levia, sufficiunt solum ad capiendum reum, ne fugiat, non vero ad illum examinandum; Et tale indicium ex Azor., & Sylvest. est dictum socii criminis, quod satis est ad capiendas contra illum informationes, & ad illum capiendum, ne fugiat, non vero ad illum examinandum, & torquendum. Indicia demum, quæ reputantur gravia, sed non indubitata, sufficiunt ad reum capiendum simul, & examinandum, non tamen ad illum torquendum.

Ex dictis sequitur primo, quod, si publice constet commissum esse homicidium, possit de illo fieri inquisitio generalis, seu mixta, quisnam illud commiserit: non vero specialis contra aliquem, nisi præcedat infamia, vel accusatio, vel semiplena probatio. Ita Molin., Valent., Reginald. contra Sot. apud Bonac.

Sequitur secundo, idem dicendum de judice regulari, qui non potest inquirere delicta, nisi in casibus, in quibus potest judex Ecclesiasticus, & Sæcularis, ut notat Sanch. lib. 6. Consil. cap. 8.; atque adeo si duo, vel tres jurent se vidisse delinquentem, non potest fieri inquisitio specialis, si non præcedat infamia, ex cap. *Inquisitionis*, *De accusationibus*, aut nisi aliter ferat consuetudo; Nec est puniendus judicialiter ille delinquens, nisi fraterna correctione præmissa processum sit per denunciationis viam, ut habent expresse Cajet., Navar. ex D. Th. 2. 2. quæst. 32. art. 7. ad 5., quando tamen ex non inquirendo religionis pernicies, aut aliud damnum notabile non timeretur.

Sequitur tertio, quod in inquisitione mixta generali, quando judex interrogat de veritate alicujus criminis notorii, cujus auctorem pauci norunt, nemo teneatur veritatem, seu auctorem criminis aperire, nisi præcedat infamia, vel semiplena probatio, vel accusatio de criminis auctore. Ita Bonac., Less. contra Azor., Sylvest., & alios, qui putant teneri auctorem criminis aperire, etiamsi ipse solus noverit.

Sequitur quarto, quod qui suum delictum confessus est, vel de illo est convictus; non possit interrogari de aliis delictis, de quibus non extat contra ipsum infamia, vel certa indicia, nisi cum priori delicto connexionem habeant; quamvis in aliquibus locis contrarium sit usu receptum, ut notat Julius Clarus l. 5. quæst. 64.

Sequitur quinto, quod quando reus suum crimen confessus est, neque possit interrogari de crimine sociorum, quando illorum crimen est occultum, ex *leg. final. ff. de accusatione*; nisi tamen crimen ejus rationis sit, ut sine alio committi non possit; ut est adulterium, sodomia, &c.; Vel publico bono repugnet, ut sunt crimina læsæ Majestatis, latrocinia, falsa moneta, assassinia, &c.; tunc enim debet interrogari, & tenetur reus revelare complicem occultum, quia præceptum non scandalizandi fortius obligat, quam præceptum non infamandi; in his enim casibus sequeretur scandalum, si remaneret impunitus socius criminis, quando crimen, quod est publicum, fert de se socium: Quamvis Trull. dub. 22. putet id esse verum, quando delictum est valde atrox, itaut si non puniatur, magnum, & certum scandalum sequatur.

VIII. Rogabis, An dentur aliqui casus, in quibus nulla præcedente infamia possit fieri inquisitio vel generalis, vel specialis?

Respondeo, dari. Primus est, quando talis inquisitio necessaria est ad præcavendum malum futurum, etiam privatum, præsertim animarum; V. g. ad impediendum crimen hæresis, læsæ Majestatis, &c. Ratio est, quia bonum animæ præstat bonis famæ, honoris, &c., & melior est conditio innocentis. Unde fit, ut hæreticus, etiam occultus, debeat manifestari. Secundus est, quando non proceditur ad puniendum delictum, sed vel ad celebrandum, v. g. matrimonium, vel ad conferendum beneficium, vel ad eligendum, &c., in quibus casibus reus tenetur vel se prodere, vel a tali matrimonio, aut beneficio abstinere. Tertius, quando suspicio communis supplet vicem infamiæ. Quartus est, quando delictum committitur coram ipsis judicibus; vel si incidenter illud reus confessus est, quia fit tunc notorium notorietate juris, quod sufficit ad specialem inquisitionem; non tamen si confessio facta sit metu tormentorum, & postea revocetur quia perinde est ac si facta non fuisset.

IX. Quæritur secundo, Quænam sit forma juris servanda a judice in accusatione, & denunciatione?

Respondeo, judicem juridice procedere via accusationis, si post accusationem interrogat testes, & postea, habita saltem semiplena probatione, procedit ad interrogandum reum. Ita communiter; quamvis Clavis regia, & alii putent sufficere ad reum interrogandum indicia manifesta.

sta. Ubi notandum, quod si crimen probatum est per duos, vel tres testes omni exceptione majores, judex procedere potest non solum ad examinandum, sed etiam ad comdemnandum reum; Si vero per unum tantum testem crimen probatum est, procedere solum potest ad reum examinandum, & torquendum; idque verum est, etiamsi judex non procedat via accusationis proprie dictæ, sed per querelam, vel per denunciationem juridicam; quæ scilicet fit coram judice in ordine ad punitionem Rei, non vero per denunciationem Evangelicam, quæ fit Superiori tanquam Patri in ordine ad correctionem delinquentis.

X. Dubium tamen est; An licita sit talis praxis procedendi propter meram querelam, vel denunciationem ad capiendas informationes, & indicia, quibus habitis, formetur specialis inquisitio?

Sot. Navar., & alii illam damnant, quia qui sine prævia infamia inquirit, præbet occasionem detrahendi, seu infamandi delinquentem nondum laborantem infamia, quod est contra jus naturale, & divinum. Verum Less.l.2.c.28. Azor., aliique illam permittunt, dummodo fiat in gravibus causis, & quando necesse est ob Reipublicę utilitatem. Ratio est, tum quia si id non permitteretur, multa crimina remanerent impunita; tum etiam quia jure tantum humano introductum est, ut non fiat specialis inquisitio sine prævia auctoris infamia, ex cap. *Accusationis*, *de Inquisitionibus*; Jus autem humanum per contrariam consuetudinem aboleri potest.

ARTICULUS II.

De jurisdictione in Judice requisita.

I. Requiritur Jurisdictio in Judice, ut valide sententiam ferat, sive ea sit ordinaria, sive delegata, sive Arbitraria, sive Accessoria.

II. Judices sæculares num possint vi consuetudinis immemorabilis aliquam sententiam ferre adversus Ecclesiasticos?

III. In pluribus casibus permittitur Judicibus laicis de Clericis cognoscere.

IV. Qui patrato delicto assumpsit habitum Clericalem, aut Religiosum, poterit ne a Judice laico puniri?

V. Clerici turbantes Rempublicam possunt a judice laico reprimi, capi; & illico Superiori Ecclesiastico tradi, ut puniantur.

I. QUæritur primo, An, & quæ jurisdictio requiratur in Judice in ferenda sententia?

Respondeo, certum esse requiri ad sententię validitatem in Judice potestatem, seu jurisdictionem. Sententia enim, seu judicium est quædam lex particularis; lex autem non potest valide ferri a non habente jurisdictionem. Quando autem aliquis ex errore communi cum titulo colorato putatur verus Judex, tunc etiam jurisdictionem veram habet, ut dicemus in de Pęnitentia; quia Superior in bonum commune confert in tali casu judici putato veram jurisdictionem, ex leg. *Barbarius*; quod etiam multi probabiliter docent verum esse ubi datur opinio de jurisdictione in judice, aut error communis sine titulo colorato.

Præterea quælibet jurisdictio satis est ad reddendum judicem competentem, & ad sententię validitatem, sive ea ordinaria sit, sive delegata, sive arbitraria, sive accessoria. Est autem potestas, seu jurisdictio ordinaria, quæ alicui competit ratione sui officii, quia scilicet ex jure, vel ex consuetudine, aut ex præscriptione tali officio competit. Hanc habet Papa, & Episcopus respectu suorum subditorum in rebus ad animæ salutem pertinentibus; necnon Vicarius Generalis Episcopi vivente Episcopo. Delegata est illa, quæ alicui competit ex concessione illius, qui ordinariam habet potestatem. Arbitraria est illa, quæ alicui competit ex communi consensu partium litigantium; ut si quis a collitigantibus vel eligatur in Arbitrum, qui amicabiliter componat litem, vel eligatur in judicem, qui juxta ordinem juris sententiam ferat. Accessoria demum est illa, quæ alicui aliunde accedit, v. gr. ratione delicti in proprio territorio commissi a non subditis, ex leg. *ultima*, *ff. de Accusationibus*. Et eadem ratio est, si quis injuriam irrogavit subdito alterius superioris; Si enim Superior ejus, qui injuriam fecit, interpellatus omittit injuriam vindicare, poterit id facere superior ejus, qui injuriam accepit.

Hinc infertur primo, invalide judicare, qui absque aliqua ex dictis potestatibus judicat: Et qui alienam potestatem usurparet, mortaliter peccaret; immo teneretur ad restitutionem damni secuti, qui usurpatione judicii peccaret contra justitiam.

II. Infertur secundo, mortaliter peccare judices sæculares judicando aut de personis Ecclesiasticis, aut de rebus spiritualibus. Immo incurrunt excommunicationem in Bulla Cœnæ; cum Trid.sess.23.cap.20 eximat Ecclesiasticos ab eorum jurisdictione: Nec possunt tali privilegio Ecclesiastici cedere, quia hoc non est privilegium personale, sed toti communitati Ecclesiasticę indultum. Quare, ut notat Sanch.apud Trull., si pecora Clerici damnum inferant pascuis alienis, judex secularis non potest ea capere, sed ad summum punire potest pastores sęculares propter malam custodiam, ut solvant pœnas, & damna. Quamvis in hac re attendenda

denda potius sit legitima, & approbata consuetudo: quia in consuetudine immemorabili præsumitur privilegium, nec laici videntur incapaces privilegii judicandi de Ecclesiasticis ex consensu Pontificis, ut docet Bonac. hic §. 3. cum Suar.: Sed verius Azor., & alii docent, quod omnis hujusmodi consuetudo sublata sit per Bullam Cœnæ in Excommunicatione decima quinta.

III. Possunt autem in sequentibus casibus judices laici de Clericis cognoscere. Primo, si Clericus sit degradatus, & brachio seculari traditus. Secundo, in casu reconventionis civilis; si enim Clericus laicum convenit apud judicem sæcularem, potest apud talem judicem reconveniri in causa tantum civili; (si scilicet putet laicus aliquam actionem habere contra eundem Clericum in causa civili). Unde Clericus tenetur stare sententiæ talis judicis, ex c. 1. & 2. *De mutuis petitionibus*: Quamvis non possit cogi ab eodem judice, ut stet tali sententiæ. Tertio, ex Trident. sess. 23. c. 6. Clericus prima tonsura, aut etiam minoribus ordinibus insignitus amittit privilegium fori, nisi beneficium habeat, aut habitum, & tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat; Vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua schola, vel universitate quasi in via ad majores Ordines de licentia Episcopi versetur. Quarto, si Clericus fiat bigamus, vel bigamia vera, ducendo successive duas uxores, vel interpretativa, ducendo viduam, ex *c. unico de bigamis in 6.* Quinto, in causa feudi; Clericus enim in iis, quæ pertinent ad feudum, subjicitur domino feudi, quamvis sæculari, ex cap. *Verum de foro competenti*: Unde fit, Clericum teneri stare juramento fidelitatis præstito domino directo feudi. Sexto, si quis patrato delicto in fraudem assumpsit habitum clericalem: fraus enim nulli debet patrocinari. Putat tamen Bonac. contra communiorem, quod non dicatur assumere in fraudem, qui patrato delicto assumit habitum clericalem animo simul inserviendi Deo, & subtrahendi se a potestate sæculari; sed solum si id faciat animo vitandi forum; Censetur autem suscipere habitum clericalem ad vitandum forum, qui statim patrato delicto, aut postquam fuerit diffamatus, habitum clericalem assumit. Immo ex Bulla Sixti V. Religiosus qui patracto delicto assumpsit habitum religionis, nec gaudet privilegio fori, si ad religionem admittatur non adhibita a Superioribus inquisitione præscripta, an videlicet aliquod delictum commiserit? An ære alieno sit gravatus?

IV. Sed notat Bonac. n. 18., quod qui patrato delicto in fraudem fori sæcularis assumpsit habitum vel clericalem, vel religiosum, possit quidem puniri a judice laico pœna pecuniaria, non tamen corporali; quia per susceptionem habitus effectus est de sorte, & hæreditate Christi Domini; Nam Clericus idem sonat, ac in sortem Domini vocatus; Unde par non est, quod corporaliter potestati sæculari subjiciatur.

V. Demum possunt a judicibus sæcularibus Clerici Rempublicam turbare, vel homicidium committere tentantes reprimi, & capi, ut a malo cessent, & suo legitimo judici tradantur. Possunt etiam similiter capi in flagranti crimine, si periculum est, quod fugam arripiant; Immo ex Farinac. possunt spoliari armis, quæ Principum edictis deferri prohibentur, & tradi Ecclesiastico judici, ut puniantur: Quod tamen negat Decian. apud Bonac., tum quia Clerici non tenentur vi coactiva legibus Principum sæcularium, tum quia delictum hoc non est adeo grave, ut debeat ob illud Clericus laicæ subjici potestati.

ARTICULUS III.

De Judice in ferenda sententia.

I. Judici non licet in ferenda sententia sequi opinionem minus probabilem, omissa probabiliore. Cur id liceat Confessariis?

II. In causis civilibus, in quibus opiniones circa jus sunt æque probabiles, universim potest judex causam adjudicare, cui mavult, favendo tamen Reo, prout fieri potest. At si opiniones sunt æque probabiles circa factum, debet dividi res, aut pretium rei.

III. In causis vero criminalibus, quando opiniones circa factum sunt æque probabiles, sequenda est opinio magis favens Reo.

IV. Judex inferior nequit damnare Reum, si solum privata scientia sciat illum esse reum. Potest tamen debitorem hujusmodi cogere ad solvendum.

V. Judex supremus regulariter non potest Reum condemnare, nisi citatum, & auditum.

VI. Num possit Judex damnare juridice Reum, si privata scientia sciat illum esse innocentem? Probabilius id non licet in causis capitalibus, sed solum in civilibus, ac levis momenti.

VII. Quænam munera accipi possunt a Judice, præciso juramento de non acceptandis muneribus a partibus, & præcisis legibus id vetantibus?

VIII. Pretium acceptum pro ferenda sententia injusta, post illam non est restituendum; sicut restitui debet pretium pro ferenda sententia justa.

IX. Leges positivæ vetantes munerum acceptionem non allicientium ad injustitiam probabiliter non obligant sub mortali; secluso jura-

juramento quod a Judicibus præstetur de iis non acceptandis.

X. *Dari possunt Judici munera ad vexationem injustam redimendam. Sed non est de facili credendum, quod ea intercedat; nec quod propter munera diligentius merita causæ ille sit discussurus.*

I. QUæritur primo; An possit Judex in judicando sequi opinionem probabilem, omissa probabiliore, & tutiore?

Respondeo, damnatam esse ab Innoc. XI. propos. 2., quæ dicit: *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Et ratio est, quia a Republica constituitur, ut unicuique tribuat jus suum juxta merita causæ; Illa autem pars, pro qua stat opinio probabilior, habet majora merita causæ, & majus jus; ergo pro illa judicandum; alioquin judex erit acceptor personarum.

Neque dicas, licitum esse Confessario, qui est judex in foro interno, judicare secundum opinionem minus probabilem, etiamsi agetur de damno alterius, puta de restitutione facienda; ergo etiam id licebit judici in foro externo.

Nam concesso antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia in foro externo judicare debet inter partes juxta uniuscujusque merita; at in foro interno confessarius judicat inter Deum, & hominem, ut homo præstet Deo debitam satisfactionem; hanc autem præstare potest sequendo opinionem probabilem relicta probabiliori.

II. Notandum hic, quod in causis civilibus si opiniones sint æque probabiles ex parte juris, potest judex sequi quam maluerit, & cessante scandalo potest modo unam, modo alteram sequi. Ratio est, qui cum utraque sit probabilis, prudenter agit, quamcumque sequatur: Quamvis si una sit benignior altera, & magis favens Reo, illa sequenda sit; Sicut etiam si faveat juramento, matrimonio viduæ, pauperibus, operi pio, aut si defendat valorem actus, etiamsi in præjudicium Rei, ut notat Navar. Quod si in iisdem causis civilibus opiniones sint æquæ probabiles ex parte facti, (quatenus scilicet utraque pars probat causam suam testibus, & scripturis æque idoneis) debet judex componere partes inter se, dividendo rem, aut pretium rei, si hæc sit indivisibilis. Ratio est, quia cum probationes litigantium sint æquales, æqualia pariter sunt ipsorum jura in rem, atque adeo judex debet illam dividere.

III. In causis autem criminalibus, quando opiniones etiam ex parte facti sunt æque probabiles, amplectenda est opinio magis favens Reo, ut communiter Doctores docent. Ratio est, quia in criminalibus accusator, vel fiscus se habet ut aggressor; & reus ut aggressus, ac se defendens; Omnia autem jura dictant aggresso, & se defendenti favendum potius esse, quam aggressori. Quamvis Bon. punct. 9. num. 15. apud Trull. putet non esse improbabile, quod in opinione æque probabili, sive ex parte juris, sive ex parte facti, possit judex sequi sententiam, quam maluerit, tam in causis civilibus, quam in criminalibus, nisi aliter ferat consuetudo, vel decreta. Damnatur tamen ab Alex. VII. propos. 26. dicens: *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.*

IV. Quæritur secundo, An judex damnare possit reum non auditum; aut quem ex privata scientia cognoscit esse reum, si juridice sit innocens?

Respondeo, & dico primo; Judex inferior non potest condemnare reum, qui non sit citatus, & auditus cum omni judicii solemnitate, nec illum, quem ex sola privata scientia habet reum. Ratio est, quia tenetur parere juri naturali, & legibus communibus ad ordinem juris pertinentibus. Quare si secus faceret, peccaret contra justitiam, & teneretur ad restitutionem. Scimus autem Deum ipsum non protulisse sententiam contra Adamum, nisi prius vocatum, auditum, & defensum. Notat tamen Dian. part. 2. tract. 5. resol. 98., quod si agatur non de puniendo, sed de avertendo malo in posterum imminente aut Reipublicæ, aut innocenti, possit judex ex privata scientia jubere, ut auctor interficiatur, si alia via non suppetit; quia tunc non agit ut judex ex auctoritate publica, sed ut privatus, se, aut rem sibi commissam defendens, occidendo aggressorem cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Oppones: Potest judex cogere ad restituendum, quem privata tantum notitia cognoscit debitorem; ergo etiam damnare, quem privata tantum notitia cognoscit reum.

Respondeo, nego consequentiam. Ratio est, quia sicut potest creditor uti compensatione, & tertius aliquis conatum, & operam suam præstare, ut creditori debita satisfactio exhibeatur; ita potest judex ad id suam auctoritatem interponere, non vero ad damnandum reum auctoritate publica. Immo, ut notat Bonac. quæst. 2. punct. 2. neque potest judex præter solutionem debiti damnare debitorem ad aliam pœnam pecuniariam ex privata scientia; quia pœna non imponitur, nisi crimine probato

V. Dico secundo; neque judex supremus potest ordinarie ex privata scientia aliquem condemnare; nec nisi citatum, & auditum. Ratio est, quia non censetur Respublica suam potestatem in principem transtulisse, nisi eo modo, ut jus gentium servet; & prout utile est ad bo-

ad bonum regimen. In aliquo tamen raro casu ex Covar. posset id facere: Verbi gratia, si quis Reginæ vim intulisset, & solus Rex id cognoscat, aut si conjuratio fieret in principem, nec expediret resciri personas, posset illas veneno, aut alia via interficere; quia in tali casu videtur Respublica consentire.

Eodem modo potest in quibusdam casibus reum non citatum, auditum damnare. Primo, ut notat Bonac. loc. cit., si crimen sit publicum, &, ut addit Sanch., certo constet nullam defensionem esse reo. Ratio est, quia citatio interponi debet, ut reus se defendat; quare si constat nullam esse defensionem, frustranea esset citatio. Proinde sæpe latrones in crimine reperti statim suspenduntur sine processu, quia factum publicum est loco accusatoris, & testium.

Secundo, si quis contra Rempublicam, vel alios privatos perniciem machinetur, & sit periculum in mora. Ratio est, quia hoc non esset punire delictum, sed se defendere, & impedire damnum imminens.

Tertio, si crimen notum sit Principi, & tribus aliis, sed sine gravi incommodo non possit juridice probari, posset interfici reus occulte, ut notat Less. apud Trull.

VI. Dubium est; An vice versa possit judex damnare reum juridice probatum, si ex privata scientia cognoscat illum esse innocentem?

Respondeo, D. Th. 2. 2. quæst. 67. art. 2. Sanch. lib. 6. Consil. cap. 1. dub. 17., aliosque apud Tambur., & Bonac. loc. cit. affirmare. Ratio est, quia judicare pertinet ad personam publicam; ergo judex in judicando sequi debet notitiam publicam, non privatam, quando non potest effugere, quin judicet. Verum communius cum Scotistis, & Less. lib. 2. cap. 29. num. 84. docent in causis gravibus id non licere, etiamsi deberet cæteroqui judex & officium, & vitam ipsam amittere. Ratio est, quia occidere innocentem est intrinsece malum. In causis autem levibus id permittunt, videlicet in causis civilibus, aut in pœna modici momenti. Ratio est, quia cum frequenter hi casus accidant, ne juris ordo pervertatur, & ne detur occasio judicibus, ut etiam reos liberent prætextu, quod cognoscant illos esse innocentes, publicum bonum id exposcit. Et disparitas ulterior est manifesta, quare scilicet id liceat in causis levibus, non in gravibus; quia judex, & Respublica non habent potestatem in vitam innocentis, habent vero potestatem in bona externa, & facultates civium; itaut possint propter bonum publicum eas uni auferre, & dare alteri; Præsertim quia in tali casu adhuc innocens habet jus utendi deinde occulta compensatione contra illum, cui propriæ facultates per sententiam judicis translatæ sunt, cum sententia injusta non obliget.

VII. Quæritur tertio, Utrum judex possit pro ferenda sententia in favorem unius partis accipere munera, quæ dari solent ad ejus animum movendum?

Respondeo Petrum Navar., aliosque apud Dicastil., & Tambur. lib. 9. cap 2. permittere; quod judex accipiat munera a partibus, si ea donentur titulo amicitiæ, vel alio titulo; non tamen si ea dentur ad animum movendum; Quod tamen Dicastil. reprobat, quia Eccles. 20. dicitur, *Xenia, & dona excæcant oculos judicum*. Sed probabilius Tambur. docet, quod præscindendo a juramento, quod emittunt judices de non admittendis muneribus, & præscindendo a legibus positivis id vetantibus, si munera accipiantur a judice, itaut non sit periculum proximum, quod ab iis ad injustitiam moveatur, possit ea accipere sine obligatione restitutionis; & talia solent esse esculenta, quæ paucis diebus consumentur, & res parvi momenti; si vero adsit tale proximum periculum, illicite accipiuntur; immo ante causam expeditam restitui debent, cum debeat judex removere periculum suæ subversionis: nisi (forte confessione, jejuniis, & eleemosyna ita se muniat, ut a proximo periculo peccandi sit immunis). Causa vero expedita, potest ea retinere, quia gratis data sunt, nec restitui debent ratione periculi subversionis, quia finita causa non est amplius locus tali periculo.

VIII. Pretium autem datum pro ferenda injusta sententia, quamvis ante illam restitui debeat, at non post illam, ut alias diximus; esto pretium acceptum pro justa sententia ferenda restitui debeat etiam post illam.

IX. Notat idem Tambur., quod judices sæculares, si contra leges positivas juris communis accipiant munera, quibus non alliciantur ad injustitiam, (quod tamen raro contigit,) probabiliter non teneantur ad restitutionem, antequam damnentur ad illam; immo probabiliter nec peccent mortaliter, præscindendo a juramento, quod emiserunt. Nonnulli enim probabiliter cum Navar., & Valent. putant leges sæculares saltem de facto, ad mortale non obstringere, nisi id expresse declarent; Immo addit, idem dicendum probabiliter de judicibus Ecclesiasticis, quia Sacri Canones vetantes, ne munera accipiantur a judicibus, nisi forte esculenta, & poculenta, aut quæ ex mera liberalitate offeruntur, & paucis diebus consumi possunt, non utuntur alio verbo, quam *Mandamus*, quod non ostendit obligationem ad mortalem culpam, ex Cajet., Azor., Sa.

X. Dubium est, An dantes munera judicibus peccent?

Respondeo, non peccare, si dent ea, quæ licite potest judex accipere; immo non peccare, si dent ea, quæ illicite accipiuntur, modo dentur,

tur, & offerantur ad redimendam vexationem injustam. Cavendum tamen, ne litigantes facile credant vexationem injustam intercedere, vel quod judex facilius expediat causas, ob quas munera accipit. Ubi notandum, judicum famulos peccare, si aliquibus facilem aditum ad judicem præbeant propter munera accepta, injuste alios excludendo; quia non sine injustitia id faciunt: Licebit tamen etiam iisdem munera dare ad vexationem redimendam; Quamvis qui ad redimendam vexationem munera accipiunt, peccent, & teneantur ad restitutionem; quia invitis absolute dominis ea accipiuntur.

ARTICULUS IV.

De Accusatore.

I. Accusatio differt a denunciatione juridica, eo quod hæc fieri possit solis verbis sine aliis solemnitatibus propriis accusationis; Nec tenetur denunciator crimen probare, & pœnam talionis subire. Differt etiam a denunciatione paterna; quia hæc ordinatur ad emendationem, non ad punitionem Rei. Quænam dicatur denunciatio Canonica?

II. Denunciatio paterna in foro Ecclesiastico transire potest in judicialem. Ad paternam denunciationem præcedere debet fraterna correctio, non ad Accusationem.

III. Licitum est accusare, vel judicialiter denunciare reum propter injurias nobis irrogatas, & propter quodcunque crimen, licet occultum.

IV. Num præmitti debeat accusationi correctio fraterna? Num condonare offensas sit solum consilium, itaut licite possimus reum accusare, non ex odio erga illum, sed ex amore justitiæ.

V. Raro in praxi peccatur, si ob offensas occultas nobis irrogatas reum accusamus, si odium omnino absit.

VI. Qui omittit accusationem, vel denunciationem debitam ex charitate, peccat; sed non tenetur ad restitutionem, nisi ad illam teneatur ex justitia.

VII. Plurimi sunt, qui ab accusando repelluntur.

VIII. In nonnullis casibus non licet reum accusare, etiam posito Superioris præcepto.

I. Accusatio est Delatio criminis libello facta ad vindictam publicam; itaut scribatur nomen accusatoris, & accusati, species delicti, tempus, & locus, ac demum accusator obliget se ad pœnam talionis, si non probet crimen, quod defert: Quamvis hoc postremum non sit amplius in usu, ut videre est apud Farinac. quæst. 16., qui late ostendit, quomodo, & quando calumniator sit puniendus. Differt itaque accusatio a Denunciatione juridica, quod hæc potest fieri solis verbis, & sine dictis solemnitatibus; nec tenetur denunciator probare crimen, & subire pœnam talionis. Differt etiam a Denunciatione paterna, quia hæc non ordinatur ad punitionem, sicut denunciatio judicialis, sed solum ad emendationem fratris. Quod si quis superiori deferat crimen, ut pro suo munere faciat, quod judicabit expediens, sive solum corrigendo, sive puniendo delinquentem, talis denunciatio dicitur proprie canonica.

II. Notat hic Azor. part. 3. lib. 13. cap. 19., quod denunciatio paterna in foro Ecclesiastico transire possit in judicialem; Si enim reus post paternam denunciationem non corrigatur, tunc denunciatur Prælato tanquam Judici, qui procedere incipit contra illum per inquisitionem, & excommunicando, nisi intra tempus determinatum destiterit. Notat etiam idem Azor. loc. cit. contra alios, quod correctio fraterna præmitti debeat ex præcepto Christi Domini solum denunciationi paternæ, non vero accusationi, quia illa ordinatur ad emendationem, hæc vero ad punitionem; unde etiam emendatus potest accusari, non tamen paterne denunciari.

III. Quæritur nunc primo, An licite possimus accusare, vel saltem judicialiter denunciare reum propter quamcunque injuriam nobis factam, licet illa probari non possit?

Respondeo, ex genere licitam esse accusationem, si modo debito fiat; quia est actus virtutis justitiæ; unde si quis accuset non ex odio aut animo vindictæ, sed amore justitiæ, & ut scelerati timore pœnæ cohibeantur, actum virtutis exercet.

IV. Quamvis autem ex divina institutione dicamus in Oratione Dominica, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; hoc tamen non est præceptum dimittendi injurias nobis factas, sed consilium; quia facillimum est, ut qui injurias sibi irrogatas non vult dimittere, eas non dimittat ex odio erga offensorem, non vero ex amore justitiæ. Debet autem debito modo fieri accusatio, ut sit licita; nam ex Evangelio præmitti debet correctio fraterna, præcipiente Domino, *Si peccaverit in te, &c.*, quamvis, ut notavimus, Azor. putet correctionem præmittendam esse solum denunciationi paternæ, non accusationi. Sed Fagund. lib. 8. in Decalog. cap. 47. docet, quod licet delictum sit omnino occultum, adhuc teneamur accusationi præmittere monitionem fraternam, quando est spes emendationis; non tamen si delictum probari possit in judicio; etenim qui ita publice deliquit, dedit unicuique jus, ut accusaretur; & nimis durum videtur obligare ad præmittendam correctionem accusationi eum, qui atroci injuria est affectus. Lug. autem apud

Tam-

Tambur. hic cap. 2. §. 4. cum Suar., Molin., Filliuc. putat probabilius esse, quod crimen occultum possit etiam denuntiari absque malitia detractionis, quia præponderat famæ illius bonum publicum, contra quod esset, si homines scelerati persuaderent sibi posse peccare absque metu pœnæ, quamdiu delicta non sunt divulgata.

V. Demum Tambur. putat, raro in praxi peccari, si occultissima crimina judici deferantur ab iis, qui injuriam passi sunt, vel ad quos injuria pertinet, ut sunt pater, frater, &c., modo absit omnino odium, aut desiderium injustæ vindictæ. Ratio est, quia fere nunquam habetur spes emendationis in criminibus, quæ adeo occulte committuntur; Et ad bonum publicum pertinet, ut corrigantur, & puniantur. Favet huic doctrinæ praxis, quam approbat Less. lib. 2. cap. 29. n. 131. contra Navar. per quam judices sæculares nulla præcedente infamia ex simplici delatione alicujus procedunt ad specialem inquisitionem contra aliquam personam.

VI. Quæritur secundo, An peccet, & ad restitutionem teneatur, qui delinquentem non accusat?

Respondeo cum communi apud Busemb., raro homines teneri ad accusandum, ut constat ex praxi timoratorum. Verum peccat mortaliter contra charitatem, qui non accusat, vel saltem denunciat delictum, quod vergit in damnum publicum, aut privatum. Ratio est, quia quilibet tenetur sub gravi peccato succurrere proximo graviter indigenti, quando potest sine suo gravi incommodo. Nam Eccles. 17. dicitur, *Unicuique mandavit Deus de proximo suo.* Non tenetur tamen ad restitutionem, qui accusationem debitam omittit, nisi quando ex justitia tenetur accusare, ut custos, non vero quando tenetur solum ex charitate.

VII. Quæritur tertio, Quinam in judicio repellantur ab accusando?

Respondeo cum Bonac., Less., & Farinac. repelli excommunicatos, publicos concubinarios, usurarios, & quoscumque jure infames excepto casu hæresis, proditionis, & criminis læsæ Majestatis; tunc enim quilibet admittitur; Sicut etiam si quis suam, vel suorum injuriam prosequatur, ex leg. *Hi tamen omnes, ff. de Accusation.* Secundo, repelluntur ob decentiam subditi, filii, relate ad suos Prælatos, parentes, dominos; nisi contrarium exposcat bonum commune. Tertio, Clerici ratione decentiæ status non possunt laicos in causa sanguinis accusare; excepto casu hæresis, criminis læsæ Majestatis, & aliis, quæ respiciunt bonum aut publicum, aut proprium, aut innocentis; & præmissa protestatione, quod non intendatur vindicta sanguinis, sed bonum commune vel proprium, vel proximi. Quarto, excluditur inimicus capitalis, quia facile calumniator potius est, quam accusator. Quinto ex Foller. apud Trull., non possunt laici accusare Sacerdotes, nisi hæreticos, sacrilegos, simoniacos, bonorum Ecclesiæ dilapidatores, &c.; Nec admittitur ad accusandum fœmina, nec sæcularis, aut Clericus contra Regulares, cum sint diversi fori.

VIII. Quæritur ultimo, In quibusnam casibus nemo potest accusare, etiam posito Superioris præcepto?

Respondeo, Primo, si delinquens sit emendatus, nec subsit periculo proximo relabendi, & parti læsæ satisfecerit, nec aliis immineat periculum. Secundo, si crimen sub secreto naturali quis noverit, ut consultor, advocatus, &c.; nisi tamen qui secretum commisit, Rempublicam, vel innocentem vexaret, nec vellet desistere. Tertio, si crimen probare cogeretur, nec posset. Quarto, si immineat periculum honoris, vitæ, vel rerum suarum; non enim cum tanto incommodo parere tenemur legi humanæ. Quinto, si crimen est occultum, unde ex delatione solum infamia proximi sequeretur sine causa; ut notat Busemb.

ARTICULUS V.

De Testibus, & Notariis.

I. *Quinam testes requirantur, & sufficiant, ut possit Reus damnari? Quinam vero jure Canonico, quinam jure civili inhabiles sunt ad testandum?*

II. *Nemo tenetur testari, nisi a charitate, aut a præcepto superioris ad testandum adigatur. Num teneatur ad restitutionem, qui contra preceptum superioris renuit testari?*

III. *In quibus casibus non datur obligatio testandi, etiam posito præcepto Superioris?*

IV. *Non tenemur, sed possumus offerre nosmet ad testandum ad vitam innocentis salvandam, quamvis inde sequatur mors delinquentis.*

V. *Tenetur retractare testimonium falsum etiam cum periculo vitæ, qui ob illud est in causa, ut alius morti damnetur.*

VI. *Qui pecuniam accipit, ut verum testetur, non tenetur illam restituere; sed ante patratum crimen tenetur illam restituere, si acceperit ad deponendum falsum: post crimen vero tenetur compensare damnum illatum.*

VII. *Num teneatur testificari posito judicis præcepto, qui novit crimen ab Accusatore, aut a Teste?*

VIII. *Si judex legitime interroget, nequit testis æquivocare; Secus vero si non procedat legitime; Et aliquando ad hanc æquivocationem tenetur.*

IX. *Si testis sibi contradicat in eodem examine, stan-*

standum est posteriori dicto ; secus vero si sibi contradicat in diversis examinibus.

X. *Si Notarins aliquid scripserit, & testis juret se illud non dixisse, credendum est potius Notario.*

I. CErtum est, neminem damnari posse, nisi vel ipse crimen confiteatur, vel in flagranti crimine deprehendatur a judice cum tribus, quel quatuor aliis; vel duo testes omni exceptione majores testentur cum juramento, se sensu externo crimen percepisse, & sint contestes.

Testes autem, qui a jure excipiuntur, sunt, Primo, in causis criminalibus Mulieres jure canonico propter sexus fragilitatem; jure vero civili solum in testamento repelluntur. Secundo, in causis criminalibus, qui est minor viginti annis; quamvis in civilibus admittatur pubes. Tertio, inimicus capitalis, consanguinei, domesticus actoris in causa ipsius actoris. Quarto, infames jure, vel facto, perjuri, & viles, ac inopes propter suspicionem, quod pecunia corrupti falsum deponant. Quinto, socii criminis, excepto crimine hæresis, sodomiæ, maleficii, falsificationis monetæ, &c.

II. Quæritur nunc primo: An, & quando teneatur quis testari?

Respondeo, & dico primo, nemo tenetur testari, nisi charitas id exigat ad avertendum grave damnum proximi, vel judex, aut superior habens potestatem id præcipiat. Quod si tale præceptum legitimum judicis transgrediaris, & nolis testari in præjudicium alterius, communior sententia apud Bonac. hic docet, quod tenearis ad restitutionem, quia posito præcepto judicis facis injuriam non testando; nam testis per mandatum judicis applicatur parti, ac proinde pars tunc habet jus ad tale testimonium. Probabiliter tamen ex Sayro, Less., Molin., Sanch. apud Trull. dub. 10. ad restitutionem non teneris, quia præceptum superioris non imponit obligationem justitiæ, sed obedientiæ ad testandum: tenereris certe ad restitutionem, si falsum testareris culpabiliter in præjudicium alterius; quia esses causa efficax, & injusta damni proximi.

III. Dico secundo; posito præcepto Superioris legitime interrogantis, non teneris testari, quæ accepisti sub sigillo, nisi forte ad avertendum grave malum Reipublicæ, vel innocentis, etiamsi juraveris, te id nulli dicturum. Nec teneris testari, quando tibi grave damnum imminet, nisi damnum publicum, vel alterius prævaleat; Unde non teneris contra consanguineos, & affines testari, nec quæ a viris non satis fide dignis accepisti; Proinde poteris in tali casu negare te aliquid scire. Nec testari teneris quæ per injuriam cognovisti, ut aperiendo literas, &c.; nec si alter probabiliter in eo facto non peccavit, vel propter invincibilem ignorantiam, vel quia aliquid in compensationem accepit, unde de furto sit accusatus, ut notat Busemb. hic ex Azor., Filliuc., Laym., & aliis.

IV. Dico tertio cum Bonac. Quilibet potest se offerre ad testandum ad salvandam vitam innocentis, etiamsi inde reus sit damnandus ad mortem. Idque verum est ex Less. cap. 9. dub. 12., etiamsi innocens nollet defendi, quia non est dominus suæ vitæ; unde non potest jus defensionis alteri adimere. Non tenemur tamen offerre nosmetipsos ad sic testandum; quia nemo tenetur tueri vitam propriam, & a fortiori nec alienam cum morte alterius. Si tamen innocens vult defendi, etiamsi mors nocentis sequatur, putat Bonac., quod nos teneamur ad testandum; quia melior debet esse conditio innocentis, quam nocentis. Verum ad salvanda bona externa innocentis, licet non teneamur offerre nos ad testandum, si inde mors nocentis sequatur, tenemur tamen respondere, si juridice interrogemur.

V. Dico quarto. Qui falsum culpabiliter testatus est, itaut ob tale testimonium innocens ad mortem damnetur, tenetur retractare suum delictum etiam cum periculo similis pœnæ incurrendæ, si credit se profuturum per retractationem. Ratio est, quia in æquali damno potior est habenda ratio innocentis.

VI. Dico quinto. Testis, qui pecuniam pro vero testimonio ferendo accepit, non tenetur illam restituere: quia non tenetur ex justitia ad testandum, sed solum ex charitate, vel ex obedientia; at si pecuniam acceperit pro falso testimonio ferendo, debet illam ante factum restituere; post factum vero non tenetur, sed solum tenetur damnum alteri illatum compensare.

VII. Dico sexto, Si delictum sciatur solum ab accusatore, & teste, non tenetur hic testificari. Immo Veracrux apud Trull. putat hunc teneri sub mortali dicere se nihil scire, quia ad hoc ut testis crimen teneatur, aut possit fateri, debet præcedere infamia, vel semiplena probatio, vel indicia contra reum. Multi tamen apud Dian. part. 2. tract. 5. resol. 100. probabilius tenent, testem in hoc casu obligari ad testificandum, quia judex habet jus ad interrogandum.

VIII. Dico ultimo. Non licet testi cum juramento æquivocare, si legitime a judice interrogetur. Ratio est, quia ob bonum publicum tenetur parere; Si tamen judex non procedat legitime, licitum est æquivocare, ut communiter docent apud Tambur. lib. 4. cap. 4. Unde si interrogetur testis de crimine occulto, vel quod non tenetur testificari, eo quod, verbi gratia, notabile damnum sequeretur, potest jurare se

rem

rem nescire; sic enim non utitur restrictione pure mentali, sed respondet ad mentem boni, & justi judicis. Hinc non solum Clericus, sed etiam alii coram sæculari judice possunt cum æquivocatione jurare Clericum reum non deliquisse; & qui licite aliqua bona abscondit ad vitam sustentandam, non solum ipse, sed etiam alii, quibus id constat, possunt cum æquivocatione jurando testari ipsum nihil abscondisse. Additque Sanch. lib. 3. cap 6., aliquando testem ad talem æquivocationem teneri; nam si judici peccatum omnino occultum alterius prius manifestavit, deinde tenetur cum juramento testificari reum non commisisse tale delictum, (ita scilicet ut judicio externo subsit,) quando sperat ex tali retractatione reparandum damnum injuste illatum per manifestationem criminis occulti. Quæ omnia fuse explicavimus in Trutina exponendo theses 26. & 27. ab Innoc. XI. proscriptas de Amphibologiis.

IX. Quæritur secundo, Utrum standum sit primo, an secundo dicto testis contraria dicentis in judicio in diversis actibus, & examinationibus?

Respondeo, quod si testis statim in eodem examine se retractet, standum est posteriori dicto; si vero in diversis examinationibus se retractet, standum est priori dicto; dummodo aliud non dicat in articulo mortis coram judice cum juramento; tunc enim præsumitur dicere verum, ex leg. *Ultima*, *Cod. Ad legem Juliam.* Ita Bonac.; Quamvis Sayr. apud Trull. putet talem testem repellendum, & puniendum esse tanquam perjurum.

X. Quod si notarius unum scripsit, & testis juret se aliud dixisse, credendum est potius Notario, ex cap. *Ad audentiam*, *De præscriptionibus*; quia cum sit persona publica, & approbata, mendacium in ipso non præsumitur.

ARTICULUS VI.

De Reo.

I. Reus in judicio non tenetur respondere, nisi juridice interrogetur, ita scilicet ut præcesserit vel semiplena probatio, vel indicia clara, aut infamia, quæ per duos testes probata sint. Et in nonnullis casibus juridice interrogatus potest æquivocare.

II. Non sufficit ad semiplenam probationem solus accusator, aut denunciator.

III. Probabiliter reus juridice interrogatus non tenetur veritatem fateri, si inde sibi immineat grave damnum.

IV. Quid si reo nulla sit spes evadendi mortem, aut aliud grave damnum? Num peccet lethaliter, si veritatem non fateatur?

V. Num sine mortali possit æquivocare, qui juridice interrogatur de re levi?

VI. Propter opiniones utrinque probabiles sæpe datur bellum utrinque justum; Unde potest judex juste interrogare, quin teneatur reus veritatem fateri.

VII. Potest reus e carcere fugere, quamvis inde sequatur custodis mors a judice illi infligenda. Nequit tamen reus ministris justitiæ vim inferre, illos percutiendo, &c.

VIII. Cum moderamine inculpatæ tutelæ potest Reus, ejusque advocatus propalare occulta crimina testium ad eorum auctoritatem infringendam; sed non potest iis falsa crimine appingere.

I. QUæritur primo, Quandonam reus teneatur aperire veritatem in judicio?

Respondeo, & dico primo. Reus non tenetur veritatem aperire, nec jurare, si non interrogetur juridice, seu juris ordine servato, videlicet itaut præcesserit vel semiplena probatio, aut infamia, vel manifesta indicia, itaut infamia, vel indicia sint probata per duos testes. Immo si reo non constet, quod juridice interrogetur, nec tenetur respondere, quamvis judex sub pœna Excommunicationis interroget. Ita communiter cum Less. lib. 2. cap. 3. Unde fit, judicem teneri aperire reo statum causæ, probationes, indicia, & testes, (quamvis non nomina testium in delictis Sanctæ Inquisitionis) ut videat, an juridice contra se procedatur. Quamvis enim in levioribus rebus teneatur reus credere judici prudenti, & perito, non tamen in gravioribus. Nec tenetur respondere, quamvis juridice interroget judex, verbi gratia de homicidio, si homicidium sine culpa patratum sit; quia judex inquirit tantum de occisione criminosa. Immo Less., & alii apud Trull. dub. 21. docent, quod si tu non es auctor criminis, nec tenearis fateri circomstantias veras, ex quibus oriretur vehemens suspicio, quod tu sis auctor criminis, verbi gratia, hunc esse tuum pugionem, te in eodem loco fuisse, &c. Ratio est, quia quamvis judicis interrogatio sit juridica, procedit tamen ex fasa præsumptione delicti; nam si judex veritatem sciret, non posset interrogare de talibus circumstantiis, ut docet D. Th. 2. 2. quæst. 69. art. 1. apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 66.

II. Dubium est, An denuncians faciat semiplenam probationem; itaut reus non teneatur respondere ex defectu semiplenæ probationis, si præter denunciantem non adsit testis?

Respondeo cum Valent., Bonac. contra Sot. requiri ad semiplenam probationem, præter denunciantem, vel accusantem, alium testem omni exceptione majorem, aut infamiam, vel

indicia sufficientia. Ratio est, quia Actor non potest simul esse testis in propria causa; Denunciator autem, vel accusator, cum intendat punitionem, suscipiunt causam ut propriam.

III. Dico itaque primo. Judice legitime interrogante communiter docent, quod reus teneatur fateri veritatem, etiamsi sibi immineat periculum vitæ, aut triremium, exilii, gravis infamiæ, excommunicationis, aut alterius gravis incommodi. Verum Delugo, & Joan. Sanch. cum viginti duobus Doctoribus apud Tambur. lib. 3. c. 4., & Dian. part. 1. tr. 1. Miscell. resol. 27. advertentes id esse onus supra vires naturæ, docent probabilissimum esse, ac tutum, Reum non teneri ad fatendum crimen suum, quando ex confessione tantum malum sibi imminet. Ratio est, tum quia res admodum difficilis, ac moraliter impossibilis ab humana potestate non præcipitur, nisi quando intercedit bonum commune; tum etiam quia non potest quis ab humano superiore, & judice obligari ad concurrendum ad propriam occisionem, cum id jure naturæ nobis vetetur. Unde præceptum judicis in tali casu non obligat; atque adeo si cum æquivocatione reus juraret, negando se commisisse delictum, non peccaret; Sicuti non peccat, qui negat delictum, quando a judice non interrogatur juridice. In utroque enim casu negatur solum delictum, quod debeat manifestari, & ideo nullum adest mendacium, nec restrictio pure mentalis, sed solum æquivocatio, respondendo ad mentem boni, & justi judicis: Eodem modo, ac sine mendacio, aut restrictione pure mentali Christus Dominus dixit; *De die illa, vel hora nemo scit, neque filius hominis*, ita scilicet ut expediat revelare, ut notat Trull. dub. 4., & Dian. part. 2. tract. 5. resol. 76.

IV. Hanc doctrinam aliqui admittunt, si negando delictum sit spes evadendi mortem, aut grave incommodum. Tamb. autem putat, quod etiamsi non sit spes evadendi, adhuc a mortali excusetur, qui negat delictum; quia de jure naturæ est, ut nemo concurrat ad sui occisionem; & si in hoc casu offenditur potestas judicis, nonnisi leviter offenditur; quia judex etiam sine confessione Rei potest illum sufficienter damnare.

V. Docet præterea Tamb. contra Lug., quod si judici veritatem juridice interroganti de peccato levi, puta de levi furto, reus cum æquivocatione illud neget, quamvis leve tantum malum sibi immineat, nonnisi leviter peccet; tum quia de jure naturæ videtur esse, quod ne leve quidem vulnus sibi quis infligat; tum etiam quia cum agatur de pœna levi infligenda, non videtur rigorosum esse, & graviter obligans præceptum superioris; unde talis æquivocatio esset tantum leviter peccaminosa.

VI. Oppones. Quando judex juridice interrogat, tunc juste præcipit reo, ut veritatem aperiat; ergo tenetur reus illam aperire etiam cum vitæ periculo.

Respondeo cum Filliuc., Bonac., Sanch. negando consequentiam; non enim est novum, quod propter opiniones utrinque probabiles detur bellum utrinque justum: Sic qui est in periculo vitæ, potest fugere e carcere, licet judex, & lex præcipiant, ne fugiat, & fugientes puniant: Sic servus bello captus potest fugere, quamvis dominus juste præcipiat, ne fugiat; Sic citatus potest non comparere, si sibi grave malum immineat, quamvis judex juste præcipiat, ut compareat; Et eodem modo reus potest veritatem celare, cum habeat jus defendendi vitam suam, quamvis judex juste præcipiat, ut veritatem aperiat ex jure ad inquirendos auctores criminum occultos.

VII. Quæritur secundo, An possit reus e carcere fugere?

Respondeo, posse (nisi juraverit ibi permanere) etiamsi custos carceris grave inde malum passurus sit. Ratio est, quia hoc malum sequitur per accidens, & reus utitur jure, quod habet effugiendi carcerem; si enim potest effugere, ne capiatur a ministris justitiæ, poterit etiam fugere, ne in carcere detineatur, nisi bonum publicum aliud postulet. Non potest tamen vim inferre ministris justitiæ, percutiendo, vulnerando, &c.; sequeretur enim scandalum & perturbatio Reipublicæ, ac boni communis, quod est præferendum privato. Præterquamquod hoc reputaretur crimen læsæ Majestatis; quamvis possit carcerem effringere, & custodes decipere citra vim, & injuriam.

VIII. Quæritur tertio, An possit reus aperire crimina occulta testium ad infirmandam illorum testificationem, v.g. perjurium, excommunicationem, infamiam, &c.?

Respondeo, posse tam a reo, quam ab advocato propalari, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, & quatenus ad sui defensionem est necesse, ut communiter docent; quamvis citra mortale non possint iidem falsa crimina iis appingere. Contraria enim opinio damnata est in thesi 44. ab Innoc. XI., quæ habet: *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alteri, ut suam justitiam, & honorem defendat.*

ARTICULUS VII.

De Advocato, ac Procuratore.

I. *Ad restitutionem tenetur Advocatus, (sicut & Procurator) si ex sua negligentia, aut imperitia causa amittatur. Sicut etiam si causam manifeste injustam defendat; aut si partem inducat ad transactionem in causa injusta; Neenon si secreta causæ alteri parti prodat.*

II. Pot-

II. Potest Advocatus causam minus probabilem, immo & dubiam patrocinari; non tamen causam, quæ parum habet probabilitatis, in quam fere nunquam judices inclinant.

III. Vetitum est Advocatis pacisci de quota litis. Id tamen ex natura rei licitum videtur pro foro interno, modo absit periculum fraudis, & injustitiæ.

I. QUæritur primo, An Advocatus (sicut etiam procurator) teneatur ad restitutionem, si ex sua imperitia, aut negligentia causam amittat.

Respondeo affirmative; tenetur enim ex officio esse saltem mediocri scientia instructus, & cognoscere sufficienter merita, & justitiam causarum, & diligentiam adhibere, quę judicio peritorum censetur sufficiens. Tenetur etiam ad restitutionem, si defendat causam manifeste injustam, cum sit injusta causa moralis damni alterius consulendo, & adjuvando. Debet autem restituere non solum parti contrariæ expensas & litem, quam perdidit, in defectum sui principalis, sed etiam Clienti expensas, si bona fide procedentem non monuit de injustitia causæ. Immo tenetur etiam ad restitutionem, si defendat articulum justum causę injustæ; necnon si adversarium sic vexet, aut differat; nam sic censetur causam injustam defendere. Si tamen causam justam defendat, potest adversarium citra injuriam decipere, & cavillationibus uti, modo nulla falsitate utatur. Nec tenetur ad restitutionem, (quamvis peccaverit) si causam evidenter justam falsis scripturis, aut testibus defenderit. Contra vero ad restitutionem tenetur, si partem inducat ad transactionem, seu compositionem, quando cognoscit causam esse omnino injustam; sicut etiam si secreta causæ alteri parti prodat; esset enim prævaricator, seu adjuvans diversam partem, prodita causa sua, ut notat Trull.

II. Quæritur secundo, An possit Advocatus causam dubiam tueri?

Respondeo cum Pal. licere Advocato causam probabilem patrocinari relicta probabiliori; quia Advocatus non est Judex, qui debeat sententiam ferre pro merito causæ, sed solum debet merita Clientis allegare; sæpe autem accidit, quod verius sit id, quod sibi minus probabile videtur atque adeo licite potest causam minus probabilem defendere. Immo potest ex Lorca, Maldero, Merolla apud Dianam part. 4. tr. 3. resol. 47. contra Salas, patrocinari etiam causam dubiam. Verum si altera pars parum habeat probabilitatis, & in quam raro, aut nunquam judices inclinant, puto cum Salon., quod peccet Advocatus non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam defendendo talem causam; quia quod habet parum probabilitatis, non est simpliciter probabile, ut constat ex definitione Probabilis; Quod magnum pondus ingerere debet intellectui ad extorquendum assensum; sicuti levis gravitas simpliciter non est gravitas, sed gravitas cum addito distrahente. Quamvis autem non possit Advocatus tueri causam tenuis probabilitatis, seu quæ non sit absolute probabilis; poterit tamen defendere causam dubiam, de cujus scilicet felici exitu prudenter dubitatur, ut plures docent apud Dian. part. 4. tr. 3. resol. 47., quia ad Advocatum non spectat rem definire, sed solum merita causæ sincere exponere, ut postea Judex illa expendendo justam sententiam ferat.

III. Quæritur ultimo, An possit Advocatus de quota litis pacisci, videlicet de tertia, vel quarta parte, si vincat, quod dicitur palmarium pro victoria?

Respondeo, lege humana id prohiberi, ne scilicet per fas, aut nefas victoriam consequi nitantur; non est tamen improbabile ex Trull. quod ex natura rei in foro conscientiæ id liceat, si absit periculum alicujus actionis injustæ, ut Advocatus ardentiori studio ad causam incumbat, & Principalis se liberet a molestia sæpius illum adeundi. Ita etiam Navar., & Valent., apud Dian. part. 1. tr. 2. Miscel. resol. 49., ubi docent, communem contrariam opinionem loqui de foro externo non de interno, ubi Deus veritatem perscrutatur, cui cedunt præsumptiones, super quibus fundantur leges id prohibentes. Debet tamen manifeste deesse præsumptio fraudis, & injustitiæ, ut solum pro foro externo leges istę sint obligatorię. Sit tandem hujus Opusculi de Præceptis Decalogi (Sed oh ubi Æternitatis)

F I N I S.

Ad majorem Dei gloriam, ac Deiparæ sine labe Conceptæ.

SYNOPSES OMNES,

Quæ in singulis Articulis Tractatus hujusce de Præceptis Decalogi habentur, hic colliguntur.

QUÆSTIO I. Pag. 1.

De Prolegomenis ad Præcepta Decalogi.

ARTICULUS I. 2

De Numero, Ordine, & Dispensabilitate Præceptorum Decalogi.

I. Præcepta Decalogi sunt Legum Summa, & Epitome. Tria prima, quæ respiciunt Dei cultum, dicuntur Primæ tabulæ, reliqua, quæ ad homines referuntur, Secundæ tabulæ appellantur. II. His decem præceptis corde, ore, & opere ad Deum, & ad homines ordinamur. III. Cur non plura enumerentur, aut pauciora? IV. Quare duplici præcepto vetatur Adulterium, ac desiderare Uxores alienas, & non vetatur pariter duplici præcepto Homicidium, ac desiderare mortem alterius? V. Num possit Deus in præceptis Decalogi dispensare? VI. Qua ratione dicatur aliquando Deus in his præceptis dispensasse?

ARTICULUS II. 5

Quanam via Præceptorum transgressio possit de mortali in veniale transire, & contra?

I. Transgressio præceptorum Decalogi secundum se, & ex genere suo est mortalis. II. Quid importet peccatum ex genere suo mortale, & esse ex genere suo veniale? III. Plures regulæ recensentur ad discernendum num peccatum ex genere suo sit mortale, an veniale? IV. Quomodo possit peccatum de se mortale per accidens in veniale transire? V. Undenam conjicere poteris, quod cum imperfecta solum deliberatione, aut consensu peccatum commiseris? VI. Num peccet mortaliter, qui plene advertit ad malitiam objecti, præscindit tamen num ea sit gravis, an levis? VII. Non quodvis peccatum ex genere suo mortale potest ratione parvitatis materiæ transire per accidens in veniale. VIII. Undenam mensuranda sit hac in re materiæ parvitas, aut magnitudo? IX. Materia, quæ tam secundum se, quam relate ad finem a Legislatore intentum est levis, non est capax præcepti graviter obligantis. X. Quid si dubitetur, an res præcepta levis graviter conducat ad finem? XI. Quotupliciter possit peccatum de se, & ex genere suo veniale per accidens in mortale transire? XII. Quandonam contemptus rei levis præceptæ est mortalis? Et quando frequentia venialium est mortalis, utpote ad mortale disponens? XIII. Potest veniale in mortale transire etiam ratione conscientiæ erroneæ, aut perplexæ; Necnon ratione scandali; aut per additionem materiæ, quæ in unam gravem coalescat.

ARTICULUS III. 7

Quinam ad præcepta teneantur?

I. Non est idem lege non obligari, & a lege excusari. II. Pueri nulla lege obligantur ante rationis usum: Postea vero legibus etiam Ecclesiasticis tenentur, præterquam Jejunii, & Communionis; quamvis ante pubertatem pœnas Ecclesiasticas non incurrant. III. Num possint pueri Divinis assistere in loco interdicto, aut introduci in monasteria Monialium? IV. Quid si dubitetur, an usum rationis adepti sint? V. Quibus legibus teneantur Infideles, Amentes, Ebrii? Num amentes æquiparentur infantibus? VI. Nec amentes, nec ebrii cogendi sunt ad Missam audiendam die festo: Possunt autem probabiliter amentibus & infidelibus die festo injungi opera servilia. VII. Quibus legibus teneantur Peregrini, & Vagi? Num licitum sit recedere a loco, ubi est dies festus, ad exercenda opera servilia? Num debeat tunc mane audiri Sacrum? Num liceat egredienti a loco, ubi jejunatur, mane sumere jentaculum? VIII. Probabiliter Peregrini non tenentur, secluso scandalo, legibus loci, ubi brevi morantur; (nisi eædem sint leges in proprio domicilio) tenentur tamen iis Vagi. IX. Leges autem juris communis servare tenentur peregrini, quamvis in Patria essent abrogatæ.

ARTICULUS IV. 10

De Intentione requisita ad observantiam præceptorum.

I. Ad satisfaciendum præcepto requiritur intentio ponendi opus injunctum. II. Præcepto jejunii non satisfacit, qui invitus abstinet cibo. III. Satisfacit, tamen præcepto restitutionis, qui pravo fine restituit; Et qui invitus restituit, licet præceptum non impleat, non tenetur tamen iterum restituere. IV. Non requiritur ad satisfaciendum præcepto intentio satisfaciendi per opus, quod ponitur; Non enim imponitur obedientia formalis, sed materialis. V. Num satisfaciat debito justitiæ, qui immemor debiti eleemosynam largitur? VI. Num præcepto, aut voto satisfaciat ponens opus præceptum, sed positive nolens per illud satisfacere? VII. Qui nolens satisfacere per opus præceptum, quod ponit, mutata voluntate, nolit aliud opus ponere, requiriturne, quod velit per illud opus satisfecisse? an satis est quod sciat se satisfecisse? VIII. Qui audit Sacrum præceptum nolens per illud satisfacere, nec volens aliud audire, non transgreditur præceptum Ecclesiasticum, sed naturale.

ARTICULUS V. 11

De Impedimentis non apponendis observantiæ Præceptorum.

I. Diversimode quoad hoc in diversis præceptis ratiocinandum; inspiciendo num præceptum rigidius obliget? Num impedimentum sit proximius? Num necessitas sit gravior? II. Quænam defatigatio incompossibilis cum jejunio liceat ipso die jejunii, aut pridie illius diei? III. Num tempore Interdicti privilegiarius teneatur sacrum audire? Et detentus in carcere num teneatur uti licentia egrediendi ad sacrum audiendum? IV. Quandonam possit quis iter arripere prævidens, quod non possit deinde die festo sacrum audire? V. Tenetur excommunicatus tollere impedimentum excommunicationis, ut possit in Paschate communicare; non tamen ut possit die festo sacrum audire. VI. Præceptum non solum obligat ad non apponenda impedimenta, sed etiam ad ea etiam pridie removenda.

AR-

ARTICULUS VI. 14

De Ignorantia, Metu, & Dispensatione excusantibus a Præceptorum transgressione, ac de Impotentia excusante.

I. Ignorantia præcepti, seu inadvertentia, si non sit graviter culpabilis, excusat a gravi culpa legis transgressorem. II. Ignorantia vincibilis dividitur in affectatam, crassam, seu supinam, & levem. Præter ignorantiam vincibilem, seu consequentem, & invincibilem, seu antecedentem, datur ignorantia comitans, sive ea sit juris, sive facti, sive solius pœnæ. III. Ignorantia solius pœnæ excusat ab illa incurrenda, si hæc sit extraordinaria. Ab ea tamen non excusat ignorantia crassa, supina, & affectata. IV. Ejusdem speciei est peccatum commissum ex ignorantia culpabili legis, ac scienter commissum. V. Ignorantia, quę est graviter culpabilis respectu juris Divini, & Naturalis, aliquando non est graviter culpabilis respectu juris humani, quod non obligat adeo stricte. VI. Ignorantia etiam crassa pœnæ non petendi debitum excusat ab ea incurrenda, utpote imposita contra scienter operantes. VII. Metus gravis non excusat a culpa, quando prohibetur res intrinsece mala, aut præcipitur res ex se connexa cum vitæ periculo; secus vero si connectatur per accidens. VIII. Excommunicatus vitandus potest ad mortem declinandam celebrare; non tamen confessiones audire, & absolvere. IX. Num liceat ob metum gravem simulare Matrimonium, illudque consummare? X. Num Carthusiani teneantur vesci carnibus in extrema necessitate? XI. Qui non potest totum præceptum implere, tenetur ad partem, quam potest, si ea sit notabilis, & dividua, & censeatur a Legislatore intenta. XII. Quandonam dispensatio obtenta excuset a præcepti transgressione? XIII. Num possit Episcopus in lege Pontificia dispensare in casu occurrenti, sive quia necessitas urget; sive quia dubitatur, an res indigeat dispensatione?

QUÆSTIO II. 19

De Primo Decalogi Præcepto.

Unum cole Deum.

ARTICULUS I. ibid.

De Virtute Religionis.

I. Religio est virtus inter Morales præstantissima, quæ habet pro formali objecto cultum Divinæ excellentiæ præstandum. II. In quo differant virtutes Theologales a Moralibus? III. Quinam sint actus a virtute Religionis eliciti, & quinam imperati? IV. Primum Decalogi præceptum obligat ad actus Religionis externos, inquantum conjunctos cum internis. V. Ad quos actus externos Religionis obligat lex positiva, & lex naturalis? VI. Quandonam exercendi sunt actus Religionis?

ARTICULUS II. 20

De Virtute Theologica Fidei.

I. Per fidem, quæ virtus Theologalis est, quid præcipiatur? II. Tria sunt præcepta fidei affirmativa, & duo negativa. III. Ad fidei confessionem quandonam teneamur? IV. Ad quid obliget præceptum negativum non negandi fidem exterius? V. Quando dubius in fide est infidelis? VI. Quinam dicantur Pagani? Quinam Judæi, Quinam Hæretici, Schismatici, & Apostatæ? VII. Quænam sit pertinacia ad hæresim requisita? VIII. Ad hæresim externam requiritur? ut signum externum de se sit significativum hæresis internæ, & ad incurrendas censuras debet esse actus exterior de se gravis. IX. Quænam communicatio cum Judæis, & Saracenis prohibeatur? X. Quid teneantur prestare erga Paganos? XI. Num liceat Catholicis de rebus fidei disputare?

ARTICULUS III. 23

De Spe, & Charitate.

I. Contra spem Theologalem peccat tam qui præsumit propriis viribus beatitudinem supernaturalem obtinere, quam qui ex sola Dei misericordia sine propriis operationibus illam expectat. II. Duplex datur præceptum Spei, alterum negativum non desperandi, nec præsumendi; alterum positivum identidem sperandi. III. Qui post peccatum omittit actus fidei, ac spei debitos, directe peccat contra virtutem Pœnitentiæ, quæ prævios illos actus requirit. IV. Charitas debet super omnia Deum amare appretiative, non intensive. V. Duplex pariter est præceptum Charitatis; videlicet negativum non odio habendi, aut contemnendi Deum, & Affirmativum amandi illum identidem; Sed quanam frequentia? VI. Non datur materiæ parvitas in odio Dei; sicut nec in Infidelitate.

ARTICULUS IV. 24

De Oratione, qua Deum colimus.

I. Quænam a Deo in oratione petenda, in Oratione dominica disertissime recensentur. II. Oratio definitur, Petitio decentium a Deo. Ea nobis præcipitur tum præcepto naturali, tum etiam positivo Divino, & Ecclesiastico. III. Triplex est Orationis effectus, mereri, satisfacere, & impetrare. IV. Etiam peccatoris oratio est impetratoria ex divina promissione, dummodo ille non petat, inquantum peccator est, videlicet aut mala, aut ad malum finem. V. Quid requiritur, ut Oratio impetret infallibiliter. VI. Oratio vocalis naturæ humanæ conformior est, quam mentalis, multis de causis.

QUÆSTIO III. 25

De Horis Canonicis.

ARTICULUS I. ibid.

Quinam ad Horas Canonicas obligentur?

I. Ad horas tenentur Clerici in Sacris constituti, Beneficiarii, & Regulares Professi ad Chorum deputati. II. Plura requiruntur, ut Beneficiarius ad horas teneatur. III. Non tenetur ad horas Beneficiarius iis annis, quibus ob sterilitatem non recipit fructus a Beneficio. IV. Quid si Beneficium sit tenue? Et quodnam dicatur tenue? V. In dubio de tenuitate Beneficii, num deobligetur Beneficiarius totaliter, an partialiter? An vero absolute obligetur? VI. Prelatus regularis sub mortali tenetur efficere, ne Chorus desit. Quid tamen si nonnisi quatuor, aut quinque Monachi sint in Monasterio? VII. Professi, & Moniales tenentur privatim officium recitare, si absint a Choro. Num sit probabilis sententia opposita? VIII. Probabilirer satisfacit obligationi horarum, qui illas recitavit mane, antequam ordinaretur in Sacris. IX. Excommunicatus quamvis fructus Beneficii non percipiat, adhuc ad horas obligatur. Quid de Degradato? X. Probabiliter excusantur ab horarum recitatione damnati ad triremes. Quid de inclusis in carcere tetro? Quid de uxoratis ex dispensatione Pontificis; Quid de maximo mœrore affectis?

AR-

ARTICULUS II. 27

Quodnam officium recitandum sit?

I. Quinam possit horas recitare, & non ex Romano Breviario? II. Num recitandum sit privatim officium B. Virginis, & defunctorum, quando in Rubrica præscribitur; præsertim die Commemorationis defunctorum? III. Num liceat Horas recitare idiomate Græco, aut Hebræo, vel vulgari? IV. Peccat graviter, qui semel unum officium pro alio notabiliter diverso, necnon qui sæpius unum officium pro alio recitat. V. Rubricæ servandæ aliæ sunt Præceptivæ, quæ obligant sub mortali; aliæ Directivæ, quæ non obligant sub mortali. VI. Si per errorem officium pro officio recitatum sit, corrigatur error, ubi deprehenditur. VII. Qui missam celebrat de Sancto, cujus festum in aliqua Ecclesia celebratur, potest probabiliter officium de eodem Sancto recitare. VIII. Quilibet potest sequi ritum socii, cum quo Horas recitat.

ARTICULUS III. 29

Sub qua Culpa, & Pæna officium sit recitandum?

I. Etiam qui semel officium omittit, peccat graviter. II. Num septem peccata committat, qui septem officii horas omittit, an vero unum dumtaxat? III. Quænam dicatur pars Officii notabilis, cujus omissio sit lethalis? IV. Qui omittit Horas, ad quas obligatur ratione Ordinis Sacri, & ratione Beneficii, probabilius unum peccatum contra Religionem committit, cum onere restituendi fructus. V. Si dubites an partem officii omiseris, ad quid teneris? VI. Surdus, qui cum socio recitat tenetur recitare, quæ ipse non audit. VII. Potest alter ex sociis omnes Lectiones, Capitula, & Orationes recitare. VIII. Quandonam Beneficiarius ommittens horas ad restitutionem fructuum tenetur?

ARTICULUS IV. 41

Quo pacto recitandæ sint horæ Canonicæ?

I. In virtute Sanctæ Obedientiæ præcipitur, ut studiose, & devote, atque adeo cum attentione, & intentione debita Officium recitetur. II. Pronunciatio debet esse de se audibilis, saltem ab ipso loquente. III. Debent posse audiri, quæ socius pronunciat; non sunt tamen supplenda, quæ per accidens non audiuntur: Secus si per se. IV. Quænam verborum mutilatio dicatur notabilis? V. Interruptio horarum, aut Psalmorum num pertingere possit ad culpam gravem? VI. Quænam attentio, & quænam intentio requiratur in officii recitatione? Num satisfaciat, qui solam habet attentionem externam. VII. Qui voluntarie distractus caret attentione debita, si sit Beneficiarius, licet graviter peccet, probabiliter tamen non tenetur fructus restituere. VIII. Num similis attentio, & intentio requiratur in auditione Missæ præceptæ. IX. Probabiliter in virtute Obedientiæ præcipitur solum actus studiosus externus.

ARTICULUS V. 34

De Tempore, Loco, & Situ recitationis Horarum.

I. Quodnam sit tempus, quo singulæ horæ recitari debent? II. Num possit officium defunctorum recitari pridie Commemorationis Defunctorum? Et num etiam Litaniæ, quando debent recitari? III. Peccat mortaliter, qui incipit recitare officium hodiernum paulo ante mediam noctem sequentem cum animo prosequendi illud post mediam noctem. IV. Qui mane recitavit totum officium citra ullam obligationem, si deinde meridie ordinetur, non tenetur repetere horas vespertinas. V. Deputati ad Chorum tenentur illud in Ecclesia recitare publice; alii vero possunt ubilibet privatim recitare non tamen in locis, quæ attentionem debitam impediunt, aut in locis immundis. VI. Non vacat veniali culpa recitare Horas aut decumbendo, aut cum situ parum decenti. VII. Num sit veniale recitare stando, aut sedendo, quæ flexis genibus recitanda sunt?

ARTICULUS VI. 35

De Causis excusantibus ab Horarum recitatione.

I. Excusare solent ab Horarum recitatione Infirmitas, Gravis occupatio, Impotentia, & Dispensatio. II. Infirmitas ut excuset, debet esse gravis, itaut recitatio valde noceat valetudini. III. dubio an infirmitas sit hujusmodi, standum est judicio Medici, aut Periti; sed quid si Medicus ipse dubitet? IV. Quænam a Doctoribus censeatur esse infirmitas gravis? Num aliquando excusetur ratione ægritudinis ab officio, qui potest missam celebrare? V. Qui excusatur a recitatione Horarum ob visus debilitatem, num peccet legendo diu Historias, & omittendo officium? VI. Quænam dicatur occupatio gravis, quæ excuset? Num aliquando Concionatores, & Confessarii excusentur? VII. Qui prævidet se vesperi impediendum, num teneatur mane Vesperas recitare? VIII. Num excusentur ob moralem impotentiam, qui in triremibus, aut in carcere detinentur? Num gravi mœrore perturbati, ac scrupulosi? IX. Num teneatur cæcus, aut Carens Breviario recitare Psalmos Matutini, aut Horarum, quos solum scit memoriter. Qui nequit sine socio officium recitare, num teneatur illum procurare, ac etiam conducere? XI. Licite utitur dispensatione, qui a suo Episcopo, aut a suo Prælato regulari dispensatur ex causa rationabili, non tamen si dispensetur in perpetuum. XII. Beneficiatus non tenetur fructus restituere, si Horas ob impotentiam omittat; secus vero si eas omittat ex dispensatione Episcopi.

QUÆSTIO IV. 38

De Dei Cultum per Adorationem.

ARTICULUS I. ibid.

De Adoratione Christi Domini, & Eucharistiæ.

I. Adoratione Latriæ Christus Dominus adorandus; ita tamen, ut primario, & per se natura Divina adoretur, secundario vero, & concomitanter natura humana. II. Etiam Christi corpus in sepulchro adorandum erat adoratione Latriæ. III. Christus Dominus non orat pro nobis, sed miseretur nostri; orat tamen ejus Humanitas secundum voluntatem creatam. IV. Quamvis Humanitas Christi Domini secundum se per intellectum separata a Verbo adorari possit adoratione Hyperduliæ: in praxi semper Christus Dominus adorari debet adoratione Latriæ. V. Crux adoratur adoratione Latriæ, non tamen adoratione absoluta, sed respectiva. Beata Virgo in praxi non adoratur adoratione Latriæ respectiva, quamvis etiam Christum tetigerit, ne videatur illi tribui adoratio debita Deo. VI. Cur quælibet crux adoretur adoratione Latriæ, & non quælibet spina, lancea, clavus, &c., sed solum illa, quæ Christum Dominum tetigerunt? VII. Eucha-

Eucharistię Sacramentum adoratur unica adoratione Latriæ, itaut primario Christus Dominus in eo contentus adoretur, & concomitanter species Sacramentales. VIII. Non vacat culpa adorare Hostiam consecratam conditionate, videlicet si sit consecrata; cum sit imprudens talis conditio. IX. Si appareat in Eucharistia infans, non videtur adorandus adoratione Latrię; sed hac adoratione adoranda tunc est hostia consecrata.

ARTICULUS II. 40

De Adoratione Sanctorum, & Beatorum.

I. Vocantur Sancti, etiam qui sunt in vita, si sanctam vitam vivant. II. Debetur Sanctis imaginibus, & Reliquiis Sanctorum, ac Sanctis Angelis cultus religiosus, & sacer, & adorari possunt adoratione duliæ. III. Sancti canonizati adorari possunt etiam cultu publico, hoc est ab Ecclesia instituto; alii vero cultu privato etiam coram aliis. IV. Etiam cultu publico adorari possunt qui ab Ecclesia habebantur ut Sancti, antequam a Leone III. institueretur Canonizatio. V. Juxta Ecclesiæ institutionem septem enumerantur cultus, quibus Sancti adorari possunt. VI. Quinam cultus Beatis exhiberi potest? Et quinam defunctis cum fama Sanctitatis? VII. Quid permittatur, & quid vetetur a Sede Apostolica erga defunctos cum fama Sanctitatis exhibere?

ARTICULUS III. 41

De Adoratione Sacrarum Reliquiarum.

I. Quænam dicantur Reliquiæ Sanctorum? Vermes, in quos eorum carnes conversæ sunt, non dicuntur Sacræ Reliquiæ, licet materiam Sanctorum contineant. II. Reliquiæ adorandæ sunt eadem adoratione, qua adorantur Personæ, cujus sunt reliquiæ. III. Cur possit adorari adoratione latriæ Crux, quæ tetigit Christum Dominum, & non pariter Asellus, qui etiam tetigit Christum Dominum? IV. Adorari possunt Sanctorum reliquiæ cultu privato, si de iis moralis certitudo, aut etiam probabilis conjectura habeatur. Ut adorentur tamen cultu publico, requiritur approbatio Pontificis, aut Episcopi. Sed quid si sint dubiæ? V. Quid si alicujus Sancti corpus duobus in locis cum Episcoporum approbatione colatur? VI. Agni cerei adoratione latriæ adorandi sunt. Neque possunt minio, aut alio colore pingi; Neque citra Simoniam vendi, nisi solum ratione materiæ. VII. Qui reliquias furatur, peccat peccato furti, & sacrilegii, si grave damnum, & non levis injuria irrogetur.

ARTICULUS IV. 43

De Adoratione Sacrarum Imaginum.

I Imagines Sacræ, non secus ac Reliquiæ, adorantur adoratione respectiva per ordinem ad personam, quam repræsentant. II Sculptile, quod prohibetur a Deo, est Idolum. III Deus, & Tres Personæ repræsentari, ac adorari non debent, nisi sub imaginibus ab Ecclesia deputatis. IV. Deus, & Angeli per quandam metaphoram sub corporis imaginibus adumbrantur. V. Sicut imagines, ita etiam Nomina Sacra honore, ac adoratione digna sunt. VI. Cur magis nonnullæ eorundem Sanctorum imagines adorentur, quam aliæ. VII. Quomodo in VII. Synodo generali dicatur, minori adoratione colendam esse Christi imaginem, quam ipsum Christum? VIII. Magis Christus, quam ejus imago adoratur non solum si imago adoretur secundum se, tanquam res sacra; sed etiam si adoretur adoratione respectiva, quatenus primario Christus, & concomitanter imago adoratur.

QUÆSTIO V.

De Superstitione.

ARTICULUS I. 44

De Superstitione universim, ac in specie Primo de Idololatria.

I. Superstitio est falsa Religio, qua vel creatura cultu divino, vel Deus cultu indebito adoratur. Utraque superstitio, sive ratione rei cultæ, sive ratione modi, quo Deus colitur, plures sub se species continet. II. Cultu indebito Deus adoratur, tam si colatur cultu falso, quam si cultu superfluo. III. Quandonam jejunare diebus Dominicis dicatur Dei cultus superstitiosus, aut superfluus, aut falsus? IV. Cultus superstitiosus falsus ex genere suo est mortale; Superfluus vero secundum se est peccatum veniale. V. Idololatria proprie dicta habetur, quando quis Creaturæ tribuit honorem Deo debitum. VI. Censuræ Bullæ Cœnæ tunc incurruntur ob Idololatriam, quando baptizatus internam simul, & externam Idololatriam committit cum errore intellectus, & pertinacia voluntatis. Ignorantia invincibilis, quæ excusat ab hæresi, nequit ab Idololatria excusare.

ARTICULUS II. 46

De Divinatione.

I. Divinatio est prænunciatio rerum occultarum ope dæmonis facta. II. Divinatio habetur vel cum expressa, vel cum tacita dæmonis invocatione: Eaque haberi potest, etiamsi quis protestetur se nolle dæmonem invocare. III. Ars inveniendi furtum occultum, vel quid simile, per astrologiam est superstitiosa. IV. Divinatio per expressam dæmonis invocationem est multiplex, videlicet Oraculum, Præstigium, Necromantia, &c.; sicut est multiplex per dæmonis invocationem tacitam, ut Astrologia, Augurium, Omen, Chiromantia, &c. V. Sortilegium divinatorium de se est mortale - Quid de consultorio, Divisorio? VI. Non datur materiæ parvitas in Divinatione. Multipliciter tamen sæpe a mortali excusatur Divinatio, videlicet ratione ignorantiæ, curiositatis, joci, &c. VII. Ejusdem speciei sunt omnes divinationes, sive fiant cum tacita, sive cum expressa dæmonis invocatione: Sæpe tamen expressa invocatio annectitur aliis peccatis in Confessione explicandis. VIII. Quandonam liceat somnia, motus animalium, aut astra observare? IX. Phisonomia quomodo liceat? Non licet tamen Ægyptios consulere, ut futuros eventus prædicant.

ARTICULUS III. 48

De Vana Observatione.

I. In hoc differt Vana observatio a Divinatione, quod illa ordinetur ad aliquid obtinendum; hæc vero ad aliquid cognoscendum. II. Sæpe Vana observantia habetur solum cum tacita dæmonis invocatione, quamvis fiat protestatio, quod dæmonis concur-

concursus in ea re recusetur. III. Ea dividitur in Artem notoriam, in Observationem sanitatum, & Observationem eventuum. In quo hæc differat a Divinatione? IV. Plura recensentur, quæ non raro ponuntur, & tamen sunt superstitiosa. V. Quonam pacto possit quis aliquando in his vanis observationibus a mortali excusari? VI. Quænam observationes non sunt vanæ, nec superstitiosæ, sed licitæ? VII. Quid de unguento armario? VIII. Unde dignosci possit, quod aliqua observatio non sit superstitiosa? IX. Quid si dubitetur num effectus aliquis sit superstitiosus, an naturalis? Aut si dubitetur num effectus præternaturalis sit a Deo, an a dæmone?

ARTICULUS IV. 50

De Magia.

I. Magia est ars operandi mira ope dæmonis. Differt Magia superstitiosa a Naturali; quia hæc operatur mira per causas naturales. II. In quo differat Mania a vana observatione, a Maleficio, & ab Incantatione? III. Magia naturalis non est superstitiosa, sed Auctores, qui de illa pertractant, non raro plura superstitiosa permiscent. IV. Naturalis a superstitiosa Magia discerni facile potest ex conditione Causarum, Operationis, & Effectus. Quonam pacto philtra amatoria ad amorem, ac libidinem alliciant? V. Quanam arte dæmones familiares in annulis, aut phialis includantur? VI. Num vis fascinandi sit naturalis, an superstitiosa?

ARTICULUS V. 51

De Maleficio.

I. Maleficium est ars nocendi aliis ope dæmonis. Dividitur in Amatorium, & Veneficum; quod appellatur Veneficum. II. Remedia adversus maleficium alia sunt Naturalia, alia Supernaturalia, alia Moralia. III. Num liceat a Malefico petere, ut Maleficium dissolvat, si non constet, quod sine novo maleficio possit illud dissolvere? IV. Quid si constet posse illum quidem sine novo maleficio maleficium dissolvere, sed non esse illud dissoluturum sine novo maleficio? V. Licitum est dissolvere maleficium ponendo signa contraria, quibus positis expiret pactum cum dæmone. VI. Idque verum est, etiamsi per accidens inde sequatur alteri damnum; dummodo illud non sequatur ex actione dæmonis positiva. Sed quid si de hoc dubitetur? VII. Quomodo gerere se debeat Confessarius cum Maleficis, Magis, & Incantatoribus?

QUÆSTIO VI. 52

De Irreligiositate, & in specie de Sacrilegio, Blasphemia, & Tentatione Dei.

ARTICULUS I. 53

De Sacrilegio.

I. Sacrilegium est rei Sacræ læsio. Triplex autem est, Personale, Locale, & Reale: Specialiter autem in Confessione aperiendæ sunt Sacrilegii species. II. Probabiliter tres istæ Sacrilegii species sunt atomæ, non subalternæ; itaut de consilio, non de præcepto explicandus sit in confessione modus Sacrilegii, tanquam circumstantia aggravans. III. Quænam Persona dicatur Sacra, itaut eam lædens Sacrilegium committat? IV. Per læsionem Personæ Sacræ quadrupliciter committitur Sacrilegium, injiciendo manus violentas, perducendo ad tribunal sæculare, subjiciendo oneribus vectigalium, & per actiones venereas. V. Novitius non habens votum castitatis non est sacrilegus, si carnaliter peccet. Quid de habente hoc votum, si alios inducat ad peccandum carnaliter? Quid de Sacerdote Græco, si peccet contra castitatem? VI. Communius docent contra nonnullos, fractionem cujuscumque voti esse sacrilegam. VII. Quare non sint sacrilega omnia peccata Personæ Sacræ, sed solum peccatum contra castitatem? VIII. Quare percussio Clerici habentis primam Tonsuram, & Novitii sit sacrilega, & non sit sacrilegum peccatum istorum contra castitatem? IX. Quinam dicatur locus sacer, cujus violatio sit Sacrilegium? X. Latius patet locus sacer relate ad effectum gaudendi immunitate, quam relate ad effectum constituendi furtum, verbi gratia, sacrilegum. XI. Locus sacer violatur per illas duntaxat actiones, quæ in locis Sacris intuitu Religionis prohibentur, puta per effusionem sanguinis, vel seminis, si delicta sint publica, per extractionem violentam e loco Sacro, per mercatus, convivia, furta, &c. XII. Est sacrilegium furtum sacri de sacro, Sacri de non sacro, & non sacri de Sacro, si res non sacra sit in Ecclesia custodiæ causa, aut illi commodata. XIII. Num sit Sacrilegium furari aliquid e Sacristia? Non est sacrilegium furari aliquid e Claustris Religiosorum, aut ex Oratoriis privatis. Quid de furto in Oratoriis Xenodochiorum, & Eremitoriorum? XIV. Nomine rei Sacræ veniunt Sacramenta, ornamenta Ecclesiæ benedicta, bona Ecclesiæ, & similia. Non tamen Tempus, & Locus; unde de se non est Sacrilegium peccare die festo, aut in Ecclesia. XV. Est Sacrilegium concupiscere copulam habendam in Ecclesia; sed non est Sacrilegium in Ecclesia concupiscere copulam habendam extra Ecclesiam. Actus turpes si in Ecclesia committantur, explicandum est in Confessione. XVI. Multipliciter Sacrilegium reale committi potest; præsertim si quis abutatur aut rebus, aut verbis sacris, si irreverenter officium recitetur, si imagines Sacræ, vel Reliquiæ male habeantur, &c.

ARTICULUS II.

De Blasphemia.

I. Blasphemia proprie solis verbis, non vero factis contumeliosis exhibetur contra Deum, aut Sanctos, sive mente, sive ore, sive scripto. II. Non datur materiæ parvitas in blasphemia, etiamsi joci gratia proferatur. III. Ex consuetudine sine plena advertentia blasphemare non vacat culpa lethali. IV. Blasphemia hæreticalis continet hæresim, seu quod articulo fidei directe opponitur, secus vero Blasphemia simplex. Hæreticalis aut tollit a Deo quod habet, aut per contumeliam tribuit Deo, quod non habet. V. Simplex Blasphemia est quadruplicis generis, Enunciativa, Detestativa, Irrisoria, & Juratoria. VI. Probabiliter non differunt specie Blasphemiæ in Deum, & Blasphemiæ in Beatam Virginem, & in Sanctos; nisi proferantur in Sanctos ob propriam eorum excellentiam. VII. Qui maledicit creaturis, inquantum Creaturæ Dei sunt, profecto blasphemat; sicut qui rebus sacris maledicit: Quid si quis creaturis irrationabilibus maledicat? Et quid si tempori, pluviæ, ventis? VIII. Discutiuntur plures formulæ, quæ frequenter usurpantur, num sint Blasphemiæ. IX. Quid de formula illa conditionata, Deum abnego, si res

non

non ita se habet? Quid de illa, Per vitam Dei; aut de illa alia, Corpo di Dio con voi? x. In dubio, an formula aliqua sit blasphema, non est talis censenda. xi. Blasphemi denunciandi sunt (si Blasphemia sit hæreticalis) intra sex dies a notitia, sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ.

ARTICULUS III. 59

De Tentatione Dei.

i. Tentatio secundum se alia est Probationis, alia Inductionis. Ad primum genus spectat tentatio Dei, quippe quæ est Probatio alicujus divini Attributi modis indebitis. ii. Expressa Dei tentatio habetur, si directe intenditur experimentum de aliqua Dei perfectione. Tacita vero habetur, quando sine tali expressa intentione aliquid ad id ordinatur. iii. Tentatio Dei ex genere suo est peccatum lethale; cum gravem irreverentiam erga Deum importet. iv. In lege veteri præcipiebantur a Deo nonnullæ purgationes, itaut miraculis innocentia alicujus detegeretur, Et in nova lege prohibentur. v. Tentat Deum, qui miraculum ab eo petit citra necessitatem, aut Dei impulsum; Sicut etiam qui ex curiositate vult experiri opus aliquod supernaturale. vi. Poterit aliquando Tentatio Dei a mortali excusari, si aut desit plena deliberatio, aut detur materiæ parvitas.

QUÆSTIO VII.

De Secundo Decalogi Præcepto.

Non assumendi in vanum Dei Nomen.

ARTICULUS I. 61

Quid, & Quotuplex sit Juramentum?

i. Juramentum est Divini testimonii invocatio ad fidem faciendam; seu Invocatio Dei in testem. Invocatur autem Deus in testem vel explicite, vel implicite; ut quando juratur per Creaturas, quatenus in iis Deus relucet. ii. Juramentum fieri potest verbo, nutu, facto, scriptura, & mentaliter. iii. Jurans per falsos Deos vere non jurat. iv. Num sint juratoria hæc verba, Per fidem meam, Per conscientiam meam, Per fidem boni Christiani, Sacerdotis, &c. v. In dubio num formula sit juratoria, quid in foro externo judicandum, & quid in interno? vi. Jurans per suam barbam, vestem, aut alias res viles, in quibus divinitas specialiter non relucet, vere non jurat. vii. Quid si quis usurpet formulas juratorias, nesciat tamen, quid sit juramentum, ut pueri, & rudes, & mulierculæ? Quomodo Confessarii cum istis se gerere debent? viii. Hæc verba, Coram Deo loquor, Deus videt meam conscientiam, enunciative prolata non sunt juramentum; secus vero prolata invocative. ix. Rustici passim dicentes, Per Deum, Per Corpus Christi, raro jurant, sed vel blasphemant, si adversus Deum indignentur, vel peccant contra charitatem, si adversus homines indignentur. x. Jurans, Per hanc Crucem, nullam signando Crucem, vere non jurat. xi. Juramentum aliud Assertorium, aliud Promissorium, quod vel est Absolutum, vel Conditionatum, vel Pœnale. xii. Per juramentum Invocatorium, seu Contestativum Deus invocatur ut testis; Per Execratorium, seu Imprecativum invocatur etiam ut Vindex: Omnia autem juramenta censetur esse ejusdem speciei. xiii. Juramentum Comminatorium (puta, per Deum te occidam) vel reducitur ad Promissorium, vel ad Execratorium.

ARTICULUS II. 63

De Conditionibus requisitis ad licite jurandum.

i. Tres sunt juramenti liciti comites, Veritas, Justitia, & Judicium; jurari enim nequit, nisi de re, quæ satis probabiliter putatur vera; item de re honesta, & ex necessitate. Si quis juret se venialiter peccaturum, num peccet mortaliter? ii. Gravius peccatum est jurare se mentiturum sine animo ponendi mendacium, quam jurare cum tali animo. iii. Pejerat, qui rem dubiam asserit cum juramento. iv. Ad licite jurandum privatim satis est certitudo moralis de rei veritate; at ad jurandum in judicio requiritur notitia de visu, & præsentia. v. Quamvis jurans se positurum rem levem graviter peccent, si tunc non habeat animum illam ponendi, non peccat tamen graviter, si deinde illam non ponat. vi. Mater, quæ juramento comminatorio jurat se punituram filium, peccat graviter, si non puniat, quando punitio est justa, & gravis. vii. Non dicitur esse universim juramentum falsum, sed temerarium, quando quis jurat se positurum rem illicitam, puta homicidium: Sicut etiam quando quis jurat se, verbi gratia, patrasse homicidium, ordinando hoc peccatum jactantiæ ad alios scandalizandos. viii. Si Sortes putet aliquid esse verum, quod tu scis esse falsum, non poteris inducere illum ad jurandum hoc, quod materialiter est falsum.

ARTICULUS III. 64

De Materia Juramenti.

i. Juramenti promissorii materia debet esse res licita, possibilis, honesta, & non indifferens, nec impeditiva majoris boni. ii. Si jures in obsequium Dei te ducturum Uxorem, ad id non teneris; Secus vero si id jures in gratiam fœminæ, quam vis ducere. iii. Qui rem bonam, puta jejunium, jurat ob finem malum, ad illam non tenetur; Secus vero si illam jurat ob finem bonum, quamvis hic per peccatum assequendus sit. iv. Secunda sponsalia jurata, etiam dissolutis prioribus sponsalibus, non obligant. v. Promissio facta pro turpi facinore patrando, num eo patrato obliget? vi. Promissio prodiga num obliget ad totum? num ad partem, in qua non sit prodigalitas? Num simpliciter non obliget? vii. Juramentum non obligat ad ponendum, quod lege etiam civili vetatur; obligat tamen ad id, quod lege civili non prohibetur, sed permittitur in favorem jurantis. viii. Juramentum de non acceptando Episcopatu, si fiat ex affectu humilitatis, validum est, secus vero si fiat ad declinandas curas Episcopales.

ARTICULUS IV. 66

De Juramenti obligatione.

i. Qui jurat sine animo jurandi, secundum se peccat graviter: sicut etiam qui jurat sine intentione se obbligandi. ii. Quandonam possit sine mendacio & perjurio quis jurare, utendo æquivocatione, au restrictione non pure mentali, sive locutione materiali? iii. Juramentum, sicut & votum, non obligat, si dolus, aut error dans illi causam versetu circa substantiam rei, aut circa circumstantias no

tabiles, quæ in ipsam rei substantiam redundent; secus vero si versetur circa circumstantias parvi ponderis. IV. Est pariter invalidum juramentum, & votum, si error dans causam contractui versetur circa causam finalem, quod verum est, etiamsi error sit concomitans,) non tamen si error incidat in contractum, & versetur circa causam impulsivam. V. Error tamen circa qualitates magni ponderis, & circa causam finalem non invalidat Professionem Religiosam; sicut nec matrimonium, aut susceptionem Ordinis Sacri, nisi exprimatur. VI Qui juravit, vel vovit, & dubitat an habuerit animum se obligandi, probabilius obligatur. Qui tamen juravit se non lusurum, præscindendo a lusu moderato, vel immoderato, poterit lusu moderato ludere. VII. Juramentum metu extortum obligat pro foro interno, non pro externo. & nisi a Prælato ex justa causa relaxetur, poni debet, quantumvis arduum sit, quod juratum est, si citra culpam poni potest. VIII. Matrimonium, & votum extorta metu gravi injusto ideo sunt irrita, quia jure Ecclesiastico irritantur; Juramentum tamen hujusmodi ab Ecclesia non irritatur.

ARTICULUS V. 70

Quomodo quædam celebriora Juramenta interpretanda sint.

I. Prima regula servanda, quod juramentum, quantum fieri potest, minus obliget servata verborum proprietate. Altera, quod cadens supra promissionem, hujus naturam sequatur. II. Juramentum de non ludendo secundum se intelligitur de ludo illicito. III. Qui jurat se soluturum debita intra mensem, prorogato tempore de consensu creditoris, non tenetur amplius vi juramenti. IV. Juramentum Medicorum de non visitandis post tertium diem infirmis, nisi confessionem præmiserint, quomodo intelligendum est? V. Si quis jurat se ducturum Bertam divitem, & sanam, non tenetur eam ducere, si incidat in gravem ægritudinem, & paupertatem. VI. Qui promittit aliquid Titio cum juramento, non tenetur, si ille fiat ingratus, aut frangat fidem datam. VII. Si quis juratus promittat aliquid absenti, potest promissionem revocare, antequam acceptetur. Pariformiter discurrendum de pluribus aliis juramentis, quæ passim fiunt.

ARTICULUS VI. 71

Quomodo tollatur juramenti obligatio?

I. Juramenti obligatio impeditur aut per legem irritantem contractum, aut per legem prohibentem contractus jurati executionem. II. Tollitur vero juramenti obligatio aut per cessationem causæ principalis, aut per mutationem materiæ, aut per irritationem, aut per commutationem, aut per relaxationem. Et eadem est ratio de Voto. III. Cessat juramenti, & voti obligatio, si superveniat notabilis mutatio, qua prævisa non jurasses, aut vovisses. Sed quid si dubitetur, an sit hujusmodi mutatio, quæ supervenit? Quinam possint, & quomodo juramenta, ac vota irritare? V. Quid intersit inter irritationem, & dispensationem voti, ac relaxationem Juramenti? VI. Quænam vota, aut juramenta filiorum possit Pater irritare? Num etiam id possit mater? Quænam servorum juramenta possit Dominus irritare? VII. Quænam possit Uxoris juramenta Maritus irritare, aut Uxor Mariti? VIII. Superiores Regulares quænam vota, & juramenta subditorum irritare possint? Pontifex Regularium vota potest irritare, sæcularium vero potest solum dispensare. Quid hac in re possint Abbatissæ? Quid de novitiis? IX. Quinam possit juramenta relaxare, ac vota dispensare? Et quænam causa ad id requiratur? X. Voti vinculum est fortius vinculo juramenti; unde reservato voto, verbi gratia castitatis, non eatenus reservatur tale juramentum. XI. Qui potest vota, & juramenta commutare, non eatenus potest dispensare in illis; quamvis e converso qui potest dispensare, potest etiam vota jurata commutare. XII. Ipse vovens, & jurans potest votum, & juramentum, si non sint reservata, commutare in melius, & probabiliter etiam in evidenter æquale; jurans tamen, aut vovens in favorem alterius nequit ea, si sint acceptata, commutare.

ARTICULUS VII.

De Perjurio, ac de assueto ad jurandum.

I. Perjurium presse sumptum est juramentum, cui deest veritas; late vero sumptum est, cui deest judicium, & justitia, seu necessitas, & honestas. Est perjurium peccatum gravius homicidio. II. Estque pariter peccatum gravius homicidio, nullum tempus velle dicare divino cultui. III. Consuetudo conjungendi juramentum cum mendacio sub mortali tollenda est. Immo mortaliter peccat, qui cum hac consuetudine inadvertenter jurat cum proximo periculo pejerandi; etiamsi tunc juret verum. IV. Quænam remedia adhiberi possint ad evellendam jurandi consuetudinem? V. Ut mortaliter peccet, qui assuetus juramentis hic & nunc jurat, debet advertere ad obligationem, quam habet evellendi talem consuetudinem, aut ad periculum proximum pejerandi. Quonam pacto hæc peccata in confessione aperienda? Et quando negari debet absolutio?

ARTICULUS VIII.

De Adjuratione.

I. Adjuratio vel est Imperativa, ut erga dæmones, vel Obsecrativa, ut erga Deum. II. Obsecrativa est actus latriæ, si fiat invocatione Dei; Est actus Duliæ, si fiat invocatione Sanctorum? Et Hyperduliæ, si Beatæ Virginis. Quando autem fit per alias creaturas, non est actus Religionis. III. Creaturæ irrationales adjurantur improprie, quatenus obediunt Creatori. IV. Per orationem petimus aliquid a Deo; Per Adjurationem petimus aliquid propter Deum. V. Differt Adjuratio a juramento; quia per illam adducitur Deus non ut testis, sed ut ejus amore, vel timore aliquid obtineatur. Requirit tamen Adjuratio tres illos juramenti comites, Veritatem, Justitiam, & Judicium. VI. Quibus liceat dæmones adjurare adjuratione imperativa? Num etiam laicus possit exorcizare publice citra mortale? VII. Vis expellendi dæmones per exorcismos est ex opere operato. VIII. Privata Adjuratio adversus dæmones cuilibet est licita. IX. Quid possint, aut non possint Exorcistæ a dæmone interrogare? X. Videtur mortale creaturas irrationales exorcizare directe. Indirecte adjurari possunt, vel adjuratione deprecativa, prout moventur a Deo, vel imperativa, prout moventur a dæmone.

QUÆSTIO VIII.

De Voto.

ARTICULUS I. 77

Quid, & Quotuplex sit Votum?

I. Votum est promissio deliberata facta Deo de meliori bono. II. Differt a proposito, quippe quod

non est obligatorium, saltem sub gravi. III. Si votum fiat cum semiplena deliberatione, non obligat. Quid si dubitetur, an deliberatio fuerit plena? IV. Ad votum sufficit voluntas implicita illud emittendi; ut in suscipiente Ordines Sacros; Qui si nolit vovere castitatem, adhuc ad illam obligatur, saltem ex statuto Ecclesiæ, & est sacrilegus, si adversus illam peccet. V. Qui invalide suscipit Ordines Sacros, ad castitatem non tenetur: Secus vero qui invalide in Religione profitetur. VI. Soli Deo votum fieri potest, Deiparæ vero, & Sanctis, quatenus Deus in iis inhabitat. VII. In quo sensu votum est de meliori bono? VIII. Vinculum voti est fortius vinculo juramenti promissorii. IX. Votum invalidum per ratificationem non revalidatur, si ejus invaliditas ignoretur. Quid si quis dubitet, an voluerit per ratificationem novum votum emittere? X. Multipliciter dividitur votum; præsertim in Solemne, & Simplex. Solemne emittitur in susceptione Ordinis Sacri, & in Professione Religiosa, & irritat matrimonium; Quod pariter irritat Votum simplex in Societate Jesu. XI. Per votum pœnale, puta non blasphemandi sub pœna jejunandi, ut plurimum duo promittuntur Deo; Id tamen pendet ex intentione voventis.

ARTICULUS II. 79

De Materia, & Obligatione Voti.

I. Quando materia voti partim est apta, partim inepta, vovens ad nihil tenetur, si utramque materiam vovit per modum unius; secus si per modum plurium. II. Quandiu differri possit voti adimpletio; præsertim si sit de Religione ingredienda? III. Num possit emitti votum cum intentione, quod solum obliget sub levi in materia gravi, & sub gravi in materia levi? IV. Quandonam materia levis ex circumstantia evadit gravis? V. Num peccet graviter, qui sæpe violat votum in materia levi? VI. Peccatne mortaliter, qui eodem die violat plurima vota diversa, quorum singula sunt de re levi? VII. Cessat voti obligatio, facta, aut deprehensa notabili mutatione, quæ si fuisset prævisa, votum non fuisset emissum,

ARTICULUS III. 81

Quonam pacto tolli possit obligatio Voti per dispensationem?

I. Potest Episcopus in omnibus votis suorum subditorum dispensare, nisi expresse a Pontifice nonnulla reserventur; ut de facto quinque reservantur Pontifici. II. In dubio an votum sit Pontifici reservatum, potest dispensare Episcopus; sicut etiam in dubio an egeat dispensatione. III. Pariter potest Episcopus in votis Pontifici reservatis dispensare in casu necessitatis, quando periculum gravis damni esset in mora. IV. Sicut etiam probabiliter id potest, si votum reservatum sit emissum ex metu levi. Aut si votum castitatis sit ad tempus, aut non sit perfectæ castitatis. V. Potest Episcopus dispensare in voto pœnali castitatis relate ad pœnam, quæ est accessoria; Et in voto suscipiendi Ordines Sacros. VI. Facta a Pontifice commutatione Voti sibi reservati, potest Episcopus dispensare in materia subrogata. VII. Si votum sit disjunctivum, antequam eligatur pars reservata, potest in illo Episcopus dispensare. VIII. Potest etiam dispensare in differenda executione voti Religionis; & in voto ingrediendi Ordinem Militarem, dempto Ordine Sancti Joannis Hierosolymitani. IX. Pariter dispensare potest in votis factis in favorem alterius, si nondum sunt acceptata; Si tamen sint acceptata, tunc solum probabiliter potest dispensare, quando emissa sunt principaliter in honorem Dei, & secundario in favorem alterius. X. Itidem vota reservata, si sint conditionata, (& probabiliter etiam post conditionem purificatam) dispensari possunt ab Episcopo. XI. Habens potestatem commutandi vota, aut in iis dispensandi, potest illam secummet exercere. XII. Habens facultatem dispensandi in Votis num possit eatenus juramenta relaxare? XIII. Quænam dicatur causa justa ad dispensandum in Votis?

QUÆSTIO IX.

De tertio Decalogi Præcepto.

Diem Sabbati sanctifices.

ARTICULUS I. 83

De Abstinentia ab operibus servilibus die festo.

I. Non est speciale peccatum die festo peccare, & diabolo servire; sed est peccatum opera servilia exercere. Sunt autem servilia opera non solum quæ a servis communiter exerceri solent, sed etiam quæ servis, & liberis solent esse communia, ita ut usus, & consuetudo habeat pro servilibus. II. Prohibentur servilia, etiamsi gratis, & sine labore exerceantur, & permittuntur liberalia, etiamsi ob stipendium, & cum labore fiant. III. Permittitur transcribere etiam notas musicas, non tamen lineas his notis subjectas ducere. Licitum etiam est Typographo characteres ordinare, rationes dati, & accepti facere, & transcribere. IV. Probabiliter liceat etiam delineare, & sine magno apparatu pingere: Immo etiam acu pingere. V. Permittitur etiam probabiliter piscari, & venari sine magno apparatu, ac labore. VI. Pariter permittuntur præliationes, artes militares, & ars digladiandi. VII. Ars sculptoria censetur servilis, sive in ligno, sive in marmore, aut creta sculpatur. VIII. Licitum est iter facere etiam in lectica, quæ portetur ab hominibus. IX. Non licet ducere jumenta, aut currus onustos, si cum magno labore onera iis imponenda sunt. Qui vero comitantur jumenta onusta, raro peccant mortaliter; quia raro ultra spatium duarum horarum in imponendis oneribus laborant. X. Idem dicendum de iis, qui ducunt animalia, quæ in pistrino molunt, ac de iis, qui exercent opus distillandi; aut frumentum cribro eventilatum manibus purgant. XI. Num liceat Infidelibus injungere die festo opera servilia?

ARTICULUS II. 85

De operibus forensibus vetitis die festo.

I. Prohibetur die festo Mercatus, Judicium forense, & Juramentum. II. Nomine mercatus veniunt Nundinæ universales, & particulares, necnon actus mercandi. Quid tamen permittitur ex consuetudine? III. Nomine Judicii forensis venit strepitus judicialis; itaut actus judiciales sint invalidi, nisi necessitas, aut pietas aliud suadeat. IV. Sententia excommunicationis nec irritatur, nec prohibetur; Sicut neque aliæ sententiæ, & actiones, quæ strepitum judicialem non requirunt. Probabilius tamen licita est Appellatio. V. Nomine Juramenti, quod prohibetur die festo, venit juramentum judiciale, quod fit pro rebus temporalibus. VI. Pluribus de causis, aut licent opera forensia, ac servilia die festo, aut non est mortale ea exercere; Præsertim ratione necessitatis, consuetudinis, dispensationis, aut parvitatis materiæ. VII.

Quid

Quid de sutoribus laborantibus die festo? VIII. In dubio an detur necessitas, aut consuetudo approbata, petenda est dispensatio: Secus tamen si probabile sit diri necessitatem, aut consuetudinem, & scandalum vitetur. IX. Est sufficiens causa excusans timor gravis damni, & amissio ingentis lucri. X. Num possit quis ad otium vitandum laborare, saltem ad sublevandam alicujus gravem necessitatem? Num possint ea fieri die festo, quæ ad cultum divinum spectant? XI. Quænam sit parvitas materiæ in operibus servilibus, quænam in forensibus, quæ a mortali excuset? XII. Plurimi ex consuetudine a Doctoribus excusantur. Quid de barbitonsoribus, & sutoribus? Quid si de consuetudine dubitetur? XIII. Demum excusat dispensatio, quam data justa causa potest etiam Vicarius Generalis ex speciali mandaro concedere. Immo etiam Parochus; qui potest etiam in jejuniis dispensare. Prælati Regulares dispensare possunt cum subditis suis, non cum famulis secularibus.

ARTICULUS III.

De Missa die festo audienda.

I Probabiliter satisfacit præcepto de missa audienda, qui successive duas missæ partes audit, quamvis ordine inverso. II. Num partem missæ notabilem omittat, qui incipit illam audire post Evangelium? Aut qui per breve tempus abest, dum fit aut Consecratio, aut Communio? III. Quænam dicatur præsentia moralis requisita ad satisfaciendum præcepto audiendi missam? IV. Non satisfacit, qui toto tempore missæ confitetur peccata sua. V. Præsentia moralis haberi potest aliquando, etiamsi audiens missam sit extra Ecclesiam; & potest non haberi, etiamsi sit intra Ecclesiam. Quid si inter fenestram domus, e qua auditur Missa, & Ecclesiam intercedat via pubblica? VI. Missa in Oratoriis privatis Magnatum a quibusnam familiaribus die festo audiri potest, itaut non teneantur illam in Ecclesia audire? VII. Excusat ab audienda missa Impotentia, Censura, Consuetudo, & Dispensatio. Impotentia habetur ab eo, qui sine gravi incommodo illam audire non potest. Quid si lucrum ingens amitteret? VIII. Num excusetur puella, quæ credit se ab adolescente lascivo concupiscendam, si domo egrediatur? IX. Num teneatur privilegiarius missam audire tempore Interdicti? Et quid de detento in carcere, si facile potest facultatem egrediendi obtinere? X. Excusantur viduæ, & similes, ubi est consuetudo, quod per aliquod tempus domo non egrediantur post mortem mariti. Sic etiam nubiles, pauperes, &c. XI. Num peregrinus teneatur missam audire, ubi est festum municipale, si per viginti dies circiter ibi sit commoraturus? XII. Num possit quis die Sabbati ire venatum, si die dominico non possit audire Sacrum?

QUESTIO X.

De Jejunio.

ARTICULUS I. 93

A quibus cibis abstinendum die jejunii? Et an etiam a potu?

I. Quænam animantia, quæ extra aquam vivunt, non prohibeantur? II. Num laridum, & sagimen inter lacticinia numerentur? Quid de inrestinis animalium? III. Num lacticinia, quæ ex evidenti totius Ecclesiæ consuetudine obligatoria prohibentur in Quadragesima, pariter in aliis vigiliis prohibeantur? IV. Dispensatus ad carnes, & non ob virium imbecillitatem, num teneatur ad unicam comestionem die jejunii? V. Num dispensatus ad carnes, quo die ab iis abstinet, ad unicam comestionem teneatur? VI. Utrum die jejunii liceat vinum bibere in fraudem jejunii ad vires reficiendas? XII. Num liceat comedere, & bibere ob delectationem, & non ad satietatem? VIII. Quinam universim dicatur potus usualis, a quo jejunium non frangatur? Num cervisia, num aqua saccharo, & aromatibus condita? Num Cocolata?

ARTICULUS II. 97

De unica Refectione, ac de ejus Hora.

I. Ex consuetudine, non ex lege scripta tenemur die jejunii ad unicam duntaxat refectionem. Et ex consuetudine etiam permittitur refectiuncula. II. Qui bis comedit die jejunii, si iterum comedat, non peccat amplius; At si comederet carnes, peccat toties, quoties iterum illas comedit. III. Qui inculpabiliter bis comedit, num teneatur non amplius comedere? IV. Ut refectio dicatur moraliter unica, quantum temporis intercedere potest inter plures refectiones? Num possit vespere comedere, qui mane caruit notabile parte refectionis? V. Hora refectionis, quæ olim erat ad Solis occasum, & deinde ad Tertiam post meridiem, nunc temporis est ad meridiem. VI. Quid si anticipetur hora comestionis sine causa, aut privilegio per horam ante meridiem?

ARTICULUS III. 99

De Refetiuncula.

I. Varie opinantur Doctores circa quantitatem cibi in Refectiuncula; Omnium benignissima, & usu recepta opinio est, quod ea sit octo unciarum. II. In pervigilio Nativitatis Domini refectiuncula potest esse duplo major; & in iis Regionibus, ubi est consuetudo sumendi triplo majorem, immo etiam in vigilia Paschatis, & Pentecostes servari illa licite potest. III. Num possit in refectiuncula sumi exigua pars piscis majoris? IV. Licetne sex uncias panis cum duabus unciis liquoris amygdalini coquere, & sumere pro jentaculo? V. Num liceat sine causa cœnulam sumere mane, rejecta in vesperas cœna? VI. Non licet diluculo jentaculum sumere, & ad meridiem, seu ad vesperas cœnare.

ARTICULUS IV. 100

De Obligatione Jejunii, & non cooperandi cum aliis in illius fractione.

I. Jejunium Quadragesimale non est de jure divino, sed jam inde ab Apostolis in Ecclesia præceptum. II. Consuetudine plura jejunia in Ecclesia introducta sunt, & plura abrogata. Num Regulares teneantur ad jejunia consuetudine alicubi introducta? III. Quandonam frangens jejunium, ad quod ex pluribus titulis obligatur, plura peccata committat? IV. Num Franciscanus ad jejunia suæ Regulæ obligetur ante vigesimum primum ætatis annum? V. Lex jejunii obligat etiam ad non cooperandum cum aliis in ejus fractione. IV. Num liceat invitare, ac offerre carnes parato jejunium frangere, non quidem absolute, sed sub conditione, quod velit omnino carnibus vesci? VII. An peccent Caupones ministrando omnibus indiscriminatim carnes diebus esurialibus? VII. Licite car-

carnes ministrantur Infidelibus die jejunii, sicut pueris ante rationis usum.

ARTICULUS V. 110

De Infirmitate, & Paupertate a Jejunio excusantibus.

I. Excusant Dispensatio, & Impotentia sæpe orta ex infirmitate, paupertate, labore, ætate. II. Infirmitas excusans debet esse notabilis, puta si timeatur ex jejunio capitis vertigo, aut stomachi dolor; Aut si ex illo impediantur consuetæ uniuscujusque operationes. III. Prægnantes, & nutrices, etsi validæ, ad jejunium non tenentur, sed tenentur secundum se a carnibus abstinere. Qui absque cœna nequit noctu calefieri sufficienter, non tenetur mane jentare, ut vespere cœnet. IV. In dubio an jejunium sit graviter nociturum, standum judicio Medici docti, & timorati; vel petenda est dipensatio; Quæ probabiliter dari potest, etiamsi dubitetur, an detur justa causa ad dispensandum. V. Nec Medicus, nec Confessarius dispensare potest in jejuniis, sed solus Superior; etiam Parochus; non tamen Abbatissa. VI. Excusatur pauper, si careat sufficienti cibo. Sed quinam dicitur cibus sufficiens? VII. Num liceat messoribus, ac iter agentibus vesci lacticiniis, si desit sufficiens aliud alimentum?

ARTICULUS VI. 111

De Labore, & Ætate, quæ a Jejunio excusant.

I. Excusantur a jejunio, qui exercent artem de se laboriosam, quam possent commode jejunare. II. Quænam dicatur ars de se laboriosa incompossibilis cum jejunio? III. Non videntur artes de se laboriosæ, Ars Sutoris, qui pannos suit, & Ars Barbitonsoris; unde solum per accidens excusari possunt. IV. Quænam reputentur exercitia de se non laboriosa? Num Cantoris, Advocati, Concionatoris? Et quid de iter agentibus? V. Qui arti laboriosæ operam navant, si uno, aut altero die a labore desistant, num teneantur iis diebus jejunare? VI. Quandonam Conjux a jejunio excusatur, si non possit aliter debitum reddere? VII. Non licet in fraudem jejunii opus laboriosum assumere, aut longum iter. Quomodo liceat aliquando ire venatum, quamvis non sit compossibile jejunium cum ea venatione? VIII. Probabiliter senes etiam robusti ad jejunium non obligantur inchoato anno sexagesimo; Et fœminæ juxta nonnullos inchoato quinquagesimo. Quid si dubitetur de tali ætate?

QUÆSTIO XI.

De quarto Decalogi Præcepto

Honorandi Parentes.

ARTICULUS I. 113

De Obligatione filiorum erga parentes.

I Filii Parentibus debent Amorem, Reverentiam, Obedientiam, & Subventionem. II. Amor Parentibus debitus consistit in fuga odii, & in exhibitione signorum amoris; necnon in dilectione interna, & formali. III. Reverentia Parentibus debita quid ferat? Et quando ab ea filii deobligentur? IV. Quandonam graviter peccent filii non obtemperando Parentibus? V. In iis, quæ pertinent ad vitæ statum tenentur filii consulere Parentes, quamvis non teneantur deinde eorum consilium sequi. VI. Tenentur filii Parentibus subvenire tam in necessitatibus spiritualibus, quam in temporalibus. VII In gravi necessitate Parentum tenentur filii abstinere ab ingressu in Religionem; necnon in extrema fratrum, aut sororum. At egredi e Religione tenentur solum in extrema Parentum necessitate. VIII. Eodem modo Parentes tenentur ab ingressu in Religionem abstinere in gravi necessitate filiorum, & in extrema egredi.

ARTICULUS II. 115

De Obligatione Parentum erga filios.

I Tenentur parentes bono spirituali, & temporali filiorum multipliciter prospicere; & si ad eorum emendationem est necessarium, possunt percutere etiam in Sacris constitutos. II. Mater solum tenetur lactare, & educare filium usque ad tertium annum, nisi pater sit impotens ad alendum filium. In defectum parentum tenentur Avi, deinde Aviæ. Si divites exponant filios Hospitali, tenentur huic expensas compensare. III. Plurimæ causæ a Doctoribus assignantur, ob quas potest Pater filium exhæredare. IV. Si filia contra voluntatem Patris nubat indigno, non potest exhæredari. V. Num Pater filio, quem exhæredare potest, teneatur alimenta præstare ad vitam sustentandam? VI. Quid veniat nomine alimentorum, quæ Pater tenetur filio præstare? Num teneatur etiam alere uxores filiorum, & filiæ spuriæ dotem constituere? VII. Obligatio, quam habent parentes alendi filios, transit ad hæredes; Sicut etiam si bona parentis donentur Monasterio, aut addicantur fisco. VIII. Quinam debet filium alere, si dubitetur num sit filius Petri, an Pauli? Et Paterpatratus a patrene, an a filiis alendus est?

ARTICULUS III. 116

De Obligatione Conjugum ad invicem.

I. Etiam vir debet uxori præter amorem, obedientiam in iis, in quibus est subjectus, & honorem. II. Potest vir objurgare, & leviter percutere uxorem, si sit spes emendationis; at nequit sine gravi culpam illam graviter percutere. III. Secundum se tenetur vir alere uxorem, quamvis illam duxerit indotatam. IV. Num teneatur illam alere, quando ob utriusque culpam ab eo recessit? V. Aliquando tamen uxor tenetur virum alere. VI. Majorem debet amorem, reverentiam, & obedientiam uxor viro, quam uxori Vir, quippe qui est caput mulieris; unde tenetur uxor virum sequi: Sed quid si pactum intercedat non mutandi locum?

ARTICULUS IV. 117

De Obligatione Dominorum, Superiorum, & Principum relate ad subditos, & ad invicem.

I. Mancipia tenentur cum periculo vitæ dominum defendere. II. Servis in bello justo captis licitum est fugere, si non dederint fidem non fugiendi. III Quicquid servus acquirit, domino acquirit, si de consensu domini non habeat peculium. IV Famuli non tenentur, sicut tenentur servi, dominum defendere cum vitæ discrimine. Num debeatur famulo salarium, si diu ægrotat? V. Num Superiores, Magistri, Parentes possint moderate ad correctionem verberare etiam in Sacris constitutos? VI. Quomodo se gerere debet Herus erga famulos? Num possit illos ægrotantes mittere ad Hospitale subtrahendo mercedem? Ecclesia

Cleri-

Clericis ægrotantibus non denegat distributiones. VII. Religiosi non tenentur obedire Prælatis suis in iis, quæ sunt aut supra regulam, aut præter regulam. VIII. Prælati tenentur ad residentiam, & ad dispensandos reditus Ecclesiasticos superfluos congruæ sustentationi in usus pios. IX. Parochus quomodo debeat providere de Vicario, si non resideat ex justa causa? X. Subditi erga Principes laicos ad quid tenentur? XI. Ad quid vero Principes laici erga Vassallos? XII. Peccat Princeps, & ad restitutionem damni secuti tenetur, si ad Officium Gubernatoris, vel Judicis promoveat ineptos. XIII. Peccat etiam plerumque graviter, & contra fidelitatem erga Rempublicam, & contra justitiam distributivam, si ad hæc Officia promoveat dignos, omissis dignioribus, seu Reipublicæ utilioribus. XIV. Officia sæcularia solus Princeps supremus potest aliquando moderate vendere, idque propter Reipublicæ utilitatem, non ob privatum commodum.

ARTICULUS V. 120

De Obligatione diligendi proximum.

I. Tenemur proximum diligere etiam actu interno, & formali. II. Etiam peccatores diligendi sunt, ac etiam inimici actu interno, & formali amore prosequendi. Non tenemur tamen per se loquendo illos salutare, si scandalum absit. III. Non tenemur actionem coram Judice omittere, ut offensor satisfactionem præbeat pro injuria, & damnis illatis. Quid si sponte exhibeat ipse satisfactionem? IV. Quonam ordine proximus diligendus est? Diversus ordo servandus in necessitate extrema, vel gravi, ac extra necessitatem. V. Quænam sint peccata omissionis, & commissionis, quæ charitati erga proximum adversantur? VI. Explicanda est in confessione species mali, quod vis proximo inferre, non tamen species mali, quam proximo desideres. VII. Adversantur charitati erga proximum non solum Odium, sed etiam Indignatio, & Ira, qui tamen actus licite cum moderatione debita exerceri possunt. VIII. Adversantur etiam Discordia, Contentio, Rixa, Seditio, (quæ a Bello, & a Schismate differt) & Scandalum. IX. Non est peccatum contra charitatem scandalum acceptum, sed Scandalum datum. X. Scandalum Activum aliud est directum, aliud indirectum; Scandalum passivum aliud est Pusillorum, aliud Pharisaicum. XI. Scandalum directum semper est peccaminosum; at non semper scandalum indirectum; quod cum nonnullis limitationibus permitti potest. XII. Quænam dicantur actiones licitæ, quamvis cum iis materialiter cooperemur cum peccato proximi? XIII. Sine causa permitti non potest scandalum acceptum, ne pharisaicum quidem. XIV. Ad vitandum scandalum Pusillorum omitti aliquando potest nonnullorum præceptorum observantia. XV. In pluribus casibus abesse potest peccatum scandali, quamvis coram aliis peccetur. XVI. Num aperienda sit in confessione species peccati, ad quod inducitur proximus, qui scandalizatur.

ARTICULUS VI. 126

De Obligatione subveniendi proximo in suis necessitatibus.

I. In extrema necessitate spirituali proximi tenemur illi, etiam cum vitæ discrimine, succurrere. II. In necessitate non extrema, sed gravi alicujus particularis non tenemur cum vitæ periculo succurrere; tenemur tamen in necessitate gravi alicujus Communitatis. III. Pastor, etiam in gravi necessitate suarum ovium, tenetur opem illis ferre cum vitæ discrimine. IV. Non tenemur, sed possumus periculo exponere vitam propriam pro vita temporali proximi. V. Divitibus præcipitur facile tribuere eleemosynam indigentibus. VI. In extrema proximi necessitate tenemur ad eleemosynam ex necessariis statui proprio, sed naturæ superfluis. VII. Num satis sit extreme indigenti mutuare? VIII. Num in gravi necessitate proximi teneamur illi succurrere ex necessariis ad statum? Tenemur certe ex statui superfluis. IX. Ad quid teneamur in communibus pauperum necessitatibus? X. Beneficiarii magis, quam alii obligantur ad succurrendum pauperibus. Quonam pacto possint de redditibus Beneficii disponere? XI. Quandonam teneamur proximum fraternaliter corrigere, & quomodo? Quid si dubitetur, an correctio sit profutura? XII. Num etiam cum gravi incommodo fieri debeat aliquando fraterna correctio? Et num præmitti ea debeat semper, antequam delictum denuncietur?

QUÆSTIO XII.

De Octavo Decalogi Præcepto.

Non loqueris falsum testimonium.

ARTICULUS I. 129

De Forma Juris a Judice servanda.

I. Forma juris, seu Legum dispositio a Judice servanda est, tum in modo procedendi, tum in ferenda sententia. II. Modus procedendi juxta formam juris est triplex, per Accusationem, per Denunciationem, & per Inquisitionem: Hæc autem triplex est, Generalis, Particularis, & Mixta. III. Ut per Inquisitionem generalem procedat Judex, non prærequiritur Infamia, nec Accusatio. Debent tunc manifestari delicta, si delinquentes laborent infamia. IV. Ad Inquisitionem specialem prærequiritur accusatio, quæ sufficienter habetur per infamiam, aut per publicum rumorem. V. Infamia habetur per vocem multorum, quin taxetur numerus, sed arbitrio Judicis relinquendus. VI. Num sufficiant indicia certa, ut possit fieri specialis Inquisitio? VII. Quid prærequiritur ad Inquisitionem mixtam? VIII. In quibusnam casibus fieri potest Inquisitio specialis, nulla infamia præeunte? IX. Quanam forma debet procedere Judex post accusationem, aut denunciationem Rei? X. Num licite procedat Judex propter meram querelam, aut denunciationem sine prævia infamia?

ARTICULUS II. 132

De Jurisdictione in Judice requisita.

I. Requiritur Jurisdictio in Judice, ut valide sententiam ferat, sive ea sit ordinaria, sive delegata, sive Arbitraria, sive Accessoria. II. Judices seculares num possint vi consuetudinis immemorabilis aliquam sententiam ferre adversus Ecclesiasticos? III. In pluribus casibus permittitur Judicibus laicis de Clericis cognoscere. IV. Qui patrato delicto assumpsit habitum Clericalem, aut Religiosum, poteritne a Judice laico puniri? V. Clerici turbantes Rempublicam possunt a Judice laico reprimi, capi, & illico Superiori Ecclesiastico tradi, ut puniantur.

A R-

ARTICULUS III. 133

De Judice in ferenda sententia.

I. Judici non licet in ferenda sententia sequi opinionem minus probabilem, omissa probabiliore. Cur id liceat Confessariis? II. In causis civilibus, in quibus opiniones circa jus sunt æque probabiles, universim potest judex causam adjudicare, cui mavult, favendo tamen Reo, prout fieri potest. At si opiniones sunt æque probabiles circa factum, debet dividi res, aut pretium rei. III. In causis vero criminalibus, quando opiniones circa factum sunt æque probabiles, sequenda est opinio magis favens Reo. IV. Judex inferior nequit damnare Reum, si solum privata scientia sciat illum esse reum. Potest tamen debitorem hujusmodi cogere ad solvendum. V. Judex supremus regulariter non potest Reum condemnare, nisi citatum, & auditum. VI. Num possit Judex damnare juridice Reum, si privata scientia sciat illum esse innocentem? Probabilius id non licet in causis capitalibus, sed solum in civilibus, ac levis momenti. VII. Quænam munera accipi possunt a Judice, præciso juramento de non acceptandis muneribus a partibus, & præcisis legibus id vetantibus? VIII. Pretium acceptum pro ferenda sententia injusta, post illam non est restituendum; sicut restitui debet prætium pro ferenda sententia justa. IX. Leges positivæ vetantes munerum acceptionem non allicientium ad injustitiam probabiliter non obligant sub mortali; secluso juramento quod a Judicibus præstantur de iis non acceptandis. X. Dari possunt Judici munera ad vexationem injustam redimendam. Sed non est de facili credendum, quod ea intercedat; nec quod propter munera diligentius merita causæ ille sit discussurus.

ARTICULUS IV. 136

De Accusatore.

I. Accusatio differt a denunciatione juridica, eo quod hæc fieri possit solis verbis sine aliis solemnitatibus propriis accusationis; Nec tenetur denunciator crimen probare, & pœnam talionis subire; Differt etiam a denunciatione paterna, quia hæc ordinatur ad emendationem, non ad punitionem Rei. Quænam dicatur denunciatio Canonica? II. Denunciatio paterna in foro Ecclesiastico transire potest in judicialem. Ad paternam denunciationem præcedere debet fraterna correctio, non ad accusationem. III. Licitum est accusare, vel judicialiter denunciare reum propter injurias nobis irrogatas, & propter quodcumque crimen, licet occultum. IV. Num præmitti debeat accusationi correctio fraterna? Num condonare offensas sit solum consilium, itaut licite possimus reum accusare, non ex odio erga illum, sed ex amore justitiæ? V. Raro in praxi peccatur, si ob offensas occultas, nobis irrogatas reum accusamus, si odium omnino absit. IV. Qui omitti accusationemt, vel denunciationem debitam ex charitate, peccat; sed non tenetur ad restitutionem, nisi ad illam teneatur ex justitia VII. Plurimi sunt, qui ab accusando repelluntur. VIII. In nonnullis casibus non licet reum accusare, etiam posito Superioris præcepto.

ARTICULUS V. 137

De Testibus, & Notariis.

I. Quinam testes requirantur, & sufficiant, ut possit Reus damnari? Quinam vero jure canonico, quinam jure civili inhabiles sunt ad testandum? II. Nemo tenetur testari, nisi a charitate, aut a præcepto superioris ad testandum adigatur. Num teneatur ad restitutionem, qui contra præceptum superioris renuit testari? III. In quibus casibus non datur obligatio testandi, etiam posito præcepto Superioris? IV. Non tenemur, sed possumus offerre nosmet ad testandum ad vitam innocentis salvandam, quamvis inde sequatur mors delinquentis. V. Tenetur retractare testimonium falsum etiam cum periculo vitæ, qui ob illud est in causa r ut alius morti damnetur. VI. Qui pecuniam accipit, ut verum testetur, non tenetur illam restituere; sed ante patratum crimen tenetur illam restituere, si acceperit ad deponendum falsum; post crimen vero tenetur compensare damnum illatum. VII. Num teneatur testificari, posito judicis præcepto, qui novit crimen ab Accusatore, aut a Teste? VIII. Si judex legitime interroget, nequit testis æquivocare; Secus vero si non procedat legitime; Et aliquando ad hanc æquivocationem tenetur. IX. Si testis sibi contradicat in eodem examine, standum est posteriori dicto; secus vero si sibi contradicat in diversis examinibus. X. Si Notarius aliquid scripserit, & testis juret se illud non dixisse, credendum est potius Notario.

ARTICULUS VI. 139

De Reo.

I Reus in judicio non tenetur respondere, nisi juridice interrogetur, ita scilicet ut præcesserit vel semiplena probatio, vel indicia clara, aut infamia, quæ per duos testes probata sint. Et in nonnullis casibus juridice interrogatus potest æquivocare. II. Non sufficit ad semiplenam probationem solus accusator, aut denunciator. III. Probabiliter reus juridice interrogatus non tenetur veritatem fateri, si inde sibi immineat grave damnum. IV. Quid si reo nulla sit spes evadendi mortem aut aliud grave damnum? Num peccet lethaliter, si veritatem non fateatur? V. Num sine mortali possit æquivocare, qui juridice interrogatur de re levi? VI. Propter opiniones utrinque probabiles sæpe datur bellum utrinque justum; Unde potest judex juste interrogare, quin teneatur reus veritatem fateri. VII. Potest reus e carcere fugere, quamvis inde sequatur custodis mors a judice illi infligenda. Nequit tamen reus ministris justitiæ vim inferre, illos percutiendo, &c. VIII. Cum moderamine inculpatæ tutelæ potest Reus, ejusque advocatus propalare occulta crimina testium ad eorum auctoritatem infringendam; sed non potest iis falsa crimina appingere.

ARTICULUS VII. 140

De Advocato, ac Procuratore.

I. Ad restitutionem tenetur Advocatus, (sicut & Procurator) si ex sua negligentia, aut imperitia causa amittatur. Sicut etiam si causam manifeste injustam defendat; aut si partem inducat ad transactionem in causa injusta; Necnon si secreta causæ alteri parti prodat. II. Potest Advocatus causam minus probabilem, immo & dubiam patrocinari; non tamen causam, quæ parum habet probabilitatis, in quam fere nunquam judices inclinant. III. Vetitum est Advocatis pacisci de quota litis. Id tamen ex natura rei licitum videtur pro foro interno, modo absit periculum fraudis, & injustitiæ.

F I N I S.

INDEX RERUM NOTABILIUM,

Quæ in hac Secunda Parte de Præceptis Decalogi continentur.

Prior numerus Quæstionem; Alter Articulum; Tertius Numerum marginalem designat.

A

Abbatissa quid possit relate ad vota Monialium? 7. 6. 8. Nequit in jejuniis dispensare. 11. 5. 5.
Accusatio in quo differat a juridica denunciatione? 12. 4. 1. Necnon a denunciatione paterna, & canonica? ib. Licitumne sit Reum accusare etiam ob crimen occultum? 12. 4. 3. Num præmitti debeat accusationi correctio fraterna? 12. 4. 4. Quinam ab accusando repelluntur? 12. 4, 7. Clericus quando, & quomodo accusare possit? ibid. In quibus casibus non est licita accusatio, etiam posito Superioris præcepto? 12. 4. 8.
Accusator solus, aut denunciator non satis est ad semiplenam probationem. 12. 6. 2.
Adjuratio alia est Imperativa erga dæmones, alia Obsecrativa erga Deum. 7. 8. 1. Creaturæ irrationales adjurantur improprie, quatenus obediunt Creatori. 7. 8. 3. In quo differat adjuratio a Juramento? 7. 8. 5. Quibus liceat dæmones adjurare, & publice exorcizare? 7. 8. 6.
Adoratione latriæ Christus Dominus adorandus est; primario tamen natura divina, & concomitanter humana. 4. 1. 1. Quomodo in praxi ejus Humanitas adoranda? 4. 1. 4. Adoratur Crux adoratione latriæ respectiva. 4. 1. 5. Quomodo Eucharistiæ Sacramentum adorandum sit? 4. 1. 7. Quomodo Beata Virgo? 4. 1. 5. Quomodo Sancti? 4. 2. 12. Quonam pacto Beati, ac defuncti cum fama Sanctitatis? 4. 2. 6. Septem enumerantur cultus, quibus juxta Ecclesiæ institutionem Sancti adorari possunt. 4. 2. 5. V. *Reliquiæ Sanctorum*, & *Imagines Sanctorum*.
Advocatus nequit patrocinari causam, quæ parum habet probabilitatis. 12. 7. 2. Vetitum est illi pacisci de quota litis, non tamen jure naturali. 12. 7. 3. Ad restitutionem tenetur, si causam injustam defendat, aut si ex sua negligentia, aut imperitia causa amittatur. Idemque dicas de Procuratore. 12. 7. 1.
Æditutus debet pridie festi templum verrere, & ornare, ne die festo laboret. 1. 5. 6.
Æquivocatio, & restrictio pure mentalis num liceant aliquando? 7. 4. 2.
Agni cerei adorantur adoratione latriæ. 4. 3. 3. Non possunt pingi, nec vendi. ibid.
Alimentorum nomine, quæ Pater filiis præstare tenetur, quid veniat? 11. 2. 6. Quibus de causis possint Parentes filiis alimenta denegare, eosque exhæredare? 11. 2. 3.
Amentes relate ad leges servandas num æquiparentur infantibus? 1. 3. 5. Num possint illis opera servilia injungi die festo? 1. 3. 6.
Attentio requisita in Horarum recitatione quænam sit? 3. 4. 5. Et quænam intentio? ibid. Num similis attentio, & intentio requiratur in auditione Missæ præceptæ? 3. 4. 8.
Attentio requisita in auditione Missæ. 9. 3. 4.

B

Beneficiarii magis quam alii tenentur ad stipem pauperibus erogandam. 11. 5. 10. Quomodo possint de redditibus Beneficii disponere? ibid.
Beneficiarii ad Horas Canonicas tenentur. 3. 1. 1. Quando eximuntur ab hac obligatione? ibid.
Beneficiarius quando tenetur ad restitutionem fructuum ob Horarum omissionem? 3. 3. 8. Ad restitutionem non tenetur, si eas omittat ob impotentiam; secus vero si omittat ex dispensatione Episcopi. 3. 6. 12.
Beneficium quodnam dicatur tenue? 2. 4. 4. Quid si dubitetur, an sit tenue? 2. 4. 5.
Blasphemia quid sit, & quotuplex? 6. 2. 1. Non datur in ea materiæ parvitas. 6. 6. 2. Ex consuetudine blasphemare sine plena advertentia hic, & nunc, non vacat culpa lethali. 6. 2. 3. Blasphemia hæreticalis vel tollit a Deo, quod habet, vel per contumeliam tribuit illi, quod non habet. 6. 2. 4. Simplex blasphemia quadruplex est, Enunciativa, Detestativa, Irrisoria, & Juratoria. 6. 2. 5. Num specie differant Blasphemiæ in Deum, & in Sanctos? 6. 2. 6. Num blasphemet, qui Creaturis irrationabilibus, tempori, pluviæ, ventis maledicit, 6. 1. 7. Discutiuntur nonnullæ formulæ frequenter usurpatæ num sint blasphemæ? 6. 1. 8. Quid de illa, Per vitam Dei, aut de alia, Corpo di Dio con voi? 6. 2. 10. Qui hæreticales blasphemias proferunt, denunciandi sunt. 6. 2. 11.

C

Cæcus obligatus ad Horas num teneatur memoriter recitare psalmos, quos potest? 3. 6. 9.
Canonizatio Sanctorum quandonam fuerit instituta? 4. 2. 4.
Carnes comedere diebus vetitis ad mortem declinandam non licet, si id præcipiatur in contemptum nostræ Religionis. 1. 6 7.
Carnium humanarum comestio num liceat aliquando? 1. 6. 9.
Carthusiani num teneantur carnibus vesci in extrema necessitate? 1. 6. 10.
Castitatis votum reservatum est, non vero juramentum servandi castitatem. 7. 6. 10.
Charitatis præceptum ad quid obliget? 2. 3. 4. Quandonam tenemur elicere actum charitatis? 2. 3. 5.
Chorus num possit omitti, si Communitas solum con-

conſtet ex quatuor, vel quinque religioſis? 3, 1. 7. Moniales, quæ abſunt a Choro, num teneantur privatim Horas recitare? ibid.
Chriſti humanitas quomodo in praxi adoranda? 4. 1. 4.
Chriſtus Dominus non orat pro nobis, ſed miſeretur noſtri; orat tamen ejus Humanitas. 4. 1.3.
Clerici quando, & quonam pacto accuſare alios poſſunt in judicio? 12. 4. 7.
Clerici turbantes Rempublicam quonam pacto poſſint a laica poteſtate coerceri? 12. 2. 5. In pluribus caſibus poſſunt a laicis Judicibus recognoſci. 12.2.3. Num poſſit a laica poteſtate puniri, qui patrato delicto aſſumpſit habitum Clericalem? 12. 2. 4.
Comedere, & bibere ob delectationem, ſed non ad ſatietatem, num vacet culpa veniali? 10. 1. 7.
Confeſſarius quomodo gerere ſe debeat cum Magis, Maleficis, & Incantatoribus? 5. 5. 7.
Conſcientia perplexa num ſemper eximat a culpa operantem cum illa? 1. 2. 14.
Conſuetudo pejerandi ſine advertentia ſub mortali tollenda eſt. 7. 7. 3. Quibus remediis evellatur? 7.7.4.
Contemptus rei levis præceptæ num ſit mortalis? 1. 2. 12. Quandonam peccatum de ſe veniale, ratione contemptus evadit mortale? ibid.
Correctio fraterna qualiter facienda ſit? 11. 5. 11. Quid ſi dubitetur, an ea ſit profutura? ibid. An ea ſemper præmitti debeat, antequam delictum denuncietur? 11. 5. 12.
Crux, quæ Chriſtum tetigit, adoratione latriæ adoratur, non tamen Beata Virgo, nec quæcumque alia Chriſtum tetigerunt. 4. 3. 3.

D

DEcrèta Sacræ Congregationis circa cultum erga defunctos cum fama Sanctitatis. 4.2.7.
Dæmones quanam arte in annulis, aut in phialis includantur? 5. 4. 5.
Denuncians, aut Accuſator non ſatis eſt ad ſemiplenam probationem. 12. 6.3.
Diſpenſare num poſſit Deus in præceptis Decalogi, & quomodo? 1. 1. 5.
Diſpenſare qui poteſt generaliter in votis Subditorum, poteſt eandem facultatem ſecummet exercere. 8. 2. 11.
Diſpenſatio obtenta quandonam excuſet a legis tranſgreſſione? 1. 6. 12. Diſpenſatione valide, ſed illicite data qui utitur, num peccet venialiter? 1. 6. 12.
Divinatio haberi poteſt & cum expreſſa, & cum tacita Dæmonis invocatione; etiamſi quis proteſtetur ſe nolle Dæmonem invocare. 5. 2. 2. Utraque multiplex eſt. 5. 2. 4. Sortilegium divinatorium de ſe eſt mortale. Quid de conſultorio, aut diviſorio? 4. 2. 5. Num ratione curioſitatis, aut joci poſſit quis a mortali excuſari? 4. 2. 6. Quandonam liceat ſomnia, & motus animalium obſervare? 4. 2. 7. Non licet Ægyptios conſulere. 4. 2. 8.
Domicilium in quo differat a quaſi domicilio? 1. 3.7.
Dubitans an res præcepta levis graviter conducat ad finem, ad quid teneatur? 1. 2. 10. Quid ſi dubitetur, an puer adeptus ſit uſum rationis? 1. 3. 4. Quid in dubio num motus fuerint ſecundo primi; an perfecte deliberati? 1. 2. 6. Quid in dubio an res indigeat diſpenſatione? 1. 6. 13. Quid ſi dubitetur, an infirmitas ſit gravis, ita ut excuſet ab Horarum recitatione? 3. 6. 3. Quid in dubio num effectus aliquis ſit ſuperſtitioſus, an naturalis? 5. 3. 9. Aut ſi dubitetur, num effectus præternaturalis ſit a Deo, an a Dæmone? ibid. Quid ſi dubitetur an Maleficus novo maleficio ſit diſſoluturus prius maleficium, quamvis poſſit illud ſine novo maleficio diſſolvere? 5. 5. 4. Quid ſi vovens dubitet num habuerit animum ſe obligandi? 6. 4. 6. Quid ſi dubitetur an voto, ſeu juramento ſupervenerit notabilis rerum mutatio? 7. 6. 3. Quid in dubio an quis voverit cum plena deliberatione? 8. 1. 3. Quid ſi quis dubitet an voluerit per ratificationem voti invalidi de novo votum emittere? 8. 1. 9. Quid in dubio, an detur aliqua conſuetudo laborandi die feſto? 9. 2. 8. Quid in dubio, an detur cauſa ſufficiens ad non jejunandum, aut ad diſpenſandum in jejunio? 10. 5. 4. Quid ſi dubitetur, num aliquid ad cibum, an ad potum pertineat? 10. 1. 8. Quid ſi dubitetur, an pertineat ad carnes? ibid. Quid in dubio, an Ars ſit de ſe laborioſa, & excuſans a jejunio? 10. 6. 2. In dubio num quis ſit genitus a Petro, an a Paulo; uter tenetur illum alere? 11. 2. 8. Si dubitetur an correctio fraterna ſit profutura, num ad illam teneamur? 11. 5. 11.

E

EPiſcopatum non acceptandi juramentum quando obliget? 6. 3. 8.
Epiſcopus poteſt vota omnia ſubditorum diſpenſare, niſi ſint reſervata. 8. 3. 1. Etiam in dubio an ſint reſervata, & in dubio an indigeant diſpenſatione. 8. 3. 2. Poteſt, etiam ſi votum caſtitatis ſit pœnale, diſpenſare illud relate ad pœnam. 8. 3. 5. Necnon in voto ſuſcipiendi Ordines Sacros. ib. Quid ſi votum caſtitatis ſit emiſſum ex metu levi? 8. 3. 4. Quid in caſu neceſſitatis? 8. 3. 3. Quid de votis factis in favorem alterius? 8. 3. 9. Quid de conditionis purificata conditione? 8. 3. 20. Quænam ſit cauſa juſta ad diſpenſandum in votis? 8. 3. 13
Epiſcopus quandonam poſſit in lege Pontificia diſpenſare? 1. 6. 13
Error, & dolus quando reddunt irritum contractum & invalidum juramentum ſuperadditum? 7. 3. 4.
Eſculenta, & poculenta num poſſint à Judice accipi? 12. 3. 7.
Excommunicatus quomodo officium recitare debeat? 3. 1. 9. Quando fructibus beneficii privetur ibidem.
Exhæredari poteſt filius pluribus de cauſis. 11. 2. 3. Sed filia non poteſt exhæredari per hoc, quod contra voluntatem Patris nubat indigno. 11. 2. 4. Exorcizare quiſnam poſſit privatim; quiſnam publice? 7. 8. 6. Exorciſtæ quid poſſunt a Dæmone interrogare? 7. 8. 9.

F

FAmuli non tenentur cum diſcrimine vitæ dominum defendere. Sed tenentur mancipia. 11. 4. 4. Num debeatur iis ſalarium, ſi diu ægrotent? ibid. Num poſſint ad Hoſpitale mitti, quando ægrotant, ſubtrahendo mercedem? 11. 4. 6.
Faſcinandi vis num ſit naturalis, an ſuperſtitioſa? 5. 4. 6.
Feſtis diebus peccare non eſt ſpeciale peccatum. 9. 1. 1. Opera ſervilia, quæ iis diebus prohibentur, quænam ſint? ibid. Num pingere liceat, aut etiam acu pingere? 8. 1. 4. Num liceat venari? 9. 1. 5. Num liceat ducere jumenta, & currus onuſtos? 8. 1. 9. Num liceat Infidelibus injungere die feſto opera ſervilia? 8. 1. 11.
Feſtis diebus prohibetur etiam Mercatus, Judicium forenſe, & Juramentum. 9 2. 1. Quid veniat nomi-

 mi-

mine Mercatus? 9. 2. 2. Judicium forense quodnam dicatur? 9. 2. 3. Sententia excommunicationis non prohibetur. 9. 2. 4. Juramentum, quod prohibetur, est illud, quod fit in judicio propter res temporales. 9. 2. 5. Quid dicendum de sutoribus laborantibus die festo? 9. 2. 7. Num liceat laborare ad otium vitandum? 9. 2. 10. Quænam hac in re sit materiæ parvitas? 9. 2. 11. Quinam ex consuetudine excusentur? 9. 2. 12. Quid si de tali consuetudine dubitetur? ibid. Potest Parochus ex justa causa dispensare; & Prælatus Regularis solum cum subditis suis, non vero cum famulis sæcularibus. 9. 2. 13.

Fides est virtus Theologalis, vi cujus tria habentur præcepta affirmativa, & duo negativa. 2. 2. 1. Quandonam teneamur fidem confiteri? 2. 2. 3. Quandonam tenemur solum fidem non negare? 2. 2. 4. Num semper dubius in fide sit infidelis? 2. 2. 5.

Filiæ spuriæ num teneatur Pater dotem constituere? 11. 2. 6.

Filii debent Parentibus Amorem, Reverentiam, Obedientiam, & Subventionem. 11. 1. 1. In quo consistat hic amor debitus? 11. 1. 2. Quando tenentur ab ingressu Religionis abstinere? 11. 1. 7. Quando possunt a Patre exhæredari? 11. 2. 3. In iis, quæ pertinent ad vitæ statum, tenentur filii consulere Parentes, esto non teneantur eorum consilium sequi. 11. 1. 5.

Franciscanus num obligetur ad jejunia suæ Regulæ ante vigesimum primum annum suæ ætatis? 10. 4. 4.

Frequenter violare votum in materia levi num sit lethale? 8. 2. 5.

H

HÆresis sine errore in intellectu, & pertinacia in voluntate non habetur. 2. 2. 7. Quænam sit isthæc pertinacia? ib. Ad incurrendas pœnas hæreseos debet signum externum manifestativum hæresis internæ esse de se grave. 2. 2. 8.

Homicidium est peccatum minus grave, quam perjurium. 7. 7. 1.

Horæ Canonicæ cur ita dicantur, & cur etiam vocentur Officium Divinum? 3. 1. 1. Quinam ad eas teneantur? ibid. Num exscusentur damnati ad triremes, inclusi in carcere tetro, maximo mœrore affecti? 3. 1. 10. Quid de Uxoratis? ib. Quid de captis ab Infidelibus? ibid.

Horæ in virtute Sanctæ Obedientiæ studiose, ac devote recitandæ sunt. 3. 4. 1 Num pronunciatio debeat esse audibilis? 3. 4. 2. Quanam attentione, & intentione recitari debent? 3. 4. 5. Quonam pacto recitandæ sint? 3. 4. 1. Quonam tempore? 3. 5. 1. Quonam loco, & quonam situ? 3. 5. 5. Excusant ab iis Infirmitas, Gravis occupatio, Impotentia, & Dispensatio. 3. 6. 1.

Horæ quonam idiomate recitari possint? 4. 2. 3. Quinam possint illas recitare ex alio Breviario, quam ex Romano? 4. 2. 1. Num possit aliquando officium pro officio recitari? 4. 2. 4. Potest quilibet sequi ritum Socii, cum quo officium recitat. 4. 2. 8. Rubricæ quænam dicantur præceptivæ, quænam directivæ? 4. 2. 5. Unumne, an septem peccata committat, qui integrum officium omittit? 4. 3. 2. Quænam dicatur pars officii notabilis, cujus omissio sit lethalis? 4. 3. 3.

I

IDololatria presse dicta quid ferat? 5. 1. 5. Quando ob illam incurruntur censuræ in Bulla Cœnæ? 4. 1. 6.

Jejunii tempore quænam animantia prohibentur? 10. 1. 1. Num laridum, & sagimen inter lacticinia numerentur? 10. 1. 2. Num lacticinia vetentur etiam in vigiliis extra Quadragesimam? 10. 1. 3. Dispensatus ad carnes num teneatur jejunare, si possit? 10. 1. 4. Aut si aliquo die a carnibus abstineat? 10. 1. 5. Num cervisia, aqua sacchara, & aromatibus condita, aut chocolata jejunium frangant? 10. 1. 8.

Jejunii die ex consuetudine obligamur ad unicam comestionem, & refectiuncula permittitur. 10. 2. 1. Quid requiritur, ut refectio dicatur moraliter unica? 10. 2. 4. Quænam sit hora refectionis? 10. 2. 5. Refectiunculæ quantitas, & qualitas. 10. 3. 1. Num liceat cœnulam sumere mane? 10. 3. 2. Quænam excusent a jejunio? 10. 5. 1. Qualis debeat esse infirmitas? 10. 5. 2. Quid in dubio? 10. 5. 4. Quinam dicatur cibus sufficiens? 10. 5. 6. Prægnantes, & Nutrices non tenentur jejunare, sed debent a carnibus abstinere. 10. 5. 3. Parochus potest ex causa dispensare, non tamen Abbatissa. 10. 5. 5. Qui per totam Quadragesimam vult comedere carnes, quot peccata committit? 10. 4. 3. Senes quando excusantur? 10. 6. 8. Quid de navantibus operam arti laboriosæ? Quid de iter agentibus? 10. 6. 1., & 10. 6. 4.

Ignorantia, ac inadvertentia leviter culpabilis excusat a gravi culpa transgressorem præcepti. 1. 6. 1. Ignorantia multiplex est, præsertim antecedens, consequens, & comitans. 1. 6. 2. Quænam ignorantia solius pœnæ excuset ab ea incurrenda? 1. 6. 3. Num sit ejusdem speciei peccatum commissum ex ignorantia culpabili, & commissum scienter? 1. 6. 4.

Imagines Sacræ quonam pacto adorari possunt? 4. 4. 1. Deus, ac tres Divinæ personæ solum sub imaginibus ab Ecclesia deputatis adorari possunt. 4. 4. 3. Quomodo Deus, & Angeli per corporeas imagines adumbrentur? 4. 4. 4. Quomodo dicatur magis Christus, quam ejus imago adorari? 4. 4. 8 Etiam Nomina Sacra, non secus ac imagines, adorantur. 4. 4. 5.

Impedimenta ad observantiam præcepti, si sint proxima, sunt removenda. Quid si sint remota? 1. 5. 1. Cur peccet qui non tollit impedimentum excommunicationis in ordine ad communicandum in Paschate, non vero in ordine ad audiendum Sacrum die festo? 1. 5. 5. Num liceat defatigari, ne detur obligatio jejunandi? 1. 5. 2. Num possit quis die festo iter arripere prævidens, quod non possit deinde Sacrum audire? 1. 5. 4.

Impedimenta apponere executioni præcepti quandonam liceat? 9. 3. 12.

Infamia quid sit? Et quot homines ad infamiam requirantur? 12. 1. 5. Infamia prærequiritur universim, ut possit Judex per inquisitionem specialem procedere. 12. 1. 4. Quid si procedat per inquisitionem mixtam? 12. 1. 7.

Infidelibus num possint injungi opera servilia die festo? 1. 3. 6. Quibus legibus teneantur? 1. 3. 5. Num possint iis carnes ministrari die jejunii? 9. 4. 8.

Infidelium sectæ variæ sunt. 2. 2. 6. Quinam dicuntur Pagani, quinam Judæi, quinam Hæretici, & similes? ib. Quænam communicatio cum Hebræis sit nobis prohibita? 2. 2. 9. Laicis inhibetur de rebus fidei disputare cum Infidelibus. 2. 2. 11.

Infirmitas, ut excuset ab Horarum recitatione, debet esse gravis. 3. 6. 2. Quid si de hoc dubitetur? 3. 2. 7.

Incantatio in quo differat a Maleficio, & a Magia? 5. 4. 2

Infirmis famulis num debeatur salarium? 11. 4. 4. Clericis infirmis Ecclesia non denegat distributiones. 11. 4. 6

Interdicti tempore num teneatur Privilegiarius audire Sacrum die festo? 1. 5. 3.

Iræ actus cum moderatione debita licite exercetur. 11. 4. 7

Judex formam juris, seu legum dispositionem servare debet tum in modo procedendi, tum in ferenda sententia. 12. 1. 1. Triplex est modus procedendi, per Accusationem, per Denunciationem, & per Inquisitionem. 12. 1. 2. Num licite Judex procedat per meram querelam, sine prævia infamia? 11. 1. 10

Judex in ferenda sententia non potest sequi opinionem probabilem, relicta probabiliore; quamvis id possit Confessarius in foro Sacramentali. 12. 3. 1. Quid si utraque opposita sententia sit æque probabilis? 12. 3. 2. Num possit damnare juridice reum, quem privata notitia scit esse innocentem? 12. 3. 6. Num viceversa possit damnare juridice innocentem, si sciat illum privata notitia esse reum? 18. 3. 4. Restituere debet pretium acceptum pro ferenda sententia justa; non vero pro injusta, patrato scelere. 12. 3. 8. Munera vi legum, & juramenti præstiti accipere non potest a partibus. 12. 3. 7. Num possint illi dari munera ad redimendam vexationem, vel ut diligentius merita causæ discutiat. 12. 3. 8

Judex quandonam possit reum inauditum damnare? 12. 3. 5.

Juramentum est Dei in testem invocatio; quæ potest esse expressa, & tacita. 7. 1. 1. Jurans per falsos deos vere non jurat. 7. 1. 3. Num sit formula juratoria, Per fidem meam, & similes? 7. 1. 4. Quid in dubio an aliqua formula sit juratoria, necne? 7. 1. 5. Rustici dicentes passim, Per Deum, non solent jurare. 7. 1. 9.

Juramentum dividitur in Assertorium, Promissorium, Invocatorium, Execratorium, seu Imprecativum, Comminatorium, &c. Omnia autem juramenta censentur esse ejusdem speciei. 7. 1. 12

Juramentum metu extortum obligat pro foro interno. 3. 3. 7. Matrimonium tamen, & votum extorta gravi metu injusto ab Ecclesia irritantur. 7. 3. 8

Juramenta quædam frequentiora quomodo interpretanda sint? 7. 5. 1. Quid de juramento Medicorum de monendis infirmis, ut confiteantur? 7. 5. 4

Juramenti obligatio multis viis tolli potest. 7. 6. 12. Cessat talis obligatio, si superveniat notabilis rerum mutatio. 7. 1. 3. Quid si de ea dubitetur? ibid. Quinam possit juramenta irritare? Quinam relaxare? 8. 1. 4. Quid de juramentis filiorum, uxoris, & servorum? 8. 1. 6. Pontifex potest juramenta Sæcularium relaxare; Regularium vero etiam irritare. 8. 1. 8. Fortius est voti vinculum, quam juramenti. 8. 1. 9. Jurans potest juramentum commutare in melius, aut in evidenter æquale, si illud non sit in favorem alterius, aut reservatum. Idemque dicas de voto. 8. 1 12. *Votum*. V. *perjurium*.

Juramenti promissorii materia quænam sit? 7. 3. 1. Qui jurat se ducturum uxorem, num ad id teneatur? 7. 3. 2. Qui jurat rem bonam ad finem malum, ad illam non tenetur, 7. 3 3. Secunda Sponsalia jurata, etiam prioribus dissolutis, non obligant. 6. 3. 4. Promissio prodiga jurata num, & ad quid obliget? 7. 3. 5. Juramentum de non acceptando Episcopatu quando obliget? 7. 3. 8

Juramenti comites debent esse Veritas, Justitia, & Judicium. 7. 2. 1. Ad jurandum privatim requiritur certitudo moralis; In judicio requiritur notitia de visu. 7. 2. 4. Nequit induci aliquis ad jurandum quod est materialiter falsum. 7. 2. 8

Jurans sine animo jurandi, aut sine intentione se obligandi secundum se peccat lethaliter. 7. 4. 1. Jurans cum æquivocatione, aut cum restrictione non pure mentali, num semper sit perjurus? 7. 4. 2. Juramentum, ac votum non obligant, si dolus, aut error versentur circa causam finalem, quando dant causam contractui. 7. 4. 4. Sicut etiam si sint circa substantiam rei, aut circa circumstantias notabiles, quæ in ipsam substantiam redundat. 7. 4. 3. Error tamen circa qualitates notabiles non invalidat Professionem Religiosam, nec Matrimonium, nec susceptionem Ordinis Sacri, nisi id exprimatur. 7. 3. 5.

Jurans se non lusurum secundum se intelligetur de lusu immoderato. 7. 3. 6.

Jurisdictio vel ordinaria, vel delegata requiritur in Judice, ut possit sententiam ferre. 12. 2. 1. Adversus Ecclesiasticos num possint vi consuetudinis Laici ferre sententiam? 12. 2. 2. Quid si Clerici Rempublicam turbent? 12. 2. 5.

L

Laboriosæ artes excusantes a jejunio quænam dicantur? 10. 6. 2. Quænam exercitia laboriosa? Num Cantoris, Advocati, Concionatoris? 10. 6. 4. Qui laboriosæ arti operam navat, num teneatur jejunare, si uno, aut altero die non laboret? 10. 6. 5.

Lege non obligari, non est idem ac a lege excusari. 1. 3. 1

Leges vetantes Judicibus, ne munera accipiant, num obligent sub mortali? 12. 3. 9

Locus sacer quibus actionibus violetur, ita ut actiones hujusmodi sint sacrilegæ. 6. 1. 11. Sacrilegum est furtum sacri de sacro, & sacri de non sacro, imo etiam non sacri de sacro, sed quomodo? 6. 1. 12. Quid si furtum fiat in Sacristia, aut in Claustris Religiosorum, vel in Oratoriis domus privatæ? 6. 1. 13

M

Magia superstitiosa in quo differat a naturali? 5. 4. 1. Differt a vana Observatione, a Maleficio, & ab Incantatione. 5. 4. 2.

Magistri num possint ad correctionem moderate verberare in Sacris constitutos? 11. 4. 5

Maleficium differt a Magia. 5. 4. 2. Dividitur in Amatorium, & Veneficum. 5. 1. 1. Occurritur illi remediis naturalibus, supernaturalibus, & moralibus. 5. 5. 2. Quandonam liceat a Malefico petere Maleficii dissolutionem. 5. 5. 3

Mancipia tenentur dominum defendere etiam cum vitæ discrimine. 11. 4. 1. Fugere possunt, si non dederint fidem non fugiendi. 11. 4. 2.

Mater tenetur alere, & educare filium usque ad tertium annum. 11. 2. 2

Materiæ parvitas non semper a mortali excusat. 1. 2 7. Imperfecta deliberatio, & consensus excusant semper. 1. 2. 5. Materia, quæ etiam relate ad finem est parva, non est capax præcepti graviter obligantis. 1. 2. 9. Quid si de hoc dubitetur. 1. 2. 10

Matrimonium licetne ob urgentem metum gravem celebrare, ac consummare? 1. 7. 8

Medicorum juramentum de monendis infirmis, ut confiteantur, quomodo interpretandum sit? 7. 5. 4.

Metus mortis, aut gravis damni quamdonam excu-

excuset a legis transgressione? 1. 6. 7. Ob metum mortis nequit Sacerdos excommunicatus vitandus absolvere, potest tamen celebrare. 1. 6. 7. Num liceat ob talem metum celebrare matrimonium, illudque consummare? 1. 7. 8.
Missæ præcæpto num satisfaciat, qui audit successive duas Missæ partes ordine inverso? 5. 3. 1. Quænam sit pars Missæ norabilis? 5. 3. 2. Quænam sit præsentia moralis requisita? 5. 3. 3.
Missa in Oratoriis privatis Magnatum a quibus familiaribus audiri possit, itaut præcepto satisfiat? 9. 3. 6
Missam audire quinam dicatur impotens? 9. 3. 7. Quandonam viduæ, nubiles, & puellæ excusentur? 9. 3. 10. Num excuset amissio lucri ingentis? 9. 3. 7. Quænam alia excusent? ibid.
Moniales, quæ absunt a Choro, num teneantur privatim Horas recitare? 3. 1. 7
Motus primo primi nullatenus sunt liberi; at motus secundo primi sunt solum semiplene deliberati, & ideo universim venialiter peccaminosi, si sint circa objectum pravum. 1. 2. 5. Quid si dubitas, num motus fuerint secundo primi, an perfecte deliberati? 1. 2. 6
Munera a Judicibus accipi non possunt tum vi juramenti præstiti, tum vi legum id vetantium. 12. 3. 7. Num leges istæ obligent sub mortali? 12. 3. 9.

N

NOtario potius, quam testi credendum, si hic juret se aliquid non dixisse. 12. 5. 10.
Novitiorum vota non possunt a Superioribus irritari. 7. 6. 8. Eorum tamen vota commutari possunt in Professionem Religiosam. ibid.

O

OCcupatio gravis, quæ excusat ab Horarum recitatione, quænam sit? 3. 6. 6. Num aliquando Concionatores, & Confessarii excusentur?
Odium Dei non patitur materiæ parvitatem. 2. 3 6
Officia sæcularia num possint aliquando vendi a Principe supremo. 11. 4. 11. Num possint ea conferri dignis, omissis dignioribus, seu Reipublicæ utilioribus? 11. 4. 13
Officiales in Republica corporaliter laborantes quando a jejunio excusentur? 10. 6. 3
Officium Beatæ Virginis, & defunctorum in Rubrica præscriptum quando recitandum est? 3. 2 2
Oratoria privata Magnatum. V. *Missæ*.
Oratio est actus Religionis, quo a Deo petimus decentia. 2. 4. 1. Oratio dominica præsefert debitum orandi modum. ibid. Orationis Justi effectum triplex est, mereri, impetrare, & satisfacere. 2. 4. 3. Etiam peccatoris oratio est impetratoria, si non petantur mala, aut ad malum finem. 2. 4. 4. Num oratio ex divina promissione impetret infallibiter? 2. 4. 5. Conditiones Orationis sunt, ut petantur Bona, a Bonis, Bene, & cum perseverantia. 2. 4. 4
Oratio vocalis humanæ naturæ conformior est, quam mentalis. 2. 4. 6
Ordinatus in Sacris si expresse nolit vovere castitatem, adhuc ad illam obligatur ex præcepto Ecclesiæ, & est sacrilegus, si adversus illam peccet. 8. 1. 4. Invalide suscipiens Ordines Sacros ad Castitatem non tenetur; secus vero si invalide emittat Professionem Religiosam. 8. 1. 5
Ovorum, & lacticiniorum ejus num prohibeatur etiam in Vigiliis extra Quadragesimam? 10. 1. 3

P

PArato jejunium frangere num liceat offerre carnes? 10. 4. 6. Num peccent Caupones ministrando omnibus carnes die jejunii? 10. 4. 7. Num Infidelibus liceat eas offerre? 10. 4. 8.
Parentes divites, qui ad infamiam vitandam exponunt infantes Hospitali, num teneantur huic expensas compensare? 11. 2. 2.
Parentes ad quid teneantur erga filios? 11. 2. 1 Num possint aliquando illos etiam in Sacris constitutos percutere? ibid. Quænam alimenta illis præstare debent? 11. 2. 6. Num possint illos exhæredare? 11. 2. 3. Num teneantur alere uxores filiorum, & dotem constituere filiæ spuriæ? 11. 2. 6. Filius a quonam est alendus in dubio num sit genitus a Petro, an a Paulo? 11. 2. 8
Parochus quandiu possit sine licentia Episcopi non residere? 11. 3. 9
Paterpatratus a Patre ne, an a filiis alendus est? 11. 2. 8
Peccator orando impetrat, si non oret inquantum peccator est, videlicet aut mala petendo, aut ad malum finem. 2. 4. 4
Peccatum quando dicitur esse ex genere suo mortale, & quando veniale? 1. 2. 2. Quomodo possit per accidens mortale in veniale transire? 1. 2. 4. Quotupliciter potest veniale transire in mortale? 1. 2. 12. Quomodo peccet, venialiterne, an lethaliter, qui advertit ad malitiam objecti, præscindendo num ea sit gravis, an levis? 1. 2. 6
Peccatum commissum ex ignorantia culpabili num sit ejusdem speciei, ac commissum scienter? 1. 6. 4
Pœnæ ignorantia num excuset ab ea incurrenda? 1. 6. 3. Quid de pœna non petendi debitum? 1. 6. 6
Perjurium dicitur Juramentum, cui desit veritas. 7. 7. 1. Dicitur late perjurium, si desit justitia, aut necessitas. ibid. Est gravius peccatum, quam sit homicidium. ibid. Pejerandi consuetudo, quamvis cum inadvertentia, sub mortali tollenda. 7. 7. 3. Quibus remediis ea evellatur? 7. 7. 4
Percussio Clerici, & novitii est sacrilega, quamvis non habeant votum castitatis; at istorum peccatum contra castitatem non est sacrilegum. 6. 1. 8
Peregrini quibus legibus teneantur? 1. 3. 7. Num possint mane jentaculum sumere, si velint egredi e loco, ubi jejunatur? ibid. Tenentur legibus juris communis, quamvis illæ in Patria sint abrogatæ. 1. 3 9
Peregrinus num teneneatur legibus Municipalibus, si per viginti dies sit alicubi commoraturus? 8. 3. 11
Pœnitentiæ Sacramentum cum periculo mortis non tenetur suscipere, qui potest sibi per contritionem consulere. 1. 6 8
Pontifex potest Sæcularium vota dispensare, Regularium vero etiam irritare. 7. 1. 8
Præceptum si nequeat impleri totum, quandonam datur obligatio ponendi partem, quæ poni potest? 1. 6. 11
Præcepta Decalogi cur decem enumerentur? 1. 1. 3. Tria prima spectant ad primam tabulam, reliqua ad secundam, 1. 1. 1. Num, & quomodo possit Deus in his præceptis dispensare? 1. 1. 5
Præceptum primum Decalogi quos actus externos, & quos internos Religionis præcipiat? 2. 1. 4
Præcepto num satisfiat sine intentione ponendi opus injunctum? 1. 4. 1. Num requiratur intentio satisfaciendi præcepto, quando ponitur opus injunctum? 1. 4 4. Num satisfaciat præcepto jejunii, qui ponit opus injunctum nolens per illud satisfacere? 1. 4. 6

Præ-

Prælati tenentur ad residentiam, & ad dispensandos reditus congruæ sustentationi superfluos in usus pios. 11. 4. 8
Principes laici ad quid teneantur erga Vassallos 11. 4. 11. Promovendo ineptos ad Officium Gubernatoris, vel Judicis peccant, & tenentur ad restitutionem. 11. 4. 12. Quid si promoveant dignos, omissis dignioribus? 11. 4. 13. Num possint vendere officia sæcularia? 11. 4. 14.
Procurator. V. *Advocatus*.
Promissio prodiga num, & ad quid obliget? 6. 3. 6.
Proximo in gravi necessitate constituto qualiter subvenire teneamur? 11. 5. 1. Divitibus præcipitur facile stipem indigentibus erogare. 11. 5. 5. Num satis sit extreme indigenti mutuare? 11. 5. 7. In extrema proximi necessitate tenemur illi subvenire de necessariis proprio statui; in gravi vero ex statui superfluis. 11. 5. 8. Ad quid teneamur in communibus proximi necessitatibus? 11. 5. 9
Proximum diligere tenemur etiam actu interno, & formali. 11. 5. 1. Quomodo peccatores, & inimicos diligere teneamur? 11. 5. 2. Num teneamur salutare inimicos? ibid. Quonam ordine proximus diligendus est? 11. 5. 4. Quænam peccata charitati erga proximum adversantur? 11. 5. 5. Explicanda in confessione est species mali, quod vis proximo inferre, non tamen quod illi desideras. 11. 5. 6. V. *Scandalum*.
Proximum corrigere fraternaliter quando, & quomodo teneamur? 11. 5. 11
Pueri post usum rationis tenentur legibus Ecclesiasticis, sed ante pubertatem pœnas Ecclasiasticas non incurrunt. 1 3. 2. Num possint ante usum rationis introduci in Monasteria Monialium? 1. 3. 3

R

RAtificatio voti illud non revalidat, si fuerat invalidum. 8. 1. 9. Quid si quis dubitat, an voluerit per ratificationem emittere de novo votum? ibid.
Religionis virtus non est Theologalis, sed principem obtinet locum inter Morales. 2. 1. 1. Quinam sint ejus actus eliciti? Quinam imperati? 2. 1. 3. Ad quos actus externos, & internos Religionis obligemur, & quando 2. 1. 5. Religionis actus externi quinam sint 2. 1. 6.
Religionem ingredi non possunt filii in gravi necessitate Parentum, aut Sororum; Et in extrema Parentum necessitate tenentur egredi. 11. 1. 7. Et similiter Parentes in necessitate filiorum. ibid.
Religiosi non tenentur obedire Prælatis suis in iis, quæ sunt aut supra, aut præter regulam. 11. 4 7.
Reliquiæ Sanctorum quænam dicantur? 4. 3. 1. Quomodo adorandæ? 4. 3. 2. Qui reliquias furatur, peccat peccato furti, & sacrilegii. 4. 3. 7
Restitutio an sit iteranda ab eo, qui immemor debiti donat æquivalens creditori? 1. 4. 5
Restitutio quando, & quomodo facienda a Beneficiariis omittentibus Horas? 3. 3. 8
Restituere debet Judex pretium pro ferenda sententia justa, non vero pro injusta patrato scelere. 12. 3. 8
Reus non legitime interrogatus in judicio non tenetur respondere. 12. 6. 1. Num possit aliquando æquivocare, quamvis interrogetur juridice? ibid. Quid si sibi grave damnum immineat? 12. 6. 3. Num peccet graviter, si in re levi interrogatus legitime non respondeat? 12. 6. 5. Potest reus e carcere fugere; sed non potest Ministris justitiæ vim inferre. 12. 6, 7.
Rubricæ Missalis, ac Breviarii quænam dicantur Præceptivæ, quænam directivæ? 3. 2. 5

S

SAcrilegium, seu Sacræ rei læsio dividitur in Personale, Locale, & Reale. 6. 1. 1. Tres istæ species probabiliter sunt atomæ, non subalternæ; unde modus sacrilegii non est in confessione de necessitate explicandus. 6. 1. 2. Quænam Persona dicitur sacra? 6. 1. 3. Quadrupliciter per læsionem Personæ sacrilegium committitur. 6. 1. 4. Num Novitius peccans contra castitatem sit sacrilegus? 6. 1. 5. Num sit sacrilegus, qui habens votum castitatis alios inducit ad peccandum carnaliter? ibid. Fractio cujuscumque voti est sacrilega. 6. 1. 6. Non omnia peccata personæ sacræ sunt sacrilega, sed quæ sunt contra castitatem. 6 1. 7.
Sacrilegium quando habetur per violationem loci Sacri? 6. 1. 9. Est sacrilegum furtum sacri de sacro, Sacri de non sacro, & non sacri de sacro, si res non sacra sit in Ecclesia custodiæ causa, aut illi commodata. 6. 1. 12. Quid de furto in Sacristia, aut similibus locis? 6. 1. 13. Quid veniat nomine rei Sacræ; ibid. Sacrilegium non est concupiscere in Ecclesia copulam habendam extra Ecclesiam. 6. 1, 15 Quid de actibus turpibus in Ecclesia patratis? ibid.
Sacrilegium reale multipliciter haberi potest; præsertim si qui rebus, aut verbis sacris abutatur, 6. 1. 16. Servilia opera diebus festis prohibita quænam sint? 9. 1. 1. Num liceat infidelibus ea opera injungere? 9. 1. 11.
Scandalum multiplex est. 11. 4. 8. Non est peccatum scandalum acceptum, sed datum. 11. 4. 9. Activum aliud est directum, aliud indirectum; Passivum vero aliud Pusillorum, aliud Pharisaicum? 11. 4. 10. Scandalum activum indirectum non semper est peccaminosum. 11. 4. 11. Quandonam possimus materialiter cooperari cum peccato proximi. 11. 4. 12. Num sit in confessione aperienda species peccati, ad quod inducitur, qui scandalizatur. 11. 4. 16
Senes quando a jejunio excusentur? 10. 6 8
Somnia quandonam liceat observare? 4. 2. 8.
Spei Theologicæ opponitur tam Præsumptio, quam Desperatio. 2. 3. 2. Quodnam præceptum spei negativum, quodnam positivum? ibid.
Superstitio quid sit, & quotuplex? 5. 1. 1. Indebito cultu Deus adoratur, sive adoretur cultu falso, sive superfluo. 5. 1. 2. Jejunarre diebus dominicis num sit cultus Dei superstitiosus? 5. 2. 3

T

TEntatio alia est Probationis, alia Inductionis 6. 3. 1. Quandonam habetur expressa, quando vero tacita Dei tentatio? 6. 3. 2. Prohibentur in lege Evangelica purgationes, quibus in lege veteri miraculis alicujus innocentia innotescebat. 6. 3. 4. Num possit tentatio Dei a mortali excusari? 6. 3. 7
Testes quinam requirantur, ut possit Reus damnari? 12. 5. 1. Quinam sint inhabiles ad testandum? ibid. Num teneatur ad restiturionem, qui contra præceptum Superioris renuit testari? 12. 5. 2. Num possimus sponte testari ad salvandam vitam innocentis, si inde alterius mors sequatur? 12. 5. 4. Non semper datur obligatio testandi, posito Superioris præcepto. 12. 5. 3. Judice legitime interrogare,

gante, non potest testis æquivocare. 12. 5. 8. Tenetur tamen aliquando æquivocare. 12. 5. 8. Quid si testis sibi contradicat aut in eodem, aut in diverso examine? 12. 5. 9. Notario potius, quam testi credendum est, si hic juret se aliquid non dixisse? 12. 5. 10.

Theologales virtutes in quo differant a Moralibus? 2. 1. 2.

V

VAna observantia in quo differat a Divinatione. 5. 3. 1. Sæpe fit cum tacita Dæmonis invocatione, quamvis protestatio fiat in oppositum. 5. 5. 2. Quænam observationes communiter a Doctoribus reputentur vanæ, & superstitiosæ? 5. 3. 4. Recensentur aliæ, quæ non sunt vanæ, sed licitæ: 5. 3. 6 Quid de unguento armario? 5. 3. 7

Vassalli erga Principes laicos ad quid teneantur? 11. 4. 10. Et ad quid Princeps erga illos? 11. 4. 11

Vicarii Generales Episcoporum non possunt ex officio in votis dispensare. 7. 6. 10

Vigiliæ ex consuetudine quænam sint? 10. 4. 5

Vir quid debeat Uxori? 11. 3. 1. Num possit illam percutere ad correctionem? 11. 3. 2. Num teneatur illam alere, quando ob utriusque culpam ab eo recessit? 11. 3. 4.

Virtutes Theologales in quo differant a Moralibus 2. 1. 2

Unguentum armarium num sit superstitiosum? 5. 3. 7

Voti materia si partim sit apta, partim inepta, ad quid vovens obligatur? 8. 2. 1. Quantum differri possit voti adimpletio? 8. 2. 2. Num possit votum obligare sub levi in materia gravi? 8. 1. 3. Num graviter peccet, qui sæpe violat votum in materia levi? 8. 2. 5. Num votum obliget, facta notabili rerum mutatione? 8. 2. 7

Voto jejunandi num satisfacit, qui jejunat, sed non vult per tale jejunium voto satisfacere? 1. 4. 6

Votum exortum gravi metu injusto ab Ecclesia irritatur; non tamen juramentum. 7. 3. 7. V. *Juramentum*. Vota filiorum, uxoris, servorum, subditorum a quonam irritari possint? 7. 6. 7. Quænam causa requiratur ad voti dispensationem, & juramenti relaxationem? ib. Voti vinculum fortius est vinculo juramenti. 7. 6. 10. Qui potest vota commutare, non potest eatenus illa dispensare. 7. 6. 11. Potest vovens commutare sibi votum in evidenter melius, & probabiliter in evidenter æquale. 7. 6. 12

Votum pœnale non obligat ad pœnam, quando quis immemor pœnæ votum transgreditur. 1. 6. 6

Votum sine plena deliberatione non obligat. 8. 1. 3. Quid si vovens de hoc dubitet? ibid. Votum solemne irritat Matrimonium; Sicut etiam votum simplex in Societate JESU. 8. 1. 9. In quo sensu votum est de meliori bono? 8. 1. 7. Votum pœnale unumne, an duo vota complectatur? 8. 1. 11

Votum ut dispensetur, quænam causa requiritur, & sufficit? 8. 3. 1. Quisnam possit in votis dispensare? V. *Episcopus*.

Uxor debet Viro amorem, reverentiam, & obedientiam. 11. 3. 6. Tenetur sequi Virum. ibid. Quid si pactum intercedat non mutandi locum? ibid.

F I N I S.

CURSUS
THEOLOGICO-MORALIS
TOMUS SECUNDUS
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat
DE RESTITUTIONE, ac DE CONTRACTIBUS,
AD USUM TYRONUM ELUCUBRATUS,
ET IN QUOTIDIANIS PRÆLECTIONIBUS

A P. DOMINICO VIVA
SOCIETATIS JESU

SUIS AUDITORIBUS TRADITUS
IN PALÆSTRA COLLEGII NEAPOLITANI EJUSDEM SOCIETATIS.
PARS TERTIA
DE RESTITUTIONE.
ADCEDUNT IN HAC NOVISSIMA EDITIONE
FRANCISCI ANTONII ZACHARIÆ S. J.
Bibliothecæ Estensi Præfecti, ac Socii Litterariæ Ecclesiasticæ Societatis Lucensis, & Auximatis
LUCULENTISSIMÆ ANIMADVERSIONES,
In quibus Romanorum Pontificum, & præsertim BENEDICTI XIV. Decreta ad Moralem Theologiam pertinentia suis locis inseruntur; Auctoris sententiæ, aut explanantur, aut confirmantur, aut a DANIELIS CONCINÆ, JOH. VINCENTII PATUZZII, aliorumque criminationibus strenue vindicantur.

FERRARIÆ,
MDCCLVII.

SUMPTIBUS REMONDINIANIS.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

INDEX
QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM,
Qui in hoc Tertio tractatu Theologico-Morali
DE RESTITUTIONE CONTINENTUR.
QUÆSTIO PRIMA
De iis, quæ ad ipsum Restitutionis actum pertinent.

ART. I. *Num ex violatione solius justitiæ commutativæ oriatur onus Restitutionis?* 2
II. *De necessitate Restitutionis faciendæ.* 6
III. *Quænam sint radices, unde provenit obligatio restituendi?* 8
IV. *Ex quanam culpa contra justitiam oriatur obligatio Restitutionis?* 10
V. *Quomodo se gerat Confessarius cum obligato ad restituendum?* 17

QUÆSTIO II.

De Persona restituente. 19

ART. I. *Quisnam teneatur restituere ex injusta acceptione?* ibid.
II. *Quisnam restituere teneatur ex re accepta?* 22
III. *Quid restituere teneatur Possessor malæ fidei?* 24
IV. *Quid restituere teneatur Possessor bonæ fidei?* 29
V. *Quid restituere teneatur Possessor dubiæ fidei?* 32

QUÆSTIO III.

De Cooperantibus ad damnum alterius. 38

ART. I. *Quinam dicantur cooperari ad damnum alterius.* ibid.
II. *De Mandante damnificationem.* 41
III. *De Consulente damnum alterius.* 43
IV. *De reliquis positive cooperantibus ad damnificationem.* 46
V. *De Cooperantibus negative ad damnificationem.* 49
VI. *Quantum singuli restituere teneantur, quando plures ad damnificationem cooperati sunt?* 52
VII. *Quonam ordine restituere debeant concurrentes ad damnificationem, quando tenentur restituere in solidum?* 54

QUÆSTIO IV.

Quid, & quantum restitui debeat 58

ART. I. *An accepta ob turpem causam restituenda sint.* ibid.
II. *An restituenda sint accepta ob causam honestam?* 59
III. *An bona incerta vacantia, derelicta, & animalia, quæ piscatione, aut venatione capiuntur, restituenda sint?* 63
IV. *An iterum facienda sit restitutio, quando res furtiva data alteri, ut restituatur, non pervenit ad dominum?* 64
V. *An res domino nocitura restituenda sit.* 66

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De Persona, cui facienda est Restitutio, ac de reliquis circumstantiis Restitutionis. 67

ART. I. *Cui facienda est Restitutio?* ib.
II. *Ubi, & cujus expensis facienda sit Restitutio?* 70
III. *Quando facienda est Restitutio?* 72
IV. *Quomodo facienda sit Restitutio?* ibid.
V. *Quo ordine facienda est restitutio Creditoribus?* 73

QUÆSTIO VI.

De Causis, ob quas ommitti, vel differri possit Restitutio. 77

ART. I. *De causis, ob quas differri potest Restitutio.* 78
II. *De Debiti remissione, quæ excusat a Restitutione.* 81
III. *De occulta compensatione excusante debitorem a restituendo.* 82
IV. *De Compositione, & judicis auctoritate excusantibus a restituendo.* 86
V. *De Præscriptione, quatenus a restituendo excusat.* 87
VI. *Num interitus rei alienæ, aut ingressus in Religionem a restituendo excusent?* 90

QUÆSTIO VII.

De Restitutione in particulari. 92

ART. I. *De Restitutione propter homicidium, & mutilationem.* ibid.
II. *De Restitutione propter detractionem.* 99
III. *De Restitutione facienda ob contumeliam, derisionem, susurrationem, judicium temerarium, & suspicionem.* 103
IV. *De Restitutione facienda ob secreti violationem.* 105
V. *De Restitutione facienda ob furtum, rapinam, necnon ob spiritualia damna alteri illata.* 106
VI. *De Restitutione facienda ob stuprum, & adulterium.* 111
VII. *De Restitutione facienda ob fraudata vectigalia.* 113
VIII. *De Restitutione ob Simoniam facienda.* 114
IX. *De Restitutione facienda ob Horarum, & Residentiæ omissionem.* 128

CURSUS THEOLOGICO-MORALIS

Ad uſum Tyronum elucubratus.

PARS TERTIA.

DE RESTITUTIONE.

PROŒMIUM.

EXplicatis jam præcipuis Decalogi præceptis, ad uberem, ac valde neceſſariam de Reſtitutione diſputationem gradum facimus. Illamque in ſeptem quæſtiones dividemus, inquirendo in Prima ea, quæ ad ipſum Reſtitutionis actum ſpectant. In ſecunda, quæ ſpectant ad perſonam, quæ ſecundum ſe tenetur reſtituere. In tertia, de cooperantibus ſive poſitive, ſive negative ad damnum alterius In quarta, diſcutiemus, quæ ſpectant ad res reſtituendas, & quantum reſtituendum ſit. In quinta, quæ ad perſonam, cui fieri debet reſtitutio, & de aliis circumſtantiis reſtitutionis; quo ſcilicet modo, quo ordine, loco, aut tempore præſtanda ſit reſtitutio, & cujus expenſis? In ſexta, de cauſis, propter quas aut omitti, aut differri poſſit reſtitutio: (Hæc autem omnia ad reſtitutionem ſpectantia vulgatis illis verſibus continentur.

Quis, Quid reſtituet, Quantum, Cui, Quomodo, Quando,
Ordine, Quove loco, Quæ cauſa excuſet iniquum?)

Demum in ultima quæſtione agemus de reſtitutione in particulari; puta de onere reſtituendi propter homicidium, propter detractionem, aut libellos famoſos, ob ſecreti violationem, ob contumeliam, aut deriſionem, ob judicium temerarium, & ſuſpenſionem, ob furtum, & rapinam, ob damna ſpiritualia illata, ob fraudata vectigalia, ob ſtuprum, & adulterium, ob ſimoniam, & uſuram, ob omiſſionem divini officii, & ob alias hujuſmodi injuſtitias. Sic enim explicabimus, quæ præſtare teneatur tranſgreſſor Quinti, Septimi, ac Noni præcepti Decalogi. Etenim de Sexto, ac Decimo in tractatu de Matrimonio diſſerendum eſt; ut diximus anno ſuperiore.

QUÆSTIO PRIMA.

De iis, quæ ad ipſum Reſtitutionis actum pertinent.

DIſcutiemus primo, Num reſtitutio ſit actus ſolius juſtitiæ commutativæ? Secundo, Qua ratione Reſtitutio neceſſaria ſit ad ſalutem? Tertio, Undenam oriatur obligatio reſtituendi? Quarto, Ex quanam culpa? Denique, Quomodo Confeſſarius ſe gerere debeat cum pœnitente obligato ad reſtituendum?

ARTICULUS I.

Num ex violatione solius justitiæ commutativæ oriatur onus Restitutionis?

I. Restitutio large dicta fert iterato aliquem statuere in possessionem rei suæ. Presse vero dicta est Actus justitiæ commutativæ, quo quis damnum a se illatum proximo resarcit.

II. Ad justitiam commutativam spectat tribuere unicuique jus suum, & partes inter se justare, & exæquare.

III. In quo differat Restitutio a redditione depositi, aut commodati, a solutione mutui, & a satisfactione?

IV. Per quid discriminetur justitia commutativa a distributiva, a legali, & a vindicativa?

V. Onus restitutionis non oritur ex violatione justitiæ pure distributivæ, & ideo solius justitiæ commutativæ est actus Restitutio.

VI. Quid importat jus strictum in re, & ad rem? Quid etiam sit dominium, & Ususfructus?

VII. Quando donatur aliquid distribuendum pluribus pro merito personarum, qui habet plura merita, habet jus strictum ad majorem summam, & ideo violatur justitia commutativa, si ea non solvatur. At nemo privatus habet jus strictum ad bona communia, quæ non sunt distribuenda primario propter bonum privatum, sed propter bonum publicum; unde per violationem justitiæ distributivæ non oritur obligatio restituendi.

VIII. Episcopus conferens beneficia minus dignis tenetur resarcire damnum concurrentibus, & Ecclesiæ, non ex violatione justitiæ distributivæ, sed commutativæ.

IX. Num peccet mortaliter Episcopus conferendo beneficia simplicia minus dignis, omissis dignioribus? Num etiam Princeps sic conferendo officia Gubernatoris, Judicis, &c.?

X. Dux non distribuendo spolia hostium pro merito militum peccat contra justitiam commutativam.

XI. Ob læsionem justitiæ vindicativæ tunc datur onus restituendi, quando simul violatur commutativa.

XII. Qui negavit in judicio veritatem, non tenetur ad restitutionem damni secuti; secus vero si falsum testatus est. Quid de Confessario, qui omisit pœnitentem monere de Restitutione facienda? Tenetur Confessarius, si positive pœnitentem deobliget: Sicut Advocatus, & Procurator, Gubernator, & Judex, si culpabiliter sint causa damni.

XIII. Probabiliter peccat solum contra charitatem, & ad restitutionem non tenetur, qui emit omnes merces alicujus generis, ut postea carius illas vendat.

I. Quæritur primo, Quid sit Restitutio presse dicta?

Respondeo cum Laym. hic, Restituere ex vi nominis importare In pristinum statum reponere, ex leg. *Restituere, ff. de verborum Signif.* Et juxta hanc nominis etymologiam dixit D. Th. 2. 2. quæst. 62., Restituere nihil aliud est, quam iterato aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suæ. Verum restitutio sic explicata non est ea, de qua agimus in præsenti; tum quia sic explicata comprehendit redditionem cujuscumque debiti ex contractu; nam quando restituimus, verbi gratia, depositum, commodatum, mutuum, &c. tunc iterato reponimus aliquem in possessionem, vel dominium rei suæ; & tamen in tali casu non habetur Restitutio stricte dicta: Tum etiam quia qui domum alicujus vastavit, & equum occidit, non potest iterato reponere dominum in possessionem rei suæ, cum non possit equus resurgere; & tamen in tali casu datur obligatio restituendi. Quare restitutio stricte dicta, prout pertinet ad rem præsentem, aliter debet definiri.

II. Dico itaque cum communi, Restitutionem presse dictam optime definiri, quod sit *Actus justitiæ commutativæ, quo quis damnum a se proximo illatum reficit*: Seu est *Damni injuste illati compensatio ad æqualitatem.*

Dicitur itaque primo, quod sit *Actus justitiæ*, loco generis, quia cum de ratione justitiæ sit tribuere unicuique, quod suum est, & servare illæsum jus uniuscujusque, aut si læsum fuerit, resarcire, per restitutionem id habetur; resarcitur enim per illam jus læsum, & ponitur inter creditorem, & debitorem æqualitas debita, quæ est propria justitiæ: Justitia enim dicitur a Justando, quia justat, & exæquat partes, itaut neutra habeat plus, aut minus, quam sibi debeatur.

III. Dicitur secundo, *Quo quis damnum reficit*, loco differentiæ, quia restitutio, prout hic sumitur a Doctoribus, importat reparationem alicujus damni facti contra justitiam; Et per hoc differt, tum a redditione depositi, aut commodati; tum a solutione mutui, aut pretii in emptione, & aliis contractibus; tum demum a Satisfactione, quæ quamvis sit etiam actus justitiæ, tamen non ordinatur ad reparandum damnum ut damnum est, sed solum ad reparandam injuriam, & inhonorationem. Unde duæ præcipuæ differentiæ inter satisfactionem, & restitutionem oriuntur ex Sot., Sayr., & aliis, Prima est, quod Deo possit quidem exhiberi satisfactio, non vero restitutio, quia Deus potest quidem dehonorari, non autem damnificari; In hominibus vero, quia qui injuriatur, hoc ipso damnificatur, ideo qui honorem ablatum reddit alteri, unico actu & satisfacit, & restituit; itaut ille idem actus, quatenus reparat dehonorationem,

nem, dicatur Satisfactio, quatenus vero reparat damnum per dehonorationem illatum, dicatur Restitutio. Altera est, quod raptor (qui, ut docet D. Th. 2. 2. quæst. *66.* art. 4., non solum infert damnum, sed etiam ignominiam) teneatur restituere simul, & satisfacere: Contra vero fur occultus, qui non dehonoravit, sed solum damnificavit, non tenetur satisfacere, sed solum restituere. Non negaverim tamen, aliquando satisfactionem sumi large pro ipsa restitutione, ut in *cap. fin. De injuriis*, ubi Pontifex jubet tam pro injuria irrogata, quam pro damno illato satisfactionem fieri.

Dicitur tertio in definitione, *Damnum illatum a se*, quia si quis reficiat damnum non a se, sed ab alio illatum, facit solum actum eleemosynæ, & charitatis, non restitutionis, & justitiæ. Dicitur demum *Proximo*, quia justitia respicit alterum, & non potest esse ejusdem ad seipsum: Nec potest restitutio exerceri erga Deum, quia Deo damnum nequit inferri.

IV. Quæritur secundo, Utrum restitutio sit actus solius justitiæ commutativæ, an etiam distributivæ, itaut ad restitutionem teneatur etiam qui justitiam distributivam violavit, distribuendo beneficia, officia publica, ut alia bona communia indignis, aut minus dignis, prætermissis dignioribus?

Respondeo, Justitiæ virtutem dividi in Commutativam, Distributivam, Legalem, & Vindicativam. Per justitiam commutativam datur aliquod bonum particulare alteri, quod illi debetur. Per justitiam distributivam distribuitur multis aliquod bonum commune, puta officia, beneficia, dignitates, stipendia, &c., juxta proportionem meritorum, & personarum; & ideo vitium huic justitiæ oppositum dicitur Acceptio personarum. Hanc autem proportionem rerum ad merita personarum Aristot. lib.5. Ethic. cap.3. appellat Geometricam; sicut æqualitatem rei ad rem, quæ est propria justitiæ commutativæ, c. 4. dixit esse secundum proportionem Arithemeticam. Per justitiam Legalem Princeps condit leges respiciendo bonum Communitatis, & non particularium personarum; ut quando præcipitur, ne frumentum extrahatur, ut veritas testificetur, &c. demum per justitiam Vindicativam judex punit reos juxta meritum delictorum. Justitia Legalis dicitur Generalis, & Publica, sicut etiam Vindicativa; quia respiciunt bonum publicum: Commutativa vero, & distributiva dicuntur justitiæ particulares, quia respiciunt bonum particularium personarum. His explicatis,

V. Dico, Restitutionem esse actum solius justitiæ commutativæ, atque adeo ex violatione justitiæ pure distributivæ nullam oriri obligationem restituendi. Ita communius apud De Lugo disp. 2. sect. 3. contra Petrum Navar., Vasq., Dicast. de justitia lib. 2. tract. 2. Ratio ex D. Th. 2. 2. quæst. *62.* art. 1. est, quia restitutio fit per compensationem rei ad rem secundum proportionem arithmeticam, itaut tantum præcise reddatur, quantum sublatum est, nullam habendo rationem personarum, aut meritorum; cum ex Philosopho illud sit proprium justitiæ commutativæ; ubi econtra Distributiva distribuit bona communia secnndum proportionem geometricam, non per ordinem ad rem, sed ad merita personarum; ergo restitutio non potest esse actus distributivæ, neque ex violatione distributivæ oritur obligatio restituendi. Probatur consequentia, quia merita personarum dant solum aptitudinem, & non conferunt jus strictum ullum ad bona communia; ergo cum per violationem distributivæ nullum jus strictum lædatur, non datur obligatio restituendi aliquid dignioribus prætermissis.

Confirmatur, quia ad inducendam obligationem restituendi non sufficit violatio juris qualiscumque; nam sic etiam ex violatione gratitudinis, fidelitatis, amicitiæ, &c. consurgeret obligatio restituendi, seclusa omni læsione justitiæ commutativæ, quod nemo dixerit: Quare requiritur violatio juris stricte dicti, quod sit vel jus in re, vel ad rem: Qui autem violat justitiam distributivam conferendo bona communia minus dignis, quamvis irroget aliquam injuriam dignioribus, & violet jus aliquod, quod habent ad ea bona, non tamen violat jus stricte dictum; quia digniores neque habent jus in re relate ad bona communia, ut patet, quia aliter non essent communia, sed propria illorum; neque habent jus ad rem, ut mox explicabimus; ergo per violationem distributivæ non oritur obligatio restituendi.

VI. Rogabis, quid sit jus strictum in re, & ad rem.

Respondeo, hoc nomen Jus sumi dupliciter. Primo pro lege, quæ est regula justi, unde dicimus dari Jus Naturale, Positivum, Divinum, Humanum, & Jus Gentium, quod scilicet passim omnes gentes servant; necnon Jus Civile, quod auctoritate Principis secularis est conditum; & Jus Canonicum, quod scilicet auctoritate Pontificis, vel Conciliorum in Sacris Canonibus conditum est. Secundo, accipitur Jus pro potestate legitima (hoc est a lege concessa) ad aliquid acquirendum, possidendum, alienandum, &c. Cujus violatio fert injuriam, & hoc modo sumptum dividitur in Jus ad rem, & in re. Jus ad rem dicitur, quod non tribuit actionem in rem, sed in personam; & tale jus competit per donationem, emptionem, stipulationem, aliosque contractus ante traditionem rei; Nam si res, verbi gratia, tibi donata, vel vendita ante traditionem alteri vendatur, & tradatur,

non poteris rem illam tibi vindicare, ex leg. *Quoties*, Cod. *De rei vendicatione*, cum non habeas jus, in re, seu jus perfectum erga rem illam, sed tantum actionem personalem in eum, qui te fundavit. Tale jus ad rem habetur etiam per Electionem, Postulationem, & Præsentationem ad beneficium; sicut etiam per Collationem beneficii ante acceptionem; necnon per successionem hæreditatis ante acceptationem. Ex quo patet, quod in casu nostro persona magis digna non habet jus ad rem relate ad bona communia distribuenda per hoc præcise, quod habeat majora merita, quam persona minus digna. Jus vero in re dicitur, quod tribuit actionem realem, hoc est in rem ipsam obligatam, itaut possis illam tibi vindicare; & tale jus ordinarie acquiritur per titulum simul, & traditionem; verbi gratia, per donationem, emptionem, aliosque contractus, secuta ttaditione rei: Potest etiam acquiri per collationem beneficii, aut per testamentum, aut successionem ab intestato, secuta tamen acceptatione beneficii, aut hæreditatis. Acquiritur etiam per apprehensionem rerum illarum, quæ nullius sunt; necnon per legem, seu voluntatem superioris potentis de re disponere. Tale jus dicitur Perfectum, dividiturque in Dominium, Usum, & Usum fructum. Dominium est jus disponendi de re. Usus est jus tantum utendi re, salva ejus substantia; itaut nec possit ea alteri locari, nec gratis dari ad usum. Ususfructus est jus utendi, & fruendi re, salva ejus substantia; itaut possit alteri talis ususfructus concedi, ut notat Less. cap. 3. dub. 6.

VII. Opponitur primo adversus hanc communiorem sententiam. Qui male distribuit bona communia, tenetur sæpe restituere; nam si testator, verbi gratia, relinquat aliquam summam distribuendam civibus pro merito personarum, & Cajus hæres Titio, cui debentur decem ob meritum, & gradum propriæ personæ, det solum quinque, certe tenetur de propriis bonis restituere alia quinque, in quibus Titium injuste damnificavit. Hæc autem restitutio videtur esse actus justitiæ distributivæ; quia est emendativus injustæ distributionis; ergo falsum est, restitutionem esse actum solius justitiæ commutativæ.

Respondeo cum Cajet., tam violari justitiam commutativam, si tollatur a domino bonum aliquod proprium illius, ad quod habet jus in re, verbi gratia equum; quam si impediatur, ne quis acquirat aliquod bonum, quod est illi appropriandum ex justitia, seu ad quod habet jus strictum ad rem; verbi gratia ne acquirat hæreditatem debitam ex justitia. Hoc posito, ad argumentum concedo majorem, nego tamen minorem. Restitutio enim in tali casu debita esset actus justitiæ commutativæ, quia Cajus male distribuendo violaret justitiam commutativam tollendo a Titio decem, quæ illi erant approprianda ex justitia; nam cum relicta sit summa illa distribuenda pro merito personarum, Titius habens meritum ut decem, habet consequenter jus strictum justitiæ ad decem, ortum ex donatione Testatoris; & consequenter, si illi non dentur decem, violatur justitia commutativa, & ideo datur obligatio restitutionis. Quod tamen non accidit in distributione bonorum communium, puta beneficiorum, officiorum, &c., quæ non sunt appropriandа dignioribns ex obligatione justitiæ; cum digniores non habeant jus strictum ad illa, sed approprianda sunt ex obligatione, quam habet distributor consulendi bono Ecclesiæ, & bono publico; & ideo qui beneficia, vel munera publica contulit indignis, aut minus dignis violando tantum justitiam distributivam, non debet quicquam restituere dignioribus prætermissis.

Instabis: In primo casu Titius habens merita ut decem, habet jus strictum ad decem, eo quod summa illa distribuenda sit pro meritis personarum; ergo cum beneficia, & officia publica distribuenda sint etiam pro merito personarum, digniores habent jus strictum ad illa; & consequenter etiam in secundo casu violatur justitia commutativa, & datur obligatio restituendi.

Respondeo, nego consequentiam. Disparitas est, quia in primo casu jus strictum ad rem oritur ex donatione facta a testatore in bonum privatum illorum civium, juxta meritum personæ. In secundo casu non habetur donatio facta in bonum alicujus privatum, sed beneficia, & officia publica distribuenda sunt primo, & per se propter bonum publicum; & ideo digniores non habent jus strictum ad illa, sed solum aptitudinem majorem, ut illis conferantur. Quare jus strictum haberi potest solum relate ad bona, quæ relinquuntur primario in bonum privatum, non vero relate ab bona communia, quæ primo, & per se reliquuntur in bonum publicum.

VIII. Opponitur secundo. In multis aliis casibus, tam qui peccat contra justitiam distributivam, quam qui contra vindicativam tenetur ad restitutionem, & talis restitutio non potest reduci ad actum commutativæ; ergo falsum est omnem restitutionem esse actum solius commutativæ. Antecedens probatur, quia per læsionem justitiæ distributivæ tenetur ad restitutionem, Primo, Episcopus conferens beneficia indignis, vel minus dignis, relictis dignioribus, præsertim in concursu. Secundo, Princeps, si male conferat officia sæcularia Gubernatoris, Judicis, &c. quando instituta sunt in præmia meritorum. Tertio, Dux non largiendo hostium spolia juxta meritum, & dignitatem militum

litum; Ac demum Judex per læsionem vindicativæ, quando punit reum supra gravitatem, & demeritum delicti.

Respondeo cum D. Thom. 2. 2. quæst. 62. art. 1. Lug. Bonac. Laym. & aliis communiter, in omnibus his casibus peccari non solum contra distributivam, aut vindicativam, sed etiam contra commutativam, ut diximus in prima objectione; & ideo restitutionem in his casibus esse actum justitiæ commutativæ, itaut etiam quando talis actus emendat peccatum contra distributivam, emendet pariter peccatum contra commutativam procedendo per comparationem rei ad rem, reddendo duntaxat id, ad quod jus strictum habeatur.

Ad primum itaque casum, Episcopus conferens beneficia aut indignis, aut minus dignis, ideo sæpe tenetur ad restitutionem, quia non solum peccat contra justitiam distributivam, sed etiam contra commutativam violando jus strictum justitiæ. Nam vel illa confert in concursu plurium, vel sine concursu; Si in concursu, violat jus strictum concurrentium contra tacitum pactum, seu contractum inter Prælatum, & concurrentes; ex quo pacto quando plures concurrunt, & examini se subjiciunt, acquirunt jus strictum ad beneficium, si prævaleant; ut communius docent contra Navar. & Sot. apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 110. Et idem dicas de habentibus plura suffragia ad aliquam dignitatem. Si vero collatio beneficii fiat sine concursu, peccat Episcopus violando jus strictum, quod habet Ecclesia, ut conferatur dignioribus; dum enim traditur Episcopo munus Episcopale, intercedit implicitus contractus inter Episcopum, & Ecclesiam, quod dispensentur beneficia in bonum Ecclesiæ, cui donata sunt, atque adeo dignioribus. Quare in primo casu Episcopus tenetur ad compensationem damni illati concurrentibus; in secundo tenetur ad compensationem damni illati Ecclesiæ.

IX. Ubi notandum, damnatam esse ab Innoc. XI. propos. 47. qua dicebantur posse promoveri ad Ecclesias digni, prætermissis dignioribus. Hæc sunt verba proscriptæ thæsis: *Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium vel primo videtur per hoc, digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo propositivo; Vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos; Vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.* Quare communiter apud Dian. part. 5. tract. 5. resol. 13. docent beneficia curata sine mortali dari non posse dignis, omissis dignioribus: Sicut nec beneficia simplicia, si dentur in concursu: At si dentur extra concursum, negant aliqui apud Dian. part. 2. tract. 15. resol. 38. Episcopum peccare mortaliter, si ea conferat dignis, omissis dignioribus; quia Trident. solum loquitur de beneficiis curam animarum habentibus; unde videtur relinquere arbitrio Papæ, & Episcoporum alia beneficia etiam magni momenti, (ut sunt Canonicatus) quod conferantur dignis ministris, qui licet non sint meliores, tamen non sint otiosi, nec cum scandalo vivant. Sed communius docent cum Vasq. in hoc etiam casu peccare Episcopum mortaliter, nisi excuset parvitas materiæ; tum quia violatio justitiæ distributivæ ex genere suo est mortale; tum etiam quia Episcopus, etiam quando confert beneficia simplicia, debet consulere quantum potest bono Ecclesiæ, atque adeo conferre illa dignioribus: Unde etiam fit teneri ad compensationem damni, quod Ecclesia pateretur; Secus vero ad nullam restitutionem teneretur, ut notat Less. cap. 32. dub. 2. quia non peccaret contra justitiam commutativam, sed solum contra fidelitatem debitam Ecclesiæ, ex qua tenetur constituere ministros quam maxime idoneos; non secus ac Æconomus ex fidelitate debita domino debet conducere operarios quam maxime idoneos.

Ad secundum casum: Quod diximus de Episcopo conferente beneficia, dicas de Principe conferente officia Gubernatoris, Judicis, &c. aut indignis, aut minus dignis: nam si conferat indignis, peccat adversus justitiam commutativam, seu adversus jus strictum Reipublicæ, unde tenetur illi damnum compensare: Si vero ea conferat minus dignis, peccat quidem mortaliter, (ut diximus cum communiori in calce articuli quarti quæstionis undecimæ cum de Præceptis Decalogi); sed quia solum peccat contra fidelitatem debitam Reipublicæ, non contra justitiam, neque tenetur ad restitutionem, si nullum inde damnum sequatur.

X. Ad tertium casum: Dux non distribuendo spolia hostium pro merito militum, peccat etiam contra commutativam, violando jus strictum acquisitum a militibus, sive ex Principis voluntate, seu donatione sic disponente in bonum Reipublicæ, sive acquisitum ex proprio labore ad Regni incolumitatem adhibito; & ideo injuste distribuendo ad restitutionem tenetur: Ad eum modum, quo qui bona accepit distribuenda pauperibus juxta cujusque inopiam, peccat contra commutativam, si aliter distribuat, & tenetur ad restitutionem.

XI. Ad ultimum casum pro Justitia vindicativa, seu punitiva, dico, quod si judex puniat reum ultra demeritum, tenetur ad compensationem damni illati; quia non solum peccat contra vindicativam, quæ dictat puniri reum pro demerito

rito culpæ; sed etiam contra commutativam, quia violat jus strictum, & rigorose dictum, quod habet reus, ne sibi tollantur bona vitæ, corporis, aut fortunæ ultra quod demeretur. Quod si Judex puniat reum citra condignum, tenetur pariter ad restitutionem, si aliquod damnum inde sequatur in Republica; quia violat jus, quod habet Respublica, ut a Judice puniantur delinquentes. Ex quibus omnibus constat, solum ex violatione juris stricte dicti oriri obligationem restitutionis. Utrum autem ex damnificatione contra charitatem, aut alias virtutes detur obligatio restitutionis, dicemus art. 3.

XII. Colliges ex dictis primo, eum, qui negavit in judicio veritatem, non teneri ad solvendam pœnam, ad quam fuisset condemnatus, si veritatem confessus esset. Ratio est, quia non violat justitiam commutativam; quia is, cui applicanda fuisset talis pœna, non habet jus ad illam ante sententiam judicis. Quare negando veritatem solam violat justitiam legalem, seu publicam, quæ obligat ad veritatem manifestandam, ut crimina puniantur: Contra vero si Titius in judicio falsum dixerit adversus aliquem, tenetur ad restitutionem damni inde secuti, quia violat jus strictum, quod quilibet habet, ne positive ab alio lædatur: Eadem ratione tenetur Confessarius ad restitutionem, si positive deobliget pœnitentem, qui ad illam tenetur, quia positive concurreret suo consilio, & esset causa efficax damni: Utrum autem teneatur ad restitutionem, si ex malitia, aut ignorantia crassa omittat monere talem pœnitentem, ut restituat, examinabimus articulo ultimo.

Colliges secundo, quod si Advocatus, & Procurator ex gravi culpa sint causa, cur aliquis, cui consulere ex justitia tenentur, patiatur grave damnum, ad restitutionem teneantur. Idem dicas de Judice, & Gubernatore, qui ex officio, & justitia tenentur cavere damnum tertii. Nam cum quilibet ex Republica concurrat ad solvendum pretium Gubernatori, & Judici, a quo rite gubernentur, & judicentur, quilibet habet jus rigorosum, ut Gubernator, & Judex caveant damnum ipsorum.

XIII. Colliges tertio, quod si unus, vel pauci conveniant ad emendas omnes merces alicujus generis, ut eas asservent in tempus inopiæ, animo vendendi illas carius, probabiliter non teneantur ad restitutionem ullam ex tali monopolio; ut docent Less. & Molin. contra Medin. & alios apud Bonac. disp. 3. quæst. 2. punct. 5. Ratio est, quia quamvis graviter peccent contra charitatem, tamen probabiliter non peccant contra justitiam commutativam; cum non sit certum, quod Respublica habeat jus strictum, ne mercium pretium hoc modo augeatur; Quandoquidem qui emit omnes merces alicujus generis, non peccat contra justitiam emendo; nec peccat contra justitiam supprimendo merces illas usque ad tempus inopiæ, eo quod ex justitia non teneatur illas vendere; solum itaque peccat contra charitatem, aut ad summum contra justitiam legalem, si id lege prohibitum sit; & ideo ad restitutionem damni in Republica secuti non tenetur.

Colliges ultimo, eum, qui transfert triticum extra territorium contra Principis edictum, non teneri ad ullam restitutionem, quamvis ex violatione talis legis pretium frumenti notabiliter augeatur. Ratio est eadem, quia violatur in tali casu solum justitia legalis, & publica, non vero particularis, & commutativa.

ARTICULUS II.

De Necessitate Restitutionis faciendæ.

I. *Necessarium ad salutem bifariam sumi potest, vel pro necessario necessitate medii, vel pro necessario necessitate præcepti.*

II. *Restitutio est ad salutem necessaria solum necessitate præcepti.*

III. *Cur Baptismus in re, aut in voto sit necessarius necessitate medii?*

IV. *Præceptum de restituendo videtur principaliter esse de actu positivo atque adeo affirmativum, & minus principaliter negativum.*

V. *Præceptum restituendi diversum est a præcepto non furandi; hoc est negativum, illud vero positivum.*

VI. *Sunt duo præcepta, Non furari, & Non retinere rem alienam; quia tamen eidem virtuti opponitur. non committit duo peccata specie diversa, qui utrumque præceptum transgreditur.*

VII. *Quot peccata committit, qui oblata opportunitate restituendi non restituit?*

VIII. *Actus nostri non interrumpuntur moraliter per actus contrarios dumtaxat, sed etiam aliis viis.*

I. SUpponendum dupliciter posse aliquid esse necessarium ad salutem: Primo necessitate medii, quando scilicet aliquid est ita necessarium, ut eo etiam inculpabiliter prætermisso salus obtineri non possit; & talis est baptismus, & post peccatum actuale mortale Sacramentum pœnitentiæ sive in re, sive in voto susceptum, Necnon fides explicita Dei etiam ut remuneratoris; cum opposita opinio damnata sit ab Innoc. XI. in thesi 22. quæ habet: *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris*. Secundo aliquid est necessarium ad salutem necessitate præcepti; quando scilicet præcepto graviter obligante aliquid

quid necessario ponendum est, ita tamen, ut si ex ignorantia inculpabili, aut ex impotentia prætermittatur, adhuc possit salus æterna obtineri; ut est, verbi gratia, jejunium quadragesimale, auditio missæ die festo.

II. Quæritur nunc primo, Utrum restitutio sit necessaria necessitate solius præcepti, an etiam necessitate medii?

Respondeo cum communi solum esse necessariam necessitate præcepti: etenim prætermissa restitutione ex ignorantia invincibili, aut ex impotentia, adhuc potest quis salvari. Habetur tamen de illa præceptum tum naturale fundatum in illo naturæ dictamine, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*; tum positivum; nam Matth. 27. dicitur: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*. Et ad Rom. 13. *Reddite omnibus debita*. Et in Regul. 4. juris: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, videlicet, ut notat D. August. quando restitui potest.

Unde sequitur, falsam esse doctrinam Angeli V. *Executor* num. 23. ubi docet non liberari a Purgatorio eum, qui in vita restituere debebat, quousque ejus debita ab hæredibus solvantur. Hinc enim sequeretur, quod pœna purgatorii posset esse æterna, si scilicet talia debita nunquam ab hæredibus solvantur; quod tamen est impossibile, cum decedens in gratia habeat jus ad gloriam.

III. Opponitur: Tam qui non suscipit saltem in voto, verbi gratia, baptismum, quam qui non habet votum, seu desiderium, ac propositum restituendi, si potest, damnatur; ergo sicut baptismus saltem in voto susceptus est necessarius etiam necessitate medii, ita pariter restitutio.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia Baptismus est id, per quod Deus gratiam, & salutem æternam confert, & idcirco votum illius est votum medii positi a Deo ad salutem acquirendam: Contra tamen Restitutio non est id, per quod confertur gratia. Quare licet ad salutem requiratur votum, seu propositum servandi omnia præcepta, atque adeo restituendi, non secus ac requiritur votum baptismi; at votum servandi omnia præcepta, & eatenus restituendi non est votum ponendi medium a Deo institutum ad collationem gratiæ, & gloriæ; & idcirco restitutio in voto non dicitur esse necessaria necessitate medii, sicut est baptismus in voto, & Sacramentum pœnitentiæ.

IV. Quæritur secundo, Utrum præceptum restituendi sit negativum, quod scilicet obligat semper, & ad semper, an vero affirmativum, quod scilicet obligat semper, non tamen ad semper, sed ad ponendum actum tempore determinato?

Respondeo, Petrum Navar. Medin. Angel. Lug. docere, quod sit negativum: Vasq. tamen, Less. Sot. docent esse affirmativum: Demum Cajet. Valent. & alii docent partim esse negativum, partim affirmativum. Etenim cum ex justitia obligemur tam ad non retinendum alienum, quam ad resarciendum damnum illatum; quatenus obligamur ad primum, præceptum dicitur esse negativum, quatenus vero obligamur ad secundum, dicitur esse affirmativum.

Equidem censeo cum Tambur. cap. 1. contra Laym. cap. 2. præceptum restitutionis esse quidem negativum simul, & affirmativum, sed principaliter, & absolute esse de actu positivo, atque adeo affirmativum, minus principaliter vero esse negativum. Ratio est, quia restitutio est actus positivus trahens secum, & includens non retinere alienum, non tamen e contra. Nam qui domum alterius, verbi gratia, incendit, & qui impotens est reddere, certe non retinet alienum, & tamen non proinde observat præceptum restitutionis; ergo hoc præceptum non est principaliter de non retinendo alieno, sed de resarciendo damno illato.

V. Unde sequitur, præceptum non furandi non esse idem ac præceptum restituendi. Illud enim est negativum prohibens malum, hoc vero est positivum præcipiens actum bonum; illud prohibet accipere rem alienam invito Domino; hoc imperat rem acceptam reddere, & damnum compensare. Quare præceptum restituendi præsupponit præceptum non furandi, & consequenter hæc duo præcepta distinguuntur.

Confirmatur, quia Restitutio non semper fit ob furtum, sed etiam ob homicidium, stuprum, &c. in quibus casibus, sicut præceptum de restituendo non est idem cum præcepto de non occidendo, ita in casu nostro nec est idem cum præcepto de non furando; reduci tamen potest ad præceptum non furandi, quatenus est remedium emendativum furti; in quo sensu reduci etiam potest ad præceptum de non occidendo.

VI. Dices: Præceptum restituendi est idem, ac præceptum non retinendi alienum; sed præceptum non retinendi alienum est idem, ac præceptum non furandi, quia retentio alieni est furtum continuatum; ergo præceptum restituendi est idem, ac præceptum non furandi.

Respondeo, nego majorem; nam, ut diximus, qui equum alterius, verbi gratia, occidit, nihil retinet alienum, & tamen restituere tenetur: Sed transmissa majore, (quatenus qui debet restituere, debet non retinere id, ad quod alter habet jus, ut explicat Lugo) nego minorem; quamvis enim eidem virtuti justitiæ opponatur furtum, retentio rei alienæ, atque ista moraliter æquipolleant, ex D.Th.2.2. quæst.66. art.3. nihilominus furari est accipere alienum, retinere vero non importat accipere, sed conser-

vare

vare rem acceptam; ergo præceptum non retinendi supponit præceptum non furandi; sicut conservare rem acceptam præsupponit acceptionem, & consequenter non sunt idem præceptum. Per hoc tamen non fit, quod retinens alienum duo peccata committat; nam, ut alias diximus, non multiplicatur peccata ex multiplicatione præceptorum, quæ violantur, sed ex multiplicatione deformitatum contra virtutem, seu rectam rationem: cum autem eidem virtuti justitiæ opponatur furari, & non restituere, unum omnino peccatum est utrumque præceptum transgredi.

VII. Petes tamen, quot peccata committat, qui oblata opportunitate restituendi non restituit?

Respondeo cum Bonac. quæst.7. n. 9. tot peccata numero distincta committi, quot sunt actus intentionis, seu voluntatis non restituendi moraliter interrupti. Quomodo autem interrumpantur actus interni, explicabimus cum de Pœnitentia: Num scilicet interrumpantur moraliter per actus oppositos, an per hoc, quod prior actus non amplius virtualiter duret; num per distractionem voluntariam, an etiam per involuntariam. Illud solum hic advertimus cum Molin. & Bonac. loc. cit. confessarium non debere esse scrupulosum in investigando numerum actuum internorum moraliter interruptorum, quia non conveniunt Doctores in assignanda ratione hujus moralis interruptionis. Quare satis est investigare quantum temporis res aliena detenta fuit; sic enim facile plus, vel minus cognoscetur numerus peccatorum, & status pœnitentis: Sicut fieri consuevit cum meretrice, quando numerus peccatorum facile cognosci non potest; tunc enim satis est cognoscere, quamdiu se omnibus expositam habuerit, & cum quo genere personarum.

VIII. Petrus Navar. lib.4. cap.4. putat, unum tantummodo peccatum committi ab eo, qui per multum temporis non restituit, si tale peccatum per propositum restituendi non interrumpatur; censet enim actus internos moraliter interrumpi per actus contrarios duntaxat. Sed communior sententia est in contrarium; communiter enim Doctores censent peccatum hoc interrumpi moraliter, non solum per actum contrarium, seu per propositum restituendi, sed etiam per hoc, quod non censeatur amplius virtualiter perseverare, sive desinat perseverare virtualiter per quamcumque distractionem etiam involuntariam, per somnum, &c. ut multi docent, sive per hoc, quod cesset obligatio restituendi ex aliquo capite, puta ex impotentia, & deinde reviviscat, sive per hoc, quod iterum quis utatur re aliena, aut illam vendat, donet, &c. vel si appareat novum damnum consurgere creditori ex omissione restitutionis; puta si in carcerem detrudendus sit, eo quod non habeat unde alteri solvat, quod debet; Sic enim hæc voluntas causandi novum damnum non continetur moraliter in illo peccato retentionis rei alienæ, atque adeo videtur esse novum peccatum in confessione aperiendum modo explicato.

ARTICULUS III.

Quænam sint radices, unde provenit obligatio restituendi?

I. Duplex est radix, ex qua sequitur obligatio restitutionis, videlicet Injusta acceptio, & Res accepta.

II. Obligatio restitutionis orta ex prima radice injustæ acceptionis haberi non potest citra actionem damnificativam; secus vero si oriatur ex secunda radice rei acceptæ.

III. Non cessat obligatio restitutionis citra restitutionem, si ea oriatur ex prima radice; potest tamen sine restitutione cessare, si ex secunda radice oriatur.

IV. Quando oritur onus restitutionis ex prima radice, nullum debet pati damnum damnificatus; quando vero oritur ex secunda, nullum debet pati damnum, qui restituit.

V. Sicut non consurgit onus restitutionis ex læsione justitiæ distributivæ, Legalis, aut Vindicativæ, ita neque ex damnificatione contra alias virtutes a justitia.

VI. Hinc non tenetur ad restitutionem Medicus, si ex incuria ægrotum occidat, quando nullo accepto stipendio medetur: Nec Clericus alium inadvertenter occidens vacando venationi prohibitæ: Nec omittens succurrere extreme indigenti: Nec violans justitiam legalem.

VII. Qui alium inadvertenter infamavit, ubi id advertit, tenetur famam restituere ex titulo injustæ aeceptionis potius, quam rei acceptæ.

VIII. Judex ad restitutionem tenetur, si pecuniam accipiat pro ferenda sententia justa, non tamen si accipiat pro ferenda sententia injusta, patrato tali scelere.

I. PRæmitto duas potissimum assignari radices, seu capita, unde pullulat onus restituendi. Prima est injusta acceptio rei alienæ. Secunda est ipsa res aliena accepta, videlicet sine justo titulo. Ratio est, quia restitutio est actus justitiæ commutativæ, ponens æqualitatem inter debitorem, & creditorem: cum autem duobus titulis possit aliquis esse creditor, vel quia injuste aliquid ab eo acceptum est, vel quia eo invito res sua detinetur; ideo duplex datur caput restitutionis, injusta acceptio, & res accepta: Quæ tamen capita aliquando etiam concurrunt; nam si quis, verbi gratia, injuste accipiat equum alienum, & invito domino illum retineat, ex

utro-

utroque capite tenetur restituere; Quando vero equus post injustam acceptionem moritur, tunc fur tenetur restituere solum ex primo capite injustæ acceptionis, non vero ex re accepta, cum illam non habeat: Quod si equus in tuum stabulum sine tua culpa transeat, tunc solum teneris restituere ex secundo capite, videlicet ex re accepta, non vero ex injusta acceptione. Alii cum Diana assignant tertiam radicem restitutionis, videlicet ex contractu injusto: sed hæc ad primam radicem injustæ acceptionis reducitur: Ex contractu vero justo (sicut etiam ex lege positiva non præsupponente damnificationem injustam) non oritur obligatio restitutionis strictè dictæ, ut quando quis debet reddere depositum, aut solvere gabellas, vel pretium rei emptæ; quia in tali casu non habetur compensatio damni illati, ut diximus art. 1. Quartam alii radicem recensent, videlicet ex injusta damnificatione; quando scilicet pure damnificatur alter sine propria utilitate, v. gr. occidendo ejus equum, incendendo domum &c. Hæc autem radix communiter a Theologis cum D. Th. apud Croix n. 18. reducitur ad primam radicem injustæ acceptionis, quatenus isthæc damnificatio est quædam acceptio, seu subtractio rei alienæ.

II. Inter has duas radices restitutionis multiplex intercedit discrimen. Primum est, quod obligatio orta ex injusta acceptione haberi non possit sine actione damnificativa, (& quidem externa; nam per meram internam operationem nemo in re damnificatur) & ideo dicitur esse obligatio ex delicto: Econtra obligatio orta ex re accepta haberi potest sine ulla actione læsiva, sed præcise per hoc, quod res aliena accepta habeatur sive in se, sive in suo effectu, puta in lucro inde deducto.

III. Secundum discrimen est, quod prior obligatio non cessat nisi posita restitutione: Posterior vero cessare potest etiam sine restitutione; nam si res accepta apud te inculpabiliter pereat, non teneris restituere; Si tamen illam inculpabiliter consumas, sed per illius consumptionem factus sis ditior; v. gr. si comedisti frumentum alienum pro tuo, quia tale frumentum in utilitate allata perseverat, teneris restituere solum illud, in quo factus es ditior, seu quantum consumpsisses de tuo frumento, si non habuisses alienum; Quod si res accepta pereat, postquam sciveris esse alienam, & ex gravi culpa distuleris restituere, teneris ad restitutionem ex capite injustæ acceptionis: nisi tamen eodem modo certo res periisset apud dominum, ut infra dicetur.

IV. Tertium discrimen est, quod obligatus ad restitutionem ex prima radice tenetur ad illam, etiam cum de suo detrimento; secus vero obligatus ex secunda radice. Et ratio est, quia sicut dominus rei nullum subire debet damnum ex injusta tua damnificatione, ita tu nullum debes sentire damnum ex re accepta sine tua culpa. Ex quo fit, quod si dominus rei sit absens, tenearis restituere rem propriis expensis, si obligaris ad restitutionem ex prima radice, prout infra explicabitur: Econtra si obligaris ex secunda radice, satis est, ut moneas dominum de re sua, ut ille suis expensis illam recuperet. His explicatis, quærendum ex quanam damnificatione, ac deinde in articulo sequenti ex quanam culpa oriatur obligatio restitutionis. Ostendimus autem in primo articulo ex violatione justitiæ distributivæ, Legalis, aut Vindicativæ non oriri hanc obligationem: discutiendum nunc an oriatur ex læsione aliarum virtutum a justitia Commutativa; unde prima radix obligans reum ad restitutionem sit solum injusta acceptio, seu damnificatio.

V. Quæritur itaque, An obligatio restituendi consurgat etiam ex damnificatione contra alias virtutes a justitia; Verbi gr. si quis ex odio Titii illum juste ad mortem damnet, aut occidat, ac bona ejus incendat; Aut si vovens dare eleemosynam Petro, illam deneget, unde Petrus grave damnum subeat; Aut si quis non impediat homicidium, vel furtum, peccando solum contra charitatem, non contra justitiam, utrum teneatur in his casibus ad restitutionem, quamvis non interfuerit injusta acceptio, seu damnificatio adversus justitiam commutativam?

Respondeo negative cum communi contra Richard. Cajet. Angel. Gabriel. Valent. disp. 5. quæst. 6. num. 3, Ratio est, quia ex illa virtute oritur obligatio restituendi, cujus virtutis est actus ipsa restitutio; sed restitutio est actus justitiæ, & quidem commutativæ; ergo ex violatione solum hujus virtutis oritur obligatio restituendi. Major patet. Minor constat ex dictis art. 1. Restitutio enim est compensatio damni illati secundum æqualitatem arithmeticam; ergo debet supponere jus strictum in alio, ex cujus læsione detur obligatio compensationis; hoc autem jus a sola justitia commutativa respicitur; ergo restitutio est actus solius commutativæ; atque adeo sicut non consurgit onus restitutionis ex læsione justitiæ distributivæ, Legalis, aut Vindicativæ, ita a fortiori neque ex damnificatione contra alias virtutes a justitia.

VI. Hinc deciduntur innumeri alii casus. Primo enim si ægrotus moriatur ex incuria medici, qui nullum stipendium accipit, medicus non tenetur ad restitutionem; quia solum peccavit contra charitatem non contra justitiam; contra quam peccaret, si stipendium acciperet; Sicut etiam si promittendo gratis operam suam ægroto, esset causa damni non observando promissum. Nam, ut notat Less. lib. 2. cap. 18. num. 17. qui

non observat promissionem, quamvis non teneatur restituere lucrum cessans, tenetur tamen compensare omne damnum emergens, cujus ipse est causa non observando promissum; unde in his casibus ad restitutionem Medicus teneretur.

Secundo, si quis navans operam rei illicitæ, exempli gratia si Clericus navans operam venationi clamorosæ, inculpabiliter occidat hominem putans esse feram, non tenetur ad restitutionem, quia peccavit solum contra obedientiam venando, non contra justitiam occidendo inadvertenter.

Tertio, si quis omittat succurrere extreme indigenti, non tenetur deinde restituere illam eleemosynam denegatam, aut compensare damnum inde secutum, quia obligatio succurrendi oriebatur ex charitate, & misericordia, non ex justitia.

Quarto, qui segetem, verbi gr. ab alio incensam non extinguit, cum commode possit, non tenetur ad restitutionem, quia peccat solum contra charitatem, non contra justitiam, si non sit custos, nec suæ curæ seges sit commendata, Quod si ipse alienam segetem inculpabiliter incendat, & non statim extinguat, cum commode possit, tunc contra justitiam peccat, & ad compensationem damni obligatur, ut docent communiter.

Quinto, si reus legitime interrogatus neget veritatem, unde damum fisco, vel alteri sequatur, non tenetur ad restitutionem, ut notat Tambur. cap. 2. quia solum peccat contra justitiam legalem, cum non teneatur ex commutativa justitia dicere veritatem, aut procurare utilitatem aliorum; idemque probabiliter docent Less. Sanch. & alii apud Trull. de Testibus, ut diximus in tractatu de Legibus quæst. ult. art. 3. Nec tenetur ad restitutionem Judex, qui juste reum condemnat secundum allegata, & probata; quamvis blandis verbis, aliisque modis contra charitatem exhibitis extorserit ab illo confessionem, unde damnetur: Et universim qui justitiam distributivam, aut legalem, vel vindicativam violat sine violatione commutativæ, ad restitutionem non tenetur, ut ostendimus art. 1.

VII. Opponitur ad hæc: Qui aliquem inculpabiliter, aut saltem sine gravi culpa propter inadvertentiam infamavit, ex communi sententia tenetur ad restitutionem famæ, quando advertit se illum infamasse; atqui ad hanc restitutionem neque tenetur ex re accepta, cum nihil alterius apud se habeat; neque tenetur ex peccato ullo contra justitiam, cum supponatur inculpabiliter illum infamasse; ergo falsum est, quod obligatio restitutionis solum oriri possit ex re accepta, aut ex peccato contra justitiam, seu ex injusta acceptione.

Respondet Less. cap. 2. dub. 22. hunc ad restitutionem teneri ex re accepta, quia infamator retinet quodammodo famam alienam, cum in aliorum mentibus pravam opinionem inculpabiliter ingestam relinquat. Equidem respondeo cum Lug. disp. 15. detractorem in tali casu non teneri ad restitutionem ex re accepta; quia fama nullo modo potest dici quod sit apud detractorem, cum per detractionem extinguatur: sed teneri ex injusta acceptione; non quia peccaverit contra justitiam, quando inadvertenter infamavit, sed quia peccat contra justitiam, si advertendo ad damnum inculpabiliter illatum, non statim illud resarciat: Ac similiter qui inculpabiliter incendit domum alterius, ubi advertit ad damnum inculpabiliter illatum, tenetur statim illud impedire pro viribus, ne ulterius prosequatur; & si non curet incendium extinguere, tenetur ad restitutionem ex titulo injustæ acceptionis, seu damnificationis, quia scilicet non impediendo damnum inculpabiliter illatum, seu non extinguendo statim, quantum potest, incendium, peccat tunc contra justitiam.

VIII. Ex dictis sequitur decisio celebris illius dubii; de quo agemus quæst. 3. art. 1. An scilicet accepta ob turpem causam sint restituenda? Dicendum enim restituenda esse, si traditio, vel acceptio rei sit contra justitiam, secus vero si sit contra alias virtutes. Quare, verbi gr. restituendum est quod recipit Judex ad ferendam justam sententiam, & quod recipit Episcopus ad conferendum simoniace beneficium; sicut etiam quando filiusfamilias, aut fur donant rem non suam. Contra vero non tenetur ad restitutionem Judex, qui recipit pecuniam ad ferendam sententiam injustam post patratum tale scelus; aut qui aliquid recipit ad se inebriandum, ad fornicandum, ad confingendum Idolum, &c. ut explicabimus in loco.

ARTICULUS IV.

Ex quanam culpa contra justitiam oriatur obligatio Restitutionis?

I. *Culpa alia est Theologica, alia Juridica, & illa vel mortalis, vel venialis, sive ex parvitate materiæ, sive ex imperfecta deliberatione; Hæc vero vel lata, vel levis, vel levissima.*

II. *Ad contrahendam obligationem restitutionis requiritur culpa Theologica contra justitiam commutativam: Lata culpa juridica dicitur trahere onus restitutionis, quatenus raro admodum reperitur sine culpa Theologica.*

III. *Si culpa isthæc Theologica sit levis ex parvitate materiæ, trahit onus restitutionis sub levi; si vero sit levis ex imperfecta deliberatione, probabiliter ne sub veniali quidem pa-*

rit

rit ullam obligationem restituendi, etiam in materia gravi.

IV. Leges civiles obligantes ad compensationem damni non obligant in conscientia, si absit culpa Theologica, quæ ab iis præsumitur.

V. Si tamen leges civiles non sint præsumptivæ, sed dispositivæ, obligant in conscientia ad damnum compensandum, sed post sententiam Judicis.

VI. Ex peccato veniali ex parvitate materiæ contra justitiam potest per accidens oriri gravis obligatio restituendi; ut si in ultimo furtulo per accidens non advertatur ad præterita.

VII. Quoties plures ab eodem parvam materiam furantur, itaut unus advertat ad furtula aliorum, sed non sit causa moralis talis damni gravis, probabilius non tenentur ad restituendam parvam illam materiam sub gravi, nisi forte ad id ex præcepto superioris adigantur.

VIII. Ad quid tenetur, qui per negligentiam leviter culpabilem grave damnum infert? Aut qui volens leviter damnificare, casu graviter damnificat? Aut Medicus, qui ex culpa levi juridica ægrotum occidit?

IX. Levis negligentia, quæ excusat a compensando damno Depositarium, non semper excusat Commodatarium, aut Locatarium.

X. In dubio num res perierit ex culpa gravi, an levi, daturne onus restituendi?

XI. Probabiliter propter grave damnum causatum ab actione externa de se leviter damnificativa, posita cum intentione nocendi graviter, non datur onus restituendi sub gravi; Nec incurritur irregularitas, aut censura, vel reservatio propter tale delictum externe leve, sed interne grave, si verbi gratia sic aliquis occidatur.

XII. Non tenetur ad restitutionem, qui grave damnum intulit cum ignorantia antecedente; & probabiliter nec tenetur, si illud intulit cum ignorantia concomitante; secus vero si intulit cum ignorantia affectata, aut etiam crassa.

XIII. Cur teneatur ad restitutionem, qui volens comburere domum Petri inimici, per accidens comburit domum Pauli amici; & ad restitutionem probabiliter non teneatur, qui volens occidere feram, per accidens occidit inimicum, quem conditionate vellet occidere, si ibi adesset?

I. QUæritur primo, Ex quanam culpa contra justitiam oriatur obligatio restituendi, ex gravine solum, an etiam ex levi, ex theologicane tantum, (seu ex peccato contra Deum, ac legem divinam) an etiam ex culpa juridica, seu contra legem humanam?

Respondeo, certum esse primo, onus restitutionis oriri non posse ex sola culpa interna, quia hæc sine actione externa non damnificat. Quare si judex, verbi gratia, proferat sententiam injustam, & deinde deprehendat esse justam, peccavit quidem ex amore injustitiæ, sed non tenetur ad restitutionem.

Certum est secundo, culpam aliam esse Theologicam, quam considerant Theologi, utpote contra legem divinam, aliam Juridicam, quam spectant Juristæ pro foro externo, & juxta quam ferunt sententiam. Theologica est duplex, Mortalis, & Venialis; & hæc subdividitur in Venialem ex parvitate materiæ, & Venialem ex imperfecta advertentia, seu deliberatione. Culpa vero juridica, seu Civilis est triplex Lata, Levis, & Levissima. Culpa lata importat omissionem ejus diligentiæ, quam adhibere solent in similibus casibus homines ejusdem professionis diligentes, ac prudentes; Verbi gr. ut notat Sylvest. si librum commodatum reliquisti extra domum super lapide, aut in cubiculo, ostio aperto, & non custodito, & proinde sublatus est, culpam latam commisisti. Non est vero lata culpa secundum Bartol. & Bald. si verbi gratia, pecuniam deposuisti apud campsorem, qui communiter habebatur bonæ conditionis, & quia revera non erat talis, pecunia amissa est. Culpa levis importat omissionem ejus diligentiæ, quam solent adhibere diligentiores, ut si rem commodatam relinquas in cubiculo, ostio clauso, quod tamen non difficulter potest aperiri. Culpa levissima est omissio diligentiæ, quam adhibent diligentissimi, & maxime circumspecti, ut si rem commodatam serves in arca, & illam claudas, sed deinde non tentes manu, an sit bene clausa.

Datur etiam apud Juristas culpa latior, & latissima. Latior confunditur cum lata, quando scilicet omittitur moralis diligentia, unde damnum sequitur sine advertentia, aut prævisione. Latissima, ut loquitur Tambur. dicitur esse apertus dolus; ut si quis omittat, vel agat aliquid animo, ut damnum, quod prævidet, sequatur. Quod si prævideat, sed non intendat tale damnum, dicitur dolus præsumptus.

Certum est tertio, culpam, quæ in aliqua occasione, verbi gr. in aliquo contractu, vel officio est levis, posse esse in alia occasione gravem. Etenim major diligentia, verbi gratia, adhibenda est in conservando thesauro, vel vita hominis, quam in conservanda gallina; unde omissio diligentiæ, quæ in conservanda gallina est culpa levis, in conservanda vita hominis est culpa gravis; Et eodem modo major diligentia adhibenda est in custodia rei afferentis tibi utilitatem, vel lucrum, quam in custodienda alia re aliena; Proinde major debet esse diligentia in conservanda re commodata, quia con-

tractus commodati est in tui utilitatem, quam in conservando deposito; cum contractus depositi sit in bonum deponentis illud. Quod si contractus sit in utilitatem utriusque, ut est contractus locati, seu conducti, diligentia media adhibenda est, ut notat Lug. disp. 8. sect. 4. His præmissis.

II. Dico primo; ad incurrendam in foro interno obligationem restitutionis ratione injustæ acceptionis, requiritur culpa Theologica, seu peccatum in conscientia contra Deum, & contra justitiam commutativam. Ratio est, quia tota obligatio restitutionis, ut docent communiter, ex hac radice injustæ acceptionis, oritur ex delicto contra justitiam commutativam; ergo si in conscientia nullum sit delictum, nulla habetur obligatio restituendi iu foro interno: (Quicquid sit, an aliquando habeatur talis obligatio pro solo foro externo ex jure positivo) Et sane cum impossibile sit vitare semper damna inculpabiliter illata, non debet læsus esse rationabiliter invitus de tali damno; nam sicut potest illud pati; ita potest inferre: & consequenter ubi in conscientia nulla est culpa, nulla est obligatio restitutionis.

Hinc sequitur primo, quod si miles pugnet in bello putato justo, & deinde advertat bellum fuisse injustum, non debeat restituere damnum illatum, nisi ex eo factus sit ditior, aut nisi extet res accepta. Secundo, si quis cum moderamine inculpatæ tutelæ inferat alteri damnum, nec tenetur ad restitutionem. Tertio, nec tenetur, qui bona fide rem alienam consumpsit, nisi ex ea fiat ditior. Quare ubi Doctores docent, latam culpam inducere obligationem restitutionis, ideo docent, quia communiter talis culpa difficulter reperitur sine culpa Theologica. Quod si reperiatur sine hac culpa, certe obligationem restitutionis in foro conscientiæ non pariet.

III. Dico secundo. Culpa theologica contra justitiam levis, seu peccatum veniale, si sit veniale ratione parvitatis materiæ, inducit obligationem restitutionis sub veniali. Ita communiter. Ratio est, quia nisi restituatur materia illa parva, retinetur invito domino; Quodcunque autem invito domino retinetur, restitui debet; ergo datur obligatio restitutionis; quia tamen materia est levis, obligatio non potest esse sub gravi.

Dico tertio. Culpa theologica levis, seu peccatum veniale, si sit veniale ratione inadvertentiæ, vel indeliberationis, non parit in conscientia obligationem restituendi sub mortali, quantumvis damnificatio fuerit gravissima, & probabiliter nec sub veniali. Ita Less. Sanch. Sà, Tambur. contra Dicastil. lib. 2. de Justitia tract. 2. disp. 3. aliosque apud ipsum. Ratio ex Sanch. & Suar. est, quia neque promissio facta homini, neque votum factum Deo, neque juramentum, neque præceptum superioris, aut contractus inducunt obligationem ullam, ne venialem quidem, si procedant ex imperfecta deliberatione; ergo neque injusta acceptio procedens ex imperfecta deliberatione. Et ratio a priori est, quia actus indeliberatus non potest esse causa moralis perfectæ obligationis; Non enim causare potest obligationem gravem, ut patet, quia cum talis obligatio consequatur ad injustam acceptionem per modum pœnæ, si obligatio sit gravis, culpa deberet esse etiam gravis: Neque potest causare obligationem levem, (prout aliqui docent eo modo, quo sub levi obligatur ad restitutionem, qui materiam levem furatus est, quia quoties materia est gravis, apta de se parere obligationem gravem, non potest ullatenus parere obligationem levem, ut patet in voto, juramento, præceptis, contractibus, &c. Qui enim vovit, exempli gratia, castitatem cum imperfecta deliberatione, ad illam non tenetur, ne sub veniali quidem. Potest sane votum deliberate emissum in materia gravi obligare sub levi ex intentione voventis volentis sibi levem obligationem imponere, juxta nonnullorum sententiam, cum Suario, Sanch. & aliis; at si votum sit emissum cum semiplena deliberatione, quamvis sit in materia gravi, nullatenus obligat, ut ostendimus.

Hinc sequitur, non teneri ad restitutionem, Primo, qui per negligentiam venialem est causa, cur domus alterius comburatur. Secundo, famulum, qui per similem negligentiam reliquit ostium domus domini apertum, unde fures domum expilarunt. Tertio, custodes vineæ, nemoris, vectigalium, qui per levem culpam non custodiunt, ut debent, res sibi commissas. Quarto, qui subita ira permotus sine gravi culpa alium occidit.

IV. Opponitur primo contra primam conclusionem: Ex lege Aquilia (lata a Romanis ad petitionem Aquilii Reguli) qui damnum alteri intulit ex culpa juridica, obligatur ad illud resarciendum, & aliquando ad plus retribuendum. Pariter *lib.* 4. *Institut. titul.* 8. *&* 9. *&* *leg.* 1. *&* 2. *ff. De noxalib. actionib.* præcipitur, quod si servus, aut animal alicujus absque culpa domini damnum alteri intulit, teneatur actione noxali dominus vel integrum damnum resarcire, vel noxam pro noxa tradere, seu tradere animal illud, vel servum, qui damnum intulerunt; ergo etiam ex culpa juridica oritur obligatio restitutionis.

Respondeo cum communi, leges præsumere in his actionibus culpam theologicam, quæ si absit, certe in foro conscientiæ nulla erit obligatio restitutionis: hoc enim est commune omni-

omnibus legibus penalibus fundatis in praesumptione culpae, ut nihil operentur, si constet culpam non adesse, quia praesumptio cedere debet veritati, quando haec innotescit, ut bene ostendit Suar. Quod si vere culpa mortalis in conscientia praecessit, tunc tenetur resarcire damnum ad aequalitatem, & solum post sententiam judicis tenetur solvere penam taxatam a lege excedentem damnum illud: Est enim arduum, & supra humanam fragilitatem, quod ante sententiam judicis obligetur aliquis ad penam excedentem damnum illatum. Ecquis enim id faceret?

V. Ubi notandum diligenter, quod si leges sint dispositivae, & non mere praesumptivae, v. gr. si statuatur, ut bos, vel servus Titii, qui intulit Petro damnum unius aurei, detur Petro; in tali casu si vere damnum illatum sit a bove, vel servo, etiamsi sine culpa Titii domini, adhuc obligatur in conscientia Titius ad dandum bovem, vel servum Petro post sententiam judicis, non quidem ex capite restitutionis, quae tantum exigit compensationem damni ad aequalitatem, sed quia posita sententia judicis transfertur in Petrum dominium bovis, vel servi; lex enim potest in bonum commune disponere, ut in similibus casibus dominium rei in alterum transferatur, ad hoc ut dominus majori cura incumbat in sua animalia, vel servos, ne aliis damnum inferant: Contra vero, quando leges sunt mere praesumptivae, quae scilicet praesumunt damnum aliquod intercessisse, tunc si damnum revera non intercessit, v. gr. si bos, vel servus vere damnum non intulit Petro, non datur obligatio dandi ipsum Petro, ne post sententiam quidem judicis, quia talis sententia fundatur in praesumptione, quod bos damnificaverit; quia tamen praesumptio cedere debet veritati, ideo si revera damnum non est illatum, non adest obligatio in conscientia dandi bovem Petro, atque adeo si per vim Petro bos tradatur, potest per occultam compensationem reassumi.

VI. Opponitur secundo contra secundam conclusionem: Si post furta minuta addatur ultimum, per quod pervenitur ad summam gravem, oritur obligatio gravis restituendi; Et tamen etiam ultimum furtulum fuit peccatum veniale ex parvitate materiae; ergo ex veniali ratione parvitatis materiae potest oriri gravis obligatio restituendi.

Respondeo cum Lug. & Tamb. quod vel ultimum furtulum fuit cum advertentia ad furtula praeterita, vel non; si primum, jam ultimum furtulum fuit peccatum mortale, quia fuit cum voluntate damnificandi graviter, ut communiter docent contra Navar. apud Tamb. lib. 8. cap. 2. tract. 2. unde nil mirum, quod ex eo orta sit gravis obligatio restitutionis. Si secundum, tunc obligatio gravis restitutionis non oritur ex injusta acceptione, seu ex peccato veniali contra justitiam, sed ex re accepta, seu ex retentione notabilis summae.

Dubium majus est, si consumpseris ea, quae per furtula rapuisti, tunc enim posito illo ultimo furtulo, datur obligatio gravis restitutionis; cum opposita sententia damnata sit ab Innoc. XI. in thesi 38. quae habet: *Non tenetur quis sub pena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furtula, quantumcumque sit magna summa totalis*; Et tamen obligatio restitutionis non potest oriri ex re accepta, cum non retineatur summa notabilis; ergo oritur ex injusta acceptione, quae nunquam excessit peccatum veniale, eo quod ultimum furtulum fuit sine advertentia ad furtula praeterita.

Respondeo cum Tamb. & aliis, in tali casu oriri obligationem gravem restituendi ex veniali per accidens, quia scilicet in commissione ultimi furtuli per accidens non advertitur ad praeterita; sicut etiam per accidens potest aliquis graviter obligari ad restitutionem ratione injustae acceptionis, etiamsi nulla praecesserit culpa, ut diximus art. 3. num. 7. cum Lug. quando scilicet aliquis inculpabiliter alium infamavit, & deinde ad id advertit; tenetur enim sub gravi famam restituere, non quia peccavit graviter, sed ne peccet graviter contra justitiam. Et ratio ex Lugo a priori est, quia qui singulis vicibus furatur, v. gr. carolenum, contrahit obligationem sub levi restituendi carolenum; ergo qui quinquies furatus est carolenum, tenetur restituere quinque carolenos, quae supponitur materia gravis, & ideo sub mortali tenetur hanc summam restituere, quando advertit ad quinque furtula praeterita.

VII. Opponitur ultimo: Quoties multi sine ulla conspiratione modicum quid ab eodem furantur, peccatum singulorum est veniale, si tamen advertant damnum illatum ab omnibus esse grave, unusquisque sub mortali tenetur restituere particulam suam, quam furatus est, alioquin illud damnum reparari non posset; ergo recurrit, quod ex injusta acceptione veniali possit oriri gravis obligatio restituendi.

Respondeo, certum esse, quod si multi conspirent in hujusmodi furtula, peccent mortaliter, si vero non conspirent, nec unus advertat ad furtulum alterius, solum venialiter peccent, nec teneantur ad restitutionem sub mortali. Dubium solum est, an peccent mortaliter, & ad restitutionem sub gravi teneantur, si non conspirent, nec unus suo exemplo sit causa moralis furtuli alterius, sed tamen advertant ad furtula aliorum. Nonnulli cum Suar. Hurtad. apud Tamb. lib. 8. tract. 2. cap. 3. docent, istos peccare mortaliter, & contrahere excommnnicationem latam contra furantes, quia quilibet eorum videtur esse causa damni notabilis, quod praevidit,

dit, & non cavit; unde in hac ſententia ex culpa mortali contra juſtitiam quilibet teneretur ad reſtituendam particulam ſuam, quam furatus eſt. Alii tamen cum Sanch. lib. 7. cap. 21. Dicaſtil. Sot. probabilius docent, quemlibet peccare ſolum venialiter, atque adeo non contrahere excommunicationem latam contra furantes, quia unus non fuit cauſa furti alterius, quamvis ad aliorum furtula adverterit. Et in hac ſententia non datur obligatio gravis reſtituendi particulam furto ſublatam, niſi quando imponeretur a ſuperiore præceptum grave ſub excommunicatione, ut quilibet reſtituat: Datur enim gravis cauſa imponendi tale præceptum ad hoc, ut reparetur damnum notabile damnificati; & ſic obligatio reſtituendi non oriretur ex culpa veniali, ſed ex præcepto ſuperioris, vi cujus reparari poſſet damnum grave damnificati, ut dicemus etiam quæſt. 3. art. 6. num. 7. Præterquamquod quilibet ſub veniali independenter a præcepto teneretur ad reſtitutionem.

VIII. Ex dictis ſequitur primo, non ſolum non obligari ad reſtitutionem ullam, qui caſu fortuito intulit damnum grave, ut qui putans occidere feram, inculpabiliter occidit hominem; ſed neque ad reſtitutionem teneri, qui per negligentiam leviter culpabilem tale damnum intulit; ut communius docent cum Leſſ. cap. 7. dub. 9. Navar. & aliis contra Rebel. & Bonac. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 3. Ubi docet, quod occidens aliquem ex vehementi paſſione cum ſemiplena advertentia, & comburens domum alterius ex culpa ſolum veniali teneatur ad aliquam reſtitutionem, verbi gratia, ad centeſimam partem damni illati, ſi peccatum veniale fuerit admodum leve, vel ad decimam partem, ſi fuerit grave, & ad dimidiam partem, ſi dubitetur, an culpa fuerit mortalis, vel venialis, itaut graviter ad hanc reſtitutionem obligetur, ſi materia ſit gravis.

Sequitur ſecundo, quod ſi quis volens leviter damnificare, incendat arborem, verbi gratia; & deinde caſu ſequatur incendium totius domus, non teneatur reſarcire, niſi illud parvum damnum, quod voluit inferre, idque ſub veniali tantum, dummodo omnino caſu magnum damnum illatum fuerit, & conſequenter præmiſſa fuerit debita diligentia, ne ſequeretur, ut aperte docet Lug. diſp. 18. ſect. 4. & Tamb. lib. 6. cap. 4. §. 2. Quod ſi præmiſſa non fuerit talis diligentia, tenetur integrum damnum reſarcire; quia qui vult cauſam proximam, & periculum damni, cenſetur velle damnum ipſum. Ubi notandum, majorem requiri diligentiam ad præcavendum damnum grave in eo, qui vult inferre damnum leve, quam in alio, qui ſine intentione nocendi inconſiderate, verbi gratia, tractat ignem, & domus comburitur.

Sequitur ultimo, Medicum non teneri ad reſtitutionem, ſi ex culpa veniali ægrotum occidat, etiamſi teneatur ex juſtitia illum curare. Ubi diligenter advertendum, multos Doctores docere, quod medicus, qui ex charitate alteri medetur, non teneatur ad reſtitutionem, niſi ex culpa lata: Contra vero teneatur ad reſtitutionem etiam ex culpa juridica levi, ſi medeatur ex juſtitia, eo quod pretium accipiat. Ratio hujus eſt, quia ſi medeatur ex juſtitia, ad majorem diligentiam obligatur in conſcientia, quam ſi medeatur ex charitate; & ideo ſolum tenetur ad reſtitutionem ex culpa lata juridica, quando medetur ex charitate, quia tunc ſolum peccat mortaliter; At quando medetur ex juſtitia, tenetur ad reſtitutionem etiam ex culpa juridica levi, quia talis culpa eſt peccatum mortale: Quod ſi revera non ſit peccatum mortale in conſcientia, eo quod non advertat ad gravem obligationem, quam habet medicus adhibendi illam majorem diligentiam, in conſcientia non tenetur ad reſtitutionem, ſi occidat ægrotum.

IX. Eadem doctrina recurrit in contractibus; cum enim majorem diligentiam adhibere debeat ad rem conſervandam commodatarius, verbi gratia, quam depoſitarius, ideo omiſſio illius diligentiæ, quæ in depoſitario eſt culpa venialis, in commodatario poteſt eſſe mortalis; Et propter hanc rationem communius docent, quod commodatarius, aut locatarius teneatur ad reſtitutionem ex culpa levi juridica, immo etiam ex leviſſima, quando contractus eſt in utilitatem ſolius commodatarii; Depoſitarius vero ſolum teneatur ex culpa lata, niſi recipiat mercedem pro cuſtodia; Nec mirum; quia ſolum in tali caſu committi ſolet peccatum mortale; Unde ſemper verum eſt, obligationem reſtitutionis non oriri niſi ex peccato mortali contra juſtitiam.

X. Quæritur ſecundo, An detur obligatio reſtituendi, quando dubium eſt, num culpa commiſſa fuerit mortalis, an venialis?

Reſpondeo, Bonac. loc. cit. putare in tali caſu dari obligationem reſtituendi dimidiam partem, aut pro ratione dubii, quia ſic videtur dictare recta ratio. Lug. tamen, & alii apud Tamb. lib. 1. c. 3. §. 3. V. *Depoſitum* docent, in tali caſu nullam dari obligationem reſtituendi; quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, nec dari debet pœna certa pro culpa dubia. Unde ad reſtitutionem non tenetur Medicus, ſi ſine gravi negligentia occidat ægrotum; Nec Viator, ſi equus locatus pereat ſine gravi ſua culpa. Quod ſi certus ſis te graviter peccaſſe, incertus tamen, an per tuam actionem peccaminoſam influxeris ad grave damnum alterius, verbi gratia per tuum conſilium, aſſociationem, &c. Sanch. lib. 2. de Matrim. diſput. 41. cum aliis putat,

putat, quod tenearis restituere, quia præsumendum est te cooperasse ad damnum illud, quod consequi solet ad similem culpam; Probabilius tamen existimo cum Rebell. Sayr. Tambur. quod tunc ad restitutionem tenearis, quando spectatis omnibus motaliter certum est, quod influxeris, non vero quando adhuc dubitas, quia in dubio possidet libertas.

In contractibus vero Sayr. l. 10. tract. 3. docet, quod si dubium sit, an res perierit ex culpa gravi, vel levi, decidendum sit dubium contra illum, in cujus favorem est contractus; v. gr. si Depositarius dubitet, dicendum quod res perierit ex culpa levi, unde non teneatur ad restitutionem, quia depositum est in utilitatem deponentis: Econtra si dubitet Commodatarius, dicendum, quod res perierit ex culpa gravi; unde ad restitutionem teneatur, quia contractus est in utilitatem commodatarii. Quod si contractus sit in utilitatem utriusque, ut est contractus pignoris, locationis, &c. declinandum est in favorem domini; v. gr. si dubitetur, an pignus perierit ex gravi culpa illud conservantis, juxta hanc opinionem dicendum, quod ex culpa gravi perierit, & ideo ad restitutionem ille teneatur.

XI. Quæritur tertio, An teneatur ad restitutionem, qui levem culpam externam commisit contra justitiam, sed cum intentione nocendi graviter; Verbi gr. qui ab avaro furatur carolenum, eo tamen animo, ut forte ex mœrore amissæ pecuniæ conficiatur; Aut Judex, ex odio gravi damnat reum, peccando tantum venialiter in adhibenda diligentia, ne injuste damnetur; Vel qui ponit venenum in loco remotissimo a convictu hominum, eo tamen animo, ut si forte inimicus illud sumat, interficiatur: Idem quæritur de servo, qui surripit aliquid leve a suo domino hac intentione, ut ille ejus conservo irascatur, aut verberet illum: Similiter si aliquis adolescens proferat aliquod verbum otiosum, leve, & indifferens eo animo, ut mulier, quæ illud audit, consentiat in adulterium.

Respondeo De Lug. disp. 8. sect. 6. aliosque putare, quod isti omnes ad restitutionem teneantur, & secuta morte irregularitatem incurrant. Verius tamen puto cum Less. c. 9. dub. 16. Sanch. & aliis apud Tambur. l. 8. tract. 4. cap. 2. quod ad restitutionem non teneantur; quia actio interna contra justitiam gravis de se non parit obligationem restitutionis; v. gr. si quis cupiat occisionem inimici; ergo requiritur actio externa; atqui actio externa levis, quæ sit de se peccatum veniale, seu quæ fere semper conjungitur cum culpa veniali, non parit obligationem restitutionis; ergo actio damnificativa externe levis, & interne gravis non obligat ad restitutionem. Probatur minor subsumpta, quia non datur onus restitutionis, nisi quando actio de se est causa damni gravis, non vero quando per accidens; aliter etiam quando fortuito quis alium occidit, teneretur ad restitutionem; sed actio damnificativa externe levis non est de se causa damni gravis; ergo non parit onus restitutionis, quantumcunque conjungatur cum culpa gravi: Immo contra Tambur. loc. cit. puto, quod nec pariat irregularitatem, si ex ea homicidium sequatur, propter eandem rationem; quamvis enim potuerit Ecclesia decernere in tali casu irregularitatem, dicendum tamen, quod de facto non decreverit, quia nullam pœnam imponit Ecclesia propter culpam mere internam; nec de facto imponit pœnam gravem (qualis est irregularitas) propter culpam externam non gravem; aliter pœna non esset proportionata culpæ, propter quam imponitur; Unde etiam fit, quod si homicidium esset casus reservatus cum censura, in tali casu nec reservatio, nec censura incurreretur, nisi expresse illum casum superior sub censura sibi reservasset.

Dices cum Tambur. Tale homicidium procedit ab actione peccaminosa libera, & voluntaria; ergo non est cur non pariat irregularitatem.

Respondeo, distinguo antecedens, procedit per accidens, concedo; per se, nego antecedens, & consequentiam. Dicitur autem procedere per accidens, quia talis actio non est apta nata de se parere homicidium, eo quod raro homicidium cum illa conjungatur.

XII Quæritur ultimo, An teneatur ad restitutionem, qui graviter proximum damnificavit cum ignorantia crassa, seu affectata, vel antecedente, aut concomitante?

Respondeo, & dico primo, teneri ad restitutionem, sive ignorantia fuerit affectata, (quam scilicet aliquis positive vult habere, v. gr. qui non vult interrogare, num res aliena, quam projicit, sit gemma, an vitrum) sive ignorantia sit crassa, (quam scilicet habent homines crassi, & supini, qui ex torpore non inquirunt, quid agere debeant) Ratio est, quia utraque hæc ignorantia non tollit voluntarium, & peccatum, ut dicemus cum de Censuris in genere. Quare si quis cum hujusmodi ignorantia projicit, verbi gratia, gemmam putans esse vitrum, vel occidit hominem putans esse feram, tenetur ad restitutionem; quia ignorantia isthæc est culpabiliter volita, atque adeo culpabiliter etiam volitum est in sua causa damnum, quod sequitur. Ita communiter.

Dico secundo, non teneri ad restitutionem, si ignorantia fuerit antecedens. Dicitur autem a Theologis ignorantia antecedens illa ignorantia invincibilis, cum qua ita ponitur opus malum, ut non poneretur, si cognosceretur esse malum; Verbi gratia, si quis occidat hominem

minem putatum invincibiliter esse feram, eò tamen animo, ut si cognosceret, quod sit homo, non occideret; aut si projiciatur gemma alterius putata invincibiliter vitrum. Ratio est clara, quia in tali damnificatione nulla intervenit culpa; cum supponatur talis ignorantia esse invincibilis, & inculpabilis; ergo non debet ad illam consequi in pœnam onus restitutionis.

Dico ultimo cum Less. Bonac. Navar. Tambur. l. 6. c. 4. tract. 3. probabiliter nec teneri ad restitutionem, si ignorantia fuerit concomitans. Dicitur autem ignorantia concomitans illa ignorantia invincibilis, per quam ita fit opus putatum bonum, ut etiam si cognosceretur esse malum, adhuc fieret: Verbi gr. si adhibeatur omnis diligentia, ne inter venandum occidatur homo, & tamen ita projiciatur sagitta in feram, ut adhuc si cognosceretur ibi esse hominem, sagitta projiceretur.

Ratio conclusionis est, quia in tali casu duo habentur; voluntas prava conditionata occidendi hominem, si adverteretur ibi adesse, & ipsa actio externa projectiva sagittæ procedens a voluntate absoluta occidendi feram, dum invincibiliter ignoratur, ibi adesse hominem; atqui obligatio restitutionis neque oritur ex voluntate illa prava conditionata secundum se spectata, ut est certum, (sicuti neque ulla contrahitur censura, vel irregularitas, ut ostendemus cum de Censuris in genere) neque oritur ex actione exteriori damnificativa; nam quamvis talis actio exterior sit occisiva hominis, & conjungatur cum peccato mortali interno, tamen hujusmodi actio, prout est occisiva hominis, non est absolute voluntaria; quomodo enim potest esse absolute voluntarium tale homicidium, si invincibiliter ignoratur ibi esse hominem? Nihil certe volitum, quin præcognitum. Quod si ea actio, prout est damnificativa, non est voluntaria, nec est culpabilis, & consequenter non debetur illi in pœnam onus restitutionis.

Confirmatur, quia talis actio exterior occisiva hominis non oritur a voluntate absoluta occidendi hominem, quia talis voluntas non datur; neque oritur a voluntate conditionata prava occidendi hominem, si ibi adesset, quia voluntas mere conditionata nihil ponit absolute; ergo simpliciter talis actio exterior orta ex ignorantia concomitante, prout est damnificativa, non est voluntaria neque in se, neque in causa, & consequenter non est culpabilis, nec parit onus restitutionis, neque ex illa contrahitur irregularitas, aut censura.

Hinc colligi potest, quandonam ebrius, vel dormiens teneatur restituere damna in ebrietate, vel somno forte secuta; si enim prævidit aliquo modo damnum probabiliter futurum, tenebitur ad restitutionem; quia tunc illud damnum dicitur esse voluntarium saltem in causa, & imputatur ad peccatum, eo quod non sit invincibiliter ignoratum; Si vero nullo pacto id prævidit, non tenebitur restituere, quia tunc damnum est involuntarium, utpote invincibiliter ignoratum.

XIII. Opponitur; Qui volens comburere domum Petri inimici, comburit domum Caji amici, tenetur ad restitutionem; sicuti etiam qui volens occidere Petrum inimicum, præter intentionem occidit Cajum amicum; ergo etiam qui volens occidere feram eo animo, ut si ibi esset inimicus, vellet illnm occidere, tenebitur ad restitutionem, si forte sequatur occisio inimici non directe intenta.

Respondeo, concessa prima parte antecedentis, & transmissa secunda, nego consequentiam. Disparitas est, quia in primis casibus illa damnificatio externa oritur a voluntate absoluta damnificandi. Nam absolute intenditur damnificatio Petri inimici, quamvis per accidens damnificetur Cajus amicus: Econtra in ultimo casu damnificatio non oritur a voluntate illa conditionata damnificandi; cum enim sit conditionata, nihil causare potest absolute; quare cum actio illa exterior, quatenus damnificativa, non sit voluntaria, non est culpabilis, & consequenter non causat onus restitutionis. Propter hanc rationem communius docent apud Dian. part. 9. tract. 9. resol. 31. contra Fragos. & alios, quod qui volens occidere Petrum Clericum, occidit Cajum etiam Clericum, contrahat irregularitatem, & excommunicationem, quia vere homicidium Clerici fuit voluntarium causatum a voluntate absoluta occidendi Clericum, quamvis per accidens loco Petri occisus sit Cajus.

Dixi tamen, transmissa secunda parte antecedentis; quia Lugo sect. 13. disp. 17. Fagund. Tambur. l. 6. c. 4. & alii apud Dian. part. 9. tract. 4. resol. 31. quamvis concedant, quod in primo casu teneatur ad restitutionem, qui volens comburere domum Petri, comburit domum Caji, negant tamen, quod ad restitutionem teneatur in secundo casu, qui volens occidere Petrum inimicum, occidit Cajum amicum. Et assignant disparitatem, quia in casu de homicidio error est circa substantiam actionis, siquidem non intenditur occisio hujus hominis, videlicet Caji: Econtra in casu de incendio error non est circa substantiam, sed circa circumstantiam actionis; nam vere intenditur incendium hujus domus, & solum erratur circa dominium illius; putatur enim, quod sit Petri inimici, cum sit Caji amici; quare cum incendium hujus domus sit voluntarium, parit onus restitutionis, & cum homicidium Caji sit involun-

luntarium, non parit onus restitutionis, nec parit irregularitatem, aut excommunicationem, si Cajus esset Clericus. Quia tamen non est admodum delinquentibus indulgendum, ideo in praxi amplectenda libentius est opinio communior Bonac. & aliorum dicentium in utroque casu dari onus restitutionis, & per homicidium Clerici amici loco inimici contrahi irregularitatem, & excommunicationem.

ARTICULUS V.

Quomodo se gerat Confessarius cum obligato ad restituendum?

I. Nequit citra sacrilegium absolvi, qui non vult restituere statim totum, quod potest.

II. Num possit permitti dilatio restitutionis ob lucrum, quod a debitore speratur sine damno creditoris? Debet quidem hac in re Confessarius accommodare se opinioni probabili pœnitentis.

III. Debitor volens restituere, dum est in articulo mortis, non potest hæredibus committere, ut restituant, si potest tunc ipse restituere.

IV. Restitutio facienda est a pœnitente, antequam accedat ad Sacramentum Pœnitentiæ. Quod si ea non possit fieri, nisi post aliquod tempus, non est deneganda absolutio.

V. In Jure solum pro foro externo præcipitur, ut non impendatur absolutio a censuris non præmissa satisfactione.

VI. Qui promisit restituere statim, & non stetit promissis, non est de facili iterato absolvendus, multo minus tertia, aut quarta vice.

VII. Tenetur ipse Confessarius restituere, si positive deobligavit culpabiliter pœnitentem a restituendo. Quod si culpabiliter solum omiserit illum monere, & Confessarius sit Parochus, qui ex officio tenetur confessiones audire, adhuc ipse probabilius tenetur restituere. Et probabiliter etiam alii Confessarii.

VIII. Parochus, si non moneat pœnitentem de restitutione facienda, ad restituendum ipse obligabitur ex levi culpa juridica; Alii vero Confessarii solum ex culpa lata.

I. Quæritur primo, An possit absolvi, qui non vult statim restituere, quod potest?

Respondeo negative. Immo si absolutio impendatur, est nulla, & committitur sacrilegium, nisi bona fides excuset. Ratio est, tum quia ex Reg. juris in 6. *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum;* tum etiam quia qui retinet rem alienam invito domino, actualiter peccat; sed qui actualiter peccat non est absolvendus, & committitur sacrilegium, si absolvatur; ergo &c.

Hinc sequitur primo, non posse absolvi qui qui non vult statim ac commode potest restituere totum debitum, sed solum partem, (nisi pars, quæ remanet, sit levis,) etenim velle retinere partem notabilem rei alienæ invito domino, est pariter actuale peccatum mortale.

II. Sequitur secundo, nec posse absolvi, qui vult aut restituere per partes, aut post aliquod tempus, cum possit commode statim restituere totum. Et ratio est eadem. Et quamvis Hostiens. putet posse aliquam dilationem permitti, quando creditor ex dilatione nihil detrimenti est passurus, & debitor ideo differt, quia ex dilatione sperat magnum aliquod emolumentum, quin exponat se periculo non amplius restituendi; Nihilominus communiter Doctores docent, restitutionem faciendam esse statim, juxta dicenda quæst. 4. art. 3. quia creditor regulariter est rationabiliter invitus talis dilationis factæ ex eo præcise capite, quod debitor speret emolumentum ex re aliena. In eo dumtaxat casu Sotus putat permitti posse restitutionem fieri per partes, quando scilicet debitor credit se aut non posse, aut non teneri ad totum simul restituendum. Quod si hanc credulitatem habeat, debet solum Confessarius illum advertere, ne animam suam decipiat; nisi forte Confessario evidenter constaret impossibilitatem illam esse inanem, & apparentem; tunc enim non debet illum absolvere. Quod si ex opinione probabili pœnitens putet hic, & nunc se non teneri, debet Confessarius accommodare se opinioni Pœnitentis, si vere talis opinio sit probabilis, quamvis ipse contrariam sententiam sequatur. Ratio est, quia quando pœnitens est rite dispositus, debet absolvi; Est autem rite dispositus, si opinionem probabilem sequatur, quod non debeat restituere; ergo tunc absolvi debet.

III. Sequitur tertio, nec posse absolvi, qui vult differre restitutionem ad articulum mortis; aut si existens in articulo mortis, & potens commode per se ipsum restituere, mandet hæredibus, ut restituant: Nisi forte aliquando certo credatur id melius ab hæredibus faciendum, (quod tamen raro accidit) vel nisi restitutio in illo articulo facta pariat aliquod scandalum, aut periculum manifestandi delictum moribundi.

IV. Quæritur secundo, An, & quoties possit absolvi, qui promittit Confessario statim restituere, & deinde non restituit?

Respondeo, certum esse, quod impotens restituere absolvi debeat, si doleat de peccato, & proponat restituere, cum commode poterit. Qui tamen restituere poterit statim, profecto debuisset restituere, antequam ad pedes Confessarii accederet, quia quælibet dilatio restitutionis, invito rationabiliter domino, est peccatum a-

ctuale; qui autem accedit ad ſacramentum Pœnitentiæ, debet accedere immunis a quolibet peccato actuali. Quod ſi non advertens ad hanc obligationem non differendi amplius reſtitutionem, accedat ad Confeſſarium, doleat ex corde, & promittat ſtatim poſt confeſſionem ſe reſtituturum, prima vice eſt abſolvendus; niſi prudenter timeatur, aut quod non habeat verum propoſitum, aut quod non ſit reſtituturus; unde melius ſit illum dimittere, ut prius reſtituat, ſi reſtitutio ſtatim fieri poteſt, & deinde ad abſolutionem accedat: Si vero reſtitutio non poteſt fieri, niſi poſt longum tempus, non debet ſine abſolutione dimitti, quando habet verum propoſitum: Et hæc eſt praxis Eccleſiæ; tum quia ſperatur illum facilius reſtituturum poſt gratiam abſolutionis; tum etiam quia aliter exponitur periculo, quod non redeat ad Sacramentum Pœnitentiæ, & ſic privetur magno fructu ſpirituali.

V. Neque obſtat, quod Trident. ſeſſ. 25. cap. 12. præcipiat, ne abſolvantur non ſolventes, aut impedientes decimarum Eccleſiis debitarum ſolutionem, niſi plena reſtitutione ſecuta. Nam Trident. loquitur de abſolutione a cenſura in foro externo ob tale delictum inflicta; in hoc enim, & ſimilibus caſibus, in quibus ſcandalum oriretur, ſi delinquentes ante reſtitutionem ad Sacramenta reciperentur, præmitti debet reſtitutio. Et ideo in cap. *Quia*, *De Uſuris*, prohibentur admitti ad communionem altaris uſurarii manifeſti, niſi prius reſtituant, aut idoneam dent cautionem de reſtituendo.

VI. Qui tamen ſemel abſolutus cum promiſſione ſtatim reſtituendi, deinde non reſtituit, non eſt facile iterum abſolvendus ante realem reſtitutionem, ſed cum eo agendum, ſicut cum eo, qui promiſit dimittere, verbi gratia, concubinam, ac vitare occaſionem peccati, & deinde non vitavit. Si tamen iterum appareat magnus dolor, & firmius propoſitum, poteſt ſecunda vice benigne abſolvi, ex Navar. Paludan. & aliis contra Cajet. Antonin. Armil.: Immo nonnulli etiam concedunt cum Valent. Ledeſm. Sayr. Nav. contra communiorem, quod poſſit etiam tertia vice, & aliquando adhuc quarta abſolvi, memores fragilitatis humanæ; eæ enim poſſunt circumſtantiæ concurrere, & ſigna doloris apparere, ut non videatur pœnitens hic & nunc indignus abſolutione, quamvis alias in propoſito defecerit.

In praxi tamen rariſſime hac doctrina utendum eſt, quia niſi reſtituat priuſquam iterum ad Sacramentum accedat, qui alias in propoſito defecit, impoſſibile moraliter eſt, quod habeat verum propoſitum reſtituendi ſtatim poſt confeſſionem; Sicut dicitur de concubinario, niſi prius concubinam dimittat: Reſtitutio enim, & concubinæ dimiſſio præcedere debent Sacramentum; quod ſi prima, & ſecunda vice per accidens non præcedant, difficillimum eſt, quod tertia vice habeatur verum propoſitum reſtituendi, quin præceſſerit reſtitutio. Quare blaſphemare, & alia hujuſmodi peccata, quæ dependent a fragilitate humana, & in ſubito impetu, & caloris æſtu committuntur, fieri poſſunt ſæpe poſt verum propoſitum non relabendi, & ideo poſſunt ſæpius abſolvi, qui in hæc peccata ſæpius relabuntur, non tamen qui non reſtituit, aut concubinam non dimittit, cum hujuſmodi peccata non ex fervoris æſtu, ſed veluti conſulto committantur.

VII. Quæritur tertio, An Confeſſarius non obligans Pœnitentem ad reſtitutionem, ut debet, teneatur ipſe reſtituere?

Reſpondeo, certum eſſe, quod teneatur, ſi mala fide poſitive illum deobliget; Si vero ſolum omittat monere pœnitentem de obligatione reſtituendi, quando ſperatur fructus, ſive non moneat ex malitia, eo quod directe intendat, ne pœnitens reſtituat, ſive ex ignorantia craſſa, ſeu ex negligentia, & lata culpa, probabile eſt ex Valent. & Bonac. diſp. 1. quæſt. 2. punct. 2. quod non teneatur ipſe reſtituere, quamvis Confeſſarius ſit Parochus, qui ex officio, & juſtitia teneatur inſtruere pœnitentem. Ratio eſt, quia non tenetur ex juſtitia curare bonum temporale creditoris, ſed ſolum bonum ſpirituale pœnitentis.

Sed communior, & probabilior ſententia Roſel. Navar. Sayr. & aliorum docet, quod ad reſtitutionem teneatur ipſe Confeſſarius, etiam quando omittit mala fide monere pœnitentem de obligatione reſtituendi, ſi Confeſſarius ſit Parochus, qui ex juſtitia tenetur confeſſiones audire. Ratio eſt, quia hujuſmodi Confeſſarius, (ſicut etiam quicumque ex proprio munere confeſſiones audit) utpote medicus ſpiritualis, tenetur ex juſtitia curare morbos peccatorum; inter quos præcipuus eſt damnificatio injuſta proximi: ergo ſi hoc non faciat, tenetur reſtituere damnum ex tali omiſſione ſecutum.

Nec refert, quod tale damnum non veniat in pœnitentem, cui per ſe eſt obligatus ex juſtitia, ſed in creditorem, cui tantum eſt obligatus ex charitate. Nam, ut bene notat Petrus Navar. cum Sayr. ex intentione fidelium aſſignantium decimas Eccleſiæ, immo etiam ex intentione Eccleſiæ committentis Sacerdotibus officium Confeſſarii, illud non datur ſolum ad ſalutem animæ pœnitentis, ſed etiam quod curam habeat, quantum fieri poteſt in illo judiciario foro ſpirituali, damnorum Reipublicæ, & injuriarum vitandarum, unde ad reſtitutionem tenetur, ſi hanc curam non habeat: Sicut judex ſi liberet bannitum, quem ſcit probabiliter facturum multa alia damna, tenetur ad reſtitutionem

nem damnorum, quia in foro contentioso officium habet non solum puniendi delicta, sed etiam procurandi, ne ex delictis impunitis alteri damnum sequatur.

VIII. Præterea quamvis confessarius non teneretur ex officio immediate, & directe curare bonum temporale creditoris, tenetur tamen mediate, & indirecte, quatenus tenetur efficere, quantum in se est, ne pœnitens alios damnificet; quod satis est ad incurrendam obligationem restituendi damnum secutum ex omissione monitionis; quia satis est, ut ipse peccet contra justitiam; Illud enim damnum non aliter ad culpam Confessario imputaretur, nisi quia hic non facit, quod debet facere ex officio; hoc autem est peccare contra justitiam: Sicuti quamvis quilibet solum ex charitate, non ex justitia teneatur vitare damnum proximi; nihilominus, si illud inferatur a filio, vel servo, vel animali Titii culpa sua, tenetur Titius ad restitutionem; quia ex officio, & justitia tenetur immediate, & directe curare, ne filius, servus, vel animal damnum faciant, & mediate, ne alii damnum patiantur. Quare tam Episcopus, Parochus, aut Curatus, qui exercent munus confessarii cum stipendio, quam alii, qui sine stipendio confessiones audiunt, tenentur in casu adducto ad restitutionem; cum hoc solum discrimine, ex Sylvest. apud Suar. de Pœnit. disp. 32. quod illi, qui stipendium accipiunt, cum exerceant officium etiam in utilitatem propriam, tenentur ad restitutionem, etiam quando ex levi juridica culpa omittunt obligare pœnitentem: alii vero qui exercent munus præcise in bonum pœnitentis, tenentur solum de culpa lata, prout explicavimus articulo superiori.

QUÆSTIO II.

De Persona restituente.

PRima circumstantia restitutionis est, *Quis*; proinde spectata jam substantia, seu essentia restitutionis, descendimus ad considerandam personam, quæ restituere debet, quod duplici quæstione conficiemus; in hac enim tantum examinabimus Primo, Quisnam restituere teneatur ex injusta acceptione? Secundo, Quis teneatur ex re accepta? Tertio, Quid restituere teneatur possessor male fidei? Quarto, Quid possessor bonæ fidei? Quinto, Quid possessor dubiæ fidei? In sequenti vero quæstione inquiremus, quid restituere teneantur cooperantes ad damnum alterius.

ARTICULUS PRIMUS.

Quisnam teneatur restituere ex injusta acceptione?

I. *Ad restitutionem tenetur tam qui rem alienam sine justo titulo habet, quam qui damnum alteri injuste intulit; quod multipliciter contingere potest.*

II. *Recensentur præcipuæ actiones injustæ, quæ pariunt onus restitutionis.*

III. *Pretium simoniace acceptum restituendum est Ecclesiæ, vel probabiliter ipsi danti. Sic pariter eleemosynæ magnæ erogatæ fingenti paupertatem restituendæ sunt vel danti, vel aliis pauperibus. Munera pariter, quæ dantur Judici pro ferenda sententia justa.*

IV. *Qui aliquid a pupillo per contractum onerosum acquisivit, num teneatur jure naturæ illud restituere?*

V. *Qui alium impedit a consecutione boni debiti ex justitia, ad restitutionem tenetur; Sicut etiam si quis malis artibus illum impediat ab alterius boni consecutione.*

VI. *Quid si quis impediat alicui consecutionem officii publici, aut Beneficii, aut quod ex ærariis pnblicis debetur pauperibus?*

VII. *Divertens fluvium cum alterius damno tunc ad restitutionem tenetur, quando id non facit ob propriam utilitatem, sed in damnum proximi. At non tenetur ad restitutionem, si bonis artibus impediat pauperi eleemosynam ex odio erga illum.*

VIII. *Qui malis artibus impedit ne fiscus acquirat jus ad pœnam pecuniariam, non tenetur ad restitutionem.*

I. CErtum est universim, omnem, & solum illum teneri ad restitutionem, qui est causa damni alterius contra justitiam, vel quia rem alienam sine justo titulo habet, vel quia alteri damnum intulit sive verbis, sive factis, sive positive, puta aliquid auferendo, vel destruendo, sive negative, hoc est injuste impediendo alterius bonum; sive immediate, hoc est per seipsum, sive mediate, hoc est cooperando per alios, jubendo, consulendo, adulando, receptando, participando, non clamando, non obstando, non manifestando. Ratio doctrinæ est, quia duplex est radix restitutionis, ut supra ostendimus, ex Re accepta, & ex Injusta acceptione; ergo qui rem alienam sine justo titulo habet, & sic est causa damni alterius, tenetur ex re accepta: qui vero damnum alteri intulit contra jus illius omnibus modis prædictis, tenetur ex injusta acceptione. Hic quærimus de resti-

restitutione facienda ex injusta acceptione: In sequenti vero articulo de facienda ob rem acceptam.

II. Quæritur nunc primo; Quænam sint præcipuæ injustæ actiones, ex quibus oritur obligatio restituendi?

Respondeo, esse furtum, seu acceptionem injustam rei alienæ, homicidium, bellum injustum, stuprum, adulterium, detractionem, & omnes alias offensiones in bonis vitæ, honoris, fortunæ, & famæ. Præterea oritur etiam obligatio restituendi ex injusta acceptione, quando res aliena accipitur sine justo titulo, ut est acceptio usurarum, pretii simoniaci, eleemosynæ titulo paupertatis fictæ: Acceptio etiam rei alienæ per contractum iniquum: ut si res vendatur pretio injusto, aut si quis contrahat cum pueris, cum religiosis, cum servis, qui non habent dominium rerum. Est etiam actio injusta impedire malis artibus, videlicet vi, vel fraude, mendaciis, dolo, ne aliquis bonum aliquod consequatur, ad quod jus non habet, verbi gratia eleemosynam, hæreditatem, &c. Secus vero si precibus, vel bonis artibus, quamvis ex odio id fiat. Demum est actio injusta cooperari ad damnum alterius mandando, consulendo, &c. & aliis viis, quæ illis versibus continentur.

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,
Participans, Mutus, Non obstans, Non manifestans.

III. Colliges hinc primo, eum, qui simoniam commisit, præter sacrilegium, excommunicationem, & privationem beneficii venditi, vel empti, contrahere etiam obligationem restituendi pecuniam acceptam. Ratio est, quia res spirituales non sunt vendibiles, unde sine justo titulo acciperetur pecunia propter illas.

Dubitatur tamen, Cuinam restituenda sit pecunia simoniace accepta? D. Th. putat, quod Ecclesiæ, cui facta est injuria, vel pauperibus. Sanch. tamen apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 167. quod ante judicis sententiam restituenda sit illi, qui eam dedit. Utraque sententia est probabilis.

Colliges secundo, restituere debere eum, qui fingendo paupertatem, eleemosynam extorquet. Ratio est, quia sine justo titulo accepit rem alienam invito domino. Granad. tamen cum Dian. part. 5. tract. 8. resol. 21. putat id procedere solum in eleemosynis magnis, & extraordinariis, quæ darentur, verbi gratia, fingenti se Episcopum expulsum, vel captivum, non vero in parvis, & ordinariis, quæ dari solent ostiatim mendicantibus; istis enim eleemosyna non videtur dari sub ea conditione mente retenta, si est pauper, sed absolute, & sine ullo onere, potius ex charitate, quam titulo paupertatis.

Dubium vero est; Num magnæ illæ eleemosynæ restituendæ essent danti, an aliis pauperibus, aut loco pio? Vasq. & Pal. putant, quod danti, quia dans voluit huic, non alteri pauperi eleemosynam dare. Alii putant etiam probabiliter, quod debeant restitui aliis pauperibus, aut loco pio; quia qui dedit, non respexit nisi rationem genericam paupertatis ex amore Christi Domini; Unde pauperes acquisierunt jus ad talem eleemosynam: Qui vero magnam eleemosynam habuit, fingendo consanguinitatem, tutius est ex Mendo restituere illam danti potius, quam alter consanguineo pauperi, cui forsan nollet eam donationem facere is, qui donavit.

Colliges tertio, restitui debere munera, quæ accipiunt Judices pro ferenda sententia justa, & quodcumque accipitur pro opere alias debito ex justitia; nisi aliquando detur ex magna liberalitate, gaudio, & gratitudine, neque id prohibeatur lege positiva, ut prohibetur Judicibus. Ratio illationis est eadem, quia scilicet sine ullo titulo justo acciperetur res aliena invito domino; Etenim dominus non sponte, sed coacte illa offert; ut offeruntur latroni, ne noceat. Quod si judex aliquid accipiat pro ferenda sententia injusta, patrato scelere non tenetur restituere illud, quamvis debeat resarcire damnum; sicut nec debet restitui, quodcumque exhibetur pro opere alias debito ex charitate, aut ex alia virtute, ut dicemus quæst. 4. art. 4. & 5.

IV. Colliges ultimo, restitui debere quicquid acquiritur per contractum etiam onerosum initum cum pueris, servis, religiosis, & aliis non habentibus dominium, aut liberam administrationem rerum suarum. Notandum tamen ex Laym. & Dian. part. 3. tract. 5. resol. 44. quod pupillus habens sufficientem ætatem ad consensum, (quæ in mare est decem, in fœmina novem annorum cum dimidio) si contractum onerosum sine tutore, aut curatore ineat circa res suas mobiles, probabiliter teneatur de jure naturæ stare tali contractui; quamvis possit uti beneficio restitutionis in integrum juris Civilis, ex leg. *Stichum*, ff. *De solutionibus*: Unde fit eum, qui aliquid a pupillo hujusmodi per contractum onerosum acquisivisset, posse id sibi retinere, donec juris civilis beneficio repetatur; Quia tamen opposita sententia est etiam probabilis, idcirco poterit etiam pupillus, quæ debet per hujusmodi contractum non solvere, (nisi juramentum adhibuerit) aut si solvit, compensare.

V. Quæritur secundo, Quando universim ad restitutionem teneatur, qui impedit aliquem a consecutione alicujus boni?

Respondeo, teneri ad restitutionem eum, qui impedit alicui precibus, consilio, adulatione, & suasione, & qualibet alia via id, quod illi debetur ex justitia; ut si quis suasione, & precibus obti-

obtineat, ne alicui solvatur legatum, quod illi debetur: Contra vero, qui impedit alicui consecutionem alicujus boni non debiti ex justitia, verbi gratia, consecutionem eleemosynæ, aut beneficii, tenetur ad restitutionem, solum si id faciat actione mala contra justitiam, puta mendaciis, fraude, dolo, &c. non tamen si impediat actione mala contra charitatem, puta precibus, exhortationibus, pollicitationibus, etiamsi ex odio alterius id faciat. Ratio est, quia vi, & fraude violatur libertas collatoris, in qua erat situm jus alterius conditionale ad tale bonum, videlicet si collator vellet dare: Precibus vero, & blanditiis tale jus non violatur, ut communiter docent apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 33. Notat tamen uterque Nav. & Covar. quod probabiliter etiam ad restitutionem teneatur ea impediens lacrymis, & precibus importunis, quippe quæ non minus, quam minæ, & metus, vim inferre solent: Et quia preces Superioris æquivalent jussui, & ob reverentiam, ac metum sæpe non minus cogunt, quam aliorum minæ, ideo Superiores impedientes precibus alicui consecutionem boni, etiam non debiti ex justitia, sed ex liberalitate, tenentur ad restitutionem, ex Petro Navar. lib. 3. cap. 5.

VI. Colliges ex dictis primo ex Dian. part. 5. tract. 6. resol. 33. quod quia aliqua bona communia sunt ordinata in bonum publicum, ut officia, beneficia, &c. aliqua principaliter ordinata sunt in bonum privatum, ut æraria publica, montes pietatis, a quibus, verbi gratia, danda est singulis annis mensura quædam frumenti aut omnibus, aut determinatis pauperibus, ideo si impediat quis alicui bonis artibus, videlicet per preces, & munera consecutionem primorum bonorum, non tenetur ad restitutionem, secus vero si impediat consecutionem secundorum. Ratio est, quia ad hæc, & non ad illa bona communia singuli habent suum jus strictum, propter quod sua pars debetur. Si tamen montes pietatis non debeant quicquam dare personis determinatis, sed solum aliquibus pauperibus vage, & tu sine fraude obtineas, ut potius Petro pauperi, quam Paulo aliquid detur, non peccas contra justitiam; immo simpliciter non peccas, si id facias ex bono fine, unde ad restitutionem non teneris; cum nemo in particulari habeat jus ad tale bonum.

Colliges secundo cum communi apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 33. quod impediens quocumque modo, ne beneficium, officium, &c. conferatur indigno, ad nullam restitutionem tenetur; quia indignus nullum habet jus ad illa: Impediens vero, ne conferatur æque digno, aut dignioribus extra concursum, neque ad ullam restitutionem tenetur, si id faciat precibus, aut bonis artibus; quia æque digni, & digniores nullum habent jus ad illa, etiamsi peccet contra justitiam distributivam, qui ea confert dignis, omissis dignoribus; Contra vero si impediat per fraudem, & vim, tenetur restituere æque dignis, aut dignioribus juxta spem, quam isti habebant obtinendi beneficium, aut officium.

Si quis vero precibus procuret, ut ea conferantur indigno, tenetur solum de damno secuto Ecclesiæ, aut Reipublicæ, quibus solum fit injuria: Si tamen id procuret per fraudem, non solum restituere debet Ecclesiæ, vel Reipublicæ, sed etiam dignis, quibus pariter fit injuria, juxta spem, quam habebant. Et quidem primo loco ad restitutionem tenetur indignus, qui obtinuit beneficium, vel officium, secundo loco collator, tertio suasor.

VII. Colliges tertio, non teneri ad reparationem damni secuti, eum qui torrentem, seu flumen avertit, ne ad vicinum perveniat, dummodo hoc non faciat animo, ut illi noceat, sed ut sibi prosit; ut habetur in *leg. 2. ff. de Aqua pluviali arcenda*. Ex quo a contrario sensu Doctores inferunt, quod si hoc faciat ex malo animo sine ulla sua utilitate, teneatur de damno, non quidem ob malum animum, sed quia unusquisque habet jus, ne sibi hujusmodi bona impediantur sine ulla propria utilitate. Idem dicitur, si quis sine sua utilitate attollat altius suum ædificium, quo lumen ædificio vicino impediatur, aut si impediat, ne venæ aquarum ad puteum vicini divertant. Unusquisque enim ad hujusmodi bona jus habet, ne sibi impediantur sine propria utilitate: At si quis ex malo animo sine sua utilitate impediat precibus, ne alicui detur eleemosyna, non tenetur ad restitutionem; quia pauper ad eleemosynam nullum jus habet.

Colliges quarto, Impedientes fiscum, aut alium a consecutione pœnæ pecuniariæ debitæ ex delicto, verbi gratia, impediendo sententiam, aut non manifestando delictum, non teneri ad restitutionem, etiamsi fraude, & mendaciis impediant, ut docet Less., & alii communiter apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 35. Ratio est, quia pœna non est debita ante sententiam; ergo impediens sententiam solum impedit, ne acquiratur jus, non vero violat jus acquisitum; ergo non tenetur ad restitutionem; Idemque dicendum probabiliter de pœna conventionali; nam nisi aliud exprimatur, intentio contrahentium videtur esse, quod non debeat solvi, nisi post sententiam judicis, ut docet Sanch. de Matrim. lib. 1. disp. 37. contra Regium apud eundem Dian.

Dices: Qui mendaciis impedit aliquem a consecutione alicujus boni, etiamsi non debiti ex justitia, tenetur ad restitutionem; ergo quamvis ante sententiam judicis non detur jus ad pœnam, seu ad centum, verbi gratia, quæ in pœnam delicti

licti debet reus solvere, tamen qui mendaciis impedit, ne feratur sententia, & acquiratur a fisco jus ad talem pœnam, tenetur pariter ad restitutionem.

Respondeo cum Less. lib. 2. cap. 12. dub. 18. nego consequentiam. Ratio est, quia quilibet habet jus ad tuenda propria bona, non secus ac ad tuendam vitam. Quare sicuti qui mendaciis obtinet, ne spolietur vita, peccat quidem mentiendo, sed non peccat contra justitiam; ita qui mendaciis obtinet, ne propriis bonis spolietur, ad quæ alter non habet adhuc jus, (sicut fiscus non habet jus ad bona delinquentis ante sententiam Judicis) non peccat contra justitiam, & consequenter non tenetur ad restitutionem: Quod vero impediens mendaciis ac fraudibus, ne quis bonum non debitum ex justitia assequatur, peccet contra justitiam, & ad restitutionem teneatur, supra ostendimus. Quamvis enim ad isthæc bona nemo habeat jus strictum, quilibet tamen jus strictum habet, ne malis artibus eorum assecutio sibi impediatur.

Notandum tamen, in dictis casibus non esse restituendum totum, sed partem ejus boni, cujus consecutio impedita est, ut docent uterque Navar., & alii contra Sot., & Mercad. Ratio est, quia non tantum valet res, quæ possidetur, quantum res, quæ speratur, seu spes rei possidendæ; ergo qui per fraudem, verbi gratia, impedit, ne pauper consequatur eleemosynam centum aureorum, non debet restituere centum aureos, sed solum quanti æstimatur ista spes habendi centum aureos; aliquando enim pluris, aliquando minoris æstimatur, prout spes est proximior, vel remotior.

ARTICULUS II.

Quisnam restituere teneatur ex re accepta?

I. Ex re accepta consurgit onus restitutionis, sive ea extet post furtum, seu post contractum iniquum, sive res aliena extet absque tua culpa penes te.

II. Res inventæ num sint dandæ pauperibus?

III. Thesauri inventi jure naturæ sunt primi occupantis; leges tamen civiles diversimode de iis disponunt. Num leges istæ obligent in conscientia?

IV. Quare acquisita per delictum, domino non comparente, retineri non possint?

V. Res bona fide empta a fure probabiliter ab emptore restitui potest furi, si aliter pretium recuperare non possit restituendo illam domino. At non potest alteri vendi ad pretium recuperandum.

VI. Num peccet solum contra charitatem, an etiam contra justitiam, qui reddit gladium domino furioso, quo illo abusurus est adversus vitam innocentis.

VII. Res aliena empta bona fide, si functionem recipiat, domino comparente, non est illi restituenda; nisi forte cum modica propria re sit immixta.

I. Quæritur primo; In quibusnam casibus universim oriatur onus restitutionis ex re accepta?

Respondeo, oriri tam ex re inique accepta, verbi gratia per furtum, per contractum iniquum, &c., quando res adhuc extat, quam ex re aliena bene accepta, seu quæ absque ulla tua culpa ad te pervenit, invito domino; Verbi gratia, si res aliqua inveniatur, aut si bona fide res furtiva ematur, aut accipiatur a fure; aut si bona fide possideatur res aliena ante terminum præscriptionis, vel usucapionis; de quo fuse agendum quæst. 6., ubi de Præscriptione.

II. Quæritur secundo; Num res inventæ retineri possint, quousque dominus compareat, an dandæ sint pauperibus?

Respondeo, Salon., Bonac., & alios communiter apud Dian. part. 2. tract. 17. resol. 5. putare, quod si post debitam diligentiam dominus non compareat, dandæ sint pauperibus ex consuetudine jam recepta, fundata in dominorum voluntate rationabiliter præsumpta, ut scilicet res amissæ prosint suis animabus, quando aliter sibi prodesse non possunt; vel saltem prosint pauperibus, aut Reipublicæ. Sot. vero, Navar. & alii apud eundem Dian. probabiliter putant retineri posse ab inventore; quia in jure perinde est dominum ignorari, ac rem nullius esse.

III. Hinc thesauri inventi jure naturæ sunt primi occupantis, quamvis per consuetudinem, aut per leges possit aliud ordinari. Leges autem civiles circa thesauros inventos ita de facto disponunt. Primo, ut si thesaurus inveniatur in loco proprio, sit inventoris. Secundo, si in loco alieno ex industria inveniatur sine consensu domini, sit domini loci. Tertio, si in loco alieno casu, sit dimidium inventoris, dimidium domini loci. Quarto, si in loco publico, dividatur inter fiscum, seu Civitatem, & Inventorem. Quinto, si in Ecclesia, vel loco sacro, dividatur inter Prælatum, & inventorem. Sexto, si per artes magicas, applicetur fisco. Has vero leges non obligare in conscientia putant Caramuel, & Sylvest.; Unde qui scit in agro alieno esse thesaurum, potest agrum illum emere secundum communem æstimationem, & thesaurum sibi appropriare; ita tamen ut si deprehendatur, luere debeat pœnas impositas adversus trangressores istarum legum.

IV. Opponit Molin. contra Sot., si res inventa posset retineri, & non dari pauperibus, quando dominus reperiri non potest, (eo quod videatur dominus velle rem suam servari apud in-

inventorem, ut si forte compareat, possit sibi restitui,) sequeretur, quod etiam possent retineri acquisita ex delicto, verbi gratia, ex furto, aut usura, quando dominus ignoratur. Sequela est falsa; ergo & id unde sequitur.

Respondeo cum Tambur. lib. 8. tract. 4. cap. 1. negando sequelam. Disparitas est, quia non est præsumendum, quod dominus velit, ut fur, qui fuit sibi injurius, fruatur suis bonis per injustitiam arreptis: Econtra si bona fide illa habuerit. Quare certum est, quod qui mala fide rem alienam possidet, non comparente domino post debitam inquisitionem, debet illam restituere pauperibus, vel operi pio applicare, ex cap. *Cum tu*, *de usuris*.

V. Quæritur tertio, Si res aliena, verbi gratia, equus, ematur bona fide a fure, cuinam sit restituendus, furi ne ad recuperandum pretium, an vero ipsi domino; præsertim si certum sit, quod fur non sit illum restituturus domino?

Respondeo, Molin., & Azor. docere, quod restituenda sit domino, quia res clamat ad dominum, quamvis possit emptor suum pretium repetere a fure, non tamen a domino: Quod si recuperare non potest, imputet suo infortunio. Vasq. tamen, Rebell., Lug. apud Tambur. loc. cit. probabiliter putant posse restitui furi, quando emptor non posset aliter recuperare pretium restituendo rem illam domino. Ratio est, quia qui tenetur restituere rem bona fide acceptam, non videtur cogendus restituere illam cum suo damno, ut diximus quæst. 1. art. 3. Quare satis est, si reponat equum in eo statu, in quo erat, reddendo illum furi, a quo pretium recuperet. Si tamen Titius a fure habuit equum gratis, seu per donationem, non potest illum restituere furi, sed domino, quia nullum damnum patitur, si restituat domino, ad quem res clamat. Eodem modo si Titius furatus sit equum ab alio fure, restituere debet illum domino, non proprio furi.

Opponitur primo. Si dominus equi compareret coram judice, certe Judex decerneret equum reddi domino non furi, quamvis emptor non possit suum pretium recuperare; ergo in conscientia domino reddendus est.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam. Ratio est, quia judex, ne detur ansa fraudibus, supponit equum mala fide emptum esse, & ideo adjudicat illum domino. Quare si in conscientia bona fide emptus sit, non tenetur emptor reddere domino, si non possit aliter pretium suum a fure recuperare.

Opponitur secundo. Si emptor posset reddere equum furi ad servandum se indemnem, posset pariter vendere alteri, si non posset aliter pretium suum recuperare. Consequens non admittitur; ergo nec antecedens.

Respondeo, nego sequelam. Disparitas est, tum quia talis venditio esset injusta, tum etiam quia reponeretur equus in novo periculo, in quo non erat, quando emptus fuit.

VI. Opponitur tertio. Non potest reddi gladius domino furioso qui illo absurus est ad alium occidendum; quia debitor gladii restituendo illum cooperaretur peccato furiosi; ergo neque potest equus reddi furi, qui illum non est restituturum, quia pariter haberetur cooperatio cum peccato illius.

Respondeo, nego consequentiam. Disparitas est, quia si non reddatur gladius furioso, debitor nullum patitur damnum: contra vero si equus non reddatur furi, emptor patitur damnum, eo quod non possit aliter, ut supponimus, suum pretium recuperare; Nemo autem tenetur procurare bonum temporale alterius cum æquali suo damno. Preterquamquod quando cooperatio cum peccato alterius est remota, sufficienter excusatur cooperans, ne damnum temporale patiatur; Cooperatio autem cum peccato furis nolentis restituere videtur remota: Cooperatio vero cum peccato domini furiosi esset proxima. Unde Less. lib. 2. cap. 16. dub. 4. putat, quod reddens gladium domino furioso non solum peccet contra charitatem juxta sententiam Molin. sed etiam contra justitiam, quia est veluti complex delicti furiosi, & non se habet mere negative, sicut se haberet, si solum non defenderet innocentem, in quo casu solum peccaret contra charitatem.

VII. Quæritur tertio; Si res aliena mixtibilis, verbi gratia frumentum, &c., bona fide ematur a fure, & deinde misceatur cum proprio frumento, debetne illud restitui, quando dominus innotescit?

Respondeo negative cum communi apud Tambur. lib. 8. tract. 3. cap. 3. Ratio est, quia de rebus, quæ functionem recipiunt, seu quæ per immixtionem cum propriis non possunt amplius discerni, ut est pecunia, frumentum, gallina, acquiratur statim dominium per hoc solum, quod immisceantur cum propriis, cum onere tamen id restituendi, in quo quis factus est ditior. Cum autem in casu nostro, qui emit bona fide a fure, & illud immiscuit cum proprio, non sit factus ditior, sequitur, quod non teneatur illud restituere, quando dominus apparet; Non enim restituere debet ratione injustæ acceptionis, quia emit bona fide; Neque ratione rei acceptæ, quia talis res accepta functionem recipiens per immixtionem evasit propria, cum onere solum restituendi id, in quo factus est ditior: Qui autem illam emit, non est factus ditior; ergo non debet quicquam restituere.

Quod si res aliena possit discerni, aut cum adeo modica re propria sit immixta, ut moraliter

ter

ter non dicatur immixta, eo quod parum pro nihilo reputetur, (ut si centum modios frumenti cum parva tua mensura immisceas,) quia in tali casu extat in individuo res aliena, quæ semper clamat ad dominum, procul dubio restituenda est domino, aut ad summum furi, juxta dicta quæsito superiori, si aliter pretium tuum recuperare non possis.

ARTICULUS III.

Quid restituere teneatur Possessor malæ fidei?

I. Quinam dicatur Possessor malæ, aut bonæ, aut dubiæ fidei?

II. Possessor dubiæ fidei comparatur possessori malæ fidei, si dubium præcesserit possessionem rei alienæ; at si subsequatur, comparatur possessori bonæ fidei.

III. Malæ fidei possessor restituere debet, præter rem, etiam damnum secutum domino, ac lucrum, quod cessavit, necnon fructus rei naturales, & mixtos; non tamen quod dominus lucraturus esset ex turpi usu suæ rei.

IV. Quinam dicantur fructus rei naturales, quinam industriales, quinam mixti?

V. Si res furtiva cum rebus propriis misceatur, nec illa sit discernibilis, quid est restituendum domino?

VI. Quid restitui debet, si res aliena in manu furis deterioretur? Quid si dominus illam deinde plures venditurus esset, quam tunc valeret?

VII. Potest aliquando fur ex furto lucrum reportare.

VIII. Qui in navi projicit poculum aureum alienum, quod simul cum navi mox erat submergendum, probabiliter non tenetur quicquam restituere: Secus vero si rapiat rem mox ab alio fure rapiendam.

IX. Quinam fructus rei furtivæ debent a fure domino restitui? Et quid de melioramentis, sive necessariis, sive utilibus, sive voluptuariis?

X. Restitui debet a fure, præter rem furtivam, tam interesse ordinarium, quam extraordinarium; & quidem etiamsi a Creditore de illo non moneatur.

XI. Qui restituere debet, & non ex delicto, sed ex mutuo, emptione, &c., & culpabiliter differt solutionem probabiliter ad interesse extraordinarium non obligatur, si monitio non præcedat.

XII. Fur, qui per aliquod tempus culpabiliter non restituit, num teneatur ad interesse illius temporis?

I. POssessor rei alienæ vel est malæ, vel bonæ, vel dubiæ fidei. Dicitur Possessor malæ fidei, qui retinet rem alienam credens se nullum justum titulum habere ad illam retinendam, vel quia illam furatus est, vel quia accepit a fure, vel quia bona fide accepit, & deinde novit esse alienam: vel demum quia ignorat rem illam esse alienam, sed ignorantia crassa, & affectata, quæ non excusat a peccato mortali. Econtra Possessor bonæ fidei dicitur, qui bonam fidem, seu credulitatem habet, quod res, quam possidet, non sit aliena; Unde de hoc debet habere ignorantiam invincibilem, seu probabilem. Demum dicitur Possessor dubiæ fidei is, cui non constat rem esse suam, nec constat esse alienam.

Differt itaque possessor malæ a possessore bonæ fidei, quod ille cum teneatur ad restitutionem non solum ratione rei acceptæ, sed etiam rarione injustæ acceptionis, nullo unquam tempore possit in rebus mobilibus usucapere, aut in immobilibus præscribere, ex cap. *Possessor*, *De regul. juris in 6.* Econtra possessor bonæ fidei potest usucapere in rebus mobilibus post triennium, & post spatium triginta, vel viginti annorum potest præscribere in immobilibus, juxta varium genus rerum præscriptibilium, ut dicemus quæst. 6., itaut si post tale tempus compareat verus dominus, possessor bonæ fidei non teneatur restituere.

II. At possessor dubiæ fidei, si cum dubia fide rem accipit, comparatur possessori malæ fidei, & ratione etiam injustæ aeceptionis tenetur restituere saltem pro ratione dubii, ut dicemus art. 5. Si tamen postquam rem alienam bona fide possederit, incipit dubitare, an res sit aliena, & post debitam diligentiam non constet, quod sit aliena, potest illam sibi retinere, & comparatur possessori bonæ fidei; eo quod in dubiis melior sit conditio possidentis; Nec dubium superveniens interrumpit possessionem bone fidei in ordine ad usucapionem, vel præscriptionem, ut docet Medin. de restitutione quæst. 16., Covar., & alii contra Adrian., Sot., & alios. Etenim in cap. *Si Virgo* 34., *quæst.* 1. dicitur: *In jure prædiorum tamdiu unusquisque possessor bonæ fidei dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum.* Qui autem dubitat, jam ignorat rem esse alienam; ergo non interrumpit possessionem bonæ fidei. His explicatis, de Possessore malæ fidei inquiremus Primo, Quid debeat universim restituere; Secundo, Quid restituere debeat, si res furtiva deterioretur, aut consumatur? Tertio, Quosnam fructus rei furtivæ debeat restituere? Quarto, Quodam interesse, seu damnum emergens, aut lucrum cessans creditori?

III. Quæritur itaque primo, Ad quid teneatur Possessor malæ fidei?

Respondeo, possessorem malæ fidei, verbi gratia, furem, aut damnificatorem formaliter in-

injustum teneri primo ad restitutionem rei furtivæ, si extet, vel valoris, & pretii, si non extet, etiamsi casu fortuito consumpta, aut amissa sit. Secundo, tenetur resarcire omne interesse, seu damnum secutum, & lucrum, quod cessavit domino propter talem damnificationem; propterea præter rem, vel pretium rei, tenetur restituere omnes fructus illius naturales, & mixtos, tam perceptos, quam non perceptos, si diligens dominus esset illos percepturus, deductis expensis necessariis. Ratio est clara, quia te possidere rem alienam mala fide, est causare inæqualitatem inter te, & proximum, seu est efficere, ut dominus habeat minus de rebus suis, & tu majus de tuis, quod est contra justitiam; ergo ex virtute justitiæ teneris omne damnum proximo illatum reparare, ut ponatur æqualitas debita; nisi autem omnia enumerata restituantur, non reparatur omne damnum; ergo omnia hæc restituenda sunt.

Hinc infertur, quod qui, verbi gratia, ex vinea injuste usurpata colligit decem dolia vini, debeat non solum vineam, sed etiam totidem dolia restituere; & si dominus collecturus erat viginti dolia, ad viginti tenebitur fur, quamvis ipse collegerit solum decem, vel nullum. Si tamen dubium est, an dominus collecturus esset decem, aut quindecim, aut viginti, quando æque spes erat colligendi viginti, ac periculum colligendi solum decem, restituenda sunt quindecim, quia spes colligendi plus, videlicet viginti, compensatur cum æquali periculo colligendi minus, videlicet decem. Quod si spes præponderet periculo, aut viceversa, tunc plus, vel minus pro arbitrio prudentis viri restituendum est. Item qui furatur equum ab eo, qui solitus erat illum quotidie locare quinque argenteis, præter equum restituere debet hos quinque. Similiter qui ex carentia suæ pecuniæ furto sublatæ non negotiatur, debet habere a fure lucrum cessans judicio prudentis viri, & damnum emergens, si scilicet ex eadem carentia coactus est accipere pecuniam sub usuris, vel res suas minori pretio vendere.

Infertur secundo, quod si fur locet equum, quem furatus est, debeat etiam pretium locationis restituere, quamvis dominus equi non fuerit solitus equum locare. Ratio est, quia tale pretium non est fructus meræ industriæ, ut communiter docent contra Navar. apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 14. Immo ad id tenetur, quamvis fur tale pretium locationis statim dissipasset, nec ex eo factus esset ditior, quia equus fructificavit domino suo; ergo pretium locationis dissipatum a fure erat domini, atque adeo domino debet restitui. Putat tamen Tambur. cum aliis, quod si fur bona fide pretium locationis dissipet, nec ex eo factus sit ditior, non teneatur ad illud restituendum, si dominus equi non esset equum locaturus; non enim teneretur ad restitutionem ex re accepta, quia jam non habet; neque ex injusta acceptione, quia nullum damnum intulisset domino.

IV. Ad pleniorem intelligentiam sciendum, fructus rei alios esse Naturales, alios Industriales, alios Mixtos. Dicuntur fructus Naturales, seu absolute fructus rei, qui suapte natûra ab ipsa re producuntur sine industria hominum, aut saltem cum modica. Tales sunt pullus ex equa, herba ex campo sylvestri, glans ex arbore non culta. Dicuntur Industriales, seu meræ industriæ, qui ex mera hominum industria proveniunt, itaut ad tales fructus res solum deserviat tamquam merum instrumentum; tale est lucrum ex pecunia exposita negotiationi, vel lucro; pecunia enim de se est sterilis, & infructifera. Demum dicuntur fructus Mixti, qui partim ex ipsa rei natura, partim ex industria hominis proveniunt, ita tamen, ut si industria sit modicissima, dicantur pure naturales, si maxima, dicantur pure industriales; si vero industria sit magna, aut parva, aut mediocris, dicantur mixti; tales sunt vinum, oleum, segetes, lac, caseus, &c. Et ad hoc genus reducuntur fructus civiles, ut est pretium locationis equi, vel domus; Etenim ad tale lucrum concurrit equus, vel domus simul cum industria locantis.

His explicatis dicimus; non solum fructus naturales, sed etiam mixtos restituendos a fure, (detractis expensis necessariis,) eo quod tales fructus ab ipsa rei natura saltem inadæquate proveniunt; cum autem quælibet res domino fructificet, ideo domino restituendi sunt. Econtra fructus mere industriales, quia non sunt ipsius rei, sed industriæ furis, concurrente re solum tamquam instrumento, ideo si non restituantur, non proinde dominus habet minus de rebus suis, ac proinde non debent restitui; Quamvis restitui debeant, tamquam lucrum cessans, omnes fructus, quos ex industria sua dominus percepisset, ut dicemus infra.

Notandum tamen hic ex Tambur. cap. 2. §. 7. Quod si dominus percepturus esset fructus ex turpi usu rei suæ, non tenetur fur illos restituere, si fructus percipiendi essent ex ipso peccato, verbi gratia, ex eo, quod danda esset pecunia ad usuram, ex leg. *Fructus*, ff. *De rei vindicat.* Ratio est, quia hujusmodi fructus non sunt fructus rei, sed humanæ malitiæ, nec jura patrocinantur delinquentibus: Contra vero, si dominus percepturus esset fructus, peccando quidem, sed non ex eo ipso peccato, hoc est ex usu ipsius rei, qui per accidens cum malitia conjungitur, verbi gratia, si dominus cum peccato locaturus esset domum meretrici, aut lusoribus, tales fructus restituendi sunt a fure, cum non

ſint fructus humanæ malitiæ, ſed ipſius rei; quamvis per accidens cum malitia conjungantur.

Rogabis primo; An debeat aliquid reſtitui domino præter enumerata, præciſe propter injuriam, quæ illi fit per furtum?

Reſpondeo cum Dicaſtil. negative, ut conſtat ex uſu; niſi tamen præter furtum acceſſerit contumelia, vis, &c. Ratio eſt, quia ſi quid reſtitui deberet præciſe propter injuriam irrogatam ex furto, id eſſet petitio veniæ; hæc autem vel non ſolet exigi a domino, vel facile remittitur, dummodo rem ſuam dominus recuperet.

Rogabis ſecundo; Si res furtiva extat, ſed permixta cum aliis rebus furis, ipſane, an ejus pretium reſtitui debet?

Reſpondeo, certum eſſe, quod debeat domino reddi res ſua in individuo, quando reddi poteſt, niſi aliquando credatur æque contentus, quod alia ſimilis reſtituatur; ut ſi pro una pecunia reddatur alia ſimilis, quæ æque æſtimetur. Si tamen res furtiva non poſſit amplius reddi in individuo, eo quod ſit conſumpta, certum eſt, quod ejus valor reſtituendus ſit: Si vero ſit immixta cum aliis rebus furis, itaut diſcerni non poſſit, verbi gratia ſi frumentum cum frumento admiſceatur, tunc res furtiva tranſit in dominium furis, ex l. *Si alicui*, ff. *De ſolutionibus*; Et ſolum dominus habet jus, ut ſibi reddatur æquivalens vel ex illo cumulo, vel aliunde.

V. Notandum tamen, quod ſi res magna furtiva miſceatur cum modiciſſima propria, non acquiritur a fure dominium illius rei furtivæ, quia, ut ſupra diximus, parum pro nihilo reputatur. Si vero res furtiva diſcerni quidem poſſit, ſed non ſeparari a rebus propriis furis, verbi gratia, ſi in tela aliena fur faciat pretioſiſſimam picturam, aut ſi in contexenda veſte fur miſceat fila ſua cum panno alieno; in tali caſu res tota evadit illius, cujus eſt res principalior, & alteri debetur pretium rei ſuæ: Verbi gratia, quia pictura principalior eſt, quam tela, tota tabella evadit furis, qui reſtituere debet domino pretium telæ, & quia pannus eſt principalior, quam filum, tota veſtis debetur domino, a quo furi reddendum id, quod pluris valet veſtis ſupra pannum. Si demum neutra eſt res principalior, uterque habet dominium in ſolidum; dominus tamen poterit vel pretium rei ſuæ recuperare, vel illam ſibi uſurpare, & reddere furi, quod ultra eſt.

VI. Quæritur ſecundo; Si res aliena penes poſſeſſorem malæ fidei deterioretur, aut conſumatur, quid, & quantum reſtituendum eſt?

Reſpondeo, diſtinguendum eſſe; nam ſi talis res eodem modo deterior facta eſſet, vel periiſſet apud dominum, nihil ei reſtituendum eſt pro deterioritate, aut conſumptione; Verbi gratia, ſi equus eodem modo deterior factus eſſet propter ſenectutem apud dominum, aut ſi dolium vini eodem modo aceſceret, tunc ſolum reſtituendi ſunt fructus rei, lucrum ceſſans, & damnum emergens. Ratio eſt, quia dominus in tali caſu nullum damnum patitur ex furto propter deterioritatem, aut conſumptionem rei. Si vero res in manu furis deterioretur, itaut non deterior facta eſſet in manu domini, tale damnum compenſandum eſt; Verbi gratia, ſi dolium vini aceſcit, quia a fure conſervatur in loco humido, non ſatis eſt reſtituere acetum, ſed reſtitui debet valor vini, prout erat, quando ſublatum eſt. Dubium tamen eſt celebre; An ſi dominus frumentum, verbi gratia, conſervaturus eſſet, ut illud venderet tempore opportuno, & dum frumentum eſt in manu furis, nunc valet pretio infimo, puta decem, nunc mediocri, puta duodecim, nunc ſummo, puta quatuordecim, & quando reſtituitur a fure, valet tantum decem, ſatiſne erit in tali caſu reſtituere frumentum valens nunc decem, quanti valebat, quando fuit ſublatum, an debent præter frumentum reſtitui alia quatuor, eo quod poterat dominus interim illud vendere quatuordecim, an potius præter frumentum reſtituenda ſunt tantum duo juxta pretium medium?

Reſpondeo, Salon. 2. 2. quæſt. 72. art. 6. quæſt. 62. putare, quod præter frumentum, reſtituenda ſint alia quatuor, eo quod poterat dominus vendere frumentum quatuordecim. Communiter tamen docent, præter frumentum reſtituenda eſſe tantum duo, ſi æque probabile erat, quod dominus venditurus eſſet frumentum pretio ſummo, ideſt quatuordecim, ac pretio infimo, ideſt decem; ſpes enim, quod eſſet illud venditurus pretio ſummo, compenſatur cum periculo, quod venditurus eſſet pretio infimo, & ſic fur apte juxta pretium medium duodecim reſtituit, reſtituendo frumentum, & alia duo.

VII. Dices: Hinc ſequeretur, quod ſi fur rapuerit frumentum tempore, quo valebat decem, & deinde vendat illud tempore pretii ſummi, ideſt quatuordecim, ſatisfaciat reddendo tantum duodecim juxta pretium medium, & retinendo ſibi alia duo, unde lucrum ex furto reportaret.

Reſpondeo cum Molin. diſp. 721. contra Salon. concedendo ſequelam; nec debet eſſe mirum, quod poſſit aliquando fur lucrum ex furto reportare; nam in omnium ſententia poteſt fur retinere ſibi fructus mere induſtriales rei furtivę. Quare reſtitutio ex injuſta acceptione non fert, quod fur nullum lucrum reportet; ſicuti neque fert, quod non reportet damnum; ſed ſolum fert, quod dominus nullum damnum ex furto patiatur. Immo aliquando poteſt dominus reportare aliquod lucrum ex furto alieno, ſi ſcilicet

cet apud furem res pariat fructus naturales, aut mixtos, quos apud dominum non pareret ex sua negligentia; tunc enim fur deberet restituere etiam fructus, & sic dominus lucrum ex tali furto reportaret.

Salon. tamen loc. cit. putat omnia quatuordecim in casu proposito restituenda esse, licet testetur hoc esse contra communem opinionem. Ratio, quam adducit, est, quia facta venditione frumenti furtivi fur debet restituere pretium, quod succedit rei alienatæ; ergo si pretium frumenti fuit summum, videlicet quatuordecim, omnia quatuordecim restituenda sunt, quamvis dominus certo venditurus esset illud pretio infimo, videlicet decem. Ita etiam Tambur. cap. 2. §. 7. & Pal.

Sed contra est, quia omnes fatentur, quod si fur velit emere frumentum ejusdem valoris, sicuti erat, quando furatus est illud, satisfaciat, dummodo restituat etiam lucrum cessans, &c.; ergo satisfaciet etiam, si velit non emere frumentum decem, quanti valebat, quando furatus est illud, sed dare decem, quibus possit dominus emere frumentum ejusdem valoris, dummodo reddat etiam lucrum cessans, videlicet duo, (eo quod ratione periculi, quod dominus venditurus esset frumentum decem, & ratione spei, quod venditurus esset quatuordecim, bene decernitur, quod pretium medium sit ei restituendum;) ergo abunde satisfacit, si loco frumenti valentis decem, & talis lucri det domino duodecim, quamvis ipse fur vendiderit frumentum quatuordecim.

Neque dicas, quod debeat restitui pretium locationis domus furtivæ, etiamsi dominus non esset illam locaturus; ergo in casu nostro debet etiam restitui pretium venditionis frumenti, quod est quatuordecim, etiamsi dominus non esset illud venditurus quatuordecim.

Nam concessio antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, ut notat Tambur. cap. 3., quia locationis fructus est mixtus, & ideo restitui debet. Econtra fructus venditionis, non secus ac negotiationis, est fructus meræ industriæ, cum habeatur per alienationem rei, & ideo restitui non debet.

VIII. Quæritur tertio, si fur rapiat, verbi gratia, ovem Titii & illam comedat, teneturne ad restitutionem, si statim post furtum integer grex ovium incendio, vel eluvione, vel incursu hostium absumatur, unde etiam ovis illa periisset, nisi furto sublata esset?

Respondeo, Laym. putare, quod fur ad restitutionem teneatur; quia obligatio semel contracta restituendi ovem non tollitur per fortuitum eventum subsequentem. Addit tamen probabilem esse sententiam oppositam Vasq. & Less. docentium, quod non teneatur fur restituere, (nisi forte ex tali furto factus esset ditior) Ratio est, quia fur in tali casu nullum damnum pretio æstimabile intulit domino; Sicuti qui prospiciens incendium in domo Caji, si dolium vini, antequam incendatur, expilet, non tenetur ad restitutionem, quia non est pretio æstimabile vinum in ea circumstantia, quod statim conflagrandum sit. Eodem modo non tenetur ad restitutionem, qui in navi furatur poculum aureum, & deinde suborta tempestate tota navis simul cum poculo aureo submergitur. Notat Laym. tract. 2. cap. 4. quod si fur rapiat poculum aureum, & illud ipse projiciat in mare, vel amittat, ac deinde suborta tempestate tota navis demergatur, itaut etiam poculum esset submergendum, teneatur ad restitutionem, quia in tali casu causa cur amittatur poculum non est tempestas, sed fur. Et ex hoc motivo Laym. contra Less., & Vasq. in casu proposito docebat, quod si fur, postquam rapuit ovem, illam comedat, teneatur ad restitutionem, quamvis simul cum grege incendio, vel eluvione absumenda esset; quia causa talis damni de facto fuit fur, qui ovem comedit, non incendium, quo esset conflagranda.

Notandum demum, quod si fur rapiat rem, quæ cæteroqui ab alio esset rapienda, debet procul dubio illam restituere, si extet, & si non extet, debet ejus pretium restituere. Ratio e[st], quia sicuti si alter rapuisset, vel destruxisset, teneretur ille rem restituere domino, ita cum tu præveneris illam tollere, teneris restituere; tu enim præveniendo damnum præintulisti.

IX. Quæritur quarto; Qua ratione computandi sunt fructus rei furtivæ restituendi a fure?

Respondeo, si fructus rei furtivæ extant, sive naturales sint, sive mixti, omnes omnino restituendi sunt, detractis expensis, quas dominus fecisset ad eos percipiendos. Quare si fur in agro furtivo plantavit arborem valentem decem, & ad illam plantandam expendit tantum duo, debet agrum cum arbore restituere, & solum sibi recuperare illa duo, quæ necessario expendenda fuerunt, etiamsi dominus non esset in illo agro plantaturus arborem ullam ex sua incuria. Ratio est, quia res domino fructificat. Præterea restituendi sunt fructus, quos dominus ex sua diligentia esset percepturus ex re furtiva, quamvis fur ex sua incuria illos non perceperit, detractis tamen expensis necessariis, & æstimatione laboris; Fructus vero industriales percepti a fure ex re furtiva restituendi non sunt; verbi gratia, lucrum ex negotiatione pecuniæ furtivæ. Quod si fur pennicillum furetur, & cum eo picturam faciat, tantum tenetur restituere, quanti æstimatur usus pennicilli, ut supra diximus.

Dubium hic est primo; An possessor malæ fidei, quando reddit rem furtivam, possit retinere sibi expensas factas in melioramenta talis rei?

Respondent communiter apud Tambur. cap. 3. §. 5. melioramenta alia esse necessaria, quæ scilicet si non adhiberentur, res aut nihil, aut parum admodum fructificaret; alia esse utilia, ut scilicet res fructificet; alia demum voluntaria, seu voluptuaria, ut sunt fontes, picturæ, statuæ, &c. His positis.

Expensas factas in melioramenta necessaria, vel utilia potest fur sibi retinere, non vero factas in melioramenta voluptuaria. Quare si illa non potest separare, debet amittere, aut parum aliquid propter illa sibi compensare, quatenus possunt aliquantulum esse domino utilia, ut notat Lug. disp. 17. sect. 3.

Dubium est secundo, an dominus recipiens rem suam de manu furis cum melioramentis necessariis, vel utilibus, teneatur illi restituere expensas factas propter illa?

Respondeo, Sanch. lib. 2. cap. 23. negare, quia lex in pœnam delicti negat possessori malæ fidei actionem petendi expensas melioramentorum, & tribuit domino repetitionem, si solverit: quoties autem lex negat actionem ad aliquid petendum, & tribuit domino jus repetendi, si solverit, toties dominus non tenetur solvere. Verum Navar. & alii docent teneri, quia lex negat talem actionem furi in pœnam delicti; pœna autem non obligat, nisi post sententiam judicis, quia ejus executio est actus, qui a publica potestate debet provenire. Utraque autem sententia pro foro conscientiæ videtur probabilis Tamburino.

X. Quæritur ultimo, Quodnam interesse restituendum sit a possessore malæ fidei? Et an ad hoc ut teneatur ad restitutionem damni emergentis ex furto, aut lucri cessantis, debeat moneri a domino de tali damno emergente, aut lucro cessante?

Respondeo ad primum, Possessorem malæ fidei debere statim restituere præter rem furtivam omne interesse tam ordinarium, quam extraordinarium, quod ex ea mora culpabili emergit domino; aliter non poneretur æqualitas cum proximo. Dicitur autem interesse ordinarium, quod oritur ex re ipsa, vel quia pluris valet uno tempore, quam alio ex intrinseco incremento, ut pluris valet vitulus adultus, quam pullus; vel quia ab extrinseco crescit ejus valor, ut pluris valet frumentum mense Aprili, quam tempore messis. Extraordinarium autem interesse dicitur, quod oritur ex extraordinaria opera creditoris, vel ex ejus negotiatione, nam centum, verbi gratia, negotiationi exposita possunt parere alia viginti. Quare utrumque interesse, seu lucrum cessans resarciri debet a possessore malæ fidei.

Ad secundum dico, possessorem malæ fidei teneri resarcire utrumque interesse, etiam nulla prævia monitione creditoris; quandoquidem raro creditor scit, quisnam rem suam subripuerit. Quod si aliquando illum cognoscat, adhuc fur ad utrumque interesse tenetur sine ulla monitione, ut docet Navar. & alii apud Dian. part. 1. tractat. de Contractibus resol. 87. Quamvis Lug. cum aliis existimet in tali casu compensandum esse a fure solum interesse ordinarium, non vero extraordinarium; Si enim creditor potuit facile admonere debitorem, & non admonuit, supponitur remittere lucrum extraordinarium; Et utramque pariter sententiam probabilem existimat Tamburinus.

XI. Hanc eamdem doctrinam extendunt iidem Doctores ad debita ex contractu. Si quis enim non ex delicto, sed ex mutuo, verbi gratia, aut emptione, emphyteusi, &c. debeat centum in fine anni, & non solvat tempore præfixo in contractu, Navar. & alii apud eumdem Dian. putant, quod debitor teneatur restituere creditori, præter centum, etiam interesse extraordinarium, etiamsi non admoneatur ab illo per similia verba: Solve mihi centum, quæ debes ex mutuo, aut emptione, aliter negotiationem exercere non potero, & tu lucrum cessans debebis mihi. Ratio est, quia ex leg. *Magna*, Cod. *De contractu stipulationis*, dies interpellat pro creditore, hoc est terminus præfixus in contractu monet sufficienter creditorem, ut restituat sub pœna compensandi lucrum cessans.

Lug. autem disp. 18. sect. 2. & Azor. probabiliter putant, quod non teneatur ad interesse extraordinarium, si monitio non præcedat, propter rationem adductam.

Porro hoc notandum, quod debitor ex contractu si non restituat in termino præfixo sinsuo peccato mortali, (quia scilicet excusatur ojustam causam a statim restituendo) nullum interesse teneatur compensare, nec ordinarium, nec extraordinarium, ut constat ex dictis quæst. 1. ubi de culpa requisita ad obligationem restituendi. Præterea quando in contractu non est præfixus terminus solutionis, tunc debitor tenetur restituere, seu solvere quando creditor petierit solutionem, dummodo non sit impedimentum ei ad petendam solutionem; nam si impediatur, tunc terminus solutionis erit, qui prudenter judicabitur esse de creditoris rationabili intentione. Quia tamen terminus solutionis non debet sumi mathematice, sed moraliter, seu more humano, ideo plerumque excusatur debitor a statim restituendo non solum ob impotentiam, vel inadvertentiam, sed etiam quia bona fide credit non esse creditorem graviter invitum pro illa modica, & morali dilatione; tum quia non solent ita urgere debitores, ut statim solvant; tum etiam quia si per accidens aliquando ex modica illa dilatione grave

damnum

damnum subirent, possent facile debitum exigere, quod si exigerent, tunc debitor si culpabiliter differret solutionem, ad omne interesse compensandum obligaretur.

Rogabis: Si quis furatus centum statim incidat in paupertatem, unde deobligetur hic & nunc restituere, reflorescente fortuna debetne solum restituere illa centum, an etiam interesse, quod passus est creditor pro eo tempore, quo debitor non poterat, & ideo non tenebatur restituere?

Respondeo cum Less. lib. 2. cap. 16. num. 32. contra Pal. §.10. quod teneatur etiam ad interesse. Ratio est, quia totum hoc damnum creditoris oritur ex culpa præteriti furti; ergo creditor habet jus, ut illud sibi adæquate compensetur; quamvis autem mora non sit proxime culpabilis, est tamen culpabilis remote, seu in radice.

Adverte tamen, quod si fur statim post furtum inciderit non in gravem, sed in extremam necessitatem, & rem furtivam consumat, in tali casu probabiliter ex Pal., & Navar. liberatur debitor ab omni prorsus obligatione restituendi, dummodo re illa furtiva extreme indigerit. Ratio est, quia probabile est ex Pal., Suar., Sanch. l. 1. Consilior. cap. 5. dub. 5., pauperes extreme indigentes non teneri accipere res alienas sub ratione mutui ad sublevandam necessitatem, sed posse sibi illas absolute usurpare tanquam proprias, & a divitibus subfurari sine culpa, & sine onere restitutionis, eo quod in ea necessitate omnia sint communia; Quicquid in contrarium censeat Vasq., & Sylvest. apud Tambur. lib.8. tract.2. cap.6.

Fingamus itaque, quod iste fur antequam in extremam necessitatem inciderit, rem furtivam restituerit domino, certe satisfecit obligationi restituendi; fingamus hinc illam subfura i ad sublevandam extremam necessitatem, tunc non tenebitur restituere; ergo si postquam furatus est, inciderit in extremam necessitatem, & antequam restituat, indigeat re illa furtiva, omni prorsus obligatione liberatur.

ARTICULUS IV.

Quid restituere teneatur Possessor bonæ fidei?

I. Possessor bonæ fidei si non statim restituat, incipit esse malæ fidei possessor.

II. Debet se reddere indemnem bonæ fidei possessor; An restituere debet rem, ejusque fructus naturales, & mixtos, (demptis expensis) & id in quo factus est ditior, non tamen ex fructibus industrialibus.

III. Res, & fructus, si non extent in se, reddantur in æquivalenti; An num dicantur in se extare, si cum aliis rebus propriis misceantur?

IV. Qui rem alienam bona fide inique consumpsit, fornicando, ludendo, &c. ad restitutionem non tenetur, si nihil ex ea sit factus ditior.

V. Si rem alienam bona fide donasti, aut vendidisti, tenerisne contractum rescindere, sicut tenetur, qui vitrum pro gemma vendidit?

VI. Res, & fructus naturales, & mixti restituenda sunt, demptis expensis, æstimatione laboris, & melioramentis etiam voluptuariis. Sed quid si hæc sint magni valoris?

VII. Si in tela aliena pingatur pictura, quæ excedat pretuim telæ, satis est restituere hujus telæ pretium. Immo etiam si dubitetur an ea pictura telæ pretium excedat.

VIII. Qui bona fide in agro alieno suum frumentum seminavit, debet totam segetem detractis expensis restituere; Quod si seminasset alienum frumentum in agro proprio, debet solum restituere pretium frumenti.

IX. Ex injusta damnificatione tenetur damnum compensare, qui verbi gratia incendit domum Petri sui amici, quamvis invincibiliter putet illam esse Pauli sui inimici. Quid, si quis occidat Petrum amicum, quem invincibiliter putat esse Paulum inimicum?

I. Diximus, Possessorem esse bonæ fidei, qui invincibiliter, vel saltem sine culpa gravi ignorat rem, quam possidet, esse alienam, & hujusmodi possessorem teneri ad restitutionem ex re accepta, statim ac advertit rem illam esse alterius (nisi forte ex aliquo justo titulo sive præscriptionis, sive usucapionis fecerit suam). Quod si non statim reddit, incipit fieri injustus detentor; unde tenetur deinde illam restituere, etiam ex titulo injustæ acceptionis, seu tamquam possessor malæ fidei, cum rei detentio sit continuata quædam ablatio.

II. Quæritur nunc primo, Quid teneatur universim restituere possessor bonæ fidei?

Respondeo, quod sicut posseſsor malæ fidei debet ita restituere, ut reddat omnino indemnem creditorem, ita posseſsor bonæ fidei debet ita restituere, ut reddat omnino indemnem seipsum. Ex quo fit, ut tria debeat restituere; Primo, rem ipsam, si extat, vel in se vel in æquivalenti. Secundo, fructus omnes rei, tam naturales, quam mixtos, qui pariter extant, sive in se, sive in æquivalenti, detractis expensis omnibus, etiam non necessariis. Tertio, omne id, in quo factus est ditior. Est autem restituenda res ipsa in individuo, si extet, nisi forte rationabiliter creditor contentus sit alia simili; ut si una pecunia pro alia reddatur; Et quidem reddi debet expensis domini, non propriis; unde si dominus sit absens, satis est illum monere, ut rem suam

suam sibi accipiat : Quod si quid expenderit possessor bonæ fidei in re illa conservanda, aut melioranda, restituendum est illi a domino, ut sic servetur omnino indemnis.

III. Quod si petas, an dicatur extare in se res aliena mixtibilis, si admixta sit cum propriis, a quibus discerni non possit, ut si triticum alienum cum proprio misceatur?

Respondeo cum communi negative, quia per talem mixtionem acquiritur, ut supra diximus, etiam a fure dominium talis rei; Quod constat tum ex leg. *Si alieni*, ff. *De solutionibus*, tum ex eo quia cum non sit major ratio, cur hæc, quam illa pars dicatur propria, ideo totus cumulus fit proprius. Quare in tali casu res aliena dicitur extare in æquivalenti, & ideo restitui debet æquivalens, & omne id, in quo possessor bonæ fidei factus est locupletior, sive ex ipsa re aliena, sive ex ejus fructibus naturalibus, & mixtis, non tamen ex industrialibus, detractis omnibus expensis.

Ex hoc principio, quod possessor bonæ fidei debeat servari indemnis, sequitur Primo, quod si vestem, verbi gratia, valentem viginti a fure tibi donatam bona fide attrivisti, itaut nunc valeat tantum decem, comparente domino, debes illam eandem restituere, & attritionem compensare non omnimode, sed solum quatenus ex illa factus es locupletior; verbi gratia, si eo tempore consumpsisses sex in vestiendo, præter vestem attritam tantum sex, & non decem restituere debes. Eodem modo si invitatus ad cœnam furtivam comedas bona fide, restituere solum debes, quantum de tuo domi expendisses, nisi de cœna illa participasses. Qui vero bona fide rem alienam emit a fure, restituere illam debet domino, cum res clamet ad dominum, & pretium a fure repetere, quamvis juxta probabilem opinionem, de qua diximus art. 2. restituere illam possit furi, quando aliter ab eo pretium recuperare non potest.

IV. Sequitur secundo, non teneri ad restitutionem illum, qui sua culpa, videlicet vel fornicando, vel male conservando, vel ludendo, vel aliter rem alienam bona fide possessam consumpsit, si nihil ex ea factus sit ditior. Ratio est, quia cum omnis obligatio restituendi in tali casu oriatur ex re accepta, si hæc non extet neque in se, neque in æquivalenti, extinguitur omnis obligatio. Non tenetur autem ad restitutionem ex alia radice injustæ acceptionis, quia peccatum, per quod res est consumpta, non fuit contra justitiam.

V. Sequitur tertio, quod si rem alienam bona fide possessam alteri donasti, alias nihil donaturus, nihil debeas restituere; (quamvis si res illa extet in se, aut in æquivalenti apud donatarium, non solum ex charitate, sed etiam ex justitia debeas illum monere, ut reddat domino; quia ex hoc, quod donaveris rem alienam tanquam tuam, habes peculiarem quandam obligationem ex contractu donationis efficiendi, ne donatarius habeat a te rem alienam) Si vero rem furtivam bona fide emisti a fure, & revendidisti, teneris restituere solum id, in quo factus es ditior; si scilicet pluris revendidisti, quod emeras, debes reddere excessum pretii; Et ideo si rem illam donaveris, & in retributionem donatarius tibi aliquid redonet, debet hoc restitui domino, dummodo non excedat pretium rei suæ, nam non debet dominus reportare lucrum ex re sibi ablata.

Hinc infertur illius celebris dubii resolutio apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 68. Si Petrus bona fide emit a fure, verbi gratia, equum, quem deinde etiam bona fide vendidit Paulo, ubi advertit equum esse furtivum, teneturne rescindere contractum venditionis cum Paulo, & reddere equum domino, an potest sibi retinere pretium venditionis, & dare domino actionem in furem?

Bonac. & alii putant teneri rescindere contractum, (non secus ac qui bona fide vendidit vitrum pro gemma, aut orichalcum pro auro,) eo quod vendiderit rem alienam, quam vendere non poterat. Navar. vero, & alii probabiliter docent posse retinere sibi tale pretium, si non sit factus ditior, hoc est si vendiderit eodem pretio, quo emerat, equum. Ratio est, quia Petrus in tali casu neque tenetur ad restitutionem ratione rei acceptæ, cum illam non habeat; neque ratione injustæ acceptionis, quia bona fide emit, & vendidit.

Neque dicas, pretium succedere loco rei furtivæ, unde teneatur restituere pretium, quod habuit, vendendo equum furtivum Paulo. Nam Sanch. lib. 2. cap. 23. docet non esse universim verum principium illud, quod pretium succedat loco rei, sed solum id esse verum in judiciis universalibus, ut in hæreditate, dote, &c. non in contractibus particularibus.

Ad id, quod objicit Bonac. respondet Sanch. disparitatem esse, quia qui vendit vitrum pro gemma, vendit aliquid, quod non habet valorem intrinsecum, & ideo tenetur rescindere contractum; secus vero qui vendit rem furtivam bona fide eodem pretio, quo emerat. Immo addit Molin. contra Less. apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 41. quod si possessor bonæ fidei pluris vendat, quam emerat rem furtivam, non teneatur restituere excessum pretii, quia hic non est fructus rei, sed industriæ.

Sequitur ultimo, eum, qui bona fide fecit contractum usurarium, vel aliter injustum, non teneri post cognitam veritatem ad restituendum, nisi rem extantem, & id, in quo fa-

ctus

ctus est ditior. Et idem dicas de eo, qui bona fide propter bona furtiva sibi donata fecit majores expensas, quam fecisset, si cognovisset ea bona ad se non pertinere.

VI. Quæritur secundo; Quid dicendum de fructibus rei alienæ, qui a possessore bonæ fidei restituendi sunt, & de lucro cessante?

Respondeo, quod non debeant restitui, nisi fructus extantes, sive naturales, sive mixti jam percepti, & nondum consumpti. Quod si aliqui ex his fructibus immixti sint cum propriis bonis, itaut separari, & discerni non possint, cum totus cumulus evadat proprius, ut diximus ex leg. *Si alieni*, ff. *De solutionib.* ideo restituere solum debes id, in quo factus es ditior: Quare si illos consumpsisti etiam culpabiliter, puta in fornicationibus, &c. nihil debes restituere, si in nullo factus es ditior.

Adverte tamen, ita restitui debere rem alienam bona fide possessam cum fructibus naturalibus, & mixtis, ut detrahi semper debeant expensæ, æstimatio laboris, & melioramenta quæcumque, non solum necessaria, & utilia, sed etiam voluptuaria facta a possessore bonæ fidei, eo quod ita debeat restituere, ut servetur indemnis. Quod si melioramenta voluptuaria magnam pecuniam exhauserint, & dominus nolit illam compensare, tenetur saltem justo pretio vendere rem illam possessori bonæ fidei, ut sibi illam habeat cum melioramentis suis.

Hinc sequitur primo, non esse restituendos fructus, quos dominus ex illa re percepisset, etiamsi possessor bonæ fidei ex propria negligentia eos non perceperit: Nec esse restituendum lucrum, aut interesse sive ordinarium, sive extraordinarium, quod cessavit domino, per hoc quod re illa caruerit; aliter possessor bonæ fidei restituendo non servaretur indemnis: Contra vero hæc omnia restituenda sunt a possessore malæ fidei, quia hic debet dominum reddere indemnem.

VII. Sequitur secundo, quod cum non debeant restitui fructus mere industriales, si quis in tela aliena pingat pulcherrimam picturam, non tenetur telam bona fide possessam cum pictura restituere, sed solum restituere debet valorem telæ, quia pretium picturæ longe superat pretium telæ, nec potest una ab alia separari; unde fit, ut tota tabella evadat possessoris bonæ fidei, qui solum restituere teneatur pretium telæ. In casibus vero, in quibus dubitatur, quænam res sit principalior, tela ne, verbi gratia, quæ est domini, an pictura, quæ est possessoris bonæ fidei; uterque habet dominium in solidum in tabellam, ut notat Tambur. cap. 3. sed videtur electio competere possessori bonæ fidei, num velit reddere pretium telæ, & picturam conservare, an vero velit tabellam totam dare domino, ut sibi pretium picturæ restituatur. Ratio est, quia in pari causa semper melior est conditio possidentis bona fide: Contra vero, si possessor esser malæ fidei, hæc electio competeret domino.

VIII. Sequitur tertio, quod si quis bona fide in agro alieno suum frumentum seminavit, debeat restituere domino totam segetem, quæ est fructus agri, & sibi compensare expensas, & laboris æstimationem: Contra vero si alienum frumentum in proprio agro seminavit, debet solum reddere domino valorem frumenti, & segetem sibi reservare. Ratio est, quia seges est fructus agri potius, quam frumenti, & sic debetur domino agri, ut notat Dicastil. tr. 2. disp. 5. dub. 2.

Sequitur quarto, quod si quis bona fide domum alienam, verbi gratia, locavit, sed in pretium locationis plus accepit ratione ornamentorum a se domui additorum, quæ sint domui extrinseca, & non illi affixa, non debeat restituere excessum pretii respondentem his ornamentis: At si melioraretur ager alienus per arbores plantatas, debent omnes fructus restitui domino, detractis expensis factis in illis melioramentis. Disparitas est, quia fructus percepti ex illis arboribus sunt fructus domini ipsius agri: Econtra fructus percepti ex illis ornamentis additis domui non sint fructus ipsius domus, sed sunt fructus ornamentorum possessoris; Quod etiam militat in possessore malæ fidei.

Sequitur quinto, eum, qui rem alteri hypothecatam (verbi gratia viginti aureis,) emit centum aureis, teneri illi dare viginti aureos, in quibus erat obligata illa res, quamvis regressum postea habeat contra venditorem. Ratio est, quia res illa secundum partem viginti aureorum non erat venditoris, sed creditoris; ergo secundum illam partem tenetur restituere creditori ex re accepta, ut notat Tambur. cap. 3. §. 5.

Sequitur ultimo, quod filius post acceptam hæreditatem paternam teneatur restituere debita patris; quia bona antecessoris transeunt ad hæredem cum onere restituendi, quod aliis debetur. Excusatur tamen si hæreditas non sufficiat ad omnia debita solvenda, etiamsi non fecerit inventarium.

IX. Dubium est, An teneatur ad restitutionem, qui mala fide consumit fructus ex prædio, quod invincibiliter putat esse Pauli inimici, & revera est Petri amici? Ratio dubitandi est, quia talis consumptor neque est injurius Petro amico, cum non sciat prædium illud esse Petri, neque est injurius Paulo inimico, cum prædium non sit Pauli, sed Petri; ergo non videtur obligatus ad restitutionem ex injusta acceptione, seu ex damnificatione. Neque tenetur ex re accepta, cum fructus non extent.

Respondeo, Doctores communiter hunc ad restitu-

ſtitutionem obligare, ex radice injuſtæ acceptionis; quia, ut notat Lug. diſp. 17. de juſtitia num. 75., revera vult conſumere fructus illos, quos cognoſcit eſſe alienos, nec errat circa ſubſtantiam actionis, ſed ſolum circa circumſtantiam; cum putet Paulum eſſe dominum illorum fructuum, quando revera Petrus eſt dominus. Diximus tamen quæſt. 1. art. 4. num. 12., ubi de ignorantia comitante, ſi volens occidere Paulum Clericum inimicum, caſu occidat Petrum clericum amicum, quem invincibiliter putat eſſe Paulum, a nonnullis contra communiorem apud Dian. part. 9. tract. 4. reſol. 31. doceri, quod nec onus reſtitutionis, nec irregularitatem, nec excommunicationem incurrat; quia, ut notat idem Lug., in tali caſu error eſt circa ſubſtantiam actionis, nam non vult occidere hnnc hominem, quem occidit: Contra vero, in primo caſu vult conſumere hos fructus, quos conſumit, licet erret in domino illorum, & ideo error eſt circa circumſtantiam. Sed in utroque caſu faciendam eſſe reſtitutionem, & propter occiſionem Petri clerici amici contrahi irregularitatem, & excommunicationem, cum communi ſentiendum eſt.

ARTICULUS V.

Quid reſtituere teneatur Poſſeſſor dubiæ fidei?

I. *Dicitur poſſeſſor dubiæ fidei, qui rem poſſidet, quin poſſit certo affirmare illam eſſe ſuam, ſive de hoc dubitet, ſive etiam id opinetur.*

II. *Multipliciter autem tale dubium ſive negativum, ſive poſitivum contingere poteſt.*

III. *Ad quid tenetur qui bona fide cępit rem poſſidere, & deinde incipit dubitare, an ſit aliena?*

IV. *Qui magis inclinat ad dicendum, quod res, quam bona fide cępit poſſidere, ſit aliena, num ad aliquam reſtitutionem faciendam obligetur?*

V. *Regula illa*, In dubiis tutior pars eligenda eſt, *quomodo interpretanda ſit?*

VI. *Ad quid tenetur, qui poſſidens rem bona fide incipit dubitare, an ſit aliena, & omittit veritatem indagare?*

VII. *Qui poſſidet rem mala fide, & deinde incipit dubitare an ſit ſua, debet ne integram rem reſtituere, an pro rata dubii?*

VIII. *Ad quid tenetur, qui incipit poſſidere rem a nemine poſſeſſam dubia fide, dubitando ſcilicet, ſitne ſua, an aliena?*

IX. *Qui rem ab alio bona fide poſſeſſam rapit, dubitans, aut opinans, quod ſit ſua, tenetur ad integram ejus reſtitutionem. Sic pariter reſtituere integre tenetur, qui in ludo per fraudem vincit, quamvis dubitet, num ob fraudem, an caſu vicerit.*

X. *Non ſolum in materia juſtitiæ, ſed etiam in materia aliarum virtutum militat axioma illud*, In dubio melior eſt conditio poſſidentis.

XI. *Ad dignoſcendum autem, quando ſtat in poſſeſſione libertas, quando vero præceptum, prior regula, quæ aſſignari ſolet, eſt, quod in poſſeſſione ſtet id, quod tempore præcedit, ſi libertas, libertas; ſi præceptum, præceptum, quod in plurimis exemplis ſit perſpicuum.*

XII. *Altera regula, quam Doctores aſſignant, eſt, Pro eo ſtare poſſeſſionem in utroque foro, pro quo ſtat præſumptio; Hæc vero ſtat pro ea parte, quæ ad alteram transfert onus probandi intentum.*

I. DUbium ab opinione diſcriminatur in hoc, quod Dubium dicatur, quando intellectus non magis in unam, quam in alteram partem inclinat; Opinio vero, quando adhæret uni parti, non tamen certo, & infallibiliter, ſed cum formidine oppoſiti. Verum poſſeſſor dubiæ fidei dicitur quicumque rem aliquam poſſidet, quin poſſit certo affirmare illam eſſe ſuam, ſive tantum dubitet, ſive alteri parti adhærendo opinetur. Proinde quando inſurgit tale dubium, tenetur inquirere veritatem, aliter exponit ſe periculo retinendi rem alienam cum peccato. *Etenim qui amat periculum, peribit in illo*, Eccleſ. 3. Poſt factam vero inquiſitionem, ſi rem illam poſſideat, poteſt juſte retinere, & conſumere, quouſque non certo conſtet illam eſſe alienam, quod ſi deinde inveniatur dominus ante terminum præſcriptionis, vel uſucapionis, ſatis eſt, quod tanquam bonæ fidei poſſeſſor reſtituat rem, ejuſque fructus naturales, & mixtos, (demptis expenſis) ſi extent, aut ſi non extent, id in quo factus eſt ditior. Si tamen inquiſitionem illam debitam omiſerit, non ſolum peccat, ſed etiam ad illam reſtitutionem tenetur, ad quam obligatur poſſeſſor malæ fidei, atque adeo comparente domino non ſolum reſtituere debet rem ipſam, & id, in quo factus eſt ditior, ſed etiam fructus conſumptos, & omne damnum ſecutum, & lucrum, quod domino ceſſavit ex eo tempore, quo cœpit ille dubitare, & debitam diligentiam non adhibuit, ut notant Leſſ., Molin., & alii communiter,

II. Notandum ulterius; quod dubium, an res aliqua ſit propria, poſſit multipliciter contingere. Primo, ſi quis dubitet poſſidens bona fide. Secundo, ſi dubitet poſſidens mala fide. Tertio, ſi dubitet, quando rem aliquam primo occupat, unde incipiat illam poſſidere dubia fide. Quarto, ſi dubitet, quando rem aliquam aufert a poſſeſſore bonæ fidei; & in his omnibus dubiis examinandum eſt, an dubitans ad reſtitutionem teneatur?

III. Quæritur itaque primo, An teneatur ad restitutionem, qui rem bona fide cœpit possidere, v. gr. titulo emptionis, donationis, hæreditatis, &c. si deinde incipiat dubitare an sit aliena?

Respondeo, & dico primo. Qui sic dubitare cœpit, si posita diligenti inquisitione non comperit rem esse alienam, potest deponere practice dubium, & sic rem illam sibi retinere, & consumere; dummodo paratus sit restituere id, in quo factus est ditior, tanquam possessor bonæ fidei, comparente domino. Ratio est, quia in dubiis melior est conditio possidentis, ex regul. juris in 6. Immo propter eandem rationem potest rem illam alteri vendere, modo admoneat emptorem de tali dubio, (nisi omnino desperet fore, ut dominus compareat). Et ratio, cur debeat monere emptorem, est, tum quia res minoris valet cum tali dubio, tum etiam quia non admonendo emptorem, venderet illam rem vitiosam, quippe cum periculo ut emptor damnum patiatur comperto domino, ut notat Less. apud Bonac. Non est itaque verum, quod docet Cordub. quod scilicet possit rem illam solum retinere, non vero consumere, aut vendere. Ratio est, quia jus possessionis certum, utpote favorabile, ad omnia hæc se extendit; aliter possessio esset inutilis, & onerosa potius, quam favorabilis possessori, quippe qui potius esset custos, & depositarius, quam dominus.

Dico secundo; Possidens bona fide rem aliquam, si incipiat dubitare, an sit aliena, & post debitam inquisitionem adhuc in tali dubio persistat, non solum non debet rem illam integram dare illi, quem dubitat esse dominum, (ut docuit Adrianus in eo nixus, quod in dubiis tutior pars eligenda sit, ex cap. *Ad Audientiam*, *De homicidio*,) verum etiam nec tenetur cum illo dividere; (quod docent Sot. Aragon. Ledesm. putantes, quod stante æquali dubio, æquale sit jus utriusque partis). Probatur communiter conclusio, quia si æque dubitatur, utrum res, quæ possidetur, sit propria, an aliena, jam par est causa utriusque: In pari autem causa potior est conditio possidentis, ex *reg.* 33. *juris in* 6. Unde enatum est illud axioma: *In dubiis melior est conditio possidentis*. Confirmatur, quia in quolibet foro majus jus præfertur minori, & plura jura paucioribus; In casu autem nostro possessor dubitans habet duplex jus, videlicet jus certum possessionis, & jus dubium proprietatis. Alter vero, de quo dubitatur, an res sit illius, non habet nisi jus dubium proprietatis; ergo possessor illi præferendus est.

IV. Dubium tamen est, an saltem aliquid restituere teneatur, qui magis inclinat in eam partem, quod res, quam possidet, sit aliena, quam quod sit sua? Sanch. l. 2. disp. 41. affirmat, dicendo, quod juxta majorem, vel minorem hanc inclinationem, teneatur plus, vel minus restituere. Etenim quamvis in pari causa melior sit conditio possidentis, at quando possidens magis inclinat in eam partem, quod res sit aliena, non dicitur par esse utriusque causa; & ideo ratione istius inæqualitatis, & inclinationis debet aliquid restituere. Vasq. tamen, & alii communius cum eodem Sanch. in Summa l. 1. c. 10. num. 9. (ubi, ut notat Bonac. priorem sententiam retractavit) negant restitutionem ullam esse faciendam; tum quia possessio certa prævalet rationibus in contrarium non fundantibus assensum certum; tum etiam quia, ut notat Vasq. in foro externo non obligaretur hic ad restitutionem ullam; ergo neque in foro interno.

Si tamen possessor ita probabiliter judicet rem esse alienam, ut nullum probabile judicium habeat, quod sit sua, censeo cum Sanch. & Bardi, quod restituenda sit; quia talis probabilitas in moralibus actionibus est quædam certitudo moralis; qua de causa dicemus in de Pœnitentia, quod pœnitens teneatur subjicere clavibus peccatum, quod solum probabiliter judicat esse commissum, sed nullam habet probabilitatem, quod illud non commiserit; & sic in similibus casibus.

V. Ad regulam illam juris ab Adriano adductam, quod in dubiis tutior pars eligenda sit, respondet Suar. de Censur. disp. 40. sect. 6. illam esse de consilio, non vero de præcepto; nisi quando dubium est practicum: Verbi gr. si dubitetur an hæc operatio sit hic & nunc licita, necne, vel quando superior præcipit tutiorem partem eligendam esse, ut in cap. *Significasti* imponitur certa irregularitas pro homicidio dubio.

Dico tertio. Dubium superveniens possidenti rem bona fide, non interrumpit possessionem bonæ fidei, si interim adhibeatur debita diligentia ad assequendam veritatem: ut proinde si dum debita diligentia adhibetur, superveniat terminus præfixus ad præscriptionem, possit dubitans retinere sibi absolute rem illam, nec debeat restituere domino comparenti post talem terminum. Ita Medin. de Restitut. quæst. 16. & alii communius contra Adrian. & Sot. Probatur, quia in cap. *Si virgo* 34. *quæst.* 1. dicitur: *In jure prædiorum tamdiu unusquisque possessor bonæ fidei dicitur, quamdiu possidere se ignorat alienum.* Qui autem dubitat, certe ignorat, an res sit aliena; ergo perseverat in possessione bonæ fidei; unde poterit rem illam retinere, & fructus colligere, non tamen consumere fructus, qui possunt conservari; aliter frustra interim quæreretur dominus, ut illi res sua restituatur; Nisi tamen velit pecunia compensare alienationem talium fructuum, vel etiam ipsius rei, si quando expe-

expediret alienare. Ita Sanch. apud Bonac. punct. 3. quæst. 1.

Notandum tamen hic, diligentiam adhibendam ad reperiendum dominum talis rei non debere esse extraordinariam, sed moralem, & humanam; nec adhibendam esse diligentiam ullam, si rationes dubitandi sint leves, sed solum si sint graves, aut probabiles; quia tunc solum prudenter timeri potest, ne res illa sit aliena: Sicuti autem superior non debet, & forte non potest ex levibus conjecturis moveri ad inquirendum contra subditum, ita multo magis nemo ex iisdem conjecturis tenetur inquirere contra seipsum.

VI. Dico ultimo. Possessor bonæ fidei, si post dubium superveniens neglexit veritatem indagare, itaut propter omissionem diligentiæ debitæ non possit amplius dominus inveniri, præter peccatum, contraxit onus restitutionis, tanquam possessor malæ fidei, ex eo tempore, quo dubitans omisit veritatem inquirere. Ratio est; quia ex eo tempore cœpit possidere rem mala fide, & peccare contra justitiam; atqui peccans contra justitiam tenetur restituere damnum, quod irrogat; ergo hic tenetur restituere, vel domino, si forte compareat, vel pauperibus, tanquam malæ fidei possessor.

Bonac. tamen, & alii cum Pal. apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 29. putant probabilem esse sententiam oppositam, quod hic ad nihil teneatur; quia posito, quod non possit amplius dominus inveniri, quamvis commissum sit olim peccatum contra justitiam in non inquirendo illum, tamen nunc perseverat dubium sitne res aliena, an propria; Cum hoc autem dubio stat in eo certa possessio, quæ initio cœpit bona fide; ergo cum in pari causa melior sit conditio possidentis, ad nihil tenetur. Hæc tamen ratio non videtur efficax, quia quamvis possessio cœperit bona fide, at deinde suborto dubio, & omissa inquisitione debita, possessio cœpit esse mala fide; Possessio autem mala fide nullatenus suffragatur possidenti; ergo non potest propter possessionem sibi rem illam retinere.

Aliam rationem nonnulli adducunt apud Bonac. sic discurrendo: Posito, quod possessor nunc dubitet, an res sit aliena, non constat an damnum allatum intulerit omittendo diligentiam debitam in inquirendo domino; qui autem dubitat an sua actione, vel omissione fuerit aliis causa damni, non tenetur ad restitutionem; ergo in casu adducto hic non tenetur restituere. Sed neque hæc ratio est efficax, quia ex ea sequeretur, quod qui dubitat, an res, quam alius possidet, sit sua, solum peccaret contra justitiam, si illam sibi assumeret, nec teneretur deinde ad restitutionem; quia etiam incertum est, an fuerit illi causa damni, cum non constet cujusnam sit res illa. Quare sicuti in hoc secundo casu, quia possessio, in qua alter est, prævalet dubio tuo, ideo peccas contra justitiam, & teneris ad restitutionem; si rem illam tibi assumas, quamvis dubites sitne possidentis, an tua; ita in casu nostro, quia rem illam prius bona fide possessam cœpisti possidere mala fide, ex eo tempore, quo omisisti veritatem inquirere, non solum peccasti contra justitiam, sed etiam teneris ad restitutionem, quamvis dubites an res sit aliena, si tunc dominus poterat probabiliter inveniri, & nunc non potest amplius. Quare communis sententia tenenda est, ne detur furibus ansa retinendi res alienas.

VII. Quæritur secundo, An ad plenam restitutionem teneatur, qui possidens rem alienam mala fide (v. gr. per hoc quod credens illam esse furtivam emerit, aut dono habuerit) deinde dubitat sit ne aliena, an propria?

Respondeo, quod si mala fide cœpit rem possidere, peccavit contra justitiam, suborto tamen deinde dubio tenetur veritatem inquirere; quod si veritatem assequi non potest, tenetur rem illam, ejusque fructus tanquam possessor malæ fidei restituere, non tamen adæquate, sed pro rata dubii; itaut si æque dubitat, quod sit propria, vel aliena, possit sibi retinere dimidium, & dare dimidium alteri, quem putat esse dominum, aut pauperibus, si dominus non inveniatur. Ita communiter cum Less. Sanch. apud Bonac. contra Medin. & Villalob. qui putant debere rem totam restituere. Et sane, quod peccet contra justitiam non inquirendo veritatem, patet; quia ex lege justitiæ unusquisque tenetur non exponere se periculo injustitiæ, cui tamen ille se exponeret, si non inquireret dominum talis rei a se mala fide possessæ. Deinde quod teneatur rem, ejusque fructus omnes tanquam possessor malæ fidei restituere, si dominum inveniat, etiam est manifestum ex leg. *Quæsitum, ff. De acquirendo dominio*; cum mala fide rem illam possederit. Præterea quod teneatur etiam ad restitutionem tanquam possessor malæ fidei, etiamsi post diligentiam debitam non assequatur veritatem, nempe ad quem spectet talis res, est etiam perspicuum; quia in dubio non est melior conditio possidentis mala fide, sed solum possidentis bona fide; possessio enim non potest suffragari possidenti mala fide, quia possessio sine jure vero, vel præsumptio non est possessio, sed injusta detentio.

Demum quod in tali casu non teneatur hic ad integram restitutionem, ut putant Medin. & Villalob. sed solum pro rata dubii, Probatur, quia ex una parte sic dubitans non est causa cur non possit amplius inveniri dominus talis rei:

rei: Ex altera parte fieri potest, ut res illa non sit aliena, sed propria; ergo sicuti si dubitetur, sitne res illa Titii, an Caji, debet dividi inter Titium, & Cajum; ita si dubitetur, sitne propria, an aliena, debet cum illo dividi; cum nemo teneatur magis consulere aliis, quam sibi: & consequenter non debet integre restituere, sed solum pro rata dubii.

VIII. Idem itaque dicendum in casu, quo quis rem aliquam a nemine adhuc possessam primo occupet dubia fide, seu dubitans sitne res illa propria, an aliena; Quamvis enim in tali casu non peccaret, si illam acciperet ad inquirendum verum dominum; tamen si post debitam diligentiam non assequatur veritatem, seu verum dominum, non potest rem illam integram sibi retinere, cum non cœperit illam possidere bona fide, sed dubia fide; unde debet pro quantitate dubii restituere, ut notat idem Bonac. Quamvis si dominus sit incertus, probabile sit, quod non debeat illam cum pauperibus dividere, sed possit sibi retinere, cum non occupaverit illam mala fide, sed fide dubia, animo inquirendi veritatem, atque adeo sine culpa. Ex quibus constat, in quonam casu possessor dubiæ fidei comparetur possessori malæ fihei, quando scilicet omittit inquirere veritatem culpabiliter.

IX. Quæritur tertio, An teneatur ad integram restitutionem, qui aufert a possessore bonæ fidei rem aliquam, dubitans esse suam?

Respondeo, quod tanquam possessor malæ fidei ad integram restitutionem teneatur. Ita Less. Sanch. & alii communiter contra Medin. Ratio est, quia cum alter bona fide possideat rem illam, & in dubiis melior sit conditio possidentis bona fide, ideo non potest illi sine injustitia res tolli; & consequenter qui eam tolleret dubitans, quod sit sua, tenetur ad restitutionem plenam, cum injuste spoliet alterum re, quam juste possidet.

Adde, quod ad integram restitutionem teneatur, & contra justitiam peccet, non solum qui rem ab altero bona fide possessam sibi usurpat, dubitans, quod sit sua, sed etiam si probabiliter opinetur, quod sit sua, ut communiter etiam docent cum Sanch. l. 2. de Matrim. disp. 41. num. 34. contra nonnullos apud Dian. part. 9. tract. 9. resol. 44. Ratio est eadem, quia sine injustitia non potest quis spoliare alterum re, quam bona fide, & juste possidet, nisi sibi certo constet, quod res illa sit sua; quandoquidem jus certum, quod habet, qui rem possidet bona fide, non potest tolli, nisi ab eo, qui habet certum jus proprietatis; Qui autem opinatur, quod res sit propria, habet tantum jus probabile, non certum proprietatis; ergo peccat contra justitiam, si rem illam sibi accipiat a possidente bona fide; & ideo fere communissime Doctores docent, in compensatione facienda requiri certitudinem, non probabilitatem, ut suo loco dicemus.

Hinc est, quod conjux, qui opinatur matrimonium esse invalidum, teneatur reddere debitum alteri conjugi petenti bona fide, ut dicemus in de matrimonio; etenim injuste illum privaret ob solam probabilem rationem jure suo certo, quod habet ex possessione bonæ fidei; ergo pariter qui opinatur rem, quam alter bona fide possidet, esse suam, non potest illam sibi usurpare, ne possidentem privet jure suo certo.

Hinc etiam certum est, quod si ludas cum Titio, & facta fraude vincas, ita tamen, ut dubites ex fraudene, an ex fortuna viceris, tenearis integre restituere, ut notat Filliuc. tract. 32. c. 7. Cum enim cœperis possidere cum dubio rem, quam alter bona fide possidebat, æquipararis possessori malæ fidei, & ideo ad integram restitutionem teneris.

X. Rogabis hic, Utrum axioma illud, *In dubio melior est conditio possidentis*, sit universim verum in quacumque materia, itaut quoties dubitatur de aliqua obligatione, sive orta ex voto, sive ex præcepto, sive ex promissione, aut juramento, aut ex contractu, aut aliunde, decidendum sit dubium in favorem possidentis bona fide, itaut si libertas stet in possessione, nulla sit obligatio; secus vero si stet in possessione votum, præceptum, promissio, &c.

Respondeo affirmative cum communi apud Sanch. l. 2. de matrim. disp. 41. Tambur. lib. 1. c. 3. §. 6. contra Sot. Vasq. Azor. & alios apud Bardi de Conscientia dubia disp. 5. c. 4. putantes titulum possessionis esse solum in materia justitiæ. Ratio est, tum quia legitima possessio est titulus communis omnibus virtutibus; ergo non solum in materia justitiæ, sed etiam in materia aliarum virtutum possesio dat jus certum, si sit legitima, & bona fide; & consequenter melior est universim conditio possidentis; (dicitur autem possessio esse legitima, quando nec juris dispositio, nec præsumptio illi resistit, ex cap. *Ad decimas*, *De restitutione spoliatorum in 6.*) Tum etiam quia idem debet esse judicium fori interni, & externi, quoties externum non nititur in falsa præsumptione, ut communiter docent apud Sanch. atqui quando in foro externo consurgit dubium, sitne aliquis obligatus, necne, semper in quacumque materia deciditur dubium in favorem libertatis, si ea stet in possessione; in favorem vero legis, si hæc stet in possessione; ergo ita etiam in foro interno. Minor patet exemplificando primo in materia justitiæ; Si dubium sit, an quis teneatur ad solutionem alicujus debiti, quando stat in possessione libertas, decidi-

ciditur, quod non teneatur solvere; Contra vero, si debitum sit certum, & consurgat dubium, an revera illi satisfactum sit, quia stat in possessione obligatio, deciditur, quod teneatur. Eodem modo fertur judicium in materia religionis, &c. nam si dubium sit, an emiseris votum, an detur lex obligans; non teneris tali voto, aut lege: Econtra si certum sit votum, aut certa lex, v. gr. de recitandis horis, & dubium an satisfeceris, teneris satisfacere. Similiter si dubium sit, an elapsa sit media nox post diem Jovis, quia possidet libertas, poteris carnem comedere: Contra vero si dubium sit an elapsa sit media nox post diem Saturni, quia possidet præceptum, non poteris comedere carnes.

XI. Verum in assignanda regula generali ad dignoscendum quandonam stat in possessione libertas, quando vero obligatio, insudant Doctores, & in aliquibus materiis regula, quæ assignatur, non facile applicari potest, unde in multis casibus variant Doctores, & aliqui putant stare possessionem pro libertate, alii pro præcepto.

Prima regula, quæ assignari solet, est hujusmodi: Si prior tempore sit libertas, quam obligatio, stat in possessione libertas: Contra vero, si prior tempore sit obligatio. Hinc quia die Jovis prior est tempore libertas comedendi carnem, quam obligatio abstinendi ab illa die Veneris; hinc in dubio an sit elapsa media mox post diem Jovis possidet libertas, atque adeo poteris carnem comedere: Econtra die Saturni, siquidem prior tempore est obligatio abstinendi a carne, quam libertas comedendi illam die dominico. Eodem modo, si dubites, an tenearis ad solvendum debitum, ad satisfaciendum voto, ad confessionem peccati mortalis, &c. si libertas præcedat obligationem, non teneris: Contra vero; si certo scias, quod contraxeris debitum, emiseris votum, commiseris mortale, &c. & dubites, an satisfeceris, teneris; quia prior tempore est obligatio, quam libertas. Item si dubites, an compleveris vigesimum primum annum, non teneris ad jejunium; Sin dubites, an attigeris annum sexagesimum, teneris jejunare: Si dubites, an jurisdictio expirarit, poteris absolvere; sin dubites an illam habueris, absolvere non poteris.

XII. Si vero certus sis de voto, sed dubites, an emiseris illud ante septennium, putat Pal. contra Sanch. quod non tenearis, quia prior est libertas, quam ut obligeris a voto: Sanch. autem putat votum stare in possessione, quia certus es de illo, & dubius an emissum sit tempore, quo posses obligari: Probabilior autem videtur sententia Pal. quia dubium est, an sit emissum votum obligans, & præcedit tempore libertas: Ideo si dubitetur, an vota filii fuerint emissa ante ætatem requisitam, (scilicet personalia ante decimum quartum annum, & realia ante vigesimum quintum) probabiliter poterit pater illa irritare, quia præcedit tempore libertas, ut irritentur: Econtra si dubites, an habeas ætatem requisitam ad Ordines, non poteris illos suscipere, quia præcedit tempore obligatio non suscipiendi Ordines ante legitimam ætatem. Similiter si dubites nocte Nativitatis Domini, an elapsa sit media nox, non poteris celebrare, quia non præcedit tempore libertas celebrandi, sed obligatio non celebrandi, nisi post mediam noctem: Econtra si dubites an comederis post elapsam mediam noctem, poteris mane communicare, & celebrare, quia post elapsam mediam noctem prior fuit tempore libertas celebrandi, quam obligatio non celebrandi post sumptionem cibi. Quia tamen alii cum Lug. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 29. putant, in tali casu præcedere tempore hanc obligationem, ideo consequenter docent, quod non possis mane communicare, & celebrare. Mihi probabilior videtur prior sententia Laym. Bardi, Medin. apud eundem Dian. quia sive præcedat obligatio non communicandi post comestionem, sive præcedat libertas communicandi, tamen semper verum est, quod si dubium sit, an fuerit appositum impedimentum ad communionem ex comestione, semper præsumitur, quod tale impedimentum non sit appositum, ut dicemus in regula sequenti, & sic stat in possessione libertas communicandi.

Sed prosequamur in aliis materiis dubiis exemplificare: Si dubitas, an beneficium sit pingue, non teneris ad recitandas horas, quia præcedit libertas: Contra vero si dubites, an beneficium, quod erat pingue, evaserit tenue, teneris ad horas; quia præcedit obligatio. Si dubitas an data sit tibi facultas absolvendi hoc peccatum, non poteris illud absolvere, quia præcedit obligatio, seu negatio facultatis; Econtra si data tibi facultate audiendi confessiones, dubitas an reservatum tibi sit hoc peccatum, poteris absolvere, quia præcedit libertas, seu facultas. Si certa sit censura, sed dubium an sit justa, vel an a legitimo superiore, Tambur. cum aliis probabiliter putat, quod in foro interno illa non obligaris, quia præcedit libertas; sicut diximus probabile esse, quod præcedat libertas in dubio, an votum fuerit emissum ante, vel post septennium; Quamvis probabiliter etiam Bardi cum aliis putet, quod tali censura ligeris, quia probabile etiam est, quod præcedat obligatio, cum superior stet in possessione præcipiendi: Et eadem est difficultas, dum quæritur an teneatur solvere gabellam, qui dubitat, an sit justa; Et an teneatur respondere sine æquivocatione, qui dubitat, an legitime interrogetur a judice.

Si

Si dubites, an influxeris tuo consilio ad occisionem Clerici, quamvis irregularitatem incurras, quia hæc incurritur etiam in dubio homicidii, tamen quando dubium est prudens, docent probabiliter aliqui contra Sanch. lib. 2. de Matrim. disp. 41. quod non tenearis ad restitutionem, nec debeas te gerere ut excommunicatum, quia præcedit libertas. Eodem modo si ædificium corruat sub artifice, si causa perdatur sub advocato, si ægrotus pereat sub medico, si depositum, commodatum, locatum apud te pereat, & dubitetur, an hæc acciderint ex gravi culpa artificis, advocati, medici, aut tua, probabiliter non datur obligatio restitutionis, quia probabile est, quod præcedat libertas.

Si certus de dispensatione impedimenti obtenta, dubites an sit valida, non poteris ea uti; ut docet probabiliter Molin. quia videtur præcedere obligatio; at probabiliter etiam ex Dian. part. 4. poteris ea uti, quia in dubio semper judicandum est pro valore actus, ex leg. *Quoties*, *ff. De rebus dubiis*: unde si dubium sit, an professio religiosa fuerit valida, docent communiter Doctores contra Caramuel, & Tamb. quod censenda sit valida; Et si dubium sit, an validum fuerit matrimonium jam contractum, censendum est validum; possidet enim matrimonium, unde non est sua possessione spoliandum propter dubium superveniens. Demum si miles dubitet de justitia belli, Suar. Dian. & alii apud Tamb. lib. 1. cap. 3. §. 7. probabiliter putant, quod possit pugnare, quia Princeps stat in possessione præcipiendi; & miles etiamsi non sit vassallus, stat in possessione volendi libere servire in militia; Quamvis Vasq. Lug. & alii putent, quod pugnare non possit, quia videtur stare in possessione lex non pugnandi contra justitiam, & non exponendi se periculo alios occidendi injuste.

XIII. Altera regula assignari solet ad dignoscendum, pro quo stet possessio, juxta doctrinam Sanch. lib. 1. Decalogi cap. 10. n. 14. dicendo: Pro eo stare possessionem in utroque foro, pro quo stat præsumptio: nam, ut supra diximus, ex cap. *Ad decimas in 6.* Legitima possessio dicitur illa, cui nec juris dispositio, nec præsumptio resistit. Quoties itaque præsumptio stat pro una parte, pro illa etiam stat possessio; Ut autem dignoscatur, pro qua parte stet præsumptio, inspiciendum est, cuinam parti competat onus probandi, & pro altera parte dicendum est stare præsumptionem; idcirco enim uni parti competit onus probandi id, quod intendit, quia pro altera parte stet præsumptio, & possessio, a qua non potest divelli, nisi per certam rationem in contrarium. Exemplificemus nunc. Dubitas, an compleveris vigesimum primum annum, unde tenearis ad jejunium; quia præsumitur te non complevisse illum, donec probetur oppositum, dicitur præsumptio, & possessio stare pro libertate, unde poteris non jejunare: Econtra, si dubites, an attigeris annum sexagesimum, præsumptio dicitur stare pro præcepto jejunandi, quia donec probes te illum attigisse, præsumitur, quod non attigeris, unde teneris ad jejunium. Item si dubites, an sis legitimus, non eris irregularis, quia præsumitur, quod sis legitimus, donec probetur culpa patris; unusquisque enim præsumitur bonus, donec probetur, quod sit malus. Eodem modo debitor ex contractu morosus, si dubitet an esset restituturus pecuniam debitam, si fuisset monitus a creditore, juxta dicta art. 3. non tenetur resarcire damnum emergens, & lucrum cessans creditori, quia præsumitur, quod non esset delictum commissurus: Sic quando debitum est dubium, non teneris solvere, quia quilibet præsumitur libera debito, & alteri incumbit onus probandi debitum; Si vero post contractum debitum dubites, an satisfeceris, teneris satisfacere, quia præsumitur, quod non satisfeceris, & tibi incumbit onus probandi satisfactionem. Similiter si post diligentiam sufficientem dubites, an promiseris alteri matrimonium, non teneris promissionem implere; quia onus probandi illam competit promissario, unde præsumptio, & possessio stant pro libertate: Contra vero si constet de promissione matrimonii, sed dubites, an volueris te obligare, teneris; quia cum præsumptio habeatur ex communiter contingentibus, & communiter contingat, quod qui promittit, vult se obligare, hinc præsumptio stat pro obligatione, & ideo pro illa in foro externo judicaretur: Propter eandem rationem in dubio de valore actus, ut diximus, puta de validitate matrimonii, professionis religiosæ, dispensationis, &c. præsumendum, quod ea sint valida, quia communiter contingit esse valida, & ex communiter contingentibus habetur præsumptio.

Demum si dubites, an sit elapsa media nox nocte Nativitatis, non poteris celebrare, quia tibi incumbit onus probandi, quod sit elapsa, ut habeas libertatem celebrandi: Econtra, si dubites, an comederis post mediam noctem, probabiliter poteris communicare, quia post elapsam mediam noctem habes libertatem communicandi; si non sit appositum impedimentum per comestionem, & præsumitur, quod non sit appositum tale impedimentum, nisi probetur ab eo, qui vult tibi communionem prohibere.

Neque dicas, si dubium sit, an elapsa sit media nox, non potes celebrare, quia incumbit tibi onus probandi, quod non sit hoc impedimentum temporis; ergo si dubium sit, an comederis

post

post mediam noctem, neque poteris communicare, quia tibi pariter incumbit onus probandi, quod non adsit hoc impedimentum comestionis.

Nam concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia in primo casu tibi incumbit probare, quod sit elapsa media nox, quia non præsumitur elapsa, donec a te probetur: Econtra in secundo casu onus probandi comestionem post mediam noctem incumbit illi, qui vult tibi communionem prohibere, quia non præsumitur appositum tale impedimentum, donec probetur.

QUÆSTIO III.

De Cooperantibus ad damnum alterius.

EXaminabimus primo Quinam dicantur cooperari ad damnum alterius? Secundo, specialim agemus de mandante damnificationem. Tertio, De consulente. Quarto, De aliis positive ad damnificationem concurrentibus, qui sunt Consentiens, Palpo, Receptator, & Participans. Quinto, De concurrentibus negative, seu indirecte, qui sunt Mutus, non obstans, non manifestans. Sexto quæremus, Quantum singuli teneantur ad restitutionem, quando plures concurrunt ad totum damnum? Septimo, Quonam ordine restituere teneantur, qui tenentur in solidum restituere?

ARTICULUS I.

Quinam dicantur cooperari ad damnum alterius?

I. *Ad restitutionem tenentur tam positive concurrentes ad damnum alterius, quam concurrentes negative; qui omnes ad subsidium memoriæ celebri disticho continentur.*

II. *Tria requiruntur, ut talis obligatio consurgat, & quod damnum secutum sit; & quod illorum cooperatio præcesserit, & quod hæc fuerit causa efficax damni citra dubietatem.*

III. *An, & quomodo ad restituendum obligetur, qui concurrit ad damnificationem proximi, quæ cæteroqui etiam sine suo concursu fieret?*

IV. *Num teneatur ad restitutionem, qui ad damnum alterius concurrit solum quoad modum, videlicet ut celerius fiat, & non quoad substantiam?*

V. *Qui suo suffragio cum aliis concurrit ad sententiam injustam, quandonam a restitutione deobligatur?*

VI. *Qui dubitat. an suo suffragio ad sententiam injustam efficaciter concurrerit, adhuc videtur cum aliis in solidum obligandus: Esto verum sit, quod adulter non teneatur alere prolem, de qua dubitat, num sit sua, an mariti.*

VII. *Deobligatur a restitutione, qui dubitat, an damnum sit secutum, vel an ex aliqua sua actione graviter peccaminosa, vel an ad damnum influxerit; nisi tamen urgeat præsumptio, unde non habeatur dubium, sed moralis certitudo; ut solet accidere, si consilium detur de dnmno patrando.*

VIII. *Quando damnum est secutum, & dubitatur, num ex actione hujus, vel illius, uterque tenetur ad restitutionem.*

I. DIximus, quod præter impedientes injuste alteri bonum, & immediate causantes injuste alteri damnum, teneantur pariter ad restitutionem omnes illi, qui mediate concurrunt ad damnum alterius: Quinam autem dicantur sic concurrere, duobus illis versibus continentur.

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,
Participans, Mutus, Non obstans, Non manifestans.

Tenentur itaque ad restitutionem primo Mandans damnificationem. Secundo, Consulens. Tertio, Consentiens, nimirum suo suffragio, vel auctoritate. Quarto, Palpo, scilicet adulator laudando; quasi strenuum, qui damnificavit, ex quo hic moveatur ad novam damnificationem. Quinto Recursum præbens, seu receptans damnificatorem, eique qualitercumque auxilium ferens, dando refugium, & securitatem damnificanti, ut damnificet; aliter ad restitutionem non tenetur, si solum recipiat illum, vel titulo hospitii, cum sit caupo, vel titulo amicitiæ, aut consanguinitatis, cum sit amicus, aut consanguineus. Sexto, Participans, videlicet socius criminis, seu adjuvans realiter damnificantem, vel ut executor, vel ut mediator, vel ut explorator.

Præter hos positive concurrentes ad damnificationem, tenentur etiam ad restitutionem, qui negative se gerentes indirecte ad illam concurrunt. Quare tenetur Septimo Mutus, qui scil. verbo potest impedire damnum, reprehendendo, prohibendo, consulendo, clamando, (quando ad id ex justitia tenetur) & tamen tacet. Octavo, Non obstans, videlicet qui facto non prohibet damnificationem, ut ex justitia tenetur. Nono, Non manifestans, nimirum dum fit damnum, aut postquam factum est, quando tamen tenetur ex justitia manifestare, ut explicant communiter Doctores cum D. Th. quæst. 62.

Ratio

Ratio autem, cur omnes isti ad restitutionem teneantur, est, quia non sunt mera occasio, sed sunt vera causa injusta damni alterius; cum enim ad illud concurrant, & quidem efficaciter actione, vel omissione injusta, censentur esse causa injusta damni secuti, juxta axioma illud Philosophorum, *Causa causæ est causa causati*. Quod si essent mera occasio, vel causa inefficax, non tenerentur ad restitutionem; Sicuti ad restitutionem non tenetur Titius impingens alapam Cajo, qui ob impatientiam lapsus in morbum moritur; aut si persequens illum, hic casu in foveam cadat, & moriatur; Dicitur enim Titius in his casibus mera occasio, non causa mortis, eo quod raro, non ut plurimum, in iis circumstantiis sequatur mors, & ideo nec est irregularis; Immo si eo animo alapam impingat, ut forte ex illa moriatur, si alapa de se non est inductiva mortis, neque dicetur homicida, cum fuerit tantum causa inefficax mortis, ut communius docent apud Tamb. lib. 6. c. 4. §. 4.

II. Porro tria requiruntur, ut hujusmodi cooperantes teneantur ad restitutionem. Primo, quod vere damnum proximo secutum sit. Secundo, quod præcesserit eorum cooperatio. Tertio, quod hæc fuerit causa moralis, & efficax damni secuti quoad substantiam, ita scilicet ut damnum secutum imputabile sit cooperanti: Quod si aliquid ex his tribus non præcesserit, aut moraliter non sit certum, quod præcesserit, non habetur onus restitutionis in cooperante; quia damnum non est cur illi imputetur. His explicatis.

III. Quæritnr primo, An teneatur ad restitutionem, qui adjuvat alterum ad delictum damnificativum, quod etiam ab illo fieret sine tali socio, seu juvamine?

Respondeo affirmative cum Bonac. Vasq. & aliis communiter contra Paludan. & Sylvest. Ratio est, quia in tali casu hic adjuvando efficaciter influit in damnum. Hinc est, quod teneatur ad restitutionem miles, qui occidit Petrum, etiamsi ab alio Petrus esset occidendus; Et qui furatur rem, quam alter furaturus esset, si relinqueretur a primo, adhuc ad restitutionem tenetur.

Non negaverim tamen, quod docet Laym. c. 4. n. 2. quod si miles diripiens cum sociis domum Titii auferat vestem valentem centum aureos, quam alter certo moraliter sustulisset, si ipse non prævenisset, non extante tali veste, nec in se, nec in in æquivalenti, non teneatur miles restituere integrum pretium vestis, videlicet centum aureos, sed solum valorem vestis, quanti scilicet æstimabatur tunc, quando illam rapuit; Res enim valet pluris, vel minoris juxta varias circumstantias; In illo itaque periculo constituta vestis, itaut ab incursu hostium sit certo moraliter rapienda, parvi æstimatur, & ideo non centum, sed id, quod vestis tunc æstimaretur, restituere debet talis miles. Ubi adverte, quod ut parvi tunc æstimaretur vestis, opus erat, quod publice innotesceret incursus hostium; aliter æstimatio vestis non decrevisset.

At hinc non sequitur, quod si meo mandato, vel consilio, vel tenendo scalas, verbi gratia, adjuvo furem cæteroqui paratum ad furandum sine meo mandato, aut juvamine, ego ad integram restitutionem non tenear, eo quod decrescat in hoc casu valor rei, quæ surripitur. Neque sequitur, quod si duo unanimiter conveniant ad damnificandum, & alter præveniat, non teneatur uterque in solidum ad restitutionem; Etenim tunc solum ad integram restitutionem non tenetur mandans, aut consulens damnum, quando nullatenus a mandato, vel consilio movetur damnificans ad damnificandum; ut dicemus in articulis sequentibus. Sicut etiam si volenti furari centum dicas, quod furetur centum quinquaginta, solum teneris restituere quinquaginta, si solum fueris causa efficax furti relate ad quinquaginta, & non relate ad centum quinquaginta.

IV. Quæritur secundo, An teneatur ad restitutionem, qui volenti furari consilium dat, ut caute, & occulte faciat; aut volenti occidere dicat, ut veneno potius, quam gladio id faciat, non movendo illum ad substantiam, sed mere ad circumstantiam damni? Item quæritur, si volenti occidere cras dicat, quod occidat hodie, itaut solum influat ad accelerationem, non ad substantiam homicidii, eo quod non sit spes, quod homicidium dilatum impediatur.

Respondeo, Navar. Medin. Rabel. probabilius putare, quod teneatur, quia de facto damnum infert, & coinfluit in illud; & sententiam istam putat Less. regulariter in praxi sequendam, ut iniqui cooperatores abstineant a tali cooperatione. Laym. tamen tract. 2. cap. 5. Lug. Dicastil. Tambur. excusant hujusmodi cooperantem a restitutione, & Hurtad. excusat etiam ab irregularitate, quia nullatenus videtur influere in substantiam delicti, sed solum in modum. Ad quod confirmandum Joseph de Augustino utitur hoc exemplo; Si segetes, verbi gr. tui hostis conflagrarent sine spe auxilii, & tu ex odio flammas adderes, ut citius conflagrarent, peccares certe, sed non obligareris ad restitutionem, quia non inferres novum damnum. Hæc tamen ratio non convincit; intantum enim in hoc casu non tenereris ad restitutionem, quia segetes in illis circumstantiis existimantur pro nihilo.

Addit Laym. contra Cajet. Medin. apud Dianam p. 3. tract. 5. res. 84. quod etiamsi tuo consilio, vel hortatu magis confirmetur damnificator ad damnificandum, non per hoc tenea-

tenearis ad restitutionem, si cæteroqui ille esset determinatus quoad substantiam; quia vere non fuisti causa efficax damni quoad substantiam; quandoquidem etiam sine tuo consilio illud inferendum fuisset. Sed Vasq. docet, quod sicut ad restitutionem tenetur qui furem adjuvat tenendo scalas, quamvis fur adhuc sine socio esset furaturus, ita qui dat consilium, ut damnificator damnificet confirmando illum, tenetur ad restitutionem, quamvis etiam sine tali consilio damnificaturus esset, nam in utroque casu habetur de facto cooperatio ad damnum.

Illud autem certum est, quod si parato occidere hodie suadeas, ut occidat cras, & solum intendas dilationem occisionis in bonum occidendi, non pecces, nec ad restitutionem tenearis; secus vero si intendas dilationem, ut melius homicidium patretur.

V. Quæritur tertio, An teneatur ad restitutionem, qui suo suffragio cooperatur ad damnum alterius, (verbi gratia, ad sententiam injustam, ad amissionem officii, beneficii, cathedræ, vel ad impositionem gabellæ injustæ, &c.) quando etiam secluso tali suffragio ferretur sententia injusta, eo quod reliqua suffragia satis sint ad illam ferendam.

Respondeo, quod si sententia injusta a prioribus suffragiis publicis sit conclusa, & tu nullatenus possis illam impedire suffragio tuo, quamvis pecces contra justitiam addendo tuum suffragium iniquum, tamen probabiliter ad restitutionem non teneris, ut docet Laym.. Less. cap. 13. num. 23., & alii apud Dian. part. 1. tract. 3. ref. 16., & 30. Sicut diximus, non teneri ad restitutionem, qui addit flammas segetibus omnino conflagrandis. Ratio est, quia in priori ad tuum suffragium præsupponitur causa damni jam determinata, itaut tua cooperatio sit omnino inefficax. Quod si suffragia priora essent revocabilia, procul dubio ad restitutionem tenereris; sicut etiam si suffragium tuum esset ex primis, quamvis certo cognosceres ex sequentibus suffragiis iniquis sententiam injustam esse concludendam, ut communiter docent contra Salon. apud eundem Dian., quia qui primum suffragium tulit, posuit causam efficacem damni, & concurrit positive ad illud; Non secus ac si quis primo vulneret Petrum, certo advertens, quod a reliquis vulneribus infligendus ab aliis sociis sit confodiendus, est vere homicida, & tenetur ad restitutionem.

VI. Quod si suffragia fuerint secreta, & tibi incertum sit utrum tuum suffragium iniquum fuerit ex non necessariis ultimo loco datum, Merol. apud Tambur. lib. 1.cap. 13., Navar., & Bonac. disp. 1. quæst. 2. punct. 8. putant, quod omnes, qui suffragium tulerunt, teneantur ad restitutionem in solidum; tum quia omnes constant unam causam adæquatam, sicuti si centum trahant navim, licet nonaginta sufficerent, omnes tamen simul trahunt; tum etiam quia possessio videtur stare pro damno, quod constat illatum esse, & dubium est a quonam sit illatum; tum demum quia in foro externo judicaretur contra singulos; ergo etiam in foro interno, cum idem sit utriusque fori judicium, quoties forum externum non nititur in falsa præsumptione. Rebel. tam, Sayr. Henr. Dian. part. 3. tract. 5. resol. 84. apud Lug. disp. 19. sect. 1. num. 20. videntur deobligare omnes, quia singuli sunt in certa possessione suæ pecuniæ, quam non tenentur alteri tradere, nisi obligatio sit luce meridiana clarior; cum autem incertum sit, an suffragium cujuslibet fuerit ex primis, nemo habet certitudinem, quod damnum irrogarit, atque adeo nemo tenetur restituere. Huic tamen sententiæ astipulari nullatenus possum. Demum Molin. & Lug. obligant quidem omnes, non tamen in solidum ad totum, sed solum ad partem pro rata dubii, quod quilibet habet, num fuerit proprium suffragium ex primis inferentibus damnum, an vero ex ultimis non necessariis, & consequenter damnum non inferentibus. Equidem tamen censeo, omnes in solidum esse obligandos, quia stat in possessione damnum resarciendum, & dubia est uniuscujusque excusatio.

Dices: Adulter non tenetur alere filium adulteræ, quando dubium est, num sit filius suus, an vero sui patris; immo neque tenetur ad medietatem alimentorum per hoc præcise, quod in dubiis melior sit conditio possidentis; ergo neque in casu nostro ulla dabitur obligatio restitutionis.

Respondeo, nego consequentiam. Disparitas est, quia in primo casu dubium est, an secutum sit ullum damnum: Econtra in casu nostro certum est, quod sit secutum damnum, & solum dubium est, a quibusnam suffragiis illud sit secutum; & ideo omnes, qui tulerunt suffragium, obligantur ad restitutionem; Sicuti si duo jaciant sagittam ad occidendum Petrum, & illum occidant, quamvis neuter sciat an sua sagitta sit occisus, uterque tamen ad restitutionem tenetur; Et ideo si duo cum eadem fœmina adulterentur, uterque in solidum tenetur prolem alere, si dubitatur de illis, & non de marito, qui tunc erat absens.

VII. Hic autem adverte, quod universim si dubites primo, an damnum sit secutum; Secundo, si dubites, an damnum, quod secutum est, sit ex aliqua actione tua; Tertio, si dubites, an damnum secutum ex aliqua actione tua contigerit ex gravi tua theologica culpa, seu ex peccato mortali tuo; Quarto, si dubites, an damnum secutum ex aliqua actione tua mortaliter

taliter peccaminosa ita secutum fuerit, ut tua actio fuerit causa, & influxerit in damnum, an vero fuerit tantum occasio; In his omnibus dubiis probabiliter ad restitutionem non teneris, ex Sayr., Rebel., Tambur. lib. 1. cap. 3. §. 7. V. *Damnum secutum*. Ratio est, quia in his omnibus dubiis stat in possessione certa tua libertas, cum incertum sit, an fueris causa damni. Non negaverim tamen, quod si aliquando adeo urget præsumptio, ut non sit dubium, sed habeatur moralis certitudo, quod fueris causa damni, tunc ad restitutionem tenearis: Sicuti si quem associaveris ad homicidium, diceris moraliter certus, quod concurreris ad illud, quia communiter qui associant, sunt cooperatores delicti. Et ideo Sanch. lib. 2. Matrim. disput. 41. num. 17., Molin., & alii putant in quarto dubio adducto regulariter quemlibet obligari ad restitutionem, quippe, cum certa sit actio tua graviter injusta, puta consilium, vel associatio, præsumendum est, quod cum curreris ad damnum, quod talem actionem graviter injustam consequi solet; Quia tamen aliquando possunt adesse rationes efficaces dubitandi, an consilium, vel associatio influxerit, ut si consilium dederis, quando homicida erat capitalis inimicus occisi, & omnia erant jam parata ad homicidium, in tali casu probabiliter excusaris a restitutione, quia es in vero dubio, an interfuerit tua cooperatio.

VIII. Dixi, te non teneri ad restitutionem, quando dubitas, an ex actione tua damnum sit secutum; verbi gratia, si dubitas, an tuo consilio influxeris ad homicidium, an depositum tua culpa perierit, &c. Si tamen certum est, quod ex actione aliquorum damnum sit secutum, & solum dubium est, utrum ex actione hujus, vel illius, ut in casu de suffragiis, & in casu de duobus jacientibus sagittam ad Petrum occidendum, videntur omnes ad restitutionem obligati, si minus in solidum, saltem pro rata dubii. Ratio est, quia cum certum sit damnum esse secutum, nec sit major ratio, cur hic, & non ille oaligetur, nec videatur rationabile, ut nemo ad restitutionem obligetur, ideo omnes sunt obligandi: Propter eandem rationem, si fœmina, ut diximus, a pluribus adulteris cognoscatur, filius videtur alendus ab illis pro rata dubii, cum non sit rationabile, ut omnes deobligentur. Ratio disparitatis inter hos, & priores casus bene assignatur a Reginald. apud Bonac. disp. 1. qu. 2. punct. 4, quia quando dubitas, an consilium tuum, verbi gratia, influxerit ad homicidium, possessio stat pro libertate, cum cæteroqui homicida certe obligetur ad damnum resarciendum; Econtra quando dubitatur, Petrusne, an Paulus sua sagitta occiderit Cajum, possessio stat pro delicto, quod constat ab alterutro patratum esse, nec est major ratio de uno, quam de altero, nec est rationabile, ut uterque deobligetur.

ARTICULUS II.

De Mandante damnificationem.

I. Tam explicitum, quam implicitum mandatum de proximo damnificando, secuto effectu, trahit onus restitutionis.

II. Mandans, revocato mandato, sive explicite, sive implicite, itaut revocationis notitia ad Mandatarium perveniat, non tenetur ad restitutionem.

III. Cur non pariter deobligetur a restitutione Consulens revocato consilio?

IV. Si mandatarius in damnificando excedat limites mandati, num, & quando mandans teneatur etiam excessum compensare?

V. Non tenetur mandans ad compensanda damna mandatarii, qui sponte, aut accepto pretio mandatum acceptavit.

VI. Ratihabitio damnificationis de se non trahit onus restituendi. Solum relate ad pœnas fori exterioris ratihabitio solet æquiparari mandato.

VII. Irregularitas tamen, quæ incurritur a mandante homicidium, non extenditur ad ratihabentem.

I. DEscendimus ad agendum in particulari de cooperantibus ad alterius damnum, & initium sumimus a Jubente, qui scilicet mandavit damnificationem, vel explicite, vel implicite, (dicendo verbi gratia, si quis id fecerit, carus mihi erit, utinam quis id faceret:) vel etiam tacite, ut si quis tibi dicat, se in tui gratiam occisurum alterum, & tu non contradicas. Et sane, quod mandans secuto effectu ad restitutionem teneatur, non est dubium, cum sit vera causa moralis efficax damni.

II. Quæritur nunc primo; An mandans revocato mandato teneatur ad restitutionem, si mandatarius adhuc damnum intulit?

Respondeo negative, dummodo revocatio mandati innotuerit mandatario, & deinde illius non obliviscatur, sive revocatio fiat explicite, sive etiam tacite, ut si Titius mandet Cajo, ut occidat suum inimicum, & deinde Titius pacem ineat cum suo inimico, in quo casu tacite mandatum revocatur, atque adeo si Cajus mandatarius occidat inimicum, non vi mandati, sed ex sua malitia istum occidet. Idque verum est, etiamsi Cajus fingat, mandati revocationem non habuisse. Si tamen notitia revocationis vere ad mandatarium non perveniat, aut ejus deinde obliviscatur, procul dubio vi mandati sequitur

tur damnum, atque adeo mandans ad restitutionem tenetur.

III. Dices: Consulens adhuc revocato consilio tenetur ad restitutionem; ergo etiam mandans revocato mandato.

Respondeo transmisso antecedente, quod negatur a Petro Navarro, Medin., Reginald. lib. 10. num. 108., & aliis, præsertim si consulens, postquam revocavit consilium, pro virili admoneat tam eum, cui consilium dedit, quam illum contra quem consilium datum est, ut sibi caveat, & consilium tanquam perniciosum repellat; nego consequentiam. Disparitas est, quia mandatarius operatur in gratiam mandantis, & ut ejus voluntatem exequatur; Revocato autem mandato jam non exequitur voluntatem mandantis, unde mandatum non influit in damnum: Econtra consiliarius, seu qui habuit consilium, non operatur in gratiam consulentis, sed in gratiam sui, quamvis ex rationibus a consulente adductis; unde fit, ut etiam revocato consilio possit ab iisdem rationibus moveri ad damnificandum; atque adeo consilium vere influat in damum.

Dicemus tamen in de Censuris, quod si revocato consilio rationibus validis adhuc sequatur homicidium Clerici, probabiliter neque censura, neque irregularitas, neque onus restitutionis incurratur a consulente, quandoquidem in tali casu consiliarius ex propria malitia potius, quam ex consilio, aut auctoritate consulentis movetur ad occasionem Clerici.

Opponi solet, quod propinans venenum alteri incurrat irregularitatem, & onus restitutionis, si mors sequatur, quamvis conatus sit post propinatum venenum extinguere illud antidotis; ergo etiam in casu, quo consulens conetur rationibus validis revocare consilium. Sed respondetur, disparitatem esse inter venenum, & consilium, quod venenum operatur naturaliter, & ut causa necessaria; consilium vero moraliter causat suum effectum, non necessitando consiliarium ad ponendum quod consulitur. Quare si venenum antidotis non extinguatur, certe mors, quæ sequitur, causatur a veneno, & tribuitur propinanti illud: Contra vero si consilium reddatur inefficax a consulente adducente rationes validiores in contrarium, tum provenit ex malitia consiliarii libere operantis, non ex efficacia consilii; unde consiliario, non consulenti tribuitur mors.

IV. Quæritur secundo, An si mandatarius excedat limites mandati, teneatur mandans ad restitutionem debitam pro tali excessu; Verbi gratia, si solum mandet occisionem Petri, & mandatarius post occisum Petrum comburat illius domum, teneturne mandans resarcire damnum incendii?

Respondeo cum communi apud Dian. part. 8. tract. 7. resol. 33. quod si excessus tribuatur soli arbitrio mandatarii, non teneatur mandans ad restitutionem pro tali excessu; ut si mandet Titio percussionem Petri levem, & Titius illum occidat. Quod si excessus damni est ex communiter contingentibus, poteratque facile prævideri a mandante, certe hic obligabitur ad restitutionem: Verbi gratia, si jubeat Titio, ut graviter vulneret Petrum, Titius illum occidat; vel si mandet, ut occidat Petrum, quem mandans advertit esse similem Paulo, & casu occidatur Paulus; Si tamen ad hanc similitudinem non adverteret mandans, excusaretur a restitutione, sicut excusatur ab irregularitate a Sacra Congregatione, ut notat Dian. part. 9. tract. 4. resol. 31.

V. Quæritur tertio. An mandans teneatur ad resarcienda damna, quæ forte paritur mandatarius exequendo mandatum, verbi gratia, si exequendo homicidium mittatur ad triremes?

Respondeo cum Dicastil. lib. 3. tract. 2. disp. 4. lib. 4. quod non teneatur, si mandatarius libere acceptavit mandatum, & multo magis si propter illud accepit pretium. Ratio est, quia ultro ille talibus periculis se objecit, atque adeo cum nullam injuriam a mandante sit passus, non potest aliquid ab eo exigere pro damno, quod incurrit exequendo mandatum: Secus vero si non sponte, sed coacte suscepit mandatum: ut videtur cogi subditus ad mandata superioris; vel si deceptus sit; quia sic ejus damnum sequitur ex injuria per deceptionem, aut coactionem illata.

VI. Quæritur quarto, An teneatur ad restitutionem, qui ratum habet, seu approbat damnum nomine suo factum, quod tamen ille nunquam mandavit, ne tacite quidem?

Respondeo cum communi negative. Ratio est, quia ratihabitio, seu approbatio non influit in damnum, cum supponat illud jam illatum; unde ratum habens non potest dici causa moralis damni. Et quamvis ratihabitio sit causa finalis, propter quam executor damnum intulit, non per hoc sequitur, quod ratum habens teneatur ad restitutionem: Sicuti si quis occidat alium, non propter ratihabitionem, sed propter amorem Titii, non per hoc sequitur, quod Titius, qui est causa finalis, teneatur ad restitutionem. Et ratio a priori est, quia causa finalis nihil operatur; neque enim ullus dicitur peccare, & lædere justitiam per hoc præcise, quod sit causa finalis peccati, aut injustitiæ ab alio commissæ.

Notandum tamen, quod si ratihabitio damni secuti sit causa, ut novum damnum sequatur, procul dubio ratum habens tenetur ad restitutionem hujus novi damni: Verbi gratia, si exe-

cutor omittat restituere ablatum ex eo, quia dominus ratum habuit furtum, tenetur etiam dominus ad restitutionem, quia in tali casu est causa talis damni.

Opponitur. *Ex regul.* 10. *juris in* 6. Ratihabitio retrotrahitur, & comparatur mandato: ergo sicut ad restitutionem tenetur mandans, ita etiam ratum habens.

Respondeo, distinguo antecedens: comparatur mandato quoad causalitatem damni, nego; si enim damnum præcessit ratihabitioni, quomodo potest ab illa causari? Comparatur mandato quoad pœnas fori exterioris, concedo antecedens; & nego consequentiam. Etenim quia easdem pœnas meretur ratum habens, & mandans, ideo per fictionem juris ratihabitio dicitur retrotrahi, & comparari mandato; Præsertim quia ratum habens præsumi probabiliter potest, quod mandaverit damnum secutum, & propterea per dispositionem juris eadem pœna uterque puniri solet: Sicuti eadem censura punitur mandans, & ratam habens percussionem Clerici: Et propter eandem rationem aliquando etiam in contractibus ratihabitio in jure habetur pro mandato.

VII. Notandum tamen, quod quamvis pęnæ exterioris fori impositæ mandanti possint rationabiliter extendi ad ratum habentem, non tamen semper ipso facto extenduntur. Quare si per dispositionem juris non extendantur, non incurruntur a ratum habente. Hinc quamvis eandem excommunicationem incurrat mandans, & ratam habens percussionem Clerici; quia sic jus disposuit in Cap. *Cum quis*, *De Sententia Excommunicationis in* 6. nihilominus ratam habens occisionem non incurrit irregularitatem, quam incurrit mandans; quia id jus non disposuit. Et certum est irregularitatem non incurri, nisi in casibus jure expressis; Ex quibus omnibus constat onus restitutionis a ratihabente non incurri, sicut incurritur a mandante damnificationem.

ARTICULUS III.

De Consulente damnum alterius.

I. *Nomine Consulentis damnificationem venit etiam qui hortatur, dirigit, instruit, terret minis, &c. Tenetur autem consulens resarcire etiam damnum, quod forte patitur Consiliarius, si hic bona fide procedat.*

II. *Quandonam deobligatur a restitutione consulens? Et quomodo debeat consiliarium monere, ut desistat?*

III. *Ad restitutionem tenetur consulens, etiamsi sine suo consilio adhuc damnum a consiliario inferendum esset, dummodo consilium moveat.*

IV. *Si dubitatur, an consilium influxerit, teneturne Consiliarius aut integre, aut saltem pro rata dubii restituere, an omnino deobligatur?*

V. *Quando consilium non influit in substantiam, sed solum ad circumstantium damni, adhuc probabilius tenetur consulens ad restitutionem.*

VI. *Probabilius etiam ad restitutionem tenetur, qui suo consilio, vel auxilio cooperatur ad damnum, quod etiam sine tali consilio, vel auxilio fieret omnino.*

VII. *Qui male consulit non ex malitia, sed ex ignorantia graviter culpabili, num teneatur ad restitutionem damni ex consilio causati.*

VIII. *Si stipendium accipit, qui dat consilium, tenetur de levi culpa juridica, quamvis non sine gravi theologica.*

IX. *Qui sine gravi culpa dat consilium noxium, tenetur non solum ex charitate, sed probabilius etiam ex justitia consiliarium monere ad avertendum damnum.*

X. *Ad restitutionem non tenetur secundum se, nec peccat, qui dat consilium de inferendo damno minore ei, qui determinatus est ad inferendum damnum majus.*

XI. *Secus vero si quis consilium det de inferendo minori damno Petro ei, qui determiuatus est inferre majus Paulo.*

I. NOmine Consulentis venit hic non solum qui dat consilium iniquum, sed etiam qui hortatur, dirigit, instruit, terret, suadet, minatur ad injustum damnum præstandum; cum eadem ratio sit de his omnibus. Sunt enim omnes causa efficax damni, atque adeo omnes ad restitutionem tenentur. Immo si consulens advertat injustitiam consilii, aut ignoret illam ignorantia crassa, & consiliarius bona fide procedat, tenetur consulens non solum resarcire damnum ei, contra quem fuit consilium, sed etiam resarcire damnum, quod forte sequitur ipsi consiliario; quandoquidem consulens fuit causa utriusque damni, & consiliarius in tali casu ad nullam restitutionem teneretur ex titulo injustæ acceptionis: Et idem dicas de mandante respectu mandatarii.

II. Diximus autem articulo superiore quod probabiliter revocato consilio rationibus efficacibus esset onus restitutionis, præsertim si moneatur is, contra quem fuit datum consilium, ut sibi caveat, quando videt consiliarium obstinatum; ad quam monitionem faciendam, si minus ex justitia, ut multi volunt, saltem ex charitate tenetur, quando potest illam facere sine gravi suo incommodo consulens, ut docet Sanch. lib. 1. Consil. cap. 4. dub. 5. Quod si furtum ex tuo consilio patratum sit, & deinde efficaciter restitutionem persuaseris, si revera hæc non sequa-

quatur, sive ex impotentia, sive ex malitia futuris, adhuc tu ad restitutionem teneberis, quia damnum originem habuit ex pravo consilio, ideoque tibi imputatur.

III. Quæritur nunc primo; An teneatur ad restitutionem Consulens, quando damnificatio etiam sine tali consilio fieret ab executore?

Respondeo, ex dictis art. 1. quod teneatur, si executor etiam a tali consilio motus fuit ad damnificandum. Sicut enim si decem rapiant, verbi gratia, navem alienam, omnes tenentur ad restitutionem, quia omnes sunt causa injusta damni, etiamsi navis adhuc sine uno ex illis raperetur a reliquis novem, ita in casu nostro tenetur consulens, quamvis etiam sine tali consilio damnum fieret. Et ratio a priori est, quia est vera concausa efficax damni. Si tamen executor erat jam determinatus ad damnificationem, & nullatenus ad illam motus fuit a consilio superveniente, in tali casu consulens ad restitutionem non tenebitur, ut communiter docent cum Less. Medin. Vasq.

IV. Quod si dubium sit, an executor a consilio motus fuerit ad damnificandum, tres sunt sententiæ apud Tambur. lib. 1. cap. 3. §. 7. V. *Suffragium*. Prima Rebel. Sayr. Dian. docens, quod consulens non teneatur, quia in tali dubio videtur stare in possessione libertas. Secunda Merol., quod teneatur, quia videtur stare in possessione delictum, quod certe commissum est; sicuti si duo jaculentur sagittam, & occidant Petrum, quamvis certum sit, quod primus illum occiderit, & dubium sit de secundo, videtur tamen etiam secundus ad restitutionem obligandus. Tertia Molin., de Lugo, & aliorum obligantium consulentem ad restituendam partem damni pro rata dubii.

V. Si tamen Titius determinatus occidere inimicum, a consulente non moveatur ad substantiam delicti, sed solum ad circumstantiam, puta quod veneno potius, quam gladio, hoc potius loco, vel tempore, quam alio illum occidat, diximus art. 1. probabilius consulentem ad restitutionem teneri, ut docet Molin. Rebel. & alii, quia de facto ad mortem illam concurrit: Quamvis Laym. Lug. & alii illum excusent, eo quod non concurrat ad substantiam damni, sed ad circumstantiam, quæ non fert novum damnum; parum enim, aut nihil interest ad damni illationem, quod fiat, verbi gratia, hoc, vel illo loco, hoc, vel illo tempore, quando homicidium absque dubio ponendum est, & ideo Hurtad. liberat hunc etiam ab irregularitate. Sicuti enim communius docent cum Laym. Less. & aliis contra Adrian. & Molin. quod qui determinato damnum minus inferre, furando, verbi gratia, centum aureos, consulit, ut inferat majus, verbi gratia, centum quinquaginta, tenetur solum ad restitutionem excessus damni, quod consuluit, videlicet quinquaginta, ita qui consulit circumstantiam tantum non afferentem novum damnum, non videtur ad restitutionem ullam obligari.

VI. Addit Laym. cap. 5. cum Less. cap. 14. dub. 4. contra Vasq. de Restitutione cap. 9. §. 1. dub. 2. quod etiam ab onere restitutionis liber sit, qui tantum materialiter cooperatur ad damnum, nullo modo influens in illud, quando scilicet sine tali cooperatione adhuc damnum ab alio inferretur, verbi gratia, si furi scalas teneas, quas etiam ille conscenderet ad furandum, si nemo illas teneret, vel si ancilla dominæ asportet cistam furtivam, ut ei obediat, quam cæteroqui ipsa domina asportaret. Verum de hac re recurret iterum sermo, cum de participante, & art. 1. sententia opposita Vasq. visa est nobis probabilior.

VII. Quæritur secundo; An teneatur ad restitutionem solum ille, qui male consulit ex dolo, (puta si confessarius ex malitia dicat te non esse obligatum ad restituendum, cum vere tenearis,) an etiam qui male consulit ex culpa gravi; verbi gratia, si confessarius, vel advocatus ex ignorantia graviter culpabili deobligent a restituendo eum qui obligatur?

Respondeo cum Laym. c. 5. distinguendo; nam vel consulens est persona, quæ ratione sui status, vel muneris doctrinam, & peritiam præsefert, ut advocatus, confessarius, consiliarius, medicus, &c. & tenebitur saltem de culpa lata; immo etiam de levi juridica, quando proprium commodum, verbi gratia stipendium recipit ex consilio dato; Vel consulens non est talis, & non tenebitur ad restitutionem, nisi ex consilio doloso. Etenim ex *regul. 62. in 6.* nullus ex consilio, nisi fraudulentum sit, obligatur. Ratio discriminis est, quia qui peritiam, & doctrinam præsefert, si illa careat, hoc ipso decipit eum, qui per simplicitatem ipsius consilium, & auctoritatem sequitur; Contra vero, si talem peritiam non profitetur; nemo enim prudens ejus consilium sequitur, cujus peritiam prius non exploret.

Hinc sequitur primo, quod si plebejus inconsiderate, sed sine fraude det noxium consilium, quamvis graviter peccet ex ignorantia crassa, immo licet peccet contra charitatem, non per hoc ad restitutionem tenebitur. Ratio est, quia qui ejus consilium sequitur, debet id suæ potius, quam alterius temeritati, & imprudentiæ imputare.

Sequitur secundo, quod si advocatus, confessarius, medicus, &c. adhibeant diligentiam, quam solent alii ejusdem conditionis in dando consilio apto, non teneantur ad ullam restitutionem, si ex consilio dato damnum sequatur; quam

vis

vis non secutum fuisset tale damnum, si majorem diligentiam adhibuissent, ut sanius consilium darent; Si tamen eam diligentiam non adhibeant, peccant graviter, & ad restitutionem tenentur, etiamsi sine fraude male consulant.

VIII. Diximus tamen quod qui stipendium accipiunt, teneantur non solum de culpa lata juridica, sed etiam de levi, non quia peccatum veniale satis sit ad inducendam obligationem restitutionis gravis, sed quia Medicus, Parochus, Advocatus, &c. qui suo munere lucrum reportant, obligantur ad adhibendam majorem diligentiam in dando cosilio apto, quam alii, qui solum ex charitate dant consilium omnino gratis; unde si illi non adhibeant majorem diligentiam debitam, peccant graviter, & ideo ad restitutionem tenentur. Facilius itaque ex negligentia, & ignorantia graviter peccat, & consequenter ad restitutionem tenetur Medicus, qui lucrum reportat, & Parochus, quam medicus, vel confessarius, qui ex charitate tale munus exercet, ut notat Bonac. quæst. 2. punct. 7.

IX. Quod si Confessarius, Medicus, Theologus, Concionator, & alii sine culpa gravi dederint consilium noxium, dicendo, verbi gratia, quod non obligetur ad restitutionem, qui revera obligatur, aut econtra; quamvis non teneantur ad resarciendum damnum, cum non peccaverint graviter, tamen ubi errorem advertunt, tenentur facere quantum possunt ne damnum sequatur, etiamsi cessaverit eorum officium; puta si absoluta sit confessio, aut si non amplius exerceatur munus medici. Ratio est, quia quilibet tenetur non solum ex charitate, ut putat Sanch. lib. 2. Consil. cap. 4. dub. 5. sed etiam ex justitia, ut communiter docent Doctores, procurare, ne ex actione sua positive jura alterius lædantur; Et ideo qui inculpabiliter ignem accendit in rebus alienis, tenetur ex justitia illum extinguere, si commode potest, ut notat Lug. disp. 8. sect. 7. Et qui inculpabiliter alium infamavit, tenetur ex justitia, ubi id advertit, famam restituere.

X. Quæritur tertio, An teneatur ad restitutionem, qui parato inferre damnum majus consulit, ut inferat minus; verbi gratia, determinato ad occidendum Petrum consulit, ut illum percutiat?

Respondeo cum communiori apud Sanch. de Matrim. lib. 7. disp. 5. num. 14. & Bonac. punct. 7. negative. Sicuti enim communius concedunt Doctores, quod volenti omnino facere malum majus, puta adulterium, licitum sit illi consulere malum minus, puta fornicationem, quia tale consilium non est absolutum, sed saltem implicite conditionatum, quatenus si contra castitatem omnino velit ille peccare, potius peccet fornicando, quam adulterando; ita pariter in casu nostro volenti omnino occidere Petrum, licitum, est illi consulere, ut potius percutiat. Ratio a priori est, quia utiliter agit negotium alterius, qui volenti ab illo, verbi gratia, furari centum, aut equum, suadet, ut furetur quinquaginta, aut ovem; cum non possit aliter illum divertere a voluntate inferendi damnum majus: Immo, ut notat Bonac. loc. cit. in his casibus non solum est licitum suadere damnum minus, sed etiam quomodolibet ad illud inducere, atque etiam cooperari, verbi gratia, adducendo ovem, quamvis cooperari non possit damno minori, quando actio est intrinsece mala. Quare possumus, verbi gratia, consulere, ut mutilet Petrum, volenti illum occidere, non possumus tamen ad mutilationem cooperari; cum non sint facienda mala, unde eveniant bona. Consilium autem non fertur absolute in mutilationem malam, sed solum conditionate, & proinde solum intenditur defectus majoris mali, videlicet mortis; atque adeo consilium cum feratur in bonum, seu in defectum majoris mali, licitum est: Cooperatio tamen, quæ directe fertur in mutilationem malam, est illicita. Addit Sanch. loc. cit. contra Lug. quod si quis consulat damnum omnino æquale, neque ad restitutionem teneatur, quamvis forte peccaret. Et ratio est, quia nullo pacto læderet justitiam, seu jus alterius, quandoquidem damnum jam exequendum erat in uno genere, & consilium fuit, ut damnum omnino æquale in alio genere fieret.

Dubium majus est, Utrum liceat suadere damnum minus relate ad Petrum parato inferre majus Paulo? verbi gratia, an liceat consulere mutilationem Petri parato occidere Paulum?

Communiter Doctores docent apud Bonac. loc. cit. non licere, ac teneri ad restitutionem, qui tale consilium daret, eo quod esset injurius Petro, qui nec mutilationem, nec aliud damnum esset passurus, secluso tali consilio. Solum licitum est in genere illi suadere, ut potius minus malum, quam majus faciat, (quamvis ille hinc deducat, quod potius debeat a Petro divite, quam a Paulo paupere furari) ostendendo tantum directe majorem malitiam illius furti, ut ab ea abstineat: Docere etiam potest minus malum esse a Petro divite, quam a Paulo paupere furari, non vero inducendo illum ad malitiam furti minorem illati diviti, quamvis indirecte hoc sequatur. Immo si quis velit furari a Titio, potest illi dici, quod potius furetur ab alio, neminem in particulari nominando, quia sic avertitur ab illo delicto, & nulli particulari personæ fit injuria.

AR-

ARTICULUS IV.

De reliquis positive cooperantibus ad damnificationem.

I. Positive ad damnificationem concurrunt etiam Consentiens, Adulator, Receptator, & Participans, præter Mandantem, & Consulentem.

II. Consentiens, nempe Approbans, favens, aut ferens suffragium in delicto, ad restitutionem tenetur, si sic sit causa damni. At quid in dubio an suffragium influxerit in damnum?

III. Qui ex officio tenetur suffragium ferre, ad restitutionem tenetur, si illud omittat, quando ex tali omissione sequitur damnum.

IV. Adulator, aut irrisor si sic damnum causet, ad restitutionem obligabitur, si ad id advertat, quamvis directe illud non intendat.

V. Quinam dicatur Recursum præbens, ac Receptans? Et quando hic ad restitutionem teneatur? Etiamsi rationabiliter dubitet, quod ex furis receptatione damnum sit secuturum, adhuc ad restitutionem obligabitur.

VI. Caupones, qui chartas, sedilia, lumen concedunt iis, qui aliena pecunia ludunt, ad restitutionem tenentur; non tamen si permittant illos domi suæ palam ludere.

VII. Qui furem receptat amicitiæ causa, ad restitutionem non tenetur, nisi sic sit causa, quod res furto sublata non restituatur, aut quod novum damnum causetur. Quonam pacto possint Advocati fures defendere?

VIII. Si te non receptante fure, ab aliis facile receptaretur, illum adjuvando ad fugiendum, & non concurrendo ad injustam retentionem, num tenearis ad restitutionem?

IX. Participantis nomine venit, qui præstito auxilio formaliter ad damnum cooperatur.

X. Excusantur participantes, qui gravi metu adiguntur ad opus non malum intrinsece; ut qui remigant capti a Turcis in triremibus adversus Christianos: aut qui metu mortis præbent furi claves ad furandum.

XI. Quid si quis adjuvet furem, qui sine tali auxilio adhuc idem furtum facturus esset?

XII. Prævidens quod furtum, aut homicidium sit imputandum alteri innocenti, tenetur etiam huic damnum, quod inde reportat, compensare.

I. PRæter Mandantem, & Consulentem, positive etiam ad damnificationem cooperatur Consentiens, Palpo, Receptator, & Participans, de quibus sigillatim agendum.

II. Quæritur primo, Quisnam dicantur, & quando teneatur ad restitutionem Consentiens?

Respondeo, Consentientem dici, qui approbat damnificationem, aut favet, aut fert suffragium in delicto; Verbi gratia, si quis e Magistratu, vel Capitulo suffragium, vel consensum præstet ad decernendam legem damnosam, aut ad eligendum indignum, & Ecclesiæ perniciosum. Ut autem consentiens ad restitutionem teneatur, requiritur, ut damnum ex vi suæ approbationis, vel suffragii sequatur, ut diximus de mandato, & consilio; aliter non dicitur causa efficax damni. Quare si princeps, verbi gratia, decernat firmiter legem injustam, & deinde advocet Senatores, ut illam approbent, peccant quidem Senatores approbando, sed ad restitutionem non tenentur; quia eorum approbatio non influxit in legem injustam, utpote jam antea decretam. Quod si dubitetur an influxerit approbatio; dubium decidendum est, sicut diximus articulo superiore num. 4. de Consilio, in dubio an influxerit ad damnificationem. Quod si damnum decernendum sit a quinque suffragantibus ad plura suffragia, & post tria sufficientia addatur quartum non necessarium, art. 1. num. 5. resolvimus, an teneatur ad restitutionem, qui dedit hoc quartum suffragium, sive secretum fuerit, & incertum, sive publicum, & certum.

III. Illud hic dumtaxat notandum cum Molin. Dian. part. 3. tract. 2. resol. 6. quod non solum qui fert suffragium injustum, ad restitutionem teneatur, si sit causa efficax damni, sed etiam qui non fert suffragium, ad quod ex officio tenetur, quando tale suffragium in bonum alicujus, vel Reipublicæ redundaret. Ex quo infert Dian. quod qui ex officio tenetur, non potest licite abesse, veluti renunciando favori, quem habet ferendi suffragium, sed debet omnino illud ferre, itaut si ex defectu sui suffragii damnum aliquod sequatur, non solum peccet non ferendo sententiam, seu suffragium, sed etiam ad restitutionem teneatur, quippe qui ex justitia tale damnum impedire tenetur, cum ex officio suo debeat suffragium ferre, a quo damnum impediatur.

IV. Quæritur secundo, Quisnam dicatur, & quando teneatur ad restitutionem Palpo, seu Palpator?

Respondeo, Palpatorem dici, qui laudando, vel adulando alium, aut econtra irridendo, & notando illius ignaviam, est causa efficax damnificationis; puta si quis commemorando hominis injuria affecti nobilitatem, corporis vires, &c. vel exaggerando acceptam contumeliam, dedecus, &c. illum ad injustam vindictam, & damni illationem concitet. Tenetur autem ad restitutionem Palpo, etiamsi non laudet, aut irrideat animo ut damnum alteri inferatur; Satis enim est, si prævideat damnum ex tali laude, aut irrisione secuturum; Si tamen inculpabiliter ad id non adverteret, certum est, quod ad restitutionem non teneretur ob defectum volunta-

luntarii. Requiritur etiam ut alter sine tali adulatione damnum non esset illaturus ad hoc, ut palpator ad restitutionem teneatur, ut diximus de consentiente, mandante, consulente.

V. Quæritur tertio, Quisnam dicatur, & quando teneatur ad restitutionem Receptans?

Respondeo, quod Receptator, seu recursum præbens dicatur ille, qui latroni, verbi gratia, antequam furtum committat, præbet habitationem, equum, pecuniam, honores, officia, favores apud principes, & Magistratus; necnon qui retinet illum in amicitia, aut defendit in judicio, & similibus aliis auxiliis quomodocumque fovet, ac nutrit, securitatemque præstat ad damnificandum, aut ad non restituendum. Hujusmodi autem Receptator procul dubio ad restitutionem tenetur, eo quod sit causa efficax damni.

Ut autem ad restitutionem teneatur, requiritur Primo, ut damnum secutum sit ex tali recursu, quia nimirum fur ex tali recursu movetur vel ad damnificandum simpliciter, vel ad damnificandum cum majori securitate; ut si quis furetur, quia habet Advocatum, vel Judicem, a quo defendatur, vel liberetur; aut si occidat, quia amicus promisit recipere illum domi suæ, vel commodare equum, quo fugiat; vel quia habet amicitiam Principis, a quo protegitur; aut si quis officialis ferat sententias injustas propter officium sibi datum a Principe. Secundo requiritur, ut talis receptans credat, aut dubitet probabiliter damnum futurum ex tali recursu, aut quod id ignoret ignorantia crassa; hæc enim ignorantia in casu nostro æquiparatur scientiæ; sicuti etiam æquiparatur scientiæ rationabilis dubitatio de damno; nam qui rationabiliter dubitat, an sit futurum damnum ex sua receptatione furis, & adhuc illum receptat, exponit se periculo causandi damnum injustum: Ex Ecclesiast. enim *Qui amat periculum, peribit in illo*.

VI. Ex dictis sequitur primo, quod parentes, consanguinei, amici, eleemosynarii, aliique, qui domi retinent filios, consanguineos, amicos, hospites, illisque tribuunt necessaria eorum statui, non peccent, nec teneantur ad restitutionem, quamvis advertant ex negatione talium rerum necessariarum eos cessaturos a damnificando. Ratio est, quia quamvis sine his rebus necessariis non fieret damnum, (sicut neque sine conservatione divina,) tamen neque ex natura rei, neque ex intentione operantis hæc sunt ordinarie media ad damnificandum; neque enim ideo quis occidit, aut furatur, quia in hac domo habitat, vel quia comedit, &c. Dixi, ordinarie, nam si aliquando ea essent media ad damanificandum, ut si quis haberet hinc majorem opportunitatem furandi, transeundo, verbi gratia, ex hac in aliam domum, in qua furetur, certe non possent ea præstari sine culpa, & onere restitutionis. Hinc Bonac.punct. 9.num.3.cum Molin., & aliis ad restitutionem obligat Cauponarios, qui concedunt sedilia, mensas, lumen, chartas iis, qui ludunt aliena pecunia, non tamen si illis nihil necessarii præbent ad ludendum, sed solum permittunt, quod in sua domo ludant, nec illos occultant, &c.

VII. Sequitur secundo, quod qui post factum furtum recipit domi furem, aut illum adjuvat, ut fugiat ratione consanguinitatis, vel necessitatis, vel ob metum mortis, aut humanitatis, vel hospitii causa, neque teneatur ad restitutionem; modo non occurrant hæc duo; primum, quod talis recursus non sit probabiliter causa novi damni, aut causa ne resarciatur damnum illatum; tunc enim recursus esset causa efficax hujus novi damni, atque adeo reciperetur fur non solum materialiter, sed etiam formaliter; ut loquitur Sayrus lib.10.tract.2.cap.2. Unde recursum præbens ad restitutionem tenetur: Secundum est, quod talis recursus non impediat, ut diximus, damni illati restitutionem. Unde Medin. quæst.2.dub.2. ad restitutionem obligat eos, qui pro fure apud Principem, vel Judicem intercedunt, ne male ablata restituere cogatur; aut alias favorem impendunt, quominus possint aliena recuperari, factum excusando, & reum defendendo, ut passim, inquit, Advocati facere solent. Quamvis Molin. disp. 733., Dicast., & alii excusant Advocatos, & Procuratores, quando defendunt in judicio fures, excusando eos, in iis duntaxat, in quibus ipsimet fures possent se juste in judicio defendere, ut possunt, quando delictum est occultum, aut semiplene probatum, aut quando injuste vexantur, juris ordine non servato. Ratio est, quia in his casibus Advocati non defendunt fures inquantum fures, sed inquantum habent jus se defendendi in prædictis.

VIII. Eodem pacto Less., Lug. Bonac.punct. 9. excusant eum, qui post commissum delictum a fure, hunc abscondit, & adjuvat ad fugiendum; Si enim non dat spem refugii in posterum, nec alio modo concurrit ad injustam retentionem rei furtivæ, non censetur causa efficax damni; Unde sicuti licitum est delinquenti fugere; ita pariter licitum est aliis illum adjuvare ad fugiendum. Aliam etiam excusationem dat Rebel. apud Tambur., quando scilicet si non reciperetur a te fur, æque ab aliis in suo diversorio reciperetur; Etenim cum in tali casu damnum a fure certe inferendum sit, non censeris tu causa efficax damni per hoc, quod furem abscondas. Ex quibus patet, quomodo intelligenda sit excommunicatio in Bulla Cœnæ contra receptatores hæreticorum; intelligenda est de receptoribus hæreticorum formaliter, seu inquantum hæretici sunt, non materialiter.

Sequi-

Sequitur tertio, Magnates, parentes, dominos teneri ad restitutionem damnorum, si vassalli, filii, servi damnum inferant, fidentes eorum potentiæ, & protectioni; dummodo illi hoc advertant, & dissimulent. Ratio est, quia censentur causa efficax damni.

Sequitur ultimo, eos, qui res furtivas receptant, & quomodocumque conservant pro fure, teneri ad restitutionem, quamvis nihil ex iis rebus sibi retineant; Etenim receptatio rei alienæ ad hoc, ut dominus non possit illam recuperare, est evidens damnificatio proximi. Quare si quis abscondit domi suæ furem cum spoliis fugientem, potest quidem, ut diximus cum Less. furem non manifestare, sed tenetur, si potest, sine gravi incommodo, aut metu non dare illa spolia furi, sed domino; etiamsi promisisset, jurasset, & vovisset dare illa furi; quandoquidem votum, & juramentum de re illicita non obligant, cum non sint vinculum iniquitatis, ut notat Navar. lib. 3. cap. 4.

IX. Quæritur quarto, Quisnam dicatur & quando teneatur ad restitutionem participans?

Respondeo, nomine Participantis non venire, qui quomodocumque ad damnificationem cooperatur; sic enim confunderetur cum mandante, consulente, & aliis: sed venire, qui præstito auxilio, vel subsidio ad damnum inferendum formaliter cooperatur; ut esset Notarius conficiens instrumentum usurarium, & testes subscribentes in gratiam mutuantis, faber ferrarius subministrans clavem ad furandum, qui scalas furi tenet, qui comitatur, eique assistit animi augendi causa, qui vigilem, & exploratorem agit: Item qui simul furtum exequuntur, necnon mediatores, seu proxenetæ, (vulgo Sensari,) qui ad contractus usurarios in gratiam mutuatoris inducuut, & pecuniam usurariam exigunt; Vel qui vendunt, aut distrahunt res, quas alter furatus est; Omnes isti ad restitutionem tenentur, tanquam participes furti, cum sint pariter causa efficax damni.

X. Excusantur primo non solum ab onere restituendi, sed etiam a culpa, qui gravi metu coacti participant in opere non intrinsece malo; Sic excusantur Christiani capti a Turcis, si metu mortis, vel gravis incommodi coacti remigant in triremibus adversus Christianos; talis enim actio non est intrinsece mala, cum Turcæ possint eis bene uti, ut communiter docent Doctores apud Bonac. hic contra Navar. cap. 27. & alios; Contra vero, neque a peccato, neque ab onere restitutionis excusantur iidem Christiani, si metu mortis compulsi ignem bombardis admoveant non ad terrendum solum, sed ad occidendos Christianos; aut si sagittas emittant, &c. talis enim actio occisiva innocentis, & injuste damnificativa est intrinsece mala, ut notat Vasq. cum aliis. Immo nec excusantur a remigando ex Bonac. quando ex remigatione magnum Reipublicæ Christianæ incommodum oritur; quia bonum publicum præferendum est privato.

Excusantur pariter, qui metu mortis compulsi præbent furi claves, aut instrumenta ad furandum, scalas tenent, &c. quia hujusmodi actiones sunt indifferentes; & quamvis proxime ad peccatum concurrant, metus tamen mortis sufficiens est ad excusandum, qui materialiter peccato alterius cooperaretur. Nemo autem potest arcas alienas effringere immediate, aut res alienas e fenestra projicere, metu injecto, nisi faciat animo compensandi damnum, aut nisi credat dominum non fore rationabiliter invitum; puta si projiciendæ non sint gravis momenti, & metus injectus sit valde gravis, ut notat Less. apud eundem Bonac. Proscripta tamen est ab Innoc. XI. thesis 51. quæ habet: *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendentem per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties ei subservit, deferendo scalas, aperiendo januam, aut quid simile cooperando non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatnr, ne domo expellatur*: De qua plura notavimus in Trutina damnatarum thesium illam exponendo.

Excusantur demum, qui materialiter cooperantur ad damnum, quando cooperatio est remota, & etiam sine tali cooperatione damnum ab altero fieret. Exemplum affert Paludan. apud Laym. de famulo usurarii, qui pecunias jussu domini numerando, aliud non faciat, quam suas manus denigrare; quandoquidem etiam secluso auxilio famuli ab ipsomet domino pecuniæ numerarentur; & præterea actio numerandi pecunias, ad quam famulus concurrit, est de se indifferens, & non intrinsece mala, nec immediate concurrrens ad usuram. Aliud exemplum affert Laym. de ancilla, quæ dominæ suæ obediens asportat cistam furtivam, quam cæteroqui ipsa domina asportaret.

X. Quod si sine auxilio famulæ domina cistam asportare non posset, famula non liberaretur ab onere restitutionis etiamsi non deesset alia famula, a qua asportaretur, ut notavit Adrian. quia vere concurreret ad furtum efficaciter; Neque enim fur excusatur a restitutione, quando furatur rem, quam alius furaturus esset, nisi præveniret, ut notat Navar. loc. cit. Ubi etiam docet ex D. Th. Participantem non teneri ad restitutionem, quando non fuit causa, sine qua non: verbi gratia, quando quis comitatur furem, qui sine tali comitatu adhuc sine dubio tale furtum esset commissurus, tunc comitans ad restitutionem non tenetur: Immo si Petrus ad juvandum furem rapientem centum, i-

pse

ipse rapiat quinquaginta, quamvis adjuvet furem, tamen non tenetur restituere, nisi solum quinquaginta, quando sine suo auxilio adhuc fur esset rapturus illa centum, nec uterque ad totum furtum concurrit, sed singuli ad partem suam. Hæc probabiliter, sed probabilior videtur opposita sententia Vasq. ut diximus articulo superiori.

XII. Quæritur ultimo, An quando damnum, puta furtum, vel homicidium factum a Titio, putatur factum a Cajo, qui proinde incarceratur, facit multas expensas, non lucratur, &c. teneatur Titius non solum reparare damnum illatum tertio per furtum, aut homicidium, sed etiam reparare damnum Caji innocentis, cui tale furtum, aut homicidium imputatur.

Respondeo tunc solum teneri ad reparanda damna Caji innocentis, quando ante factum prævidit delictum suum imputandum Cajo; ut docet Cardinal. l. 2. quæst. 31. art. 3. quia tunc damnum Caji innocentis esset a se volitum, saltem in causa; & ideo sibi imputaretur ad culpam contra justitiam: Non tenetur autem in his tribus casibus. Primo, si non prævidit, quia malum non prævisum in sua causa non potest pertinere culpabiliter ad peccatum, & volitionem causæ. Secundo, si damnum Caji innocentis postea cognitum placeret; quia hoc non esset peccatum injustitiæ exterioris, sed interioris, quæ non trahit onus restitutionis. Tertio, si Titius damnificator prævidet ex suo facto secuturam legitimam condemnationem Caji vere nocentis; tunc enim esto peccet contra charitatem, at non contra justitiam, cum Cajus meritas pœnas luat; Sicuti non peccat contra justitiam, nec restituere tenetur, qui contra charitatem non præmissa correctione fraterna accusat, aut denunciat aliquem delinquentem, qui nihil injuste patitur.

ARTICULUS V.
De Cooperantibus negative ad damnificationem.

I. Ad restitutionem tenentur Mutus, Non obstans, Non manifestans, si contra justitiam peccent non impediendo damnum proximi.

II. In his oritur obligatio ex justitia, non solum ex contractu, sed etiam ex quasi contractu, seu ex officio.

III. Qui omittit impedire damnum, quod etiam posito impedimento sequeretur, ad restitutionem obligatur, nec peccat, quamvis ex justitia secundum se impedire illud teneatur.

IV. Testis legitime interrogatus, qui non detegit veritatem, prout debet ex justitia legali, non tenetur probabiliter ad restitutionem damni, quod inde sequitur.

V. Nec tenetur Confessarius, immo probabiliter nec Parochus, qui culpabiliter omittit monere pœnitentem de restitutione facienda. Nec Pater, si filiis deneget alimenta, quæ ex pietate iis debet.

VI. Famuli non tenentur ad restitutionem, si non impediant furta domesticorum; secus vero extraneorum.

VII. Custodes vectigalium, saltuum, vineæ ad restitutionem damni tenentur, si illud non impediant; non tamen ad restitutionem pœnæ, quam deberet solvere delinquens.

VIII. Judices, & Episcopi si malo suo exemplo alios inducant ad furandum, probabiliter ad restitutionem damni non tenentur. Sed probabilius est, quod teneantur; Unde probabilius Episcopi censuras, & irregularitatem incurrunt, si non impediant percussionem Clerici, & homicidia.

IX. Qui non tenetur ex justitia revelare furem, potest ab eo aliquid accipere ne revelet; dummodo illud non sit pars furti; nec per hoc fur reddatur animosior ad furandum. Quid si hic legitime a Judice interrogetur de fure?

I. Mutus, Non obstans, Non manifestans dicuntur negative ad damnificationem cooperari. Est autem mutus, qui loquendo, reprehendendo, clamando, consulendo potest impedire damnum proximi, & tamen tacet: Non obstans vero dicitur, qui potest damnum impedire obstando, seu præbendo suum auxilium, & operam, & tamen non præbet: Demum dicitur non manifestans, qui potest revelare aut damnum inferendum, ne inferatur, aut damnum illatum, ut resarciatur, & tamen non revelat.

Quæritur nunc primo, Quando ad restitutionem teneantur isti, qui negetive cooperantur ad actionem injustam?

Respondeo, ut ad restitutionem teneantur, non satis est, quod peccarint contra charitatem, non præbendo auxilium, non revelando, sed debenr peccasse contra justitiam; atque adeo nisi ex justitia teneantur impedire damnum proximi, quamvis negative se gerant, & illud non impediant, non per hoc ad restitutionem tenentur. Ratio est, quia ex dictis onus restituendi contrahitur ex sola culpa gravi contra justitiam commutativam.

Adde, quod etiam qui ex iustitia tenentur impedire damnum proximi clamando, &c. si non possint id facere sine gravi incommodo, cum excusentur a tali obligatione ratione gravis incommodi, nec peccant, nec onus restitutionis contrahunt, si negative se gerant: Nisi tamen aliquid aliud exposcat pactum, ut in milite, & in Parocho, &c. qui etiam cum gravi incom-

modo tenentur ex justitia impedire hostium incursus, hæreses, &c.

II. Oritur autem obligatio ex justitia non tantum ex contractu, sed etiam ex quasi contractu, hoc est officio; qui enim ex officio obligantur ad damnum impediendum, obligantur ex quasi contractu, seu ex contractu implicito: Unde Principes ex justitia tenentur impedire in suis terris damna a latronibus, a feris, &c. Tutor, Curator, ac Ministrator impedire damna pupillis, minoribus, Ecclesiis provenientia; Assessor, Consiliarius, Canonicus impedire iniquam constitutionem, electionem, &c. Proinde si tacendo, vel se absentando illam non impediant, ad restitutionem tenentur.

III. Præterea liberatur tam a culpa, quam ab onere restitutionis, qui omittit impedire damnificationem, quando etiam posito a se impedimento damnum eodem modo aliunde sequeretur; tunc enim positio impedimenti esset otiosa, & omissio non potest dici causa efficax damni; quamvis peccaret saltem contra charitatem, qui omitteret ponere impedimentum eo animo, ut damnum ex illo etiam capite sequatur.

Infertur ex dictis primo cum communi contra Angel. apud Bonacin. quod si quis negative se habeat ex odio, ut damnum alteri sequatur, si non teneatur ex justitia, sed solum ex charitate tale damnum impedire; non obligetur ad restitutionem. Ratio est, quia illud odium, utpote internum, nullo pacto est causa externi damni; Ipsum vero silentium externum, & omissio auxilii, cum sint quid negativum, non sunt causa damni positivi, quando non important omissionem actus debiti ex justitia; ergo nisi ex justitia aliquis teneatur impedire damnum alterius, ad restitutionem non obligatur. Immo si quis ex pravo animo, non tamen vi, vel fraude impediat Titium volentem obstare furi, & impedire damna Caji, ad quod Titius ex charitate solum tenebatur, neque ille est reus restitutionis, ut communiter docent contra Navar. Ratio est, quia si non peccat contra justitiam Titius non obstando, a fortiori nec ille, qui impedit Titium, ne obstet, cum is sit magis remota causa damni, quam sit Titius. Neque tenetur ad restitutionem, qui sine vi, & fraude, sed sola suasione obtinet, ne Titius det eleemosynam alteri, quam non debet ex justitia, ut communiter docent contra Medin. quia non tollit ab eo aliquid, ad quod habet jus.

IV Infertur secundo cum Sylvest. Less. Dian. part. 3. tract. 5. resol. 14. contra Tolet. Rebel. Reginald. excusari testes a restitutione damni secuti, si juridice interroganti veritatem non manifestent. Ratio est, quia licet testis obligetur ex justitia legali, & ex charitate ad veritatem aperiendam, non est tamen certum, quod ad id obligetur ex justitia commutativa; cum non obligetur ex contractu, neque ex quasi contractu, seu officio.

V. Infertur tertio ex Bonac. non teneri ad restitutionem parentes, si negent filiis alimenta; quia non ex justitia, sed ex pietate tenentur illa subministrare: Econtra tenetur ad restitutionem dominus, si deneget famulis alimenta, ad quæ ex contractu se obligavit. Præterea probabiliter nec tenetur ad restitutionem Confessarius, si ex malitia omittat monere pœnitentem, ut restituat. Ratio est, quia probabiliter ne Parochus quidem tenetur ex justitia prospicere bono temporali aliorum, sed solum bono spirituali suarum ovium, ut diximus quæst. 1. art. ult. cum Bonac. quamvis opposita sententia utriusque Navarri, & Lessii lib. 2. cap. 13. dub. 10. visa nobis sit probabilior.

VI. Infertur quarto, famulos non teneri ad restitutionem, si non impediant furta, quæ a domesticis, & a confamulis fiunt, quando ipsis non est demandata cura illarum rerum. Ratio est, quia quamvis ad id teneantur ex charitate, quando facile, & sine suo gravi incommodo possunt, non tenentur tamen ex justitia: Econtra ad restitutionem obligantur, si non impediant furta extraneorum, (quibus comparatur fur domesticus, si congreget res domini, ut nocte cum illis fugiat:) Etenim ex contractu famulatus, atque adeo ex justitia ad id obligantur, ut notat Navar. cum aliis apud Laym. hic & Bonac.

VII. Infertur quinto, Custodes vineæ, saltuum, vectigalium, &c. obligari ad restitutionem damni, quod dominus patitur, si non impediant fures, venatores, piscatores, & fraudantes vectigalia, cum ad id ex justitia, seu vi pacti, & officii teneantur; etiamsi aliquando ipsi, qui fraudant vectigalia, aut venantur, &c. non peccent.

Dubium hic est, An hujusmodi custodes teneantur etiam ad restituendam pœnam, quam delinquentes solvissent, si accusati essent?

Affirmant Rebel. Molin. Navar. Sed probabilius negant Vasq. & alii communius apud Bonacin. hic; tum quia non est ea praxis; tum quia custodes videntur ex pacto solum obligati ad impediendum damnum, non vero ad locupletandos dominos talibus pœnis; tum demum quia ad has pœnas non habent domini jus ante sententiam judicis; ergo custos impediens, ne domini eas pœnas consequantur, non violat jus ab iis acquisitum; atque adeo non peccat contra justitiam, nec tenetur ad restitutionem. Demum Laym. hic medius inter utramque sententiam oppositam putat, Custodes non teneri ad restitutionem pœnæ, si reos deprehendere intermittant, aut negligant: Contra vero, si postquam illos deprehenderint, negligant exigere mulctam debitam, quia in tali casu jus magis propin-

quum

quum ad pœnam acquisitum est a dominis, idque custodes ex officio suo exequi tenentur.

VIII. Infertur ultimo, non teneri ad restitutionem, qui alium induxit suo malo exemplo ad furtum, vel homicidium. Ratio est, quia quamvis hic peccet peccato scandali contra charitatem, non violat tamen directe legem justitiæ; sicut eam violat qui influit in damnum alterius suo consilio, aut non impedit damnum, cum teneatur ex contractu, vel officio illud impedire. Ita Bonac. ex Sanch. l. 2. c. 6. num. 5. Additque neque teneri ad restitutionem, qui aliquid facit intendens suo malo exemplo inducere alios ad furtum, vel homicidium. Ratio est, quia obligatio restituendi non oritur ex ullo actu pravo interno, sed solum ex opere externo injusto.

Utrum autem Episcopi, vel Judices, qui malo suo exemplo alios inducunt ad furta, vel homicidia, teneantur ad restitutionem; lis est apud Doctores. Sanch. & Sal. apud eundem Bonac. negant, quia quamvis Episcopi teneantur ex officio, atque adeo ex justitia pascere subditos bono exemplo, verbis, & Sacramentis, atque adeo peccent contra justitiam erga subditos, si pravo suo exemplo illos inducant ad culpas: At non tenentur ex justitia conservare vitam, bona, & facultates ullius, sive subditi, sive non subditi; Unde non peccant contra justitiam adversus illos, qui occiduntur, aut damnificantur ratione mali exempli præstiti; Sicut propter eandem rationem multi, ut diximus, probabiliter docent, non teneri ad restitutionem Parochum, si ex malitia nolit monere pœnitentem, ut restituat; quia ex justitia solum tenetur bene exercere munus Parochi, & prospicere bono spirituali pœnitentis, non bono temporali aliorum. Judices etiam juxta hanc sententiam excusantur a restitutione, si malo suo exemplo inducant alios ad damnificandum; quia quamvis ex justitia teneantur impedire volentes inferre damna, & eos ad satisfaciendum inducere, non tenentur tamen ex justitia, & ex officio præbere bonum exemplum aliis, cum non sint Pastores; unde non tenentur ex justitia impedire, ne alii suo pravo exemplo inducantur ad damnificandum; atque adeo si alios sic inducant ad damnificandum, non tenentur restituere.

Verum probabilior videtur sententia Bonac. quod tam Episcopi, quam Judices ad restitutionem teneantur in casu adducto. Ratio est, quia inducere aliquem suo pravo exemplo, v. gr. ad furtum, saltem perinde est, ac non impedire furtum; sed ille, ad quem ex officio spectat impedire furtum, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem, si non impediat; ergo Episcopi, & Judices, quibus ex officio, atque adeo ex justitia competit impedire furta, & alia damna, peccant contra justitiam, & tenentur ad restitutionem, si suo pravo exemplo alios ad furandum inducant.

Hinc fit, quod licet censuræ, & irregularitas non incurrantur ab eo, qui non impedit, v. gr. percussionem Clerici, & homicidium, nisi ad id teneatur ex officio, ut communiter Doctores docent; tamen Episcopi, & Judices, si non impediant, aut malo suo exemplo ad id alios inducant, contrahunt censuras, & irregularitatem; quia juxta probabiliorem sententiam Bonac. ea ex officio, & justitia impedire tenentur: Quamvis probabilis sit opposita sententia Sanch. l. 1. Summæ c. 6. num. 5. quod censuras, & irregularitatem non contrahant; quia non violant probabiliter legem justitiæ, si suo malo exemplo alios inducant ad percussionem Clerici, & ad homicidium; cum non teneantur ex justitia impedire, ne alii suo exemplo damnificent.

IX. Quæritur secundo, An possit quis aliquid accipere a fure, ne furtum revelet, quin ad ullam restitutionem teneatur?

Respondeo, quod si quis non teneatur ex justitia, sed solum ex charitate revelare, & res accepta non sit pars furti, quamvis peccet contra charitatem, si potest sine suo incommodo furtum illud impedire, & non impedit, non peccat tamen contra justitiam aliquid accipiendo a fure, ne furtum revelet; Unde ad restitutionem non tenetur. Ita communiter. Esto Trullench. l. 8. c. 3. dub. 3. putet, quod universim qui potest accusare, quamvis ad id non teneatur, non possit pecuniam accipere ne accuset, quia hoc est quædam gratia, quæ non est pretio æstimabilis; Probabile tamen est, quod non teneatur restituere, si quicquam accipiat.

Notandum autem cum Less. l. 2. c. 24. num. 68. & aliis apud Laym. quod si fur ob id factus animosior est, & securior: ita ut cæteroqui non esset furaturus, qui pecuniam accepit a fure, tenetur restituere damnum per furtum illatum; quia in tali casu obligando se ad non revelandum, censetur influere in furtum. Non tenetur tamen restituere pecuniam a fure acceptam, nisi sit pars furti, quia accepta ob turpem causam retineri possunt post factum, quamvis non ante factum: quia ante delictum quilibet tenetur rescindere contractum, quo se obligavit delictum illud committere, ut fusius dicemus quæst. sequenti art. 1. Etenim obligatio ad peccandum ipso jure est irrita.

Quod si pecunia non sit data a fure animo obligandi illum ad tacendum, sed absolute donata fuerit animo alliciendi illum ad tacendum, potest is pecuniam illam, si non sit furtiva, retinere, etiam ante delictum commissum; quia hæc censetur absolute donatio: Sicuti si quis donet

meretrici aliquid præcise ad alliciendam illam ad peccatum, potest illud a meretrice retineri, etiamsi donans ita sit affectus, ut non donaret, si crederet illam ea via non esse inducendam ad peccatum. Idemque omnino dicendum de eo, qui pecuniam accipit a fure, ne in judicio interrogatus juridice revelet furtum: Etenim quamvis mentiendo in judicio peccet contra justitiam legalem, non tamen contra commutativam; unde ad restitutionem non tenetur. Ita Molin. Less. Dian. part. 3. tract. 5. res. 52. contra Tolet. & Reginald.

ARTICULUS VI.

Quantum singuli restituere teneantur, quando plures ad damnificationem cooperati sunt?

I. *Si plures ad damnificandum concurrunt, singuli in solidum ad restitutionem tenentur, quando singulis non cooperantibus totum damnum non causaretur.*

II. *Si vero singulis deficientibus adhuc damnum causaretur, tunc singuli tenentur solum ad partem damni pro rata sui influxus.*

III. *Milites Urbem diripientes injuste, quamvis nonnihil invicem animentur, non tenentur ad restitutionem, nisi ad id quod singuli diripuerunt: At Dux ad restitutionem totius damni ab exercitu causati obligatur; Sicut etiam Consiliarii, Exploratores, &c.*

IV. *Si tamen sine tuo consilio adhuc damnum causaretur, tunc pariter partialiter ad restitutionem obligaris pro rata influxus.*

V. *Quando duo ingrediuntur domum ad furandum centum, itaut unus sine altero non ingrederetur, tunc uterque tenetur in solidum restituere.*

VI. *Videtur diversimode discurrendum, si a pluribus idem damnum causetur, ac si diversum. Nam si ad idem concurrant, omnes restituere debent in solidum, quamvis singuli sine aliis totum damnum non inferrent: Secus vero si concurrant ad damnum diversum.*

VII. *Num peccet mortaliter, qui modicum furatur, advertens, quod alii plurimi pariter modicum ab eodem domino furentur, aut furati sint?*

VIII. *Si excommunicatio feratur contra hos plurimos, si non restituant modicum illud quod abstulerunt, talis excommunicatio supponit peccatum mortale, si minus injustitiæ propter modicum illud, quod retinetur, saltem inobedientiæ.*

IX. *Qui per plura furtula devenit ad materiam gravem, itaut sub gravi ea restituenda sit, num peccet lethaliter, si addat aliud furtulum?*

I. Reliquum est examinare, Utrum quando plures ad damnificandum concurrunt, singuli teneantur restituere in solidum an vero solum partem suam? Ac demum in sequenti articulo discutiemus, Quonam ordine restituere debeant, qui tenentur in solidum restituere? De ordine tamen servando inter personas, quibus facienda sit restitutio, quando bona debitoris non sufficiunt omnibus creditoribus, dicemus quæst. 5. art. 5.

Quæritur itaque primo, Utrum quando plures vel physice, vel moraliter concurrunt ad damnificationem participando in actione aliqua injusta, singuli teneantur restituere totum damnum in solidum, an vero solum partem illam, quæ ad eos pervenit: Sicut qui solum participant de præda, & non participant in damnificatione?

Respondeo cum Tamb. cap. 3. §. 8. duas regulas adhibendas esse ad decisionem hujus quæsiti, quod varie, & confuse a Doctoribus agitatur. Prima regula est, quod quando quis ita ad damnum concurrit, ut sine illo non fieret totum damnum, tunc singulis teneantur illud resarcire in solidum, ita scilicet, ut non restituente alio partem suam, totum ipse debeat: Verbi gr. si duo concurrant ad rapiendam arcam pecuniæ, quam alter sine altero non raperet, quamvis dividant deinde pecuniam furtivam, adhuc uterque tenetur in solidum pecuniam restituere: Eodem modo si fur sine consilio Titii non esset furaturus centum, tam fur, quam Titius tenentur in solidum restituere centum. Ratio est, quia uterque in tali casu est causa totalis totius damni, non quia alter ponat damnum sine auxilio alterius, sed quia alter poterat adæquate impedire totum damnum non concurrendo ad injustam actionem; cum autem non impedierit, ipsi totum damnum imputabitur, & per hoc uterque dicitur causa totalis damni.

Ex quo sequitur, quod si quatuor, v. gr. ferentes suffragium concludant sententiam injustam, quæ non concluderetur, si unum ex iis suffragiis deficeret, tunc omnes quatuor teneantur in solidum restituere: Contra vero, si conclusa jam sententia injusta tribus suffragiis, accedat Titius quarto suffragio non necessario ad concludendum, peccat quidem Titius; sed ad restitutionem non tenetur, ut explicavimus art. 5.

II. Secunda regula est, quod quando quis ita ad damnum concurrit, ut sine illo, & nullo alio subrogato, adhuc a reliquis totum damnum fieret, non obligetur ad restituendum, nisi partem damni, mensurandam arbitrio viri prudentis juxta mensuram influxus præstiti ad tale damnum. Ratio est, quia cum obligatio restitutionis oriatur ex damno illato, & in tali casu qui ita concurrit, non sit causa efficax totius damni; (quandoquidem etiam sine ipso, & nullo

alio

alio superveniente totum damnum fieret a reliquis) sequitur ut non debeat restituere totum damnum, sed solum partem, juxta mensuram sui influxus.

Hinc infertur primo cum Navar. Less. Valent. contra Molin. & alios apud Laym. cap. 6. num. 5. milites gregarios probabiliter non obligari ad restitutionem totius damni, quod fit ab exercitu in bello injusto. Ratio est, quia ita singuli concurrunt ad iniquam expugnationem urbis, ut etiam singulis sublatis, & nullo alio superraddito, eodem modo Urbs diriperetur, & præterea nemo ex istis procuravit, ut alius urbem expugnaret. Contra vero Dux tenetur ad restitutionem totius damni, quod fit ab exercitu; quia dux est causa, ut fiat a militibus totum damnum injustum. Et idem dicas de Consiliario, Exploratore, & aliis, sine quibus totum damnum non fieret.

Neque dicas, quod etiam singuli milites sint causa totius damni, quia invicem se animant; ergo sicut dux, ita milites gregarii tenentur ad totum in solidum. Nam contra est, quia valde exigua, & fere nulla est animatio concepta a militibus ex præsentia singulorum seorsim, & etiam seclusa tali animatione, quæ habetur a singulis seorsim, eodem modo, Urbs diriperetur: ergo ex tali animatione non fit, quod singuli sint causa efficax totius damni. Ubi econtra sine duce non eodem modo Urbs diriperetur, nisi subrogaretur alius dux; ergo dux dicitur causa efficax totius damni, & consequenter dux, non milites ad restitutionem totius damni tenentur.

IV. Infertur secundo, quod quando tuo consilio, aut hortatione ita factum est totum damnum, ut adhuc sine tuo consilio, & nullo alio subrogato totum damnum fieret, solum debeas restituere quantum damni imprudenter judicabitur commensurari ad tale consilium, vel ad hortationem, ut notavimus art. 3. Et idem probabiliter dicendum cum Lug. contra Vasq. & Less. lib. 2. cap. 13. dub. 4. si tuum consilium fuerit causa solum, ut aliquanto citius totum damnum fiat. Ratio est, quia in tali casu tuum consilium non est causa totius damni; quandoquidem etiam secluso consilio idem damnum sequeretur secundum substantiam.

V. Infertur tertio, quod si duo ingrediantur domum ad furandum, v. gr. centum aureos, itaut alter sine altero non ingrederetur, obligantur in solidum restituere, atque adeo ad totum, altero nolente, seu non potente suam partem restituere: Et idem dicas, si duo invicem se animent, itaut sine hac mutua animatione damnum non sequeretur, ut notat Sanch. lib. 7. Summæ cap. 21. num. 19.

VI. Rogabis: Si duo ingrediantur domum, & furentur centum aureos, quos alter sine altero etiam furaretur, tenenturne illos in solidum restituere?

Respondeo juxta secundam regulam, quod probabiliter non teneantur in solidum illos restituere, sed solum pro rata influxus; sed probabilior videtur sententia Lessii cap. 13. dub. 4. quod diversimode discurrendum sit quando plures concurrunt ad idem inviduum damnum inferendum, & quando plures diversum damnum causant: Si enim duo cooperentur ad idem damnum, neuter, ut Mandans, Consulens, Consentiens, Laudans, Receptans, sed uterque, ut participans, seu ut se invicem adjuvantes, in tali casu probabilius est, quod uterque teneatur restituere in solidum, etiamsi alter solus totum damnum inferret: & idcirco in solidum tenentur restituere duo eandem domum simul incendentes, aut idem pondus ferentes, eundem gregem abigentes, aut simul mittentes sagittam ad occidendum Petrum, & in casu adducto duo furantes idem marsupium, in quo sint centum aurei. Ratio est, quia in his casibus quilibet est causa partialis immediata totius, & non partis damni; non secus ac si plures eandem navim rapiant; atque adeo singuli tenentur in solidum resarcire totum damnum: Contra vero, si plures concurrant ad inferendum damnum diversum, non tenentur in solidum, sed solum pro parte sua. Ratio est, quia quisque est sola causa partis damni a se illati, non tamen causa totius damni, aut partis, quam alter surripuit; (nisi forte se vicissim animarint; in quo casu singuli censentur causa totius damni). Unde fit, quod si plures diripiendo urbem, vel devastando vineam, notabile damnum singuli intulerunt, singuli teneantur tantum restituere partem suam, quando non se vicissim excitant, ut notat Bonac. punct. 10. ex Azor. & Rebel. Et in casu adducto, si duo illi furentur non illos centum per modum unius, sed singuli quinquaginta sine mutua animatione, non tenentur restituere, nisi suos quinquaginta, si neuter alterum juvarit, nec alter furatus sit in confidentia, quod ab altero juvetur.

V. Quæritur secundo acriter apud Doctores, An qui furatur parvam aliquam materiam non causans, sed solum videns, & cognoscens aliorum furtula, quæ simul sumpta magnam quantitatem conficiunt, (ut accidit, quando plures eandem vineam ingressi, singuli botrum uvæ accipiunt) peccet mortaliter furando illud modicum, & teneatur sub gravi ad illud restituendum? Et eodem modo quæritur, an qui modicam quantitatem furatus est, non advertens ad aliorum furtula, ac proinde peccavit venialiter, si deinde advertat ad aliorum furtula nondum restituta, teneatur sub mortali restituere furtulum suum?

Respon-

Respondeo, juxta dicta qu. 1. art. 4. n. 7. communius Doctores docere, quod in primo casu ille peccarit mortaliter, & in utroque casu uterque ad restitutionem teneatur sub mortali. Ita Bonac. Molin. Rebel. Suar. Vasq. Henr. Sayr. Medin. quæst. 10. qui ita rigide loquitur, ut putet peccari mortaliter, etiamsi unusquisque nonnisi unum granum acceperit. Ratio istorum Doctorum est, quia singuli scienter concurrunt ad damnum notabile domini illius vineæ, & cum non sit major ratio, cur uni potius, quam alteri imputetur, omnibus imputandum est, & ideo singuli sub mortali tenentur notabile illud damnum resarcire, restituendo furtulum suum. Si tamen facta ab uno restitutione, pars, quæ a ceteris retinetur, non sit notabilis, ceteri non tenentur sub mortali restituere, quia non sunt causa damni notabilis; dum non retinent rem notabilem.

Verum Sot. Sanch. Lug. disp. 16. sect. 63. §. 2. & alii apud Dian. part. 5. tract. 9. resol. 54. ut diximus quæst. 1. art. 3. excusant in primo casu a mortali illum, qui furatur modicum, v. gr. botrum uvæ, videns, quod socii etiam suum botrum accipiant, itaut omnia furtula simul sumpta notabilem quantitatem conficiant; Et negant dari obligationem gravem restituendi modicum illud, quod quis furatus est, sive tunc viderit, sive deinde adverterit ad furtula aliorum. Ratio est, quia qui modicum furatur, non concurrit ad furtula reliquorum, per hoc præcise, quod illa videat; Unde non dicitur concurrere ad inferendum damnum notabile. Quod patet a contrario: Si enim quis det modicam eleemosynam, per hoc quod videat ab aliis etiam dari eleemosynam eidem pauperi, non ideo meretur magis, nec magis sublevat illius miseriam, quam si non videret alios dantes eleemosynam; ergo eodem modo qui furatur modicum per hoc, quod videat alios furantes, non ideo peccat gravius, aut majus damnum infert domino, quam si alios non videret. Nec verum est, quod docet Petrus Navar. quod iste in tali casu interna voluntate consentiat in grave illud damnum, quod dominus patitur per omnia furtula simul sumpta, & ideo peccet gravius. Nam contra est, quia potest aliquis ita furari modicum, ut simul sibi displiceat damnum, quod dominus ab aliis patitur.

VIII. Neque dicas, quod possit ferri excommunicatio contra non restituentes modicum illud, quod acceperunt; Excommunicatio autem ferri non potest, nisi supponatur peccatum mortale, ergo in casu adducto, qui modicum furatus est, peccavit mortaliter.

Nam aliqui cum Sot. censent posse ferri excommunicationem majorem etiam pro veniali, non ratione ipsius culpæ, sed ratione mali emergentis: Alii communius censent, in tali casu non ferri excommunicationem pro peccato mortali furti, aut injustæ retentionis, sed pro peccato mortali inobedientiæ, & contumaciæ in retinendo aut non resarciendo modico illo damno illato. Etenim grave damnum, quod dominus vineæ passus est, potest esse grave, & sufficiens motivum, ut Prælatus sub pœna excommunicationis, & consequenter sub obligatione peccati mortalis præcipiat, ut quilibet restituat botrum uvæ, quod furatus est, & cesset tali peccato veniali injustæ retentionis; cum non possit aliter reparari damnum notabile domini vineæ, quam per hoc, quod singuli restituant modicum, quod acceperunt, & sic desistant a peccato veniali retentionis injustæ.

Quodsi si quis successive plurima modica furetur, quæ simul conficiant materiam notabilem, ubi ad hanc pervenitur, peccat mortaliter, si fur advertat, quod ultima materia parva simul cum reliquis, præteritis constituat materiam notabilem; Si vero ad id non advertat, peccat solum venialiter, sed quando ejus recordatur, tenetur sub mortali compensare damnum notabile, quod per tot furtula causavit, etiamsi rem furatam non habeat apud se; Quod si non compenset, tunc dicitur injustus detentor, & ex mortali injustæ retentionis (quæ est continuata acceptio) tenetur ad restitutionem ex prima radice restitutionis, videlicet ex injusta acceptione, ut diximus quæst. 1. art. 4. n. 6.

IX. Utrum autem qui postquam per quinque furtula furatus est, v. gr. quinque carolenos, unde ad materiam gravem pervenit, si deinde alium carolenum furatur, peccet graviter, an leviter? Dubium est apud Doctores; probabilius puto cum communiori contra Navar. quod venialiter solum peccet, quousque ad aliam quantitatem notabilem deveniat.

ARTICULUS VII.

Quonam ordine restituere debeant Concurrentes ad damnificationem, quando tenentur restituere in solidum?

I. *Damnificans principalis tenetur totum damnum resarcire, & in ejus defectum alii minus principales.*

II. *Principalis damnificator inter omnes damnificantes est Possessor malæ fidei. Si tamen res aliena extet in individuo, quamvis apud possessorem bonæ fidei, ab eo restituenda est.*

III. *Quid si plures sint malæ fidei possessores?*

IV. *Post possessorem malæ fidei inter damnificantes tenetur Mandans, & quidem etiam ante Executorem, aut Inductorem; necnon ante illum, qui consulit alteri, ut damnificationem mandet.*

V. No-

V. Nomine Mandantis non venit quicunque alteri dicit, ut damnificet, sed qui dicit auctoritative.

VI. Post mandantem tenetur Executor damni ante Consulentem; nisi hic dederit consilium fraudulenter. Quid de inducente alterum, ut suo nomine damnum inferat, vel in sui gratiam?

VII. Si plures sint executores, puta invasores, omnes principaliter tenentur, quamvis unus tantum ex illis, v.gr. invasum percutiat; nisi tamen aliquis sit præcipuus, sine quo alii non invaderent.

VIII. Post Executorem tenentur æque principaliter aliæ concausæ, tum positivæ, tum negativæ in solidum restituere, itaut una restituente totum, aliæ huic debeant partem suam restituere pro rata influxus. Alii tamen diversimode opinantur.

IX. Ex præjacta doctrina varia corollaria deducuntur.

X. Si damnificatus remittat debitum principali, reliqui ad nihil tenentur; Non tamen si remittat debitum minus principali. Quod si nolit agere contra principalem, non per hoc non potest agere contra minus principalem.

I. QUæritur, Quando plures in solidum tenentur idem damnum restituere, quonam ordine procedere debent? seu quisnam debet esse primus, itaut in ejus defectum alii debeant restituere?

Respondeo cum communi, quod ante omnes restituere debeat principalis damnificans, itaut solum in ejus defectum alii teneantur damnum resarcire. Ut autem sciatur, quisnam sit principalis damnificans, accipe sequentes conclusiones.

II. Dico itaque primo, inter omnes causas damnificantes, præcipua, & principalis est possessor malæ fidei: Unde hic ante omnes tenetur. Ita communiter. Ratio est, quia possessor malæ fidei non solum damnificat ratione injustæ acceptionis, ut reliqui omnes damnificantes, sed etiam ratione rei acceptæ, quæ semper clamat ad dominum; adeo ut si ea reperiatur apud possessorem bonæ fidei, prius hic ad restitutionem teneatur, & postea quilibet alius damnificans; Etenim quando res extat in individuo, semper remanet ad dominum obligata, & si ea restituatur, nulla remanet præterea inæqualitas resarcienda. Quod si res non extet in individuo, restitui debet a possessore malæ fidei ante omnes alios id, in quo factus est ditior. Ac præterea, si res plane consumpta sit, aut donata, possessor ille malæ fidei, qui eam consumpsit, aut donavit, restituere debet illius valorem, priusquam Mandans, Consulens, aut alii damnificantes. Et ratio est, quia semper de illo verum est, quod concurrerit tam ad injustam acceptionem, quam ad injustam retentionem: Ubi econtra Mandans, Consulens, &c. solum ad injustam acceptionem concurrunt.

III. Rogabis: Si plures sint possessores malæ fidei, quoniam ordine procedere debent in restituendo?

Respondeo, universim quemlibet possessorem malæ fidei restituere debere id, quod mala fide possidet. Quando tamen possessores malæ fidei sunt plures, quia, v.gr. unus rem furatus est, & donavit alteri, qui advertenter illam donavit tertio, in tali casu tertius, apud quem res extat, dicitur principalis damnificans, utpote qui damnificavit etiam retinendo rem alienam; quo pacto non damnificarunt alii duo. Si vero res neque in se, neque in æquivalenti extet, sed consumpta sit a tertio, in tali casu principalis damnificans inter istos non est primus, qui illam furatus est, sed est tertius ille, qui mala fide consumpsit, advertens, aut dubitans illam esse alienam, ut docet Less. cap. 23. dub. 5. & alii communiter. Ratio est, quia quod consumpserit rem illam mala fide, non liberat eum, quin primo loco teneatur restituere, perinde ac si res extaret; alioquin nova illa injuria consumendi rem liberaret illum a restitutione: Si vero res pereat sine culpa tertii, in tali casu debet restituere ante omnes primus, qui illam furatus est. Demum si duo sint possessores malæ fidei; unus vendens, & alter emens rem alienam mala fide, in quo casu uterque positive damnificat, vendens retinendo pretium, & emptor retinendo rem; tunc res debet restitui domino, & pretium emptori; Quod si emptor rem non restituat, pretium dandum est domino rei.

IV. Dico secundo; post possessorem malæ fidei magis principalis inter reliquos damnificantes, & qui prius tenetur restituere, est Mandans; & quidem ante ipsum Executorem. Quare si damnificatio fuit lucrativa, ut in furto, primo loco tenetur possessor malæ fidei, seu is, apud quem res aut in individuo, aut saltem in æquivalenti extat; & secundo loco tenetur Mandans: Si vero damnificatio non fuerit lucrosa, ut in occisione, combustione, &c. ubi non reperitur possessor, tunc primus omnium est Mandans, seu qui auctoritate sua imperat damnificationem. Ita communiter cum D. Th. 2. 2. quæst. 67. art. 7. contra Navar. & alios dicens, primum omnium esse Executorem, deinde Mandantem, tertio Consulentem, &c. Et contra utrumque Medin. dicentes, primum omnium esse inductorem. Ratio conclusionis est, quia executor est quoddam instrumentum (licet liberum) Mandantis; ergo Mandans se habet ut causa principalis: Et hinc est, quod posita damnificatione magis quæritur de Mandante, quam

quam de Executore; v. gr. magis de injusto judice, quam de carnifice; Quod si quis consulat alteri, ut mandet damnificationem, adhuc mandans est principalior, quia licet consulens primo moveat, tamen mandans non agit ut instrumentum consulentis; sicut executor agit, ut instrumentum mandantis.

V. Notandum tamen, quod nomine Mandantis debet intelligi, qui habet aliquam vim coactivam respectu executoris, ut sunt judices, domini, pater, maritus respectu ministrorum, famulorum, filii, uxoris, &c. Et universim quoties executor movetur ob reverentiam, seu timorem alterius, hic dicitur Mandans; alioquin si privatus dicat alteri, ut damnificet, & executor non moveatur ex auctoritate illius, sed ex proprio affectu, in tali casu executor deberet ante illum restituere, quia non damnificaret ut jussus, seu ut instrumentum illius, seu ut inductus ad damnificandum, & privatus ille non haberet rationem mandantis, sed potius inducentis, aut consulentis.

Neque dicas, neminem posse delictum imperare, nec ullum teneri præcepto peccandi obedire; ergo nemo exequitur damnificationem ut instrumentum mandantis.

Nam, concesso antecedente, negatur consequentia; subditus enim quamvis non teneatur obedire præcepto superioris mandantis delictum, tamen quasi coacte illud committit ob reverentiam, & timorem superioris illud præcipientis, perinde ac si teneatur illi obedire; & ideo dicitur agere, ut instrumentum mandantis.

VI. Dico tertio; post mandantem tenetur restituere Executor ante consulentem, & alios damnificantes. Ita D. Th. & alii communiter. Ratio est, quia Executor ex una parte non se habet ut instrumentum consulentis, consentientis, palpantis, &c. Ex altera parte ita executor, & consulens sunt causæ in suo genere principales, ut magis damnificet Executor, quam consulens, & alii: Etenim uxecutor immediate, & physice causat ipsum damnum; Consulens vero nonnisi mediate, & moraliter. Præterea Executor respectu participantis in injusta actione, v. gr. respectu ministrantis arma, vel dantis pecuniam ad assassinium, aut respectu explorantis, aut alterius mediatoris, se habet ut causa principalis, quæ ex se, & immediate damnificat, non ut instrumentum alterius; ergo universim post mandantem tenetur Executor. Tunc solum Consulens tenetur ante executorem restituere, ex Lug. & Less. quando consilium datum est fraudulenter; in tali enim casu consulens censetur causa principalis respectu exequentis, non quasi vero executor agat nomine consulentis, sed quia executor per injuriam a consulente conjectus est in obligationem restituendi. Præterea si quis rogat alterum, ut nomine suo aliquod damnum inferat, vel suadet, ut in sui gratiam id faciat, probabile est ex Less. & Rebel. quod principaliter ante exequentem teneatur; quia videtur suscipere in se onus restitutionis rogando, ut sui causa delictum committatur; Quamvis oppositum videatur Bonacinæ probabilius.

VII. Quod si plures de communi consensu delictum exequantur, v. gr. aggrediantur Titium, omnes principaliter tenentur, quamvis unus tantummodo illum percutiat, quia omnes integrant unam causam principalem, & illi, qui non percusserunt Titium, se habent ut instrumentum illius, qui percussit; Si tamen inter istos sit unus adeo strenuus, ut sine illo nemo auderet damnificare, ille teneretur principaliter restituere inter omnes executores, cum alii videantur esse instrumentum illius.

VIII. Dico quarto; post Exequentem tenentur aliæ concausæ, videlicet Consulens, Consentiens, Palpo, &c. Dubitatur tamen apud Doctores, num æque principaliter omnes istæ causæ teneantur? Nonnulli cum Less. l. 2. c. 13. dub. 6. & Vasq. putant, probabiliter esse omnes æque principales, nec inter consulentem, consentientem, & alias causas damnificativas tam positivas, quam negativas ullum ordinem intercedere; Unde uno ex illis restituente totum, alii tenentur illi suam partem contribuere juxta ratam cooperationis ad damnum; Cum enim unus non inserviat alteri ut instrumentum, sed quilibet per se in suo ordine influat in damnum; æquum est, ut non solum teneatur in solidum restituere in defectum aliorum, sed etiam ut juxta ratam influxus teneatur contribuere partem suam illi, qui restituit totum.

Immo Petrus Navar. l. 3. c. 4. putat, quod si mandans restituat totum, etiam exequens, consulens, & alii cooperantes teneantur pro rata influxus contribuere partem suam; unde si damnum, v. gr. sit decem aureorum, mandans teneatur restituere quinque, exequens duo, consulens unum, &c. Etenim cum quilibet cooperatus sit ad damnum, æquum videtur esse, ut quilibet concurrat ad restitutionem pro rata suæ cooperationis. Communiter tamen id negant. Ratio enim adducta solum videtur evincere, quod aliquæ causæ teneantur ad restitutionem duntaxat in defectum causę principalis, non vero quod teneantur ad partem suam, quando principalis restituit totum; Etenim qui principalis fuit in damnificando, ut solet esse mandans, par est, ut sit principalis in restituendo, atque adeo teneatur restituere totum, & solum in defectum illius alii teneantur. Ubi notandum non dici causam principalem, quæ majorem partem damni intulit, sed quæ totum damnum intulit principalius; ergo hæc non debet restituere majorem

jorem partem damni, sed totum damnum principalius.

Demum alii cum Lug. etiam probabiliter putant causas damnificantes negativas, videlicet Mutum; Non obstantem; Non manifestantem teneri ad restitutionem post omnes causas positivas, & in earum defectum, quin illæ quinque causæ positivæ, videlicet Consulens, Consentiens, Palpo, Receptans, participans ullum ordinem servent inter se, sed omnes æque principaliter teneantur. Alii vero Doctores docent, quod Consulens, & Consentiens prius teneantur, quam Palpo, & Receptans, quia consilium, & consensus movent directe damnificatorem, adulatio vero, & recursus indirecte. Verum prima sententia Lessii, & Vasq. videtur probabilior, & expeditior.

IX. Infertur ex dictis primo; Restituente principali totum, alios ad nihil teneri, ver. gr. restituente judice, ministros esse liberos ab onere restitutionis, & restituente totum possessore, sive bonæ, sive malæ fidei, cessare in aliis quamcumque obligationem restituendi, cum jam posita sit æqualitas cum proximo, quam exigit lex justitiæ; Quamvis si possessor bonæ fidei restituat rem alienam extantem in individuo, verbi gratia equum bona fide emptum, debet ille a damnificatoribus reddi immunis a damno, atque adeo debent huic compensare pretium.

Infertur secundo, quod si plures ad furtum concurrerint, verbi gratia mandans, exequens, consulens, custos, &c. deinde exequens restituat totum, hic in tali casu habet actionem repetendi id, quod solvit, a mandante, qui principaliter tenebatur; consulens vero, & custos ad nihil tenentur: Eodem modo si custos inducatur ad non impediendum damnum, quod ex justitia tenebatur impedire, restituente custode, inducens ad nihil tenetur, quia, ut diximus, custos respectu inducentis habet rationem exequentis, quamvis non ut instrumentum illius, & per consequens custos principaliter tenetur restituere: Contra vero si principalis non restituat totum, aut partem, tenentur alii, & si plures sint æque principales, tenentur pro rata influxus restituere omnes: Singuli tamen tenentur in solidum, si alii aut nolint, aut non possint, cum hoc quod habeant deinde jus repetendi a sociis, quod ab ipsis debebatur.

Infertur tertio, quod si tres æque principaliter furati sint, & consumpserint triginta aureos, ita quilibet teneatur restituere decem, ut si alii duo nolint, aut non possint restituere, tertius teneatur restituere omnes triginta, habeatque jus repetendi decem a singulis aliis; quod si alter tantum e duobus illis velit deinde restituere, non satis est, quod det decem illi, qui restituit triginta, sed debet illi dare quindecim, ut notat Ledesm.; unde uterque habeat jus repetendi quinque a tertio, qui nihil restituit. Ratio est, quia aliter non restituerent æqualiter.

Infertur quarto, minus principalem non teneri properare ad aliquid restituendum, nisi probabiliter cognoscat principalem nolle, aut non posse restituere, ut notat Sayr. Ratio est, quia ille non tenetur restituere, nisi in defectum principalis, non secus ac fidejussor, qui non tenetur solvere, nisi intelligat non solvisse principalem: Et quamvis aliqui putent, quod quando plures in solidum æque principaliter tenentur, (ut plures ferentes suffragia injusta,) tunc quilibet debeat restituere totum, non expectato altero; equidem tamen censeo, quod cum absolute non debeant nisi partialiter restituere, & solum conditionate, hoc est in defectum aliorum, debeant restituere totum, ideo ad partem, quam absolute debent restituere, non possunt expectare alios, ut prius solvant; secus vero ad illud, quod debent conditionate. Et ratio est eadem, quia ad hoc tenentur solum in defectum aliorum.

X. Infertur ultimo, quod si læsus remittat debitum principali, reliqui remaneant liberi ab onere restitutionis, non secus ac si principalis restituisset. Ratio est, quia condonatio æquivalet restitutioni. Et eodem modo si creditor remittat debitum principali debitori, fidejussor ad nihil tenetur, cum sit debitor accessorius, & ex regulis juris in 6. Accessorium sequi congruit naturam principalis: Contra vero si remittatur debitum minus principali, non remanet principalis liber, ut patet; sicuti si minus principalis restituat, adhuc principalis restituere tenetur, & refundere id, quod minus principalis solvit: Si demum læsus remittat debitum uni ex pluribus æque principalibus, hic remanet liber tam a parte, quam absolute debet, quam a toto, quod debet conditionate, si alii non restituerent, alii vero non tenentur restituere nisi portiones suas.

Ubi notandum, nos loqui de remissione debiti, non de remissione actionis, sive in judicio, sive extra: nam si læsus nolit in judicio, aut extra judicium agere contra principalem, verbi gratia contra mandantem, ut satisfaciat, non per hoc sequitur, quod non possit agere contra ministros exequentes, & ab iis repetere totum, quod passus est, ut notat Medin. quæst. 8. quia damnificatus contra quemlibet habet actionem ad repetendum: In quo differt minus principalis damnificator a fidejussore: nam remisso credito debitori principali, nulla remanet actio contra fidejussorem: At si læsus nolit agere contra principalem damnificantem, poterit immediate agere contra minus principalem: Immo per occultam compensationem, si aliter non possit, repetere potest a minus principali id, in quo damnificatus est.

QUÆSTIO IV.

Quid, & Quantum restitui debeat?

PRogredimur ad discutiendas duas alias circumstantias restitutionis. Et primo inquiremus, an restituenda sint accepta ob turpem causam? Secundo, an restituenda sint accepta ob causam honestam? Tertio, restituendane sint bona incerta, derelicta, vacantia, &c. & animalia, quæ piscatione, venatione, & aucupio capiuntur? Quarto, an iterum facienda sit restitutio, quando res furtiva data alteri, ut restituatur, non pervenit ad dominum? Demum, an restituenda sit res ipsi domino nocitura? Ex quibus palam fiet, non solum quid, sed etiam quantum restitui debeat, quoties datur onus restitutionis. Quantum autem singuli restituere debeant, quando plures concurrunt ad damnificandum, expendimus jam articulo sexto quæstionis superioris.

ARTICULUS I.

An accepta ob turpem causam restituenda sint?

I. Contractus de re illicita facienda rescindendus est. Quod si partim sit de re licita, partim de illicita, solum datur obligatio ponendi non licitam.

II. Pro scelere patrando nihil promitti, dari, aut accipi potest, antequam illud patretur. Et quod acceptum esset, restituendum danti, nisi datum esset absolute ad alliciendum.

III. Post sceleris patrationem probabilius est, quod solvi debeat pretium pro illo promissum.

IV. Qui post factum accepit pretium promissum pro scelere patrando, probabilius potest illud retinere, etsi teneatur satisfacere parti læsæ.

V. Ex lege positiva restituendum est pretium simoniacum vel pauperibus, vel Ecclesiæ in pœnam delicti.

VI. Illicite sic acquisita a Filio, Uxore, servo, probabilius non debent restitui Patri, Marito, Domino.

I. CErtum est, contractum, vel pactum de re illicita facienda rescindendum esse, nec ullam promissionem, votum, aut juramentum ad id obligare. Ratio est, quia jure naturæ unusquisque tenetur se retrahere a peccato: itaut non possit ad peccatum obligari neque ratione contractus, neque ratione promissionis, voti, juramenti &c. ergo contractus hujusmodi rescindi debet. Quando tamen contractus, vel promissio essent partim de re licita, partim de illicita, consurgit obligatio ponendi tantum rem licitam, quia ex regul. 3. juris, *Utile per inutile non vitiatur.*

II. Quæritur nunc primo; An dari, vel accipi possit aliquid pro turpi causa, vel pro opere illicito patrando? Et utrum post opus illicitum patratum, verbi gratia post homicidium positum ab assassino, vel peccatum a meretrice, promittens teneatur solvere, quod pro eo patrando promisit; Ac demum, num accipiens talem mercedem possit illam retinere, an debeat restituere?

Respondeo, & dico primo, ante factum neque dari, neque promitti potest, neque accipi aliquid pro patrando quocumque opere illicito, sive sit contra justitiam, sive contra aliam quamcumque virtutem, & si quid acceptum sit, restitui debet. Ratio est, quia quilibet tenetur abstinere ab opere malo, & a medio ad illud inducente; atqui pretium promissum, datum, aut acceptum pro malo opere ante factum, seu antequam opus malum ponatur, est medium inducens ad illud, ergo tale pretium nec promitti, nec dari, nec accipi potest ante factum. Unde fit, quod promittens tale pretium ante factum non solum peccet, & non debeat solvere, sed etiam debeat contractum rescindere; accipiens vero teneatur statim restituere, & quidem ipsi danti, non pauperibus. Ratio est, quia dans non dedit, nec voluit transferre dominium, nisi ob causam illam, puta, ut fiet homicidium; ergo tali causa non subsistente dominium non transfertur: Tunc solum potest retineri datum ante factum, quando dans absolute illud donasset, ut alliceret ad opus malum, non vero sub conditione operis mali ponendi; etiamsi illud non fuisset donaturus, si prævidisset, quod accipiens non esset inducendus ad malum; Potest autem hoc retineri, dummodo ex eo nullum scandalum, seu incitamentum ad malum habeatur.

III. Dico secundo; Post factum, seu adimpleto opere illicito, pro quo promissum erat pretium; Opinio communior apud Bonac. fert, quod promittens teneatur solvere, quod promisit; quamvis Navar. cap.16. Medin. quæst. 20. de Restitut.& alii apud Less.lib.2.cap.18. nu.20. putent, quod ne post factum quidem teneatur solvere; quia datio, & acceptio pro re turpi videtur esse velut approbatio peccati commissi, atque adeo novum peccatum. Ratio tamen communis sententiæ est, tum quia promissio rei licitæ facta sub conditione turpi adimplenda est, quo-

quoties adimpleri potest sine peccato; sed promissio solvendi pretium, sub conditione homicidii ponendi, est promissio rei licitæ facta sub conditione turpi; quæ tamen post factum, seu posito homicidio adimpleri potest sine peccato; ergo debet adimpleri homicidio patrato: Tum quia sicut alter implevit, quod promiserat, verbi gratia commisit homicidium, ad quod se obligaverat, ita par est, ut alter etiam servet suam promissionem solvendi pretium, quam sine peccato servare potest post factum.

Adde, quod res illicita est pretio æstimabilis, vel ratione periculi, laboris, aut damni, cui se exposuit illam exequens, vel saltem ratione voluptatis, aut utilitatis perceptæ ab eo, qui illam fieri curavit. Nam qui mandat, verbi gratia, occisionem sui inimici, utilitatem, & voluptatem habet a tali homicidio, & exponit sicarium laboribus, damnis, & periculo suspendii; ergo par est, ut hæc pretio compensentur, quando sine peccato compensari possunt, videlicet post factum. Hac etiam de causa communiter docent cum Vasq. Sanch. Molin. contra Angel. Val. & alios apud Azor. & Bonac., quod qui promisit pretium conjugatæ, vel moniali pro copula, teneatur illud, solvere secuta copula, seu post factum; quia fœmina veluti locavit corpus suum alteri, ex quo ille voluptatem percepit pretio æstimabilem.

Neque dicas; Qui solvit pretium sicario pro assassinio commisso, illud iterum approbat; ergo non potest sine peccato tale pretium solvere ne post factum quidem. Nam falsum est antecedens; potest enim solvi pretium non solum sine approbatione peccati præteriti, sed etiam cum detestatione illius.

IV. Dico tertio, qui accepit pretium pro opere illicito jam patrato, sive contra justitiam fuerit, sive contra aliam virtutem, non tenetur illud restituere; quamvis si commiserit peccatum contra justitiam, verbi gratia homicidium, teneatur damnum resarcire. Ita communius contra Joan. Medin. & alios apud Less. cap. 14. dub. 8. putantes, quod debeat restituere: Quam sententiam Less. etiam putat probabilem. Ratio conclusionis est, quia, ut diximus, opus illicitum, ratione laboris, periculi, aut damni, cui se exponit, qui illud exequitur, est pretio æstimabile; ergo juste retinetur pretium pro illo acceptum, quando illud jam est commissum, unde fit, judicem non debere restituere, quod accepit pro ferenda injusta sententia, aut testem pro falso testimonio ferendo, aut militem pro bello injusto, quamvis teneantur resarcire damna illata parti læsæ.

V. Notandum tamen, quod si lex aliqua efficiat aliquem incapacem dominii, seu inhabilem ad acquirendum aliquid pro turpi causa, in tali casu neque secuto effectu potest quicquam retineri, ut patet. Et ideo acquisita per simoniam retineri non possunt, quia simoniacus est incapax rei acquirendæ, ut notat Bonac. hic, Vasq., & alii communiter; Unde restitui debet, quodcunque acceptum est: Et universim restitui debet danti, (cum dominium non sit ab eo translatum in accipientem,) nisi aliquando aliter in pœnam delicti decernatur a jure, ut de facto decernitur in casu simoniæ, quod pretium acceptum pro beneficio, pro collatione ordinum, & pro admissione in religionem, restituatur pauperibus, vel Ecclesiæ, cui facta est injuria, non vero danti, idque in pœnam delicti, ex Less., & D. Th. 2. 2. qu. 32. art. 7.

VI. Quæritur secundo; Utrum illicite acquisita a filio, servo, uxore, &c. restitui debeant Patri, Domino, Marito, &c. an possint illi ea sibi retinere?

Respondeo, Navar. Reginald. Sot. & alios apud Bonac. probabilius putare, eodem modo discurrendum esse de iis, quæ licite a prædictis personis acquiruntur, verbi gratia laborando, ac de iis, quæ illicite acquiruntur, verbi gratia ob committendum homicidium, fornicationem, &c. quia peccatum non debet patrocinari delinquenti. Quare sicuti acquisita licite a filio pertinent ad Patrem, saltem quoad usumfructum, seclusis castrensibus, vel quasi castrensibus; ita illicite acquisita ob turpem causam retineri non possunt a filio, sed pertinent ad eundem Patrem. Verum Bonac. qu. 3. punct. 3. & alii putant, prædictas personas posse sibi retinere acquisita ob turpem causam. Ratio est, quia cum hujusmodi lucrum sit odiosum Patri, domino, marito, non debet dici, quod illi habeant jus ad tale lucrum acquisitum a filio, servo, uxore, ob turpem causam: quia jura decernentia, quod acquisita ab istis pertineant ad Patrem, dominum, maritum, non loquuntur de tali lucro. Neque hinc sequitur, quod peccatum patrocinetur delinquenti: Sicuti enim si fur negotietur pecuniam alienam, potest sibi retinere fructus hujusmodi mere industriales, quin illi in tali casu dicatur patrocinari peccatum, cum revera patrocinetur illi jus, quod habet ad hujusmodi fructus; ita in casu nostro. Equidem tamen communiori sententiæ oppositæ adhærendum censeo.

ARTICULUS II.

An restituenda sint accepta ob causam honestam?

I. *Restitui debent accepta ad præstandum opus debitum ex justitia; necnon pro omissione etiam ex justitia debita; Non tamen ac-*

cepta pro opere honesto, aut pro omissione, quæ ex justitia non debeantur.

II. *Num possit etiam aliquid accipi pro opere debito ex charitate, quod non sit laboriosum, puta pro deponendo odio?*

III. *Si opus ex justitia debitum Titio ponitur in gratiam Caji, num possit a Cajo aliquid accipi?*

IV. *Cur in foro externo non detur actio ad repetendum, quod traditum est pro opere ex justitia debito? Et simul compellitur ad restitutionem, qui aliquid accepit pro non patrando peccato.*

V. *Non solum pretium, sed etiam munus involuntarie donatum pro opere debito ex justitia universim restituendum est; non tamen si detur liberaliter.*

VI. *Num possint famuli Judicis aliquid accipere a Titio, ut hic ante alias introducatur, & ejus causa prius expediatur?*

VII. *Quandonam possint Officiales Judicis munera sibi donata retinere?*

VIII. *Leges civiles si solum prohibeant, & non irritent acceptionem munerum, non obligant ad restitutionem; Sicut nec juramentum de illis non acceptandis.*

IX. *Si lex aliqua irritet donationem munerum, hæc restituenda sunt danti, nisi aliter statuat ipsa lex, & tunc requiritur etiam sententia Judicis, ut a dante collantur.*

I. QUæritur primo; An teneatur ad restitutionem, qui accepit pretium ad faciendum opus licitum, verbi gratia ad ferendam sententiam justam, ad administranda, vel suscipienda Sacramenta, ad jejunandum, &c.

Respondeo cum communiori apud Bonac. contra Medin. Reginald. & alios, accepta pro faciendo opere honesto, debito ex justitia, restituenda esse: Contra vero posse retineri accepta pro faciendo quocumque alio opere honesto. Et similiter restituenda esse accepta pro omittendo aliquo opere illicito, cujus omissio debita est ex justitia, verbi gratia si quis aliquid accipiat, ne occidat, ne furetur; sed retineri posse accepta pro omittendo opere illicito, cujus omissio debita est ex alia virtute; verbi gratia, si quis aliquid accipiat, ne blasphemet, ne fornicetur. Ratio horum omnium est, quia obligatio restituendi oritur duntaxat ex violatione justitiæ; atqui si aliquid accipiatur pro faciendo opere debito ex justitia, hæc violatur, quia quilibet habet jus, ut gratis sibi præstetur, quod debetur ex justitia; verbi gratia, si quid accipiat Judex pro ferenda sententia justa, violat virtutem justitiæ; quia habet stipendium a Republica, vel a Rege, ad hoc ut gratis sententiam justam proferat, & ideo quilibet habet jus, ut gratis sibi præstetur sententia justa: Secus vero non violatur virtus justitiæ, si quid accipiatur, verbi gratia, a Titio, ut baptizetur, ut missam audiat, ut jejunet; vel a medico, ut indigentibus medeatur; quia nemo tenetur ea opera præstare ex justitia. Similiter violat justitiam, qui aliquid accipit, ne occidat, ne fureтur, quia ex justitia tenetur ea omittere; non vero violat justitiam si quid accipiat, ne fornicetur, aut blasphemet, quia ea omittere non tenetur ex justitia, sed ex alia virtute; ergo solum accepta ob opus, vel omissionem debitam ex justitia restitui debent.

II. Less. tamen cap. 14. dub. 9. probabiliter putat, non posse pretium exigi, aut accipi pro faciendo opere debito ex charitate, quod non sit laboriosum, puta pro deponendo odio, pro revelando fure, &c. tum quia communi hominum judicio hæc non censentur pretio æstimabilia: tum etiam quia cum valde intersit proximo, ut hæc fiant, si detur pro iis pretium, tale pretium non censetur liberaliter donatum, sed coacte datum pro re nullius pretii: Unde si quid acceptum sit pro tali opere debito ex charitate, restitui debet, non secus ac acceptum pro opere debito ex justitia: Contra vero putat teneri posse pretium acceptum pro opere, quod cedit in honorem Dei, vel in commodum ipsius accipientis, puta pro audienda missa, pro abstinendo ab ebrietate. Et ratio est, quia cum nemo emat hujusmodi res, censetur liberaliter donatum, quod pro his faciendis datur.

Verum communior sententia contra Less. docet, posse pretium accipi etiam pro opere debito ex charitate, verbi gratia pro deponendo odio; aliter medicus teneretur ad restitutionem, si accipiat pretium, ut medeatur indigentibus, quibus ex charitate tenetur mederi, quod communiter non admittunt apud Bonac. quæst. 3. punct. 3.; Falsum autem est, ut notat Vasq., quod tale pretium censeatur datum coacte, cum non detur per vim, nec danti sequatur ullum incommodum; Et quamvis qui pro iis operibus dat pretium, det invitus, non per hoc fit illi injuria; sicut non fit injuria ementi per hoc, quod invitus det pretium rei, quam vellet habere sine pretio. Neque dicas, disparitatem esse, quia emens dat pretium pro re pretio æstimabili; secus vero qui dat pretium pro opere debito ex charitate; Nam falsum est, hujusmodi opera non esse pretio æstimabilia, quando magnum ex iis emolumentum sequitur.

III. Opponitur primo, hinc sequi, quod etiam posset accipi pretium a Judice pro sequenda opinione probabili, quæ favet mihi potius, quam adversario; (cum ad id Judex non teneatur ex justitia,) quod tamen est falsum, cum damnata sit ab Alex. VII.

VII. propos. 26. dicens: *Quando litigantes pro se habent opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favore unius præ alio.*

Respondeo, nego sequelam; vetitum enim est Judici vendere hujusmodi arbitria, non solum legibus positivis, sed etiam lege naturali. Et ratio est, quia Judex ex justitia tenetur adjudicare litem ei, cui jura favent; Unde si utraque opinio est æque probabilis, seu si æque jura favent utrique litiganti, debet ex justitia litem dividere, ut fuse ostendit Tambur. lib. 1. Decalogi cap. 3. §. 4. contra quamplures.

Non me latet sententia Vasq. cap. 7. dub. 6. Sot. & aliorum docentium apud Bonac. quod possit universim quilibet accipere pretium etiam pro faciendo opere debito ex justitia, dummodo tale pretium non accipiatur ab eo, in cujus favorem debet illud onus fieri ex justitia, sed ab extraneo, cujus non intersit illud fieri. Less. tamen lib. 2. cap. 14. dub. 9. cum communiori id negat, (solum concedens, quod possit accipi, quod vere liberaliter donatur ob tale opus.) Ratio est, quia quando aliquod opus est invendibile, tunc etiamsi in tui gratiam fiat, vendi non potest Etenim apud homines tale obsequium non censetur dignum pretio, sed amicitia; aliter usurarius posset aliquid a te exigere, si in tui gratiam mutuet pecuniam Petro; & Episcopus posset etiam aliquid a te exigere, si in tui gratiam conferat ordines, vel beneficium alteri; quod nemo dixerit.

IV. Opponitur secundo. In foro externo non datur actio ad repetendum id, quod traditum est pro opere debito ex justitia, ut habetur in *leg. 2. ff. De conditionibus ob turpem causam*; ergo neque in foro interno datur obligatio restituendi acceptum pro tali opere debito ex justitia. Adde, quod ex eadem lege habetur, posse in foro externo compelli ad restitutionem, qui accepit aliquid pro non patrando peccato; ergo etiam in foro interno datur hujusmodi obligatio; & consequenrur sicut tenetur restituere, qui aliquid accepit, verbi gratia, ne occidat, ita restituere tenetur, quid aliquid accepit, verbi gratia, ut missam audiat die festo.

Respondeo, nego consequentiam, forum enim externum non concedit eam actionem, ne multiplicentur lites. Ad id, quod additur, nego consequentiam; nam ex antecedente solum sequitur, quod vi illius legis detur in foro externo actio ad repetendam rem traditam pro non patrando opere illicito; non vero sequitur, quod detur obligatio in foro interno eam restituendi, cum sæpe leges obligent tantum pro foro externo ex præsumptione delicti, quod revera sæpe abest.

V. Quæritur secundo, An restitui debeat non solum pretium, sed etiam munus datum pro opere debito ex justitia?

Respondeo, & dico primo, si tale munus detur involuntarie, (verbi gratia, si detur munus ministro publico ad redimendam vexationem, quia scilicet probabiliter apparet talem minstrum sine aliquo munere non esse præstiturum, quod ex justitia præstare debet, cum sit negligens in negotiis expediendis; aut si prius expediat illos, qui munera offerunt, &c.) tenetur minister restituere munus acceptum ipsi danti; & quidem nulla expectata sententia Judicis, & independenter a quavis lege positiva. Ita communiter: Et ratio est, quia involuntarium impedit translationem dominii via donationis, quæ essentialiter debet esse libera; Unde eadem est ratio, sive detur pretium, sive munus; In neutro enim casu transfertur dominium, atque adeo tam pretium, quam munus involuntarie datum restitui debet.

VI. Propter hanc rationem Molin. tom. 1. tract. 2. disp. 88. putat etiam famulos judicis teneri ad restitutionem, si accipiant munera, ut prius introducant unum, quam alium, seu ut prius expediant negotium ejus, qui munus obtulit, quam alterius. Etenim vel famuli anteponunt illum, quem ex justitia anteponere debent; quia, verbi gratia, prius venit, aut e remotiori loco, aut quia periculum est in mora, &c. & recurrit, quod munus detur involuntarie, & coacte ad redimendam vexationem: Vel anteponunt alium ex justitia postponendum; & tenentur saltem restituere damnum, quod infertur illi, qui postponitur, quando ex justitia erat præponendus; sicuti judex ferens sententiam injustam tenetur restituere damnum parti læsæ: Immo ipsi judices, seu officiales, si tolerent hujusmodi famulos, tenentur in solidum ad restitutionem; quia ex officio, atque adeo ex justitia illis incumbit has famulorum injustitias prohibere. Si tamen famulus sua gratia, industria, & precibus sine aliorum injusta mora obtineret expeditionem alicujus causæ, procul dubio posset munus acceptum retinere, ut notat Molin. loc. cit. quia ad hoc beneficium, quod est pretio æstimabile, non tenebatur famulus.

Advertit hic Petrus Navar. lib. 3. cap. 3. quod Judex, seu Officialis teneatur ad restitutionem talium munerum, etiam quando non est probabiliter certus, sed moraliter dubius de coactione donationis ex metu injustitiæ; quia exponeret se periculo accipiendi alienum, & fieret possessor dubiæ fidei, qui, ut supra ostendimus, etiam ad restitutionem tenetur, non secus ac possessor malæ fidei.

VII. Dico secundo, præscindendo a lege positiva in contrarium, non tenetur officialis jure naturæ restituere munera liberaliter sibi donata sine ullo metu, sive quia dantur ab amicis, aut cognatis, qui perinde donarent, ac si non esset offi-

officialis; sive quia donantur post rem juste obtentam ob gaudium, & gratitudinem, seu desiderium, ut in posterum officialis eodem modo se gerat; sive quia ita dantur ante expeditionem negotii, ut nullum periculum sit querelæ, si forte lis alteri juste adjudicetur, sed solum alliciant officialem ad illam diligenter expediendam pro merito causæ; sive demum, quia dantur ex liberalitate; ut si dives det Notario aliquid ultra taxatam mercedem pro opere justo. Ita communiter. Ratio est, quia jus naturæ nulli prohibet donare res suas alteri; ergo si quis donet illas officiali, modo habeat libertatem requisitam ad donandum, seu dummodo donatio non fiat per metum, talis donatio non erit irrita ex solo jure naturæ.

Confirmatur, quia si jure naturæ id esset prohibitum, non posset lex humana permittere, ut judex delegatus accipiat a partibus esculenta, & poculenta ex mera liberalitate oblata, sicut de facto permittitur in cap. *Statutum*, *De rescriptis in 6.* & leg. *Solet*, ff. *De officio Proconsulis*.

Neque dicas primo; ista munera non darentur, nisi ille esset officialis; ergo non videntur dari, nisi coacte ratione officii; atque adeo talis donatio, utpote meticulosa, & involuntaria, erit irrita.

Negatur enim consequentia. Sicuti enim non ex eo, quod munera non darentur Titio, nisi esset amicus, inde fit, quod amicitia inferat coactionem, quæ reddat donationem meticulosam, & invalidam; ita in casu nostro quamvis munera non darentur, nisi ille esset officialis, non inde sequitur, quod dentur per metum & coacte; dari enim possunt plene libere ex eo motivo, ut officialis in negotiis juste tibi faveat. Unde fit, quod si lis adjudicetur adversario, non possint munera repeti, quia non data fuerunt sub conditione, ut tibi lis adjudicetur, sed absolute; Sicuti si quis det munera mulieri, ut alliciat illam ad peccatum, etiamsi deinde non consentiat, donatio est valida, & munera repeti non possunt.

Neque dicas secundo; ista munera conferri non possunt officiali sine scandalo, & periculo injustitiæ, juxta illud Exod. 23. *Non accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum*; ut proinde obligatio talium munerum humanis etiam legibus prohibeatur.

Nam primo falsum est, quod aliquando sine scandalo dari non possint, puta si dentur post sententiam latam, vel si dentur officiali amantissimo justitiæ, qui ipsos etiam donatores imperterrite condemnare soleat; vel si dentur ab iis, qui litem non habent, aut ab amicis, aut de rebus ordinariis, &c. Secundo, dato, quod aliquando sine scandalo dari non possint, non proinde fit, quod donatio talium munerum sit nulla; Sicuti si detur munus fœminæ animo inducendi illam ad fornicationem, etiamsi cum scandalo detur, adhuc donatio est valida, hec fœmina tenetur ad restitutionem, etiamsi non consentiat.

VIII. Dico tertio, munera accepta contra leges humanas, quæ non solum prohibent acceptationem, sed etiam annullant donationem, & reddunt accipientes incapaces, & inhabiles ad acquirendum illorum dominium, restituenda sunt in conscientia. Quod si leges tantum prohibeant illorum acceptationem, sed non irritent acceptationem, non sunt restituenda, etiamsi accipiens peccaverit mortaliter illa accipiendo, tum contra obedientiam legis, tum etiam sacrilege contra juramentum fortasse factum de non accipiendis muneribus. Ita communiter cum Molin. l. c. Ratio primæ partis est, quia potest Princeps ob bonum commune in conscientia obligare, ut bona unius subditi per donationem non fiant de dominio alterius. Secunda pars conclusionis, quæ est contra Medin. etiam probatur, quia in jure ista duo sunt valde diversa, prohibere, ne aliquid fiat, & irritare factum: ut patet in innumeris casibus. Neque obstat lex *Non dubium*, ff. *De legibus*, & Reg. *juris in 6.* ubi dicitur, quod *Quæ contra legem fiunt, debeant utique pro infectis haberi*. Nam hinc solum inferunt, quod quæ contra legem fiunt, debeant in judicio irritari, non vero quod sint ipso facto irrita, & invalida. Juramentum autem de non accipiendis muneribus non fert obligationem ea restituendi, si sacrilege accipiantur: (sic juramentum de non ludendo non fert, quin ludens faciat sua, quæ acquirit per ludum sacrilegum) Ratio est, quia aliud est juramentum de non accipiendis muneribus, aliud vero juramentum de non faciendis suis, ac retinendis muneribus. Quare potest quis contra primum juramentum sacrilege accipere munera, quin peccet contra idem juramentum, si ea deinde retineat, ac non restituat: Quod si utrumque juraret, & non accipere, & non retinere munera, deberet quidem ea restituere, non tamen ex obligatione justitiæ, sed religionis, ut notat Molin. loc. cit.

IX. Rogabis hic: Cuinam restituenda sint munera, quando lex irritat illorum donationem?

Respondeo, restituenda esse ipsi danti. Ratio est, quia per talem donationem non est translatum dominium a dante. Excipe tamen nisi lex aliqua propter inobedientiam privet illis ipso jure dantem, & præcipiat restituenda esse pauperibus, vel fisco; nulla autem datur lex (teste Molin. disp. 34. Sot. & aliis contra nonnullos) quæ tollat dominium a dante ante latam sententiam. Nam *lex* 2. ff. *De conductione ob turpem causam*, quæ statuit eum, qui dedit munera pro sen-

sententia justa, litem perdere: & lex 3. subsequens, quæ statuit, datum pro sententia injusta non posse repeti, sunt pœnales, & non obligant in conscientia, nisi post latam sententiam in foro externo. Quare antequam dans pretium, vel munus contra leges condemnetur ad amissionem dati, debet accipiens restituere illud danti, qui nondum dominium amisit; per donationem enim non est translatum dominium in donatarium ex juris impedimento.

ARTICULUS III.

An Bona incerta, vacantia, derelicta, & Animalia, quæ piscatione, aut venatione capiuntur, restituenda sint?

I. Bona incerta, si acquisita sint ex delicto, restituenda sunt pauperibus. Quæ tamen sine delicto retinentur, probabilius danda sunt etiam pauperibus, sed probabiliter retineri possunt.

II. Post factam compositionem per Bullam bonorum incertorum, si dominus compareat, probabiliter ea non sunt restituenda.

III. Etiam Episcopus potest in sua Diœcesi compositionem facere debitorum incertorum.

IV. Bona vacantia, necnon derelicta sunt primo occupantis jure naturæ; Jure tamen positivo aliud decernitur de bonis vacantibus.

V. Animalia, quæ venatione, aut piscatione capiuntur, secundum se sunt etiam primo occupantis.

VI. Potest Princeps sibi venationem, ac piscationem reservare, & potest reddere subditos incapaces dominii relate ad feras in suo nemore captas.

VII. Ad restitutionem tenetur, qui venatur in loco, ubi a Principe alteri concessum est jus venandi; non quidem restituendo feras captas, sed compensando damnum, quod alteri probabiliter intulit habenti jus venandi.

VIII. Animal alterius, quod damnum infert in tuo prædio, non potest occidi, nisi aliter grave damnum impediri non possit.

I. DIximus quæst. 2. art. 1. Bona incerta, utpote aliena, retineri non posse invito domino; Unde quando dominus ignoratur, si ea acquisita sint ex delicto, puta ex usura, furto, injusta emptione, de jure positivo restituenda sunt pauperibus; Si vero aut sint acquisita ex contractu justo, puta ex donatione, aut sint inventa, juxta communiorem sententiam, etiam pauperibus restituenda sunt, quamvis nonnulli cum Navar. apud Less. cap. 14. dub. 7. probabiliter putent posse post adhibitam diligentiam retineri ab ipso detentore cum onere restituendi ea domino, si forte deinde compareat; nam si pauperibus dentur, non potest ea dominus recuperare; etenim neque is, qui dedit pauperibus, tenetur iterum ea dare domino comparenti, neque pauperes, quibus data sunt; ut communiter docent Less. Vasq. Azor. apud Bonac. tum quia pauperes acquisierunt jam dominium rei sibi per eleemosynam traditæ; tum etiam quia aliter eleemosyna illa non profuisset spiritualiter domino, si dominus adhuc retineret dominium illius rei, ipsique foret restituenda. Molin. tamen censet, quod si res adhuc extet apud pauperem, restitui debeat domino comparenti.

II. Majus dubium est, an si facta compositione juxta Bullam compareat dominus bonorum incertorum, debeant illi restitui? Molin. disp. 84. & alii communiter affirmant, quia Summus Pontifex per Bullam intendit compositionem fieri juxta rationabilem dominorum voluntatem, quæ censetur esse, ut velint sibi restitutionem fieri comperta rei veritate. Verum Sà, Trull. Dian. part. 4. tract. 4. resol. 112. probabiliter negant; quia talis compositio æquivalet præscriptioni: Sicut enim Respublica transfert dominium rei a domino in possidentem bona fide post lapsum temporis requisiti media præscriptione in bonum publicum; ita Pontifex transfert pariter dominium media compositione propter bonum animarum, & publicum; Est enim Pontifex administrator bonorum temporalium, quatenus concernunt bonum spirituale.

III. Addit Dian. loc. cit. & Mendo V. *Bulla compositionis*, posset etiam ab Episcopis pro sua Diœcesi concedi Bullam hujusmodi compositionis; tum quia nullo jure constat illam esse Papæ reservatam; tum etiam quia credi potest, voluntatem creditorum esse, ut in debitis incertis Episcopus consulat conscientiis subditorum; præsertim si non habeant facilem aditum ad Pontificem. Ita Villalob. contra Sylvest.

IV. Quæritur nunc primo, An restitui debeant bona vacantia, & bona derelicta?

Respondeo, bona vacantia dici, quæ remanent post mortem domini, non relictis hæredibus, nec confecto testamento; Bona vero derelicta dicuntur, quæ abjiciuntur sine intentione illa recuperandi; ut sunt, quæ jamdiu ex naufragio in mari amissa sunt, non vero quæ ad navem sublevandam in periculo naufragii ejiciuntur. His explicatis, dico cum Tambur. lib. 4. cap. 1. §. 3. utraque hæc bona tam vacantia, quam derelicta jure naturæ esse primo occupantis, ut diximus quæst. 2. art. 1. etiam de thesauris inventis. Notandum tamen in lege *Vacantia*, Cod. *De bonis vacantibus* decerni, quod bona laicorum morientium ab intestato, & non habentium hæredes usque ad decimum gradum devolvantur ad fiscum: & in Auth. *Omnes Peregrini*,

grini, Cod. *De Successoribus* decernitur, quod bona peregrini morientis ab intestato per Episcopum loci tradantur hæredibus, si fieri potest; aliter in pias causas distribuantur.

V. Quæritur secundo, An animalia capta venatione, vel piscatione restituenda sint?

Respondeo negative; ea enim sunt primo occupantis, (dummodo in nullius custodia detineantur) ut feræ, cervi, volucres, nec habeant consuetudinem redeundi in potestatem prioris domini, qualem habent canes, apes, columbæ, &c. Sicut autem in dubio, an consuetudinem redeundi habeant, si post diligentem inquisitionem perseveret dubium, præsumendum est, illam non habere; ita in dubio, an illam amiserint, præsumendum est, non amisisse; quia in priori casu possessio stat pro libertate, in posteriori pro domino.

VI. Dubium est, An possit Princeps reservare sibi venationem, aut piscationem?

Respondeo, Hostiensem, & alios apud Bonac. negare, eo quod animalia libera jure naturæ, & gentium ab omnibus capi possunt. Sed communius affirmant, etiamsi Princeps non solum ad propriam sustentationem, sed etiam ob meram oblectationem eas reservet. Ratio est, quia cum Princeps pro Republica laboret, par est, ut habeat, quæ suæ necessitati, aut dignitati conferunt. Addit Covar. quod non solum possit Princeps prohibere aliis venationem, aut alicui concedere jus venandi, sed etiam efficere inhabiles ad acquirendum dominium ferarum captarum venantes contra prohibitionem. Etenim lex justa potest efficere homines inhabiles ad dominium comparandum; in quo casu consurgeret obligatio illas restituendi, si caperentur. Addunt etiam communiter cum eodem Covar. quod non solum Princeps, sed etiam quilibet dominus agri possit prohibere, ne quis in suo agro venetur, vel aucupetur, cum possit prohibere aliis, ne suum agrum ingrediantur: Verum qui injuste venationem impedit, tenetur ad restitutionem illius probabilis lucri, quod venator facturus esset.

VII. Dubium est secundo, An teneatur ad restitutionem, qui venatur, quando a Principe, vel domino fundi prohibita est venatio, eo quod alicui concessum est jus venandi?

Respondeo, Vasq. cap. 5. de restitutione negare, quia hic in tali casu capit rem communem, nec impedit alterum, quin utatur jure sibi concesso: quamvis peccet faciendo contra legem prohibentem, ne venetur; Quam sententiam putat probabilem Bonac. quæst. 7. punct. 7.: Communiter tamen affirmant, quia violat jus concessum alteri a Principe, vel a Communitate, &c. ad capiendas res communes; Alioquin sequeretur, quod faciens magnam lignorum stragem in sylva communi, aut piscans cum magno Communitatis detrimento, verbi gratia projiciendo in fluvium, aut paludem escas medicatas, quibus aquæ inficiantur, & omnes pisces moriantur, non teneretur ad restitutionem; quod est contra communem Doctorum.

Notandum tamen, quod venans in casu adducto non teneatur facere restitutionem, habita ratione animalium captorum per venationem prohibitam, sed solum habita ratione damni, vel lucri, quod cessavit illi, ad quem jus venandi pertinet.

VIII. Ex dictis sequitur, ut notat Bonac. num. 24. quod peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur, qui occidit, aut vulnerat animal alterius, dum damnum infert in suo prædio; non enim habet jus occidendi, sed solum expellendi, & satisfactionem exigendi; nisi forte aliter grave damnum impediri non possit; ut in simili casu docet Sà V. *Restitutio* num. 47. de eo, qui diruit domum vicinam, per quam incendium perventurum erat ad suam.

ARTICULUS IV.

An iterum facienda sit restitutio, quando res furtiva data alteri, ut restituatur, non pervenit ad dominum?

I. *Res debita ex delicto, si deferatur per nuncium a debitore electum, perit ipsi debitori, antequam ad dominum perveniat; Sed si nuncius eligatur a Creditore, perit Creditori.*

II. *Res non debita ex delicto, sed ex contractu, si eadem in individuo debeatur, perit semper Creditori, si non pereat ob culpam debitoris: At si non debeatur eadem in individuo, perit debitori, si per nuncium a se electum transmittatur.*

III. *Res tamen, quæ solum debetur ex re accepta, quamvis transmittatur per nuncium a debitore electum, perit semper Creditori, quamvis non debeatur eadem in individuo, dummodo non pereat ob culpam debitoris.*

IV. *Quid si res debita transmittatur per Parochum, vel Confessarium, & illa ad dominum non perveniat?*

V. *Quid si post conventionem cum Creditore, quod res transmittatur per Petrum, deinde transmittatur per Paulum expertum fidelem, & res ad dominum non perveniat?*

I. Quæritur primo, Utrum res debita pereat domino creditori, an vero debitori, (itaut debitor ad novam restitutionem teneatur,) si pereat, antequam ad dominum perveniat?

Ante responsionem adverto, rem, quæ restituen-

tuenda est, vel restituendam esse ex delicto, vel ex contractu, vel ex re accepta: Rursus vel restituendam esse eandem numero, vel in specie eandem. Præterea notandum, quod nuncius, qui ad dominum rem defert, vel eligitur a creditore, vel debitore. His positis.

Dico primo; Res, quæ debetur ex delicto, verbi gratia furto, si deferatur per nuncium a debitore electum, & pereat, antequam perveniat ad creditorem, perit ipsi debitori, sive eadem numero, sive diversa debeatur; Unde ad novam restitutionem debitor tenetur. Si vero deferatur per nuncium electum a creditore, perit ipsi creditori, atque adeo debitor non tenetur ad novam restitutionem. Ita communiter apud Bonac. Ratio primæ partis est, quia par non est, ut creditor damnum patiatur ob alterius delictum. Ratio secundæ partis est, quia nuncius electus a creditore facit cum illo unam personam moraliter; ergo si restituatur res tali nuncio, censetur restituta ipsi creditori. Quare sicuti post restitutionem factam creditori res illa perit, ita post restitutionem factam tali nuncio.

II. Dico secundo; Quod non debetur ex delicto, sed ex contractu, si non debeatur idem in individuo, (ut quando debetur pecunia numerata) perit pariter debitori, si transmittatur per nuncium a debitore electum: Econtra perit creditori, si transmittatur per nuncium ab ipso electum. Si vero debeatur eadem res in individuo, (ut res pignori, vel commodato, vel deposito tradita) perit semper creditori, per quemcumque nuncium transmittatur, dummodo non pereat per culpam debitoris. Ita etiam communiter. Et ratio horum omnium fundatur in illo principio, *Res, quæ perit, domino perit*; quando autem transmittitur per nuncium a debitore electum res, quæ non debetur eadem in individuo, puta pecunia numerata, tunc dominium illius rei manet penes debitorem, quousque perveniat ad creditorem; Unde si pereat, vel surripiatur, perit ipsi debitori; qui proinde tenetur iterum restituere Contra, si transmittitur per nuncium electum a creditore, dominium illius rei acquiritur a creditore statim ac pervenit talis res ad manus nuncii facientis cum creditore quasi unam personam, & ideo si pereat, perit ipsi creditori; unde non est facienda iterata restitutio. Demum si res, quæ debetur, restituenda sit eadem in individuo, cum dominium illius semper sit penes creditorem, per quemcumque nuncium transmittatur, (nisi pereat culpa debitoris,) semper perit ipsi creditori; Unde non est facienda nova restitutio.

Non negaverim tamen, majorem diligentiam adhibendam in custodienda, vel transmittenda re commodata, quam deposita, locata, aut pignorata; eo quod contractus commodati sit solum in beneficium commodatarii: Ex quo fit, ut facilius possit res commodata perire per culpam debitoris in illa transmittenda.

III. Dico tertio. Si res restituenda neque debeatur ex delicto, seu ex injusta acceptione, neque ex contractu, sed mere ex re accepta (verbi gratia, quia bona fide possederim illam, & nunc cognoscam esse alienam) sive eadem in individuo debeatur, sive diversa, puta quia rem alienam ita consumpserim, ut ex ea factus sim ditior: tunc si absque culpa debitoris pereat, antequam ad dominum perveniat, non perit debitori, sed perit domino creditori. Ratio est, quia ex dictis Possessor bonæ fidei ita debet restituere, ut debeat servari indemnis; non servaretur autem indemnis, si in tali casu ad novam restitutionem teneretur; ergo non tenetur.

IV. Ex dictis colligitur, in quonam casu debitor ad novam restitutionem teneatur, si debitum transmittat per Parochum, vel Confessarium, qui illud sibi retineat, aut si alia ratione pereat. Si enim debitum sit ex delicto, & Confessarius ab ipso debitore eligatur, ut debitum transmittat, facienda est nova restitutio, si debitum non perveniat ad dominum.

Adverto tamen, Reginal. Sot. Gabriel. & alios apud Less. cap. *16*. num. *6*. & Dian. part. *2*. tract. *3*. resol. *2*. putare non improbabiliter, quod si debitor per Parochum, aut Confessarium a se electum restituit, eo quod non possit id per seipsum exequi sine sui infamia, non teneatur ad restitutionem, si confessarius rem illam sibi retineat. Ratio est, tum quia debitor in tali casu restitutionem, quantum est in se, jam fecit, ut debuit, & potuit; tum etiam quia si creditor consensisset, ut per Confessarium transmitteretur debitum, certe non esset nova restitutio facienda; Creditor autem in tali casu implicite, & rationabiliter censetur concessisse; ergo non est facienda nova restitutio.

Idem docet Dian. part. 10. tract. 16. resol. *97*. contra nonnullos de eo, qui vovit, verbi gratia, mittere calicem, vel pecuniam ad domum Lauretanam, misitque illam per hominem fidelem; in quo casu si deinde non perveniat, non videtur teneri illum ad mittendum alium calicem, vel pecuniam.

V. Quæritur secundo; Utrum debitor teneatur ad novam restitutionem, quando rem in individuo debitam non transmisit per nuncium, per quem ex conventione inter creditorem, & debitorem transmittenda erat, sed per alium pluries expertum fidelem, qui tamen cum re restituenda aufugit?

Respondeo, Gomez, & Bonac. quæst. 3. punct. *9*. affir-

9. affirmare, sive res illa debeatur ex delicto, sive ex contractu, sive ex re accepta. Ratio est, quia debitor in re illa transmittenda non videtur adhibuisse debitam diligentiam; Nam ex lege *Cum qui*, ff. *Commodati*, non videtur diligens, qui contra formam pacti agit. Vasq. tamen & Rebel. negant, quia debitor eam diligentiam adhibuit, ad quam tenebatur, dum rem transmisit per talem famulum alias expertum fidelem; nisi forte conventum esset de damno solvendo, si res per alium transmitteretur ab illo, super quo convenerant.

ARTICULUS V.
An res domino nocitura restituenda sit?

I. Quousque dubitetur, aut probabile sit, rem esse domino nocituram, ut gladius furioso, non est restituenda.
II. Probabilius est, quod peccetur etiam contra justitiam, si res isthæc cum alterius damno restituatur.
III. Negative se habens ad injustam actionem non tenetur ad restitutionem, nisi ex officio debeat illam impedire. At in casu nostro reddens gladium domino furioso positive concurrit ad mortem innocentis, & ideo ad restitutionem obligatur.
IV. Solvens usurario usuras, quibus abutatur ad novas usuras exigendas, remote ad peccatum concurrit; at in casu nostro proxime.
V. Differenda pariter est restitutio rei alienæ, etiam quando dominus illa abusurus est ad peccandum contra alias virtutes a justitia.
VI. Non tenemur auferre a domino res suas, quibus ille est abusurus, sed hujusmodi res tenemur non restituere.
VII. Conjux illicite petenti debitum num, & quando possit illud negare?
VIII. Non videtur improbabilis sententia nonnullorum, quod scilicet citra culpam restitui possit domino res, qua ille abusurus sit contra alias virtutes a justitia.

I. QUæritur primo, An restituendus sit, v. gr. gladius, quo dominus vel alios sit occisurus, vel ipse sit occidendus?

Respondeo, si dubium, vel solum probabile sit, non tamen certum, quod gladius domino nociturus sit, proculdubio restituendus est, quia in dubio, & in pari probabilitate melior est conditio domini; nisi tamen dominus sit furiosus; quia in tali casu nullam injuriam infero differendo restitutionem, & probabiliter illum eximo a gravi malo; Unde non potest esse rationabiliter invitus, quod ei restitutio differatur, ut notat Tambur. tract. 4. cap. 1. Si tamen certum sit, gladium esse domino nociturum, pecco contra charitatem illum restituendo, ut docet D. Th. hic ad primum. Et ratio est, quia si teneor etiam auferre gladium ab eo, qui vult occidere innocentem, quando id possum, a fortiori teneor gladium denegare eidem.

II. Dubium tamen est apud Doctores, An si restituam huic gladium, peccem solum contra charitatem, an etiam contra justitiam? Molin. putat peccari dumtaxat contra charitatem; sed probabilius Less. cap. 16. dub. 4. Salon. Tamb. peccari etiam contra justitiam. Ratio est, quia videor valde proxime cooperari ad injustam actionem reddendo gladium, quem possum negare, quando dominus tali gladio interimendus est, vel alios est interempturus: Unde sum veluti complex homicidii præbendo instrumenta, quæ facile negare possum; & ideo teneor ad restitutionem damni hujus inde secuti.

III. Neque dicas primo; Nemo tenetur ex justitia defendere innocentem, nisi id illi ex officio incumbat; ergo neque tenetur Titius ex justitia negare domino gladium, quo innocens esset occidendus.

Nam, concesso antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia in primo casu, qui non defendit innocentem, tantum negative se habet ad homicidium; qui autem negative concurrit ad damnum alterius, non peccat contra justitiam, nisi ex officio illi incumbat tale damnum impedire: Unde fit, quod si quis e domo mea accipiat gladium ad occidendum innocentem, & ego, cum possim, non impediam, solum peccem contra charitatem: Contra vero in secundo casu, qui reddit gladium, positive, & proxime concurrit ad homicidium præbendo instrumenta, & ideo peccat contra justitiam, tanquam particeps injustæ actionis.

IV. Neque dicas secundo. Non peccat contra justitiam, qui reddit pecuniam usurario, quamvis advertat, quod ille tali pecunia usurus sit ad novas usuras contra justitiam faciendas; ergo neque in casu nostro.

Nam concesso pariter antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia magis remote videtur pecunia illa concurrere ad alios damnificandos, quam gladius. Præterquamquod si non reddo pecuniam usurario, facile videntur oriri rixæ, & habeor ab illo infidelis; Unde alia vice mutuum mihi denegabit; Ex quibus capitibus excusor ab omni peccato, si pecuniam illi restituo, quæ tamen non accidunt in casu nostro; in quo etiam non agitur de pecunia aliena, sed de hominis vita.

Neque dicas tertio. Scienti, & volenti non fit injuria; ergo si reddam gladium domino, qui vult seipsum interimere, non pecco contra charitatem.

Nam contra est, quia hinc sequeretur, quod neque contra justitiam peccarem, si occiderem illum, qui petit a me occidi. Quare, ut notat Bonac. & Tambur. in tali casu, quamvis non fiat injuria petenti, fit tamen injuria Reipublicæ, & ideo peccatur contra justitiam, saltem legalem, quæ respicit jus commune; Quod si petens gladium, aut petens ut occidatur, esset furiosus, quia non peteret voluntarie, & humano modo, procul dubio peccaretur contra justitiam particularem, & commutativam adversus petentem, quia non esset sciens, & volens, sed ignorans, & nolens.

V. Quæritur secundo, An restituenda sit domino res, qua ille peccaturus est contra alias virtutes a justitia; v. gr. an restituenda sit vestis, qua dominus certe abusurus est ad alliciendam fœminam ad fornicandum?

Respondeo pariter, nec debere, nec posse, sed peccare graviter contra charitatem, si restituat, quando sine gravi incommodo potest debitor restitutionem differre. Ita Less. loc. cit. D. Th. Molin. & alii apud Tambur. l. 8. tract. 4. c. 1. §. 3. contra Sanch. & Bonac. quæst. ultim. punct. 1. Ratio est, quia unusquisque tenetur succurrere gravi necessitati proximi, quando sine incommodo potest; nam ut habetur in sacris literis, *Unicuique mandavit Deus de proximo suo*; ergo contra charitatem peccat, qui restituit rem domino, quando certe illa abusurus est. Quamvis autem dominus habeat ex vi justitiæ jus repetendi vestem suam; at non habet hic & nunc tale jus; cum justitia non opponatur charitati, quæ præcipit, ut hic & nunc non restituatur.

VI. Dices primo; Non teneor ex charitate, quamvis commode passim, auferre a domino vestem suam, qua scio abusurum ad peccandum; ergo neque teneor non restituere; satis enim est in utroque casu uti correctione fraterna, si est spes emendæ.

Respondeo, negando consequentiam. Disparitas est, quia nemo tenetur impedire alienum peccatum, auferendo ab illo res, quibus peccaturus est; hoc enim esset onus magnum, & ex se valde incommodum fidelibus: Contra vero tenemur impedire alienum peccatum, non præbendo materiam, & instrumenta, seu non concurrendo positive, cum hoc non sit valde onerosum, & incommodum.

VII. Dices secundo cum Bonac. Conjux tenetur reddere debitum alteri conjugi petenti illicite ob solam circumstantiam personæ, v. gr. quia habet votum castitatis; ergo etiam debitor restituere debet rem domino petenti, quamvis ille abusurus sit tali re in sui detrimentum.

Respondeo cum Less. c.16. dub.4. quod quamvis conjux habeat jus petendi tale debitum, tamen si vult illo jure abuti, potest alter conjux debitum negare, si commode possit, & speret hoc pacto peccatum illius impeditum iri, præsertim in posterum. Dixi in posterum, ut advertatur, quod majori tergiversatione utendum sit, quando agitur de impediendo novo peccato interno, quam quando agitur de impediendo solum peccato externo post culpam jam interius commissam.

VIII. Non negaverim tamen, probabilem esse sententiam oppositam, quod scilicet debitor non obligetur ad differendam restitutionem, quando creditor vult abuti rebus suis tantummodo in sui damnum, ut in libidines, compotationes, aliaque; tum quia non est ipsius curæ inspicere, quo pacto dominus impensurus sit res suas; tum etiam quia potest creditor cogere debitorem in foro externo, ut restituat; ergo probabiliter tenetur ille restituere in foro interno; tum demum quia dilatio restitutionis sæpe parum efficax est ad impediendum malum creditoris, & sæpe etiam cum molestiis, & calumniis conjungitur.

QUÆSTIO III.

De Persona, cui facienda est Restitutio, ac de reliquis circumstantiis Restitutionis.

QUinque supersunt enucleandæ circumstantiæ restitutionis. Prima est, Cui facienda sit restitutio? Secunda, Ubi, & cujus expensis? Tertia, Quando? Quarta, Quomodo? Quinta, Quo ordine? Sit itaque.

ARTICULUS I.

Cui facienda est Restitutio?

I. Restitutio ex titulo rei acceptæ facienda est domino: Ex titulo autem injustæ acceptionis facienda est illi, cui damnum est irrogatum.

II. Qui eadem actione pluribus damnum intulit, omnibus tenetur illud resarcire. Quid si malis artibus plures quis impedierit a Beneficio consequendo?

III. Num differens deferre rem donatam usque ad mortem donantis teneatur non solum donatario, sed etiam hæredibus donantis restituere?

IV. Surripiens rem alienam a Cajo bona fide illam possidente, tenetur illam non Cajo, sed domi-

no restituere. Similiter qui rem alienam dono accepit a fure, non furi, sed domino restituere illam debet. Sed quid si a fure illam emerit?

V. *Qui bona fide in opera pia impendit rem domino restituendam, num teneatur iterum restituere? Et qui rem furtivam bona fide emit, & revendidit, ad quid tenetur?*

VI. *Restituens creditori sui creditoris immunis est a nova restitutione, quando est liquidum debitum creditoris immediati.*

VII. *Citra vim potest amicus Caji accipere centum a Titio auctoritate propria, servatis regulis compensationis, ut ea det Cajo creditori Titii.*

VIII. *Num possit dominus ingredi domum furis, & per vim rem suam recuperare?*

I. Certum est, restitutionem ex titulo rei acceptæ faciendam esse domino: Restitutionem vero ex titulo injustæ acceptionis faciendam esse illi, cui damnum illatum est, aut bonum injuste est impeditum, vel illi, qui successit in jure illius, cui damnum illatum est. Ratio est, quia sic, & non aliter ponitur per restitutionem æqualitas inter creditorem, & debitorem. Quando autem incertus est dominus, cui facienda sit restitutio, diximus etiam quæst. superior. art. 3.

II. Ex hoc principio jacto sequitur primo, quod si una eademque actione pluribus damnum inferatur, omnibus illis restitutio facienda sit: Verbi gr. si quis vi, vel fraude efficiat, ut beneficium, vel officium conferatur indigno, quia damnum infert non solum digno habenti jus ad illud, sed etiam Ecclesiæ, vel Reipublicæ, quæ jus habet ad ministros dignos, idcirco non solum tenetur restituere damnum irrogatum digno, cum privaverit illum emolumento beneficii, vel officii, sed etiam damnum, quod patitur Ecclesia, vel Respublica ex defectu ministri digni, juxta dicta quæst. 2. art. 1. Quod si quis vi, & fraude impediverit multos competitores ad aliquod beneficium, vel officium assequendum, tunc debet singulis restituere quanti judicio prudentum spes illorum existimatur, ut ibidem notavimus cum Dian. part. 3. tract. 6. resol. 33.

III. Eodem modo mandatarius donationis faciendæ, vel manifestandæ, si malitiose differat consignationem rei donatæ, vel manifestationem donationis usque ad mortem donantis, non solum tenetur restituere donatario, quod omnes Doctores docent, eo quod privaverat illum re donata, sed etiam probabiliter tenetur restituere integre hæredibus donantis. Ratio est, quia per mortem donantis expirat mandatum, & consequenter res donata debet a mandatario dari hæredibus donantis, si ante mortem hujus non sit consignata donatario. Ita Molin. apud Dian. part. 6. tract. 7. resol. 4. contra Sà, & Tamb. lib. 8. cap. 1. §. 5. qui putant mandatum donationis, cum sit gratiosum, & favorabile, non expirare morte mandantis; unde in casu adducto restitutio facienda esset soli donatario, cui res debetur, non vero hæredibus donantis.

IV. Sequitur secundo, quod si Cajus fur apud se habeat rem furtivam, & tu illam vel surripias, vel bona fide accipias, tenearis illam restituere domino, & non Cajo furi nullum jus habenti ad illam. Ratio est, quia res domino restituenda est, nisi justa causa intercedat, propter quam alteri possit restitui; ut communiter docent apud Bonac. hic contra Navar. cap. 17. num. 19. Econtra, si rem apud Cajum depositam, vel illi commodatam, aut pignoratam, vel locatam abstulisti, teneris ipsi Cajo, non domino restituere. Ratio est, quia Cajus habet jus ad talem rem possidendam; unde illi faceres injuriam, si justa possessione rei, quam justo titulo possidet, illum privares. Si demum Cajus rem aliquam alienam bona fide possideat, & tu a Cajo illam surripias, teneris illam restituere, non Cajo, sed domino, ut notat Rebell. contra nonnullos apud Laym. lib. 2. tract. 3. cap. 9. quia Cajus in tali casu nullum verum jus habet possidendi rem illam, sicuti habet, quando illam ex contractu depositi, commodati, pignoris, locati, &c. possidet.

Sequitur tertio, quod qui accepit a fure rem alienam, sive bona, sive mala fide, solo titulo gratuito, v. gr. donationis, aut depositi, tenetur illam restituere domino, non furi; nisi forte aliquod sibi grave damnum timeat non restituendo illam furi, qui apud se illam deposuit. Si tamen eandem rem furtivam sive bona, sive etiam (ut probabiliter multi docent) mala fide acceperit a fure titulo oneroso, v. gr. emptionis, poterit reddi furi ad recuperandum pretium, ut diximus quæst. art. 1. cum Molin. & Vasq. contra Rebel. Quod si nulla sit spes recuperandi pretium a fure, nec aliud grave damnum immineat, procul dubio restituenda erit domino, non furi.

Sequitur quarto, quod quæ male accepta sunt a filiofamilias, pupillo, religioso, furioso, uxore, &c. ex bonis, quorum administratio iis non competit, plerumque restituenda sint Patri, Tutori, Prælato &c. ut notant Gabriel, & alii ex leg. *Pupillus*, *ff. De actione*, alioquin iterum iisdem restituenda sunt.

V. Quæritur nunc primo, Utrum qui bona fide post mortem domini non restituit hæredibus, sed in pia opera pro anima defuncti insumpsit bona restituenda, teneatur iterum restitutionem facere hæredibus?

Respon-

Respondeo, communiter affirmare; quia per primam restitutionem non compensavit, ut debebat, damnum illatum: Sicuti qui furatus est a Paulo, & non restituit illi, sed dispensat res furtivas pauperibus pro anima illius, tenetur iterum restituere. Molin. tamen apud Bonac. excusat a nova restitutione illum, qui debens hæredibus rem aliquam in individuo, sive ex re accepta, sive ex contractu, illam bona fide impendit in opera pia. Etenim in tali casu neque videtur reus novæ restitutionis ex re accepta, cum nihil alienum apud se habeat; neque ex injusta acceptione, cum non peccaverit sic impendendo, excusante illum ignorantia invincibili: Neque tenetur ex contractu, cum non se obligaverit ex contractu ad hujusmodi restitutionem in tali casu faciendam.

Eodem modo Tambur. tract. 4. c. 1. §. 5. excusat a nova restitutione illum, qui ex consilio incauto Confessarii rem furtivam dispensat pauperibus; quamvis deinde Confessarius advertat, & moneat illam fuisse domino restituendam. Ratio est, quia dominus non debuit in tanta pietate hujus pœnitentis esse invitus; Præsertim quia cum talis eleemosyna profuerit ejus animæ, par non est, ut res illi iterum debeatur.

Sequitur ultimo, quod si equum furtivum, v.gr. bona fide emeris a Titio fure, & bona etiam fide vendideris, probabiliter tenearis contractum revenditionis rescindere, cum fuerit nullus; non secus ac si vitrum pro gemma bona fide vendideris, ut diximus quæst. 3. art. 2. ex Less. c. 14. dub. 5. contra Navar. & alios apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 68. Quamvis opposita sententia visa sit nobis probabilior loc. cit. Si tamen Cajus, cui rem furtivam vendidisti, non compareat, aut non possit, aut nolit rem furtivam emptam restituere, tu nihil teneris restituere, nec Cajo, qui nullum habet damnum, nec Titio furi, aut domino, cum nullum damnum iis intuleris bona fide revendendo; Immo si carius vendidisti, quam emeris, quamvis factus sis ditior, non per hoc quicquam teneris restituere, ut diximus loc. cit. ex Tambur.

Addit Less. quod si bona fide talem equum revendidisti, quando advertis illum esse furtivum, non tenearis nec dominum, nec Cajum, cui revendidisti, monere, quod equus ille sit alienus, quando ex tali monitione tibi grave damnum imminet, puta quod non possis pretium recuperare datum bona fide. Ratio est, quia non teneris cum tanto incommodo procurare, ut dominus rem suam habeat, quando nullius damni fuisti causa injusta. Idem dicas, si aurichalcum, v. gr. pro vero auro bona fide emeris, & eodem pretio bona fide revendideris, non teneris monere emptorem, si non poteris recuperare pretium, quod bona fide solvisti, ut Bonac. notat quæst. 4. punct. 2.

Dubium tamen est, An si Cajus, cui revendidisti equum furtivum bona fide restituat illum domino, tenearis tu pretium reddere Cajo?

Respondet Bonac. hic ex Less. loc. cit. quod si ex tali redditione pretii incurras damnum, quod non possis recuperare id, quod solvisti Titio furi, a quo equum emeras, non tenearis Cajo reddere pretium ab eo acceptum. Ratio est, quia potes uti compensatione damni, quod tibi Cajus intulit, dando immediate equum domino, quin prius id tibi significaret, ut ita posses recuperare pretium tuum; Qud si non fuerit tibi causa talis damni, certe teneris illi suum pretium restituere: Quamvis nonnulli apud Dian. loc. cit. putent satis esse in foro conscientiæ, quod tantum cedas Cajo actionem, quam habes in Titium furem.

Quod diximus de equo furtivo, quem emisti bona fide, & revendidisti, dices de re miscibili, puta de frumento, &c. si illud in individuo, sicut emisti, ita revendidisti: Si tamen illud bona fide emptum cum tuo frumento miscuisti, & vendidisti bona fide, nullatenus teneris contractum rescindere, nec quicquam restituere, si in nihilo factus es ditior. Ratio est, quia per hoc, quod illud cum tuo miscueris, factum est tuum, & tanquam tuum venditum est Cajo, qui proinde nihil etiam restituere tenetur, ut notavimus quæst. 2. art. 1.

VI. Quæritur secundo, Num qui restituit Creditori sui creditoris, satisfaciat debito suo, an teneatur iterum suo creditori restituere?

Respondeo cum Medin. Valent. & aliis communiter, quod satisfaciat, si debitum sui creditoris sit liquidum. Ratio est, quia sic non infert damnum suo creditori immediato, cum liberet illum a suo debito, & sibi potius damnum afferat, eo quod possit ipse ab eo compelli per Judicem ad iterum restituendam rem debitam sibi, quando res, quam restituit creditori mediato, non erat illi obligata: Et quamvis creditor immediatus forte sit invitus, quod restitutio fiat creditori mediato, quia tamen non est rationabiliter invitus, quando suum debitum est omnino liquidum, ideo nulla alia restitutio est facienda.

VII. Dubium hic est, An si ego sciam, quod Titius nolit restituere Cajo centum, quæ illi debet, possim ego auctoritate propria accipere illa centum a Titio, & dare Cajo, cui debentur?

Respondeo, quod sicut potest ipse Cajus servatis regulis compensationis illa sibi accipere, ita possum ego in gratiam Caji servatis iisdem regulis illa accipere, & dare Cajo. Ratio est, quia quod Cajus potest facere per se, potest etiam face-

facere per alium: Verum ſicut ipſe Cajus non poteſt per vim ea ſibi accipere, niſi quando reperitur fur in flagranti delicto, ut communiter docent contra Vaſq. cap. 5. de reſtitutione §. 1. dub. 8. ita multo minus ego, qui non ſum dominus, poſſum auctoritate propria per vim extorquere illa centum a Titio, ut reddam Cajo, cui debetur.

VIII. Aliqui tamen apud Leſſ. cap. 9. dub. 11. Vaſq. Reginal. relati a Bonac. diſp. 2. quæſt. 1. ſect. 1. punct. 10. probabiliter putant, licitum eſſe domino ingredi domum furis, & rem ſuam per vim contra furem reſiſtentem recuperare, quando res eadem in individuo extat apud furem, & non poteſt aliter per Judicem ſine magna moleſtia recuperari. Ratio eſt, quia fur quamdiu rem meam detinet, videtur mihi facere injuriam, & res meas aggredi. Unde in tali caſu dominus defenderet potius res proprias, quam furem aggrederetur. Quod ſi hæc opinio eſt probabilis, poteſt conſequenter dominus hoc ipſum per alium præſtare, ſi poteſt per ſeipſum. In praxi tamen id nullatenus ſuadendum.

ARTICULUS II.

Ubi, & cujus expenſis facienda ſit Reſtitutio?

I. A Poſſeſſore malæ fidei reſtitutuenda res eſt domino propriis expenſis, reponendo illam, ubi dominus illam poſſeſſurus eſſet, ſi non fuiſſet furto ſublata.

II. Qui reſtituere non poteſt ſine expenſis majoribus, quam res ipſa valeat, ad quid tenetur? Num poſſit uti beneficio Bullæ compoſitionis?

III. Poſſeſſor bonæ fidei non tenetur ſuis expenſis rem domino reſtituere, aut illum monere, ut rem ſuam ſibi capiat. Quod ſi ſine magnis expenſis id fieri nequit, nec ſperatur, quod dominus velit amplius ſibi rem accipere, poteſt dari pauperibus, ac poteſt etiam ipſe ſibi eam retinere.

IV. Quæ debentur ex contractu, vel quaſi contractu, reſtitui debent in loco, ubi res accepta fuit: Si tamen aliter ſit conventum, compenſandæ ſunt expenſæ.

V. Si contractus cedit in bonum debitoris, expenſis iſtius facienda eſt reſtitutio; Sicuti ſi cedat in bonum creditoris, hic debet ſolvere expenſas; Et ſi in bonum utriuſque, uterque.

VI. Ubinam reſtituendæ ſint res ex teſtamento donatæ, aut commendatæ, vel penſiones, &c.

VII. Res ex contractu debita, quæ ſine magnis expenſis non poteſt domino reſtitui, vel poteſt dari pauperibus, vel retineri a debitore, ſi forte dominus compareat.

I. Ex triplici capite oriri poteſt in re præſenti obligatio reſtituendi. Primo ex capite injuſtæ acceptionis, ſub quo comprehenditur injuſta damnificatio, & injuſta detentio, ſeu culpabilis mora reſtituendi. Secundo, ex capite rei acceptæ. Tertio, ex contractu.

Quæritur nunc primo, Ubi, & cujus expenſis fieri debet reſtitutio, quando ejus obligatio oritur ex injuſta acceptione, ſeu quando facienda eſt a poſſeſſione malæ fidei?

Reſpondeo, reſtitutionem in tali caſu faciendam eſſe expenſis debitoris in eo loco, in quo dominus illam poſſeſſurus eſſet, ſi non fuiſſet illi ſublata. Ita communiter. Et ratio eſt, quia dominus nullum debet reportare damnum ex alieno delicto: Si tamen dominus in mutando domicilio facturus fuiſſet aliquas expenſas ad aſportandam rem illam, poſſet poſſeſſor malæ fidei tales expenſas detrahere, quia non eſt neceſſe, ut dominus ex furto ſibi facto reportet lucrum, ſed ſatis eſt, ſi ſervetur indemnis.

II. Dubium tamen eſt; An ſi in reſtitutione ſic facienda majores expenſę faciendæ ſunt, quam res ipſa valeat, teneatur illas facere poſſeſſor malæ fidei? Exempli gratia, ſi dominus in Indias perrexit, teneorne ad illum transmittere gladium ſuum meis expenſis?

Navar. Cajet. Valent. apud Vaſq. c. 10. n. 27. affirmant; Sed communius cum Leſſ. Molin. negant. Ratio eſt, quia dominus in tali caſu regulariter loquendo non cenſetur rationabiliter invitus, quod differatur reſtitutio, quouſque ſine tanto debitoris detrimento fiat; Juſtitia enim non adverſatur charitati, quæ non patitur quod debitor gladii valentis decem argenteos debeat impendere mille aureos, v. gr. ut transmittat gladium in Indias; Niſi forte majus etiam damnum creditor ſubiret ex carentia rei ſuæ; nam in pari gradu damni melior debeti eſſe conditio creditoris, quam debitoris injuſti. Univerſim ergo creditor non debet exigere, ut reſtitutio fiat expenſis majoribus, quam res ipſa valeat; nam per reſtitutionem poni debet æqualitas inter creditorem, & debitorem; In hoc autem caſu magna poneretur inæqualitas.

Quod ſi debitor non ſperet fore, ut poſſit rem alienam ſine tantis expenſis reſtituere, non poteſt illam ſibi retinere, ſed debet in pauperes, & in pia opera erogare pro anima domini, aut dare illam conſanguineis illius, præſertim ſi ſint pauperes; hæc enim cenſetur rationabilis voluntas domini: Vel poſſet uti beneficio Bullæ compoſitionis, ut notat Tambur. adeundo Epiſcopum ſuppreſſo nomine ad compoſitionem obtinendam. Idemque dicas de illo debitore, qui propter magnam inopiam non poteſt ne mediocres quidem expenſas facere ad rem domino tranſmittendam, vel ad dominum admonendum, quamvis conſultius eſſet reſtituere quod poteſt.

III. Quæ-

III. Quæritur secundo, Ubi, & Cujus expensis facienda sit restitutio; quando ejus obligatio non oritur ex delicto, aut contractu, sed præcise ex re accepta, seu a possessore bonæ fidei?

Respondeo, satis esse, si fiat in loco, ubi est ipse debitor, vel ubi est res restituenda, & dominus admoneatur, ut sibi illam capiat; Si tamen ad dominum transmittenda est, potest expensis illius transmitti, quia possessor bonæ fidei debet in restitutione facienda servari indemnis, ex lege *Possessor bonæ fidei ff. De petition. hæreditat.* Si tamen sine magnis expensis, quæ rei valorem superent, transmitti non potest ad dominum, quippe qui longissime abest, nec potest admoneri, nec spes est, ut unquam adveniat, aut possit rem suam, ejusque pretium recuperare, non solum potest ea res dari pauperibus, vel pro ea peti Bulla compositionis, sed etiam probabiliter ex Tambur. §. 8. num. 7. potest debitor illam sibi retinere, quia æquiparatur res illa rei habenti dominum ignotum.

IV. Quæritur ult. Ubi, & Cujus expensis facienda est restitutio orta ex contractu?

Respondeo, & dico primo; Quando obligatio restitutionis oritur ex contractu, vel quasi contractu, idest ex officio, facienda est restitutio in eo loco, in quo res accepta fuit, nisi aliter sit in contractu expressum. Ratio est, quia restitutio est repositio rei in pristino statu, ergo in eodem loco res restituenda est, in quo fuit accepta; Nec potest in ipso contractu apponi onus, ut alibi restituatur, nisi tale onus aut libere a debitore assumatur, aut justa mercede compensetur, cum sit pretio æstimabile, ut notant Bonac. Less. Vasq. & alii communiter contra Navar.

Aliquando tamen tacite designatur locus, in quo restitutio facienda est, ut si mutuum petas ab amico in via, & ibi tradatur, non est credibile, quod debeat in via talis restitutio fieri, sed in ea domo ubi mutuator habitat. Ratio est, quia in tui gratiam voluit in via mutuum tradere cum potuisset tibi dicere, ut domum adires. Ita Rebel.

V. Dico secundo. Quando contractus cedit in utilitatem solius debitoris, ut mutuum, commodatum, &c. tunc restitutio facienda est expensis debitoris: Si cedat tamen in utilitatem creditoris, tunc hujus expensis fieri debet restitutio, ut depositum, &c. Demum fiet expensis utriusque, si contractus in utriusque utilitatem cedat; ut locatum, &c. Ita Tambur. hic. Æquum enim est, ut qui sentit commodum, & utilitatem contractus, sentiat etiam onus expensarum.

VI. Hinc sequitur, quod quæ relicta sunt ex testamento, donatione, vel alio titulo gratioso reddenda sint in loco, ubi erant, quando donata sunt; nihil enim testator, aut donans hic & nunc intendit, quam ut donatarius rem illam donatam sibi accipiat, si velit: Quod si hæres rem alio voluntarie transtulit, debet suis expensis restituere in loco, ubi erat, quando donata fuit, ut notat Bonac.; cum donatarius habeat jus ad rem sibi donatam accipiendam in loco, ubi erat tempore donationis; secus vero si sine culpa hæredis, aut depositarii res alio sit translata.

Sequitur secundo, quod Census reales super rebus stabilibus, puta super domo, prædio, feudo, &c. solvi debeant in loco, ubi sunt res hypothecatæ, nisi aliter conventum fuerit; cum census sit quasi pars fructuum domini: Et idem dicas de pensionibus, quæ ibi debent solvi, ubi est beneficium, quamvis sæpissime vel expresse, vel tacite conveniatur, ut solvantur, ubi degit pensionarius.

Sequitur tertio, quod qui contractu commodati, vel mutui accepit equum vel pecuniam, v. gr. Neapoli, debeat quidem suis expensis restituere illam Neapoli; Si tamen dominus mutavit domicilium, & se transtulit Romam, non tenetur Commodatarius, aut Mutuatarius suis expensis restituere equum Romæ; modo per se ipsos non steterit, ne dominus secum res suas transtulerit; Nam tunc etiam debent equum, vel pecuniam Romam transferre, deductis expensis, quas dominus fecisset, si secum ea transtulisset. Ratio est, quia sicuti non est æquum, ut creditor subeat damnum expensarum, quando recedit debitor e loco, in quo celebratur contractus commodati, & mutui; ita nec econtra, ut notat Molin. & Reginald. apud Bonac. hic: Qui etiam notat, quod quando debitor non potest aliter, quam suis expensis restituere rem domino, si timeat eas sibi non esse resarciendas a creditore, prout tenetur, potest expensas deducere ex re ipsa restituenda; Quæ si dividi non possit, vendi potest totum, ut retineatur, quod debetur propter expensas, & residuum mittatur domino.

VII. Dico ultimo. Quando sine magnis expensis, quæ rei valorem superant; transmitti non potest ad dominum res debita ex justo contractu, nec potest dominus admoneri, non solum potest ea dari pauperibus, sed etiam probabiliter potest debitor rem illam sibi retinere animo reddendi vel rem ipsam domino, si forte compareat, & nondum consumpserit eam, vel id, in quo factus est ditior. Ratio est, quia pariter res ista æquiparatur rei habenti dominum ignotum, ut notat Navar. apud Tambur. tract. 4. cap. 5. §. 3. num. 23. & 31. cum Molin. Vasq. Pal. Dicast.

AR-

ARTICULUS III.

Quando facienda est Restitutio?

I. Restitutio fieri debet statim, non physice, sed moraliter, & humano modo; præsertim si non fiat ex delicto, nec grave damnum afferat brevis dilatio.

II. Censuum solutio non solet fieri sine prævia creditoris monitione; si tamen hæc non fiat ob verecundiam, aut timorem, peccat, qui diu solutionem differt.

III. Qui culpabiliter solutionem debitam differt, nec vult solvere, nisi cogatur a Judice, tenetur compensare damnum, quod patitur creditor.

IV. In nonnullis casibus potest creditor petere, ut ante præfixum terminum reddantur res suæ.

I. PLurima huc pertinentia diximus quæst. 1. art. ultimo; sicut etiam art. 2. ubi explicavimus, quot peccata committat, qui oblata opportunitatem restituendi, illam negligit; & restitutionem culpabiliter differt.

Quæritur nunc primo, An debitor differre possit restitutionem debitam per breve tempus sine gravi culpa?

Respondeo, Dicastil. hic apud Tambur. putare, quod dilatio unius, vel duorum, immo trium dierum non sit gravis, si domino damnum grave non emergat. Ratio est, quia restitutio debet fieri statim, eo quod præceptum restituendi includat præceptum negativum non retinendi alienum, unde obligat semper, & ad semper. Attamen ly *statim* non accipiendum physice, sed moraliter, & humano modo. Immo si restitutionis obligatio nascatur ex contractu, non ex delicto, P. Molin. apud eundem Tambur. putat non peccari graviter, si solutio non fiat die in contractu præscripta, etiam quando intercessit juramentum. Ratio est, quia juramentum intelligitur humano modo: Quare quando dilatio nullum damnum infert creditori, sed certo est futura solutio, non est censenda dilatio mortalis.

II. Eodem modo nonnulli excusant a gravi culpa illum, qui cum debeat, verbi gratia, singulis Kalendis centum aureos, eos non solvit, nisi a domino moneatur. Ratio est, quia hic est modus ordinarius humanus solvendi tales census.

Notandum tamen, quod si creditor sit rationabiliter invitus, quod differatur solutio, nec audeat exigere illam propter nobilitatem, aut potentiam debitoris, procul dubio peccat mortaliter debitor, si expectat, ut a creditore moneatur; nam dies in contractu definita interpellat pro domino, ex cap. fin. *De locato, & conducto*. Verum quidem est, quod si creditor sciens, & volens solutionem non petat, censeatur dilationem differre; Unde non peccat mortaliter debitor non restituendo; at si creditor non petat ob timorem, & impotentiam, vel oblivionem, debitor dicitur alienum retinere invito domino, & censetur esse in mora non restituendo, ut notat Reginald. & alii communiter apud Bonac. hic.

III. Addit Molin. apud eundem Bonac. quod non facile damnandus sit de lethali culpa renitens, quando differt restitutionem debitam ex contractu, quamvis creditor sæpe petierit solutionem, dummodo debitor intentionem habeat solvendi, nec creditor periculum subeat amittendi rem suam; præsertim si debitor non potest commode restituere. Ratio est, quia hujusmodi dilatio non videtur adeo injuriosa creditori, ut debitor facile judicetur reus gravis culpæ. Qui tamen non restituit, cum possit, tenetur restituere damnum secutum ex dilatione solutionis, quia differendo solutionem, peccat contra justitiam cum damno creditoris. Universim enim ex peccato contra justitiam cum damno alterius oritur obligatio restitutionis. Eodem modo, qui sciens se vere debere, non vult solvere, donec a Judice cogatur, non solum peccat, sed etiam tenetur restituere expensas suo creditori. Demum, ut notat Molin. apud Laym. l. 3. tract. 2. c. 12. si mercator multis debitis gravatus restituit paulatim per partes in commodum etiam creditorum, ut interim augendo bona sua possit omnibus satisfacere, tenetur pariter compensare illis interesse proveniens ex dilatione; nisi forte præsumat, quod relaxetur, eo quod sic consulat bono creditorum.

IV. Quæritur secundo, Quandonam creditor possit petere, ut reddatur sibi res ante terminum præfixum in contractu?

Respondeo, tribus in casibus. Primo si debitor vergat ad inopiam. Secundo, si fugam paret. Tertio, si incipiat esse suspectus de non solvendo; tunc enim cogetur vel reddere, vel cautionem præstare.

ARTICULUS IV.

Quomodo facienda sit Restitutio?

I. Potest restitutio fieri per alium. At quid, si ad dominum non perveniat, quando fit per Confessarium?

II. Quod ex delicto debetur, totum simul restitui debet; Et in qualibet pecunia fieri potest restitutio, nisi aliter sit conventum.

III. Debitor ad infamiam declinandam potest restituere privatim. At qui publice alios fraudavit, tenetur ex charitate publice restituere ad scandalum vitandum.

IV. Pot-

IV. Potest debitor ad infamiam vitandam fingere, quod debitori donet id, quod debet restituere. Quod si hoc intuitu aliquid redonatum est, restitui debet.

V. Num satisfaciat, qui debens centum Titio, immemor talis debiti ei donet centum? Aut Beneficiarius, qui post horarum omissionem eleemosynas erogat ignorans, aut non advertens, quod debeat restituere fructus Beneficii?

I. CErtum est primo, restitutionem fieri posse sive per se, sive per alium; tum quia *Qui per alium facit, per seipsum facere videtur*, ex regul. juris in 6. tum etiam quia utroque modo tollitur inæqualitas inter debitorem, & creditorem, ad quod dirigitur restitutio. Quod si restitutio fiat per alium, puta per Confessarium, qui tamen rem domino non reddit, utrum nova restitutio facienda sit, diximus quæst. super. art. 3.

II. Certum est secundo, restitutionem debitam ex delicto, vel ex re accepta fieri debere totam simul, quando fieri potest; debitam vero ex contractu fieri debere vel simul, vel per partes, juxta conventionem, & pactum contrahentium, cum fides servanda sit.

Certum est tertio, restitutionem fieri posse in quavis pecunia, sive argentea, sive aurea, &c. nisi aliter conventum sit. Si enim mutuans auream conveniat cum mutuatario, ut reddat etiam auream, ne subeat aliquod incommodum in numerandis monetis minutis, non potest restitutio aliter fieri, quam in moneta aurea.

III. Quæritur primo, An restitutio fieri possit semper privatim?

Respondeo, sive publice, sive privatim fiat restitutio, eodem modo satisfieri debito restituendi; cum eodem modo tollatur inæqualitas. Verum quando debitor dubitat, quod ex publica restitutione subire possit infamiam, debet illam facere occulte. Si enim ad vitandam infamiam potest restitutio vel omitti, vel differri, cum melius sit nomen bonum, quam divitiæ multæ, a fortiori fieri potest occulte: qui tamen publice alios fraudavit, (ut publicus usurarius) tenetur ex charitate ad tollendum scandalum publice restitutionem facere: Quod si illam fecerit occulte, non tenetur ad vitandum scandalum iterum restituere, sed satis est, si alia media adhibeat, quibus ostendat restitutionem jam esse factam.

IV. Quæritur secundo, An satisfaciat ille, qui ita occulte restituit, ut ne ipse quidem creditor advertat factam esse restitutionem; puta si fingat donare Titio id, quod furatus est, ne prodat latrocinium?

Respondeo cum Tambur. tract. 4. cap. 1. §. 5. rite fieri sic restitutionem, quando aliter fieri non potest; nam si ad vitandam infamiam potest restitutio omitti, ut diximus, a fortiori potest eo modo fieri; quamvis certo mortaliter sciam, quod Titius ex gratitudine sit mihi aliquod aliud redonaturus; quod cæteroqui non facturus esset; cum enim redonatio sit ex liberalitate, nec induxerim, aut obligaverim Titium ad redonandum, non dicor esse causa, sed occasio, ut illa fiat; ad vitandam autem infamiam sum sufficienter excusatus, si præbendo talem occasionem, cooperor ad novum detrimentum, quod patiatur amicus redonando in gratitudinem mei ficti muneris: Si tamen potest aliter restitutio fieri, non est licitum talem occasionem præbere redonationis; vel debet deinde quod redonatur restitui.

V. Quæritur tertio, Utrum qui immemor sui debiti aliquid donat creditori suo, possit deinde memor debiti præteriti compensare illud per donationem factam, & sic deobligari a restituendo?

Respondeo, affirmare nonnullos apud Sanch. lib. 1. cap. 13. num. 11. Trul. aliosque apud Tambur. loc. cit. & apud Dian. part. 5. tract. 13. resol. 94. ob voluntatem interpretativam, quod nollet ille donare, si adverteret ad debitum; unde hi Doctores putant, quod Beneficiarius, qui tenetur ob horarum omissionem restituere fructus perceptos, satisfaciat, non quidem per elemosynas erogatas ante horarum omissionem, ut constat ex thesi trigesima tertia confixa ab Alex. VII. sed per eleemosynas postea erogatas, quamvis tunc esset debiti immemor. Communius tamen negant cum Pal. tract. 3. disp. 1. punct. 17. §. 8. Bonac. de restitutione disp. 1. quæst. ultima punct. 2. num. 26. quia restitutio debiti, quæ est actus justitiæ, non potest esse actus liberalitatis, & beneficii, & consequenter nequit esse donatio.

ARTICULUS V.

Quo ordine facienda est Restitutio Creditoribus?

I. Præter ordinem servandum inter Personas, quæ debent restituere, attendendus est ordo servandus inter Personas, quibus fieri debet restitutio, quando bona debitoris non sufficiunt ad integre solvendum omnibus.

II. Quid sit jus in re, quod habent Creditores Reales, quid vero jus ad rem, quod habent Creditores Personales, & Chirographarii?

III. In quo differat Pignus ab Hypotheca, quæ multiplex est?

IV. Debitor habens rem alienam in individuo restituere illam debet, antequam aliis Creditoribus satisfaciat; etiamsi dominus ignoretur, dando tunc illam pauperibus.

V. Si adhuc extans apud emptorem sit credito vendita, præferendus est venditor aliis Creditoribus: Non tamen si ab emptore sit revendita alteri.

VI. Debita certa præferenda sunt incertis.

VII. Probabilius neque debita ex delicto præferenda sunt debitis ex contractu, neque ista illis, sed pro rata utriusque satisfaciendum.

VIII. Debita ex contractu oneroso præferenda sunt debitis ex contractu gratioso. Quid tamen de legatis, de expensis funeris, aut factis causa testamenti?

IX. Creditoribus realibus habentibus hypothecam, vel pignus prius satisfaciendum, quam Chirographariis. Et prior hypotheca præferenda posteriori, exceptis nonnullis casibus.

X. Prior emptor præferendus est secundo, nisi res sit huic tradita, exceptis etiam nonnullis casibus.

XI. Creditores Chirographarii priores probabilius non sunt præferendi posterioribus.

XII. Inter æquales creditores videtur præferendus petens, etiam extra judicium, aliis non petentibus. Peccat tamen contra justitiam debitor, si præferat creditorem, qui non est præferendus.

XIII. Num Creditor, qui injuste a debitore præfertur aliis, possit sibi retinere, quod sibi debetur?

XIV. Num possit Creditor pauper ex solo titulo paupertatis aliis præferri?

XV. Qui titulo aut gratioso, aut oneroso, sive bona, sive mala fide accepit aliquid ab eo, qui non est solvendo suis creditoribus, ad quid tenetur?

XVI. Debitor, qui suis creditoribus non est solvendo, peccat contra justitiam, si repudiet donationem, aut hæreditatem, qua possit satisfacere.

I. DIximus quæst. 2. art. 7. de Ordine servando inter personas, quæ restituere debent, itaut omnium primus restituere debeat possessor, deinde mandans, tum exequens, & post executorem aliæ causæ, sive positive, sive negative ad damnificationem concurrerint. Agendum nunc de Ordine servando inter personas, quibus restitutio facienda est; Quænam scilicet aliis præferendæ, quando bona debitoris non sufficiunt ad extinctionem omnium debitorum; nam si sufficiant, nullus ordo necessarius est in restituendo.

II. Notandum tamen primo, Creditores alios dici Reales, qui scilicet habent jus in re, seu habent actionem ad rem debitoris: alios vero dici Personales, seu chirographarios, qui non habent jus in re, sed ad rem, eo quod habeant directe jus, & actionem in personam debitoris, non vero ad ipsius bona, nisi indirecte ratione ipsius debitoris. In eo itaque differt jus in re a jure ad rem, quod jus in re tribuit actionem realem in rem ipsam, jus ad rem non tribuit actionem ad rem, sed in personam, quæ mihi tradere debet rem: Verbi gratia, si ego aliquid a te emam, quod nondum mihi tradidisti, habeo jus ad rem, idest contra personam tuam, non vero jus in re, exceptis quibusdam casibus, de quibus sermo erit, cum de Contractu venditionis: Econtra postquam mihi tradideris rem, quam a te emi, habeo jus in re. Unde fit, quod si postquam mihi rem vendidisti, antequam tradas illam mihi, alteri vendas, non habeo ego actionem nisi contra te, qui me defraudasti tradendo alteri rem mihi venditam. Eodem modo concurrentibus duobus in causa beneficii, dignior ante collationem dicitur habere jus ad rem, seu actionem contra Episcopum, qui tenetur illi tale beneficium conferre; post collationem vero beneficii dicitur habere jus in re, seu actionem in ipsum beneficium.

III. Notandum secundo, quod quando res aliqua traditur Creditori pro securitate, talis res dicitur Pignus, ut si detur torques; Quando vero res aliqua non traditur, sed assignatur res creditori pro securitate, talis res dicitur hypotheca, ut si assignetur ager; Hypotheca autem alia est generalis, quando scilicet omnia bona debitoris assignantur pro securitate, alia est specialis, quando scilicet obligatur res ipsa particularis, verbi gratia talis domus, vel ager. Rursus alia est Expressa, quæ scilicet ex conventione partium verbo, aut scripto apponitur; alia est Tacita, quæ scilicet imponitur a jure absque conventione partium, qualis est hypotheca dotis, ratione cujus omnia bona mariti obligantur pro dote uxoris; & ideo dos solvenda est ante alios habentes tacitas hypothecas absque alio privilegio prælationis, ex lege *Assiduis*, Cod. *Qui potiores in pignore*; Non tamen ante alios habentes hypothecam expressam priorem, cum non sit æquum, ut isti damnum patiantur ob nuptias debitoris supervenientes. Similiter ex Bonac. hic contrahitur tacita hypotheca ab eo, qui contrahit cum fisco, ipsius enim bona remanent tacite huic hypothecata, ex lege 2. Cod. *In quibus casibus pignus, vel hypotheca contrahitur*. Tacite etiam hypothecata dicuntur bona defuncti pro omnibus Creditoribus, & legatariis. His explicatis,

IV. Quæritur primo, Quinam Ordo servandus a debitore, qui habet rem ipsam alienam restitutioni obnoxiam?

Respondeo cum communi illam primo loco restituendam, etiamsi dominus ignoretur: cum enim possessor non acquisierit illius rei dominium, consequenter nec Creditores talis possessoris possunt in illam rem ullum jus habere.

Quare

Quare si dominus ignoretur, danda est res illa pauperibus pro anima illius, ut notat Less. aliique communiter; Si vero dubitetur sitne Titii, an Caji, dividenda est inter illos.

V. Dubium hic est, an si ego vendiderim credito vestem Titio, & postea Titius non possit omnibus debitoribus satisfacere, debeat vestem illam adhuc extantem mihi ante alios restituere?

Respondeo affirmative cum Cajet. Medin. & Bonac. Less. dub. 2. hic contra Vasq. cap. 1. dub. 1. Medin. Navar. aliosque. Ratio est, tum quia videtur contra rectam rationem, ut res adhuc extans apud emptorem nondum soluto pretio tradatur potius extraneo, quam illi, qui eam vendidit; tum etiam quia qui credito vendit rem, censetur ita transferre dominium rei in emptorem, ut velit posse habere recursum, & regressum ad rem suam, si pretium non persolvatur; Unde censetur habere aliquam hypothecam in rem venditam, donec pretium accipiat. Verum quidem est, quod si Titius in proposito casu vestem a me credito venditam alteri vendidisset, ego nec possem illam repetere a secundo emptore, nec possem mihi vindicare pecuniam, quam Titius habuit a secundo emptore; Non tamen sequitur hinc, quod si vestis extet apud Titium, non possim illam mihi vindicare. Ratio est, quia vestis illa, quam vendidi credito, est solum mihi imperfecte hypothecata, non perfecte, (uti sunt omnes hypothecæ speciales introductæ jure positivo;) Pecunia vero, quam Titius habet a secundo emptore, nullo modo est mihi hypothecata; ergo solum quando vestis extat apud Titium, cui credito illam vendidi, possum mihi illam vindicare; itaut cæteris creditoribus Titii præferendus sim.

VI. Quæritur secundo, Sintne debita certa præferenda incertis?

Respondeo cum communi affirmative. Et ratio est, tum quia debita certa solvenda sunt creditoribus jure naturæ, debita vero incerta solvenda sunt pauperibus solum jure positivo, ut communius Doctores docent; nam si jure naturæ deberentur pauperibus, non posset aliquando Pontifex in alia opera erogare; Jus autem naturale præferendum est positivo: Tum etiam quia minus ægre ferunt personæ indeterminatæ, quod sibi restitutio non fiat, quam personæ determinatæ.

VII. Quæritur tertio, Sintne præferenda debita ex contractu licito debitis ex delicto?

Respondeo, Medin. Salon. & alios apud Bonac. asserere, quod habens plura debita, alia ex contractu licito, alia ex delicto, puta ex furto, usura, &c. prius solvere debeat debita ex delicto. Navar. econtra, & Cajet. putant prius solvenda debita ex contractu licito. At communius Doctores cum Molin. Vasq. Less. quod neutra debita possint aliis præferri, quando non extat res aliena in individuo; Unde debent omnia per ratam restitui. Ratio est, quia bona debitoris non sunt magis hypothecata creditoribus ex contractu, quam aliis.

Dices: Major injuria irrogata est creditoribus, quibus facienda est restitutio ex delicto, puta ex furto debitoris, quam aliis: ergo illis prius restituendum est.

Respondeo, nego consequentiam; sicut si quis abstulerit Titio centum, & Cajo quinquaginta, majorem injuriam irrogavit Titio, non tamen illud debitum tenetur præferre huic.

VIII. Quæritur quarto, Sintne præferenda debita ex contractu oneroso, puta ex emptione, debitis ex contractu gratioso, puta ex donatione, legato, &c.?

Respondeo cum Covar. affirmative. Et ratio est, quia semper in promissione gratuita subintelligitur illa conditio, Si decet, Si potero sine magna difficultate, Nisi status rerum mutetur. Quare quia superveniente inopia debitoris, qui non est omnibus solvendo, status rerum notabiliter mutatur, nec potest sine magna difficultate debitor stare promissis, ideo tenetur prius restituere debita ex contractu oneroso, quam gratioso.

Illud hic notat Bonac. quod si hæres post acquisitam hæreditatem contrahat debita ex contractu oneroso, prius debeat solvere legata, quam ista debita. Ratio est, quia bona illa defuncti sunt tacite hypothecata pro legatis, & fideicommisso, ex lege *Quia*, Cod. *Communia*, *De legatis*; quæ lex intelligenda est, dummodo bona illa satis sint ad satisfacienda debita defuncti. Verum tamen est, quod expensæ necessariæ ad funus debitoris, juxta qualitatem defuncti, præcedant omne debitum, ex *lege penult. Authent. De reliquiis*, *& sumptibus funerum*; sicut etiam expensæ factæ causa hæreditatis, ut in testamento, inventario, &c. quia non est æquum, ut hæres ex hæreditate sentiat solum onus expensarum, & nullum commodum reportet, quando omnia bona defuncti debentur creditoribus, ex lege *Sancimus*, Cod. *De jure deliberando*.

IX. Quæritur quinto, Sintne præferenda debita creditoribus realibus habentibus pignus, vel hypothecam, quam debita creditoribus chirographariis non habentibus pignus, aut hypothecam?

Respondeo cum communi affirmative, quod constat tum ex lege *Eos*, Cod. *Qui potiores in pignore*; tum quia pignus, & hypotheca ideo dantur creditori, ut in omni eventu possit ex iis curare sibi satisfieri; Si tamen eadem res fuerit pluribus hypothecata, regulariter loquendo præferen-

ferendus est ille, cui prius fuerit hypothecata, etiamsi prior hypotheca fuerit tantum tacita, aut generalis, & posterior fuerit expressa, aut specialis, ut constat ex illa regula Juris in 6. *Qui prior in tempore, potior in jure*.

Dixi, regulariter loquendo, cum in jure nonnulli casus excipiantur, in quibus posterior tempore præferendus est priori habenti hypothecam etiam expressam, & specialem. Primo enim si quis mutuavit pecuniam ad emptionem, vel refectionem, vel conservationem rei, v. gr. navis, aut domus alteri prius hypothecatæ, aut si quis mutuavit pecuniam, ut satisfieret pro mercium vectura, aut pro conductione ædium, in quibus merces istæ asservarentur. Et ratio est, quia sine tali mutuo hypotheca illa non extitisset; Unde prior creditor nihil, aut parum commodi ex ea reportaret; adeoque non debet ægre ferre, si postponatur illi, ex cujus pecunia res salva facta est. Secundo, hypotheca dotalis, per quam bona mariti sunt obligata uxori, ejusque descendentibus, præfertur aliis habentibus eadem bona obligata per hypothecam tacitam, non vero expressam, ut notat Less. l. 2. c. 15. disp. 4. Ubi etiam notat ex Sylvest. quod quamvis expressa hypotheca prior præferatur doti posteriori, & dos præferatur mutuo posteriori per refectionem, non tamen sequitur, quod hypotheca expressa prior præferatur mutuo posteriori per refectionem, quia in jure humano non tenet hæc illatio A. vincit B. & B. vincit C. ergo A. vincit C. Tertio, quando ex pecunia pupilli aliquid emitur, illud remanet hypothecatum pupillo, itaut aliis prioribus præferendus sit. Quarto, si quis contraxit cum fisco, manent ejus bona fisco obligata cum privilegio prælationis. Demum, quando quis mutuat alicui pecuniam ad militiam, videlicet ut equum, vel arma emat, aut in militia se sustentet, habet hypothecam aure prælationis etiam ante dotem, etsi dote sit posterior. Verum de his consule Less. loc. cit. & Juristas.

X. Petes, An eodem modo, quando eadem res fuit multis in solidum vendita diversis temporibus, præferendus sit primus emptor?

Respondeo cum communi præferendum esse primum emptorem, si res nulli fuerit adhuc tradita, cum non possit tradi secundo emptori sine injuria primi; Si tamen alicui ex emptoribus fuerit tradita, iis præferendus est, quia per traditionem translatum est huic dominium rei, itaut habeat jus in re, alii vero habeant jus ad rem, ut supra explicavimus. Excipiendum tamen, tum quando primo emptori res fuit etiam expresse hypothecata, tum quando secundus emptor, cui res fuit tradita, sciebat rem illam in fraudem primi emptoris alienari; tum demum, quando fuit vendita, aut donata Ecclesiæ, Monasteriis, Civitatibus, Hospitalibus, aliisque locis piis, quæ absque traditione acquirunt rei dominium, ex *lege ultima*, Cod. *De sacrosanctis Eccles.* ut notat hic Bonac.

XI. Quæritur sexto; Sintne præferendi creditores chirographarii (seu personales non habentes hypothecam) priores posterioribus?

Respondeo cum communi apud Less. disp. 6. contra Gabriel. Salon. Tolet. Sà negative, sed restitutionem illis faciendam ad ratam quantitatis debiti, & juxta proportionem debiti ad debitum, ex *lege 6.* §. *De Separationibus*. Etenim creditores isti æquale jus habent; Et regula illa, *Qui prior in tempore, potior in jure*, valet solum in creditoribus realiter habentibus hypothecam supra eandem rem, ut notat Less. quamvis opinio contraria non sit improbabilis ob auctoritatem Doctorum.

XII. Quæritur septimo; An inter Creditores personales non habentes ullum jus prælationis, præferendus sit, qui petit debitum, aliis non petentibus?

Respondeo cum communi affirmative, sive in judicio, sive extra judicium exigat debitum suum, ex *lege Pupillus* 24. §. *Qui in fraudem creditorum* (quamvis Vasq. cap. 2. dub. 5. id neget de illo, qui petit extra judicium.) Ratio est, quia diligentia posterioris creditoris facit illum melioris conditionis sicut hypotheca, & privilegium. Quod si nemo petat, nemo potest præferri, & peccaret lethaliter contra justitiam, qui aliquem præferret; Sicut etiam qui prædictum ordinem in restitutione facienda non observaret; quia ordo legis civilis, quæ non nititur falsæ præsumptioni, obligat in conscientia, ut docent communiter apud Bonac.

XIII. Dubium tamen est primo; An creditor possit sibi retinere id, quod debitor sibi non petenti ante alios solvit?

Respondet Less. dist. 5. cum Molin. & aliis affirmative; quia non retinet rem alteri hypothecatam, unde utitur jure suo, retinendo quod sibi debetur. Communius tamen cum Bonac. hic, Rebel. Azor. negant, quia facit contra jus aliorum creditorum, qui habent æquale jus in bona debitoris.

XIV. Dubium est secundo; An debitor possit aliquem pauperem creditorem præferre aliis ex solo titulo paupertatis?

Respondet D. Th. Opusc. 73. cap. 18. cum Valent. Medin. Sà, apud Less. affirmative; quia plus læsus est pauper ablatione rerum suarum, & plus indiget. Communius tamen negant, quando pauper non est in extrema, aut gravi necessitate, eo quod omnes creditores habent æqual ejus in bona debitoris;

XV. Dubium est tertio; An qui rem alter

non

non hypothecatam accipit ab eo, qui non est solvendo omnibus suis creditoribus, teneatur ad restitutionem?

Respondeo, si illam rem accipiat titulo gratuito donationis, ignorans acceptionem illam esse in fraudem creditorum, tenetur solum ad restitutionem ejus, in quo factus est ditior; modo repetatur a creditoribus intra annum a die scientiæ, ex *lege Ignoti*, Cod. *De revocandis iis*, *quæ in fraudem Creditorum* apud Bonac. his. Si vero non accepit rem illam donatam, ignorans esse in fraudem creditorum, sed sciens, vel dubitans probabiliter donari in fraudem creditorum; communius docent, quod teneatur restituere omne id, in quo per talem donationem læsi sunt creditores; quia culpabiliter cooperatus est actioni injustæ damnificativæ. At Molin. Navar. & alii apud Bonac. negant, si donatarius non induxit donantem ad donandum; quia accipiendo rem illam, videtur uti jure suo, quamvis per accidens sequatur alteri damnum.

Quod si non accipiatur res illa titulo gratuito, sed titulo oneroso, verbi gratia emptionis. eodem modo distinguendum; nam si bona fide contrahens processit, non tenetur quicquam restituere neque ratione rei acceptæ, neque ratione injustæ acceptionis, cum bona fide perceperit, neque ex contractu, cum non se obligarit accipiendo rem nulli alteri obligatam ad quicquam restituendum; si vero processit mala fide, communius docent contra eosdem Molin. & Navar. apud eundem Bonac. quod ad restitutionem teneatur, quatenus ex contractu læsi sunt creditores. Ex quibus

Infertur primo, nihil accipi posse per ultimam voluntatem, testamentum, fideicommissum, vel donationem causa mortis ab usurario, vel alio donatore, qui non est solvendo suis creditoribus.

Infertur secundo, uxorem, quæ consumit res illas, quarum dominium habet maritus, teneri ad restitutionem, si hoc faciat in fraudem creditorum; secus vero si non plus insumat, quam ipsi a marito datum sit.

Infertur tertio, filios, qui suo labore, aut aliis inserviendo sine dedecore, aut alia ratione possunt se sustentare, non posse sustentari a parentibus in fraudem creditorum.

Infertur quarto, eum, qui rem alteri venditam, & nondum traditam mala fide emit, teneri ad restitutionem, cum cooperetur ad actionem injustam.

Infertur ultimo, eum, qui contraxit cum filia usurarii, qui non est solvendo suis creditoribus, non posse quicquam in dotem accipere, si sciat socerum non esse solvendo; Si vero bona fide contraxit, posse promissam dotem accipere saltem pro rata cum aliis creditoribus.

XVI. Dubium est quarto, An debitor impotens satisfacere suis creditoribus peccet contra justitiam, si repudiet donationem, legatum, aut hæreditatem, qua possit suis creditoribus satisfacere?

Respondeo cum communi apud Sanch. de Matrim. lib. 6. disp. 4. contra Gomez, & alios affirmative. Ratio est, quia cum debitor teneatur satisfacere creditoribus, tenetur consequenter ex justitia ponere ad talem finem ea media, quæ sine gravi incommodo potest ponere; atqui sine gravi incommodo potest acceptare hæreditatem, quæ est medium ad talem finem; ergo ex justitia tenetur hæreditatem acceptare. Sicut igitur peccat contra charitatem, qui respuit, verbi gratia, cibum sibi oblatum, quo possit proximum existentem in gravi necessitate sublevare; ita peccat contra justitiam, qui respuit oblatam sibi hæreditatem, qua possit creditoribus satisfacere, cum ex eadem virtute, ex qua obligamur ad ponendum finem, obligemur ad media, quæ facile poni possunt. Verum quidem est, quod repudiatio talis hæreditatis esset valida in foro externo, ex *lege*, *Qui autem* ff. *Quæ in fraudem creditorum*; non tamen esset licita.

QUÆSTIO VI.

De Causis, ob quas omitti, vel differri possit Restitutio?

Causæ, ob quas restitutio licite differri potest, sunt, Primo, damnum ipsius debitoris. Secundo, damnum creditoris, vel tertiæ personæ. Tertio, impotentia, præsertim si cum cessione bonorum adjungatur. Addunt quarto nonnulli apud Less. cap. 16. dub. 9. excommunicationem creditoris; communius tamen id negant; si enim potest excommunicato dari eleemosyna, immo debet illi dari ex obligatione charitatis in gravi necessitate, a fortiori debet illi dari, quod ex obligatione justitiæ ei debetur, excusante ab hoc parvo commercio necessitate, vel utilitate creditoris; Quamvis si sit excommunicatus vitandus, & in judicio exigat debitum, possit repelli, ex cap. *Pia de Exceptionibus in 6.*

Causæ vero, ob quas restitutio licite omittitur, Primo sunt Remissio creditoris. Secundo, Compensatio. Tertio, Compositio. Quarto præscriptio. Quinto, aliquando rei alienæ interitus. Sexto, Judicis, vel juris auctoritas. Septimo, aliquando etiam ingressus in Religionem; Ac demum juxta dicta art. 1. superioris quæst. Solutio facta creditori creditoris. Hæc autem omnia sequentibus articulis examinabimus.

AR-

ARTICULUS I.

De Causis, ob quas differri potest Restitutio.

I. Differri potest restitutio, si debitor restituendo patiatur damnum duplo majus, quam patiatur creditor ex tali dilatione; vel si pati deberet jacturam famæ, aut alterius damni notabilis.

II. Potest etiam differri, si deberet aliter vendere centum aureis rem valentem biscentum; aut si deberet vendere instrumenta suæ artis, aut si deberet vir nobilis artem manualem exercere.

III. Sicut etiam si deberet cadere de proprio statu juste acquisito, quamvis debita ex delictis contracta sint. At si per usuras status sublimior acquisitus sit, etiam hæredes cum mutatione status tenentur restituere; Sicut etiam si res in individuo restituenda sit.

IV. Nequit restitutio differri, ne quis magno lucro privetur.

V. Differenda est restitutio, si ex ea grave damnum alteri sequatur.

VI. Quænam impotentia dilationem restitutionis permittat?

VII. Num licite differens restitutionem teneatur ad interesse?

VIII. In gravi necessitate licitum est restitutionem differre, non tamen furari. In extrema necessitate dives tenetur ex charitate offerre pauperi res necessarias; & ex justitia tenetur non impedire, ne illas sibi accipiat.

IX. Cessio bonorum, seclusa impotentia, non excusat a statim restituendo. Quid ea ferat pro foro externo? Nequit Clericus cedere bonis cum ignominia sui status.

X. Qui cedit bonis, quantum possit occultare ad honeste vivendum?

XI. Artifex, qui bonis cessit, tenetur exercere, sicut prius, artem suam, ut possit suis creditoribus satisfacere quantum potest. Quid si Religionem ingrediatur?

I. QUæritur primo, Num possit restitutio differri, ne magnum damnum debitor patiatur?

Respondeo, quod si debitor restituendo pateretur damnum longe majus, quam patiatur creditor ex dilatione restitutionis, licite differri potest restitutio; (vocat autem Rebel. damnum longe majus, quod esset duplo majus.) Ratio est, tum quia creditor est in tali casu irrationabiliter invitus, quod ei restitutio differatur, cum justitia non debeat adversari charitati: tum etiam, quia restitutio facienda est, ut ponatur æqualitas; in hoc autem casu non videretur poni æqualitas, sed inæqualitas per restitutionem; & ideo supra diximus, quod quando in restitutione plures expensæ faciendæ sunt, quam res ipsa valeat, potest restitutio differri: Si tamen damnum, quod sequeretur debitori ex restitutione, non esset longe majus, quam illud, quod ex dilatione pateretur creditor, restitutio non potest differri; quia in pari damno potior est conditio innocentis: Verbi gratia, si ex falsa testificatione a te facta immineat alteri periculum suspendii, debet falsa testificatio retractari, etiam cum pari periculo, quod tu sis suspendendus, dummodo ex retractatione speretur utilitas.

Infertur hinc primo, quod si potest licite differri restitutio, quando imminet grave damnum temporale longe majus, quam patiatur creditor ex dilatione restitutionis, a fortiori differri potest, quando imminet debitori, aut alteri grave damnum spirituale; verbi gratia, si ex restitutione debitor conjiciat se in laqueum ex impatientia, aut filii latrociniis se immisceant, aut uxor sui copiam aliis faciat, &c. Quia tamen hujusmodi damnum spirituale non est necessarium, sed voluntarium, ideo notat Pal. tract. 32. disp. 1. punct. 17. quod in eo solum casu possit restitutio differri, in quo ex charitate teneretur creditor tali dilationi consentire; nam alias si creditori ex dilatione grave damnum temporale eveniret, ex quo non teneretur consentire dilationi restitutionis, deberet statim fieri restitutio.

Infertur secundo, non teneri debitorem restituere bona inferioris ordinis cum jactura notabili boni ordinis superioris. Ordo bonorum temporalium is est, ut in infimo loco ponantur res pretio æstimabiles, ut pecunia, vestis, &c. in medio ponatur honor, & fama; in supremo vita, libertas, virginitas, sanitas, membra, &c. Quare non tenetur restituere pecuniam, qui non potest illam restituere, nec per se, nec per alium, sine notabili jactura famæ, aut valetudinis; & consequenter fœmina, quæ ex adulterio peperit, non tenetur cum periculo vitæ, vel famæ manifestare adulterium ad impediendum damnum filiorum legitimorum: Si tamen jactura boni superioris non sit notabilis, non excusat; unde infamatus propter aliqua furta tenetur ad restitutionem novi furti cum periculo novæ infamiæ; quia non videtur pati notabilem infamiam, qui jacturam suæ famæ fecit propter aliqua furta.

II. Infertur tertio, debitorem, ut restituat, non teneri aut seipsum vendere, aut vendere domum, vel agrum multo vilius, quam valet; Verbi gratia domum valentem ducentis aureis non tenetur vendere, si nonnisi centum aureis potest vendere: Idque verum est, etiamsi obligatio restituendi oriatur ex delicto, ut docet Less. dub. 1. Valent. Bonac. & alii contra

Sot.

Sot. & Vasq. Nec tenetur debitor vendere instrumenta suæ artis, quæ vitam sustentant; Nec vir nobilis tenetur artem manualem exercere, aut privare se obsequio omnium famulorum, aut equorum, ut restituat; Quamvis debeat attenuare, & diminuere victum, vestitum, & alias expensas, ut paulatim restituat, servata decentia sui status.

III. Infertur quarto, posse licite differri restitutionem, quando debitor id non potest præstare, nisi cadat a proprio statu, juste tamen acquisito; (alioquin si injuste per rapinas, usuras, &c. statum suum acquisivisset, non diceretur cadere a proprio statu per restitutionem, sed potius transire ad proprium antiquum statum, restituendo;) Idque verum est, etiamsi debita contraxerit ex delicto, puta ex ludis, scortis, conversationibus, &c. ut communiter docent contra Less. Medin. Navar. apud Bonac. debet tamen diminuere victum, vestitum, & alias expensas, ac dotem filiarum, ne creditor tantum detrimentum patiatur.

Infertur ultimo, filium usurarii teneri ad restitutionem, etiamsi facere illam non possit sine mutatione status acquisiti per usuras, dummodo absit infamia: Et universim res aliena in specie existens restitui debet, etiam quando damnum debitoris est longe majus damno creditoris, ut notant Less. Bonac. & alii communiter, quia res semper clamat ad dominum.

IV. Opponitur contra prædicta: Nemo potest accipere alienum ad vitandum proprium damnum notabiliter majus; ergo neque potest retinere res alienas ad vitandum damnum suum notabiliter majus damno creditoris.

Confirmatur, quia nemo potest differre restitutionem, ne privetur notabili lucro; ergo neque potest differre restitutionem debitam, ne subeat damnum notabile.

Respondeo cum Less. cap. 6. dub. 1. nego consequentiam. Disparitas est, quia magis est rem alienam auferre, spoliando dominum possessione sua, quam rem alienam retinere; Sicuti magis est vulnus inferre, quam vulneri non mederi.

Ad confirmationem, nego etiam consequentiam propter eandem rationem, quia magis est pati damnum, quam non habere lucrum, nec æquitas postulat, ut creditor rebus suis careat ob lucrum debitoris, ut communiter docent Doctores; Qui tamen id limitant, nisi debitor tale lucrum quærat ad satisfaciendum aliis creditoribus, quibus alioqui non esset solvendo; In eo enim casu creditor non censeretur rationabiliter invitus.

V. Quæritur secundo; Quandonam differri possit restitutio ob damnum imminens ipsi creditori, aut tertiæ personæ?

Respondeo, posse differri restitutionem, quoties censetur futura graviter perniciosa ipsi creditori, aut cuivis alteri. Ratio est, quia in tali casu dominus non censetur invitus, cum ex charitate, & æquitate teneatur pati dilationem ad vitandum grave damnum proximi, ut fuse ostendimus qu. 4. art. 5. Ubi etiam diximus cum Molin. Valent. Less. contra Sanch. & alios peccare graviter contra charitatem, qui restituit domino rem, qua ille peccaturus est contra alias virtutes a justitia, puta ad fornicandum, &c. peccare vero probabilius contra justitiam, qui restituit domino rem, quæ vel ipsi, vel alteri est nocitura, verbi gratia gladium, quo mors infligenda est, si tamen commode potest restitutionem differre.

VI. Quæritur tertio; Quænam impotentia permittat dilationem restitutionis?

Respondeo cum Tambur. hic, illam impotentiam excusare a restitutione, qua debitor Primo non habet, unde solvat, cum ad impossibile nemo teneatur. Secundo, qua si solvat, fit graviter indigens, seu qua, ut modo diximus, notabiliter cadit e suo statu; quamvis enim in gravi necessitate neme possit furari, potest tamen restitutionem debitor differre, ne in gravem necessitatem incurrat, ut notat Bonac. hic. Tertio, & quidem a fortiori, qua si solvat, fit extreme indigens. Quarto, qua si solvat, cogitur subire damnum notabiliter majus, quam sit damnum, quod creditor ex tali dilatione pateretur; unde docet Bonac. nu. 22. & Less. cap. 16. num. 22. posse differre restitutionem, quando ad restituendum statim oporteret vendere centum rem valentem biscentum. Ubi notandum ex Less. loc. cit. quod si tales sint circumstantiæ, ut nisi nunc fiat restitutio, non possit amplius deinde fieri, in tali casu si res injuste ablata est, restitui debet statim, etiamsi magni sumptus essent faciendi. Si vero res præsertim parvi momenti sine duplo, vel triplo sumptu restitui domino amplius non potest, probabile est ex Less. cap. 15. dub. 8. dari posse pretium æquivalens; præsumi enim potest id domino non displicere, quia justitia charitati non adversatur, ut diximus qu. 4. art. 2.

VII. Dubium est primo, an qui ob causas prædictas differt restitutionem, obligetur ad interesse, quod creditor patitur ex tali dilatione, videlicet ad lucrum cessans, & ad damnum emergens?

Respondeo juxta dicta, cum de Possessore malæ fidei, teneri ad interesse, si differat solutionem debiti ex delicto, quia talis mora fuit culpabilis in causa, videlicet in injusta acceptione. Ita Molin. Laym. contra Navar. sect. 10. Pal. Si vero differatur solutio debiti ex contractu, non tenetur ad interesse, ex Less. Vasq. Bonac. quæst. 4. punct. 1. quia cum mora neque in se, neque in sua causa sit culpabilis,

damnum

damnum illud imputari non poteſt debitori, atque adeo non debet compenſari. Si tamen debitor differat ſolutionem ad vitandum ſuum magnum incommodum, videtur obligandus reſtitutionem damni, quod creditor patitur ex dilatione reſtitutionis, ex Molin. & aliis apud eundem Bonac. quia par non eſt, ut debitor ſervet ſeipſum indemnem cum damno creditoris, quando debitor revera eſt ſolvendo, quamvis cum magno, aut notabili incommodo.

VIII. Dubium eſt ſecundo, An ſicuti impotentia, & inopia debitoris excuſat a reſtitutione, ita excuſet etiam a peccato furti; unde liceat urgente neceſſitate accipere res alienas?

Reſpondeo, in communi, & gravi neceſſitate non eſſe licitum furari: Quicquid in contrarium ſenſerint nonnulli apud Dian. part. 5. tract. 8. reſol. 27. unde merito damnatur ab innoc. XI. propoſ.36. dicens, *Permiſſum eſſe furari non ſolum in extrema, ſed etiam in gravi:* Econtra licitum eſt in extrema neceſſitate, in qua omnia ſunt communia; Immo ex Leſſ. cap. 12. num. 71. & aliis apud Hurtad. licitum etiam id eſt in valde gravi neceſſitate, quæ comparetur extremæ; cum quilibet malit mori, verbi gratia, quam eſſe in proximo periculo ſtupri, ſervitutis, vitæ miſerrimæ, &c. Ratio eſt, quia jure naturæ talis neceſſitas facit res communes, ſicuti erant ante diviſionem, & appropriationem jure gentium, & civili introductam. Etenim jus poſitivum non poteſt præjudicare, quod a natura quiſque habet tuendi vitam ſuam: Sicuti autem poteſt ſic indigens furari per ſeipſum, ita poteſt per alium, qui ſit ſuum inſtrumentum, quando hic non poteſt de ſuo illum ſublevare.

Notandum tamen, quod extreme indigens non poteſt ab extreme indigente furari, quia melior eſt conditio poſſidentis.

Dubium eſt tertio, Utrum extreme indigenti debeat quilibet ſubvenire ex juſtitia, an ſolum ex charitate, & miſericordia?

Reſpondeo cum Tambur. Pal. Lug. duas ineſſe diviti obligationes. Prima eſt offerendi extreme indigenti res neceſſarias. Secunda non impediendi, ne illas accipiat; ſic enim ſatisfacit præcepto ſublevandi proximum; Mandavit enim Deus unicuique de proximo ſuo: Obligatio tamen offerendi res neceſſarias eſt ex ſola charitate, & miſericordia, ad quam ſpectat ſublevare miſerias; obligatio vero non impediendi, ne illas accipiat, eſt ex juſtitia; quia ſicut quilibet habet jus accipiendi adeſpota, ideſt quæ ſub nullius dominio ſunt, ita extreme indigens habet jus accipiendi quodcumque eſt ſibi neceſſarium, cum tunc omnia ſint communia: Unde fit, ut, ſi dives impediat talem acceptionem, teneatur ad damna ſecuta; ſecus vero ſi ſolum non offeſat. Utrum autem qui in extrema neceſſitate res alienas conſumpſit, teneatur deinde refloreſcente fortuna reſtituere? diximus jam cum de poſſeſſore malæ fidei.

IX. Quæritur quarto, An ceſſio bonorum ſit cauſa, ut differatur ſolum, an vero ut omittatur reſtitutio?

Reſpondeo, ceſſionem bonorum nullatenus in foro interno eximere ab obligatione ſtatim reſtituendi, ſi non ſit conjuncta cum impotentia debitoris. In foro autem externo poſt ceſſionem bonorum debitor non poteſt in carcerem detrudi, donec non acquiſierit bona ſuperflua ad ſui, ſuorumque ſuſtentationem, ex lege *Qui bonis*, ff. *De ceſſione bonorum*. Quare debita per ceſſionem bonorum nullatenus extinguuntur, ſolum in foro externo conſopiuntur, (ſicuti conſopiuntur in foro interno, quando debitor eſt vere impotens ſatisfacere, etiamſi ceſſio bonorum fiat cum quibuſdam ignominioſis actibus juxta loci conſuetudinem; verbi gratia, ſedendo in loco publico cum corda capiti impoſita, ut communiter docent apud Leſſ. cap. 16. dub. 5. contra nonnullos. Ratio eſt, quia talis pœna non poteſt extinguere obligationem naturalem reſtituendi; nec in foro externo imponitur, ut debitor a reſtitutione liberetur, ſed ut plectatur culpa, quæ præſumitur ab eo admiſſa.

Notandum hic primo, Clericum inopem nec teneri bonis cedere, nec poſſe in carcerem detrudi ob debita, ut docet Abbas, Immola, & alii apud Leſſ. ex cap. *Odoard.* 3. *De ſolutionibus*; quia Clericus non poteſt conveniri, niſi quatenus ſolvere poteſt, deductis neceſſariis alimentis, ne in opprobrium ſtatúm Eccleſiaſtici cogatur mendicare: ut colligitur ex dicto Capit. *Odoardus*, & communiter Doctores docent. Nec poteſt Clericus huic privilegio cedere. Nomine autem Clerici non eſt intelligendus ſolum Clericus ſacrorum Ordinum, & qui proprio miniſterio Eccleſiæ inſervit, ſed omnes Clerici, ex Rebuff. aut ſaltem ex Leſſ. omnes Clerici, qui ex Trident. ſeſſ. 25. cap. 6. gaudent privilegio fori, ut ſunt, Primo, initiati Sacris ordinibus. Secundo, habentes beneficium Eccleſiaſticum. Tertio, Clerici, qui deferentes habitum, & tonſuram alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviunt. Quarto, Clerici, qui in Seminario Clericorum, aut in aliqua ſchola, vel univerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad majores ordines verſantur, & habitum cum tonſura geſtant; exceptis tamen conjugatis, qui ſi cum virgine contraxerint, & alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſerviant, & habitum, ac tonſuram deferant, gaudent quidem privilegio Canonis, & fori, non tamen cæteris Clericorum privilegiis.

X. Notandum ſecundo, eum, qui cogitur cedere bonis ſuis, poſſe occultare quantum

ſatis

satis est, ne pro sua conditione indecore vivat, seu quantum satis est ad tenuem sui, & suorum sustentationem juxta statum suum, etiamsi debita propter delicta notoria contraxerit, cum non teneatur ad restitutionem cum tanto suo incommodo, ut communiter docent contra Medin. & Adrian. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 78. Quod tamen semper intelligendum est, nisi creditores ex defectu restitutionis cogantur in similem miserum statum descendere; nam in tali casu melior esse debet conditio creditoris innocentis, quam debitoris rei, & hic potius, quam ille debet a statu suo cadere. Hinc Sot. Azor. Cœlestin. & alii apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 87. docent, quod uxores, & filii, quorum maritus, vel parentes ad magnam penuriam sunt redacti, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, si post eorum mortem inveniantur impotentes solvere debita a marito, vel patre contracta, possint ex bonis relictis occultare, quantum satis est ad vitam, suumque statum honeste conservandum, & si in judicio requirantur, possint cum æquivocatione congrua jurare se nihil occultasse, hoc est, nihil aliis debitum, & propter eandem rationem non incurrant excommunicationem forte latam contra occultantes sua bona.

Notandum tertio ex Less. cap. 16. dub. 3. & Navar. quod qui cedit bonis, habens debita ex delicto notorio, non possit tantum retinere, quantum si ex contractu debeat, & casu aliquo in grande infortunium inciderit. Ratio est clara, tum quia æquum est, ut magis patiatur, qui sua culpa non est solvendo, quam qui citra culpam; tum etiam qui alienis opibus novum statum acquisivit, non dicitur cadere a proprio statu, si aliena restituens in statu humiliori sit.

XI. Rogabis: Num artifex, verbi gratia, qui cessit bonis, teneatur deinde exercere, sicut antea, artem suam, ut possit præter victum sibi necessarium acquirere, unde ex parte saltem creditoribus satisfaciat, an vero possit licite otiari?

Respondeo cum communi apud Tamb. tract. 4. cap. 1. §. 9. quod teneatur operari, sicut antea, ut restituat, quantum potest, tam debita ex delicto, quam ex contractu; cum enim per cessionem bonorum non sit extincta, sed consopita obligatio restitutionis, sequitur quod teneatur debitor facere quantum potest sine suo gravi incommodo, ut tali obligationi satisfaciat. Et ratio a priori est, quia qui tenetur ad ponendum finem, tenetur etiam ponere media saltem ordinaria ad ponendum talem finem; Verbi gratia, qui tenetur recitare horas, tenetur etiam comparare breviarium, & paterfamilias, qui tenetur alere suos, tenetur pariter ex virtute pietatis ad conquirendum victum consuetis hominum laboribus, ut possit suam familiam alere; ergo pariter qui tenetur restituere, tenetur adhibere media ordinaria ad satisfaciendum, atque adeo tenetur exercere, ut antea, artem suam; quamvis non teneatur extraordinarios labores, aut cum gravi incommodo subire. Et ideo diximus, ex justitia obligari hujusmodi debitores ad non repudiandam hæreditatem, aut donationem, qua possint suis creditoribus satisfacere.

Dices: Qui ære alieno gravatus, non habens unde reddat, religiosam vitam suscipit, non tenetur in religione laborare, aut hæreditatem non repudiare, ut suis creditoribus satisfaciat; ergo neque in casu nostro. Antecedens, quamvis negetur a Lug. disp. 21. sect. 6. & Sanch. lib. 6. cap. 12. num. 26. videtur tamen admitti a Pal. tom. 3. tract. 16. disp. 3. Et sane quod possit ære alieno gravatus religionem ingredi, præscindendo a prohibitione Sixti V. docent D. Thom. & alii apud Sanch. cap. 19. contra Molin. tom. 3. disp. 758. quia obligatio restituendi non est tanti, ut possit privare hominem bono superioris ordinis, quale est Deo vitam addicere in religione, ut dicemus in calce articuli sexti.

Respondeo, antecedens communius negari, & solum a Pal. disputationis gratia oppositam sententiam sustineri loc. cit. Verum admisso antecedente, negatur consequentia. Et disparitas est manifesta, quia religiosus quicquid acquirit, monasterio acquirit; Unde nihil prodesse potest creditoribus, quod dubitetur in religione aliquid suo labore acquirit, & consequenter non tenetur laborare, ut satisfaciat.

ARTICULUS II.

De Debiti remissione, quæ excusat a restitutione.

I. Condonatio creditoris tunc excusat debitorem a restituendo, quando ea est plene libera, & a jure non irritatur.

II. Remissio facta debitori fingenti se pauperem est invalida, utpote facta per dolum circa causam finalem.

III. Si condonetur pars debiti ob metum injustum, ne scilicet totum creditum amittatur ob culpam debitoris, talis condonatio est invalida; secus vero si fiat ob metum justum, ne scilicet totum creditum amittatur ob debitoris inopiam.

IV. Est etiam invalida, si metus a tertia persona incutiatur ad remissionem extorquendam.

V. Debitor, qui sine fraude se composuit cum creditoribus, non tenetur deinde partem debiti sibi

sibi remissam restituere, si deveniat ad pinguiorem fortunam; secus si sese in Ecclesiam recipiat, ut pars debiti sibi remittatur.

VI. Excusatur a restitutione debitor, cui constat de voluntate sive formali, sive præsumpta creditoris debitum remittentis; secus vero si de ea dubitet.

I. QUæritur primo, Quænam condonatio creditoris excuset a restitutione debitorem?

Respondeo, excusare solum illam, quæ fit omnino libere, & a jure non impeditur; talis enim condonatio æquivalet restitutioni, tollitque injuriam auferendam per restitutionem, eo quod scienti, & volenti, quod non fiat restitutio, nulla fit injuria. Quia tamen condonatio est quædam donatio, & donatio, ut sit valida, debet esse omnino libera, itaut si per metum fiat, sit invalida, ideo condonatio, quæ est involuntaria simpliciter, aut mixta cum involuntario, non deobligat a restitutione; ut si fiat per ignorantiam, per metum gravem, aut levem, quamvis reverentialem; per dolum, & fraudem debitoris; Et universim quæ donationem invalidant, pariter invalidant debiti condonationem.

Præterea condonatio, ut excuset a restitutione, debet a jure non impediri; nam, verbi gratia, furiosus, & pupillus sicut non possunt donare, ita nec debitum remittere, jure impediente talem donationem. Pariter si Episcopus aliquid in visitatione accipiat præter sumptus necessarios, & remissionem obtineat, invalida est remissio; immo tenetur duplum restituere infra mensem sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, ex cap. *Exigit*, *de censibus & exactionibus*. Similiter Canonicus, qui divinis officiis non interfuit, non potest retinere distributiones respondentes tempori absentiæ, etiamsi illarum remissionem obtineat a reliquis Canonicis; nam talis remissio impeditur, & irritatur a jure; ut constat ex Trid. sess.24.cap.12.

II. Infertur ex dictis primo, condonationem factam debitori fingenti se pauperem esse invalidam, si creditor illam faciat prætextu paupertatis; cum talis donatio facta per dolum circa causam non impulsivam, sed finalem, seu motivam, sit nulla, utpote involuntaria, ut notant Less. cap. 17. num. 33. Bonac. de Contractibus quæst. 1. punct. 2. §. 2. & alii communiter.

III. Infertur secundo, quod quando creditor remittit partem debiti, timens, quod aliter totum creditum sit amissurus ob culpam debitoris, remissio etiam sit invalida, cum fiat per metum injustum, unde est involuntaria; secus vero si creditor remittat partem debiti timens, ne aliter totum creditum sit amissurus sine culpa debitoris, verbi gratia, ob ejus inopiam; ut notat Rebel. lib. 2. cap. 16. Sanch. & alii; in tali enim casu videtur voluntarie remittere sine fraude, & violentia.

IV. Dubium est, An sit valida remissio partis debiti, quando fit ex metu, ne totum creditum amittatur, & metus non incutitur a debitore, sed a tertia persona?

Sylvest. V. *Restitutio*, & alii docent esse validam. Bonac. tamen hic verius negat, quoties metus incutitur ad extorquendam remissionem; cum non videatur talis remissio omnino libera.

V. Infertur tertio, excusari a restitutione illum, qui a creditore petit, & obtinet remissionem, quamvis non offerat solutionem, nec sit paratus solvere; per hoc enim non tollitur, quominus libere, & valide creditor remittat.

Infertur ultimo, debitorem, qui se composuit cum creditoribus contentis minore summa, non teneri restituere totum debitum, si veniat ad pinguiorem fortunam; quia talis compositio habet vim remissionis, & donationis, dummodo abfuerit fraus, dolus, aut metus. Et ideo quando debitor potens omnibus satisfacere sese recipit in Ecclesiam, vel in locum distantem, ut debiti remissionem in totum, aut in partem obtineat, talis remissio est invalida, ut docent Sa, Navar. Sylvest. & alii apud Bonac. Quicquid alii sentiant in contrarium.

VI. Quæritur secundo, An excusetur a restitutione debitor, cui constat ex voluntate formali, vel præsumpta creditoris debitum remittentis?

Respondeo cum communi affirmative, quoties id constat absque ullo dubio; cum in tali casu nihil retineatur invito domino: Unde fit excusari aliquando filiumfamilias, si non restituat ob præsumptam Patris voluntatem; quam licet conjicere ex amore Patris erga filium, ex modica quantitate rei ablatæ respectu bonorum Patris, &c. Et Sa V. *Restitutio* num. 31. addit, non teneri ad restitutionem illum, qui aliquid accepit a domino, quod si petiisset, ei libenter datum fuisset; non enim invito domino retinet: Si tamen dubitatur de voluntate creditoris aut formali, aut præsumpta, restitutio facienda est, cum in dubio judicandum sit in favorem possidentis.

ARTICULUS III.

De occulta compensatione excusante debitorem a restituendo.

I. Ut a restitutione reddat immunem, Compensatio occulta fieri debet cum suis requisitis.

II. Debet quippe esse moraliter certum debitum compensandum, & non dubium, aut probabile.

III. De-

III. *Debitum istud debet esse ex justitia, non ex alia virtute, puta ex promissione, aut voto, vel ex gratitudine.*

IV. *Res, qua fit compensatio, debet esse ipsius debitoris, non deposita, aut alteri hypothecata.*

V. *Requiritur etiam, ut debitum non possit aliter recuperari sine gravi incommodo. Num sit mortale, cessante scandalo, hanc conditionem omittere?*

VI. *Debet vitari grave damnum alterius, qui forte infamaretur, ac ipsius debitoris, qui forte iterum restituet.*

VII. *Num possit cum æquivocatione juratus negare, quod aliquid acceperit, qui accepit aliquid in compensationem?*

VIII. *In quibus casibus possunt famuli sibi compensare ab heris suis, quod sibi judicio prudentium propter famulatum debetur?*

IX. *Si Sacerdos nequeat recuperare decem carolenos debitos a Titio, & hic det illi totidem carolenos pro decem missis celebrandis, poteritne ob compensationem omittere missarum celebrationem?*

X. *Num filius laborans pro patre possit pro tali labore aliquid sibi occulte compensare?*

XI. *Num possit fieri compensatio in delictis, non restituendo, verbi gratia, famam illi, qui te infamavit? Et num possit infamia compensari pecunia?*

XII. *Possitne aliquando ob debitum probabile fieri compensatio? Præsertim si probabilitas versetur circa jus, non circa factum?*

I. QUæritur primo, Quandonam Compensatio occulta excuset a restitutione?

Respondeo, occultam compensationem factam cum debitis requisitis excusare debitorem a restitutione, cum per illam tollatur inæqualitas. Quare si creditor compenset sibi creditum suum, accipiendo, quod sibi debetur, liberatur tam debitor ab onere novæ restitutionis, quam ipse creditor ab onere restituendi id, quod compensationis causa alteri subtraxit; cum hic non sit rationabiliter invitus; Si tamen sine debitis conditionibus fiat compensatio, peccatur ex D. Th. quæst. *66.* art. 5.; quia fit injuria publicæ potestati, quæ ad hoc constituta est, ut singulis tribuat jus suum.

II. Requisita autem ad licitam compensationem sunt, Primo, ex Less. cap. 12. num. 58., ut debitum compensandum sit liquidum, & moraliter certum; nam si sit dubium, non est licita compensatio, cum melior in dubiis sit conditio possidentis; unde dici solet, *Liquidi ad non liquidum non est compensatio.*

III. Secundo, ut tale debitum sit ex justitia, non ex promissione, ex voto, ex charitate, ex gratitudine, &c. Ratio est, quia sola lex justitiæ obligat ad restitutionem. Proinde communiter Doctores rejiciunt Petrum Navar. existimantem, quod in solo debito ex gratitudine possit fieri compensatio.

IV. Tertio, ut non accipias rem aliquam apud debitorem depositam, aut alteri hypothecatam, sed vel rem tuam, quæ sit penes debitorem, vel rem ipsius debitoris, quia compensatio fieri debet ex bonis debitoris sine præjudicio alterius.

V. Quarto, ut non possis aliter creditum tuum recuperare, vel certe non sine notabili molestia, & expensis, aut non sine amissione benevolentiæ, & favoris. Putant tamen Dian. part. 7. tract. *6.* resol. 17., Moya part. 2. tract. *6.* resol. 1., Trull., & alii non esse mortale, cessante scandalo, hanc conditionem omittere; quia non fit injuria Judici, nec turbatur Respublica, quando id fit occulte.

VI. Quinto, ut absit periculum scandali, vel infamiæ, ne tanquam fur infameris tu, aut alter; teneris enim ex charitate vitare damnum tertii innocentis, quoties notabiliter excedit damnum illius id, quod tu patereris, si compensationem omitteres: Et propter eandem rationem peccas etiam contra justitiam, si accipias a debitore rem diversam tibi debitam cum damno debitoris, quod longe majus sit damno tuo; Cum enim in tali casu debitor non debeat restituere, sed possit restitutionem differre juxta dicta art. 1. tu sine rationabili causa eris causa illius damni, atque adeo ad restitutionem teneris.

Demum ex charitate vitare debes, si commode fieri potest, ne debitor, aut ejus hæres ignorans compensationem a te factam, vel iterum tibi debitum solvat, vel permaneat in peccato existimando se teneri ad restituendum; unde fingere poteris, quod illi debitum remittas, aut alia via id vitare.

VII. Ex dictis sequitur primo ex Less. cap. 12. num. *61.* contra Joannem Medinam, quod si feratur excommunicatio contra eos, qui aliquid surripuerunt, talis excommunicatio non cadit in eum, qui aliquid in compensationem accepit, etiamsi alia via id recuperare potuerit; dummodo debitum sit liquidum, & res surrepta sit debitoris; quamvis enim non servando reliquas conditiones compensationis peccarit, at non contra justitiam; Judex autem per interminationem excommunicationis solum vult cogere injustum detentorem; Et ideo nonnulli docent, quod si is interrogetur a Judice, an aliquid acceperit, possit cum juramento negare, quod acceperit, idest injuste, prout Judex intendit. Probabilius tamen est, quod docet Navarr. cap. 17. num. 114. apud eundem Less.: quod si non recte accepit,

pit, eo quod via juris facile illud recuperare potuisset, quamvis juste retineat, juridice tamen interrogatus tenetur verum fateri; quia Judex habet tunc jus interrogandi, sicut & de aliis delictis; unde non potest uti æquivocatione, & artificio prædicto.

VIII. Sequitur secundo ex eodem Less. famulos non posse sibi compensare ex bonis dominorum, dum conqueruntur de salario, quod putant esse parvum: & opposita sententia damnata est ab Innoc. XI. in thesi 17. quæ habet: *Famuli, & Famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Tunc solum possunt famuli sibi compensare, quando judicio prudentium aliquid iis debetur, non ex obligatione gratitudinis, sed justitiæ. Quod dupliciter potest contingere, Primo, si parvo quidem sit conventum a famulo, ea tamen mente, ut dominus servitio diligenter præstito esset suppleturus, & hanc mentem famuli dominus satis adverterit; tunc enim dominus tenetur supplere, seu salarium augere ex justitia; quia hoc tacite in pacto continetur. Secundo, si famulus pressus necessitate exiguo convenit, cum dominus amplius dare noluerit; tunc enim operam suam pluris valentem non sponte parvo locavit, sed involuntarie secundum quid, seu necessitate compulsus; Sicuti qui parvo, seu infra pretium infimum justum vendit rem aliquam magni pretii, pressus necessitate, pariter compensare potest sibi usque ad pretium infimum justum. Quare dominus in casu nostro ex justitia tenetur supplere stipendium ad æqualitatem. Hoc tamen intelligendum, si dominus tali servitio egebat, aut si magnum ex eo capit emolumentum; aliter si ad tuas, vel alterius preces sine suo magno commodo in famulum te admisit, merito potuit minus offerre, & dare, cum merces ultroneæ vilescant. Sicut etiam potest minus offerre, quando ob multitudinem famulorum pretium famulatus decrescit.

Sequitur tertio, posse famulos retinere de victu sibi a domino præstito, quod sibi ex eo subtrahunt, alias comesturi; non tamen quod iis superest post saturitatem; Si tamen certa portio iis assignata sit, possunt de illa libere disponere, ut notant Sanch. Lug. Dian. part. 7. tract. 7. resol. 22.

IX. Sequitur quarto, posse Sacerdotem, qui pecunia credita decem missas celebravit, si non possit pecuniam hanc recuperare, oblatis deinde decem carolenis pro aliis decem missis, pecuniam hanc retinere, & alias decem missas non celebrare, ut notat Peirinus apud Tamb. lib. 3. de Sacrif. Missæ cap. 1. §. 3. dummodo tamen vitet damnum tertii, videlicet aut animæ purgantis, aut infirmi, &c. Si enim missæ pro istis petantur, & non pro ipso debitore, non videtur id licere, quicquid dicat Puente-Hurtad. in propos. 37. damnatam ab Innoc. XI. Non enim est æquum, ut illi patiantur tam grave damnum ob delictum debitoris, quamvis ad eundem debitorem pertineat.

X. Sequitur ultimo ex Dian. part. 4. tract. 4. resol. 66. Laym. Less. & aliis contra Molin. Petrum Navar. & alios communius, probabiliter excusari filium cauponis, mercatoris, &c. si velit a patre salarium, quod alteri extraneo deberetur, adeo ut si ob metum reverentialem illud non exigat, possit clam a Patre accipere, demptis tamen expensis, quas in eo alendo pater insumit.

XI. Quæritur secundo, An licita sit compensatio non solum in facultatibus, seu in bonis fortunæ eo modo, quo diximus, sed etiam in delictis, seu in actionibus, quæ ex delicto nascuntur: Verbi gratia, si Titius, & Cajus se mutuo infamarint, & Titius nolit, aut non possit famam resarcire, poteritne Cajus uti compensatione, itaut nec ipse famam restituat?

Respondeo, Petrum Navar. negare; hinc enim sequeretur, quod sicuti qui potest compensare sibi pecuniam, potest non solum non restituere, sed etiam clam accipere pecuniam debitoris, ut sibi compenset; ita si Titius posset compensare sibi famam injuste ablatam a Cajo, posset pariter non solum non restituere famam Cajo, sed etiam positive illum infamare, quod nemo dixerit.

Verum communius cum Bonac. hic docent, licitam esse hujusmodi compensationem, non quidem ante factum, quia esset vindicta, sed post factum, dummodo servetur æqualitas delictorum. Et ratio est, quia paria delicta mutua compensatione tolluntur; Unde fit, quod quando uterque conjux commisit adulterium, neuter privetur jure petendi debitum, cum detur compensatio. Quinimmo nonnulli Doctores volunt etiam in delictis diversi generis licitam esse compensationem; Verbi gratia, si maritus occidit adulterantem cum sua uxore, potest consonam compensationem facere cum injuria ab occiso sibi illata per adulterium, quamvis homicidium, & adulterium sint diversi generis.

Addit Less. cap. 1. dub. 25. probabile etiam esse, quod possit fieri compensatio infamiæ cum damno fortunarum; Unde si Titius, qui te infamavit, nolit, aut non possit famam restituere, possis tu illi denegare pecuniam, quam debes in ea quantitate, quam prudentes existimabunt.

Communius tamen id negant apud Bonac. disp. 2. quæst. 4. punct. 19. quia pecunia, & fama sunt in diverso genere, & unum non pot-

est æquivalere alteri ; Justitia autem solum obligat, ut restituatur ablatum, vel aliquod æquivalens ; cum ergo pecunia non possit æquivalere famæ, quia ex Ecclesiast. *Melius est nomen bonum , quam divitiæ multæ* ; ideo qui non potest famam restituere, non tenetur ex justitia illam pecunia compensare.

XII. Dubium est secundo , An possit fieri compensatio ob debitum probabile ?

Respondeo, Doctores apud Dian. part. 7. tract. 10. resol. 16., & part. 9. tract. 9. resol. 46. negare ; quia est veluti axioma in materia justitiæ, quod a non liquido ad liquidum non datur compensatio ; Jus autem probabile ad rem non est liquidum ; ergo non potest fieri compensatio ad rem liquidam . Ita Sanch. lib. 6. cap. 3. Suar. de Legibus lib. 5. cap. 18. Pal., Laym., Dicastill., & alii communiter.

Verum Joannes Lugo Card. disp. 16. de Justitia sect. 5. distinguit, dicendo, quod quando opinio probabilis favens creditori versatur circa jus, possit probabiliter fieri compensatio, secus vero si versatur circa factum. Ratio est, quia si probabilitas versetur circa jus, Judex proferre posset sententiam pro creditore , non obstante possessione debitoris ; Immo deberet talem sententiam proferre, si opinio probabilior staret pro creditore. Nam regula illa, *In pari causa favendum est potius reo*, locum habet in causa dubia dubio negativo, vel saltem in dubio probabili circa factum, quia fundatur in alia regula, quod *Actore non probante reus absolvitur*. At si Actor fundet opinionem suam in probabiliori sensu legis, non dicitur non probare, nec dicitur esse par causa actoris, & rei ; ergo si non potest creditor sine gravi incommodo ad judicem recurrere, poterit sententiam, quam judex proferret, amplecti, & sic compensare sibi debitum probabile probabilitate juris ; quamvis id in praxi sit valde periculosum.

Hinc primo multi Doctores cum Less. cap. 12. disp. 25., Molin., Ledesm., Dian. part. 2. tract. 5. resol. 30. docent, quod liceat infamato compensationem facere negando pecunias, quas debet Petro, qui non potest, aut non vult resarcire famam, eo quod probabilis sit sententia docens infamiam compensandam esse pecunia, quando non potest in proprio genere restitui ; Quamvis opposita sententia sit communior.

Secundo Sylvius, Malder., & alii docent, quod si duo se multo infamarunt, possint, quando damnum est æquale, compensare sibi, itaut neuter teneatur restituere, donec alter restituat ; quod fundatur in opinione probabili, quod licita sit in infamia compensatio ; Quamvis opposita sententia sit probabilissima.

Tertio, docent multi cum Less. cap. 19. dub. 3., Molin., Granad., & aliis, quod qui ex testamento minus solemni habere debet legatum, possit illud sibi retinere, vel compensationem facere, eo quod probabilis sit sententia, quod jure naturæ hujusmodi testamentum sit validum, atque adeo in foro conscientiæ debeantur legata in eo facta ; Quamvis contraria opinio sit satis communis, & probabilis.

Quarto, docet Less. ibidem, posse hæredem ab intestato uti compensatione occulta contra eum, qui bona defuncti possidet ex testamento minus solemni ; quia probabilis est sententia, quod ea bona debeantur hæredi ab intestato, cui opinioni potest se conformare.

Neque obstat ratio adducta, videlicet iniquum videri, quod debitum incertum, & non liquidum cum liquido compensetur. Nam si quid probat hoc argumentum, probaret non solum contra compensationem, sed etiam contra solutionem. Probaret enim, quod qui habet creditum solum probabile, non possit petere, nec accipere solutionem a debitore; quia res certa solveretur pro debito incerto, & probabili ; Unde etiam sequeretur, quod neque in judicio liceret agere, vel exigere, nisi cum evidenti jure. Quare iniquum duntaxat est, debitum non liquidum, seu dubium cum liquido compensare, non vero probabile probabilitate juris potiori. Et ratio a priori est, quia sicuti solutio, ita compensatio licita est eo ipso, quod nititur ratione probabiliori ; sicut in aliis materiis, verbi gratia, in jejunio, in recitatione horarum, &c., si probabile est te excusari, poteris certe omittere jejunium, & recitationem horarum ob rationem probabilem, & sic incertam ; quamvis ob merum dubium non excuseris : ad licitam enim operationem universim satis est probabilitas. Qua de re plura congerit P. Andreas Zuccherius in suis valde eruditis Decisionibus Patavinis de Restitutione Casu 2. Mensis Martii.

Hinc Franciscus Lugo apud Dian. loc. cit. ad quæsitum, An si Petrus possideat equum, quem tu probabiliter putas esse tuum, possis illum eo spoliare ; docet, communiter id negari ; quia quamvis proprietas possidentis sit solum probabilis, possessio tamen est certa, & ideo præponderat tuæ probabili proprietati in contrarium. Deinde addit, Joannem Sanch. disp. 43. distinguere dicendo, quod si probabilitas sit orta circa factum, scilicet ex probationibus, & testimoniis, non possis ea re spoliare possidentem, nisi per auctoritatem judicis ; secus vero si probabilitas sit circa jus, verbi gratia, quia tibi debetur legatum ex testamento minus solemni, aut ex alio probabili titulo. Ratio est, quia possessio prævalet tantum contra dubium negativum, non vero contra probabilem opinionem circa jus ; Immo Sancius nu. 65. addit, aliquos

aliquos viros doctos a se consultos putare, probabile etiam esse, quod talis compensatio fieri possit, etiamsi opinio probabilis, quod res sit tua, sit circa factum, seu orta ex probationibus, & testimoniis; quam sententiam ipse etiam Franciscus Lugo ut probabilem amplectitur, quia sive opinio probabilis sit circa factum, sive circa jus, possessio in utroque casu nititur proprietate, quæ solum est probabilis; unde non impedit usum contrariæ opinionis.

His tamen non obstantibus, dico cum communi Doctorum, in praxi ab hac opinione abstinendum esse, etiam cessante scandalo, sed juridice expectandam esse sententiam Judicis. Ratio est ex Cardinali Joanne De Lugo disp. 16. n. 106., quia scandalosum est, quod quilibet in re dubia sit Judex in propria causa: Hoc enim furtis immensum ostium aperiret. Quod confirmatur ex propositione illa decima septima ab Innoc. XI. damnata, ut scandalosa, quod famuli possint occulte hæris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt; Quæ opinio non fuisset damnata ut scandalosa, si vera esset opinio adducta Joannis Sancii, quod possis tu spoliare Petrum re, quam possidet ob solam probabilitatem, quod ea tibi debeatur.

Adde, quod tenuis probabilitas non satis est ad licite operandum, ex propos. 3. damnata ab Innoc. XI. Atqui in opinione Joannis Sancii daretur solum tenuis probabilitas; ergo non subsistit. Probatur minor, quia probabilitas probabilitatis est tenuis probabilitas; in ea autem sententia daretur solum probabilitas probabilitatis; nam probabile est, quod possit fieri compensatio, quando probabile est, quod res, quam Petrus possidet, sit tua; ergo ex probabilitate, quod sit tua, oriretur probabilitas compensationis; Unde haberetur probabilitas probabilitatis, & sic tenuis probabilitas, quod non accidit in casu, quo quis non jejunet ex probabili opinione, quod non teneatur jejunare; Certum enim est in tali casu, quod non teneatur.

ARTICULUS IV.

De Compositione, & Judicis auctoritate excusantibus a restituendo.

I. Liberat a restitutione debitorem compositio, quæ fiat a Pontifice, vel ab Episcopo in propria Diœcesi pro debitis dumtaxat incertis. Et probabiliter si deinde dominus compareat, nihil ei debetur.

II. Quid requiratur, ut possit Pontifex pro debitis certis compensationem, aut dispensationem concedere? Sicut potest Pontifex in pœnam privare reum bonis temporalibus, ita potest deobligare debitorem a restitutione facienda alicui criminoso.

III. Multipliciter potest Judex eximere debitorem ab onere restituendi, præsertim in pœnam delicti a creditore patrati; Vel si ex æquitate aliquid alicui adjudicet, quod ex rigore justitiæ illi non debetur.

I. QUæritur primo, Utrum compositio a Prælato obtenta liberet a restitutione debitorem?

Respondeo, procul dubio excusare compositionem obtentam a Pontifice, si tamen dominus rei alienæ ignoretur; videtur enim Pontifex in tali casu habere causam disponendi de rebus alienis; cum enim debita incerta ex jure tantum positivo restitui debeant pauperibus, & Pontifex possit in jure tantum positivo dispensare, potest pariter super istis debitis compositionem permittere; itaut qui, verbi gratia, debet centum aureos creditoribus incertis, solvat tantum viginti pro fabrica D. Petri, aut aliis pauperibus, & sic liber maneat totaliter a debito, ut diximus qu. 3. art. 6., Ubi ostendimus, quod si post compositionem compareat dominus, probabile sit rem illam non esse restituendam, cum compositio æquivaleat præscriptioni, & restitutioni: Ostendimus etiam, compositionem probabiliter posse etiam ab Episcopo fieri pro sua Diœcesi.

II. Addimus nunc, quod si creditores sint certi, & cogniti, Pontifex non possit liberare a restitutione debitorem, nisi tamen gravis causa subsit; quia non potest Pontifex, aut Princeps absque justa causa donare bona unius alteri, cum non sit dominus bonorum subditorum, sed tantum defensor juris illorum, & judex, vindexque criminum: Si tamen causa justa subsit, faciens a spirituale regimen, potest dispensatio Pontificis a restitutione eximere debitorem, cum habeat Pontifex potestatem interdictam in bona temporalia subditorum; quatenus scilicet ad bonum illorum spirituale conducunt. Unde sicut potest pro criminibus mulctas pecuniarias imponere; ita potest condonare restitutiones criminosis faciendas, ut notat Less. cap. 16. n. 81.. Si enim potest Pontifex in pęnam alicujus criminis, puta hæresis, privare reum dominio rerum suarum, & eas addicere fisco: Si potest aliquando eximere subditos ab obligatione serviendi, obediendi, solvendi tributa, & ab aliis vinculis etiam jurejurando confirmatis, quare non potest pariter debitores eximere ab obligatione restituendi; cum hoc sit multo minus, quam illud?

III. Quæritur secundo, Quandonam Juris, aut Judicis auctoritas excuset debitorem a restitutione?

Respondeo cum Less. hic excusare, Primo, quando

quando res debita legitimo modo est præscripta, ut dicemus art. sequenti. Secundo, quando judex in penam alicujus delicti per sententiam imponit hanc mulctam, ne scilicet restituatur creditori, quod ei debetur. Verum in tali casu sententia debet niti veritate, & non falsa præsumptione delicti. Tertio, quando aliquis privatus est officio, beneficio, vel hæreditate per sententiam juris ordine latam, tunc qui ea postea obtinet, non tenetur restituere, quamvis cognoscat condemnatum fuisse innocentem; dummodo non fuerit ipse causa talis injustæ condemnationis. Quarto demum, quando judex ex æquitate adjudicat alicui aliquid, quod alias in rigore justitiæ ei non deberetur, qui hoc percepit, non tenetur restituere.

ARTICULUS V.

De Præscriptione, quatenus a restituendo excusat.

I. *Præscriptio legitima etiam pro foro interno a restituendo deobligat; conceditur tamen locis piis, & minoribus restitutio in integrum.*

II. *Lex præscriptionis non est instituta in pœnam negligentiæ creditoris, sed ad lites innumeras vitandas; Nec nititur in falsa præsumptione culpæ illius.*

III. *Quinque sunt Præscriptionis conditiones, Possessio continuata, Capacitas possidendi, Bona fides, Titulus probabiliter præsumptus, & Lapsus temporis a lege definiti.*

IV. *Ad Præscriptionem requiritur, & sufficit possessio civilis rei, quamvis sit sine naturali possessione.*

V. *Præscribere non potest Laicus res Ecclesiasticas. Nec religiosus aliquid præscribere potest. Quid de pupillo?*

VI. *Homo liber præscribi nequit. Nec res furtiva. At si bona fide hæc ematur, vel accipiatur, post annos triginta præscribi potest. Neque præscribi possunt res, quæ alienari non possunt, ut res Ecclesiasticæ, nisi spatio triginta annorum.*

VII. *Si Bona fide per annos triginta possideatur jus non solvendi debitum, præscribitur. Non præscribit tamen, qui dubia fide cœpit possidere, aut qui bonam fidem interrupit per malam fidem: Dubium tamen superveniens bonam fidem non interrumpit.*

VIII. *Num possint hæres, & legatarius præscribere, si bona fide habeant res, quas testatur, qui mala fide eas possidebat?*

IX. *Num possit prodesse ad præscribendum bona fides orta ex ignorantia juris clari, saltem post spatium triginta annorum?*

X. *Ignorantia juris, quæ non prodest ad præscribendam rem inalienabilem, prodest ad præscribendos fructus talis rei, relate ad quos ignorantia est potius facti.*

XI. *Titulus probabiliter præsumptus non eodem modo requiritur ad præscribendum, quam bona fides; sine illo quippe præscribitur spatio triginta annorum, vel quadraginta contra Ecclesiam, aut centum contra Ecclesiam Romanam: Et si jus commune repugnet ad præscribendum, adhuc sufficit tempus immemorabile, in quo titulus præsumitur: Nunquam tamen sine bona fide legitime præscribitur.*

XII. *Usucapio præter titulum, & bonam fidem, requirit triennium inter præsentes, & quadriennium inter absentes; Sine titulo autem requirit spatium triginta annorum. Præscriptio vero exigit decem annos inter præsentes, viginti inter absentes, & sine titulo triginta. At contra Ecclesiam quadraginta, & contra Ecclesiam Romanam centum.*

XIII. *Ut consuetudo contra legem præscribat, satis est, vel quod passim fiat contra legem conscio Superiore, vel quod inscio Superiore contra legem fiat per decennium.*

I. QUæritur primo, Quandonam Præscriptio a restitutione deobliget?

Respondeo, Præscriptionem, & usucapionem, ut diximus quæst. 2. art. 1., non solum in foro externo, sed etiam in interno excusare a restitutione; si adsint debita requisita. Ratio est, quia nemo tenetur rem suam restituere: atqui possidens rem alienam bona fide per continuationem temporis a lege constituti, facit rem suam, ut constat ex definitione Præscriptionis, quæ est *Acquisitio dominii utilis, vel directi rei alienæ per continuationem possessionis spatio temporis a lege constituti*, ex lege *Usucapio*, *ff. D. usucapionibus*; ergo non tenetur ad restitutionem. Quamvis verum sit, quod locis piis, Ecclesiis, & minoribus concedatur restitutio in integrum auctoritate judicis: Sicut etiam majoribus ætate in præscriptione decem, & viginti annorum conceditur spatium quatuor annorum ad repetendam rem suam, dummodo probent, præscriptionem fuisse factam ipsis insciis, & absque sua negligentia, ex lege 1. *De præscriptionibus* apud Less. lib. 2. cap. 6. dub. 18.

II. Opponitur primo ex Gabriel., Medin., Adrian. apud Less. dub. 17. Lex præscriptionis videtur instituta in penam negligentiæ domini; ergo si nulla domini intercessit negligentia, nec culpa in inquirenda re sua, non debet dominus per præscriptionem ea privari; & consequenter præscriptio, licet excuset debitorem a restitutione in foro fori, non tamen in foro poli.

Respondeo, nego antecedens; lex enim præscriptionis instituta est ob bonum commune ad

lites

lites innumeras vitandas. Quare etiam sine culpa, & negligentia domini potest res præscribi, itaut non teneatur possidens unquam illam restituere.

Opponitur secundo; Is, cui res adjudicatur in pœnam per sententiam Judicis nitentem falsa præsumptione delicti, tenetur ad restitutionem, ut modo diximus art. 4. Atqui leges præscriptionis nituntur falsa præsumptione culpæ, & negligentiæ domini in inquirenda re sua; ergo is, cui res per legem præscriptionis adjudiatur, tenetur semper in foro conscientiæ ad restitutionem.

Respondeo, concessa majore, nego minorem; diximus enim legem præscriptionis non niti in præsumptione negligentiæ domini, sed ordinari ad bonum commune. Verum concessa etiam minore, nego consequentiam. Disparitas est, quia Judex per illam sententiam non intendit transferre dominium, sed solum declarare quisnam sit dominus rei; Unde si falsum sit fundamentum, in quo nititur sententia Judicis, ipsa quoque corruit, nec est servanda in conscientia: Contra vero per præscriptionem vult Princeps transferre alteri dominium, ut diximus.

III. Quæritur secundo, Quænam sint conditiones legitimæ præscriptionis?

Respondeo esse quinque. Prima est continuata possessio; Secunda, capacitas activa respectu possidentis, & passiva respectu rei, quæ possidetur, videlicet quod possidens possit possidere, & res possit possideri: Tertia, bona fides; Quarta, titulus probabiliter præsumptus; Quinta, tempus a lege definitum.

IV. Circa primam conditionem, dubium est, quænam possessio requiratur ad præscriptionem, civilisne, an naturalis?

Respondeo cum communi requiri, & sufficere possessionem civilem, quia scilicet quis nomine suo rem aliquam possidet, quamvis careat possessione naturali, seu quamvis rem illam apud se non habeat. Unde fit, quod habens rem aliquam apud se depositam, aut commodatam non possit illam præscribere; quia quamvis illam possideat naturaliter, non possidet tamen civiliter; seu non possidet nomine suo, sed nomine ejus, qui eam deposuit, aut commodavit: sic Tutor, qui rem possidet nomine pupilli, Colonus, qui rem possidet nomini domini: Et eodem modo si rem indivisam communem pluribus aliquis apud se habeat, non potest illam præscribere, quia possidet saltem partialiter nomine alieno.

V. Ex secunda vero conditione sequitur primo, Laicum non posse præscribere res Ecclesiasticas, & jura spiritualia, verbi gratia, jus cognoscendi causas Ecclesiasticorum, jus decimarum, primitiarum, oblationum, juspatronatus relate ad Ecclesiam olim non subditam tali juri, & alia jura spiritualia, ex cap. *Causam*, *de præscriptionibus*; Laicus enim caret capacitate activa, qua possit eas res, & jura possidere. Pariter Religiosus non potest aliquid præscribere, cum sit incapax dominii, nec possit quicquam suo nomine possidere: Econtra Pupillus potest præscribere, quia potest aliquid possidere nomine suo, si mentis compos sit; Sicuti etiam si mentis sit impos, dummodo incipiat possidere auctoritate Tutoris; Furiosus etiam præscribere potest, si ante furorem cœpit possidere, cum habeat capacitatem activam, & per furorem possessio non interrumpatur.

VI. Sequitur secundo, quod homo liber præscribi non possit, itaut fiat servus, quia deficiat in eo capacitas passiva: Propter eandem rationem non potest res furtiva præscribi tempore consueto, quamvis si bona fide ematur, vel accipiatur, possit spatio triginta annorum præscribi, ut notat Azor. apud Bonac. hic.

Sequitur tertio, nec posse præscribi, nisi spatio triginta annorum res, quæ prohibentur alienari, quia pariter deficit iis passiva capacitas, ut ab illis possideatur; unde res mobiles pretiosæ alicujus Ecclesiæ, quæ servando servari possunt, usucapi triennio non possunt.

VII. Tertia conditio est bona fides, seu credulitas, qua quis prudenter judicat rem esse suam, vel saltem ignorat esse alienam, dummodo ignorantia non sit crassa. Ex quo sequitur primo, debitorem, qui triginta annis debitum non solvit mala fide, non posse illud præscribere; si tamen bona fide triginta annis possederit jus non solvendi, eo quod crediderit se nihil debere, vel debitum esse aut solutum, aut condonatum, vel si nihil de tali debito recordatus sit, in tali casu illud præscribit, ex lege *Sicut in rem* Cod. *De proscriptione* apud Bonac., & Less. n. 19., & 36.

Sequitur secundo, non posse præscribere eum, qui in principio possessionis dubitat, an res sit sua. Ratio est, quia hic occupando cum tali dubio rem, æquiparatur possessori malæ fidei, ut diximus suo loco. Nec potest præscribere, qui non habet bonam fidem continuatam, sed interruptam per malam fidem: Qui tamen post possessionem rei bona fide, dubitat an res sit aliena, & post debitam diligentiam non potest dubium deponere, bonam fidem non interrumpit.

VIII. Dubium est hic primo; An hæres, vel legatarius, si bona fide hæreditatem, vel legatum accipiat, possit præscribere res, quas mala fide testator possidebat?

Respondeo cum Molin., Bonac., & aliis, hæredem immediatum, seu qui succedit in omnia bona defuncti, non posse præscribere, quia talis hæres censetur una persona cum defuncto; unde sicut defunctus ob malam fidem præscribere non

pote-

poterat, ita nec hæres, quamvis bona fide hæreditatem accipiat, ex lege, *Si mala fides*, Cod. *Communia*: Contra vero legatarius præscribere potest, quippe qui bona fide rem non furtivam accipit titulo donationis, venditionis, &c. Potest etiam præscribere hæres mediatus, seu hæres hæredis; quia non censetur moraliter una persona cum defuncto, qui mala fide rem possidebat. Verum Sylvest., Azor. lib. 2. cap. 6. & alii putant, quod sicut legatarius in casu posito præscribere potest, non quidem spatio consueto, sed spatio triginta, vel quadraginta annorum, ut diximus in tertia conditione, ita pariter hæres immediatus, cum uterque bona fide rem possideat. Ubi notandum, quod si testator, & hæres, vel legatarius possideant rem bona fide, tempus utriusque possessionis computandum sit ad præscriptionem.

IX. Dubium est secundo, Quænam ignorantia prodesse possit ad præscribendam rem bona fide possessam?

Respondeo, Medin. apud Less. cap. 6. dub. 5., putare, quamlibet ignorantiam inculpatam tam juris, quam facti sufficere ad præscribendum in foro conscientiæ. Verum communiter Doctores cum eodem Less. docent, ad præscriptionem prodesse solam ignorantiam facti, & ignorantiam juris dubii, quando scilicet sunt opiniones utrinque probabiles circa jus, non vero ignorantiam juris clari. Ratio est, quia sic sancitum est in lege *Juris*, *ff. de Juris*, *& facti ignorantia*. Unde fit, quod si quis sciat, v. g., non posse aliquid emi a fure, ignoret tamen Titium esse furem, & ab eo aliquid emat, præscribere possit, quia hæc est ignorantia facti; Et idem dicas in ignorantia juris dubii, v. g. si dubium sit, an prohibeatur aliquis contractus tamquam usurarius, eo quod sint utrinque opiniones probabiles. Ratio est, quia sequens opinionem probabilem non dicitur habere malam fidem; quando tamen jus est clarum, non potest prodesse præscriptioni ignorantia illius; unde non potest præscribere, qui aliquid accipit contractu usurario ignorans talem contractum esse injustum; Nec potest præscribere, qui aliquid dono accepit a religioso ignorans religiosum non posse largiri; Error enim nunquam prodest in usucapionibus, ut dicitur in lege *Nunquam*, *ff. De usucapionibus*.

Probabile tamen est ex eodem Less., quod ignorantia juris clari, si sit invincibilis, possit prodesse ad præscribendum, non quidem spatio consueto, sed post spatium triginta annorum, non secus ac possessio sine titulo. Ratio est, quia intantum error juris impedit præscriptionem, quia qui sic errat, præsumitur habere malam fidem; atqui jure civili præscriptio tricenaria locum habet etiam in eo, qui præsumitur habere malam fidem, dummodo revera non habeat, sicut etiam in possidente sine titulo; ergo etiam in casu nostro.

X. Notandum tamen, quod quamvis ignorantia juris non prosit ad præscribendam rem, prodest tamen ad præscribendos rei fructus, ex lege *Bonæ fidei emptor*, ff. *De acquirendo rerum dominio*. Ratio est, quia ignorantia circa fructus videtur potius ignorantia facti, cum possessor putet percipere fructus ex re sua, quæ tamen non est sua.

Ex dictis sequitur, ut notat Less. cap. 6. num. 18., quod si quid emas a pupillo, vel prælato, &c., ignorans requiri consensum tutoris, aut Capituli, &c., talis ignorantia non prosit ad præscribendum, cum sit ignorantia juris: Contra vero si putes consensisse tutorem, aut capitulum, &c., quia hæc est ignorantia facti.

XI. Quarta præscriptionis conditio est Titulus probabiliter præsumptus. Etenim titulus est causa, & radix, ex qua oritur dominium, & jus; quare quando acquirimus rei dominium ex emptione, donatione, testamento, &c., ex his titulis dicitur dominium acquiri; Quod si isti tituli sint veri, v. g., si vera est donatio, non requiritur præscriptio ad acquirendum dominium; secus vero si titulus non sit verus, sed probabiliter præsumptus, videlicet quia creditur bona fide, quod donans sit legitimus dominus, cum revera non sit. Ratio est, quia ad vitandas lites jura statuerunt, quod cum titulo præsumpto acquiratur dominium rei alienæ, modo adsit bona fides, & tempus a jure præscriptum.

Notandum tamen, ad præscriptionem magis requiri bona fidem, quam titulum præsumptum; nam sine bona fide nunquam res præscribitur: Contra vero sine titulo præsumpto; quamvis sine hoc titulo non præscribatur res tempore definito, videlicet decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes; at præscribitur post lapsum triginta, vel quadraginta annorum juxta qualitatem materiæ, quæ præscribitur, ex cap. *Si diligenti*, *De præscription.* Hinc fit, quod privatus, qui per quadraginta annos præscripsit, contra aliquam Ecclesiam, non debeat allegare titulum; Et idem dicas de spatio centum annorum contra Ecclesiam Romanam. Hoc tamen intelligendum, dummodo jus commune non repugnet præscribenti; nam in tali casu vel probandus est titulus, vel ostendendum est tempus, quo res possidetur, esse immemorabile, seu cujus initii non extat memoria etiam apud seniores nam ut bene Covar. cum tempore immemorabili præsumitur titulus. Unde fit, quod si Laici tempore immemorabili non solverint decimas Ecclesiæ, liberi sint, & immunes ab onere decimarum.

XII. Circa quintam conditionem, quæ est tempus a lege definitum ad præscribendum, sciendum, ad præscriptionem rerum mobilium (quæ proprie dicitur Usucapio) requiri præter titulum, & bonam fidem inter præsentes, seu inter eos, qui in eadem Civitate, vel in eadem parte Regni habitant, triennium, quadriennium vero inter absentes, seu inter eos, qui in diversis terrioriis commorantur: Ad præscriptionem vero rerum immobilium contra privatos requiritur spatium decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes. Dixi, contra privatos; Nam contra Ecclesiam aliquam, sive locum pium requiritur spatium quadraginta annorum, & contra Ecclesiam Romanam centum anni.

Si tamen desit titulus præsumptus ad præscribendas res mobiles, etiamsi sint Ecclesiæ, etiam Romanæ, requiritur, & satis est spatium triginta annorum, quod spatium satis est etiam ad præscribendas res immobiles contra privatos; Contra Ecclesiam vero requiritur, ut diximus, spatium quadraginta annorum, & centum contra Ecclesiam Romanam. Præscriptio autem, ut notat Croix lib. 3. part. 2. n. 545. tunc dicitur interrumpi, quando ita cessat, ut totum tempus præcedens extinguatur, perinde ac non præcessisset: dicitur vero dormire, quando ob aliquod impedimentum cessat, eoque sublato tempus præcedens continuatur cum subsequente. Si desinat titulus, interrumpitur, si desinat bona fides, probabiliter præscriptio dormit, sed probabilius ex Lugo, & Mol. interrumpitur. Præscriptio contra Ecclesiam dormit, quamdiu hæc vacat suo Prælato.

XIII. Dubium hic est; quantum temporis requiratur, ut consuetudo præscribat contra legem?

Respondeo cum Less. cap. 6. dub. 14. quod vel consuetudo contra legem viget sciente, & tolerante legislatore, & tunc non requiritur certum tempus, ut consuetudo legem abroget, sed satis est, quod passim fiat contra legem, quia dum legislator, seu superior scit legem non servari, & tolerat, videtur consentire, ut non servetur, ne Respublica perturbetur: Si tamen consuetudo viget ignorante Principe, tunc, ut præscribat contra talem legem, sive civilem, sive canonicam, probabile est, quod satis sint decem anni, quia lapsu decennii videtur legis vis esse antiquata.

ARTICULUS VI.

Num interitus rei alienæ, aut ingressus in Religionem a restituendo excusent?

I. Interitus rei alienæ in specie restituendæ a restituendo excusat, si pereat citra culpam debitoris, nec aliter sit conventum.

II. Probabilius videtur posse secundum se ære alieno gravatum ingredi Religionem, & sic a restituendo deobligari, si alia via non possit. Sic sponsus post sponsalia jurata potest ingredi Religionem.

III. Num teneatur hic Religiosus laborare juxta suum statum de licentia Superioris, ut debitis satisfaciat?

IV. Num pariter teneatur acceptare donationes, aut hæreditatem, quæ detur Creditoribus?

V. Religiosus, qui post professionem alios damnificavit, præsertim si sit Prælatus, ad quid tenetur, ut damnum resarciatur?

I. Quæritur primo, An rei restituendæ interitus excuset a restitutione facienda?

Respondeo, multa super hac re nos dixisse, cum de possessore bonæ, & malæ fidei, videlicet quod si res aliena in specie restituenda intereat, talis interitus a restitutione excusat, quando non intercessit culpa debitoris, nec mora, nec pactum; Secus vero si aliquid horum intercesserit, nisi forte similiter ea res fuisset apud dominum peritura, quia in tali casu nullum damnum pretio æstimabile illatum esset domino; sicuti non infert damnum domino, qui ejus equum occidit, aut dolia expilat, quando jam jam incendio sunt conflagranda.

II. Quæritur secundo: An gravatus ære alieno possit licite Religionem ingredi, & sic, si non habet, unde reddat, excusari a restitutione?

Respondeo, Valent., Molin., Regin., Bonac. hic, Laym. cap. 12., & alios putare, quod debitor non possit ingredi Religionem, quando prævidet fore ut ingrediendo non possit creditoribus satisfacere, quibus tamen satisfaceret, si maneret in sæculo, sive debita sint ex contractu, sive ex delicto. Et ratio est, tum quia obligatio justitiæ præferenda est consilio; ingressus autem in Religionem est ex consilio, & restitutio debetur ex obligatione justitiæ: Tum etiam quia qui violavit virginem sub spe conjugii, a Religionis ingressu retardatur, nisi illa sponte remittat: Tum demum quia si non licet furari, ut possit quis in Religionem distantem ingredi, nec licitum est alienum retinere ingrediendo Religionem. Verum D. Th. 2. 2. quæst. ult. art. 6., quem sequitur, Tambur. tract. 4. cap. 1. §. 1. num. 7., & alii apud Sanch. lib. 4. disp. 4. cap. 59. putat, hunc non teneri manere in sæculo, quia iste talis putatur cedere bonis, quod cuilibet facere licitum est; Neque obligatio restituendi, quamvis juramento firmata, est tanti, ut possit privare fidelem tam ingenti bono ordinis superioris, qualis est vitam domino mancipare. Less. cap. 7. dub. 8. putat, quod si possit hic consuetis laboribus brevi creditoribus satisfacere, teneatur differre ingres-

ingressum Religionis; Ad hoc tamen non obligat D. Th., & alii, quos laudavimus.

Notandum tamen, Sixtum V. vetasse, ne quis ingenti ære gravatus, vel reddendis rationibus obligatus, ad professionem admitteretur, voluitque istius professionem esse nullam, gravesque pœnas recipientibus injunxit; Quamvis deinde Clem. VIII. voluerit professionem esse validam, ut videre est apud Lug. tom. 1. de justitia disp. 21. quæst. 6. num. 86. Advertendum etiam, quod Sixtus V. prohibeat, ne ad professionem admittatur, qui ingenti ære alieno est gravatus, non qui quocumque est ære alieno gravatus.

Ad rationes in contrarium respondetur. Ad primam, quod quamvis status Religiosus sit ex consilio, est tamen talis, ut ob perpetuam mancipationem, quam affert hominis Deo, spoliet illum bonis omnibus atque incapacem dominii reddat, & ideo extinguat omnem obligationem justitiæ circa bona fortunæ; sicuti ob eandem perfectionem extinguit omnem obligationem cujuscumque voti facti in sæculo. Præterea status religiosus est maximum, & summum, quod potest homo Deo tradere, & ideo videtur irrationabile, ut tantum bonum a quocumque debito retardetur. Quare licet non possis, ut orationi vaces, jejunes, omittere obligationes ex justitia, poteris tamen eas omittere ut Religionem ingrediaris, ex præstantia, & perpetuitate talis status. Itaque ad argumentum respondetur, præferri obligationi ex justitia id, quod est merum consilium, quando hoc extinguit omnem obligationem justitiæ, & quando irrationabiliter debito pecuniario postponitur.

Ad secundam rationem, verum est, quod qui violavit virginem sub spe conjugii, non possit illa invita Religionem ingredi. Ratio tamen est, quia in hoc casu non concurrit debitum pecuniarium cum statu religioso, sed bebitum assumptionis status matrimonialis cum assumptione status religiosi; concurrentibus autem his duobus statibus, debet prævalere is, qui ex justitia debetur alteri: Quando autem concurrit debitum pecuniarium restituendi cum susceptione status religionis, bonum adeo excellens debet prævalere.

Adde, quod sponsus etiam post sponsalia jurata potest Religionem ingredi, cum ea promissio habeat tacitam illam conditionem, nisi Religionem ingredi voluero; ergo etiam in casu nostro.

Ad tertiam, supra diximus magis requiri ad furandum, quam ad non restituendum; sicut magis ad vulnerandum, quam ad non medendum vulneri alterius; unde quamvis non liceat furari, quando opus est pecunia ad assumendum statum religiosum, licitum tamen est non restituere, quando aliter fieri non potest.

III. Dubium est primo, an qui sic ingreditur Religionem, teneatur laborare, ut aliquid acquirat ad satisfaciendum Creditoribus, vel scribendo, vel concionando, vel aliud agendo ex licentia Superioris, quod statum religiosum deceat?

Respondeo, Molin., Navar., Bonac. hic docere, quod teneatur, quia obligatio illa satisfaciendi est ex jure naturæ, nec extinguitur per professionem Religiosam; immo docent, quod Superior teneatur ad id licentiam dare, si erat conscius debitorum, antequam illum ad Religionem admitteret. Pal. tamen apud Tambur. hic aperte docet, nec Religiosum ad id teneri amplius, nec teneri Superiorem aut concedere illi facultatem, ut laboret ad satisfaciendum, aut ex pecunia, quam ille suo labore monasterio acquisivit, satisfacere Creditoribus. Etenim per Professionem Religiosus factus est jam juris alterius, & incapax dominii acquirendi; cum ergo non possit amplius habere dominium, sequitur, quod debita sint omnino extincta.

IV. Ex quo etiam videtur sequi, quod non teneatur hæreditatem, donationes, aut legata acceptare ad satisfaciendum; quicquid enim acquirit Monachus, Monasterio acquirit; cum autem Monasterium non teneatur satisfacere debitis Religiosi ante ingressum contractis, nec tenetur Religiosus acceptare donationes ad satisfaciendum; & si acceptat, non tenetur Monasterium ex iis rebus satisfacere Creditoribus. Hæc tamen disputationis gratia docuit Pal. tom 3. tract. 16. dub. 3., Communis enim opinio docet oppositum, videlicet quod teneatur tales donationes acceptare, & ex iis tam ipse, quam Monasterium teneantur satisfacere creditoribus: Sicut etiam communis opinio docet, quod talis Religiosus teneatur laborare ad satisfaciendum, quamvis nonnulli velint posse Prælatum dare suo subdito alias occupationes ad arbitrium, ut videre est apud Lug. tom. 1. disp. 21. §. 6. num. 79.

V. Dubium est secundo, Ad quid teneatur Religiosus, qui alios damnificavit post professionem, verbi gratia furando, vendendo supra pretium justum, occidendo, &c.?

Respondeo cum communi apud Tambur. tract. 4. cap. 1. quod si res aliena extet, aut in aliquo ipse, aut religio facti sint ditiores, procul dubio ad restitutionem tenentur; in contrario eventu tenetur religiosus restituere, si fruitur peculio, vel si potest ex iis, quæ sibi a Religione conceduntur, detrahere de non necessariis commoditatibus, ut notat Sanch. l. 7. in Decalog. cap. 19. num. 112. Quamvis possit Superior impedire, ne Religiosus hujusmodi debita sic solvat; quia fructus peculii, & quodcumque sibi subtrahit Religiosus a suis commoditatibus, subditur dominio Religionis; & ideo potest Prælatus

latus nolle ea a se abdicare, & sic juste impedire, ne debita solvantur; Si vero non possit sic satisfacere Religiosus, certe Religio non tenetur; quia non debet vergere in damnum Monasterii delictum Religiosi etiam Prælati, si non est commissum nomine totius Communitatis, & ut dicitur Capitulariter.

QUÆSTIO VII.

De Restitutione in particulari.

PLuribus articulis quæstionem hanc absolvemus, inquirendo ea omnia, quæ in procemio hujus tractatus innuimus, videlicet Primo, De restitutione facienda propter homicidium. Secundo, propter detractionem, Tertio, propter contumeliam, derisionem, susurrationem, ob judicium temerarium, & ob suspicionem. Quarto, propter secreti violationem. Quinto, propter furtum, & rapinam. Sexto, propter stuprum, & adulterium. Septimo, propter fraudata vectigalia. Octavo, propter simoniam, & usuram. Nono, propter omissionem divini officii: de quibus omnibus, prout vacabit, paucis agendum est.

ARTICULUS I.

De restitutione propter homicidium, & mutilationem.

I. *Provocatus ad pugnam, si alium occidat, non tenetur quicquam restituere, quamvis nonnihil excesserit. Qui tamen invaditur ab altero, ad restitutionem obligabitur, si notabiliter excedat occidendo invasorem.*

II. *Num peccet contra justitiam Clericus, qui potest fugere invasorem, sed non fugit, sed illum occidit cum moderamine debito?*

III. *Qui artificem occidit, tenetur etiam lucrum illi cessans ex suæ artis exercitio restituere; Sed debetne æstimationem laboris detrahere? Debetne quicquam restituere creditoribus occisi?*

IV. *Num pro vita, pro mutilatione, pro cicatrice, pro fama injuste sublata aliquid restituendum sit? Et quid pro vita servi, aut animalis alterius? Quid pro homicidio, quod fecit filius?*

V. *Qui collocat cadaver occisi ante domum Titii, prævidens, aut etiam intendens, ut Titias tanquam homicida puniatur, num teneatur ad restitutionem?*

VI. *Tam ex homicidio casuali, quam ex indirecto, non secus ac ex voluntario oritur obligatio restitutionis, supposita in iis gravi culpa contra justitiam.*

VII. *Num sit reus homicidii vulnerans graviter Petrum, qui deinde ex Medicorum culpa decedat? Aut qui volens occidere Titium, casu occidat Cajum? Aut qui alium occidit in ebrietate?*

VIII. *Propter damnum illatum occiso in curatione vulnerum, & ob lucrum, quod illi ante mortem cessavit, facienda est restitutio hæredi, & hoc deficiente, pauperibus; Propter damnum vero, quod aliis ex homicidio consurgit, facienda est restitutio solum hæredibus necessariis, non aliis.*

IX. *In quibusnam casibus licitum est homini se ipsum occidere, aut mutilare? Num licite pueri castrentur ad vocem conservandam?*

X. *Num possit aliquando indirecte innocens occidi? Num Saraceni innocentes occidi possint, ne fiant deinde hostes Christianorum? Num possit dari pharmacum prægnanti cum periculo occidendi fœtum animatum?*

XI. *Quid requiritur, ut licite possimus invasorem occidere in propriam, aut proximi defensionem? Plures theses hac de re proscriptæ recensentur.*

I. CUm homicida peccet contra justitiam, examinabimus, Quid, & Cuinam teneatur ille restituere propter homicidium? Et deinde, In quo casu licitum sit seipsum, vel alios occidere, aut mutilare?

Quæritur itaque primo, Quid debeat restituere homicida, aut vulnerator?

Respondeo, & dico primo: Qui provocatus ad pugnam alium occidit, nonnihil excedendo modum, & moderamen, non tenetur ad ullam restitutionem: Sicuti neque si duo se invicem provocent, & alter alterum occidat. Ita communiter contra Peregrin. apud Bonacinam hic. Et ratio est, quia provocans censetur cedere juri suo

Dico secundo; Qui invaditur ab altero sine provocatione, si peccet mortaliter occidendo invasorem per hoc, quod notabiliter excedat moderamen inculpatæ tutelæ, tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia est causa injusta totius damni. Ita Less. dub. 21: Qui tamen probabile censet prædictum teneri multo minus restituere, quam si ex insidiis, & dolo illum occidisset; qui enim invadit, videtur ex parte amittere jus ad compensationem.

II. Dico tertio; Qui invasus ab altero, sive armis, sive contumeliis, si potest fugere, & malum declinare, non tamen fugit, sed cum debita

debita moderatione se defendit, & alterum occidit, non tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia quamvis aliquando non fugiendo peccet contra charitatem, si scilicet sine dispendio honoris fugere poterat; at non peccat contra justitiam; ergo non tenetur ad restitutionem. Ita Less. dub. 21. contra Navar., qui apud Dian. part. 5. tract. 4. resol. 49. docet, Religiosum, ac Clericum peccare contra justitiam, ac teneri ad restitutionem, si occidat invasorem, quando potest fugere, eo quod iis fuga non sit ignominiosa, sed gloriosa.

III. Dico quarto. Qui alium injuste aggressus vulneravit, aut occidit, tenetur restituere non solum damnum emergens, seu integras expensas factas in curatione vulneris, sed etiam lucrum cessans, seu totum illud, quod vulneratus consecuturus esset ex suo officio, negotiatione, arte, &c., si non fuisset vulneratus, aut occisus. Et ratio est, quia injusta illa actione fuit causa efficax talis damni, & cessationis lucri. Arbitrio tamen boni viri statuendum est, quanti valebat spes lucri cessantis, detractis expensis, juxta regulas, quas tradunt Lug., & Less. cap. 9. dub. 20. Probabile autem est nihil detrahendum esse propter æstimationem laboris, ut docet Less. cap. 9. dub. 19.: Sicut si impedias aliquem a labore unius diei, teneris restituere totum lucrum absque deductione laboris; quia opifex vult laborare, & lucrari, & sæpe lucrum non est majus, quam ipsa æstimatio laboris, ut in artificiis, quæ multum laboris, & parum industriæ requirunt. Nihilominus probabilius videtur, juxta doctrinam Rebelli apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 53., & part. 5. tract. 4. resol. 53. aliquid detrahi posse arbitrio prudentis, etiam pro æstimatione laboris, quantum scilicet artifex vulneratus libenter dedisset pro redemptione laboris, ut notat hic Bonac. sect. 2.: ubi cum Molin. etiam docet, quod quia difficile est ad unguem definire, quid restituendum sit, idcirco expeditissimum consilium est adhibere compositionem, & transactionem cum parte, cui facienda est restitutio, nullam vim, aut metum illi incutiendo, ne quasi coacte consentiat, eo quod non speret alia via debitam satisfactionem fore obtinendam.

Nota tamen, regulariter loquendo, pro expensis funeris nihil restituendum esse, quia illæ erant cæteroqui serius ocyus faciendæ, & solum ex occisoris injuria anticipantur.

Dico quinto, restituendum pariter esse omne emolumentum, quod per mortem occisi cesset aliis cum occiso conjunctis, (videlicet uxori, filiis, &c.) puta vitalitios redditus, legata, hæreditates. Etenim occisor est causa injusta talis damni, ergo tenetur illud compensare. Quamvis expediat, ut diximus, adhibere transactionem, & compositionem. Docent tamen communius apud Less. cap. 9. dub. 26. non esse faciendam restitutionem creditoribus occisi, aut pauperibus, vel aliis, quos occisus sustentabat. Ratio est, quia per accidens hoc damnum sequitur illis, & in praxi difficilis est sententia opposita.

IV. Dico sexto; præcise pro vita hominis; vel membro injuste ablato, aut pro cicatrice nihil restitui debet. Ita Sot., Sylvest., & alii communius apud Less. dub. 23., quamvis c. 11. dub. 16. n. 97. oppositam sententiam dicat esse probabilem. Ratio est, quia justitia respicit æqualitatem; atqui vita, & membrum sunt superioris ordinis ad reliqua bona, & supra omne pretium; ergo pro illa compensatio fieri non potest, & consequenter nec debetur restitutio. Minor probatur ex *leg. ult. ff. De his, qui effuderunt*, ubi dicitur, Cicatricum, aut deformitatis nulla fit æstimatio, quia liberum corpus nullam recipit æstimationem.

Neque dicas; pro vita servi, aut bovis occisi facienda est restitutio; ergo multo magis pro vita hominis, quæ est pretiosior.

Nam nego consequentiam. Disparitas est, quia vita servi, aut animalis pretio æstimatur, quod ad æqualitatem rependi potest; unde pro istorum vita tantum restituendum, quanti plurimi vendi poterant; & pro eorundem mutilatione, aut cicatrice restituendum, quanti pluris venderentur, si illæsa fuissent: Econtra cicatrix hominis liberi, & a fortiori membrum, & vita, pecunia compensari non potest. Et propter eandem rationem neque tenetur ad restitutionem, qui injuste lædit aliquem in bonis spiritualibus, puta inducendo illum ad peccatum mortale, avocando a religione, detrudendo ad inferos, quamvis majus damnum inferat, quam furando, aut infamando. Demum propter eandem rationem probabiliter docent Less., Filliuc., Lugo, Laym., & alii apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 30., & Tambur. lib. 9. c. 3. contra Molin., Valent., Sà, Cajet., Sot., & alios, eum, qui in honore, aut fama læsit proximum, si non possit famam, aut honorem restituere, non teneri ad satisfaciendum pecunia; quia fama est in ordine superiori, quam pecunia, nec potest per pecuniam compensari ad æqualitatem, juxta illud Scripturæ: *Melius est bonum nomen, quam divitiæ multæ*: Tenetur tamen infamator pecunia famam sublatam compensare, quando ad id per Judicis sententiam compellitur, ut notat Less. cap. 11. dub. 16.

Dico ultimo; Si occisor moriatur antequam restituerit, quæ restituere debebat pro injuria reali, & pro damnis externis ex homicidio consecutis, juxta dicta in conclus. 2., & 3. satisfacere debent hæredes de bonis hæreditatis. Ra-

tio est, quia bona defuncti transeunt ad hæredes cum tali onere. Quare Pater non tenetur quicquam restituere pro homicidio, quod fecit filius, nisi quando filius habet bona castrensia, vel quasi castrensia; non enim Pater debet culpam filii luere, si ejus bona non habet.

V. Quæritur secundo, An similis restitutio facienda sit ex homicidio casuali, aut ex indirecto?

Explico prius terminos; dicitur homicidium casuale, quod præter intentionem accidit, ut si quis venando occidat pro fera hominem, aut si volens percutere Petrum, Paulum occidat: Potest autem homicidium casuale esse graviter culpabile, & quidem etiam contra justitiam, quando scilicet ex officio, quo quis fungitur, vel ex contractu tenetur periculum proximum mortis præcavere, & ex graviter culpabili negligentia non præcavet. Homicidium vero indirectum, habetur, quando quis est causa moralis, ut homicidium a se factum alteri imputetur, & ille proinde occidatur: Verbi gratia, si Petrus indutus vestibus, & armis Pauli, vel in domo, aut agro, aut cum famulis Pauli, occidat Cajum,& Paulus tanquam occisor comprehendatur, & occidatur vel ab hostibus, vel a Republica, in tali casu Petrus dicitur esse homicida directus relate ad Cajum, & homicida indirectus relate ad Paulum, cum fuerit causa moralis, cur homicidium Caji illi imputaretur, & sic occideretur. Si tamen Petrus non sit causa moralis talis imputationis, non peccat contra justitiam relate ad Paulum, sed solum contra charitatem, si præviderit, quod Paulo tale homicidium imputandum esset.

Dubium tamen est apud Doctores; Num si Petrus occidat Cajum, & collocet ejus cadaver ante januam Pauli, ex quo Paulus a Judice capite damnetur, Num, inquam, Petrus sit causa moralis, an vero solum occasio, seu causa accidentalis istius condemnationis? Sanch. putat esse veram causam moralem, & sic teneri ad restitutionem: Negat Tambur. n. 5., quia ex tali collocatione cadaveris ante januam alterius non sequitur ut plurimum illi imputatio homicidii: potuit enim casu ibi mori, licet alibi vulneratus sit: quod si quis cadaver occisi inventum ante propriam januam collocet ante januam alterius, non solum prævidendo, sed etiam intendendo, ut illi occisio imputetur, existimo cum Lug. disp. 8. de Justitia sect. 6. n. 74. contra nonnullos ab eo relatos, quod ad restitutionem teneatur; quia id, quod de se non est causa moralis damni, nec connectitur cum damno alterius, ratione talis intentionis sæpe connectitur, & est causa illius: Sicut restituens gladium domino furioso prævidendo innocentis occisionem, peccat solum contra charitatem; at si eo animo restituat, ut innocentem occidat, peccat etiam contra justitiam, quatenus ratione talis intentionis est causa moralis homicidii: Sicut etiam si ponam venenum in loco remotissimo, prævidens, quod forte aliquis sit eo interficiendus, non pecco contra justitiam, si periculum sit remotissimum. At si eo animo illud ibi ponam, & de facto aliquis interficiatur, pecco contra justitiam, & teneor ad restitutionem, & sum irregularis. Nonne peccat contra castitatem, qui cœnat eo animo, ut sequatur pollutio? (immo peccat contra justitiam adversus conjugem, si hic sit conjugatus:) At nullatenus dicitur peccaminosa comestio, ex qua prævidetur per accidens secutura pollutio.

Neque dicas, non peccare contra justitiam Judicem, qui juste aliquem occidit, sed animo iniquo; Nec qui cum moderamine occidit invasorem, quamvis ex odio, & prava intentione nocendi; ergo neque in casu nostro. Negatur enim consequentia. Et disparitas est ex eodem Lug., quia in iis casibus licite, & juste mors illorum procuratur, & solum est malitia in pravo animo, unde solum peccatur contra charitatem; secus vero in casu nostro, in quo secundum se datur obligatio impediendi alterius mortem; unde si eo animo ponuntur, quæ de se possunt causare mortem, licet per accidens, si talis mors intendatur, peccatur contra justitiam, eo quod causa illa remota mortis conjuncta cum tali animo dicitur esse causa moralis talis homicidii; atque adeo in his tantum casibus, quando mors per accidens secutura non solum prævidetur, sed etiam intenditur, peccatur contra justitiam: Quicquid in contrarium sentiant apud Lug. laudat. Less. cap 9. n. 113., Turrian., Navar., & alii.

VI. Respondeo nunc ad quæsitum: Tam ex homicidio casuali, quam ex interdicto culpabili graviter contra justitiam, eandem restitutionem faciendam esse, ac ex homicidio voluntario. Ita communiter. Et ratio est, quia omnis culpa gravis contra justitiam fert onus restitutionis; ergo sive talis culpa habeatur in homicidio voluntario directo, sive involuntario indirecto, sive in casuali, idem prorsus onus restitutionis consurgit. Ex quo fit, ut si homicidium sine culpa gravi fiat, puta si ex leviter culpabili negligentia volens occidere feram occidat hominem, aut si homicidium fiat cum culpa gravi, sed non contra justitiam, puta si Clericus contra præceptum grave Superioris venetur, & venando casu hominem occidat, ad nullam restitutionem teneatur. Sicut etiam qui non est vera causa moralis, ut homicidium alteri imputetur, sed tantum vult, ut alteri imputetur, in quo casu tantum peccaret contra charitatem, ut diximus.

VII. Præ-

VII. Præterea si Titius graviter vulneravit Petrum, hic tamen ex negligentia medicorum periit, Titius non est reus homicidii, sed vulneris; unde solum damna vulneris tenetur compensare; ut notat Bonac. punct. 2., Less. dub. 15. contra Navar., Avil., Henr.: Esset tamen reus homicidii, si eo loco illum vulneraret, ubi non adsunt Medici, qui possint illum curare, & non steterit per vulneratum, quin curaretur. Supra autem docuimus cum Lug. disp. 8. sect. 7. num. 86., & alibi contra Bonac. hic, & alios, quod quamvis comburens domum Caji, quam putat esse Titii teneatur ad restitutionem, eo quod erret non circa substantiam actionis, sed solum circa dominium; nihilominus occidens Cajum, quem putabat esse Titium, juxta nonnullos nec irregularitatem, nec onus restitutionis incurrit, si omnem diligentiam adhibuit, ne alius occideretur; quia scilicet talis actionis substantia, nempe occisio Caji, fuit omnino involuntaria, non secus ac si volens occidere feram, & adhibens omnem diligentiam, ne homo occidatur, hominem tamen occidat; esto peccarit animo interno contra justitiam adversus Titium, quem occidere volebat. Huic tamen sententiæ non censui astipulandum, cum vere deliquerit in eo occidendo; Et in foro externo hic tanquam homicida cogitur ad restitutionem, ex leg. *Eum qui innocentem* §. *Si injuria*, *de injuriis*, quia vel præsumitur malus animus erga Cajum, vel punitur malus animus contra Titium.

Infertur ex dictis, quid dicendum de eo, qui in ebrietate alium occidit, an scilicet ad restitutionem teneatur? Certe non tenetur, quando aut non peccavit inebriando se, aut peccavit solum contra temperantiam; Tenetur vero ad restitutionem, quando peccavit contra justitiam, seu quando prævidens, quod facile poterat in ebrietate alium occidere, voluit se inebriare non adhibendo cautionem ad homicidium præcavendum; in tali enim casu homicidium dicitur volitum in causa, & imputatur ad culpam cum obligatione restituendi.

VIII. Quæritur tertio, Quibusnam facienda est restitutio pro homicidio?

Respondeo cum Less. dub. 11., Bonac. hic, & aliis pro homicidio duplicem faciendam esse restitutionem, alteram propter damnum illatum occiso in curatione vulnerum, & ob lucrum, quod illi ante mortem cessavit; Alteram vero propter damnum, quod aliis consurgit ex homicidio. Prima restitutio facienda est hæredi, & si nullus sit hæres, pauperibus, ut prosit animæ occisi: Ita communiter apud Tambur. §. 3. num. 9.. Secunda restitutio facienda est solum hæredibus necessariis occisi, non vero aliis; quia scilicet illi solum tam stricto vinculo cum occiso sunt conjuncti, ut reputentur una persona cum illo. Dicuntur autem hæredes necessarii, qui non possunt privari in totum hæreditate, ut sunt filii, uxor, Pater, & Mater, ut docent Doctores cum de Testamentis: Illi vero, qui succedunt in hæreditatem ab intestato, sed privari tamen possunt hæreditate, ut sunt fratres, sorores, & alii, dicuntur hæredes non necessarii, & istis nihil restituendum; quia cum non censeantur una persona cum occiso, non dicitur occisus esse læsus in re sua per hoc quod damnum aliquod fratribus obveniat ex homicidio. Ita etiam communiter contra Sanch., & Dian. Nec restitutio facienda est, ut supra diximus, creditoribus occisi, nec pauperibus, qui ab illo alebantur; nisi tamen occidens haberet animum iis nocendi, ut docent Clavis Regia, & Salon. contra Bonac. hic punct. ult.

IX. Quæritur quarto, In quo casu licitum est seipsum, vel alios occidere, vel mutilare?

Respondeo, neminem posse seipsum, aut alios directe occidere, vel mutilare, cum homo non sit dominus vitæ, aut membrorum. Sapientiæ enim 16. habetur: *Ipse solus vitæ, & necis potestatem habet*. Potest tamen aliquis ex precepto divino seipsum occidere, (ut de Sampsone probat D. Th. 2. 2. quæst. 64. art. 4.) aut publica auctoritate ad mortem suam cooperari iis actibus, qui non habent crudelem modum pœnæ, ut est sumptio veneni; cum talis cooperatio, si sit coacta, non sit contra jus naturæ, ut docent Sà, & Bonac. hic contra Less., Salas, Vasq.: Potest etiam ex rationabili causa permittere mortem suam, puta non occidendo invasorem, quando non potest aliter vitam defendere, modo ipse invasus non sit Reipublicæ utilior: Potest pariter pro amico, pro patria, pro fide vitam exponere periculo; Verbi gratia in naufragio potest quis dare tabulam Patri, vel amico, quamvis ipse non habeat aliam spem evadendi: Potest etiam detentus in carcere non fugere quamvis sciat se esse morte plectendum, si non fugiat: Damnatus ad pereundum fame potest cibum oblatum respuere; Potestque malefactor offerre se Judici plectendum; Nec tenetur aliquis exquisitissimis cibis, aut medicamentis vitam conservare, aut immenso pretio redimere vitam, etiamsi cæteroqui occidendus sit: Nec tenetur relinquere patriam, ut ad aerem salubriorem se transferat. Demum ex Less. cap. 9. dub. 6. num. 32. licitum est militibus, & sociis navalibus de communi consensu ignem pulveri injicere, & se mari committere, ne ipsi, & navis veniant in Infidelium hostium potestatem; ne scilicet hostis cum publico damno navi potiatur, & ut seipsos, quoad ejus fieri potest, a morte certissime ab hoste inferenda eripiant; Necnon possunt milites

inji-

injicere ignem in pulverem ad evertendam turrim hostilem, etsi certissime momento dissipandi sint; in hoc enim casu non se ipsi interimunt, sed permittunt ob rationabilem causam mortem suam; non secus ac qui se objicit telo, ut corpus Principis salvet. Qua de causa Ambrosius laudat factum Eleazari, & multi dicunt Sampsonem sine Spiritus sancti jussione potuisse permittere mortem suam; Sicut potest quis mortem suam permittere serviendo peste infectis, quando impossibile moraliter est mortē evadere.

Circa mutilationem vero dico, nulli licere membrum sibi amputare, cum vita constet ex integritate membrorum; Tunc solum licitum est, quando membri amputatio necessaria est ad salutem totius corporis: Immo in tali casu datur obligatio amputandi, si dolores sint exigui, quia quilibet tenetur vitæ suæ opitulari remediis ordinariis non valde difficilibus: Non licet tamen membrum amputare ad sedandas tentationes carnis, aut ad peccatum fugiendum; quia non est hoc medium necessarium ad talem finem. Si tamen alia via non suppeteret ad fugandam meretricem sollicitantem ad libidinem, quam particulam linguæ mutilare, & in faciem expuere, licitum est, ut de quodam adolescente testatur D. Hieronymus de Vita Pauli.

Dices: Matth. 4. habetur, *Si oculus scandalizat te, erue eum*; ergo licitum est amputare membra ad peccatum fugiendum. Respondeo cum Sot. locum hunc non esse intelligendum de corporali abscissione, sed de spirituali, videlicet de remotione occasionum. Et quod dicitur Matth. 16. *Sunt qui se castraverunt propter Regnum Cœlorum*, non est intelligendum de reali sectione, sed de illis, qui se addixerunt castitati per votum, ut notant Augus., & Chrysost. apud Bonac. hic.

Dubium est; An licitum sit Patri filium castrare ad vocem conservandam?

Respondeo communius id negare cum Laym., Tanner., Bonac., Lezan., Dian. part. 6. tract. 8. num. 36., quia nemo est dominus membrorum suorum, & solum ad conservationem vitæ rescindi possunt. Pasqualig. tamen decis. 498., & Salon. 2. 2. tom. 2. quæst. 65. id permittunt, si absit periculum vitæ, quia videtur esse sufficiens causa talis decisionis, ut possit Eunuchus voce, & cantu Ecclesiæ deservire, & ut possit cum honore apud Principes, & cum amplo proventu vitam sustentare; plus enim commodi inde percipit, quam si sit habilis ad generandum.

X. Quæritur quinto, An liceat aliquando occidere innocentem?

Respondeo, nunquam licitum esse directe illum occidere; quia solus Deus, ut diximus, est vitæ dominus. Potest tamen aliquando aliquis cooperari indirecte ad mortem innocentis, verbi gratia si Tyrannus minetur urbi excidium, nisi occidatur innocens, certe non potest Respublica illum occidere, potest tamen illi præcipere, ut Tyrannum adeat, & nisi obediat, illum in pœnam interficere; Ad eum modum, quo potest præcipere militi, ut in statione sua persistat, etiamsi sit interficiendus. Eodem modo si Princeps sit in extrema necessitate constitutus, nec suppetat nisi unus panis hominis privati, potest hic cogi ad cedendum panem Principi, etiamsi sit fame moriturus. Possunt etiam in bello justo subverti mœnia, etiamsi multi innocentes occidendi sint, quando hoc est necessarium ad victoriam; Et qui fugit inimicum, potest fugere per angustum iter, ubi conculcet infantem baptizatum, si aliter non potest evadere, ut docet Less. cap. 9. dub. 9. contra Petrum Navar.; non tamen si non sit baptizatus, quia præferenda est vita spiritualis alterius vitæ propriæ temporali: Eodem modo si invasus non possit se defendere, nisi occidendo tam invasorem, quam innocentem, quo invasor se protegit tanquam clypeo, ut notat idem Less.

Dices: Si tyrannus minetur urbi excidium, nisi detur sibi virgo ad illam violandam, non potest virgini præcipi, ut tyrannum adeat; ergo neque id præcipi potest innocenti. Respondeo nego consequentiam. Disparitas est, quia virgo non tenetur cum periculo animæ suæ adire tirannum; econtra innocens tenetur cum periculo vitæ illum in tali casu adire: Quamvis autem Respublica non possit virginem illam cogere, ut tyrannum adeat, potest tamen illam ex urbe excludere, quia non tenetur cum tanto suo incommodo illam defendere.

Rogabis, An liceat pueros Saracenorum, qui in bello justo capiuntur, aut alios innocentes occidere, ne postquam adoleverint, fiant hostes Christianorum?

Respondeo negative cum Bonac. hic, Victor., Aragon., & aliis; potest enim tali periculo occurri damnando illos triremibus; nemo enim occidi potest pro injuria futura, sed solum pro delicto præterito. Hinc nec licet occidere obsides innocentes, licet qui eos miserunt, non stent promissis.

Rogabis secundo, An possit dari pharmacum prægnanti, quando periculum est, ne moriatur fœtus?

Respondeo cum communi apud Sanch. de Matrim. lib. 9. disp. 20. Less., Bonac. hic, nunquam licere dare pharmacum ordinatum ad abortum; pharmacum tamen ordinatum ad servandam vitam matris, licet mors fœtus nondum animati per accidens secutura sit, dari potest; Eo modo, quo potest dari ægroto medicamentum, quamvis per accidens secutura sit pollutio, aut ebrietas; Unusquisque enim habet jus servan-

vandi vitam per remedia ordinaria, quamvis per accidens sequatur mors alterius; Si tamen fœtus est animatus, aut dubitatur, an sit animatus anima rationali, non potest tale pharmacum adhiberi, quia vitæ matris prœvalet bonum spirituale fœtus existentis in extrema necessitate: Quando vero non est spes, quod fœtus edatur vivus, tunc potest adhiberi pharmacum illud, quod sit æque sanativum matris, ac occisivum fœtus, eo quod cesset ratio adducta boni spiritualis. Animatur autem anima rationali masculus die quadragesimo, fœmina octogesimo, ex Aristot. lib. 5. de Anim. cap. 3. & 5.; Et ex Hippocrate masculus aliquando trigesimo die, aliquando autem usque ad quadragesimum quintum, fœmina aliquando trigesimo quinto, aliquando pariter usque ad quadragesimum quintum.

XI. Quæritur sexto, An liceat, & teneamur occidere alios in defensionem nostram, vel proximi?

Respondeo, & dico primo, regulariter loquendo, nunquam nos teneri ad occidendum invasorem. Si enim possumus ex charitate exponere laudabiliter vitam nostram pro aliena, consequenter non tenemur alios occidere ad vitam nostram defendendam; Teneremur solum in aliquo raro casu, videlicet quando invasus est valde utilis Reipublicæ, vel quando est valde necessarius suæ familiæ, vel quando putat esse in peccato mortali, & timet damnationem æternam, &c.

Dico secundo, licite possumus occidere injustum aggressorem in defensionem vitæ, & membrorum nostrorum. Ratio est, quia vim vi repellere permittitur in omnibus legibus, ut ait Alex. III. in cap. *Si vero De sententia excommun.* Debet tamen id fieri, primo cum moderamine inculpatæ tutelæ, itaut non inferatur invadenti majus damnum, quam sit necesse ad declinandam invasionem, alioquin non esset defensio, sed ultio; secundo, ut invasus probabiliter credat se graviter lædendum, si vim non repellat; non enim possumus inferre grave malum alteri ad declinandum leve malum nostrum. Tertio, ut occisio non fiat neque ante, neque post aggressionem injustam, sed in ipso actu aggressionis; quia jus naturæ solum concedit vim vi repellere, dum actu vis infertur.

Hinc sequitur primo, ut notat Molin., non esse licitum occidere eum, de quo vehementem suspicionem habemus, quod nobis paret mortem, nisi forte admonitus aut nolit desistere ab iis actionibus, quæ talem suspicionem ingerunt, aut non reddat sufficientem cautionem, qua timor repellatur.

Secundo, neque est licitum prævenire aggressorem propriæ vitæ, antequam inceperit moraliter ipsum actum aggressionis; Unde adultera, quæ mortem sibi a marito timet, non potest illum occidere, si maritus nondum se paravit ad illam occidendam, verbi gratia, aut parando venenum, aut collocando pugionem sub cervicali ad ejus necem, aut mandando illius occisionem sicario, vel maleficæ, &c.; in hoc enim casu potest illum occidere, antequam injuste occidatur, si non sit alia spes evadendi.

Tertio, non possum occidere illum, qui postquam me percussit, fugit desistendo jam a percussione; hæc enim esset ultio, non defensio; & ideo damnata est ab Innoc. XI. propos. 30. dicens: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: Idem quoque dicendum si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.*

Quarto, tunc possunt occidi satellites, quando injuste invadunt innocentem, & ipsis constat eum esse innocentem; si enim bona fide suum munus obeant, non possunt occidi; nam bonum publicum postulat, ut ministris bona fide publicum officium obeuntibus injuria, aut damnum non inferatur.

Neque dicas, prohiberi in scripturis occisionem in propriam defensionem. Etenim Christus Dominus Matth. 26. Petro volenti se, & ipsum Dominum defendere dixit; *Omnis, qui acceperit gladium, gladio peribit;* Et ad Roman. 12. dicitur: *Non vos defendentes charissimi, sed date locum iræ.* Nam hæc loca intelligenda sunt de vindicta, aut de defensione non necessaria, aut de aggressione, ut ait S. August. apud Lessium; Vel important consilium, non præceptum.

Neque dicas secundo; plus tenemur diligere æternam salutem proximi, quam nostram vitam; ergo invadens non potest occidi in defensionem propriæ vitæ, dum est in discrimine mortis æternæ.

Nam antecedens tunc est verum, quando proximus est in extremo discrimine, nec potest se ab illo, nisi mea ope liberare, puta si infans esset moriturus sine baptismo; Non est autem verum, quando proximus libere ponit se in discrimine salutis, & potest se libere ab eo eximere, & ex malitia sua vult in eo versari.

Dico tertio; Omnibus, etiam Clericis, licitum pariter est occidere cum moderamine dicto invasorem suarum facultatum, dummodo sint magni valoris. Ratio est, quia licitum est vim vi repellere non solum a propria vita, sed etiam ab iis, sine quibus commode, aut convenienter sustentari vita non potest, ut habetur in cap. *Dilecto, De sententia Excommunic.* Damnata autem est ab Innoc. XI. propos. 31. dicens: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.* Molin. tamen, Reginald., &

Bonac. hic docent, quod si rem parvam quis furetur, faciendo vim domino, vel custodi, possit occidi, quia invasor non solum aufert rem, sed magnam infert contumeliam, quæ potest per vim repelli. Damnata etiam est ab Alex. VII. propos. 8. dicens: *Licet interficere accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare:* Et ab Innoc. XI. damnatur propos. 32. dicens: *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus*: Nec non 33. dicens: *Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; Sicuti jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessorem injuste impedientem.*

Ex dictis sequitur primo, posse occidi furem, dum fugit, quia tunc censetur aggressio adhuc durare; Si tamen fur se in tutum recepit, & rem incepit quiete possidere, non possum illum occidere, quia non dicitur vim inferre, sed intulisse; unde non esset defensio, sed ultio. Notant tamen Less., Regin., Vasq., Bonac. hic, probabile esse, quod possit dominus ingredi domum furis, & rem suam in individuo extantem per vim contra furem resistentem recuperare, quando dominus non potest illam ob Reipublicæ perturbationem aliter recuperare. Ratio est, quia hæc non videtur aggressio, sed defensio rei propriæ; nam quamdiu fur retinet rem meam in individuo, videtur res meas invadere. In praxi tamen id est periculosum, & scandalis obvium.

Sequitur secundo, non solum non esse contra justitiam, sed aliquando neque contra charitatem occidere furem invadentem res meas, quas non possum deinde recuperare, nisi magnis molestiis; quia ordo charitatis non obligat ad negligendas res proprias valde conducentes ad corporis, & animi quietem propter proximum non existentem in necessitate.

Dico quarto. A fortiori licitum est occidere invasorem inferentem injuste ignominiam, quę aliter vitari nequit. Nam *melius est bonum nomen, quam divitiæ multæ*, Proverb. 22. Quare potest occidi, qui alapam impingit, aut magnam infert ignominiam; Nec tenemur fugere, quando fuga est ignominiosa, ut notat Molin., & Less. apud Bonac. hic: immo qui alapam accepit, potest speculative loquendo repercutere, & insequi fugientem, quantum satis est ad recuperationem honoris, quando aliter recuperari nequit; hoc enim non est ulcisci, sed honorem defendere; quia dum adversarius fugit, & percussus insequitur, durat congressus, & invasio, ut docent uterque Navar., & Rodriq., Bonac. hic contra Less.; Molin., Azor., contra quos idem Petrus Navar., & Rodriq. docent posse etiam occidi, qui aliquem afficit contumeliis atrocibus sive per verba, sive per signa, quando honor aliter defendi nequit. Communiter tamen docent, doctrinam hanc esse nimis liberam, præsertim quia contumeliæ istæ possunt aliter repelli: Immo si inferantur Clericis, Religiosis, aut personis infimæ notę, quæ non subeunt ignominiam fugiendo, aut patienter sustinendo, certum est, quod peccent contra justitiam, si occidant: unde ab Alex. VII. damnata est propos. 17. dicens: *Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit.* Nec laicis ad impediendam infamiam licitum est acceptare duellum, quia hoc non est medium ad id ordinatum, cum potius Trident. sess. 14. cap. 14. decreverit perpetuam infamiam certantibus in duello. Unde damnata est ab Alex. VII. propos. 2. dicens: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

Dico quinto, pro defensione pudicitiæ licitum est occidere invasorem, si vociferando, aut aliter defendi non potest. Ratio est, quia præstantius bonum est castitas, quam facultates. Molin. tamen notat posse condonari vitam invasori patiendo violationem sui, si non extat periculum consensus: nam teste D. Luca, non coinquinatur corpus nisi de consensu mentis.

Dico sexto: Etiam pro defensione vitæ, pudicitiæ, aut bonorum proximi, possumus invasorem occidere, si ea aliter defendi non possint. Ratio est, quia possumus suscipere partes innocentis; innocens autem hoc loco dicitur, tam qui gratis invaditur, quam qui licet dederit causam invasioni, aut invaserit a principio, tamen deinde vult desistere.

Rogabis primo, tenemurne sic proximum defendere?

Respondeo cum communi Doctorum contra Less., nos teneri, quando possumus sine nostro notabili incommodo; quia tenemur ex charitate diligere proximum, & suscipere causam innocentis indigentis nostro auxilio; Verum sicut non tenemur secundum se occidere invasorem ad defendenda bona propria, ita nec tenemur illum occidere ad defendenda bona proximi.

Rogabis secundo; An teneamur defendere proximum, qui non vult defendi?

Respondeo, quod cum invasus non sit dominus suæ vitæ, non potest illam alteri donare, unde tenemur illius vitam, etiam cum morte invasoris, si opus est, defendere, quando possumus sine notabili incommodo: Contra vero, bona proximi non tenemur, nec possumus defendere, si ipse nolit, cum possit ea donare invasori. Demum possumus, & non tenemur defen-

dere alicujus conjuncti pudicitiam, etiamsi ille nolit defendi; quia ipsius injuria redundat in nos; unde possumus illius infamiam a nobis evertere.

ARTICULUS II.

De Restitutione propter detractionem.

I *In quo differat detractio a contumelia, susurratione, & derisione?*

II. *Detrahit directe* Imponens, Augens, Manifestans, in mala vertens; *Indirecte vero* Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remisse.

III. *Quænam in detractione dicatur materia gravis?*

IV. *Num liceat uni, vel alteri viro prudenti verum crimen alterius manifestare citra mortale? Quod si ab eo deinde aliis manifestetur tale crimen, quid faciendum a primo detractore?*

V. *Num sit mortale citra asseverantiam referre alterius crimina audita?*

VI. *Ad vitandum grave damnum innocentis occulta crimina delinquentis detegi possunt.*

VII. *Num citra mortale possit delictum Petri publicum in uno loco, aut tempore publicari ubi, & quando ignoratur.*

VIII. *Infamatus in uno genere num possit citra mortale in alio genere infamari?*

IX. *Regulariter non est mortale seipsum infamare. Nec est de se mortale imponere sibi falsum crimen citra perjurium ad vitanda gravia tormenta. Verum autem alterius crimen occultum detegere possumus ad vitandum grave damnum. Numquam tamen citra mortale potest grave crimen alteri imponere ad se defendendum.*

X. *Ad quid tenetur qui audit detrahentem?*

XI. *Quonam pacto fama restituenda sit; præsertim si famosis libellis sit sublata?*

XII. *Octo de causis potest quis a restitutione famæ excusari, nempe si detur impotentia physica, si moralis, si compensatio, si condonatio, si crimen sit oblitum, si infamia sublata, si crimen factum est publicum, si detractio fuit inefficax.*

XIII. *Impotens famam restituere non tenetur illam pecunia compensare; quamvis probabiliter possit infamatus clam accipere aliquid ab illo in compensationem.*

I. DEtractio est *Injusta, & occulta læsio famæ*, ad distinctionem contumeliæ, & inhonorationis, quæ non fit occulte, sed coram objicitur alteri aliquod crimen, unde Detractio tollit famam, seu bonam opinionem apud alios: Contumelia vero tollit honorem, seu reverentiam qua quis testatur, & manifestat verbis, vel signis bonam opinionem, quam habet de alterius virtute, & excellentia. Differt etiam Detractio a Susurratione, & Derisione; nam per Susurrationem non solum læditur fama, sed etiam seminantur discordiæ, seu narratur alterius crimen animo dissolvendi aliquorum amicitiam: per Derisionem vero intenditur, ut proximus, cui detrahitur, pudore suffundatur, vel animo perturbetur. Porro detractio alia est formalis, qua quis intendit tollere famam proximi; Alia vero materialis, quæ fit absque intentione auferendi famam: Et utraque est peccatum mortale, nisi excuset materiæ parvitas, vel indeliberatio; utraque enim per hoc, quod sit injusta læsio famæ, infert notabile damnum proximo. Demum octo modis fieri potest detractio, qui duobus illis versibus comprehenduntur.

Imponens, Augens, Manifestans, in mala vertens,
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remisse.

II. Primis quatuor modis tollitur fama directe, videlicet imponendo alteri falsum crimen, amplificando verum crimen, manifestando crimen occultum, & interpretando in sinistram partem factum honestum. Aliis modis tollitur fama indirecte, videlicet negando, aut minuendo recte facta, laudes, & bona alterius, vel reticendo, quando reticentia accipitur pro tacita vituperatione; aut demum laudando frigide, unde id potius cedat in vituperium laudati.

III. Quæritur nunc primo, Quænam sit materia gravis in Detractione?

Respondeo esse id, per quod graviter læditur fama proximi; unde quia narrando de milite, quod commiserit duellum, habeat concubinam, &c. de adoloscente, quod sit deditus amoribus, ut plurimum non læditur notabiliter istorum fama; Contra tamen quia aliquando dicendo de viro probo, quod sit solitus mentiri graviter læditur ejus fama: idcirco aliquando non habetur peccatum mortale detractionis narrando peccata mortalia alterius, aliquando vero habetur peccatum mortale etiam narrando venialia; Immo etiam defectus naturales animæ, vel corporis; ut si quis vel objiciat alicui, quod sit imprudens, parvi judicii, nothus, vel natus ex Hebræis, &c., vel aliis id dicat, quando res est occulta, & manifeste fert periculum notabilis contristationis proximo.

IV. Dubium est apud Doctores; An sit mortale manifestare uni vel alteri viro prudenti crimen alterius? Affirmant communius, quia aliquando magis displicet, quod crimen manifestetur uni prudenti, præsertim superiori, quam multis externis. Negant tamen Cajet., Petrus

Navar.; & Azor. apud Bonac., quia hæc videtur secundum se parva detractio, & leve detrimentum in fama.

Neque obstat, quod judicium temerarium de se sit mortale, quamvis apud solum temere judicantem lædatur bona existimatio proximi. Nam per judicium temerarium ex levibus indiciis imponitur alteri falsum crimen, & ideo est gravis injuria: Econtra per hanc detractionem manifestatur viro taciturno crimen verum. Unde fit, quod qui refert alteri injuriam sibi factam, probabiliter non peccet mortaliter, si solum manifestet iis, a quibus vel consilium capiat, vel solamen; Durum enim videtur, quod injurias non possimus cum amico prudenti conferre ad dolorem mitigandum, & leniendum. Et ideo communius docent licitum esse manifestare complicem in confessione, quando opus est vel ad integritatem confessionis, vel ad consilium a Confessario capiendum.

Dubitatur secundo, Num qui revelavit crimen alterius Cajo, teneatur non solum restituere famam apud Cajum, sed etiam apud illos, quibus Cajus tale crimen manifestavit?

Respondeo cum communi non teneri, si Cajus habebatur taciturnus, & prudens, quia damnum secutum censetur omnino casuale respectu primi revelantis; Contra vero si revelans sciebat, vel dubitabat, quod Cajus esset aliis illud revelaturus tenetur etiam apud illos famam restituere, quia sua detractione censetur causa efficax infamiæ apud illos.

V. Quæritur secundo, An sit mortale referre citra asseverationem crimina alterius audita?

Respondeo cum Less. & aliis communiter, tunc solum non esse mortale, quando referens non est tantæ auctoritatis, ut facile credantur ea esse vera, nec audita auget, aut confirmat, nec refert audisse a persona fide digna, nec refert coram iis, qui eadem sint aliis manifestaturi, & exaggeraturi, nec narrat crimina valde enormia, ut hæresim, sodomiam, &c. Nam suspicio, quæ ingeritur de crimine atroci, potest esse peccatum grave. Quando autem omnes istæ conditiones concurrunt, non est peccatum mortale detractionis, & contra justitiam, narrare aliena crimina audita sine asseveratione: Quod si narrentur coram iis, qui ex sua levitate sunt ea credituri, non peccatur contra justitiam, quia talis narratio non est de se læsiva famę proximi, sed peccatur contra charitatem, eo quod quilibet ex charitate tenetur cavere sine suo incommodo, quantum potest, notabile damnum proximi.

VI. Quæritur tertio, Utrum liceat manifestare alterius crimina ad vitandum damnum notabile proximi?

Respondeo cum communi licere; sicut enim licitum est ea manifestare ob bonum ipsius detractoris, ita a fortiori in bonum tertii innocentis. Immo tenemur ista manifestare, quando damnum, quod impeditur, est magni momenti, nec potest aliter vitari, & damnum, quod sequitur ex revelatione, non præponderat damno, quod impeditur. Ratio est, quia tenemur consulere bono publico, & bono innocentis, & delinquens non habet jus retinendi famam cum damno gravi alterius. Ex quo sequitur, Advocatum, aut Medicum imperitum, & Pharmacopolam infidelem in pharmacis dandis esse revelandum iis, quibus damnum impendet: Sicut qui novit aliquem esse furem, debet admonere eos, cum quibus habitat, ut sibi caveant: Et capientibus informationem de aliquo, ut ad dignitatem aliquam provehatur, vel ut ineat matrimonium, manifestandi sunt ejus defectus, quando nec per correctionem fraternam, nec aliter damnum impediri potest.

VII. Quæritur quarto, Sitne mortale contra justitiam crimen in uno loco, vel tempore publicum manifestare, ubi, vel quando est occultum?

Respondeo cum communi apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 128., & part. 3. tract. 5. resol. 17. negative; tum quia per criminis publicitatem (quæ per notorietatem juris, aut per notorietatem facti, aut per famam publicam habetur,) delinquens amisit jus ad famam; tum etiam quia consuetudine receptum est, ut delicta publica historiis commendentur. Peccari tamen graviter potest contra charitatem, quando scilicet ex manifestatione delicti delinquens graviter contristaretur; nam qui est causa gravis mœroris proximi, peccat graviter contra charitatem, ut docent communiter apud Bonac. hic punct. 6. Præterea peccatur contra justitiam, si reveletur crimen præteritum alicujus, ostendendo quod etiam nunc iste sit improbus, quando vere resipuit. Unde historiographi narrantes peccata publica mortuorum tenentur narrare etiam emendationem, si vere resipuerunt.

Fagund. tamen 2. præcept. lib. 5. cap. 3. num. 14. hæc habet: Vera sententia docet, non esse peccatum mortale, neque contra charitatem, neque contra justitiam detegere notorium crimen facti, vel juris (hoc est, vel per rumores, & famam publicam, vel per sententiam judicis,) in alio loco, & regione, ubi ignorabatur, & personis, quæ nihil de illo sciebant; sive fama illuc brevi, sive post longnm tempus, sive nunquam perventura sit: Esse tamen veniale contra charitatem refricare vulnera alterius nemo dubitat; Immo probabilius esse, quod sit mortale, docet Nugnez apud eundem Dian., si id fiat ex levitate, & non ex bona fide.

VIII. Quæritur quinto, An infamatus in

uno

uno genere possit citra mortale in alio genere infamari?

Respondeo, si delicta habeant connexionem, non peccari mortaliter, puta si de concubinario dicas, quod miserit literas amatorias, de fure, quod rapuerit aurum: hoc tamen intelligitur, modo non manifestetur crimen atrox, puta, quod expilarit ærarium Regium, quia graviter fama læderetur. Si tamen delicta non habeant connexionem, Sylvest. putat, quod non peccat mortaliter, qui infamatum in delicto graviori unius generis infamet in leviori, aut etiam simili alterius generis; puta si de publico homicida dicas, quod fornicatus sit: Communius tamen docent esse mortale, quia fama, seu bona opinio non consistit in indivisibili, sed constat ex multis partibus, quarum una potest amitti sine alia; Sicut potest aliquis amittere vestem non amisso equo.

IX. Quæritur sexto, An sit mortale se ipsum infamare?

Respondeo regulariter non esse mortale, sicut non est mortale secundum se disperdere, aut donare suas facultates; etenim quilibet ita dominus est suæ famæ, sicut est facultatum; nam sicut acquiruntur divitiæ propria industria, ita & fama; ut communiter docent conta Cajet., & Valent.; qui putant, infamantem seipsum peccare mortaliter, quia sicut nemo est dominus suæ vitæ, sic nec suæ famæ. Dixi, regularirer non peccari mortaliter, nam quando infamia redundat in complicem, in familiam, in Religionem, &c., vel quando est causa scandali, aut periculum, quod injuste delinquens occidatur, procul dubio est mortale. Ex dictis infertur, ex rationabili causa licitum esse manifestare propria peccata, ut fecit D. Augustinus in suis confessionibus, D. Anselmus, qui suam virginitatem amissam scripsit, D. Ambrosius, qui, ut Episcopatum fugeret, fœminas in cubiculum ad se vocatas venire finxit, & alii; Sic etiam licitum est prodigere suas facultates ex causa rationabili.

Rogabis: An sit mortale imponere sibi falsum crimen sine perjurio ad vitanda tormenta gravia?

Respondeo negative, quia nemo sub gravi tenetur cum tanto cruciatu vitam custodire. Ita Sa, Tolet., Less., Navar., Molin., Regin., Communiter etiam docent, quod possit quilibet crimen suum occultum manifestare, non solum Judici interroganti juridice, quod est certum, sed etiam injuste interroganti, ad vitanda etiam levia tormenta, quamvis inde mors secutura sit; Etenim cum vere crimen commissum sit, quod meretur mortem, potest illam sibi juridice procurare propter finem honestum.

Rogabis secundo, An peccet mortaliter filius, qui imponit sibi falsum crimen, puta homicidium, ut liberet a morte, vel a tormentis amicum, vel patrem, cui imputatur?

Respondeo, peccare mortaliter, quando Judex juridice procedit; quia per mendacium impedit executionem dignæ mortis, & deludit publicam potestatem; Quando vero Judex non procedit juridice, non videtur peccare mortaliter, dummodo non pejeret: Etenim sæpe licitum est pro amico vel parente vitam exponere.

Rogabis tertio, An ad vitanda gravia tormenta possis ulterius peccatum occultum aperire, præsertim si mors illi immineat?

Respondeo cum Less. c. 11. dub. 7. affirmative. Etenim nemo tenetur cum tanto incommodo famam alterius servare; sicut nec alterius pecunias penes se occultatas. Hinc etiam Doctores docent cum Bonac. hic punct. ult. ad infringendam auctoritatem infamantis licitum esse ejus occulta crimina pandere; quia nemo tenetur famam alterius servare cum jactura propriæ famæ. Peccat tamen mortaliter, qui falsum crimen alteri imponit, ut suam justitiam, & honorem defendat: unde merito damnata est ab Innoc. XI. tam propos. 43. quæ habet: *Quidni veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?* quam 44. quæ habet: *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat.*

X. Quæritur septimo, An mortaliter peccet, qui audit detrahentem?

Respondeo, audientem posse audiendo movere detractorem ad detrahendum, & posse tantum in eo delectari, & posse etiam duntaxat non corrigere. Certum est primo, quod si audiens detractionem aliquo modo moveat ad illam, peccet gravius, quam peccet ipse detractor; peccat enim tum contra justitiam, quia est causa injusta talis damni, quod a detrahente infertur, unde ipse etiam ad restitutionem famæ tenetur; tum etiam peccat peccato scandali contra charitatem inducendo detrahentem ad detractionem. Qui tamen sua interrogatione est causa, cur manifestentur aliorum defectus, invincibiliter ignorans futuram detractionem gravem, excusatur a culpa, & consequenter a restitutione propter invincibilem ignorantiam. Certum est secundo, quod si audiens nullo modo incitet ad detractionem, sed solum delectetur, non quidem de auditione rei novæ, sed de malo proximi, quod resultat ex detractione, peccet mortaliter contra charitatem, non tamen contra justitiam, si ipse nec sit causa damni, nec teneatur ex officio impedire detractionem; secus vero peccabit contra justitiam, & ad restitutionem obligabitur. Certum est tertio, quod audiens detractionem, si non corrigat detra-

detrahentem, per se loquendo peccet mortaliter contra charitatem; facit enim contra præceptum correctionis fraternæ in re gravi. Excusatur tamen, si res sit publica, aut si non speret correctionem profuturam, aut si timeat sibi grave damnum corrigendo, puta verbera, injurias; aut si habeat rationabilem verecundiam, ut si sit audiens famulus, aut nullius auctoritatis; In his enim casibus debet audiens vel discedere, si commode potest, vel sermonem divertere, vel vultum non hilarem, sed tristem præseferre: habetur enim Proverb. 25. *Ventus aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentis.* In dubio autem, an res sit publica, & an detrahens peccet graviter detrahendo, non tenetur audiens illum corrigere, quia præsumere non debet, quod peccet graviter, nisi sufficientes conjecturas habeat in contrarium. Verum qui ex officio tenetur custodire famam subditorum, & detractiones impedire, si non impediat, peccat etiam contra justitiam, & tenetur ad restitutionem, ut communiter docent. Putat tamen Rebell. apud Bonac. hic, quod Prelatus non peccet contra justitiam commutativam, nec teneatur ad restitutionem, si non obstet subditis detrahentibus, quia ex officio tenetur tantum curare salutem subditorum, non vero conservare famam alienam.

Ubi adverte, quod qui peccat contra justitiam mortaliter peccato detractionis, sive detrahendo, sive incitando, sive non obstando ex officio, non solum teneatur restituere famam, & damna, quæ consecuta sunt ex infamia, sed etiam lucrum cessans, videlicet officium, aut beneficium, quod ille propter infamiam non est consecutus; ut constat ex dictis de Restitutione in genere.

XI. Quæritur octavo, Quomodo fama restituenda est?

Respondeo, modum restituendi famam esse hujusmodi; Qui crimen falsum imposuit, tenetur retractare, quod dixit, dicendo se falsum dixisse; immo tenetur addere juramentum, si opus est. Quod si nec juramentum sufficiat ad famam integre restituendam, tenetur ex Less. adhibere testes, & si publice famam abstulit, tenetur publice etiam illam restituere; Non tenetur tamen dicere se mentitum esse, & seipsum infamare, cum satis sit, si testetur, se falsum dixisse: Qui vero non imposuit crimen falsum, sed manifestavit injuste crimen occultum, non potest dicere se falsum dixisse; mentiretur enim, nisi aliquando æquivocaret dicendo, se non dixisse verum, scilicet veritate publica, quæ solum manifestari potest, ut notat Lug. n. 30. Quare solum tenetur sępius honorare, & laudare infamatum apud eos, coram quibus detraxit. Si tamen probabiliter credatur, quod crimen manifestatum sit oblivioni traditum, quia scilicet multum temporis lapsum est sine ejus mentione, v. g. viginti anni, ut notat Azor., tunc non est opus refricare vulnus, nec famam restituere; sicut nec etiam si infamatus bonis actibus famam recuperavit: Ad eum modum, quo fur non tenetur ad restitutionem equi, quando dominus sua industria illum recuperavit. Pariter qui invincibiliter famam alterius sustulit, ubi advertit, tenetur famam resarcire; Sicut qui inculpabiliter domum, aut agrum alicujus incendit, tenetur ex justitia impedire, ne damnum ulterius protrahatur, extinguendo ignem quoad poterit.

Rogabis: Quomodo famam restituat, qui confecit libellos famosos?

Respondeo, eo modo restituendam esse, quo ad æqualitatem restituatur, videlicet vel scriptura puplica, vel voce præconis, aut concionatoris, vel alia via, judicio prudentis, & docti confessoris. Sciendum tamen primo, libellum famosum dici scripturam, vel picturam, vel signum ordinatum ad publicanda crimina infamatoria alterius; ut si quis schedulam, ubi narrantur talia crimina, in loco publico ponat, aut sinat eam cadere in terram in loco publico, aut si quis cornua ad alicujus januam depingat ad significandum conjugem esse adulteram. Quare non dicitur libellus famosus, aut epistola missa ad privatum, in qua narrantur vitia occulta; aut scriptura publica, in qua narrantur vitia publica alicujus.

Sciendum secundo, conficientem libellos famosos jure communi esse excommunicandum; Et in foro externo damnandum esse pœna capitis tam conficientem, quam scribentem, aut edentem, ut notat Molin. tract. 4. disp. 39.

XII. Quæritur ultimo; Quænam sint causæ excusantes a restitutione famæ?

Respondeo esse octo. Prima est impotentia physica; nam ad impossibile nemo tenetur. Secunda est impotentia moralis, puta si quis non possit famam restituere sine periculo vitæ, aut sine jactura longe majori propriæ famæ, aut cum damno notabiliter majori, quam sit damnum illatum, ut diximus de Restitutione in genere. Tertia est compensatio, quæ fieri etiam potest in restitutione famæ, modo servetur æqualitas. Quarta est condonatio obligationis libere facta, & non in præjudicium alterius. Quinta, si infamia jam abjit in oblivionem. Sexta, si infamia sublata est bonis actibus infamati, aut proborum virorum testimonio. Septima, si crimem occultum manifestatum jam factum est aliunde publicum, unde ille amiserit jam jus ad famam. Octava, si detractio fuit inefficax, vel quia audientes non crediderunt, vel quia similia jam noverant.

XIII.

XIII. Dubium est, an impotens restituere famam debeat illam pecunia compensare.

Respondeo cum Less. cap. 12. dub. 16., Azor., Navar., Bonac., & aliis contra Sayrum, Sa, & alios, non teneri ex justitia famam pecunia compensare: Etenim, ut supra diximus art. super. quæst. 1., justitia obligat ad restituendum, quod est ablatum, vel aliquid æquivalens; atqui fama ablata non potest restitui in casu nostro, & pecunia non est quid æquivalens famæ; cum hæc sit in ordine superiori, nec sit pretio æstimabilis, juxta illud Ecclesiast. *Melius est bonum nomen, quam divitiæ multæ*; ergo non potens restituere famam non tenetur illam pecunia compensare: Sic impotens restituere pecuniam non tenetur orationibus illam compensare; nec qui vi, aut fraude aliquem induxit ad peccatum, aut occidit, tenetur pecunia rependere. Quia tamen opposita sententia ex Less. loc. cit. est satis probabilis, hinc probabiliter potest infamatus debens pecuniam infamatori, illam sibi in compensationem retinere, quantum judicio prudentis requiritur ad satisfaciendum; & consequenter potest per occultam compensationem pariter sibi satisfacere, ut diximus quæst. super. art. 3. ubi de Compensatione excusante a restitutione, inquirentes, num possit compensatio occulta fieri propter debitum probabile: Quamvis enim id universim non liceat; admittitur tamen probabiliter ob rationem specialem compensatio isthæc in casu nostro a Less. cap. 12. dub. 25. cum Molin., Ledesm., Dian. part. 2. tract. 5. resol. 30., & in casibus similibus, de quibus diximus quæst. 6. art. 4 Sed ab hac sententia in praxi abstinendum, ut advertit Lug. disp. 16. de Justit. num. 106., eo quod sit periculosa, & contra communiorem Doctorum sensum.

ARTICULUS III.

De Restitutione facienda ob contumeliam, derisionem, susurrationem, judicium temerarium, & suspicionem.

I. Contumelia de se fert positivam inhonorationem, unde non opponitur Observantiæ, sed Justitiæ commutativæ, & ex suo genere est mortale.

II. Compensatur universim dehonoratio isthæc per petitionem veniæ.

III. Derisio fert dehonorationem cum animo confundendi derisum, & fieri solet verbis irrisoriis: Subsannatio vero fit signis derisoriis. Utraque fert culpam mortalem, si prævidetur derisus graviter contristandus.

IV. Susurratio ordinatur ad seminandas discordias inter amicos, manifestando eorum defectus; De se est mortalis, & fert onus restitutionis.

V. Judicium, & Suspicio temeraria reducuntur ad detractionem tanquam actus internus ad externum: cum inducant malam opinionem, & contemptum proximi, ferunt de se mortalem culpam, & onus restitutionis.

VI. Facilius a mortali excusatur suspicio, seu opinio temeraria, quam judicium certum temerarium. Si indicia sint probabilia, opinio non esset temeraria, sed ea nequit sine causa aliis communicari.

VII. In dubiis regulariter possumus licite assensum suspendere, quin teneamur bene opinari, sed solum tenemur non male opinari de proximo.

VIII. Si tamen agitur de damno vitando, possumus dubia in deteriorem partem interpretari solum conditionate, & sic damnum præcavere.

IX. Superiores ob indicia dubia possunt aliquali pœna subditos punire, eo quod non abstineant a specie mali.

I. QUæritur primo, Quid pro contumelia restituendum sit?

Respondeo, contumeliam esse injuriam, qua alteri objicitur proprius defectus in sua præsentia; non dicitur universim contumelia omissio quæcumque honoris debiti, quia talis omissio opponitur Observantiæ; Contumelia vero opponitur Justitiæ commutativæ, & ideo importat positivam inhonorationem. Verum aliquando omissio honoris continet interpretativam, & virtualem contumeliam; ut si transeunte Prælato, subditus non aperiat caput, sed illum torvis oculis aspiciat, aliis assurgentibus. Contumelia ex suo genere est mortale, ut constat ex illo Christi D. Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus est gehennæ ignis*. Verum excusat sæpe a mortali materiæ parvitas, vel quia invincibiliter ignoratur læsionem gravem inde secuturam, ut solet accidere, quando homines irati dicunt quicquid in buccam venit; cum enim eorum verbis non soleat fides adhiberi, non multum læditur ipsorum honor. Restitutionem faciendam esse pro contumelia, constat ex iis verbis, quæ addit Christus Dominus; *Si ergo offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, vade prius reconciliari fratri tuo.*

II. Sufficienter restituitur honor per petitionem veniæ; ad hanc tamen obligatur, qui potest aliter honorem restituere, videlicet ostendendo extraordinariam benevolentiam, &c. Universim tamen familiaris conversatio non est indicium, quod qui injuriam accepit, illam remiserit, nisi adsint expressa indicia talis remissionis; quia familiaris conversatio potest accidere vel causa indigentiæ, vel causa scandali vitandi, &c.

III. Quæ-

III. Quæritur secundo de Restitutione ob derisionem, & subsannationem facienda.

Respondeo, per derisionem, ut diximus, violari honorem alterius cum intentione confundendi illum, & inducendi erubescentiam: A contumelia differt derisio, quia hæc fit joco ad inducendum erubescentiam, illa fit serio: Differt a subsannatione, quia derisio solet fieri verbis irrisoriis, subsannatio vero signis derisoriis, ut naso rugato, &c.

Ex genere derisio est mortale, præsertim si adsit intentio graviter confundendi proximum, vel si manifestetur grave vitium; ut si quis objiciat Petro uxoris adulterium, vel quando prævidetur derisus graviter contristandus; inducitur proinde per illam onus compensandi damnum illatum.

IV. Quæritur tertio de restitutione facienda ob susurrationem.

Respondeo, Susurrationem esse manifestationem defectus proximi ad seminandas discordias inter amicos. Quare Susurratio vel continet detractionem, si manifestetur crimen occultum in absentia, vel contumeliam, si in præsentia. Ex genere suo est mortale contra justitiam, & obligat consequenter ad restitutionem. Verum licitum est manifestare alterius vera crimina ad dissolvendam amicitiam perniciosam, v. g. concubinariorum; Nec est peccatum dirimere aliquorum amicitiam, ut sibi illa concilietur, dummodo non fiat modis illicitis, ut docet Sotus, Aragon. contra Bannez., Azor., & Salon.; sicut non est peccatum orare aliquem, ut legatum, quod vult facere Titio, faciat sibi.

V. Quæritur quarto de Restitutione propter judicium temerarium, & suspicionem.

Respondeo, judicium, & suspicionem temerariam reduci ad detractionem, tanquam actum internum ad externum. Differt autem judicium a suspicione temeraria, quod judicium hoc habetur, quando quis ex levibus indiciis assentitur firmiter malitiæ proximi; Suspicio vero, quando ex levibus indiciis assentitur cum formidine oppositi; vel ex Less. c. 29. dub. 2., quando ita quis dubitat ex levibus indiciis, ut inclinet potius ad unam partem, quam ad aliam, & hujusmodi suspicio dicitur etiam Opinio temeraria: Utrumque in materia gravi est peccatum mortale contra justitiam; tum quia quilibet habet jus ne grave malum de ipso aut firmiter judicemus, aut suspicemur, seu opinemur sine sufficientibus indiciis, unde quilibet existimat sibi gravem injuriam fieri, si gratis credatur improbus: tum etiam quia judicium, & suspicio temeraria inducunt malam opinionem, & contemptum proximi; tum demum quia sicut eandem malitiam habent voluntas occidendi, & occisio exterior, ita judicium temerarium, & detractio, cum se habeant invicem sicut actus internus, & externus. Judicium enim temerarium lædit famam proximi apud se, & detractio apud alios; damnum autem quod infertur proximo per judicium, & suspicionem temerariam, cum sint actus interni, compensatur per actus internos oppositos, deponendo illos.

VI. Facilius tamen excusatur a mortali suspicio, quam judicium temerarium, quia per illam non tam graviter læditur fama proximi: Cæterum si quis de viro integerrimo suspicaretur hæresim, vel adulterium, &c., procul dubio peccaret mortaliter: Quod si quis ex indiciis valde probabilibus judicet de altero, aut ex indiciis dubiis dubitet, & opinetur rem esse probabilem, certe non peccaret. Non potest tamen aliis communicare suum dubium, aut malam suspicionem, quia bonam proximi opinionem læderet; nisi tamen indicia essent manifesta, & ad bonum finem illud communicaret.

VII. Rogabis; An teneamur dubia interpretari in meliorem partem?

Respondeo regulariter loquendo in dubiis posse nos suspendere judicium: v. g., si videam Cajum bene comedentem, & dubium, num comedat ex gula, an vero ex necessitate, non teneor judicare, quod comedat ex necessitate, sed possum suspendere judicium; etenim proximus non habet jus, ut de ipso bene opinemur, sed solum ne male opinemur, seu ne pœnam certam inferamus ob culpam incertam quod est contra justitiam.

VIII. Verum si agatur de damno vitando, possumus interpretari dubia in pejorem partem, non judicando absolute, sed conditionate, & per quandam suppositionem: V. g., si recipiam in domo hominem ignotum, quamvis non possim judicare illum esse furem, possum tamen custodire res meas, perinde ac si esset fur. Ratio est, quia si licitum est cum damno famæ alterius aperire delictum ad vitandum damnum proprium, vel proximi, a fortiori licitum est ad vitandum damnum interpretari dubia ista in pejorem partem per quandam suppositionem; cum hoc fiat sine detrimento famæ: Cavendum autem est, ne ex hac cautela oriatur aliqua suspicio mala de proximo.

Hinc potest Pater videns adolescentem ante portam removere occasionem, ne cum filia colloquatur, perinde ac ille esset fornicarius; quin proinde judicari possit prudenter, quod ille sit fornicarius: Si tamen indicia sint ita dubia, quod ille sit fornicarius, ut propter talia indicia possit prudenter timeri, quod ad finem fornicandi stet ante portam, debet talis occasio removeri, etiamsi detur sufficiens fundamentum suspicandi, quod ille sit fornicarius, propter rationem adductam. Immo potest etiam

Supe-

Superior ob indicia dubia coarguere, & punire subditos tanquam malos ad cautelam, & emendationem ipsorum, perinde ac si aliquid mali commisissent; etenim quamvis sint forte innocentes, tamen in iis circumstantiis se posuisse, in quibus dubitari prudenter potest de eorum innocentia, reddit illos dignos aliqua pœna, ut notant Molin. Sanch. & alii apud Bonac. quæst. 7.

IX. Et Less. lib. 2. cap. 29. dub. 4. docet, Superiorem posse aliquali pœna punire subditos ob indicia dubia, quia subditi debent abstinere non solum ab omni malo, sed etiam ab omni specie mali, ut loquitur Apost. Quia tamen forte sunt innocentes, ideo Superior internam æstimationem, & affectionem erga tales subditos quos punit, minuere non debet.

ARTICULUS IV.

De Restitutione facienda ob secreti violationem.

I. Peccat contra justitiam commutativam, qui revelat, quæ sub sigillo naturali accepit.
II. Num sit gravis culpa ea uni, vel alteri viro prudenti revelare?
III. Violans sigillum naturale tenetur compensare damna, quæ inde sequuntur, etiamsi cum pacto tacito secretum committatur.
IV. Num, & quando graviter peccet, qui aperit literas sigillo munitas?
V. Non peccat, qui ad vitanda gravia tormenta secretum revelat; nisi id cedat in damnum publicum, aut ex officio ad sigillum teneatur.
VI. Licitum est arcana etiam jurata sponte pandere, si illa vergant in grave damnum Communitatis, aut innocentis. Sigillum Sacramentale duntaxat in nullo casu reserari potest.

I. CErtum est, non solum esse contra justitiam revelare crimina alterius, ut diximus, sed etiam revelare, quod sub sigillo secreti naturalis commissum est; itaut sit peccatum grave, si secretum sit magni momenti, aut si gravis inde oriatur injuria, vel damnum alteri, secus vero sit veniale. Ratio est, quia jure naturæ habet quilibet jus, ut fides sibi data de celando secreto servetur, quando non adest causa justa revelandi.

II. Docet tamen contra communiorem Azorius, & alii apud Bonac. ut diximus art. 2. num. 4. quod aperiens secretum uni, vel alteri viro prudenti, qui secretum illud celabunt, probabiliter non peccet mortaliter, quia non videtur fieri gravis injuria ei, qui commisit secretum, præsertim si id reveletur ad consilium capiendum, vel ad solamen, & ad dolorem leniendum; dummodo tamen non detegatur illi, cui certo, vel probabiliter credatur, eum, qui secretum commisit, voluisse celari.

III. Quæritur nunc primo, Ad quid teneatur qui injuste secretum revelavit?

Respondeo cum communi Doctorum, teneri ad restitutionem damnorum, quæ sequuntur, qui absque justa causa violat secretum cum alterius damno; idque verum est, sive secretum commissum sit cum pacto expresso, ne reveletur, sive cum pacto tacito; ut accidit, quando quis causa petendi consilii, auxilii, vel solatii manifestat rem gravis momenti, verbi gratia Advocato, Medico, vel Confessario. Ratio est manifesta, quia universim qui contra justitiam commutativam delinquit, tenetur compensare damnum injuste illatum.

IV. Quæritur secundo, Num peccet mortaliter, & ad restitutionem damnorum teneatur, qui literas sigillo munitas, aut quæ in secreto loco servantur, legit?

Respondeo affirmative, si illæ, qui literas clausas mittit, vel asservat, valde cupiat ea, quæ continentur in literis, occulta retineri. Ratio est ex Molin. Sa, & aliis apud Bonac. hic, quia quamvis lectio ista literarum non pariat de se notabile damnum, tamen tantam potest irrogare injuriam, quæ pertingat ad mortale: Si tamen sine periculo gravis injuriæ, vel damni legantur ob curiositatem, nonnisi venialiter peccatur: Et si legantur ad præcavendum proprium periculum, quod timetur, nullum peccatum committitur.

V. Quæritur tertio, Num peccet, qui vi tormentorum detegit secretum?

Respondeo negative; siquidem justam habet causam illud detegendi; non tenetur enim celare cum tanto incommodo. Id tamen intelligendum primo, dummodo revelatio non cedat in grave damnum publicum; quilibet enim tenetur mortem subire ad vitandum grave damnum publicum. Secundo, dummodo ex officio publico non teneatur servare secretum; quare etiam cum vitæ periculo habentes officium publicum tenentur reticere ea, quæ in suo concistorio aguntur, dummodo sint res gravis momenti.

VI. Rogabis: Licetne aliquando secretum juratum sponte revelare?

Respondeo cum communi affirmative, quando scilicet vergit in damnum Communitatis, vel innocentis. Ratio est, quia secretum juratum non potest obligare contra charitatem; ex charitate autem debemus cavere damna Communitatis, & innocentis; ergo secretum, etiamsi juratum sit, revelandum est, si vergat in damnum Communitatis, aut innocentis. Solum itaque secretum sacramentale in nullo casu reve-

revelandum est; Secretum vero naturale revelari debet in casu dicto, etiamsi committens secretum dicat illud manifestare sub sigillo Confessionis, quando revera non habet animum confitendi, nec recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ.

ARTICULUS V.

De Restitutione facienda ob furtum, rapinam, necnon ob spiritualia damna alteri illata.

I. *Furtum specie differt a Rapina: hæc enim superaddit furto violentiam, & injuriam personalem.*

II. *Excusatur a mortali, qui rem alienam accipit, quando dominus est solum invitus quoad modum, non quoad substantiam.*

III. *Ratihabitio de futuro, seu licentia præsumpta excusat a furto, & Religiosum a vitio proprietatis; Sed ea non sufficit ad sacramentaliter absolvendum, aut ad dispensandum.*

IV. *Votum paupertatis comparatur cum licentia, tanquam cum conditione; lex vero comparatur cum dispensatione, tanquam cum ejus destructivo.*

V. *Quantitas requisita ad furtum mortale varia est pro varietate Personarum, quæ damnificantur. Aliquando acus a sartore ablatus fert damnificationem gravem, esto furtulum istud in ratione furti non sit grave, nec trahat excommunicationem latam contra furantes.*

VI. *Num peccet mortaliter, qui post completam materiam notabilem, parum aliquid iterum furatur?*

VII. *Num teneatur ad restitutionem sub gravi, qui advertit se per plurima furtula venialia pervenisse ad materiam notabilem, quin sit factus ditior?*

VIII. *Quid si plures modicum quid surripiendo damnum notabile eidem inferant, advertendo duntaxat, sed non concurrendo ad aliorum furtula? Si adversus istos feratur excommunicatio, quare sub gravi teneantur restituere modicum, quod surripuerunt?*

IX. *In gravi necessitate differri probabiliter potest restitutio; sed non licet furari, nisi necessitas sit extrema, aut valde gravis, seu extremæ affinis.*

X. *Famuli, aliique inservientes non possunt occulte ab Heris suis surripere, quod ipsi judicant deberi ultra salarium, nisi id sit manifestum, & citra controversiam.*

XI. *Quid possint filii a Parentibus occulte surripere citra mortale tam de bonis Profectitiis, quam de Adventitiis? Etenim Castrensia, seu quasi Castrensia ad filios spectant.*

XII. *Uxor quandonam mortaliter peccat surripiendo aliquid de bonis mariti, aut de bonis communibus, quæ scilicet percipiuntur de fructibus dotis, & arrharum?*

XIII. *Qui sine vi, & fraude induxit aliquem ad culpam, aut retraxit illum ab ingressu in Religionem, peccavit duntaxat contra charitatem; at peccat contra justitiam, & ad restitutionem damnorum tenetur, si id faciat per vim, aut fraudulenter, aut si quomodocumque inducat alium ad damnificandum.*

I. Furtum est Ablatio rei alienæ invito rationabiliter domino; Rapina vero est Ablatio rei alienæ per violentiam, sive quia dominus omnino dissentit, sive quia per vim, & metum consentit. Specie differt furtum a rapina, quia diversa est injuria, quæ irrogatur domino, auferendo illi rem suam occulte, ac auferendo per vim. Ex genere suo utrumque est mortale, nisi excuset parvitas materiæ, aut indeliberatio, aut etiam si dominus rei, quam quis furatur, sit solum invitus quoad modum, non quoad substantiam; Verbi gratia, si non ægre ferat, quod res, quæ aufertur, evadat furantis, sed solum ægre ferat rem illam non peti, vel accipi ad ludum, &c.

II. Ex quo fit, quod filius clam accipiens aliquid a Patre, & uxor a marito, amicus ab amico, &c. non peccat mortaliter, quando verosimiliter ob justam causam creditur dominus illud concessurus, si peteretur; quia scilicet dominus in tali casu non censetur invitus quoad substantiam, sed quoad modum. Ita Rebel. Molin. Sa, Navar. & alii apud Bonac. hic quæst. 8. num. 6.

III. Gerunda pag. 145. ex Suar. tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 11. advertit ratihabitionem hanc de futuro excusare a mortali tam eum, qui sibi aliquid vindicat a domino tantum quoad modum invito, quam Religiosum, qui propter hujusmodi ratihabitionem Superioris aliquid sibi arrogat, (dummodo, ut advertit Lug. disp. 3. de Justitia num. 125. Superior ratione modi, qui displicet, non sit etiam invitus quoad substantiam, seu quoad modum non sit invitus notabiliter) non vero eum, qui sacramentaliter absolveret putans probabiliter, quod Superior jurisdictionem concederet, si peteretur; aut eum, qui duceret consanguineam in quarto gradu credens, quod Pontifex facile dispensaret. Disparitas est, quia in primo casu actio non est absolute prohibita, & contra legem, sed est tantum prohibita, si fiat sine voluntate domini, aut superioris, atque adeo est solum prohibita secundum quid: In secundo vero casu actio est prohibita simpliciter; unde in primo casu tantum requiritur licentia, in secundo requiritur collatio jurisdictionis, ac dispensatio: Per licentiam autem lex non destruitur, sed sub tali conditione

ne obligat; Per dispensationem vero lex veluti destruitur, unde ad dispensationem, sicut etiam ad conferendam jurisdictionem requiritur ratihabitio de præsenti; ad licentiam vero satis est ratihabitio de futuro, seu licentia solum præsumpta, ut constat ex usu, & consuetudine. Et ratio ulterior est ex eodem Lug. quia ad vitandum furtum, & ad vitandam in Religioso transgressionem voti paupertatis sufficit, quod dominus, aut superior non sit invitus; Contra vero ad conferendam Sacerdoti jurisdictionem, & ad dispensandum in lege requiritur positivus consensus Superioris; & ideo sicut declinatur furtum, si dominus non sit invitus, ita declinatur transgressio voti paupertatis, si superior non sit invitus, seu si non ægre ferat rei usurpationem; quod tamen ad valide absolvendum, & ad dispensationem in lege non sufficit.

IV. Constat hoc etiam, quia votum paupertatis comparatur cum licentia, tanquam cum conditione, & circumstantia; nam non fit votum nihil habendi, sed nihil habendi sine licentia: E contra lex cum dispensatione comparatur tanquam cum destructivo legis prohibentis: ut proinde dispensatio dicatur esse vulnus legis.

V. Quæritur nunc primo, Quænam quantitas ad furtum mortale requiratur?

Respondeo, illam quantitatem requiri, quæ infert grave damnum, aut privat notabili utilitate. Hæc autem varia est pro varietate personarum, quibus tale damnum irrogatur. Regulariter in personis, quæ vivunt ex redditibus, ut sunt communes divites, probabiliter quatuor regales circiter sunt magna quantitas, quia deserviunt ad comparandum proprium victum tenuem unius diei. Dixi circiter, quia aliquis potest pati notabile damnum etiam a tribus regalibus, & aliquis forte nec a quinque. Unde Laym. hic, & Marchant. apud Dian. in summa cum aliis apud Croix putant, universim quantitatem sufficientem ad furtum mortale esse victum unius diei ejus personæ, a qua quis furatur. Quare in personis, quæ se sustentant suo artificio, & opera, sunt probabiliter duo regales circiter, quia isti sunt pretium laboris unius diei, & sufficiunt ad comparandum victum pro uno die; In iis vero, qui mendicant, unus duntaxat regalis, & aliquando dimidius potest esse materia gravis, quia potest iis inservire pro victu unius diei. Unde fit, quod respectu Regis, vel personæ prædivitis duo, vel unus aureus possit esse materia gravis, quatenus sufficiunt ad victum iis consentaneum unius diei, aut ad stipendium menstruum unius militis, aut infimi famuli.

Notandum tamen, quod si quis auferat acum, verbi gratia a sartore, ex cujus ablatione Sartor magnum habet damnum, eo quod multos dies ab opere desistat, in tali casu furans acum non peccat mortaliter ratione furti, (etenim furatur materiam secundum se parvam respectu sartoris) sed peccat mortaliter ratione injustæ damnificationis; unde peccat graviter contra justitiam damnificando, non vero furando: Eodem modo si quis auferat fructum valde charum domino, ex cujus ablatione magnam capit tristitiam, peccat solum mortaliter contra charitatem; Et ideo non incurritur in his casibus excommunicatio, si forte lata sit contra furantes.

Notandum secundo, quod major requiratur quantitas, (videlicet dimidio major ex Tambur. lib. 8. tract. 2. cap. 3. & aliquando duplo major) si quis a pluribus aliquid furetur, vel si pluribus vicibus paulatim ab eodem; Eo major quantitas requiritur, si quis paulatim ab eodem aliquid furetur post longum tempus, quam si post breve, ut patet; quia minus damnum infert sic furando. Pariter major quantitas requiritur in furtis filiorum, & Religiosorum, præsertim circa esculenta, quia domini respectu istorum sunt minus inviti. Unde Sanch. apud Tambur. lib. 8. tract. 2. cap. 4. & Dian. part. 1. tract. 6. resol. 36. in furtis Religiosorum requirunt quatuor argenteos; & Ledesm. octo, vel novem, si semel, aut bis in anno sumantur, & Monasterium sit locuplex: Et Henr. apud Dian. part. 5. tract. 5. resol. 34. permittit uxori, ut possit vigesimam partem redituum mariti expendere; quod etiam docet Bannez apud Tambur. lib. 8. tract. 2. cap. 3. cui tamen id latum videtur. Præterea Molin. & Less. apud Laym. hic putant non esse mortale, si filiusfamilias a Patre divite duos, vel tres aureos furetur; Et Sal. docet, filium unicum a patre habente aureos annuos mille, & quingentos posse absque mortali furari viginti, vel triginta quotannis, ut notat Tambur. lib. 8. tract. 2. cap. 3. num. 3. Et eodem modo Laym. num. 6. ex Sanch. Molin. & aliis docet, quod si quis per temporum intervalla, videlicet per quatuor annorum spatia absque ditescendi proposito furetur vel duos, aut tres aureos a pluribus, vel aureum ab eodem, non videatur devenire ad mortale. Quamvis autem Rebel. apud Tambur. lib. 8. tract. 2. cap. 3. §. 1. num. 3. putet magnum reputari intervallum quatuor annorum, Sanch. unius anni, alii sex mensium, alii unius mensis, alii quindecim dierum, tamen regula prudentiæ est melior, spectata quantitate furtuli, & conditione personæ.

VI. Quæritur secundo, An qui sæpius furatur minima, peccet mortaliter, & obligetur ad restitutionem?

Respondeo, certum esse, quod peccet mortaliter in quovis minimo furtulo, si furetur animo perveniendi successive ad materiam notabilem.

lem. Secundo, quod teneatur sub mortali ad restitutionem, quando pervenit ad summam notabilem, & oppositum damnatur in prop. 38. ab Innoc. XI. quæ habet: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis*. Tertio, quod ultima acceptio non sit mortalis, quando fur non est memor præteritorum furtulorum. Dubitatur solum, an talis acceptio sit mortalis, si fur sit illorum memor. Aliqui apud Sanch. lib. 7. Summæ cap. 21. cum Navar. Graff. negant, quia nunquam ex plurimis venialibus coacervatis pervenitur ad mortale; Sed communius affirmant, quia dum memor præteritorum furtulorum vult furari materiam parvam, quæ cum reliquis facit materiam notabilem, eo ipso habet animum damnificandi notabiliter; ergo peccat lethaliter: Qui enim sciens, quod ex actu suo levi sequitur damnum proximi notabile, vult talem actum facere, peccat mortaliter; puta si quis mentiatur sciens secuturum ex mendacio damnum proximi notabile; ergo etiam in casu nostro. In tali autem casu datur obligatio sub mortali restituendi id, quo restituto damnificatio proximi non remanet gravis; unde si saltem restituatur, quod ex ultimo furtulo sublatum est, non est peccatum mortale, ut docent communiter cum Sanch. contra Medin. & Cordub.

Dubitatur etiam, An si post minimum furtum complens materiam notabilem committatur aliud minimum, iterum peccetur mortaliter? Aliqui apud Rebel. docent peccari solum venialiter: Sed communius cum Sanch. Bonac. quod mortaliter, quia tale furtulum continuatur cum præcedentibus, dum veluti renovatur voluntas damnificandi proximum notabiliter; Si tamen post ablatam notabilem quantitatem fur doleat de furto, & dum expectat opportunitatem restituendi, committat aliud furtulum, puto cum Bonac. quod peccet venialiter; quia in tali casu quantitas furtulorum non continuatur moraliter.

VII. Dubitatur tertio, Num qui commisit decem furtula nunquam peccando graviter, eo quod non advertit ad præterita furtula, cum quibus ultimum furtulum complevit materiam gravem, teneatur sub gravi ad restitutionem, etiamsi res iis furtulis sublata non extet, nec ex iis fur sit factus ditior? Videtur quod non, quia in casu neque tenetur ad restitutionem ex re accepta, ut patet; neque videtur teneri ex injusta acceptione, eo quod ex culpa veniali non oritur obligatio gravis restituendi, ut alias dictum est.

Respondeo, communiter cum Lug. Carden. Tambur. & aliis contra nonnullos apud Moyam tract. 6. disp. 6. quæst. 4. putare, quod in tali casu detur obligatio gravis restituendi, non quidem orta ex culpis venialibus præteritis, sed quia dum fur advertit se per plurima furtula deliberata pervenisse ad notabilem quantitatem, advertit se damnificasse graviter cum plena deliberatione, & eatenus teneri ad resarciendum grave damnum illatum; quod si non resarciat, tunc graviter peccat. Et ratio ulterior ex Lug. est, ut diximus quæst. 1. art. 4. num. 6. quia fur furando, verbi gratia quinquies singulis vicibus singulos carolenos, singulis vicibus contraxit obligationem restituendi singulos carolenos; quando autem advertit se contraxisse obligationem restituendi quinque carolenos, quæ supponatur materia gravis, tunc advertit se sub gravi teneri ad hanc summam gravem restituendam, & ideo si non restituat, peccat graviter.

Neque dicas, legem justitiæ non imponere pœnam gravem pro culpis venialibus adversus hanc virtutem; & ideo si quis incendat domum alienam cum culpa levi ex semiplena deliberatione, non tenetur damnum hoc grave libere causatum compensare; ergo neque in casu nostro.

Nam contra est, quia in casu nostro non datur ex justitia obligatio restituendi in pœnam culparum venialium, quas fur commisit in singulis quinque furtulis, sed tenetur ex justitia sub gravi compensare damnum grave quinque carolenorum ex vi contractus initi cum damnificato in singulis furtulis compensandi tale damnum, itaut ad restituendos singulos carolenos solum obligetur sub levi ratione parvitatis materiæ: Quando autem advertit materiam, quam tenetur restituere, esse gravem, puta quinque carolenorum, tunc vi contractuum præteritorum advertit se sub gravi teneri ad talem restitutionem; Quod non habetur in casu adducto de damnificatione gravi causata cum culpa levi ex semiplena deliberatione.

VIII. Quæritur tertio, An si plures furantes modicum notabiliter damnificent alterum, peccent singuli mortaliter?

Respondeo juxta fusius dicta quæst. 1. art. 4. num. 7. & quæst. 3. art. 6. num. 7. indubitatum esse, quod peccent mortaliter, si constituant unam causam, seu si de communi consensu damnificent, unde in solidum ad restitutionem tenentur; Si vero non de communi consensu, sed quilibet sciat, quod alii etiam ea modica furentur, Sanch. lib. 7. Summæ cap. 21. n. 22. putat, quod non peccent mortaliter; cujus sententiam putat probabilem Tamb. hic, eo quod unus nullo modo est causa furti alterius. Communius tamen docent eos mortaliter peccare, quia quilibet ut causa partialis sciens, & volens concurrit ad damnum notabile proximi, unde pariter quilibet sub mortali tenetur restituere id, quo

quo restituto tollatur notabilis damnificatio proximi: Et nisi restituant, excommunicationem incurrunt, si qua lata est contra damnificantes: immo si quilibet ignarus allorum leviter damnificavit, & feratur excommunicatio contra non restituentes, peccant mortaliter non restituendo, non ratione retentionis illius modicæ quantitatis, sed quia transgrediuntur grave præceptum Ecclesiæ, quod juste imponi potest, quamvis materia restituenda sit levis, eo quod intendatur compensatio gravis damni illati proximo a pluribus, ut diximus quæst. 1. quærendo, an pro veniali detur obligatio restituendi. Ita Bonac. hic.

IX. Quæritur quarto, An liceat in gravi necessitate furari?

Respondeo, sententiam affirmativam olim docuisse utrumque Navar., Angel. Sylvest., Sa. Etenim cum dives in tali casu ex lege charitatis teneatur largiri sic egenti, videbatur irrationabiliter invitus, quod sibi clam auferetur, quod opus erat ad tollendam gravem necessitatem, (quam scilicet patiuntur ii, qui non habent necessaria ad statum suum). Verum hæc sententia merito damnata est ab Innoc. XI. propos. 36. quæ habet: *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi*. Etenim quamvis dives teneatur lege charitatis largiri, at non tenetur lege justitiæ; in debitis autem ex sola justitia licita est occulta compensatio, non vero in debitis charitatis, aut alterius virtutis; unde vere furatur, & peccat, qui invito domino surripit ea, quæ sibi dominus debet ex alia virtute quam ex justitia: Exempli gratia, si quis voveat dare pauperi centum, & nolit votum servare, non proinde licitum est pauperi ea surripere: In extrema autem necessitate; (quam scilicet patiuntur ii, qui non habent necessaria ad sustentationem vitæ) quilibet potest aliena surripere, quamvis dominus debeat solum ex charitate ea subministrare. Et ratio est, quia in tali necessitate omnia sunt communia, itaut quilibet habeat jus accipiendi propria auctoritate, quod sibi est necessarium, & sic comparare dominium rei acceptæ, quin possit accipiens impediri a domino; & si impediatur, potest se tueri, & illum cum moderamine occidere, ut notat Less. cap. 12. dub. 12. apud Bonac.; Nisi tamen dominus sit in pari necessitate, etenim tunc melior esset conditio possidentis, ut diximus quæst. super. art. 1.. Et ratio radicalis est, quia divisio rerum introducta jure gentium non potest adimere jus naturæ; jure autem naturæ quilibet habet jus utendi rebus ab auctore naturæ positis ad hunc finem, ut possint homines per illas vitam suam conservare; ergo jure naturæ quælibet potest in extrema necessitate usurpare ea, quibus extreme indiget. Lessius putat hunc discursum etiam militare in necessitate valde gravi, verbi gratia morbi, nuditatis, quia hæc videtur esse affinis necessitati extremæ, cum vita isthæc miserrima deterior ipsa morte reputetur; unde possit homo cum Jona cap. 3. dicere: *Melius est mihi mori, quam vivere*; Neque propositio damnata loquitur de necessitate hujusmodi valde gravi, sed solum de gravi necessitate, per quam scilicet quis deberet a suo statu decidere, in qua solum implorari potest officium Judicis Ecclesiastici, ut cogat divites ad largiendum, ut notat Laym. hic num. 8. ex Abbat., Sylvest., & Navar. Potest enim Judex compellere ad largiendum, quod solum ex charitate debetur.

Adde, quod quamvis non liceat in gravi necessitate furari, probabiliter tamen potest differri restitutio, ut idem Laym. notat lib. 3. tract. 2. cap. 12. ex Less., Navar. contra Riccard., & Medin.: Quod ex illis duabus regulis evincitur. Prima est ex utroque Navar., quod nemo tenetur restituere cum suo detrimento notabiliter majore, quam sit commodum creditoris. Secunda est Scoti, Gabriel., & aliorum, quod quoties creditor rationabiliter contentus esse debet, ut restitutio differatur, potest differri, licet sit invitus, *argum. cap. Ne quis 22., quæst. 2.*

X. Quæritur quinto, An famuli possint occulte surripere heris suis ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt?

Respondeo, sententiam affimativam damnatam esse ab Innoc. XI. in propos. 37. quæ habet: *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte Heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt*. Docuerunt quidem Molin., Les., & alii apud Laym., quod si liquido constet de inæqualitate stipendii, possint uti occulta compensatione. Sicuti enim qui necessitate, verbi gratia, coactus minoris justo vendidit mercem, potest in foro conscientiæ exigere defectum pretii; ita famulus exigere potest defectum stipendii, si ob necessitatem, vel errorem, &c., operam suam minoris justo locavit; Sicut etiam si manifestum sit, quod dominus considerato eorum labore, & consuetudine loci, non præbeat illis victum sufficientem. Verum laudati Doctores docuerunt, quod hoc debeat esse manifestum, nec satis sit, quod ita ipsi judicent; hoc enim jure merito damnatur a Pontifice: Raro autem est id manifestum. Nam primo si dominus non indigebat opera famuli, sed rogatus illum conduxit, non potest hic conqueri de pretii exiguitate; siquidem merces ultroneæ vilescunt. Secundo, si multi reperiantur, qui non eadem necessitate coacti, sed libenter cum eodem stipendio inservirent; nam sicut merces vilescunt ex multitudine vendentium, ita

operæ

operæ ex multitudine locantium. Tertio, quia dominus forte promisit famulo remunerationem, quam deinde daturus est, ut diximus quæst. super., ubi de occulta compensatione.

XI. Quæritur sexto, An filii peccent mortaliter peccato furti accipiendo occulte bona Patris?

Respondeo prænotando bona filiorum esse diversi generis, Castrensia, quasi Castrensia, Profectitia, & Adventitia. Primo itaque Castrensia sunt, quæ acquirit filius militando, aut quæ ratione militiæ illi traduntur;& ad hæc reducuntur, quæ filius in palatio Regis, vel donatione Regis acquirit: Et horum bonorum tam dominium, quam usufructus, & libera administratio pertinet ad filium, invito Patre, unde potest de iis donare, & testari, nisi ætas impediat. Secundo, quasi Castrensia sunt, quæ gaudent privilegio Castrensium, quamvis non acquirantur ex militia; Ea autem sunt, quæ acquiruntur ex officio publico, ut Advocati, Medici, Tabellionis, &c., aut ex professione alicujus ex septem artibus liberalibus, aut Theologiæ, vel Juris Canonici, aut Cæsarei, &c. Ad hæc reducuntur, quæ Clericus acquirit ex officio, vel beneficio Ecclesiastico, item alia bona, quæ respectu laicorum sunt adventitia, respectu Clericorum sunt quasi Castrensia, si post clericatum acquisita sint. Tertio, Adventitia bona dicuntur ea, quorum proprietatem habet filius, & Pater usumfructum, & ea sunt, quæ filius acquirit suo labore, industria, fortuna, vel jure hæreditatio, aut a Matre, Avis maternis, consanguineis, amicis, &c., modo non sint bona castrensia. Quarto demum Profectitia sunt, quorum tam proprietas, quam usufructus pertinet ad Patrem; Et ea sunt, quæ dantur filio principaliter intuitu Patris. Bona autem, quæ a Patre assignantur filio ad Ordines Sacros, aut filiæ in dotem, aut causa nuptiarum, sunt profectitia, quatenus computantur in partitione hæreditatis cum fratribus; sed eorum proprietas, & usufructus pertinet ad filios. In dubiis autem, an aliqua bona sint profectitia, an adventitia, aut Castrensia, judicandum in favorem possidentis, & si neuter possideat, dividatur, ut docet Tambur. lib. 1. cap. 3. §. 7. V. *peculium filiorum*. In quibus autem casibus possit filius testari, & in quibus donare causa mortis, aut exponere ludo talia bona, consule eundem Tambur. lib. 5. cap. 4. §. 1. His prænotatis,

Dico, filios tunc peccare mortaliter peccato furti, & teneri ad restitutionem, quando accipiunt notabilem quantitatem ex bonis, quorum possessio, vel usufructus pertinet ad patrem, videlicet de bonis profectitiis, aut etiam adventitiis, non vero de castrensibus, aut quasi. Ita Less. cap. 12. dub. 13., & alii communiter apud Bonac. hic. Ratio est, quia accipiunt rem alienam accipiendo bona non solum profectitia, sed etiam adventitia; etenim usufructus istorum ad patrem pertinet.

Dubium est, An filius, qui gerit negotia Patris, possit pro sua industria sibi accipere quicquid daretur externo?

Respondeo cum Less., & Bonac. citatis affirmative, (nisi filius intendat id facere gratis) cum non sit deterioris conditionis, quam extraneus, nec teneatur jure naturæ laborare pro patre, quando iste non eget. Tria tamen requiruntur, ut id licite fiat. Primo, ut usumfructum istius lucri non sibi vindicet filius ante mortem patris, cum numeretur inter bona adventitia. Secundo, ut constet Patrem non inventurum alium qui id faciat gratis, aut minori pretio. Tertio, ut filius saltem tacite ostendat, quod nolit gratis inservire; fortasse enim pater sibi alia via consulet, si id sciat; Quod si præ verecundia nolit id ostendere, debet saltem constare, quod pater non sit sibi alia ratione consulturus.

XII. Quæritur septimo, An uxor peccet accipiendo bona mariti?

Respondeo, peccare, si absque expresso, aut præsumpto consensu accipiat aut bona communia, aut bona, quorum administratio, & usufructus spectant ad maritum, eo quod rem alienam acciperet invito domino. Quare non peccat, si accipiat paraphernalia, utpote quorum administratio, & usufructus ad uxorem spectat; Nec peccat, si elargiatur sive ad eleemosynas, sive ad honestas recreationis, quæ elargiri solent aliæ mulieres suæ conditionis; cum non possit circa hæc maritus esse rationabiliter invitus: Sicut nec peccat mortaliter, si accipiat aliquid, quod maritus rogatus facile concederet ex præsumpta ejus voluntate. Et Dian. part. 5. tract. 8. resol. 34. cum Bannez, Malder., Ledesm., Granad. putat posse uxorem inscio marito in eleemosynas, ac honestos usus sibi decentes disponere citra mortale de vigesima parte proventuum annualium.

Notandum itaque, alia bona esse solius mariti, alia solius uxoris, alia communia. Primo, sunt bona communia, quæ conjuges percipiunt ex fructibus dotis, & arrharum, quamvis horum administratio, & usufructus pertineant ad solum maritum. Secundo, sunt bona tantum mariti, quæcumque maritus possidet, dempta dote, & donatione facta causa nuptiarum, atque adeo ~~sunt mariti~~, quæ maritus acquisivit hæreditate, aut propria industria, aut labore: Demum sunt bona tantum uxoris tam dos, quam paraphernalia, seu quæ mulier habet alio titulo, quam dotis, puta quæ ipsa acquisivit donatione, hæreditate, aut labore, aut industria extraordinaria, præter laborem, & industiam debitam in administratione domus, juxta qualitatem familiæ, & dignitatem uxoris. Illud tamen interest

inter dotem, & paraphernalia, quod dotis administratio, & usufructus ad maritum pertineat; Econtra paraphernalium ad uxorem.

XIII. Quæritur octavo, Utrum peccet contra justitiam, & teneatur ad restitutionem, qui alium inducit ad peccatum, aut retrahit a bono opere, puta ab ingressu in Religionem?

Respondeo cum communi distinguendo: Etenim si id fiat sine vi, aut fraude, non peccatur contra justitiam, & ideo inducens ad culpam, quæ non sit contra justitiam, solum ex charitate tenetur curare, ut ille a peccato, ad quod induxit, resipiscat; si enim unicuique mandatum est de proximo suo, a fortiori tenetur, qui fuit causa peccati, aut abduxit a bono opere; Si vero id fiat per fraudem, aut vim, certe ex justitia tenetur ille non solum fraudem aperire, aut vim tollere, si perseveret, sed etiam precibus, aut alia via curare, ut alter a peccato resipiscat; etenim qui est causa injusta damni, ex justitia tenetur damnum illatum resarcire. Idem dicas de eo, qui falso dogmate circa fidem, vel mores aliquem decepit, quia per falsitatem, & per fraudem illum inducit ad peccatum.

Qui vero alium movet, aut quomodocumque inducit ad inferendum grave damnum alteri, procul dubio contra justitiam peccat, & ad restitutionem damni illati obligatur, ut constat ex thesi 39. confixa ab Innoc. XI., quæ habet: *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

Ex dictis sequitur, quod qui per vim, aut fraudem retraxit aliquem ab ingressu in Religionem, non solum teneatur ex justitia vim, & fraudem tollere, quod omnes Doctores asserunt, sed etiam teneatur restituere damnum inde secutum, non solum ipsi avocato a Religione, sed etiam Religioni, habita ratione spei, quam habebat utilitatis ex tali viro, necnon periculi, quod ille mutaturus esset voluntatem. Ita Vasq., Molin. contra Sal., Aragon. apud Bonac. hic. Ratio est, quia sicut qui alterum impedit per vim, aut fraudem a consecutione alicujus beneficii, officii, dignitatis, vel hæreditatis, tenetur ad restitutionem, quanti spes illa valet arbitrio prudentis viri, ita in casu nostro.

ARTICULUS VI.

De restitutione facienda ob stuprum, & adulterium.

I. Ad quid teneatur deflorator Virginis, quæ in stuprum sponte consensit? Et quid, si per vim, aut fraudem illam defloravit?

II. Qui Virginem defloravit ficte matrimonium promittendo, tenetur illam ducere, quin satis sit illam dotare, seclusa disparitate inter illos.

III. Adulter ob injuriam personalem marito irrogatam tenetur petitione veniæ, aut aliis signis satisfacere. Prolem suam tenetur alere post tertium annum.

IV. Si nothus inter legitimos a Matre supponatur, tenetur adulter compensare damnum, quod legitimi patiuntur.

V. Adultera tenetur compensare damnum, quod ex prole illegitima patiuntur legitimi, non tamen se infamando.

I. Quæritur primo, Ad quid teneatur Stuprator, qui non promisit Virgini matrimonium?

Rerspondeo, quod si sine vi, aut fraude illam induxit, ad nihil teneatur; nisi forte læsa sit in honore ejus familia. Notandum tamen, quod si sponte Virgo consensit, corruptor Virginis non dicitur stuprum commisisse, sed fornicationem, ut communiter docent contra Cajet.: Etenim si illa consentiat, nulli fit injuria. Ubi econtra in adulterio fit injuria ipsi vinculo maritali indissolubili, & ipsi Sacramento, si committatur consentiente uxore, & marito. Si vero per vim, aut fraudem aliquis Virginem defloravit, tenetur vel illam ducere, vel damnum aliter reparare, verbi gratia, constituendo dotem, &c.; etenim damnum cum injuria illatum rependi debet. Notandum tamen, quod si sic deflorata obtinuit deinde commodas nuptias, itaut nihil detrimenti acceperit ex defloratione, nihil ei restitui debeat propter periculum non inveniendi commodas nuptias, quia nihil restitui debet pro periculo, quamvis sit pretio æstimabile, quando non sequitur damnum; neque propter deflorationem pudicitiæ quicquam restituendum, quia hæc non est pretio æstimabilis; sicut nec pretio æstimabile est membrum, quod abscinditur. Quia tamen periculum non inveniendi commodas nuptias est pretio æstimabile, ideo si post deflorationem accepit, verbi gratia, centum propter tale periculum, & deinde bene nupsit, itaut nihil incommodi passa sit ex defloratione, non proinde tenetur restituere illa centum. Ratio est, tum quia probabiliter multi sustinent oppositam sententiam, quod scilicet tale periculum debeat pecunia compensari; tum etiam quia sicut potest quis pacisci certo pretio de lucro cessante, aut damno emergente, itaut possit exigere, nedum retinere tale pretium, quamvis deinde nullum lucrum cesset, aut damnum emergat; ita in casu nostro potest quis post deflorationem pacisci certo pretio de periculo, quod subiit, itaut possit retinere, & exigere tale pretium, quamvis deinde nullum damnum sequatur.

II. Quæ-

II. Quæritur secundo, Ad quid teneatur corruptor Virginis, qui ficte matrimonium promisit?

Respondeo, ex dictis in de Sponsalibus teneri eam ducere, nec satis esse eam dotare, dummodo non sit disparitas inter illos. Ratio est, quia in omni contractu onerofo tenetur quilibet ex justitia ponere verum consensum, atque adeo tenetur ex justitia in casu nostro vere promittere matrimonium, & sic illud ponere; Etenim justitia obligat ad ponendum idem numero, quod debetur, nec satis est ponere æquivalens invito domino. Quod si sint disparis conditionis, quamvis multi etiam apud Less. cap. 10. dub. 3. doceant, quod teneatur eam ducere, si illa ignorabat hanc disparitatem, nec aliunde suspicabatur fraudem, & deceptionem, probabile tamen est, quod non teneatur, sed possit pecunia damnum resarcire; quia justitia obligat tantum ad ponendum æquale, & non superexcedens.

III. Quæritur tertio, Ad quid adulter teneatur?

Respondeo, & dico primo, pro mera injuria, quæ fit marito, non tenetur adulter rependere nisi meram satisfactionem per signa doloris, petitionem veniæ, &c. si illam cupiat. Ratio est, quia pro injuria mere personali nihil est restituendum, ut diximus cum de Contumelia; Siquidem injuria personalis diversi generis est ab injuria reali.

Dico secundo, Adulter, si partus sequatur, & agnoscat illam esse suam prolem, itaut non habeat justam, seu probabilem rationem dubitandi, tenetur restituere, quæ impensa sunt in alimentis prolis a tertio ætatis anno, & deinceps. Ratio est, quia usque ad tertium annum inclusive tenetur mater alere prolem; ex cap. 2. *De Conversione infidelium*, deinde tenetur pater quousque proles possit sibi de alimentis providere. Non est autem verum, quod aliqui docent, videlicet ad id teneri quandocumque probabiliter credit esse suam prolem, sed requiritur, quod non habeat probabilem, ac solidam rationem in contrarium; etenim communiter Doctores docent neminem teneri solvere, nisi ei constet se debere, itaut oppositum non sit solide probabile. Quod si solum dubitetur, num ea proles sit mariti, an adulteri, in tali casu videtur, quod stet in possessione delictum, & dubia sit excusatio, unde teneatur adulter prolem alere saltem pro rata dubii. Sed communius apud Tamb. lib. 7. cap. 3. §. 4. docent ad nihil teneri adulterum, nisi certus mortaliter sit illam esse suam prolem, quia in tali dubio melior est conditio possidentis: Sicuti si venenum propinem Sorti, qui pariter venenum sibi propinaverat, in dubio num ex meo veneno interierit, ad restitutionem non teneor, quia non constat de damno a me causato. Contra vero, si dubitetur uter ex duobus adulteris sit pater natæ prolis, uterque in solidum tenetur ad restitutionem, cum constet de damno ab iis causato. Non secus ac si duo jaciant suam sagittam in Sortem, & non constet ab utra ex iis sagittis sit confossus, uterque ad restitutionem in solidum obligabitur. Quicquid in contrarium dixerint nonnulli apud Gobat relatum a Croix lib. 3. p. p. num. 704.

IV. Difficultas est, an si nothus reputetur legitimus, & dividatur inter illum, & legitimos hæreditas, tunc adulter teneatur compensare damnum, quod patiuntur legitimi in diminutione hæreditatis?

Aliqui apud Less. lib. 10. dub. 5. negant, quia scilicet adulter non fuit causa, ut a matre supponeretur inter legitimos, nec id intendit, aut consulit. Et confirmatur; si enim mater procuraret sibi abortum, adulter non diceretur causa abortus; ergo si mater supponat nothum inter legitimos, adulter non dicitur causa talis suppositionis, & fraudis; in utroque enim casu damnum sequitur ex perversa voluntate matris suppeditante tantum adultero materiam circa quam, videlicet prolem. Verum communis opinio affirmat. Ratio est, quia per hoc, quod adulter fecerit prolem ex aliena uxore, sufficienter supponit illam marito suo, perinde ac esset sua proles; Neque enim opus est ad suppositionem, ut mater dicat illam esse prolem mariti, sed satis est, ut illa ex ejus utero nascatur, & non sit suspicio adulterii; Unde patet disparitas circa abortum, ad hunc enim requiritur nova actio positiva matris, & ideo huic tantum imputatur.

V. Quæritur quarto, Ad quid teneatur adultera?

Respondeo teneri sine famæ, aut vitæ dispendio curare, ne legitimi hæredes damnum patiantur ex prole illegitima; quare tenetur paraphernа, si habeat, relinquere legitimis in compensationem, aut imminuere solitos sumptus, vel labore majori plus lucrari; ac demum si aliter non possit vitare damnum legitimorum, tenetur inducere nothum ad Religionem capessendam; Non tenetur tamen cum periculo famæ se prodere, ut communiter docent contra Sot. quia fama est superioris ordinis, quam pecunia, & ideo non est exponenda pro rebus ordinis inferioris. Quod si adultera sit suspecta, nec magnum damnum in fama pateretur se prodendo, certe teneretur se prodere, si speraret inde profectum; quod tamen raro accidit, quia filius non tenetur credere matri prodenti suum adulterium, etiamsi in articulo mortis id fateatur, cum non teneatur credere fœminæ infami.

ARTICULUS VII.

De Restitutione facienda ob fraudata vectigalia.

I. Lex de solvendis vectigalibus juste impositis ad Principis sustentationem, & Regni defensionem verius non est pure pœnalis. Quid si imponantur in rebus usualibus?

II. Num detur obligatio solvendi vectigalia, si dubitetur negative num juste imponantur?

III. Etiam exteri tenentur solvere vectigalia justa.

IV. Num sponte aperiendæ sint custodibus merces, pro quibus vectigal solvendum est?

V. Custodes non obstantes fraudibus, prout ex justitia tenentur, probabiliter non tenentur ad restitutionem pœnæ, quam fraudatores vectigalium solvissent, si manifestarentur, licet teneantur compensare damnum, quod domini subeunt.

VI. Ecclesiastici quandonam tenentur vectigalia solvere?

VII. Clerici conjugati, quamvis gaudeant privilegio Canonis, si Virginem duxerint, & gestent habitum, ac tonsuram, non eximuntur tamen a solutione vectigalium: Nec Clerici relate ad bona, quæ advehunt ad negotiandum.

VIII. Si custodibus non constet, quod bona sint Ecclesiasticorum, juramento istorum standum est.

I. QUæritur primo, An fraudans vectigalia justa teneatur ad restitutionem?

Respondeo, nonnullos apud Less. lib. 2. cap. 32. dub. 8., contra Navar., Angel., Sa, & alios negare; siquidem putant legem vectigalium esse pure pœnalem, atque adeo non obligare ante sententiam Judicis. Communior tamen, & verior sententia affirmat; tum quia Christus Dominus rogatus Matth. 22. *An liceat dare censum Cæsari?* respondit, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo*; tum etiam quia tenetur populus ex justitia sustentare Regem, a quo defenditur; vectigalia autem imponuntur ad Principis sustentationem; tum demum quia si vectigalia sint justa, juste exiguntur, ergo debentur; aliter daretur bellum justum ex utroque parte. Verum Molin., Cajet., Sal., & alii apud Bonac. hic excusant probabiliter fraudantes vectigalia imposita non in rebus, quæ ad negotiationem emuntur, sed in usualibus, videlicet in cibo, & vestitu necessario, in pane, carnibus, piscibus, frumento, oleo, &c.; tum quia ita usu videtur receptum, tum etiam quia in iis plus gravantur pauperes, quam divites, ut videre est apud Dian. part. 2. tract. 17. resol. 28., & tract. de Legibus resol. 19.; Et ideo multi docent contra Molin., Suar., & Vasq., & quod injuste exigantur; præsertim si nulla necessitas cogat ponere in iis vectigal, quod posset in aliis rebus ad negotiationem pertinentibus imponi, in quibus parum pauperes gravarentur, ut notat Less. dub. 9.

II. Quæritur secundo. An quando dubitatur, num vectigal sit justum, detur obligatio illud solvendi?

Respondeo, Navar., Less., Sal., Vasq. apud Bonac. asserere, quod detur obligatio; quando scilicet tale dubium est negativum, quia præsumendum est in favorem superioris possidentis facultatem præcipiendi; Immo etiam in dubio positivo præsumendum esse in favorem Superioris, docuit Less., & alii contra Suar., & Vasq., quia scilicet ut Princeps juste exigat vectigal, non debet esse certus speculative, sed practice de ejus justitia; ergo quamvis detur probabilis ratio, quæ suadet injustitiam talis vectigalis, si tamen detur probabilis ratio de ejus justitia, potest juste illud exigere, & sic debetur ex justitia, aliter daretur bellum justum ex utraque parte. Verum alii negant dari obligationem solvendi, etiam in dubio negativo, cum Salon., Cajet., Molin. disput. 674. & aliis, quia subditus possidet immunitatem a vectigalibus, & dominium pecuniæ suæ, in dubio autem melior est conditio possidentis. Ad rationem adductam in contrarium respondent, non posse dari ex parte objecti bellum justum ex utraque parte, itaut Superior vere habeat jus exigendi, & subditus non habeat debitum solvendi, siquidem jus, & debitum sibi correspondet. Verum per accidens potest ita res apparere, ut Superior possit exigere, & subditus non teneatur solvere; ut accidit, quoties superior sequitur opinionem probabilem faventem sibi, & subditus opinionem oppositam, unde potest dari bellum justum ex utraque parte tantum secundum apparentiam, & per accidens, non vero per se, & secundum rei veritatem.

III. Quæritur tertio, An etiam exteri peccent, fraudando gabellas?

Respondeo affirmative, tum quia legitima consuetudine id introduci potuit, ut exteri sub ea conditione admittantur ad negotiandum; aliter multi incolæ fraudarent gabellas fingendo se extraneos; Tum etiam quia hoc onus compensatur per protectionem, qua mercatores exteri proteguntur a superioribus loci, in quo vectigal exgitur.

IV. Rogabis hic: Num sponte aperiendæ sint custodibus merces, pro quibus vectigal solvendum est, an vero possit expectari, ut vectigal exigatur?

Respondeo, Sot., Tabien., & alios putare, quod

quod non teneamur merces manifestare, sed satis sit expectare, ut exigatur vectigal, modo nulla adsit fraus. Alii tamen cum Salon., Sal., Less. putant servandam esse loci consuetudinem.

V. Diximus autem supra cum de Muto, seu de non manifestante damnificationem domino illatam, ex Bonac. disp. 2. quæst. 2. punct. 11., Custodes vectigalium teneri quidem ad restitutionem damni, quod domini patiuntur non manifestando fraudatores, sed probabiliter ex Vasq. contra Navar., & Molin. non tenentur ad restitutionem pœnæ, quam fraudatores solvissent, si accusati fuissent, tum quia id usu est receptum: tum quia non obligantur ad id ex pacto inito Custodes: tum quia talis pœna non debetur ante sententiam Judicis.

VI. Quæritur quarto; An etiam Clerici ad solutionem vectigalium teneantur?

Respondeo, imponentes, & exigentes vectigalia a personis Ecclesiasticis incurrere excommunicationem in cap. *Quamquam, De Censibus in 6.*, & in Bulla Cœnæ, quę cum quotannis renovetur, omnem consuetudinem in contrarium revocat. Incurritur etiam talis excommunicatio, ut dicemus cum de Censuris in Bulla Cœnæ, si exigantur onera a Clericis sponte dantibus, si scilicet exigantur, seu petantur tanquam a debitore, non vero si simpliciter rogentur, itaut nulla vi, aut metu, aut precum importunitate cogantur: Tunc solum cogi possunt Ecclesiastici a Superiore pariter Ecclesiastico ad communes aliquas expensas, quando agitur de reparando aliquo damno, quod æquo principaliter tangit Clericos, & Laicos; verbi gratia, si agatur de reparando flumine, quod minatur ruinas directe agris Clericorum, & laicorum, vel si agatur de reparanda via penitus destructa prope fundum Clericorum, itaut nequeant Clerici ducere plaustra ad suos agros. Econtra quando agitur de reparando damno, quod principaliter, & directe lædit laicos, & solum indirecte Clericos, inquantum scilicet sunt pars Communitatis; ut si imponatur gabella pro reparatione mœnium, pontium, viarum, &c. Clerici non tenentur, quia cæteroqui nunquam essent exempti a gabellis, cum quælibet gabella imponatur propter bonum Communitatis. Ita communiter apud Bonac., & alios.

VII. Notandum tamen, quod Clericus conjugatus, qui duxit Virginem, & gerit habitum, & tonsuram, solum gaudet privilegio Canonis, non vero exemptione gabellarum; ut ostendit Quarant. V. *Vectigal* contra Tuscum; Nec est exemptus Clericus in rebus, quas negotiationis causa advehit, ex Cap. *Quamquam*. Præterea si Clericus acquirat, vel emat bona affecta aliquo onere, verbi gratia reparandi vias publicas, solvendi censum Principi, &c., tenetur tale onus subire; ea enim de causa rem illam emit minore pretio. Et ratio ulterior est, quia res transit cum onere, ex cap. *Pastoralis, de Decimis*, & leg. *Mulier*, ff. *De distractione pignorum*.

VIII. Petes, Quid si non constet exactori, quod res, quæ a Clerico venduntur, aut invehuntur, sint fructus percepti ex agris Clerici, & non ex alieno agro, qui negotiationis causa invehantur?

Respondeo cum Gloss., & aliis relatis a Quarant. apud Bonac., standum esse juramento Clerici, & ipsius nunciorum, nisi aliud suadeant circumstantiæ.

ARTICULUS VIII.

De Restitutione ob simoniam facienda.

I. *Simonia habetur per studiosam voluntatem emendi, vendendi, aut permutandi pretio temporali rem spiritualem, aut spirituali annexam, sive pretium sit a manu, sive a lingua, sive ab obsequio.*

II. *Ad simoniam requiritur pactum saltem implicitum seu animus obligandi alium ad conferendam rem sacram propter temporalem, aut econtra.*

III. *Dividitur Simonia in Mentalem, Conventionalem, & Realem. Mentalis autem requirit actionem externam positam animo simoniaco. Simonia Confidentialis in Beneficiis potest esse sive Mentalis, sive Conventionalis, sive Realis. Quælibet istarum est casus reservatus, sed pœnæ Simoniacorum incurruntur solum a Simonia reali in Beneficis.*

IV. *Simonia prohibetur tam jure Divino, ac Naturali, quam Humano. Aliqua tamen simonia est solum juris Ecclesiastici, & in hac dumtaxat dari potest materiæ parvitas.*

V. *Materia Simoniæ est res sacra, seu quomodocumque spiritualis, ac supernaturalis, puta Sacramenta, Reliquiæ, Beneficia, Præstimonia, Sacramentalia, &c.*

VI. *Quid de Cappellaniis, de Commendis, de Vicariatu Episcopi, de Rectoriis Hospitalium, de labore in administrandis Sacramentis, & de rebus consecratis?*

VII. *Quid de alliciente alium rebus temporalibus ad conferendas res spiritales? Quid de reportante stipendium propter concionem, aut pro docenda Theologia?*

VIII. *Quid de transferente jus patronatus sive reale, sive personale propter pretium? Quid de resignante similiter Beneficium? Quid de commutante res spirituales lucrum afferentes?*

IX. *Quænam Pensio sit materia Simoniæ? Quænam etiam Resignatio Beneficiorum? Quænam redemptio vexationis licita est in Beneficiis? Quænam etiam transactio inter litigantes?*

X. Pro

X. *Pro actibus jurisdictionis Ecclesiasticæ nihil accipi potest. Quomodo pro dispensationibus a Curia Romana aliquid accipiatur?*

XI. *Num Pontifex possit simoniam incurrere etiam juris Ecclesiastici?*

XII. *Excusaturne a Simonia juris humani, qui illam sciente, & dissimulante Pontifice exercet?*

XIII. *Sex de causis, seu titulis excusari potest a simonia, qui dat temporale occasione spiritualis; nempe titulo sustentationis, liberalitatis, laboris extrinseci, privationis alicujus lucri, redemptionis vexationis injustæ, & ratione consuetudinis.*

XIV. *Qui, verbi gratia, celebrat, si detur stipendium, aliter eo die non celebraturus, non habet pro motivo secundario presse dicto stipendium, sed solum pro motivo excitante, & occasionali, aliter esset simoniacus.*

XV. *Quænam redemptio injustæ vexationis licita sit?*

XVI. *Simoniace datur pecunia intercessori immediato ad Beneficium obtinendum. Sed quid si detur intercessori mediato?*

XVII. *Beneficii collatio facta Titio ignoranti Simoniam ab alio commissam ad tale Beneficium obtinendum est irrita, nisi in fraudem simonia committatur, aut nisi electus resistat. Gaudet tamen hic beneficio triennalis possessionis.*

XVIII. *Quænam censuræ ferantur in Simoniacos? Quinam actus simoniaci sint invalidi; & quænam restitutio iis imponatur?*

XIX. *Pretium simoniace acceptum danti ne, an pauperibus restituendum est?*

XX. *Pretii hujus restitutio facienda est, etiamsi non detur obligatio ex justitia ponendi rem sacram, quæ venditur.*

XXI. *Quid si conferens rem sacram privet se in gratiam alterius commodo aliquo sive temporali, sive spirituali?*

XXII. *Qui rem sacram emit, illam non tenetur restituere, quamvis vendens teneatur restituere pretium, quod pro illa accepit.*

XXIII. *De Restitutione ob usuram facienda remissive.*

I. FUse egimus de Simonia in tertio ex Opusculis Theologico-Moralibus, agentes de Beneficiis Ecclesiasticis: Hic ea omnia digna quidem scitu paucis perstringimus, ut innotescat, quænam restitutio ob tale scelus facienda sit.

Quæritur primo, Quid sit Simonia?

Respondeo, Simoniam esse *Sacrilegium consistens in studiosa voluntate emendi, vendendi, seu permutandi pretio temporali rem sacram, seu spiritualem, vel spirituali annexam*. Appellatur autem Simonia a Simone mago, qui Actor. 8. emere volebat Dei donum, seu Spiritum Sanctum. Ita communiter cum Less. lib. 2. disp. 33., Bonac. tract. 2. quæst. 1., & aliis. Explicatur isthæc definitio. Dicitur esse *Sacrilegium*, quia opponitur virtuti Religionis æstimare res sacras tanquam profanas: Dicitur *Consistens in studiosa voluntate*, tum quia etiam mentaliter committitur Simonia; tum etiam quia magna ex parte pendet ex intentione operantis, ex Cap. *Tua nos, De Simonia;* nam si tradens, verbi gratia, pecuniam non det animo emendi rem sacram, sed alio titulo, non committit Simoniam. Dicitur *Emendi*, aut *Vendendi*, &c., quo significatur committi simoniam per quemcumque contractum onerosum, & non gratuitum. Dicitur *Pretio temporali*, nam si detur spirituale pro spirituali, extra materiam Beneficialem, non est Simonia, quæ præcise consistit in hoc, quod credantur spiritualia posse pretio temporali compensari. Est autem pretium temporale triplex, scilicet muneris, linguæ, & obsequii, seu pretium a manu, a lingua, & ab obsequio; Pretium muneris, seu a manu, est pecunia, equus, vestis, & alia, quæ solent vendi: Pretium linguæ est laus, vel vituperatio, patrocinium Advocati, commendatio apud Principem: Pretium obsequii dicitur ministerium aliquod in rebus temporalibus, ut est famuli, Æconomi. Dicitur *Rem sacram, seu spiritualem*, quia res mere temporalis non est materia simoniæ, cum Simonia in eo consistat, quod res spiritualis putetur posse pretio æstimari. Dicitur autem res spiritualis non quodcumque est incorporeum, sed quod est aliquo modo supernaturale, ut sunt Virtutes supernaturales, Gratiæ gratis datæ, sacramenta, Consecrationes, & omnis usus potestatis supernaturalis. Dicitur demum *Vel spirituali annexam*, seu quæ connexionem habeat cum re spirituali; Quod tripliciter accidere potest ex Less., antecedendo, comitando, & consequendo; Antecedit enim, verbi gratia, rem spiritualem Juspatronatus, quia supponitur præsentationi ad Beneficia; item vestes Sacræ, Templa, Altaria, quippe quæ referuntur ad Missam; Comitatur rem spiritualem labor in ministerio Sacramentorum; Consequitur rem spiritualem Beneficium Ecclesiasticum, quia supponit divinum Officium Sacrum, propter quod datur.

II. Ex quibus sequitur primo, non esse Simoniam vendere doctrinam; quamvis enim sapientia non possit auro æstimari, non tamen in hoc fit ulla irreverentia divino dono, etiamsi supernaturaliter collato, cum possit sapientia aliter comparari. Sequitur secundo, in statu puræ naturæ, in quo nihil supernaturale daretur, impossibilem fore Simoniam. Sequitur tertio, esse a labe simoniæ immunem, qui dat alicui Beneficium Ecclesiasticum, ne sibi noceat,

aut ut sibi faveat, si nullum intercedat pactum, nec intentio illum obligandi: Contra vero committitur Simonia, si intercedat pactum, aut intentio illum obligandi, *sive temporale detur in pretium*, *sive tanquam motivum conferendi spirituale*, *sive etiam quando temporale est gratuita compensatio pro spirituali*, *aut contra*, ut dicitur in propos. 45. damnata ab Innoc. XI. Quare, ut notat Less. cap. 31. dub. 20., ad Simoniam requiritur, ut adsit intentio obligandi, & quoddam tacitum pactum, quia hoc est pecunia possidere Spiritum Sanctum, quod volebat Simon Magus; Idcirco dare temporale non tamquam pretium, sed ut motivum, per quod intendas alium obligare ad dandum spirituale, procul dubio est Simonia: Contra tamen si des temporale omnino gratis, quamvis ab illo speres aliquod spirituale. Sicut neque est simonia, si ineas pactum de danda sustentatione congrua Sacerdoti pro Missa, pro Litaniis, &c., quia est debita jure naturali sustentatio laboranti, ut infra dicemus. Est pariter Simonia, si des temporale in gratuitam compensationem pro spirituali, putando quod possit compensari, seu æque pensari temporale cum spirituali, seu obligatio orta ex dono temporali cum collatione doni spiritualis; Sed non est Simonia inservire Episcopo, non quidem animo obligandi, ut tibi conferat Beneficium, sed animo ostendendi idoneitatem ad inserviendum Ecclesiæ, a qua Episcopus moveatur ad conferendum tibi gratis Beneficium; In quo tamen casu Episcopus esset simoniacus, si Beneficium conferret in gratuitam compensationem pro servitio sibi præstito.

III. Quæritur secundo, Quotuplex sit Simonia?

Respondeo, esse triplicem, Mentalem, Conventionalem, & Realem. Simonia mentalis non est intelligenda, quæ solum mente concipitur sine actu externo: quia Simonia, quæ subjacet pœnis Ecclesiasticis, non potest in solo actu interno consistere, cum Ecclesia non judicet de internis; Et saltem de facto non reservat peccata mere interna, quamvis, juxta sententiam Vasq. possit ea reservare; Sicut potest dispensare vota interna: Quare pro Simonia mentali venit actio externa, quæ fit animo simoniaco, quamvis ipsa secundum se labem Simoniæ non præseferat; ut si Sacerdos accipiat eleemosynam; quæ datur pro missa, tanquam pretium missæ; vel si quis ad Chorum accedat intendens distributiones accipere, non tanquam sustentationem celebrantis, & canentis, sed tanquam pretium celebrationis, & Divini Officii, nullo de hoc dato externo signo; Ad eum modum, quo dicitur Sacrilegium mentale committere, qui expuit in Ecclesia animo illam contemnendi, quamvis non prodat sacrilegam hanc intentionem. Quod si quis per actionem spiritualem principaliter intendat commodum temporale, verbi gratia celebret principaliter propter stipendium, secus non celebraturus; aut econtra per actionem temporalem intendat principaliter aliquid spirituale, ut qui Episcopo inservit principaliter ad obtinendum Beneficium, Simoniam mentalem committeret, quia dum dat spirituale principaliter propter temporale, videtur velle unum cum alio commutare, & magis æstimare temporale, quam spirituale; nam propter quod unumquodque tale est, & illud magis.

Si tamen quis primario celebraret intendendo cultum Divinum, & secundario, ac occasionaliter stipendium, Simoniam non committeret, esto verum sit, quod si hic non haberet stipendium, a celebratione missæ abstineret.

Simonia Conventionalis consistit in pacto, seu conventione expressa, vel tacita commutandi spirituale cum temporali. Demum realis Simonia habetur per hoc; quod de facto tradatur, vel accipiatur res spiritualis pro temporali, aut econtra.

Rogabis primo, Ad quod genus Simoniæ reducatur Simonia Confidentialis in Benficiis, seu Confidentia beneficialis?

Respondeo, aliquando reduci ad Mentalem, aliquando ad Conventionalem, aliquando ad Realem. Est enim Simonia Confidentialis mentalis resignare, verbi gratia, beneficium intentione obligandi alterum ad solvendos fructus, aut pecuniam, sed non manifestando illi suam intentionem: Est vero Conventionalis, si pactum ineas resignandi Beneficium, vel conferendi, vel aliquem præsentandi, aut instituendi ad hoc, ut Beneficium tibi, vel alteri restituatur, vel ut sibi, vel alteri pars fructuum tradatur: Est demum realis, si Beneficium re ipsa renuntietur, vel conferatur cum tali pacto. Verum ad incurrendas pœnas latas a Pio IV., & a Pio V. contra committentes Simoniam confidentialem in Beneficiis requiritur ipsa realis receptio beneficii in confidentiam. Hæc autem quatuor modis contingere potest: Primo, si recipiatur Beneficium ab altero, qui illud resignet cum spe, & confidentia, quod recipiens Beneficium illud postea dimittat, vel solvat fructus in favorem resignantis, aut alterius, quem resignans destinaverit; Nec est necesse, quod tale pactum sit expressum; sed satis est, si resignans cum hac spe resignet, & resignatarius advertat talem animum resignantis, etiamsi ipse talem animum non habeat; quia sic censetur tacite in illum animum consentire, & Simoniam committere, non quidem directe, sed indirecte, quatenus ad illam concurreret; Quicquid sit, an hic excommunicationem tunc incurreret? quod discutit Suarius disp. 22. de Cen-

de Censuris sect. *6.* n. 18. Secundo, committitur Simonia confidentialis in Beneficiis, si quis conferat Beneficium alteri sub dicta spe, & confidentia, quæ scilicet implicitum pactum contineat. Tertio, si quis eligat aliquem ad Beneficium sub eadem spe. Quarto, si Patronus, licet laicus, aliquem præsentet cum præfata spe.

Rogabis secundo, Num Simonia ficta reducatur ad Conventionalem; ut si quis promittat Beneficium pro pecunia, intentione solum recipiendi pecuniam, non tradendi Beneficium?

Respondeo cum communi contra Navar. negative; Simonia enim ficta non est Simonia; sicut homo pictus non est homo, & consequenter ad nullam Simoniæ speciem reduci debet: Ex quo fit, quod simoniacus fictus pœnas contra simoniacos latas non incurrat.

Notandum tamen, quod Clemens VIII. prohibuit, ne Regulares absolvant non solum a quavis Simonia reali, sed etiam a confidentia beneficiali, unde quælibet confidentia beneficialis etiam mentalis, & conventionalis, quæ in opus externum prodit, est casus reservatus, licet pœnæ a Pio IV., & V. latæ restringantur ad realem. Nonnulli tamen putant solam Confidentiam Beneficialem realem a Clem. VIII. reservari, quia sola hæc habet annnexam censuram, & casus Pontificii reservati universim censuram habent annexam. Advertit autem Suarius loco laudato, censuram latam a Pio V. adversus committentes crimen Simoniacæ Confidentiæ beneficialis incurri duntaxat a recipientibus beneficium sub confidentia, non a dantibus, quia homines procliviores sunt ad recipiendum, quam ad dandum.

IV. Quæritur tertio, Quonam jure simonia prohibeatur?

Respondeo, prohiberi jure Divino, naturali, & humano: Divino quidem, tum quia 1. & 3. Regum reprehenditur Jeroboam, quod daret Sacerdoti pretium; tum etiam quia Christus Dominus Matth. 10. dixit, *Gratis accepistis, gratis date*. Jure etiam naturæ, ratio dictat Sancta sancte tractanda; non tractantur autem sancte, si permutentur pro re temporali, quæ vilis est, juxta illud, *Quis non putet vile esse, quod venditur?* Unde Actor. 8. D. Petrus dixit Simoni mago: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri*. Demum jure humano prohibetur in toto titulo de Simonia.

Notandum autem, aliquam Simoniam solo jure humano prohiberi. Sicut enim dum Papa prohibet, ne ab Ecclesia quisquam extrahatur in reverentiam Ecclesiæ, committitur Sacrilegium, si aliquis extrahatur, quod tamen præcisa Papæ prohibitione non esset Sacrilegium; ita dum Papa prohibet, ne res aliqua temporalis spirituali annexa vendatur in reverentiam talis rei, committitur Simonia, si vendatur; quæ Simonia jure tantum humano est talis; nam præcisa tali prohibitione non esset Simonia: Unde oritur alia celebris divisio Simoniæ in Naturalem, & Ecclesiasticam, seu in Simoniam juris Naturalis, quæ scilicet jure naturali prohibetur, & juris Ecclesiastici, quæ scilicet prohibetur jure humano.

Hujusmodi autem Simoniæ jure tantum humano prohibitæ plures sunt. Primo juxta sententiam Navar., & aliorum, communiter tamen rejectam, si vendantur Beneficia, (non quidem ratione tituli, quod sane jure Divino prohibetur,) sed ratione fructuum temporalium, & emolumentorum, sicut venduntur vasa sacra ratione materiæ: Communiter tamen Doctores apud Less. cap. 35. dub. 2. censent etiam hoc pacto invendibilia Beneficia jure divino, quia dum venduntur ratione fructuum, venditur jus ad fructus; sed jus ad fructus habetur ratione officii spiritualis; ergo sic venderetur officium spirituale, quod jure divino est illicitum. Illud certissimum est, esse contra justitiam, si sic vendantur Beneficia; damnata quippe est ab Alex. VII. propos. 22. dicens: *Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator non exigit pecuniam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur*; Cum enim gratis ea dari debeant, contra justitiam est aliquid pro iis accipere: sive talis Simonia sit juris divini, sive solius juris humani.

Secundo, est Simonia solius juris humani permutatio Beneficii cum alio Beneficio facta propria auctoritate. Tertio, resignatio Beneficii propria auctoritate facta cum reservatione pensionis. Quarto, acceptio alicujus rei occasione examinis, ex Trident. sess. 24. cap. 15. Quinto, venditio officiorum Ecclesiasticorum spiritualium, seu habentium onus spirituale, necnon venditio Officii Dispensatoris, seu Procuratoris, aut Æconomi, sicut etiam Defensoris, seu Syndici, aut Judicis, aut Primicerii, seu Magistri Chori, cujus est Clericos instruere, & Chorum dirigere.

Notandum demum, non dari in Simonia juris naturalis parvitatem materiæ. Nam si pro re spirituali detur modica pecunia, major irreverentia irrogatur rei sacræ; Unde fit, excommunicationem latam contra Simoniacos incurri, etiamsi pretium, quod traditur, modicum sit: Et idem dicas si res spiritualis sit parva; Quicquid in contrarium sentiant nonnulli apud Ugolin. de Simonia cap. 16.; nam semper habetur tota malitia Simoniæ consistens in hoc, quod temporale æque pensetur, ac spirituale: Sicut non datur parvitas materiæ in perjurio, quia

quia quamvis in re levi juretur falsum, habetur tamen semper eadem malitia perjurii per hoc, quod Deus in testem falsi adducatur: Contra vero in furto levi, v. g. quamvis habeatur injustitia, habetur tamen injustitia levis, seu damnum leve, & ideo datur parvitas materiæ; Sicut etiam datur materiæ parvitas in Simonia, quæ sit solius juris Ecclesiastici, puta si detur modicum quid pro consequendo officio Æconomi, ut notat Bonac. cum aliis.

V. Quæritur quarto, Quænam sit materia Simoniæ?

Respondeo esse rem sacram, seu quocumque modo spiritualem, & supernaturalem; cum Simonia opponatur Religioni, & cultui debito rebus sacris. Hinc primo est materia Simoniæ gratia sanctificans; ut si vendatur Baptismus, vel Absolutio Sacramentalis. Secundo Eucharistia, si v. g. vendatur ad magicas artes. Tertio Reliquiæ, & earum retentio, sunt enim res sacræ, nec expetuntur, nisi ob sanctitatem ejus, cujus sunt reliquiæ. Quarto Præstimonia, quæ tanquam Beneficia conferuntur a solis Prælatis ecclesiasticis, & instituta sunt ad alendos in studiis Clericos pauperes, ut possint inservire Ecclesiæ; Pius enim V. adjunxit illis Officii divini obligationem, & ideo hujusmodi Beneficia habent titulum spiritualem.

VI. Quinto Cappellaniæ collativæ, seu erectæ auctoritate Episcopi, non tamen non collativæ, ex Pal. quamvis gratis dari debeant, unde circa Simoniam, sed contra justitiam venderentur.

Item Commendæ spirituales, seu Vicariæ, quæ pariter habent pensum Canonicarum horarum, & administrationem Sacramentorum, Commendæ vero militares Equitum Hierosolymitanorum non sunt materia Simoniæ, quia non sunt quid spirituale, & conferuntur solum titulo laico in stipendium pro temporalibus servitiis, quamvis non dentur nisi Religiosis professis, Vicariatus autem Episcopi materia quidem Simoniæ est, cum jurisdictionem habeat spiritualem; at qui illum emit, probabiliter non tenetur resignare, ut docet Sanch. lib. 2. Opusc. cap. 3. dub. 113. contra Navar., & Lopez, eo quod non sit Beneficium.

Sexto, Rectoriæ, seu Officia regendi, & gubernandi Hospitalia Episcopi auctoritate erecta. Et ratio est, quia habent spiritualem administrationem annexam; secus vero si tantum habeant administrationem temporalem, & curam infirmorum.

Septimo, Sacramenta, vel Sacramentalia, aut ipsorum usus, quamvis non committatur Simonia accipiendo aliquid pro materia remota Sacramentorum, videlicet pro pane, oleo; Nec in Matrimonio pro ejus materia proxima, scilicet pro traditione corporum, quia talis traditio non est actus potestatis spiritualis, ut notat Suar. lib. 4. c. 11.; Nec si aliquid accipiatur pro labore, & defatigatione extraordinaria in Sacramentis, administrandis. Dicitur autem labor extraordinarius, qui per accidens conjungitur cum Sacramentorum administratione, & sine quo adhuc Sacramenta administrari possent; v. g., si longum iter faciendum sit, ut missa celebretur: Pro labore autem intrinseco, seu necessario requisito nihil accipi potest, ex regula Urbani in Cap. *Si quis objecerit* 1. quæst. 3., ubi dicitur; *Qui horum alterum vendiderit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*. Unde nihil accipi potest, aut tradi pro functionibus Ordinum, puta pro lectione Epistolæ facta a Subdiacono, pro Divinis Officiis persolvendis, pro recitatione litaniarum, &c., & aliis privatis orationibus, quæ impulsu Spiritus Sancti fiunt, & ad spiritualem effectum ordinantur: Potest tamen accipi ab administrante Sacramenta, & a persolvente Divina Officia solum id, quod præcise requiritur ad sui sustentationem, quamvis aliunde habeat, unde sustentetur; Nam sicut gratis dicitur laborare Artifex, cui dantur tantum necessaria ad sustentationem, ita in casu nostro: Immo sustentatio potest deduci in pactum, ex Bonac. hic, Suar., Valent. contra Sylvest., & alios, quibus videtur favere D. Th. 2. 2. quæst. 100. art. 3. Et ratio est, quia quilibet in pactum deducere potest, quod sibi jure naturæ debetur, sicut est sustentatio.

Octavo, omnes res consecratæ, ut Calix, Ecclesiæ, &c., ratione materiæ vendi possunt, nisi specialiter prohibeatur; Sicut prohibetur in jure Canonico venditio sepulturæ, etiam ratione soli; sic etiam Chrismatis, balsami; Et Romæ specialiter prohibetur venditio effigiei cereæ (dictæ Agnus Dei) benedictæ, ad vitandum periculum Simoniæ, etiamsi non vendatur pluris ob consecrationem; Consuetudo tamen obtinuit vendendi ad Cappellam extruendam cum sepultura certum locum Ecclesiæ, vel Cœmeterii, quæ consuetudo, si fuit legitime præscripta, potuit abrogare jus humanum.

Neque dicas, si potest sine Simonia vendi Calix ratione materiæ, quare non potest vendi actio, v. g., sacrificandi ratione laboris intrinseci annexi?

Respondeo cum Suar. c. 14. disparitatem esse, quia in primo casu materia antecedit spirituale, nec valorem suum amittit per conjunctionem cum spirituali; in secundo casu labor non antecedit actionem sacrificandi, sed ipsam comitatur, & veluti cum illa permiscetur, & fit totum quoddam quasi spirituale, unde fit invendibilis jure Divino. [Quare vendi possunt ratione materiæ solum quæcumque antecedenter sunt

sunt connexa cum spiritualibus, ut Calix consecratus &c., qui scilicet antecedenter ad consecrationem est pretio æstimabilis, & eatenus vendi potest; prout dicemus de bonis, quibus annectitur Jus patronatus, quin tamen ipsum Jus patronatus vendi possit.

Nono, Quæcumque concomitanter sunt annexa cum spiritualibus, ut labor intrinsecus rei sacræ, vendi non possunt, nec vendi possunt quæcumque sunt annexa rei sacræ consequenter, ut Beneficium, in quo jus ad fructus consequitur ad officium spirituale. Ratio est, quia hoc jus pendet a re sacra, sicuti accessorium a principali; Et aperte constat id non licere ex illa regula in c. *Si quis objecerit* 1. quæst. 3. *Qui horum alterum vendiderit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

VII. Decimo, qui promittit alteri aliquid temporale cum pacto, quod bonum opus aliquod faciat, v. g., quod fiat Christianus, quod recitet rosarium, &c., est simoniacus obligando alterum ex contractu oneroso; Si tamen promittatur aliquid sub conditione, quod fiat opus spirituale, intendendo tantum spirituale bonum operantis, non est Simonia: Verbi gratia, si dicas sine ullo pacto, Dabo tibi centum si fias Christianus: Etenim in hoc secundo casu non habetur contractus onerosus, sed liberalis donatio facta animo alliciendi illum ad opus spirituale. Ita Bonac. quæst. 4. §. 7., & Less. dub. 12., Ubi docet, aliud esse offerre aliquid ad alliciendum animum alterius, ut ponat opus bonum, aliud esse offerre aliquid ad obligandum illum, ut ponat opus bonum, quod ipsimet donatario prodest.

Undecimo, Aliquid tradere pro ingressu in Religionem, vel ob professionem, tanquam pretium, est simonia. Dari tamen aliquid potest pro congrua sustentatione ejus, qui Religionem ingreditur; sic enim datur temporale pro temporali, videlicet pro onere alendi illum, sicut in matrimonio datur temporale ad onera matrimonii sustinenda.

Duodecimo; Nihil accipi potest pro concione Sacra, quippe quæ actus sacer est, cum Concionator sit veluti legatus Dei ad hoc missus. Et constat, quia Christus Dominus mittens Apostolos ad prædicandum Matt. 10. eodem modo loquitur de prædicatione, ac de curatione morborum, & mortuorum resuscitatione, dicens; *Euntes prædicate, dicentes, quia appropinquavit Regnum Dei, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite; gratis accepistis, gratis date*; ergo concionari non gratis, sed accepto pretio, Simonia est; Solum pro sustentatione potest aliquid accipi, & in pactum deduci, ut diximus de stipendio Missæ. Ita communiter apud Bonac. §. 10.: Contra tamen potest aliquid accipi pro docenda Theologia sive morali, sive scholastica, quia actiones magistri docentis Theologiam sunt naturales pretio æstimabiles: Idem dicas, si detur consilium in materia theologica pretio accepto; etiamsi detur tale consilium ad pacandam conscientiam; quia consilium est aliquid naturale, quod etiam a non Theologo dari potest. Idem etiam dicas, si aliquid accipiatur pro docenda Doctrina Christiana, ad instruendum intellectum, & exercendam memoriam, ut fit in scholis; Secus vero si doceas illam concionando, persuadendo, ostendendo ejus credibilitatem. Nec est simoniacus, qui vendit licentiam docendi Theologiam, aut Magisterium, seu Doctoratum theologicum, cum actus docendi, ad quem doctoratus dirigitur, non sit spiritualis, secus vero pro licentia concionandi, audiendi confessiones, &c.

VIII. Decimotertio, Juspatronatus, (sicut etiam Præsentatio) cum habeat pro objecto Beneficium, est aliquid spirituale, quod vendi non potest; bona tamen, quibus Jus patronatus annexum est, vendi possunt, dummodo non pluris vendantur ratione Jurispatronatus annexi, quia sunt antecedenter connexa cum re sacra. Notandum tamen, quod solum Juspatronatus reale, quod annectitur bonis, quæ vendi possunt, cum iis transferatur, in quibus fundatur, sicut accessorium transfertur cum principali, ut consecratio Calicis cum ipso Calice; Jus patronatus vero personale solum transferri potest per liberalem donationem, interveniente Episcopi consensu, dummodo non transferatur in Religiosos, ex cap. *Illud*, *De jure patronatus*.

Decimoquarto, Qui alteri resignat Beneficium, non potest quicquam exigere a resignatario ratione fructum, quia Beneficium annectitur rei sacræ consequenter. Et ratio a priori est, quia persona privata non potest separare præbendam, seu fructus, & emolumentum ab ipso Beneficio; ergo cum non possit quicquam exigere ratione Beneficii, nec poterit quicquam exigere ratione emolumenti, & ideo communius docent Theologi cum Caj., Val., Azor., Bonac. contra Ugolin., Navar., & Canonistas, quod in tali casu committeretur Simonia juris Divini. At potest Papa conferre Beneficium, reservata sibi, vel alteri pensione; quia potest separare Beneficium a fructibus. Cum enim Beneficium duo dicat, jus ad sacrum ministerium, & jus ad fructus, & hujusmodi duo jura ex auctoritate, & institutione Summi Pontificis connectantur, poterunt eadem auctoritate separari; nam res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur. Præterquamquod Papa si non est dominus, est saltem administrator bonorum Ecclesiasticorum cum maxima facultate, & jure; ergo potest uni Beneficium conferre cum jure ad partem

fructus

fructus, alteri vero jus ad alteram partem fructus. Episcopi vero quia non possunt separare a Beneficiis emolumenta, jure positivo id prohibente, ideo nec possunt conferre Beneficia cum pensione, exceptis quibusdam casibus. Primus est, dum senex Beneficium renunciat; tunc enim nonnulli Doctores docent, posse Episcopum reservare pensionem ad vitam renunciantis propter senium. Secundus in transactionibus, & concordia litium potest pensionem personalem imponere, ex Cap. *De Cætero*, ut videre est apud Suar. de Simonia lib. 4. cap. 24.

Decimoquinto, Commutari quidem potest res pure spiritualis cum spirituali, puta missa cum missa, quia non fit injuria rei sacræ; ut communiter docent contra Sylvest. Armil. & alios apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 15. secus vero si permutetur res non pure spiritualis cum altera, puta corona benedicta materiæ pretiosæ cum corona vilis materiæ, cui sint annexæ indulgentiæ; quia sic videtur permutari spirituale cum temporali. Et ideo neque etiam potest permutari, quod est spirituale antecedenter cum eo, quod est spirituale consequenter, puta Calix consecratus cum Beneficio. Quamvis autem Calix consecratus permutari possit cnm alio ejusdem valoris, at ex jure positivo nullum Beneficium potest privata auctoritate cum alio commutari, ex Cap. *Quæsitum*, *De rerum permutatione*, & ex cap. ult. *De pactis*, ubi omnis omnino pactio prohibetur in Beneficiis. Puto proinde, quod in permutatione Beneficiorum facta privata auctoritate committeretur Simonia juris humani, non divini, ut communiter docent contra nonnullos apud Azor. cap. 12. Sicut etiam si commutentur actiones pertinentes ad provisiones Beneficiorum, ut si dicatur, Tu elige hunc, & ego eligam, vel præsentabo illum.

Quod autem attinet ad Superiorem Religionum, dubium est, an includatur nomine Beneficii ad incurrendas has pœnas permutantium? Affirmant Suar. Navar. & alii communius contra Barbos. Bonac. quæst. 7. §. 2. Less. dub. 25. Azor. & alios apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 156. qui putant nomine Beneficii venire tantum ea, quæ rigorose Beneficia vocantur, & ideo non esse simoniacum pactum, quo duo conveniant invicem ad dandum alteri Suffragium pro Superioratu. Ex qua quæstione dependet illa alia, num scilicet Mediatores simoniacæ electionis ad Superioratus incidant in excommunicationem. Incidunt enim, si Superioratus habeant rationem Beneficii presse dicti; Secus vero non incidunt.

Permutationes tamen Beneficiorum, si pure fiant, & sine pensione, fieri possunt auctoritate Episcopi loci, in quo situm est Beneficium, ex Cap. *Quæsitum*, *De rerum permutatione*: Si tamen inæqualitas fructuum compensanda sit pensione, aut pecunia, communius docent contra Sylvest. Cajet. Fabian. quod non satis sit auctoritas Prælati, sed requiratur auctoritas Papæ.

IX. Decimosexto, Pensio temporalis, seu laicalis non est materia Simoniæ, cum non sit spiritualis, contra vero pensio clericalis, sive spiritualis ea sit, (quæ scilicet fundatur in titulo mere spirituali, ut quæ datur concionatori, vel adjutori Episcopi, aut Parochi,) sive media, quæ scilicet non fundatur in officio spirituali, sed in statu spirituali, ut quæ datur Clerico pauperi, aut Parocho seni, ut se sustentet. Ratio est, quia utraque pensio habet onus recitandi officium Beatæ Virginis, & ideo non datur titulo spirituali, seu propter causam spiritualem. Sed Avil. 2. parte cap. 6. dub. 5. putat probabiliter, esse temporalem pensionem fundatam non in officio, sed in statu spirituali: Potest tamen Pensionarius vendere fructus pensionis etiam ad totam vitam, dummodo retineat titulum pensionis; quia hoc haberet rationem veluti locationis, vel anticipatæ venditionis fructuum.

Decimoseptimo: Resignatio Beneficiorum, si non sit pura, est simoniaca; quia omnis pactio in spiritualibus simoniam continet, ex Cap. final. *De Pactis*. Verum Sot. Covarr. Sylvest. & alii cum Less. cap. 35. dub. 14. docent, rationem Beneficii in favorem tertii factam in manibus Ordinarii cum clausula, Non aliter, nec alias, non esse illicitam, cum non contineat Simoniam nec juris Divini, nec humani. Non Divini, quia nihil temporale accipitur pro tali renunciatione conditionata; & sane si permutatio Beneficiorum non continet hujusmodi Simoniam, a fortiori nec cessio; Nec continet Simoniam juris humani; quia nulla intervenit pactio, cum non habeatur ulla promissio Ordinarii, sed solum habeatur resignatio conditionata, quam si Prælatus acceptare nolit, nihil actum est.

Decimo octavo, Dubium est, an redemptio vexationis licita sit in Beneficiis? Equidem dico cum Less. dub. 18. quod qui habet jus in re ad Beneficium per hoc, quod sit institutus, aut confirmatus, aut per hoc, quod libere illud sit jam collatum, potest pecuniam offerre ei, qui vult impedire possessionem. Ita communiter, quia possessio est quid temporale: Qui vero habet tantum jus ad rem, aut remotum per hoc, quod est dignus, aut habet propinquum, per hoc, quod sit præsentatus, vel electus, vel postulatus, sed nondum institutus, aut confirmatus, non potest vexationem redimere ab iis, qui possunt prodesse, ut scilicet non opponant, quæ jure possunt opponere, quia sic pecunia sterneretur via ad Beneficium. Sed potest

teſt vexationem redimere ab iis, qui modis aperte iniquis poſſunt obeſſe, verbi gratia, infamando electum, &c., quia offerretur pecunia ſolum ne inique noceatur, & omnis hujuſmodi injuſta vexatio redimi poteſt.

Decimonono, *Litigantes Simoniacam tranſactionem facerent*, ſi remitterent jus ſpirituale pro temporali, ut patet. Unde non licet litem circa Beneficium, aut circa juriſdictionem ſpiritualem, aut circa reliquias componere tradita pecunia, ex cap. *Conſtitutus*, *De tranſactionibus*; quia ſic permutaretur ſpirituale cum temporali; Licita tamen eſt tranſactio compenſando unam rem ſpiritualem cum altera, quamvis talis tranſactio in materia beneficiali fieri non poſſit privata auctoritate ob periculum Simoniæ, ex cap. *Super eo*, *De tranſactionibus*; Poſſunt tamen facere amicabilem compoſitionem, ſeu amicabiliter ſtare judicio alicujus prudentis Arbitratoris, (qui tamen ſit Clericus,) quod idem eſt ac facere compromiſſum in aliquem Clericum, qui litem dirimat, & perinde ac ſi eſſet Judex, partes componeret, exigente id æquitate, & bono pacis, ut notat hic Bonac. quæſt. 4. §. 15., juxta doctrinam Suarii, Tabienæ, & Axorii p. 3. lib. 12. cap. 8.

X. Vigeſimo, Pro actibus juriſdictionis fori interni nihil accipi poteſt, puta pro diſpenſatione votorum, aut pro abſolutione a Cenſuris, &c., quamvis poſſit dari pecunia injuſte deneganti abſolutionem, ad redimendam injuſtam vexationem; Pro actibus vero juriſdictionis laicæ, & temporalis non eſt Simonia aliquid accipere. Verbi gratia, ſi Prælatus pretio concedat licentiam docendi, vel legitimandi ad honores temporales, aut ad ſucceſſionem in bonis; quia non exercet juriſdictionem ſpiritualem ſecundum ſe, ſed quatenus continet temporalem. Contra tamen Simonia eſt accipere, vel dare aliquid pro actibus Eccleſiaſticæ juriſdictionis, etiam fori externi; quia talis juriſdictio eſt ſpiritualis, & ſupernaturalis. Unde Trident. ſeſſ. 25. cap. 18. generaliter decernit diſpenſationes Eccleſiaſticas gratis concedendas, alioquin cenſendas eſſe ſurreptitias. Receptum tamen eſt ſtylo Curiæ Romanæ, ut in diſpenſationibus concedendis aliquid ſolvatur. Primo, pro ſuſtentatione Papæ. Secundo, pro labore, & ſuſtentatione Officialium; quamvis enim pro tali labore nihil accipi poſſit jure Eccleſiaſtico, diſpenſat tamen Pontifex in hoc caſu, ut docent Suar., Azor., Bonac. Tertio, quia Pontifex commutat unum opus in aliud, hoc eſt diſpenſat relaxando vinculum, & imponendo ſolutionem pecuniæ erogandæ in pios uſus. Quarto, in pœnam delicti. Quinto, ne facile diſpenſationes petantur.

XI. Quæritur quinto, Quinam poſſint Simoniæ peccatum incurrere?

Reſpondeo, omnes homines poſſe incurrere in Simoniam Divino, & naturali jure prohibitam, quia omnes naturali juri ſubjiciuntur; unde eſſet ſimoniacus Papa, ſi prævio pretio conferret Ordines Sacros, & Paganus, qui emeret Baptiſmum, aut ad Simoniam cooperaretur. Verum Simonia non committitur ex pacto cum Deo inito, verbi gratia, ſi illi permittatur res temporalis in caſu, quod donet prophetiam; nam nihil temporale donari poteſt Deo, quia dominus eſt univerſorum: Solum poteſt illi dari obſequium ſpirituale, dando verbi gratia eleemoſynam; unde ſpirituale in tali caſu cum ſpirituali, nempe cum prophetia, commutaretur.

Præterea Simoniam jure humano prohibitam poſſunt omnes fideles incurrere, quia omnes legibus Eccleſiaſticis ſubjiciuntur, etiam Papa, quatenus ſecundum vim directivam etiam iis legibus ſubditur: Quamvis præſumendum, quod habeat juſtam cauſam diſpenſandi ſecummet, quando eas leges tranſgreditur: quia in facto Principis non præſumitur delictum, ut bene Suar. lib. 4. cap. 52. Non diſpenſat tamen in ulla lege, quando vendit aliqua officia Eccleſiæ, quia nulli ſupremo Principi prohibetur vendere officia vendibilia ſuæ Reipublicæ, ut notat Azor. part. 3. lib. 12. cap. 29.

XII. Dubium eſt, An Simoniam jure humano prohibitam incurrant, qui illam exercent, ſciente, & diſſimulante Pontifice? Sanch. lib. 3. diſp. 35., Sal., & alii putant non incurrere, quia Papa nunquam præſumitur delinquere; Si autem diſſimularet Simoniam, & non in ea diſpenſaret, delinqueret; ergo præſumenda eſt diſpenſatio. Verum Suar., Sayr., & alii putant, non excuſari a tolerantia Pontificis, quoties aut non habet Pontifex certam ſcientiam de re, quam tolerat; aut tolerat, quia non expedit omnes punire ad vitanda pejora mala; aut non eſt talis conſuetudo in contrarium, ut judicio prudentum ea lex ſublata cenſeatur. Ratio eſt, quia in dubio obligationis legis judicandum in favorem legis, quæ ſtat in poſſeſſione; atqui tolerantia Pontificis in his caſibus ad ſummum reddit tantum dubiam obligationem legis; ergo lex non ceſſat obligare. Minor probatur; nam taciturnitas, & tolerantia non ſemper arguit conſenſum, præſertim quia delictum aliquando non punitur, quia non denunciatur, vel quia non expedit omnes delinquentes punire, vel quia ex negligentia aliqua Superior tacet, quin factum approbet.

XIII. Quæritur ſexto: Quibus de cauſis excuſari poſſit a labe Simoniæ accipiens temporale occaſione ſpiritualis?

Reſpondeo, ſex cauſas, ſeu titulos enumerari. Primus eſt titulus debitæ ſuſtentationis. Secundus titulus liberalitatis, ſeu gratitudinis. Tertius, labor extrinſecus, ſeu per accidens annexus operi ſpirituali. Quartus, privatio liberta-

tis, vel alterius commodi temporalis, seu lucrum cessans, ut exerceatur spirituale. Quinto, redemptio vexationis. Sextus, consuetudo accipiendi temporale pro spirituali in aliquo casu, in quo jure tantum humano id prohibetur, cum consuetudo possit legem humanam abrogare. De singulis nonnulla dicemus.

Primo itaque sine Simoniæ labe potest accipi aliquid pro spirituali titulo sustentationis; Nam Simonia tunc habetur, quando accipitur aliquid indebitum; Sustentatio autem jure naturæ est debita; Etenim *Dignus est operarius cibo suo*. Matth. 10., & *Qui altari servit, de altari vivere debet*, ad Rom. 15. Ita communiter: Sicut enim qui contractum onerosum iniret de Missa dicenda, dummodo sibi dentur candelæ, hostia, vinum, & alia necessaria, certe gratis celebraret; ita qui pactum facit de celebrando, dummodo sibi detur sustentatio, quæ pariter necessaria est ad Sacrificium: Etenim cum homo privet se negotiis temporalibus, quibus posset lucrum capere, & se sustentare, ut vacet Sacris ministeriis, par est, ut sustentatio illi detur; Nec per hoc non gratis Sacra peragit: Sicut mutuans per hoc quod exigat a Mutuatario lucrum cessans, non dicitur non mutuare gratis.

Azor. tamen negat hoc licitum esse ei, qui aliunde potest sustentari. Sed rejicitur communiter, quia quod aliunde habeat, est per accidens, nec per hoc privandus est sustentatione jure naturæ debita: cum nemo teneatur militare suis stipendiis, ut bene Suar. c. 45. Tunc peccaret accipiendo sustentationem, quando ex officio teneretur ministrare spiritualia, & ratione officii haberet alios redditus sufficientes.

Hinc sequitur cum Navar., Suar., Sot., Valent., Bonac. hic, posse sustentationem deduci in pactum, quia quilibet deducere potest in pactum, quod sibi jure naturæ debetur. Sequitur secundo, hac ratione excusandos Ministros Ecclesiæ, Concionatores, Confessarios, &c. accipientes pias oblationes, vel alia stipendia ex consuetudine, vel ex legibus Ecclesiæ præscribentibus aliquid dari pro certis muneribus. Neque dicas, in cap. ult. *De pactis* prohiberi omnem pactionem in spiritualibus. Nam vel non est ibi sermo de sustentatione jure naturæ debita, vel dicendum, quod in quibusdam functionibus contraria consuetudo legem illam abrogarit.

Secundo, potest aliquid accipi titulo liberalitatis, aut gratitudinis, dummodo non sit gratuita compensatio pro spirituali, quod damnatur ab Innoc. XI. prop. 45. seu non detur ad compensandum spirituale cum temporali; nam hæc compensare, seu æque pensare, apertissima Simonia est; Nec debet ullum tacitum pactum præfuisse; quia sic non gratis, & liberaliter daretur, sed ad satisfaciendum obligationi ex justitia ratione illius taciti pacti contractæ. Si tamen aliquid detur ad satisfaciendum soli obligationi antidorali, seu morali, ortæ ex virtute gratitudinis, nullo præcedente pacto implicito, non habetur Simonia, cum non detur ut pretium, nec detur intentione permutandi temporale cum spirituali, ut advertit Suar. tom. 1. De Relig. lib. 4. cap. 36., Filliuc., Navar., Valent., & Bonac. hic; Et quamvis dare aliquid titulo gratitudinis non sit gratis dare, sed sit dare titulo Beneficii accepti, tamen quia non datur ad satisfaciendum ulli obligationi ex justitia, aut ex pacto, ideo non sufficit ad Simoniam; Quod etiam notat Less. dub. 20. ex Suar., Navar., & aliis, ubi tamen pariter notat, periculosum id in praxi esse.

Dices, qui titulo gratitudinis dat spirituale pro temporali, obtinet remissionem, seu extinctionem obligationis antidoralis, quæ est pretio æstimabilis, non secus ac remissio debiti ex justitia; Unde recurrit, quod temporale cum spirituali commutaretur. Sed respondeo cum Suar. num. 13., Navar., Filliuc. apud Bonac. quæst. 6. punct. 1. negando, remissionem, seu extinctionem talis obligationis esse pretio æstimabilem. Etenim sicut naturaliter consurgit ex largitione doni obligatio ex gratitudine, itaut ad contrahendam talem obligationem non requiratur novum pactum, nec nova voluntas præter voluntatem accipiendi donum; ita extinctio talis obligationis naturaliter consequitur per recognitionem gratuitam: Ex quo fit, quod qui dat spirituale titulo gratitudinis, & ad extinguendam obligationem antidoralem, vere det gratis, nec aliquid pretio æstimabile acquirat, dum acquirit id, quod naturaliter consequitur ad gratuitam recognitionem: Sicut qui liberaliter donat, omnino donat, quamvis acquirat obligationem, quæ consurgit in donatario ad recognitionem; quia talis obligatio naturaliter consurgit, & ideo non dicitur esse pretio æstimabilis. Certum tamen est, ut diximus, quod si quis det temporale obligando donatarium, ut satisfaciat obligationi gratitudinis redonando spirituale, committat Simoniam; quia ex tali pacto sive expresso, sive tacito consurgeret nova obligatio ex justitia, quæ est pretio æstimabilis; & ideo qui dat mutuum obligando ex pacto mutuatarium, ut remutuet, usurarius est, eo puod præter obligationem generalem, & antidoralem inducitur ex pacto nova obligatio civilis, & specialis.

Hinc fit, quod si quis det temporale intentione acquirendi spirituale ex titulo gratitudinis, non committat Simoniam; Si vero det temporale intentione, ut ille veluti ex pacto tacito obligetur ad redonandum spirituale, ad satisfaciendum obligationi ortæ ex gratitudine, Simoniam mentalem committat, ut notat hic Bonac. Denique si quis gratis det temporale sine ullo pacto impli-

implicito, & deinde petat, ut titulo gratitudinis sibi spirituale conferatur, non committit Simoniam, cum non petat indebitum, (quamvis in praxi id etiam valde periculosum sit,) sicut nec committit usuram, qui petit, ut ex gratitudine sibi remutuetur. Immo nec Simonia committitur ab iis, qui tradunt Religiosis eleemosynas petendo, ut in gratitudinem orent pro se, nec a Religiosis, qui id promittunt: Etenim non petitur eleemosyna in pretium, esto ea non daretur, nisi sperarent orationes, (sicuti non eliceretur actus contritionis, nisi immineret mors,) siquidem illud est motivum extrinsecum impellens, non finalizans; Ad eum modum, quo in actu contritionis metus mortis est motivum solum extrinsecum, & impellens. Quod tamen in materia Beneficiorum, orationum, vel simili materia periculosum est in praxi, ne quis velit donum Dei pecunia possidere, quamvis nolit illam dare in pretium; Sicut Simon Magus nolebat dare pecuniam in pretium rei spiritualis, nam pretium est mensura valoris rei; Quis autem est, nisi fatuus, qui velit spirituale cum temporali posse in valore proportionari? Si in humanis nec amor, nec sapientia pretio æstimantur, ut dicitur Sapient. c.7., quanto magis supernaturalia? Quare permutare spirituale pro temporali in lata significatione dicitur vendere spiritualia; Sicut Judas dicitur vendidisse Christum, eo quod sic permutarit: & D. August. 4. Confess. cap. 2. quia Rethoricam mercede docuit, dixit se illam vendidisse.

Quod hæc in praxi sint periculosa, in materia præsertim beneficiaria, patet ex cap. *Tua nos De Simonia*, ubi Urbanus II. dixit esse simoniacum Clericum, qui offerebat bona sua Ecclesiæ, ea conditione, ut in Canonicum reciperetur, & esse simoniacos illos, qui non admissuri erant illum in Canonicum, nisi bona sua largitus esset. Ratio a priori est, quia quamvis pecunia in tali casu esset finis secundarius, tamen movebat voluntatem, tanquam causa principalis partialis, atque adeo in eodem ordine ponebatur pecunia, & finis spiritualis; Etenim uterque simul movebat voluntatem ad conferendum Canonicatum, & solus finis spiritualis non sufficiebat. Præterquamquod non dabatur gratis, & sine pretio; solum enim quando paciscitur sustentatio, datur res spiritualis sine pretio; cum non sit indebita sustentatio, sed jure naturæ debita.

XIV. Notandum tamen, quod si quis susciperet extremam Unctionem non solum pro remissione peccatorum, sed etiam ut liberaretur a morbo, quando illam etiam susciperet, quamvis morbum non curaret, tunc ita habet pro fine secundario aliquid temporale, ut non peccet; quia finis secundarius in tali casu cadit a ratione finis rigorose dicti, (qui scilicet magis æstimatur, quam medium,) cum non magis æstimetur, quam opus, quod ad ipsum ordinatur. Quare pro fine secundario sæpe idem significatur ac per accidens, ac de consequenti, non vero significatur finis presse dictus, qui magis intendatur, & æstimetur, quam opus, quod ad illum ordinatur.

Hinc qui opus conjugii intenderit primario propter prolem, secundario propter voluptatem, certe peccaret, quia nullo pacto potest esse finis operationis presse dictus voluptas, nisi apud Epicureos. Quamvis autem aliquis abstineret ab opere conjugii, nisi esset in eo voluptas, non hinc sequitur, quod habeat pro fine secundario voluptatem; sicut non quia aliquis abstineret a celebrando, nisi rogaretur ab amico, vel nisi daretur eleemosyna, inde fit, quod pro fine secundario celebrationis habeat obsequium erga amicum, & eleemosynam; tum quia potest missa ordinari ad finem spiritualem, quamvis rogatu amici celebretur, sicut rogatu pœnitentium audimus confessiones, quas tamen ad finem spiritualem ordinemus, tum etiam quia preces amici, & eleemosyna possunt esse tantum motivum occasionale, non finale, seu causa excitans, & impulsiva ad celebrandum, vel causa applicationis ad celebrandum, quin sit causa finalis, & secundaria, juxta distinctionem Juristarum; In quo sensu Deus promisit Hebræis obedientibus bona temporalia, ut eorum spe excitarentur non ut pro fine illa haberent; nam quod habet rationem finis, pluris æstimatur, quam medium, juxta illud effatum: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*; Unde si Deo obediremus præcise propter bona temporalia, quæ promittit, hoc actu magis hæc bona, quam Dei obedientiam æstimaremus, quod est absonum.

Tertio excusat a simonia titulus laboris extrinseci, seu per accidens conjuncti cum actione spirituali, quia hujusmodi labor est pretio æstimabilis, sive labor extrinsecus præcedat, sive comitetur, ut docent communiter: Secus tamen dicendum de labore intrinseco, ex regula illa Urbani in cap. *Si quis objecerit*. 2. quæst. 3. *Qui horum alterum vendiderit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*; ut communiter etiam docent contra Hadrian. quodlib. 9., Majorem, & alios.

Proinde Suar., Filliuc., & alii apud Bonac. docent, posse quidem accipi aliquid pro obligatione celebrandi tali hora, pro longo itinere, quod quis suscipit ad celebrandam missam, non tamen pro labore, & defatigatione, quæ in missa habetur. Et quamvis multi doceant, quod possit aliquid accipi propter magnam contentionem animi, vocis, virium, præsertim si ex circum-

ftantia perfonæ oriatur talis defatigatio, ut fi peragens facra fit fenex infirmus, delicatæ complexionis, ficut etiam fi quis magna voce concionetur, aut multum ftudeat pro paranda concione, aut fi multum laboret in mandando illam memoriæ: Hoc tamen a Filliuc., & Suar. rejicitur, quia exiftimant pretium fumi non poffe pro laboribus quomodocunque neceffariis ad peragendum facrum minifterium, prout ab hominibus moraliter exerceri poteft. Admittit tamen Suar. cap. 21. num. 15. Leff., Valent., & alii, quod Cantor aliquid poffit exigere pro cantu in Miffa, vel divinis officiis, quia talis labor cenfetur extrinfecus. Docet etiam Leff. dub. 8. num. 45., Navar., Cajet., quod poffit aliquid accipi pro obligatione exercendi aliquid fpirituale: nam ficut in mutuo nihil accipi poteft; tamen poteft aliquid accipi pro obligatione mutuandi: ita in cafu. Et fic excufant Capitula, quæ fufcipiunt onus celebrandi quotannis anniverfaria. Sed verius dicendum cum Laym. tract. 4. num. 4. ab his pretium accipi non pro tali onere, fed pro fuftentatione, vel quia privant fe libertate ad alia opera, ut mox dicemus.

Quartus titulus eft privatio libertatis ad alia opera, & privatio commoditatum, & emolumenti, quod tunc haberetur, fi aliis operibus vacaretur. Ratio eft, quia privatio hæc eft pretio æftimabilis; Sicut enim in mutuo poteft accipi lucrum ceffans, & damnum emergens; ita in cafu, ut notat Leff. loc. cit. cum Bonac. Hinc Suar., & Filliuc., docent poffe pecuniam accipi a procurante Beneficium ratione laboris in fcribendo, in peragendo iter, & ratione privationis lucri, & commodi temporalis, quo fe eo tempore privat; hæc enim funt pretio æftimabilia. Certe pro privatione libertatis ad vacandum aliis negotiis temporalibus, quibus unufquifque poffet capere lucrum ad fe fuftentandum, debita eft Sacra peragenti fuftentatio; ergo fi quando quis fe privat in alterius commodum lucro majori, videtur poffe illud exigere, non fecus ac exigit fuftentationem.

XV. Quintus titulus eft Redemptio injuftæ vexationis; Quare licitum eft dare pecuniam nolenti conferre Baptifmum; tum quia id colligitur ex cap. *Dilectus*, *De Simonia*; tum etiam quia in tali cafu temporale non datur pro Baptifmo, fed pro tollendo impedimento injufto, quod eft temporale, atque adeo temporale non datur pro fpirituali, fed pro temporali. Hinc fit, quod poffit quidem dari temporale ad tollendam vexationem injuftam, non tamen poteft dari fpirituale. Verbi gratia non poteft dari Beneficium alicui, ne tibi mortem intentet, aut ne jufte impediat affecutionem Beneficii pinguioris, adducendo fcilicet hoc in pactum; (nam fi des alicui fine pacto Beneficium, timens aliquin, ne te occidat, non eft Simonia, ut notat Leff. dub. 21..) Ratio eft, quia fpirituale daretur pro temporali; Si tamen Epifcopus injufte vexet me dando Beneficium indigno, aut nolendo dare mihi, cui revera debetur, non poffum dare pecuniam ad hanc vexationem tollendam; nam in tali cafu pararem mihi pecunia viam ad Beneficium, eo quod in tali cafu remotio vexationis idem eft ac collatio Beneficii; Poffum tamen dare pecuniam, ne eligat indignum, feu ne faciat malum, non tamen ut eligat me: Et fi quis muneribus pervertat electores, poffum quidem pecuniam offerre illi, ne electores pervertat, non tamen poffum ego pervertere electores muneribus largioribus, quia non eft faciendum hoc, quod eft intrinfece malum, ad vitandam vexationem injuftam; nec compenfatio licita eft in delictis patrandis. Quod fi vexatio fit jufta, non poteft dari pecunia ad illam redimendam, quia pecunia pararetur via ad rem fpiritualem.

Sextus titulus eft Confuetudo adverfus Simoniam pure Ecclefiafticam, quia confuetudo legem Ecclefiafticam abrogat, nulla tamen confuetudo abrogat jus naturale, aut Divinum. Ad agnofcendum autem num lex fit abrogata per confuetudinem, judicium ferendum ex communi fenfu Doctorum, vel ex praxi Prælatorum, & Confeffariorum, vel ex ufu, & ftylo Romanæ Curiæ, ut Suar. cap. 61. Quare qui redditus fufficientes habent ad fuftentationem ex officio Ecclefiaftico, poffunt per confuetudinem acquirere jus ad majores proventus, ut fcilicet proventus ad fuftentationem affignati augeantur, ut notat Bonac. hic, dummodo talis confuetudo non habeat fpeciem Simoniæ, & turpis avaritiæ; quia in tali cafu non effet cenfenda confuetudo, fed corruptela.

XIV. Quæritur feptimo, An fit fimonia dare pretium alicui, ut intercedat pro confecutione alicujus Beneficii?

Refpondeo, certum effe, quod dare pretium interceffori immediato pro obtinendo Beneficio contineat Simoniam jure Ecclefiaftico prohibitam. Negant nonnulli apud Dian. part. 4. tract. 4. refol. 151. effe Simoniam etiam jure Divino; quia revera non emitur Beneficium, fed interceffio, quæ videtur quid temporale. Communius tamen, & probabilius Suarez, Laym. de Simonia §. 6. num. 65. Filliuc., & alii apud Bonac. quæft. 1. §. 1. num. 14., Sanch. dub. 26. affirmant; quia non datur pecunia pro incerceffione quacunque, fed pro interceffione inquantum ordinata ad Beneficium obtinendum: quare licet non detur pecunia ad emendum Beneficium, tamen pecunia datur, ut per ipfam Beneficium, feu res fpiritualis obtineatur; quod eft vere

re simonia; cum Simon Magus noluerit emere Spiritum Sanctum, sed solum pecunia Spiritum Sanctum possidere. Confirmatur, quia si hæc non esset Simonia juris Divini, eo quod solum ematur intercessio, quæ est quid temporale, nec esset Simonia dare Episcopo pecuniam, ut se benevolum mihi ostendat in collatione Beneficii, unde me possit præferre aliis æque dignis, eo quod nec emeretur Beneficium, sed affectus Episcopi, qui est quid temporale.

Confirmatur secundo, quia quamvis in tali casu Episcopus gratis det Beneficium, tamen qui dat pecuniam intercessori, ut apud Episcopum intercedat, non recipit Beneficium sine pecunia; sed recipere pretio rem spiritualem est verissima Simonia jure Divino prohibita; ergo dare pecuniam intercessori immediato ad Beneficium obtinendum est Simonia juris Divini.

Verum quia multi cum Navar. docent, (ut diximus quæsit. 3.) jure tantum Ecclesiastico esse prohibitam venditionem Beneficiorum ratione emolumentorum, ratione quorum possent vendi jure naturæ, non secus ac vasa sacra ratione materiæ, jure vero Divino prohiberi venditionem Beneficiorum ratione tituli; Hinc qui emeret intercessionem ad obtinendos fructus Beneficii, juxta hanc sententiam committeret Simoniam jure Ecclesiastico duplici titulo prohibitam, & quia emeret fructus Beneficii, & quia pactum iniret pro consecutione Beneficii; siquidem omne pactum pro consecutione Beneficii jure Ecclesiastico est prohibitum; Immo specialiter est prohibitum dare pecuniam pro commendatione, seu intercessione, ex Extravag. *Cum detestabile*, *De Simonia*; ubi excommunicatur quicumque alteri per Simoniam realem confert, vel procurat Beneficium eligendo, præsentando, postulando, instituendo, confirmando, &c.

Notat tamen Bonac. cum Suar., Sylvest., Azor., Sanch. loc. cit., non esse Simoniam, si detur aliquid familiaribus Episcopi, a quo Beneficium conferendum est, non ut intercedant, sed ut aditum aperiant, vel facilem ingressum concedant, sive ut certiorem faciant Prælatum de meritis Oratoris, dummodo non se habeant ut intercessores, sed ut informatores; quia hoc, quod emeretur, esset mere obsequium temporale. Nec est Simonia, si intercessori aliquid detur præcise ob laborem accidentalem, eundo, & redeundo ad collatorem, aut in compensationem lucri cessantis, vel damni emergentis, ut notat. Navar., quia hujusmodi labores extrinseci in aliis actionibus pure spiritualibus possunt sine labe Simoniæ compensari.

Dubium est ulterius, An sit simonia dare pretium pro intercessione mediata apud collatorem Beneficii? Circa quod hæc habet Sanch. apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 151. Si daretur pretium cuidam tertio, ut intercedat apud alterum, cui non incumbit conferre, nec eligere, nec præsentare, ut iste tertius obsecret, ut detur illi Beneficium, hoc non est illicitum, & nullo modo est Simonia: quia datur pro re mere temporali, nec paratur via immediate, & proxime ad Beneficium. Sic Gabriel, Vasqu. disputato casu Matriti; Et alii juniores dicunt, hoc esse probabile, licet sentiant, oppositum esse probabilius; & consequenter ad hanc sententiam dicunt non esse simoniam, nec peccatum dare aliquid famulo Auditoris, ut obsecret suum herum, ut me proponat Regi ad Beneficium; quia Auditores non præsentant ad Beneficia, sed Rex, & eorum suffragium est tantum consultivum, & sic non paratur via immediate ad Beneficium; secus si daretur aliquid famulo Archiepiscopi Granatensis, ut precibus ab ipso Archiepiscopo obtineret, ut me præsentaret Regi ad Beneficium illius Regni: Sic docti Recentiores. At licet hoc probabile sit, probabilius tamen est oppositum, quia non potest negari directe parari viam ad Beneficium pretio, & sic emi Beneficium. Hactenus Sanch. loc. laudato.

Hanc sententiam non consulerem; etenim sic etiam per pecuniam paratur via ad Beneficium; quandoquidem qui Beneficium accipit, illud vere possidet per pecuniam, quam obtulit non quidem danti, aut intercessori immediato, sed mediato.

Idem Sanch. lib. 2. Consil. cap. 3. disp. 33. docet, quod si quis post obtentum, & possessum Beneficium vexatur juste, verbi gratia, quia vult illum accusare, ut deponatur, vel agitat litem, quæ non est evidenter injusta, Simonia sit offerre pecuniam, ut desistat.

Addit idem Sanch. dub. 33. Simoniam esse dare alteri pecuniam, ne se opponat contra me ad Beneficium; sicut etiam si dicatur, Ego non me oppono tibi ad hoc Beneficium, cum pacto tamen, ut non te opponas mihi ad aliud, quia hoc est pretio æstimabile, & per hoc paratur via ad Beneficium.

Utrum autem licitum sit offerre pecuniam competitoribus, & concurrentibus, ne concurrant? Dicendum, nullo pacto id licere, quia immediate per pecuniam pararetur via Beneficio, seu tolleretur justa vexatio, & impedimentum immediatum: Secus vero si offeratur pecunia, ne intercessor mediatus intercedat pro concurrentibus; in hoc enim casu tolleretur impedimentum remotum, quamvis hoc esset etiam vexatio, quæ juste poni potest.

XVII. Quæritur octavo, An collatio, vel provisio Beneficii facta per Simoniam ignoranti illam sit irrita?

Re-

Respondeo cum communi, esse ipso jure irritam, & qui Beneficium obtinuit etiam ignoranter, inhabilis est non modo ad illud, sed etiam ad alia Beneficia obtinenda in posterum, nisi habilis efficiatur per dispensationem Pontificis in dignitatibus, aut Beneficiis curatis, vel per dispensationem Episcopi in Beneficiis simplicibus, ut notat Bonac. num. 20., & Laym. nu. 73. ex cap. *Nobis fuit*, *De Simonia*; Ubi dicitur, quod si Beneficium sit simplex, proviso ignorante, ac ratam non habente Simoniam ab aliis commissam, post liberam hujus ressignationem possit Episcopus dispensare; Ex quo sequitur, quod non possit Episcopus dispensare, nisi post resignationem liberam, nec in Beneficiis duplicibus, nec si provisus sciat Simoniam, nec si illam ignorarit ab aliis commissam, & deinde ratam habuerit. Excusatur tamen electus, tum si alii Simoniam commiserint in fraudem, scilicet ut is reddatur inhabilis ad Beneficium; tum etiam si hic expresse dixerit aliis, ne per Simoniam procurent Beneficium.

Notat etiam Laym. num. 74., quod quamvis ex Bulla Pii V. Simoniacus in Beneficio sit inhabilis etiam ad alia Beneficia obtinenda, nihilominus ex Suar. cap 58. talis constitutio secundum hanc partem non est usu recepta; Unde probabile est, quod docet Navar., quod possit sine dispensatione alia Beneficia obtinere. Bonac. etiam num. 20. notat, quod qui bona fide Beneficium obtinuit, ignorans Simoniam ab alio commissam, gaudere possit regula de triennali possessione, itaut post triennium elapsum turbari nequeat circa illius Beneficii possessionem.

XVIII. Quæritur ultimo: Quas pœnas incurrant Simoniaci?

Respondeo, tres pœnas incurrere. Prima est excommunicatio, & aliæ censuræ, quibus Simoniaci in Ordine, in ingressu in Religionem, & in Beneficio ligantur. Secunda, quod actus simoniace facti sint irriti. Tertia, quod debeat restitui acceptum per Simoniam.

Circa censuras, fertur excommunicatio, Primo a Pio IV. contra committentes Simoniam confidentialem in Beneficiis, & Pensionibus. Secundo a Paulo II. contra committentes Simoniam, aut ad id cooperantes in Beneficiorum, vel Ordinum collatione, & suspensio in Ordinato. Tertio ab Urbano IV. contra dantes, vel recipientes aliquid ex pacto pro ingressu in Religionem, & Capitulis suspensionem injunxit: Quod tamen non est intelligendum, si quid detur pro sustentatione, ut notant Sot., Mirand., Bonac. Idque verum est, etiamsi Monasterium sit dives; Quod si pecunia, prandia, aut aliquid ad usum Ecclesiæ paciscantur, &c. incurritur excommunicatio.

Circa invaliditatem, aut validitatem actorum Simoniacorum, Primo, Sacramentum Pœnitentiæ solum per accidens est irritum, quia scilicet a Pœnitente peccatur, non quia Ecclesia tollit jurisdictionem Confessario, ut poterat tollere; quare si peccatum abesset, validum esset Pœnitentiæ Sacramentum simoniace collatum; puta si solus Pœnitens bona fide pro absolutione obtinenda pretium conferret. Secundo, valida est emptio Officii Ecclesiastici temporalis, ut Æconomi, Advocati, Procuratoris, Defensoris bonorum Ecclesiasticorum. Tertio, consecratio Calicis, aut Ecclesiæ, & quodcumque ex Ordine pendet. Quarto, professio facta per Simoniam; quia nullibi irritatur. Quinto, licentia simoniace concessa, aut sententia data ob pecuniam. Sexto, probabiliter collatio pensionis; quia licet sit res spiritualis, non est proprie Beneficium Ecclesiasticum. Septimo, Officia spiritualia Religionum, ut Abbatis, Prioris, &c., ut Less., Azor. contra Suar., Filliuc., qui putant ea esse Beneficia, & ideo invalide per Simoniam conferri, & contrahi inhabilitatem ad idem, & alia omnia Beneficia obtinenda. Porro sunt irritæ actiones jurisdictionis, ut administrationis ordinatæ ad obtinendam provisionem Beneficii, ex cap. *Sicut tuis*, *De Simonia*.

XIX. Denique quod attinet ad restitutionem, Dico primo, Qui pretium accepit pro re spirituali, jure Divino tenetur illud restituere danti, antequam illi tradat rem spitualem; ut patet; quia sub ea conditione datur, unde conditione non impleta non transfertur dominium; Non potest tradi res spiritualis ad conditionem implendam, quia jam compleretur Simonia: Post traditam tamen rem spiritualem, qui pretium accepit pro re spirituali, tenetur in solis tribus casibus ex jure Ecclesiastico restituere pretium acceptum, videlicet, si acceperit pro Beneficio, pro collatione Ordinum, & pro admissione in Religionem; Et quidem probabilius videtur dum D. Th. 2. 2. quæst. 32. art. 7. Less., quod tale pretium sit restituendum pauperibus, vel Ecclesiæ, cui facta est injuria; videtur enim esse contra mentem Ecclesiæ imponentis restitutionem in pœnam delicti, quod restituatur ipsi danti, qui etiam deliquit; quamvis probabilis etiam sit opinio Sanch. dicentis restituendum esse danti, quia lex pœnalis Ecclesiastica non obligat ante sententiam Judicis.

Notat tamen Sanch. apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 167. pretium simoniace acceptum pro gratia, & justitia ex Bulla Gregorii XIII. restituendum esse pauperibus, datum vero ob ingressum in Religionem, ex cap. *Veniens*, *De Simonia*, restituendum esse ipsi danti. Pretium

tamen acceptum pro Beneficio ante sententiam judicis restituendum est, ex cap. *De hoc*, *de Simonia*; ubi dicitur, retineri non posse sine periculo propriæ salutis, ut docent Suar., Less. contra Ugol. apud Bonac.: Idemque docet lib. 2. Moral. cap. 3. dub. 112. de pretio accepto pro conferendis Ordinibus, ex Extrav. 2. de Simonia.

XX. Dico secundo, Ex jure Divino obligatur ad restituendum pretium ipsi danti, qui pecuniam accepit pro quacumque re spirituali, quam ex justitia tenebatur ponere; Verbi gratia, Parochus, cui assignata est congrua sustentatio, tenetur ad restitutionem, si pro Sacramentorum administratione pecuniam accipiat; non secus ac Judex si pretium exigat pro ferenda sententia justa; cum ex justitia ad id teneatur. Ita omnes.

Qui vero accipit pretium pro re spirituali, quam non tenetur ex justitia ponere, puta si vendat reliquias, aut administrationem Sacramentorum, docet Navar. cum communi Theologorum, & Canonistarum usque ad tempus suum, Cajet., Sylvest., Victor., & aliis cap. 23. num. 103., non teneri ad restitutionem jure Divino: Additque Sanch. in Opuscul. lib. 2. cap. 3. dub. 113. apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 167., pretium hujusmodi simoniace acceptum ne jure quidem Ecclesiastico restituendum esse ante Judicis sententiam, exceptis illis tribus casibus, si scilicet Simonia committatur in Ordine, Beneficio, & ingressu Religionis. Verum Sot., Henr., Molin., uterque Medin., & alii probabilius apud eundem Dian. censent, quodlibet pretium simoniace acceptum jure Divino restituendum esse; gratis quippe dandæ sunt res spirituales, quas gratis a Deo accepimus.

XXI. Dico itaque tertio cum Less., Qui accipit pretium pro conferenda re spirituali, quam potest sine suo incommodo conferre, & quæ non habet annexum ullum commodum spirituale, ut sunt Sacramenta, Sacramentalia, &c., tenetur jure Divino ad restitutionem, nisi putetur illud gratis donatum, aut non excedat rationabile subsidium sustentationis. Ratio est, quia tenemur hæc ex præcepto Christi Domini gratis dare, uti gratis accepimus; Unde fideles habent jus justitiæ divinitus concessum ad ea gratis accipienda. Et quamvis qui non est Parochus, non teneatur ea conferre ex justitia, quilibet tamen si vult ea conferre, tenetur ex justitia conferre gratis, sicut nemo tenetur ex justitia mutuare, sed si vult mutuare, ex justitia tenetur mutuare sine usuris.

Qui tamen Simoniam commisit accipiendo aliquid pro pretio functionum spiritualium, potest ex tali pretio solum retinere, quod sibi debitum esset ad sustentationem pro tali actione spirituali, ut notat Suar. apud Bonac.

Quod si quis in gratiam alterius privat se aliqua re spirituali cum aliquo suo incommodo, pretium, quod pro tali incommodo subit, non est restituendum jure Divino, sive ille privet se re illa spirituali cum aliquo incommodo temporali, ut si resignet Beneficium; sive cum aliquo incommodo spirituali, ut si privet se reliquiis, corona benedicta; (quamvis Bonac., & alii contradicant). Ratio est, quia nemo jus habet, ut sui causa gratis incommodum ullum sive temporale, sive spirituale subeam; unde si exigatur aliquid in compensationem, non irrogaretur injuria. Nec proinde fit, quod liceat reliquias vendere; etenim quamvis hoc non sit contra justitiam, est tamen contra reverentiam debitam rebus Sacris, quod pretio humano æstimentur.

Ex hac ratiocinatione inferunt nonnulli, quod neque jure Divino restituendum sit, quod accipitur pro re spirituali, quæ habet annexum commodum temporale; ut si vendatur Canonicatus, Episcopatus, ingressus in Religionem, quod habet conjunctum commodum alimentorum per totam vitam: Quamvis enim peccatum sit ea non conferre gratis, non videtur tamen peccatum hoc esse contra justitiam, quia est pretio æstimabile emolumentum, quod confertur; Et quod Prælatus exclusis aliis te præferat, & affectum suum ad te determinet, est pretio æstimabile.

Huic tamen sententiæ nullatenus adhærendum puto, quandoquidem ex hoc sequeretur, quod pariter si quis ex legato deberet dare centum alicui pauperi, non teneretur ad restitutionem, si a Titio paupere nonaginta acciperet, ut sibi potius, quam alteri talem eleemosynam largiretur, quod nemo dixerit. Et ratio a priori est, quia commodum temporale annexum rei spirituali gratis debet dari, sicut ipsa res spiritualis, ex intentione instituentis illud; non secus ac eleemosyna ex institutione testatoris debet dari pauperi gratis. Ita Suar., Filliuc. apud Bonac. quæst. 7. punct. 3. difficult. 1. num. 7., Laym. num. 79. Quod pariter constat ex thesi 22. ab Alex. VII. proscripta, quæ habet: *Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator non exigit pecuniam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

XXII. Dico quarto, Qui e contra accepit rem spiritualem pro pretio, non tenetur jure Divino illam restituere, cum nulli fecerit injuriam; jure tamen Ecclesiastico solum Beneficium simoniace acceptum restituendum est; unde qui pretio reliquias, verbi gratia, accepit, non tenetur ullo jure eas restituere. Et ratio a priori est, quia licet pretium pro re

ſacra detur conditionate, videlicet quatenus ex juſtitia debetur, & cum non debeatur ex juſtitia, eo quod res ſacra danda ſit gratis, ideo pretium ſimoniacum reſtituendum eſt; At res ſacra datur abſolute, & ideo pretio reſtituto ea reſtitui non debet.

Dubium eſt, An fructus Beneficii ſimoniace accepti ante ſententiam Judicis reſtituendi ſint a Beneficiario?

Reſpondeo cum communi affirmative, cum nullo juſto titulo retineri poſſint; etenim adeptio, ſeu proviſio Beneficii ſimoniaca eſt ipſo facto irrita, ex Extrav. *Cum deteſtabile*, *De Simonia*, ubi expreſſe dicitur, Beneficiarius nec jus ullum acquirere, nec facere fructus ſuos. Quare fructus reſtituendi ſunt Cameræ Apoſtolicæ, niſi compoſitio ab ipſa obtineatur vel in pios uſus, aut Eccleſiæ, quæ læſa fuit.

XXIII. Mittimus hic agere de Reſtitutione ob uſuram facienda, quoniam abunde hac de re egimus in quarto ex Opuſculis Theologico Moralibus in lucem jam editis, agentes ex profeſſo de Uſuris. Et plurima etiam de eadem dicemus in tractatu inſequenti de Contractibus, ubi diſceptabimus Deo dante de Mutuo, & Uſura; Et in eodem tractatu agentes de Ludo, dicemus de Reſtitutione ob ludum facienda.

ARTICULUS IX.

De Reſtitutione facienda ob Horarum, & Reſidentiæ omiſſionem.

I. *Beneficiarii poſt ſex menſes a Beneficii poſſeſſione, ſi Horas non recitent, tenentur ante ſententiam Judicis fructus reſtituere pro rata omiſſionis, erogando illos aut in fabrica Beneficii, aut in pauperes. Explicavit Pius V. quid ſonet ly pro rata omiſſionis.*

II. *Probabilius non tenetur ad reſtitutionem, qui inculpabiliter Horas omiſit.*

III. *Datum ob cauſam reſtituendum eſt cauſa non ſubſecuta, niſi aliud conſtet ex voluntate dantis.*

IV. *Omittens partem aliquam minorem, quam ſit Hora parva, probabiliter nihil reſtituere debet.*

V. *Qui recitat quidem Horas, ſed ſine attentione debita ſicut peccat graviter, ita ad reſtitutionem fructuum obligatur.*

VI. *Pariter Canonicus recitans in Choro ſine debita attentione diſtributiones retinere non poteſt.*

VII. *Beneficiarius in excommunicationem lapſus, ſi recitet Horas, & munus ſuum præſtet, poteſt fructus Beneficii retinere. Quid de excommunicato vitando?*

VIII. *Sicut infirmus, ita injuſte detruſus in carcerem, aut excommunicatus poteſt diſtributiones lucrari, quamvis abſit a Choro; cum non debeat innocens hanc pœnam ſubire.*

IX. *Qui juſte eſt excommunicatus, non poteſt diſtributiones lucrari, quamvis per ipſum non ſtet, quominus abſolvatur.*

X. *Beneficiarius poſt ſex menſes omittens officium, ſi monitus non reſipiſcat, Beneficio privandus eſt.*

XI. *Reſtitutio poteſt fieri non ſolum pauperibus, aut in utilitatem fabricę Eccleſiæ, ſed etiam in utilitatem fabricæ domus Beneficii, aut in meliorandis agris; Et poteſt etiam fieri offerendo ſuffragia pro defunctis; Quod ſi ipſe Beneficiarius ſit pauper, poteſt ſibi applicare fructus reſtituendos.*

XII. *Pauper, antequam ſibi tradantur in eleemoſynam fructus reſtituendi, non poteſt eos Beneficiario ipſi donare; Nec talis donatio eſt valida, ſi ſit coacta.*

XIII. *Reſtituendi ſunt duntaxat fructus reſpondentes oneri Horarum, non vero reſpondentes aliis oneribus, quibus ſit ſatis. Sed quota ſit ea pars?*

XIV. *Quinam teneantur in Choro officium recitare?*

XV. *Perſtringuntur, quæ ſpectant ad reſtitutionem faciendam a Beneficiariis non reſidentibus.*

I. Diximus in explicatione primi præcepti Decalogi, Beneficiarios omittendo aliquo die Horas Canonicas, vel partem notabilem illarum peccare mortaliter, & ad reſtitutionem fructuum Beneficii obligari pro rata omiſſionis; Examinandum nunc, quod ſpectat ad hujuſmodi reſtitutionem faciendam tam ab iis, qui privatim officium non recitant, quam ab iis, qui officium in Choro non canunt; addendo pariter in calce nonnihil de reſtitutione facienda a Beneficiariis non reſidentibus in loco Beneficii, quando ad id tenentur.

Quæritur itaque primo, In quonam caſu teneantur Beneficiarii ad hujuſmodi reſtitutionem?

Reſpondeo, certum eſſe ex decreto Concilii Lateranenſis ſub Leone X. innovato, & aucto a Pio V. anno 1571., quod Beneficiarii ante ſententiam Judicis teneantur ad reſtitutionem fructuum Beneficii pro rata omiſſionis officii, ſi elapſis ſex menſibus poſt obtentam Beneficii poſſeſſionem officium culpabiliter non recitaverint, quamvis alio die penſum prętermiſſum ſuppleant; niſi forte pars omiſſa ſit levis; Declaravitque Pius V., Primo, quod Beneficiarius officium omittens culpabiliter non faciat ſuos fructus Beneficii, & ideo tanquam injuſte perceptos ante ſententiam judicis debeat vel in fabricas ipſorum Beneficiorum, vel in pauperum eleemoſynas erogare. Secundo, quod qui uno, vel pluribus diebus omnes Horas intermiſerit, debeat reſtituere omnes Beneficii, vel Beneficiorum ſuorum

fructus,

fructus, qui illi, vel illis diebus responderent; si quotidie dividerentur; Qui vero matutinum tantum, dimidium illorum; qui cæteras omnes horas, aliud dimidium; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat. Tertio, quod qui Choro addictus præsens cum aliis sit in officio recitando, ipse tamen non recitet, quamvis prætendat lucrifecisse fructus, & distributiones forte assignatas assistentibus sola præsentia, nihilominus hic etiam amittit fructus, & distributiones, & noverit se peccatum mortale commisisse. Quarto, quod qui primis sex mensibus officium non recitat, quamvis ad restitutionem fructuum non teneatur, sciat se peccatum mortale committere horas omittendo, nisi legitimo impedimento excusetur. Quinto, Pensionarius etiam qui officium parvum Beatæ Virginis, ad quod tenetur, omisit, teneatur ad restitutionem, eodem modo ac Beneficiarius.

II. Infertur hinc primo, quod omittens Divinum officium ad nullam restitutionem teneatur, si nullos fructus percipit ob onus recitandi officium; nec peccet omittendo, nisi aliunde ad recitationem horarum teneatur.

Infertur secundo, non improbabiliter docere Ledesm., & alios contra Sanch., & Less. cap. 34. n. 80., teneri ad restitutionem Beneficiarium, qui inculpabiliter officium omisit. Quamvis enim jure positivo ea pęna imponatur omissioni culpabili, ut colligitur ex bulla Pii V., at jure naturali non potest facere fructus beneficii suos, posito, quod sub ea conditione dentur, quod officium recitetur. Nam datum ob causam non acquiritur, causa non subsecuta; & ideo dicimus non esse improbabile, quod inculpabiliter non recitantes teneantur ad restitutionem. Sed probabilior, & communior est sententia opposita docens, quod inculpabiliter omittentes recitationem horarum non teneantur ad restitutionem; quia fructus Beneficii non videntur dari, sicut datur pretium mercenariis pro opere diurno, sed dantur in sustentationem beneficiarii sub onere, quod recitet horas; ita tamen, ut si citra culpam omittat, non teneatur ad restitutionem.

Infertur tertio, quod omittens hodie, verbi gratia, Divinum officium, debeat restituere fructus uni diei respondentes, etiamsi cras dicat officium hodiernum, & crastinum. Ratio est, quia jam non satisfecit præcepto recitandi officium hodie, & ideo tenetur ad pœnam a Superiore impositam restitutionis faciendæ. Ita communiter contra Ledesm., Major., Paludan. apud Henr., quibus adhæret Suar. cap. 27. n. 5., & cap. 109. num. 11., Molfes. num. 17., Filliuc. cap. 10. quæst. 2. num. 307. putantes non teneri ad restitutionem, si suppleat alio die pensum horarum, aut compenset aliis piis operibus; quorum opinio censetur probabilis a Bonac. num. 5.

Neque obstat, quod Cappellanus, qui ex onere Cappellaniæ tenetur celebrare, liber sit ab onere restituendi, si alio die celebrat, siquidem jam rependit æquale. Nam disparitas est, quia onus celebrandi non est ita affixum diei, ut transeat cum ipso die, sicut transit onus recitandi officium; unde quamvis recitetur deinde officium pretermissum, non inde fit, quod possint percipi fructus, quos ipso facto amisit, quamvis æquale pensum rependat.

Infertur quarto, quod quamvis Cappellano, qui omisit die debito celebrare, debeat injungi, ut statim vel per se, vel per alium celebret; at Beneficiario, qui omisit recitare horas, non debet a Confessario injungi, ut statim illas recitet; Sicut ei, qui omisit die festo audire missam, non debet injungi, ut statim illam audiat, quia tale onus elapso die jam transiit. Neque dicas cum Paludan., Beneficiarium omittendo horas violare justitiam commutativam, quæ obligat tantum ad rependendum æquale: Nam elapso termino præfixo non potest amplius rependi æquale; verbi gratia, elapso die Dominico potest quidem recitari officium Dominicæ, sed non potest recitari officium die Dominico, ad quod ille tenebatur, & ideo fructus Beneficii illi diei respondentes non potest facere suos.

Infertur quinto, restitutionem hanc faciendam esse in conscientia ante sententiam judicis; quia, ut diximus, fructus Beneficii non acquiruntur, nisi sub ea conditione, quod officium recitetur. Neque dicas, pęnam, quæ ad sui executionem requirit hominis actionem, non esse subeundam ante sententiam judicis. Nam hoc fallit, quoties aliter constat de voluntate Legislatoris, volentis pœnam incurri ante judicis sententiam, & de facto declaravit Pius V., & constat ex thesi 20. proscripta ab Alex. VII. quæ habet: *Restitutio a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declarationem Judicis, eo quod sit pęna.*

Infertur sexto, quod Beneficiarius omittens horas primis sex mensibus post obtentam possessionem Beneficii peccet quidem mortaliter, quia transgreditur in re gravi legem Ecclesiasticam, non teneatur tamen ad ullam restitutionem, neque ex lege positiva, ut constat ex dictis constitutionibus, neque ex lege naturali, ut docent communius cum Vasq. contra Suar. tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 29., Valent., & alios. Ratio est, quia Pontifex concedit etiam pro illis sex mensibus Beneficiario fructus Beneficii; etiamsi officium non recitet, dum non obligat ad restitutionem.

III. Neque obstat, quod datum ob causam retineri non possit, causa non subsecuta; Be-

neficia autem dantur propter officium. Nam tunc id eſt verum, quando non conſtat de voluntate concedentis aliquid, etiam cauſa non ſubſecuta, ut de facto Pontifex non obligando primis ſex menſibus ad reſtitutionem, concedit fructus Beneficii, etiam officio non recitato; Sicut famulis ex recepta conſuetudine, & voluntate tacita dominorum conceditur ſalarium, etiamſi aliquo die in debito famulatu deficiant: Cæterum præciſa hac voluntate Pontificis, quæ ex uſu, & lege poſitiva conſtat, vera eſſet opinio oppoſita ex ratione adducta, quia ſcilicet omittens horas violat obligationem contractus, Do, ut facias, & ex violatione juſtitiæ oritur ex natura rei obligatio reſtituendi.

Infertur ſeptimo cum Filliuc. contra Valent., quod ſi quis primis ſex menſibus officium omittat, & iis elapſis adhuc illud omittat per aliquod tempus, puta per hebdomadam, debeat tantum reſtituere fructus reſpondentes tali hebdomadæ, non vero reſpondentes primis ſex menſibus, quia Pius V., & Concilium Lateranenſe tollunt hanc obligationem.

IV. Rogabis primo, An omittens partem officii minorem, quam ſit hora parva, debeat aliquid reſtituere?

Reſpondeo cum Tolet., Navar., quod omittens, verbi gratia, unum Pſalmum, aut aliam partem minorem, quam unius horæ integræ, probabiliter non debeat aliquid reſtituere, etiamſi fructus illi parti reſpondentes ſint magnæ quantitatis. Ratio eſt, tum quia Pius V. ſolum obligat ad reſtitutionem, qui horam parvam integram omittit, tum etiam quia uſus Eccleſiæ fert, ut Canonicis integræ diſtributiones conferantur, quamvis non ſemper inveniantur in Choro in principio officii.

Neque dicas: Quæ ratio eſt totius ad totum, eadem eſt partis ad partem, ex lege *Quæ de tota*, *ff. De rei vindicatione*; Sed ſi totum officium una die omittatur, debent ex natura rei, & ex lege poſitiva reſtitui omnes fructus reſpondentes uni diei; ergo ſi omittatur pars officii, reſtitui etiam debent fructus reſpondentes tali parti; itaut obligatio hæc ſit gravis, ſi materia ſit gravis. Nam ſicut Pius V. eximit ab obligatione reſtitutionis, qui officium primis ſex menſibus omittit, ita videtur eximendus ab eadem obligatione, qui omittit parvam officii partem, dum decernit Pontifex reſtituendam eſſe dimidietatem fructuum reſpondentium uni diei ab eo, qui omittit matutinum, vel ab eo, qui recitato matutino reliquas horas omittit, & ſextam partem ab eo, qui omittit parvam horam. Non negaverim tamen, probabilem eſſe ſententiam oppoſitam Bonac. putantis, quod Pius V. definiat reſtitutionis quantitatem pro ſingulis horis, ut quilibet ſciat quid pro ſingulis, aut illarum partibus omiſſis reſtituere debeat, non ut eximat illos, qui notabilem quantitatem alicujus horæ parvæ omittunt.

V. Rogabis ſecundo, An officium recitans ſine attentione debita debeat fructus Beneficii reſtituere?

Reſpondeo cum communi contra Cordub., Tolet., Medin., & alios affirmative; quia ex cap. *Veniens*, *De Presbytero non baptizato*, idem eſt aliquid non facere, ac non facere recte quoad ſubſtantialia: Attentio autem eſt de ſubſtantia orationis; ergo ſi deſit debita attentio, perinde eſt ac ſi officium non recitetur; & ideo conſurgit onus reſtitutionis.

VI. Ex qua ratiocinatione ſequitur, quod neque Canonicus poſſit diſtributiones recipere, ſi recitat in Choro officium ſine debita attentione. Neque dicas, Trident. ſeſſ. 24. cap. 12. velle, ut diſtributiones recipiant ii, qui ſtatutis horis interfuerint Choro, abſentes vero iis careant, quavis colluſione, aut remiſſione excluſa; ergo ſola præſentia videtur ſufficere ad diſtributiones lucrandas. Nam Trident. vult, diſtributiones dari iis, qui interſunt Choro moraliter, non vero etiam iis, qui in Choro ver. g. dormiunt; Unde niſi aliud ferat conſuetudo, vel inſtitutio, non poſſunt diſtributiones recipi ab iis, qui recitant officium in Choro ſine debita attentione; etenim non cenſetur præſens, qui non attendit; Quicquid in contrarium dicat Malder., Garz., & alii apud Bonac.: Quænam autem ſit attentio requiſita in recitatione horarum, expendimus in tractatu de Præceptis Decalogi agentes de Horis recitandis; ubi diximus probabiliter ſufficere attentionem externam, ſuppoſito animo orandi, conſiſtentem in eo, quod excludatur omnis actio externa incompoſſibilis cum interna attentione ſive ad Deum, ſive ad ſenſum verborum, & habeatur ad hæc virtualis quædam attentio, ut ibi explicavimus?

VII. Rogabis tertio, An excommunicatus ſi officium recitet, poſſit retinere fructus Beneficii, aut diſtributiones?

Reſpondeo, & dico primo, ſi Beneficium obtinuit, quando erat excommunicatus, cum collatio fuerit invalida, non poteſt fructus retinere; quare ſi excommunicatio eſſet occulta, quando Beneficium conferendum eſt, debet ſe alio titulo excuſare; quod ſi non poſſit ſine ſua infamia, debet deinde ſtatim ac poteſt occulte diſpenſationem petere, & fructus interim perceptos reſtituere.

Dico ſecundo: Qui poſt Beneficium obtentum lapſus eſt in excommunicationem, non amittit fructus Beneficii, ſi ſuum munus præſtet, & recitet officium. Ita fuſe Kon. diſ. 14. dub. 9. num. 80. Sanch. lib. 3. diſp. 41. num. 12., Avil., & alii contra Suar. diſp. 13. ſect. 2., Filliuc., Reginald. Ratio eſt, quia quamvis in Cap. *Pa-*

Pastoralis dicatur , quod huic fructus Beneficii subtrahantur ; at hoc non significat privationem ipso facto , & ante sententiam judicis, ita ut excommunicatus non faciat fructus Beneficii suos , etiamsi valide suum munus exerceat ; tum quia ex tractatu de legibus reus non tenetur sponte pœnam subire , quando ad executionem pœnę aliqua requiritur actio , nisi aliter constet de mente Legislatoris ; tum etiam quia versamur in materia odiosa , quæ mitius interpretanda est , quam fieri potest . Hinc fit , Cappellanum excommunicatum toleratum , (licet peccet celebrando) percipere posse sicut stipendium Missæ, ita fructus Cappellaniæ, aut Beneficii . Si tamen sit excommunicatus vitandus , non potest percipere omnes Beneficii fructus , quia ejus sacrificium , quamvis prosit ex opere operato , quatenus offertur nomine Christi Domini , at non prodest quoad valorem , quem habet Sacrificium ex parte Ecclesiæ , ut docent communiter in de Censuris : Et idem dici potest de excommunicato vitando recitante officium in Choro , qui non videtur posse integras distributiones percipere , quia Divinum officium non videtur alteri prodesse , prout nomine Ecclesiæ persolvitur , quia Ecclesia hunc repellit , & non vult per ipsum orare .

VIII. Dico tertio , qui ob injustam excommunicationem , aut carcerem cogitur abesse a Choro , potest distributiones , & fructus Beneficii percipere . Ita Avil. , Sa , Filliuc. , & alii contra Ugolin., qui putat posse hunc repetere distributiones ab eo , qui injuste eum excommunicavit . Ratio conclusionis est , quia privatio distributionum est pœna , quæ non debet infligi sine culpa , & ob injustam alterius actionem ; Unde sicut infirmus percipere potest distributiones ; ita injuste excommunicatus . Idque verum est ex Petro Navar. contra Bonac. , & Covar. , etiamsi infirmus , & injuste excommunicatus ante infirmitatem , aut excommunicationem non consuevisset assistere Divinis officiis ; posset enim nunc mutata voluntate interesse .

IX. Dico quarto , Excommunicatus non assistens Choro non potest percipere distributiones , etiamsi per ipsum non stet , ne absolvatur . Ita Suar. disp. 13. sect. 2. , & alii communius contra Ugolin. , Henr. , Sa. Ratio est , quia hic juste prohibetur non interesse Choro ; ergo juste privatur distributionibus , dummodo tamen injuste , & per injuriam illi absolutio non denegetur .

Neque dicas , qui dedit causam suæ infirmitati , potest percipere distributiones respondentes tempori , quo in infirmitate detinetur , quia est legitime impeditus . Ergo etiam qui dedit causam suæ excommunicationi , si per ipsum non stet , ne absolvatur ; quia pariter est legitime impeditus . Disparitas enim est , quia quamvis culpabiliter aliquis ægrotaverit , tamen hujus culpæ non est imposita pœna privationis distributionum , nam universim ægroto distributiones conceduntur ; At culpæ , cui est annexa excommunicatio , est pariter annexa pœna privationis distributionum , quousque juste perseverat excommunicatio.

X. Rogabis quarto , An Beneficiarius omittens divinum officium , præter onus restitutionis , contrahat aliam pœnam .

Respondeo , contrahere etiam pœnam privationis Beneficii , si post sex menses admonitus Beneficiarius officium recitare neglexerit ; ut constat ex Lateranensi ; Quare admonitio facienda est post sex menses ; Sicut obligatio restitutionis est etiam post sex menses a possessione Beneficii ; Ille autem dicitur negligere officium ad hunc effectum , ut possit Beneficio privari , qui intra quindecim dies saltem bis illud non recitat , ut notat Suar. tom. 2. de Religione l. 4. c. 30. ex eodem Lateranensi .

XI. Quæritur secundo ; Cuinam facienda est restitutio fructuum Beneficii ?

Respondeo , ex dictis faciendam esse fabricæ Beneficii , aut pauperibus . Et eadem est ratio de Pensionario ; Quod tamen intelligendum est , dummodo aliud non ferat institutio Beneficii , aut consuetudo alicubi recepta .

Infertur hinc primo , restitutionem fieri posse non solum in utilitatem Ecclesiæ Beneficii , sed etiam in utilitatem fabricæ domus Beneficii , in qua Beneficiarius habitat , aut in emendis , vel meliorandis agris , ut fructus in perpetuum augeantur , ut notat Vasq. , & Suar. loc. cit. ; quia etiam hoc venit nomine fabricæ Beneficii .

Infertur secundo , quod licet restitutio fieri possit pauperibus quibuscumque , sive sint loci , in quo Beneficium existit , sive alterius loci , quia Pontifex loquitur indefinite , dum dicitur fieri posse pauperibus , non tamen fieri potest in reparationem Ecclesiæ , aut bonorum alterius Beneficii , quia Pontifex vult faciendam esse restitutionem vel pauperibus , vel fabricæ ipsius Beneficii : quando tamen reparatio alterius fabricæ redundaret in utilitatem pauperum , qui in eo loco aluntur , tunc censeretur fieri pauperibus .

Infertur tertio posse restitutionem hanc fieri in celebrandis missis , aut aliis suffragiis offerendis pro defunctis , quia isti in Purgatorio sunt maxime egeni , unde apte veniunt nomine pauperum , ut notat Filliuc. , & Suar. loc. cit. , dummodo aliud non ferat specialis institutio , aut municipalis consuetudo : aut aliud de voluntate Pontificis rationabiliter non præsumatur .

Dubium est primo , An si beneficiarius sit pauper , possit sibi applicare restitutionem faciendam pro horis omissis ?

Respondeo affirmative cum Less. , & aliis com-

communiter: quia non debet esse deterioris conditionis aliis pauperibus, quamvis enim peccarit omittendo officium, tamen quia pauperibus dari debent fructus Beneficii, potest etiam ipse venire nomine pauperum, quia sic non tam ipse sibi, quam Pontifex per illum faceret eleemosynam. Neque dicas hinc sequi, quod posset pauper in fraudem officium omittere, sciens, quod potest titulo paupertatis sibi retinere fructus Beneficii. Nam responderi potest, quod in tali casu non præsumatur velle Pontificem, quod possit sibi restitutionem applicare, eo quod fraus nulli patrocinari debet; nisi forte Beneficiarius in gravi necessitate reperiatur, & pœnitentia ductus proponat in futurum emendationem.

XII. Dubium est secundo, An si pauperes, quibus facienda est restitutio, donent Beneficiario, quod restituendum est, possit iste titulo donationis retinere?

Respondeo cum Bonac., quod si remissionem obtineat a pauperibus, antequam tradat iis fructus Beneficii restituendos, possit illos sibi retinere; quia pauperes, quibus fructus nondum traditi sunt, non habent jus ad illos certum, & in re, sed jus vagum pendens a voluntate Beneficiarii, ad quem spectat pauperis electio, cui restituatur; Et facta promissione uni illorum, hic habet solum jus ad rem ante traditionem, unde non potest remissionem facere illorum, quia non potest promissarius donare, nisi jus, quod habet promisarii; Jus autem promissarii relate ad illos fructus non facit promissarium dominum fructuum, unde non potest illos donare, aut condonare. Notat tamen Less. cap. 3. num. 16. ex lege positiva, non jure naturæ traditione rerum dominia acquiri, ex leg. *Traditionibus* 92. Cod. *De pactis*; quamvis excipiantur hæreditas, legatum rei Sacræ, donatio facta Civitatibus, & locis piis, Beneficio, &c., quorum jus in re, & quasi dominium per donationem, & acceptationem acquiritur: Quod si Beneficiarius tradiderit pauperi fructus restituendos, tunc certe liberum erit pauperi illos Beneficiario iterum tradere, & donare, dummodo talis donatio sit libera, & non meticulosa, nec cum pacto implicite inito inter Beneficiarium, & pauperem, quod ideo Beneficiarius eligat talem pauperem, quia hic est donaturus deinde partem illorum eidem Beneficiario.

XIII. Quæritur tertio, An Beneficiarius restituere debeat omnes fructus Beneficii respondentes diebus, quibus omisit divinum officium; etiamsi alia onera Beneficii iis diebus impleverit? Verbi gratia, si Beneficium habeat curam animarum, ut est Episcopatus, & Parochia, & Episcopus, vel Parochus suum munus exerceant, & solum omittant recitare horas, possuntne retinere partem aliquam fructuum Beneficii ratione aliorum onerum, quibus satisfaciunt?

Respondeo, Azor., Valent., Suar. loc. cit. velle, quod omnes omnino fructus respondentes iis diebus, quibus officium prætermissum est, debeant restitui; quia Bulla indistincte loquitur, dum dicit absolute, & simpliciter restituendos esse omnes fructus pro iis diebus perceptos. Sed probabilis est sententia Less. cap. 34. dub. 32., Henr., Tolet., Sà, & aliorum putantium, Bullam posse aliquam interpretationem recipere, ita scilicet ut Beneficiarius omittens horas uno die, verbi gratia, non debeat omnes omnino fructus respondentes uni diei restituere, sed solum respondentes uni diei relate ad onus duntaxat divini officii; Unde Episcopus, vel Parochus, si omittant uno die officium, debeant restituere solum tertiam, vel quartam partem fructuum respondentium uni diei, retinendo alios ob alia onera proprio muneri annexa, quibus satisfaciunt; Canonici vero, aliique habentes onus residendi debeant restituere, (ut putant aliqui contra Bonac.) dimidiam partem; habentes onera Cappellaniæ debeant restituere dimidiam, vel tertiam partem; Beneficiarii vero simplices debeant omnes fructus pro rata officii restituere. Ratio est, quia quando Beneficiarii recipiunt fructus Beneficii, non solum pro recitatione horarum, sed etiam pro aliis oneribus, si istis satisfaciant, non videtur rationabile, quod æque puniantur per omissionem horarum, ac Beneficiarii simplices, qui nullum aliud onus sustinent; Nec est rationabile, quod æque puniantur, quando omittunt horas Beneficiarii habentes alia onera, sive iis satisfaciant, sive non; Unde præsumendum, quod Pontifex, dum dicit omittentem divinum officium debere omnes fructus restituere, nolit, quod restituantur nisi omnes fructus respondentes oneri divini officii, quousque non exprimat oppositum. Addit Henr., Beneficiarium simplicem posse etiam aliquid sibi retinere propter onus gestandi habitum, & tonsuram, & vivendi caste, & observandi alia, quæ in jure præscribuntur, si huic oneri satisfacit. Hoc tamen merito non admittit Bonac., nam hæc onera sufficienter compensantur cum aliis privilegiis Beneficiariorum.

XIV. Quæritur quarto, Quinam teneantur sub mortali, & sub onere restitutionis officium in Choro recitare?

Respondeo, & dico primo, Clericos Ecclesiarum Collegiatarum, & Cathedralium obligari ad officium in Choro singulis diebus recitandum,

nisi

nisi aliud ferat consuetudo, aut Ecclesiæ institutio, aut necessitas. Ita communiter ex Cap. 1. *De celebratione missarum*. Quare ubi est consuetudo, vel Ecclesiæ institutio, ut aliquoties tantum in Choro officium persolvatur, non tenentur Clerici quotidie in choro convenire; quando vero necessitas cogit, ut in alio loco extra Ecclesiam officium persolvatur, tunc licitum est de licentia Episcopi, quando ad ipsum aditus patet, alibi officium celebrare; quamvis si aliquando, verbi gratia, ob frigoris asperitatem officium in Sacristia caneretur sine Episcopi licentia, putat Bonac. Canonicos non esse privandos distributionibus, quia moraliter censerentur in Ecclesia recitasse; præserrim si ratione necessitatis per Epichejam facultas Episcopi præsumatur.

Dico secundo, Etiam Regulares Choro deputati, & Moniales tenentur, non quidem ex jure Canonico, sed ex suis regulis, aut consuetudinibus ad divinum officium in Choro celebrandum. Unde fit, gravius peccare Beneficiarios Choro addictos, si non intersint, quam Regulares, quia illi tenentur ex officio, atque adeo ex justitia, quæ ex genere obligat sub mortali; isti vero tenentur tantum ex vi regulæ, quæ ut plurimum non inducit obligationem sub morali, sed tantum solet obligare Regulares sub pœna, quod officium privatim recitent, si Choro non intersint. Et obligatio sub gravi canendi in Choro afficit solum totam Communitatem religiosam, non singulos Regulares; nam, ut diximus cum de horis canonicis, Prælatus tenetur sub mortali curare, ne desit Chorus; & alii tunc solum tenerentur sub mortali, quando aliter Chorus non fieret. Utrum autem Moniales teneantur sub mortali ex vi consuetudinis privatim recitare horas, si Choro non intersint? Diximus in de Horis Canonicis teneri, ut fert communior, & verior opinio, quicquid in contrarium sentiat Marchantius apud Dian. part. 9. tract. 6. resol. 7. & Less. putantes consuetudinem istam non obligare sub gravi.

Dubium tamen est, An Beneficiarii Choro addicti, & Canonici, si ad Chorum non accedant, sed privatim recitent, peccent tantum venialiter, an mortaliter?

Respondeo, peccare mortaliter per se loquendo, si ultra tempus a Tridentino permissum notabiliter absint a Choro. Ita Filliuc., Vasq., Suar. lib. 4. de religione cap. 10. num. 7., & cap. 13. apud Bonac. contra Valent., Reginal., Cajet., & alios putantes peccare solum venialiter, quando eorum absentia non est causa, ut dimittatur, aut destruatur Chorus; (ad quem constituendum saltem quatuor requiruntur). Ratio nostræ doctrinæ est a pari, quia Beneficiatus, qui privatim non recitat officium, peccat mortaliter; ergo etiam qui obligatus in Choro recitare, ibi non recitat. Et ratio a priori est, quia utraque est obligatio ex justitia, quæ per se graviter obligat; Beneficium enim Canonicis datur, non solum ut officium recitent, sed etiam ut recitent in Choro. Immo Suar. loc. cit. addit, peccare mortaliter Canonicum, etiamsi solum partem notabilem officii in Choro non recitet, quamvis habeat animum recitandi illam privatim; Quod tamen non ausim dicere; quia sicut Beneficiarius, qui per aliquot dies ultra tempus permissum abest a loco suæ residentiæ, non peccat mortaliter, ita non peccat mortaliter, qui per aliquot dies abest a Choro sine licentia, dummodo privatim officium recitet. Ratio autem doctrinæ est, quia præceptum divini officii est affixum diei, & Superior præcipiens officium respicit singulas recitationes per se ipsas, ut constat ex sensu communi Doctorum: Econtra Superior præcipiens residentiam, & Chorum, respicit residentiam, & recitationem in Choro per totum annum; Unde si aliquot diebus Beneficiarius ablit a Choro, aut non resideat, ratione parvitatis materiæ non peccat mortaliter; Quod si absentia sit notabilis, sicut graviter peccat, qui ultra tempus a jure præscriptum notabiliter non residet in loco sui Beneficii, ita etiam peccat graviter, qui notabiliter abest a Choro, quandoquidem residentia in loco Beneficii idcirco præcipitur, ut possit Beneficiarius interesse divinis officiis. Permittit autem Trident. sess. 24. cap. 12. obtinentibus dignitates, Canonicatus, præbendas aut portiones in Cathedralibus, aut Collegiatis, ut possint singulis annis per tres menses abesse; Et Sacra Congregatio declaravit, quod tempore absentiæ distributiones non acquirant, nec excusentur ulterius a residentia per hoc, quod consentiant in amissionem distributionum quotidianarum, sed hujusmodi puniendi sint (*a*). Immo ex cap. *Clericus dist.* 91. deponendus est, qui omittit officium in Choro; depositio autem cum sit pœna gravis, supponit gravem culpam.

„ (*a*) Excipiendi sunt etiam Canonici Jubilati, seu qui per quadraginta annos Chorum laudabiliter frequentarunt; hos enim a Chori servitio citra fructuum, & distributionum jacturam abstinere posse decrevit S.C. Concilii Gregorio XIII. probante. Confer Benedictum XIV. *de Synodo Diœcesana* Lib. 13. c. 9. n. 15.

Dico tertio, Episcopus, per se loquendo, non tenetur Choro interesse, ne festis quidem diebus. Ita Valent., Filliuc., Bonac. ex D. Th. 2. 2. quæst. 91. art. 2. contra Sylvest., Tabien. Navar.. Ratio est, tum quia usu, & consuetudine ita introductum est; tum quia gravioribus negotiis ad jurisdictionem spectantibus, quæ Chori assistentiam non patiuntur, vacare debet. Quod

spectat

ſpectat ad Parochos, deberent quidem ex vi juris antiqui in Parochialibus Eccleſiis publice divina officia perſolvere ſingulis diebus, ut oſtendit Bonac., ſed a deſuetudine in contrarium deobligantur.

Ex dictis ſequitur, quod Canonici, & alii Choro deputati non ſolum teneantur Choro intereſſe, ſed etiam canere, non quidem ut obligationi officii ſatisfaciant, nam ſi ſubmiſſa voce recitent partem ſuam, & aliam audiant, ſatisfaciunt obligationi recitandi officium; ſed canere debent, ut ſatisfaciant ſervitio Chori. Ratio eſt, quia redditus Eccleſiaſtici dantur Canonicis, ut cantent cum aliis. ex *Clement. De Celebratione Miſſarum:* Ita Suar., Filliuc. Navar., Leſſ. apud Bonac. Unde fit, eos aliter non poſſe diſtributiones ſaltem integras percipere; quia Qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet. Ubi notandum, obligationem recitandi officium in Choro eſſe perſonalem, ut eſt obligatio recitandi officium privatim, unde non poteſt per alium impleri, præciſa conſuetudine in contrarium.

XV. Quod attinet ad reſtitutionem faciendam a Beneficiariis, qui non reſident in loco ſui Beneficii, quando ad id obligantur, abunde diximus in Opuſc. De Beneficiis Eccleſiaſticis quæſt. 3. art. 3. Summatim hic ea perſtringimus. Et ſane fructus Beneficii a non reſidentibus reſtituendi ſunt ante ſententiam judicis, non quidem omnes, ſed qui reſpondent oneri reſidentiæ. Sicut autem invalide, nedum illicite Pontifex in voto diſpenſaret ſine cauſa; ita invalida eſt facultas non reſidendi ſine juſta cauſa, atque adeo in tali etiam caſu reſtitutio facienda eſt. Epiſcopis Trident. ſeſſ. 23. cap. 1. facultatem concedit non reſidendi ſolum per duos, aut tres menſes quotannis; Parochis vero per duos menſes dumtaxat, ſive ſimul, ſive interrupte. Dubitatur, num Parochi, ut abſint per bimeſtre, indigeant etiam licentia Epiſcopi; Sed hac in re ſtandum conſuetudini loci. Non eſt facienda iſthæc reſtitutio, ſi inculpabiliter non reſideant; at facienda eſt ſi ſolum materialiter reſideant, non inſerviendo Eccleſiæ. Olim jure Canonico omnes Beneficiarii ad reſidentiam obligabantur, de facto tamen vi conſuetudinis contrariæ, exceptis Canonicatibus, & Dignitatibus, Beneficium ſimplex ad reſidentiam non obligat; Canonici autem, & Præbendati ſi abſint a Choro ultra trimeſtre ſibi permiſſum a Triden. ſeſſ. 24. cap. 12. ſine legitima cauſa, communius apud Croix lib. 4. num. 876. docent, quod mortaliter peccent; & procul dubio tenentur ad reſtitutionem diſtributionum, & fructuum reſpondentium oneri reſidentiæ. Fructuum autem iſtorum reſtitutio ſolum fieri poteſt in utilitatem fabricæ Eccleſiæ, aut pauperibus loci ipſius Beneficii: ubi reſtitutio ob omiſſionem horarum fieri poteſt pauperibus cujuſcumque loci, ac in utilitatem non ſolum fabricæ Eccleſiæ, ſed etiam Beneficii, aut in agris meliorandis ut ſupra diximus; immo etiam in ſuffragium defunctorum. Poteſt tamen Epiſcopus juſtis de cauſis cum Canonicis, & Præbendatis diſpenſare, ut diutius abſint; præſertim ob ſtudium Theologiæ, aut juris Canonici; & quidem per quinquennium. Sed ut per trimeſtre abſint quotannis, licentia non requiritur, etiamſi abſint recreationis cauſa, dummodo diſtributiones non lucrentur; quas tamen lucrantur, ſi ægritudinis cauſa non reſideant; dummodo non cauſent ſibi ægritudinem ea de cauſa, ut ad reſidentiam, & ad Chorum non teneantur. Sed non vacat ulterius hac in re immorari. Sit itaque annui penſi (Sed oh ubi Æternitatis!)

F I N I S.

Ad majorem Dei gloriam, ac Deiparæ ſine labe Conceptæ.

SY-

SYNOPSES OMNES,

Quæ in singulis Articulis Tractatus hujusce de Restitutione habentur, hic colliguntur.

QUÆSTIO I. Pag. 1

De iis, quæ ad ipsum Restitutionis actum pertinent.

ARTICULUS I. 2

Num ex violatione solius justitiæ commutativæ oriatur onus Restitutionis?

I. Restitutio large dicta fert iterato aliquem statuere in possessionem rei suæ. Presse vero dicta est actus justitiæ commutativæ, quo quis damnum a se illatum proximo resarcit. II. Ad justitiam commutativam spectat tribuere unicuique jus suum, & partes inter se justare, & exæquare. III. In quo differat Restitutio a redditione depositi, aut commodati, a solutione mutui, & a satisfactione? IV. Per quid discriminetur justitia commutativa a distributiva, a legali, & a vindicativa? V. Onus restitutionis non oritur ex violatione justitiæ pure distributivæ, & ideo solius justitiæ commutativæ est actus Restitutio. VI. Quid importat jus strictum in re, & ad rem? Quid etiam sit dominium, Usus, & Ususfructus? VII. Quando donatur aliquid distribuendum pluribus pro merito personarum, qui habet plura merita, habet jus strictum ad majorem summam, & ideo violatur justitia commutativa, si ea non solvatur. At nemo privatus habet jus strictum ad bona communia, quæ non sunt distribuenda primario propter bonum privatum, sed propter bonum publicum, unde per violationem justitiæ distributivæ non oritur obligatio restituendi. VIII. Episcopus conferens beneficia minus dignis tenetur resarcire damnum concurrentibus, & Ecclesiæ, non ex violatione justitiæ distributivæ, sed commutativæ. IX. Num peccet mortaliter Episcopus conferendo beneficia simplicia minus dignis, omissis dignioribus? Num etiam Princeps sic conferendo officia Gubernatoris, Judicis, &c.? X. Dux non distribuendo spolia hostium pro merito militum peccat contra justitiam commutativam. XI. Ob læsionem justitiæ vindicativæ tunc datur onus restituendi, quando simul violatur commutativa. XII. Qui negavit in judicio veritatem, non tenetur ad restitutionem damni secuti; secus vero si falsum testatus est. Quid de Confessario, qui omisit pœnitentem monere de Restitutione facienda? Tenetur Confessarius, si positive pœnitentem deobliget: Sicut Advocatus, & Procurator, Gubernator, & Judex, si culpabiliter sint causa damni. XIII. Probabiliter peccat solum contra charitatem, & ad restitutionem non tenetur, qui emit omnes merces alicujus generis, ut postea carius illas vendat.

ARTICULUS II. 6

De Necessitate Restitutionis faciendæ.

I. Necessarium ad salutem bifariam sumi potest, vel pro necessario necessitate medii, vel pro necessario necessitate præcepti. II. Restitutio est ad salutem necessaria solum necessitate præcepti. III. Cur Baptismus in re, aut in voto sit necessarius necessitate medii? IV. Præceptum de restituendo videtur principaliter esse de actu positivo, atque adeo affirmativum, & minus principaliter negativum. V. Præceptum restituendi diversum est a præcepto non furandi; hoc est negativum, illud vero positivum. VI. Sunt duo præcepta, Non furari, & Non retinere rem alienam; quia tamen virtuti opponuntur, non committit duo peccata specie diversa, qui utrumque præceptum transgreditur. VII. Quot peccata committit, qui oblata opportunitate restituendi non restituit? VIII. Actus nostri non interrumpuntur moraliter per actus contrarios duntaxat, sed etiam aliis viis.

ARTICULUS III. 8

Quænam sint radices, unde provenit obligatio restituendi?

I. Duplex est radix, ex qua sequitur obligatio restitutionis, videlicet injusta acceptio, & Res accepta. II. Obligatio restitutionis orta ex prima radice injustæ acceptionis haberi non potest citra actionem damnificativam; secus vero si oriatur ex secunda radice rei acceptæ. III. Non cessat obligatio restitutionis citra restitutionem, si ea oriatur ex prima radice; potest tamen sine restitutione cessare, si ex secunda radice oriatur. IV. Quando oritur onus restitutionis ex prima radice, nullum debet pati damnum damnificatus; quando vero oritur ex secunda, nullum debet pati damnum, qui restituit. V. Sicut non consurgit onus restitutionis ex læsione justitiæ distributivæ, Legalis, aut Vindicativæ, ita neque ex damnificatione contra alias virtutes a justitia. VI. Hinc non tenetur ad restitutionem Medicus, si ex incuria ægrotum occidat, quando nullo accepto stipendio medetur: Nec Clericus alium inadvertenter occidens vacando venationi prohibitæ: Nec omittens succurrere extreme indigenti: Nec violans justitiam legalem. VII. Qui alium inadvertenter infamavit, ubi id advertit, tenetur famam restituere ex titulo injustæ acceptionis potius, quam rei acceptæ. VIII. Judex ad restitutionem tenetur, si pecuniam accipiat pro ferenda sententia justa, non tamen si accipiat pro ferenda sententia injusta, patrato tali scelere.

ARTICULUS IV. 10

Ex quanam culpa contra justitiam oriatur obligatio Restitutionis.

I. Culpa alia est Theologica, alia Juridica, & illa vel mortalis, vel venialis, sive ex parvitate materiæ, sive ex imperfecta deliberatione; Hæc vero vel lata, vel levis, vel levissima. II. Ad contrahendam obligationem restitutionis requiritur culpa Theologica contra justitiam commutativam: Lata culpa juri-

juridica dicitur trahere onus restitutionis, quatenus raro admodum repetitur sine culpa Theologica. III. *Si* culpa isthæc Theologica sit levis ex parvitate materiæ, trahit onus restitutionis sub levi; si vero sit levis ex imperfecta deliberatione, probabiliter ne sub veniali quidem parit ullam obligationem restituendi, etiam in materia gravi. IV. Leges civiles obligantes ad compensationem damni non obligant in conscientia, si absit culpa Theologica, quæ ab iis præsumitur. V. Si tamen leges civiles non sint præsumptivæ, sed dispositivæ, obligant in conscientia ad damnum compensandum, sed post sententiam Judicis. VI. Ex peccato veniali ex parvitate materiæ contra justitiam potest per accidens oriri gravis obligatio restituendi; ut si in ultimo furtulo per accidens non advertatur ad præterita. VII. Quoties plures ab eodem parvam materiam furantur, itaut unus advertat ad furtula aliorum, sed non sit causa moralis talis damni gravis, probabilius non tenentur ad restituendam parvam illam materiam sub gravi; nisi forte ad id ex præcepto superioris adigantur. VIII. Ad quid tenetur, qui per negligentiam leviter culpabilem grave damnum infert? Aut qui volens leviter damnificare, casu graviter damnificat? Aut Medicus, qui ex culpa levi juridica ægrotum occidit? IX. Levis negligentia, quæ excusat a compensando damno Depositarium, non semper excusat Commodatarium, aut Locatarium. X. In dubio num res perierit ex culpa gravi, an levi, daturne onus restituendi? XI. Probabiliter propter grave damnum causatum ab actione externa de se leviter damnificativa, posita cum intentione nocendi graviter, non datur onus restituendi sub gravi; Nec incurritur irregularitas, aut censura, vel reservatio propter tale delictum externe leve, sed interne grave, si verbi gratia, sic aliquis occidatur. XII. Non tenetur ad restitutionem, qui grave damnum intulit cum ignorantia antecedente, & probabiliter nec tenetur, si illud intulit cum ignorantia concomitante; secus vero si intulit cum ignorantia affectata, aut etiam crassa. XIII. Cur teneatur ad restitutionem, qui volens comburere domum Petri inimici, per accidens comburit domum Pauli amici, & ad restitutionem probabiliter non teneatur, qui volens occidere feram, per accidens occidit inimicum, quem conditionate vellet occidere, si sibi adesset?

ARTICULUS V. 17

Quomodo se gerat Confessarius cum obligato ad restituendum?

I. Nequit citra sacrilegium absolvi, qui non vult restituere statim totum, quod potest. II. Num possit permitti dilatio restitutionis ob lucrum, quod a debitore speratur sine damno creditoris? Debet quidem hac in re Confessarius accomodare se opinioni probabili pœnitentis. III. Debitor volens restituere, dum est in articulo mortis, non potest hæredibus committere, ut restituant, si potest tunc ipse restituere. IV. Restitutio facienda est a pœnitente antequam accedat ad Sacramentum Pœnitentiæ. Quod si ea non possit fieri nisi post aliquod tempus, non est deneganda absolutio. V. In Jure solum pro foro externo præcipitur, ut non impendatur absolutio a censuris non præmissa satisfactione. VI. Qui promisit restituere statim, & non stetit promissis, non est de facili iterato absolvendus, multo minus tertia, aut quarta vice. VII. Tenetur ipse Confessarius restituere, si positive deobligavit culpabiliter pœnitentem a restituendo: Quod si culpabiliter solum omiserit illum monere, & Confessarius sit Parochus, qui ex officio tenetur confessiones audire, adhuc ipse probabilius tenetur restituere. Et probabiliter etiam alii Confessarii. VIII. Parochus, si non moneat pœnitentem de restitutione facienda, ad restituendum ipse obligabitur ex levi culpa juridica; Alii vero Confessarii solum ex culpa lata.

QUÆSTIO II. 19

De Persona restituente.

ARTICULUS I. ibid.

Quisnam teneatur restituere ex injusta acceptione.

I. Ad restitutionem tenetur tam qui rem alienam sine justo titulo habet, quam qui damnum alteri injuste intulit, quod multipliciter contingere potest. II. Recensentur præcipuæ actiones injustæ, quæ pariunt onus restitutionis. III. Pretium simoniace acceptum restituendum est Ecclesiæ, vel probabiliter ipsi danti. Sic pariter eleemosynæ magnæ erogatæ fingenti paupertatem restituendæ sunt vel danti, vel aliis pauperibus. Munera pariter, quæ dantur Judici pro ferenda sententia justa. IV. Qui aliquid a pupillo per contractum onerosum acquisivit, num teneatur jure naturæ illud restituere? V. Qui alium impedit a consecutione boni debiti ex justitia, ad restitutionem tenetur; *Sicut etiam si quis malis artibus illum impediat ab alterius boni consecutione.* VI. Quid si quis impediat alicui consecutionem officii publici, aut Beneficii, aut quod ex ærariis publicis debetur pauperibus? VII. Divertens fluvium cum alterius damno tunc ad restitutionem tenetur, quando id non facit ob propriam utilitatem, sed in damnum proximi. At non tenetur ad restitutionem, si bonis artibus impediat pauperi eleemosynam ex odio erga illum. VIII. Qui malis artibus impedit, ne fiscus acquirat jus ad pœnam pecuniariam, non tenetur ad restitutionem.

ARTICULUS II. 22

Quisnam restituere teneatur ex re accepta?

I. Ex re accepta consurgit onus restitutionis, sive ea extet post furtum, seu post contractum iniquum, sive res aliena extet absque tua culpa penes te. II. Res inventæ num sint dandæ pauperibus? III. Thesauri inventi jure naturæ sunt primi occupantis; leges tamen civiles diversimode de iis disponunt. Num leges istæ obligent in conscientia? IV. Quare acquisita per delictum, domino non comparente, retineri non possunt? V. Res bona fide empta a fure probabiliter ab emptore restitui potest furi, si aliter pretium recuperare non possit restituendo illam domino. At non potest alteri vendi ad pretium recuperandum. VI. Num peccet solum contra charitatem, an etiam contra justitiam qui reddit gladium domino furioso, quo ille abusus est adversus vitam innocentis? VII. Res aliena empta bona fide, si functionem recipiat, domino comparente, non est illi restituenda; nisi forte cum modica propria re sit immixta.

ARTICULUS III. 27

Quid restituere teneatur Possessor malæ fidei?

I. Quinam dicatur Possessor malæ, aut bonæ, aut dubiæ fidei? II. Possessor dubiæ fidei comparatur possessori malæ fidei, si dubium præcesserit possessionem rei alienæ; etsi subsequatur, comparatur possessori bonæ fidei. III. Malæ fidei possessor restituere debet, præter rem, etiam damnum secutum domino, ac lucrum, quod cessavit; necnon fructus rei naturales, & mixtos; non tamen quod dominus lucraturus esset ex turpi usu suæ rei. IV. Quinam dicantur fructus rei naturales, quinam industriales, quinam mixti? V. Si res furtiva cum rebus propriis misceatur, nec illa sit discernibilis, quid est restituendum domino? VI. Quid restitui debet, si res aliena in manu furis deterioretur? Quid si dominus illam deinde pluris vendituruss esset, quam tunc valeret? VII. Potest aliquando fur ex furto lucrum reportare. VIII. Qui in navi projicit poculum aureum alienum, quod simul cum navi mox erat submergendum, probabiliter non tenetur quicquam restituere: Secus vero si rapiat rem mox ab alio fure rapiendam. IX. Quinam fructus rei furtivæ debent a fure domino restitui? Et quid de melioramentis sive necessariis, sive utilibus, sive voluptuariis? X. Restitui debet a fure, præter rem furtivam, tam interesse ordinarium, quam extraordinarium; & quidem etiamsi a Creditore de illo non moneatur. XI. Qui restituere debet, & non ex delicto, sed ex mutuo, emptione, &c. & culpabiliter differt solutionem, probabiliter ad interesse extraordinarium non obligatur, si monitio non præcedat. XII. Fur, qui per aliquod tempus inculpabiliter non restituit, num teneatur ad interesse illius temporis.

ARTICULUS IV.

Quid restituere teneatur Possessor bonæ fidei?

I. Possessor bonæ fidei si non statim restituat, incipit esse malæ fidei possessor. II. Debet se reddere indemnem bonæ fidei possessor. At restituere debet rem, ejusque fructus naturales, & mixtos, (demptis expensis) & id, in quo factus est ditior, non tamen ex fructibus industrialibus. III. Res, & fructus, si non extent in se, reddantur in æquivalenti. At num dicantur in se extare, si cum aliis rebus propriis misceantur? IV. Qui rem alienam bona fide inique consumpsit, fornicando, ludendo &c. ad restitutionem non tenetur, si nihil ex ea sit factus ditior. V. Si rem alienam bona fide donasti, aut vendidisti, tenerisne contractum rescindere; sicut tenetur, qui vitrum pro gemma vendidit? VI. Res, & fructus naturales, & mixti restituendi sunt, demptis expensis, æstimatione laboris, & melioramentis etiam voluptuariis. Sed quid si hæc sint magni valoris? VII. Si in tela aliena pingatur pictura, quæ excedat pretium telæ, satis est restituere hujus telæ pretium. Immo etiam si dubitetur an ea pictura telæ pretium excedat? VIII. Qui bona fide in agro alieno suum frumentum seminavit, debet totam segetem detractis expensis restituere. Quod si seminasset alienum frumentum in agro proprio, debet solum restituere pretium frumenti. IX. Ex injusta damnificatione tenetur damnum compensare, qui verbi gratia, incendit domum Petri sui amici, quamvis invincibiliter putet illam esse Pauli sui inimici. Quid, si quis occidat Petrum amicum, quem invincibiliter putat esse Paulum inimicum?

ARTICULUS V. 26

Quid restituere teneatur Possessor dubiæ fidei.

I. Dicitur possessor dubiæ fidei, qui rem possidet, quin possit certo affirmare illam esse suam, sive de hoc dubitet, sive etiam id opinetur. II. Multipliciter autem tale dubium sive negativum, sive positivum contingere potest. III. Ad quid tenetur qui bona fide cœpit rem possidere, & deinde incipit dubitare, an sit aliena? IV. Qui magis inclinat ad dicendum, quod res, quam bona fide cœpit possidere, sit aliena, num ad aliquam restitutionem faciendam obligetur? V. Regula illa, *In dubiis tutior pars eligenda est*, quomodo interpretanda sit? VI. Ad quid teneatur, qui possidens rem bona fide incipit dubitare, an sit aliena, & omittit veritatem indagare? VII. Qui possidet rem mala fide, & deinde incipit dubitare an sit sua, debet ne integram rem restituere, an pro rata dubii? VIII. Ad quid tenetur, qui incipit possidere rem a nemine possessam dubia fide, dubitando scilicet, sitne sua, an aliena? IX. Qui rem ab alio bona fide possessam rapit, dubitans, aut opinans, quod sit sua, tenetur ad integram ejus restitutionem. Sic pariter restituere integre tenetur, qui in ludo per fraudem vincit, quamvis dubitet, num ob fraudem, an casu vicerit. X. Non solum in materia justitiæ, sed etiam in materia aliarum virtutum militat axioma illud, *In dubio melior est conditio possidentis*. XI. Ad dignoscendum autem, quando stat in possessione libertas, quando vero præceptum, prior regula, quæ assignari solet, est, quod in possessione stet id, quod tempore præcedit; si libertas, libertas; si præceptum, præceptum; quod in plurimis exemplis fit perspicuum. XII. Altera regula, quam Doctores assignant, est, Pro eo stare possessionem in utroque foro, quo stat præsumptio; Hæc vero stat pro ea parte, quæ ad alteram transfert omnis probandi intentum.

QUÆSTIO III. 43

De Cooperantibus ad damnum alterius.

ARTICULUS I. ibid

Quinam dicatur cooperari ad damnum alterius.

I. Ad restitutionem tenentur tam positive concurrentes ad damnum alterius, quam concurrentes negative; qui omnes ad subsidium memoriæ celebri disticho continentur. II. Tria requiruntur, ut talis obligatio consurgat, quod damnum secutum sit, quod illorum cooperatio præcesserit, & quod hæc fuerit causa efficax damni citra dubietatem. III. An, & quomodo ad restituendum obligetur, qui concurrit ad damnificationem proximi, quæ cæteroqui etim sine suo concursu fieret? IV. Num teneatur ad restitutionem, qui ad damnum alterius concurrit solum quoad modum, videlicet ut cele-

tius fiat; & non quoad substantiam? v. Qui suo suffragio cum aliis concurrit ad sententiam injustam, quandonam a restitutione deobligatur? vi. Qui dubitat, an suo suffragio ad sententiam injustam efficaciter concurrerit, adhuc videtur cum aliis in solidum obligandus: Esto verum sit, quod adulter non teneatur alere prolem, de qua dubitat, num sit sua, an mariti. vii. Deobligatur a restitutione, qui dubitat, an damnum sit secutum, vel an ex aliqua sua actione graviter peccaminosa, vel an ad damnum influxerit; nisi tamen urgeat præsumptio, unde non habetur dubium, sed moralis certitudo; ut solet accidere, si consilium detur de damno patrando. viii. Quando damnum est secutum, & dubitatur, num ex actione hujus, vel illius, uterque tenetur ad restitutionem.

ARTICULUS II. 41

De Mandante damnificationem.

I Tam explicitum, quam implicitum mandatum de proximo damnificando, secuto effectu, trahit onus restitutionis. ii. Mandans, revocato mandato, sive explicite, sive implicite, itaut revocationis notitia ad Mandatarium perveniat, non tenetur ad restitutionem. iii. Cur non pariter deobligetur a restitutione consulens revocato consilio? iv. Si mandatarius in damnificando excedat limites mandati, num, & quando mandans teneatur etiam excessum compensare? v. Non tenetur mandans ad compensanda damna mandatarii, qui sponte, aut accepto pretio mandatum acceptavit. vi. Ratihabitio damnificationis de se non trahit onus restituendi. Solum relate ad pœnas fori exterioris ratihabitio solet æquiparari mandato. vii. Irregularitas tamen, quæ incurritur a mandante homicidium, non extenditur ad ratihabentem.

ARTICULUS III. 43

De Consulente damnum alterius.

i. Nomine Consulentis damnificationem venit etiam qui hortatur, dirigit, instruit, terret minis, &c. Tenetur autem consulens resarcire etiam damnum, quod forte patitur Consiliarius, si hic bona fide procedat. ii. Quandonam deobligatur a restitutione consulens? Et quomodo debeat consiliarium monere, ut desistat? iii. Ad restitutionem tenetur consulens, etiamsi sine suo consilio adhuc damnum a consiliario inferendum esset, dummodo consilium moveat. iv. Si dubitatur, an consilium influxerit, teneturne Consiliarius aut integre, aut saltem pro rata dubii restituere, an omnino deobligatur? v. Quando consilium non influit in substantiam, sed solum ad circumstantiam damni, adhuc probabilius tenetur consulens ad restitutionem. vi. Probabilius etiam ad restitutionem tenetur, qui suo consilio, vel auxilio cooperatur ad damnum, quod etiam sine tali consilio, vel auxilio fieret omnino. vii. Qui male consulit non ex malitia, sed ex ignorantia graviter culpabili, num teneatur ad restitutionem damni ex consilio causati? viii. Si stipendium accipit, qui dat consilium, tenetur de levi culpa juridica, quamvis non sine gravi theologica. ix. Qui sine gravi culpa dat consilium noxium, tenetur non solum ex charitate, sed probabilius etiam ex justitia consiliarium monere ad avertendum damnum. x. Ad restitutionem non tenetur secundum se, nec peccat, qui dat consilium de inferendo damno minore ei, qui determinatus est ad inferendum damnum majus. xi. Secutus vero si quis consilium det de inferendo minori damno Petro ei, qui determinatus est inferre majus Paulo.

ARTICULUS IV. 46

De reliquis positive cooperantibus ad damnificationem.

i. Positive ad damnificationem concurrunt etiam Consentiens, Adulator, Receptator, & Participans, præter Mandantem, & Consulentem. ii. Consentiens, nempe Approbans, favens, aut ferens suffragium in delicto, ad restitutionem tenetur, si sic sit causa damni. At quid in dubio an suffragium influxerit in damnum? iii. Qui ex officio tenetur suffragium ferre, ad restitutionem tenetur, si illud omittat, quando ex tali omissione sequitur damnum. iv. Adulator, aut irrisor si sic damnum causet, ad restitutionem obligabitur, si ad id advertat, quamvis directe illud non intendat. v. Quinam dicatur Recursum præbens, ac Receptans? Et quando hic ad restitutionem teneatur? Etiamsi rationabiliter dubitet, quod ex furis receptione damnum sit secuturum, adhuc ad restitutionem obligabitur. vi. Caupones, qui chartas, sedilia, lumen concedunt iis, qui aliena pecunia ludunt, ad restitutionem tenentur; non tamen si permittant illos domi suæ palam ludere. vii. Qui furem receptat amicitiæ causa, ad restitutionem non tenetur, nisi sic sit causa, quod res furto sublata non restituatur, aut quod novum damnum causetur. Quonam pacto possint Advocati fures defendere? viii. Si te non receptante furem, ab aliis facile receptaretur, illum adjuvando ad fugiendum, & non concurrendo ad injustam retentionem, num tenearis ad restitutionem? ix. Participantis nomine venit, qui præstito auxilio formaliter ad damnum cooperatur. x. Excusantur participantes, qui gravi metu adiguntur ad opus non malum intrinsece; ut qui remigant capti a Turcis in triremibus adversus Christianos; aut qui metu mortis præbent furi claves ad furandum. xi. Quid si quis adjuvet furem, qui sine tali auxilio adhuc idem furtum facturus esset? xii. Prævidens quod furtum, aut homicidium sit imputandum alteri innocenti, tenetur etiam huic damnum, quod inde reportat, compensare.

ARTICULUS V. 49

De Cooperantibus negative ad damnificationem.

i. Ad restitutionem tenentur Mutus, Non obstans, Non manifestans, si contra justitiam peccent non impediendo damnum proximi. ii. In his oritur obligatio ex justitia, non solum ex contractu, sed etiam ex quasi contractu, seu ex officio. iii. Qui omittit impedire damnum, quod etiam posito impedimento sequeretur, ad restitutionem non obligatur, nec peccat, quamvis ex justitia secundum se impedire illud teneatur. iv. Testis legitime interrogatus qui non detegit veritatem, prout debet ex justitia legli, non tenetur probabiliter ad restitutionem damni, quod inde sequitur. v. Nec tenetur Confessarius, immo probabiliter nec Parochus, qui culpabiliter omittit monere pœnitentem de restitutio-

tutione facienda. Nec Pater, si filiis deneget alimenta, quæ ex pietate iis debet, VI. Famuli non tenentur ad restitutionem, si non impediant furta domesticorum; secus vero extraneorum. VII. Custodes vectigalium, saltuum, vineæ ad restitutionem damni tenentur, si illud non impediant; non tamen ad restitutionem pœnæ, quam deberet solvere delinquens. VIII. Judices, & episcopi si malo suo exemplo alios inducant ad furandum, probabiliter ad restitutionem damni non tenentur. Sed probabilius est, quod teneantur; Unde probabilius Episcopi censuras, & irregularitatem incurrunt, si non impediant percussionem Clerici, & homicidia. IX. Qui non tenetur ex justitia revelare furem, potest ab eo aliquid accipere, ne revelet; dummodo illud non sit pars furti; nec per hoc fur reddatur animosior ad furandum. Quid si hic legitime a Judice interrogetur de fure?

ARTICULUS VI. 52

Quantum singuli restituere teneantur, quando plures ad damnificationem cooperati sunt?

I. Si plures ad damnificandum concurrunt, singuli in solidum ad restitutionem tenentur, quando singulis non cooperantibus totum damnum non causaretur. II. Si vero singulis deficientibus adhuc damnum causaretur, tunc singuli tenentur solum ad partem damni pro rata sui influxus. III. Milites Urbem diripientes injuste, quamvis nonnihil invicem animentur, non tenentur ad restitutionem, nisi ad id quod singuli diripuerunt: At Dux ad restitutionem totius damni ab exercitu causati obligatur; Sicut etiam Consiliarii, Exploratores, &c. IV. Si tamen sine tuo consilio adhuc damnum causaretur, tunc pariter ad restitutionem obligaris pro rata influxus. V. Quando duo ingrediuntur domum ad furandum centum, itaut unus sine altero non ingrederetur, tunc uterque tenetur in solidum restituere. VI. Videtur diversimode discurrendum, si a pluribus idem damnum causetur, ac si diversum. Nam si ad idem concurrant, omnes restituere debent in solidum, quamvis singuli sine aliis totum damnum non inferrent: Secus vero si concurrant ad damnum diversum. VII. Num peccet mortaliter, qui modicum furatur, advertens, quod alii plurimi pariter modicum ab eodem domino furentur, aut furati sint? VIII. Si excommunicatio feratur contra hos plurimos, si non restituant modicum illud, quod abstulerunt, talis excommunicatio supponit peccatum mortale si minus injustitiæ propter modicum illud quod retinetur, saltem inobedientiæ. IX. Qui per plura furtula devenit ad materiam gravem, itaut sub gravi ea restituenda sit, num peccet lethaliter, si addat aliud furtulum?

ARTICULUS VII. 54

Quonam ordine restituere debeant Concurrentes ad damnificationem, quando tenentur restituere in solidum?

I. Damnificans principalis tenetur totum damnum resarcire, & in ejus defectum aliis minus principales. II. Principalis damnificator inter omnes damnificantes est possessor malæ fidei. Si tamen res aliena extet in individuo, quamvis apud possessorem bonæ fidei, ab eo restituenda est. III. Quid si plures sint malæ fidei possessores? IV. Post possessorem malæ fidei inter damnificantes tenetur Mandans, & quidem etiam ante Executorem, aut Inductorem; necnon ante illum, qui consulit alteri, ut damnificationem mandet. V. Nomine Mandantis non venit quicunque alteri dicit, ut damnificet, sed qui dicit auctoritative. VI. Post mandantem tenetur Executor damni ante Consulentem; nisi hic dederit consilium fraudulenter. Quid de inducente alterum, ut suo nomine damnum inferat, vel in sui gratiam? VII. Si plures sint executores, puta invasores, omnes principaliter tenentur, quamvis unus tantum ex illis, verbi gratia, invasum percutiat; nisi tamen aliquis sit præcipuus, sine quo alii non invaderent. VIII. Post Executorem tenentur æque principaliter aliæ concausæ tum positivæ, tum negativæ in solidum restituere, itaut una restituente totum, aliæ huic debeant partem suam restituere pro rata influxus. Alii tamen diversimode opinantur. IX. Ex præjacta doctrina varia corollaria deducuntur. X. Si damnificatus remittat debitum principali, reliqui ad nihil tenentur; Non tamen si remittat debitum minus principali. Quod si nolit agere contra principalem, non per hoc non potest agere contra minus principalem.

QUESTIO IV. 58

Quid, & Quantum restitui debeat?

ARTICULUS I. ibid.

An accepta ob turpem causam restituenda sint?

I. Contractus de re illicita facienda rescindendus est. Quod si partim sit de re licita, partim de illicita, solum datur obligatio ponendi rem licitam. II. Pro scelere patrando nihil promitti, dari, aut accipi potest, antequam illud patretur. Et quod acceptum esset, restituendum danti, nisi datum esset absolute ad alliciendum. III. Post sceleris patrationem probabilius est, quod solvi debeat pretium pro illo promissum. IV. Qui post factum accepit pretium promissum pro scelere patrando, probabilius potest illud retinere, etsi teneatur satisfacere parti læsæ. V. Ex lege positiva restituendum est pretium simoniacum vel pauperibus, vel Ecclesiæ in pœnam delicti. VI. Illicite sic acquisita a Filio, Uxore, servo, probabilius non debent restitui Patri, Marito, Domino.

ARTICULUS II.

An restituenda sint accepta ob causam honestam?

I. Restitui debent accepta ad præstandum opus debitum ex justitia; necnon pro omissione etiam ex justitia debita; Non tamen accepta pro opere honesto, aut pro omissione, quæ ex justitia non debeantur. II. Num possit etiam aliquid accipi pro opere debito ex charitate, quod non sit laboriosum, puta pro deponendo odio? III. Si opus ex justitia debitum Titio ponitur in gratiam Caji, num possit a Cajo aliquid accipi? IV. Cur in foro externo non datur actio ad repetendum, quod traditum est pro opere ex justitia debito? Et simul compellitur ad restitutionem, qui aliquid accepit pro non patrando

peccato. v. Non solum pretium, sed etiam munus involuntarie donatum pro opere debito ex justitia universim restituendum est; non tamen si detur liberaliter. vi. Num possint famuli Judicis aliquid accipere a Titio, ut hic ante alios introducatur, & ejus causa prius expediatur? vii. Quandonam possint Officiales Judicis munera sibi donata retinere? viii. Leges civiles si solum prohibeant, & non irritent acceptionem munerum, non obligant ad restitutionem; Sicut nec juramentum de illis non acceptandis. ix. Si lex aliqua irritet donationem munerum, hæc restituenda sunt danti, nisi aliter statuat ipsa lex; & tunc requiritur etiam sententia Judicis, ut a dante tollantur.

ARTICULUS III. 63

An Bona incerta, vacantia, derelicta, & Animalia, quæ piscatione, aut venatione capiuntur, restituenda sint?

i. Bona incerta, si acquisita sint ex delicto, restituenda sunt pauperibus. Quæ tamen sine delicto retinentur, probabilius danda sunt etiam pauperibus, sed probabiliter retineri possunt. ii. Post factam compositionem per Bullam bonorum incertorum, si dominus compareat, probabiliter ea non sunt restituenda. iii. Etiam Episcopus potest in sua Diœcesi compositionem facere debitorum incertorum. iv. Bona vacantia, necnon derelicta sunt primo occupantis jure naturæ; Jure tamen positivo aliud decernitur de bonis vacantibus. v. Animalia, quæ venatione, aut piscatione capiuntur, secundum se sunt etiam primo occupantis. vi. Potest Princeps sibi venationem, ac piscationem reservare, & potest reddere subditos incapaces dominii relate ad feras in suo nemore captas. vii. Ad restitutionem tenetur, qui venatur in loco, ubi a Principe alteri concessum est jus venandi; non quidem restituendo feras captas, sed compensando damnum, quod alteri probabiliter intulit habenti jus venandi. viii. Animal alterius, quod damnum infert in tuo prædio, non potest occidi, nisi aliter grave damnum impediri non possit.

ARTICULUS IV. 64

An iterum facienda sit restitutio, quando res furtiva data alteri, ut restituatur, non pervenit ad dominum?

i. Res debita ex delicto, si deferatur per nuncium a debitore electum, perit ipsi debitori, antequam ad dominum perveniat; Sed si nuncius eligatur a Creditore, perit Creditori. ii. Res non debita ex delicto, sed ex contractu, si eadem in individuo debeatur, perit semper Creditori, si non pereat ob culpam debitoris: At si non debeatur eadem in individuo, perit debitori, si per nuncium a se electum transmittatur. iii. Res tamen, quæ solum debetur ex re accepta, quamvis transmittatur per nuncium a debitore electum, perit semper Creditori, quamvis non debeatur eadem in individuo, dummodo non pereat ob culpam debitoris. iv. Quid si res debita transmittatur per Parochum, vel Confessarium, & illa ad dominum non perveniat? v. Quid si post conventionem cum Creditore, quod res transmittatur per Petrum, deinde transmittatur per Paulum expertum fidelem, & res ad dominum non perveniat?

ARTICULUS V. 66

An res domino nocitura restituenda sit?

i. Quousque dubitetur, aut probabile sit, rem esse domino nocituram, ut gladius furioso, non est restituenda. ii. Probabilius est, quod pecceturetiam contra justitiam, si res isthæc cum alterius damno restituatur. iii. Negative se habens ad injustam actionem non tenetur ad restitutionem, nisi ex officio debeat illam impedire. At in casu nostro reddens gladium domino furioso positive concurrit ad mortem innocentis, & ideo ad restitutionem obligatur. iv. Solvens Usurario usuras, quibus abutatur ad novas usuras exigendas, remote ad peccatum concurrit; at in casu nostro proxime. v. Differenda pariter est restitutio rei alienæ, etiam quando dominus illa abusurus est ad peccandum contra alias virtutes a justitia. vi. Non tenemur auferre a domino res suas, quibus ille est abusurus, sed hujusmodi res tenemur non restituere. vii. Conjux illicite petenti debitum num, & quando possit illud negare? viii. Non videtur improbabilis scientia nonnullorum, quod scilicet citra culpam restitui possit domino res, qua ille abusurus sit contra alias virtutes a justitia.

QUÆSTIO V. 67

De Persona, cui facienda est Restitutio, ac de reliquis circumstantiis Restitutionis.

ARTICULUS I. ibid.

Cui facienda est Restitutio.

i. Restitutio ex titulo rei acceptæ facienda est domino: Ex titulo autem injustæ acceptionis facienda est illi, cui damnum est irrogatum. ii. Qui eadem actione pluribus damnum intulit, omnibus tenetur illud resarcire. Quid si malis artibus plures quis impedierit a Beneficio consequendo? iii. Num differens deferre rem donatam usque ad mortem donantis teneatur non solum donatario, sed etiam hæredibus donantis restituere? iv. Surripiens rem alienam a Cajo bona fide illam possidente, tenetur illam non Cajo, sed domino restituere. Similiter qui rem alienam dono accepit a fure, non furi, sed domino restituere illam debet. Sed quid si a fure illam emerit? v. Qui bona fide in opera pia impendit rem domino restituendam, num teneatur iterum restituere? Et qui rem furtivam bona fide emit, & revendidit, ad quid tenetur? vi. Restituens creditori sui creditoris immunis est a nova restitutione, quando est liquidum debitum creditoris immediati. vii. Citra vim potest amicus Caji accipere centum a Titio auctoritate propria, servatis regulis compensationis, ut ea det Cajo creditori Titii. viii. Num possit dominus ingredi domum furis, & per vim rem suam recuperare?

ARTICULUS II. 70

Ubi, & cujus expensis facienda sit Restitutio?

I. A Possessore malæ fidei restituenda res est domino propriis expensis, reponendo illam, ubi dominus illam possessurus esset, si non fuisset furto sublata. II. Qui restituere non potest sine expensis majoribus, quam res ipsa valeat, ad quid tenetur? Num possit uti beneficio Bullæ compositionis? III. Possessor bonæ fidei non tenetur suis expensis rem domino restituere, aut illum monere, ut rem suam sibi capiat: Quod si sine magnis expensis id fieri nequit, nec speratur, quod dominus velit amplius sibi rem accipere, potest dari pauperibus, ac potest etiam ipse sibi eam retinere. IV. Quæ debentur ex contractu vel quasi contractu, restitui debent in loco, ubi res accepta fuit: Si tamen aliter sit conventum, compensandæ sunt expensæ. V. Si contractus cedit in bonum debitoris, expensis istius facienda est restitutio; Sicuti si cedat in bonum creditoris, hic debet solvere expensas; Et si in bonum utriusque, uterque. VI. Ubinam restituendæ sint res ex testamento donatæ, aut commodatæ, vel pensiones &c.? VII. Rex ex contractu debita, quæ sine magnis expensis non potest domino restitui, vel potest dari pauperibus, vel retineri a debitore, si forte dominus compareat.

ARTICULUS III. 72

Quomodo facienda est Restitutio?

I. Restitutio fieri debet statim, non physice, sed moraliter, & humano modo; præsertim si non fiat ex delicto, nec grave damnum afferat brevis dilatio. II. Censuum solutio non solet fieri sine prævia creditoris monitione; si tamen hæc non fiat ob verecundiam, aut timorem, peccat, qui diu solutionem differt. III. Qui culpabiliter solutionem debitam differt, nec vult solvere, nisi cogatur a Judice, tenetur compensare damnum, quod patitur creditor. IV. In nonnullis casibus potest creditor petere, ut ante prefixum terminum reddantur res suæ.

ARTICULUS IV. ibid.

Quomodo facienda sit Restitutio?

I. Potest restitutio fieri per alium. At quid, si ad dominum non perveniat, quando fit per Confessarium? II. Quod ex delicto debetur, totum simul restitui debet; Et in qualibet pecunia fieri potest restitutio, nisi aliter sit conventum. III. Debitor ad infamiam declinandam potest restituere privatim: At qui publice alios fraudavit, tenetur ex charitate publice restituere ad scandalum vitandum. IV. Potest debitor ad infamiam vitandam fingere, quod creditori donet id, quod debet restituere. Quod si hoc intuitu aliquid redonatum est, restitui debet. V. Num satisfaciat, qui debens centum Titio, immemor talis debiti ei donet centum? Aut Beneficiarius, qui post horarum omissionem eleemosynas erogat ignorans, aut non advertens, quod debeat restituere fructus Beneficii?

ARTICULUS V. 73

Quo ordine facienda est Restitutio Creditoribus?

I. Præter ordinem servandum inter Personas, quæ debent restituere, attendendus est ordo servandus inter Personas, quibus fieri debet restitutio, quando bona debitoris non sufficiunt ad integre solvendum omnibus. II. Quid sit jus in re, quod habent Creditores Reales, quid vero jus ad rem, quod habent Creditores Personales, & Chirographarii? III. In quo differat Pignus ab Hypotheca, quæ multiplex est? IV. Debitor habens rem alienam in individuo restituere illam debet, antequam aliis Creditoribus satisfaciat; etiamsi dominus ignoretur, dando tunc illam pauperibus. V. Si adhuc extans apud emptorem sit credito vendita, præferendus est venditor aliis Creditoribus: Non tamen si ab emptore sit revendita alteri. VI. Debita certa præferenda sunt incertis. VII. Probabilius neque debita ex delicto præferenda sunt debitis ex contractu, neque ista illis, sed pro rata utriusque satisfaciendum. VIII. Debita ex contractu oneroso præferenda sunt debitis ex contractu gratioso. Quid tamen de legatis, de expensis funeris, aut factis causa testamenti? IX. Creditoribus realibus habentibus hypothecam, vel pignus prius satisfaciendum, quam Chirographariis. Et prior hypotheca præferenda posteriori, exceptis nonnullis casibus. X. Prior emptor præferendus est secundo, nisi res sit huic tradita, exceptis etiam nonnullis casibus. XI. Creditores Chirographarii priores probabilius non sunt præferendi posterioribus. XII. Inter æquales creditores videtur præferendus petens, etiam extra judicium, aliis non petentibus. Peccat tamen contra justitiam debitor, si præferat creditorem qui non est præferendus. XIII. Num Creditor, qui injuste a debitore præfertur aliis, possit sibi retinere, quod sibi debetur? XIV. Num possit Creditor pauper ex solo titulo paupertatis aliis præferri? XV. Qui titulo aut gratioso, aut oneroso, sive bona, sive mala fide accepit aliquid ab eo, qui non est solvendo suis creditoribus, ad quid tenetur? XVI. Debitor qui suis creditoribus non est solvendo, peccat contra justitiam, si repudiet donationem, aut hæreditatem, qua possit satisfacere.

QUÆSTIO VI. 77

De Causis, ob quas omitti, vel differri possit Restitutio.

ARTICULUS I. ibid.

De Causis, ob quas differri potest Restitutio.

I. Differri potest restitutio, si debitor restituendo patiatur damnum duplo majus, quam patiatur creditor ex tali dilatione, vel si pati deberet jacturam famæ, aut alterius damni notabilis. II. Potest etiam differri, si deberet aliter vendere centum aureis rem valentem biscentum, aut si deberet vendere istrumenta suæ artis, aut si deberet vir nobilis artem manualem exercere. III. Sicut etiam si deberet cadere de proprio statu juste acquisito, quamvis

vis debita ex delictis contracta sint. At si per usuras status sublimior acquisitus sit, etiam hæredes cum mutatione status tenentur restituere; Sicut etiam si res in individuo restituenda sit. IV. Nequit restitutio differri, ne quis magno lucro privetur. V. Differrenda est restitutio, si ex ea grave damnum alteri sequatur. VI. Quænam impotentia dilationem restitutionis permittat? VII. Num licite differens restitutionem teneatur ad interesse? VIII. In gravi necessitate licitum est restitutionem differre, non tamen furari. In extrema necessitate dives tenetur ex charitate offerre pauperi res necessarias; & ex justitia tenetur non impedire, ne illas sibi accipiat. IX. Cessio bonorum, seclusa impotentia, non excusat a statim restituendo. Quid ea ferat pro foro externo? Nequit Clericus cedere bonis cum ignominia sui status. X. Qui cedit bonis, quantum possit occultare ad honeste vivendum? XI. Artifex, qui bonis cessit, tenetur exercere, sicut prius, artem suam, ut possit suis creditoribus satisfacere quantum potest. Quid si religionem ingrediatur?

ARTICULUS II. 78

De Debiti remissione, quæ excusat a restitutione.

I. Condonatio creditoris tunc excusat debitorem a restituendo, quando ea est plene libera, & a jure non irritatur. II. Remissio facta debitori fingenti se pauperem est invalida, utpore facta per dolum circa causam finalem. III. Si condonetur pars debiti ob metum injustum, ne scilicet totum creditum amittatur ob culpam debitoris, talis condonatio est invalida; secus vero si fiat ob metum justum, ne scilicet totum creditum amittatur ob debitoris inopiam. IV. Est etiam invalida, si metus a tertia persona incutiatur ad remissionem extorquendam. V. Debitor, qui sine fraude se composuit cum creditoribus, non tenetur deinde partem debiti sibi remissam restituere, si deveniat ad pinguiorem fortunam; secus si sese in Ecclesiam recipiat, ut pars debiti sibi remittat. VI. Excusatur a restitutione debitor, cui constat de voluntate sive formali, sive præsumpta creditoris debitum remittentis; secus vero si de ea dubitet.

ARTICULUS III. 81

De occulta compensatione excusante debitorem a restituendo.

I. Ut a restitutione reddat immunem, Compensatio occulta fieri debet cum suis requisitis. II. Debet quippe esse moraliter certum debitum compensandum, & non dubium, aut probabile. III. Debitum istud debet esse ex justitia, non ex alia virtute; puta ex promissione, aut voto, vel ex gratitudine. IV. Res, qua fit compensatio, debet esse ipsius debitoris, non deposita, aut alteri hypothecata. V. Requiritur etiam, ut debitum non possit aliter recuperari sine gravi incomodo. Num sit mortale, cessante scandalo, hanc conditionem omittere? VI. Debet vitari grave damnum alterius, qui forte infamaretur, ac ipsius debitoris, qui forte iterum restituet. VII. Num possit cum æquivocatione juratus negare, quod aliquid acceperit, qui accepit aliquid in compensationem? VIII. In quibus casibus possunt famuli sibi compensare ab heris suis, quod sibi judicio prudentium propter famulatum debetur? IX. Si Sacerdos nequeat recuperare decem carolenos debitos a Titio, & hic det illi totidem carolenos pro decem missis celebrandis, poteritne ob compensationem omittere missarum celebrationem? X. Num filius laborans pro Patre possit pro tali labore aliquid sibi occulte compensare? XI. Num possit fieri compensatio in delictis, non restituendo, verbi gratia, famam illi, qui te infamavit? Et num possit infamia compensari pecunia? XII. Possitne aliquando ob debitum probabile fieri compensatio? Præsertim si probabilitas versetur circa jus, non circa factum?

ARTICULUS IV. 82

De Compositione, & Judicis auctoritate excusantibus a restituendo.

I. Liberat a restitutione debitorem compositio, quæ fiat a Pontifice, vel ab Episcopo in propria Diœcesi pro debitis duntaxat incertis. Et probabiliter si deinde dominus compareat, nihil ei debetur. II. Quid requiratur, ut possit Pontifex pro debitis certis compensationem, aut dispensationem concedere? Sicut potest Pontifex in pœnam privare reum bonis temporalibus, ita potest deobligare debitorem a restitutione facienda alicui criminoso. III. Multipliciter potest Judex eximere debitorem ab onere restituendi, præsertim in pœnam delicti a creditore patrati; Vel si ex æquitate aliquid alicui adjudicet, quod ex rigore justitiæ illi non debetur.

ARTICULUS V. 87

De Præscriptione, quatenus a restituendo excusat.

I. Præscriptio legitima etiam pro foro interno a restituendo deobligat; conceditur tamen locis piis, & minoribus restitutio in integrum. II. Lex præscriptionis non est instituta in pœnam negligentiæ creditoris, sed ad lites innumeras vitandas; Nec nititur in falsa præsumptione culpæ illius. III. Quinque sunt Præscriptionis conditiones, Possessio continuata, Capacitas possidendi, Bona fides, Titulus probabiliter præsumptus, & Lapsus temporis a lege definiti. IV. Ad præscriptionem requiritur, & sufficit possessio civilis rei, quamvis sit sine naturali possessione. V. Præscribere non potest Laicus res Ecclesiasticas. Nec religiosus aliquid præscribere potest. Quid de pupillo? VI. Homo liber præscribi nequit. Nec res furtiva; At si bona fide hæc ematur, vel accipiatur, post annos triginta præscribi potest. Neque præscribi possunt res, quæ alienari non possunt, ut res Ecclesiasticæ, nisi spatio triginta annorum. VII. Si bona fide per annos triginta possideatur jus non solvendi debitum, præscribitur. Non præscribit tamen, qui dubia fide cœpit possidere, aut qui bonam fidem interrupit per malam fidem: Dubium tamen superveniens bonam fidem non interrumpit. VIII. Num possint hæres, & legatarius præscribere, si bona fide habeant res, quas testatur, qui mala fide eas possidebat? IX. Num possit prodesse ad præscribendum bona fides orta ex ignorantia juris clari, saltem post spatium triginta annorum? X. Ignorantia juris, quæ non prodest ad prescribendam rem inalienabilem, prodest ad præscribendos fructus talis rei, relate

quos ignorantia est potius facti. XI. Titulus probiliter præsumptus non eodem modo requiritur ad æscribendum, quam bona fides, sine illo quippe æscribitur spatio triginta annorum, vel quadragin- contra Ecclesiam, aut centum contra Ecclesiam omanam: Et si jus commune repugnet ad præscrindum, adhuc sufficit tempus immemorabile, in o titulus præsumitur: Nunquam tamen sine bo. i fide legitime præscribitur. XII. Usucapio præter tulum, & bonam fidem, requirit triennium inter æsentes, & quadriennium inter absentes; Sine tilo autem requirit spatium triginta annorum. Prævriptio vero exigit decem annos inter præsentes, vinti inter absentes, & sine titulo triginta: At cona Ecclesiam quadraginta, & contra Ecclesiam Roanam centum. XIII. Ut consuetudo contra legem æscribat, satis est, vel quod passim fiat contra lem conscio Superiore, vel quod inscio Superiore ontra legem fiat per decennium.

ARTICULUS VI. 90

Num interitus rei alienæ, aut ingressus in Religionem a restituendo excusent?

I. Interitus rei alienæ in specie restituendæ a reituendo excusat, si pereat citra culpam debitoris, ec aliter sit conventum II. Probabilius videtur osse secundum se ære alieno gravatum ingredi Reigionem, & sic a restituendo deobligari, si alia via on possit. III. Sic sponsus post sponsalia jurata otest ingredi Religionem. IV. Num teneatur hic eligiosus laborare juxta suum statum de licentia uperioris, ut debitis satisfaciat? V. Num pariter eneatur acceptare donationes, aut hæreditatem, uæ detur Creditoribus? VI. Religiosus, qui post rofessionem alios damnificavit, præsertim si sit Prælatus, ad quid tenetur, ut damnum resarciatur?

QUÆSTIO VII. 92

De Restitutione in particulari.

ARTICULUS I. ibid.

De restitutione propter homicidium, & mutilationem.

I. Provocatus ad pugnam, si alium occidat, non tenetur quicquam restituere, quamvis nonnihil excesserit. Qui tamen invaditur ab altero, ad restitutionem obligabitur, si notabiliter excedat occidendo invasorem. II. Num peccet contra justitiam Clericus, qui potest fugere invasorem, sed non fugit, sed illum occidit cum moderamine debito? III. Qui artificem occidit, tenetur etiam lucrum illi cessans ex suæ artis exercitio restituere: Sed debetne æstimationem laboris detrahere? Debetne quicquam restituere Creditoribus occisi? IV. Num pro vita, pro mutilatione, pro cicatrice, pro fama injuste sublata aliquid restituendum sit? Et quid pro vita servi, aut animalis alterius? Quid pro homicidio, quod fecit filius? V. Qui collocat cadaver occisi ante domum Titii, prævidens, aut etiam intendens, ut Titius tanquam homicida puniatur, num teneatur ad restitutionem? VI. Tam ex homicidio casuali, quam ex indirecto, non secus ac ex voluntario oritur obligatio restitutionis, supposita in iis gravi culpa contra justitiam. VII. Num sit reus homicidii vulnerans graviter Petrum, qui deinde ex Medicorum culpa decedat? Aut qui volens occidere Titium, casu occidat Cajum? Aut qui alium occidit in ebrietate? VIII. Propter damnum illatum occiso in curatione vulnerum, & ob lucrum, quod illi ante mortem cessavit, facienda est restitutio hæredi, & hoc deficiente, pauperibus: Propter damnum vero quod aliis ex homicidio consurgit, facienda est restitutio solum hæredibus necessariis, non aliis. IX. In quibusnam casibus licitum est homini seipsum occidere, aut mutilare? Num licite pueri castrentur ad vocem conservandam? X. Num possit aliquando indirecte innocens occidi? Num Saraceni innocentes occidi possint, ne fiant deinde hostes Christianorum? Num possit dari pharmacum prægnanti cum periculo occidendi fœtum animatum? XI. Quid requiritur, ut licite possimus invasorem occidere in propriam, aut proximi defensionem? Plures theses hac de re proscriptæ recensentur.

ARTICULUS II. 99

De Restitutione propter detractionem.

I. In quo differat detractio a contumelia, susurratione, & derisione? II. Detrahit directe *Imponens*, *Augens*, *Manifestans*, *in mala vertens*; indirecte vero *Qui negat*, *aut minuit*, *reticet*, *laudatque remisse*. III. Quænam in detractione dicatur materia gravis? IV. Num liceat uni, vel alteri viro prudenti verum crimen alterius manifestare citra mortale? Quod si ab eo deinde aliis manifestetur tale crimen, quid faciendum a primo detractore? V. Num sit mortale citra asseverantiam referre alterius crimina audita? VI. Ad vitandum grave damnum innocentis occulta crimina delinquentis detegi possunt. VII. Num citra mortale possit delictum Petri publicum in uno loco, aut tempore publicari ubi, & quando ignoratur? VIII. Infamatus in uno genere num possit citra mortale in alio genere infamari? IX. Regulariter non est mortale seipsum infamare. Nec est de se mortale imponere sibi falsum crimen citra perjurium ad vitanda gravia tormenta. Verum autem alterius crimen occultum detegere possumus ad vitandum grave damnum. Nunquam tamen citra mortale potest grave crimen alteri imponere ad se defendendum. X. Ad quid tenetur qui audit detrahentem? XI. Quonam pacto fama restituenda sit? præsertim si famosis libellis sit sublata? XII. Octo de causis potest quis a restitutione famæ excusari, nempe si duret impotentia physica, si moralis, si compensatio, si condonatio, si crimen sit oblitum, si infamia sublata, si crimen factum est publicum, si detractio fuit inefficax. XIII. Impotens famam restituere non tenetur illam pecunia compensare; quamvis probabiliter possit infamatus clam accipere aliquid ab illo in compensationem.

ARTICULUS III. 103

De restitutione facienda ob contumeliam, derisionem, susurrationem, judicium temerarium, suspensionem.

I. Contumelia de se fert positivam inhonorationem, unde non opponitur Observantiæ, sed Justitiæ commutativæ, & ex suo genere est mortale.

II. Compensatur universum dehonoratio isthæc per petitionem veniæ. III. Derisio fert dehonorationem cum animo confundendi derisum, & fieri solet verbis irrisoriis; Subsannatio vero fit signis derisoriis. Utraque fert culpam mortalem, si prævidetur derisus graviter contristandus. IV. Susurratio ordinatur ad seminandas discordias inter amicos, manifestando eorum defectus; De se est mortalis, & fert onus restitutionis. V. Judicium, & Suspicio temeraria reducuntur ad detractionem, tanquam actus internus ad externum: cum inducant malam opinionem, & contemptum proximi, ferunt de se mortalem culpam, & onus restitutionis. VI. Facilius a mortali excusatur suspicio, seu opinio temeraria, quam judicium certum temerarium. Si indicia sint probabilia, opinio non esset temeraria, sed ea nequit sine causa aliis communicari. VII. In dubiis regulariter possumus licite assensum suspendere, quin teneamur bene opinari, sed solum tenemur non male opinari de proximo. VIII. Si tamen agitur de damno vitando, possumus dubia in deteriorem partem interpretari solum conditionate, & sic damnum præcavere. IX. Superiores ob indicia dubia possunt aliquali pœna subditos punire, eo quod non abstineant a specie mali.

ARTICULUS IV. 105

De Restitutione facienda ob secreti violationem.

I. Peccat contra justitiam commutativam, qui revelat, quæ sub sigillo naturali accepit. II. Num sit gravis culpa ea uni, vel alteri viro prudenti revelare? III. Violans sigillum naturale tenetur compensare damna, quæ inde sequuntur, etiamsi cum pacto tacito secretum committatur. IV. Num, & quando graviter peccet, qui aperit literas sigillo munitas? V. Non peccat, qui ad vitanda gravia tormenta secretum revelat; nisi id cedat in damnum publicum, aut ex officio ad sigillum teneatur. VI. Licitum est arcana etiam jurata sponte pandere, si illa vergant in grave damnum Communitatis, aut innocentis. Sigillum Sacramentale duntaxat in nullo casu referari potest.

ARTICULUS V. 106

De Restitutione facienda ob furtum, rapinam, nec non ob spiritualia damna alteri illata.

I. Furtum specie differt a Rapina; hæc enim superaddit furto violentiam, & injuriam personalem. II. Excusatur a mortali, qui rem alienam accipit, quando dominus est solum invitus quoad modum, non quoad substantiam. III. Ratihabitio de futuro, seu licentia præsumpta excusat a furto, & Religiosum a vitio proprietatis; Sed ea non sufficit ad sacramentaliter absolvendum, aut ad dispensandum. IV. Votum paupertatis comparatur cum licentia, tanquam cum conditione; lex vero comparatur cum dispensatione, tanquam cum ejus destructivo. V. Quantitas requisita ad furtum mortale varia est pro varietate Personarum, quæ damnificantur. Aliquando acus a sartore ablatus fert damnificationem gravem, esto furtulum istud in ratione furti non sit grave, nec trahat excommunicationem latam contra furantes. VI. Num peccet mortaliter, qui post completam materiam notabilem, parum aliquid iterum furatur? VII. Num teneatur ad restitutionem sub gravi, qui advertit se per plurima furtula venialia pervenisse ad materiam notabilem, quin sit factus ditior? VIII. Quid si plures modicum quid surripiendo damnum notabile eidem inferant, advertendo duntaxat, sed non concurrendo ad aliorum furtula? Si adversus istos feratur excommunicatio, quare sub gravi teneantur restituere modicum, quod surripuerunt? IX. In gravi necessitate differri probabiliter potest restitutio, sed non licet furari, nisi necessitas sit extrema, aut valde gravis, seu extremæ affinis. X. Famuli, aliique inservientes non possunt occulte ab Heris suis surripere, quod ipsi judicant deberi ultra salarium, nisi id sit manifestum, & citra controversiam. XI. Quid possint filii a Parentibus occulte surripere citra mortale tam de bonis Profectitiis, quam de Adventitiis? Etenim Castrensia, seu quasi Castrensia ad filios spectant. XII. Uxor quandonam mortaliter peccat surripiendo aliquid de bonis mariti, aut de bonis communibus, quæ scilicet percipiuntur de fructibus dotis, & arrharum? XIII. Qui sine vi, & fraude induxit aliquem ad culpam, aut retraxit illum ab ingressu in Religionem, peccavit duntaxat contra charitatem; at peccat contra justitiam, & ad restitutionem damnorum tenetur, si id faciat per vim, aut fraudulenter, aut si quomodocumque inducat alium ad damnificandum.

ARTICULUS VI. 111

De Restitutione facienda ob stuprum, & adulterium.

I. Ad quid teneatur deflorator Virginis, quæ in stuprum sponte consensit? Et quid, si per vim, aut fraudem illam defloravit? II. Qui Virginem defloravit ficte matrimonium promittendo, tenetur illam ducere, quin satis sit illam dotare, seclusa disparitate inter illos. III. Adulter ob injuriam personalem marito irrogatam tenetur petitione veniæ, aut aliis signis satisfacere. Prolem suam tenetur alere post tertium annum. IV. Si nothus inter legitimos a Matre supponatur, tenetur adulter compensare damnum, quod legitimi patiuntur. V. Adultera tenetur compensare damnum, quod ex prole illegitima patiuntur legitimi, non tamen se infamando.

ARTICULUS VII. 113

De Restitutione facienda ob fraudata vectigalia.

I. Lex de solvendis vectigalibus juste impositis ad Principis sustentationem, & Regni defensionem verius non est pure pœnalis. Quid si imponatur in rebus usualibus? II. Num detur obligatio solvendi vectigalia, si dubitetur negative num juste imponantur? III. Etiam exteri tenentur solvere vectigalia justa. IV. Num sponte aperiendæ sint custodibus merces, pro quibus vectigal solvendum est? V. Custodes non obstantes fraudibus, prout ex justitia tenentur, probabiliter non tenentur ad restitutionem pœnæ, quam fraudatores vectigalium solvissent, si manifestarentur, licet teneantur compensare damnum, quod domini subeunt. VI. Ecclesiastici quandonam teneantur vectigalia solvere? VII. Clerici conjugati, quamvis gaudeant privilegio Canonis,

nis si Virginem duxerint, & gestent habitum, ac nsuram, non eximuntur tamen a solutione vectilium: Nec Clerici relate ad bona, quæ advehunt l negotiandum. VIII. Si custodibus non constet, uod bona sint Ecclesiasticorum, juramento istorum andum est.

ARTICULUS VIII. 115

De restitutione ob simoniam facienda.

I. Simonia habetur per studiosam voluntatem emenli, vendendi, aut permutandi pretio temporali rem spiritualem aut spirituali annexam, sive pretium sit a manu, sive a lingua, sive ab obsequio. II. Ad simoniam requiritur pactum saltem implicitum, seu animus obligandi alium ad conferendam rem sacram propter temporalem, aut econtra. III. Dividitur Simonia in Mentalem, Conventionalem, & Realem: Mentalis autem requirit actionem externam positam animo simoniaco. Simonia Confidentialis in Beneficiis potest esse sive Mentalis, sive Conventionalis, sive Realis. Quælibet istarum est casus reservatus, sed pœnæ Simoniacorum incurruntur solum a Simonia reali in Beneficiis. IV. Simonia prohibetur tam jure Divino, ac Naturali, quam Humano. Aliqua tamen simonia est solum juris Ecclesiastici, & in hac duntaxat dari potest materiæ parvitas. V. Materia Simoniæ est res sacra, seu quomodocumque spiritualis, ac supernaturalis, puta Sacramenta, Reliquiæ, Beneficia, Præstimonia, Sacramentalia, &c. VI. Quid de Cappellaniis, de Commendis, de Vicariatu Episcopi, de Rectoriis Hospitalium, de labore in administrandis Sacramentis, & de rebus consecratis? VII. Quid de alliciente alium rebus temporalibus ad conferendas res spirituales? Quid de reportante stipendium propter concionem, aut pro docenda Theologia? VIII. Quid de transferente jus patronatus sive reale, sive personale propter pretium? Quid de resignante similiter Beneficium? Quid de commutante res spirituales lucrum afferentes? IX. Quænam Pensio sit materia Simoniæ? Quænam etiam Resignatio Beneficiorum? Quænam redemptio vexationis licita est in Beneficiis? Quænam etiam transactio inter litigantes? X. Pro actibus jurisdictionis Ecclesiasticæ nihil accipi potest. Quomodo pro dispensationibus a Curia Romana aliquid accipiatur? XI. Num Pontifex possit simoniam incurrere etiam juris Ecclesiastici? XII. Excusaturne a Simonia juris humani, qui illam sciente, & dissimulante Pontifice exercet? XIII. Sex de causis, seu titulis excusari potest a simonia, qui dat temporale occasione spiritualis; nempe titulo sustentationis, liberalitatis, laboris extrinseci, privationis alicujus lucri, redemptionis vexationis injustitiæ, & ratione consuetudinis. XIV. Qui verbi gratia, celebrat, si detur stipendium, aliter eo die non celebraturus, non habet pro motivo secundario præsse dicto stipendium, sed solum pro motivo excitante, & occasionali; aliter esset simoniacus. XV. Quænam redemptio injustæ vexationis licita sit? XVI. Simoniace datur pecunia intercessori immediato ad Beneficium obtinendum. Sed quid si detur intercessori mediato? XVII. Beneficii collatio facta Titio ignoranti Simoniam ab alio commissam ad tale Beneficium obtinendum est irrita, nisi in fraudem simonia committatur, aut nisi electus resistat. Gaudet tamen hic beneficio triennalis possessionis. XVIII. Quænam censuræ ferantur in Simoniacos? Quinam actus simoniaci sint invalidi; & quænam restitutio iis imponatur? XIX. Pretium simoniace acceptum danti ne, an pauperibus restituendum est? XX. Pretii hujus restitutio facienda est, etiamsi non detur obligatio ex justitia ponendi rem sacram, quæ venditur. XXI. Quid si conferens rem sacram privet se in gratiam alterius commodo aliquo sive temporali, sive spirituali? XXII. Qui rem sacram emit, illam non tenetur restituere, quamvis vendens teneatur restituere pretium, quod pro illa accepit. XXIII. De restitutione ob usuram facienda remissive.

ARTICULUS IX. 128

De restitutione facienda ob Horarum, & Residentiæ omissionem.

I. Beneficiarii post sex menses a Beneficii possessione, si Horas non recitent, tenentur ante sententiam Judicis fructus restituere pro rata omissionis, erogando illos aut in fabricam Beneficii, aut in pauperes. Explicavit Pius V. quid sonet ly pro rata omissionis. II. Probabilius non tenetur ad restitutionem, qui inculpabiliter Horas omisit. III. Dationem ob causam restituendum est causa non subsecutum, nisi aliud constet ex voluntate dantis. IV. Omittens partem aliquam minorem, quam sit Hora parva, probabiliter nihil restituere debet. V. Qui recitat quidem Horas, sed sine attentione debita, sicut peccat graviter, ita ad restitutionem fructuum obbligatur. VI. Pariter Canonicus recitans in Choro sine debita attentione distributiones retinere non potest. VII. Beneficiarius in excommunicationem lapsus, si recitet Horas, & munus suum præstet, potest fructus Beneficii retinere. Quid de excommunicato vitando? VIII. Sicut infirmus, ita injuste detrusus in carcerem, aut excommunicatus potest distributiones lucrari, quamvis absit a Choro; cum non debeat innocens hanc pœnam subire. IX. Qui juste est excommunicatus, non potest distributiones lucrari, quamvis per ipsum non stet, quominus absolvatur. X. Beneficiarius post sex menses omittens officium, si monitus non resipiscat, Beneficio privandus est. XI. Restitutio potest fieri non solum pauperibus, aut in utilitatem fabricæ Ecclesiæ, sed etiam in utilitatem fabricæ domus Beneficii, aut in meliorandis agris; Et potest etiam fieri offerendo suffragia pro defunctis; Quod si ipse Beneficiarius sit pauper, potest sibi applicare fructus restituendos. XII. Pauper, antequam sibi tradantur in eleemosynam fructus restituendi, non potest eos Beneficiario ipsi donare; Nec talis donatio est valida, si sit coacta. XIII. Restituendi sunt duntaxat fructus respondentes oneri Horarum, non vero respondentes aliis oneribus, quibus sit satis. Sed quota sit ea pars? XIV. Quinam teneatur in Choro officium recitare? XV. Perstringuntur, quæ spectant ad restitutionem faciendam a Beneficiariis non residentibus.

FINIS.

INDEX RERUM NOTABILIUM,

Quæ in hoc Tertio Tractatu de Restitutione continentur.

Prior numerus Quæstionem; Alter Articulum; Tertius Numerum marginalem designat.

A

Acceptio Personarum est vitium oppositum Justitiæ distributivæ, qua bona communia distribuuntur juxta proportionem Geometricam meritorum, & personarum. 1. 1. 4.
Actiones præcipuæ injustæ, quæ pariunt onus restitutionis, recensentur. 2. 1. 2.
Actus nostri non interrumpuntur moraliter per actus contrarios duntaxat, sed etiam aliis viis. 1. 2. 8.
Adjuvans furem num teneatur ad restitutionem, quando sine suo auxilio adhuc damnum fieret? 3. 4. 12.
Adulator, seu Palpo, quando ad restitutionem obligatur? 3. 4. 5.
Adulter dubitans num proles sit sua, an mariti, ad quid tenetur? 3. 1. 6.
Adulter quænam damna tenetur compensare, & quomodo pro injuria personali debeat marito satisfacere? 7. 6. 3. Quid si nothus reputetur legitimus? 7. 6. 4. Ad quid tenetur Adultera? 7. 6. 5. Si hæc in articulo mortis prodat suum adulterium in præjudicium filii, iste non tenetur ei fidem adhibere. ibid.
Advocatus quomodo possit furem defendere? 3. 4. 8.
Arcana etiam jurata pandere licet, si vergant in grave damnum Communitatis, aut Innocentis. 7. 4. 6. Sigillum duntaxat Sacramentale nunquam licet reserare. ibid. V. *Sigillum naturale*.

B

Beneficiarii omittentes recitationem Horarum, quando, & ad quam restitutionem teneantur? 7. 9. 1. Non tenentur restituere, si inculpabiliter Horas omittant. 7. 9. 2. Quid si recitent sine attentione debita? 7. 9. 5. Restituendi sunt fructus respondentes oneri Horarum, non vero aliis oneribus Beneficiarii. 7. 9. 13. Quinam in Choro recitare teneantur? 7. 9. 14. Quid de distributionibus debitis recitantibus in Choro? 7. 9. 6.
Beneficiarii non residentes ad quam restitutionem teneantur? 7. 9. 15.
Beneficii resignatio in confidentiam quatuor modis contingere potest. 7. 8. 3. Quælibet pactio in re Beneficiaria est simoniaca. 7. 8. 8. Num veniant nomine Beneficii Superioratus Religionum? ibid. Non est licitum offerre pecuniam competitoribus, ne concurrant ad Beneficium. 7. 8. 16.
Beneficiorum resignatio quando sit simoniaca? 7. 8. 9. Num simoniace detur pretium intercessori mediato ad obtinendum Beneficium? 7. 8. 16. Beneficii collatio facta cum ignorantia simoniæ ab alio commissæ, quando sit irrita? 7. 8. 16. Actus simoniaci quinam sint invalidi? 7. 8. 18.
Bona conjugum alia sunt mariti, alia uxoris, alia communia: Quænam ista sint? 7. 5. 12.
Bona filiorum alia sunt Castrensia, & Quasi Castrensia; alia Profectitia, & Adventitia. 7. 5. 11. In dubio num sint Profectitia, an Adventitia, an Castrensia, judicandum in favorem possidentis. ibid.
Bona incerta, si non sint acquisita ex delicto, num possint retineri? 4. 3. 1. Episcopus facere potest compositionem debitorum incertorum. 4. 3. 3.
Bona vacantia, ac derelicta jure sunt primi occupantis; sed quid jure positivo? 4. 3. 4. Quid de animalibus, quæ venatione, aut piscatione capiuntur? 4. 3. 5. Animal, quod tibi damnum infert, secundum se nequit occidi. 4. 3. 8.

C

Canonicus recitans in Choro sine debita attentione num possit distributiones lucrari? 7. 9. 6. Infirmus, & injuste excommunicatus, aut injuste detrusus in carcerem potest distributiones lucrari, quamvis a Choro absit. 7. 9. 8. Non tamen qui juste est excommunicatus, quamvis per ipsum non stet quominus absolvatur. 7. 9. 9.
Cappellaniæ, & Commendæ quænam sint Simoniæ materia? 7. 8. 6.
Cappellanus, qui non celebravit tempore debito, tenetur statim vel per se, vel per alios supplere; at si non recitavit Horas diebus suis, non tenetur illarum recitationem supplere. 8. 9. 2.
Castrare pueros num liceat ad vocem conservandam? 7. 1. 9.
Casuale homicidium graviter culpabile quodnam dicatur? Et quodnam homicidium indirectum? 7. 1. 5. Si Petrus collocet cadaver occisi ante fores Pauli, & hic tanquam homicida interficiatur, num dicatur homicida respectu Pauli? ibid. Quid si Titius pro Cajo inadvertenter occidetur? 7. 1. 7.
Caupones, qui dant chartas, sedilia, lumen ludentibus aliena pecunia, num ad restitutionem teneantur? 3. 4. 7.
Censura non incurritur propter culpam interne gravem, & externe levem; sicut nec irregularitas, & reservatio, aut onus restitutionis. 1. 4. 11. Nec si quis delinquat cum ignorantia concomitante. 1. 4. 12.
Cessio bonorum non excusat a restitutione, seclusa impotentia. 6. 1. 9. Quid ea ferat pro foro externo? ibid. Clericus non potest cedere bonis cum ignominia suis status. ibid. Cedens bonis quantum possit occultare ad honeste vivendum? 6. 1. 10. Artifex si bonis cedat, tenetur suam artem exercere, ut creditoribus satisfaciat. 6. 1. 11. Quid si Religionem ingrediatur? ibid.
Choro quinam debeant interesse, & officium recitare? 7. 9. 14. Quando iis debeantur distributiones, quamvis absint a Choro? 7. 9. 8.

Clerici, qui ex Tridentino gaudent privilegio fori, quinam sint? 6. 1. 9. Clericus non potest cum ignominia sui status bonis cedere. 6. 1. 9.
Clerici quodnam vectigal solvere teneantur? 7. 7. 6. Quid si advehant merces ad negotiandum? 7. 7. 7. Quid de Clericis conjugatis? ibid.
Clericus invasus, si non fugiat, prout potest & invasorem occidat, num teneatur ad restitutionem? 7. 1. 2.
Clericus vacans venationi prohibitæ, si inadvertenter alium occidat, non tenetur ad restitutionem. 1. 3. 6.
Compensatio num possit fieri citra vim ab amico creditoris, ut huic fiat satis? 5. 1. 7. Num etiam possit per vim dominus ingredi domum furis, ut sibi rem suam accipiat. 5. 1. 8.
Compensatio occulta quomodo licite fieri possit? 6. 3. 1. Debitum debet esse moraliter certum, & ex justitia, atque ita ut non possit aliter recuperari. 6. 3. 5. Num sit mortale hanc ultimam conditionem negligere? ibid. Famuli quando possunt hac compensatione uti? 6. 3. 8. Num possit Sacerdos in compensationem decem carolenorum omittere celebrationem totidem Missarum? 6. 3. 9. Num possit filius pro suo labore imperato a Patre quicquam sibi compensare? 6. 3. 10. Num possit fieri compensatio in delictis? Num famam pecunia compensare liceat? 6. 3. 11. Quid si debitum sit probabile, & potior probabilitas sit circa jus, non circa factum? 6. 3. 12.
Compositio pro debitis incertis facta a Pontifice, vel proprio Episcopo liberat a restitutione, etiamsi dominus deinde compareat. 6. 4. 1. Quando potest Pontifex pro debitis certis compositionem, aut dispensationem concedere? 6. 4. 2. Quid possit hac in re *Princeps sæcularis, aut Judex?* 6. 4. 3.
Concurrens materialiter ad damnificandum num teneatur restituere? 3. 3. 6.
Concurrentes ad damnificandum qualiter ad restitutionem teneantur? 3. 1. 1. Dicuntur positive concurrere Mandans, Consulens, Consentiens, Palpo, Receptans, Participans: negative vero Mutus, non obstans, non Manifestans. ibid. Tria requiruntur, ut Cooperantes ad restitutionem teneantur. 3. 1. 2. Quid si damnum inferendum esset etiam sine Cooperante? 3. 1. 3. Quid si cooperatio ad damnum sit solum quoad modum, non quoad substantiam? 3. 1. 4. Quid si dubitetur de concursu, aut de damno secuto. 3. 1. 7.
Concurrentibus pluribus ad damnificandum, ad quid singuli teneantur? 3. 6. 1. Quid de militibus Urbem diripientibus? Et quid de duce imperante damnificationem? 3. 6. 3. Quid si plures concurrant non ad idem, sed ad diversum damnum? 3. 6. 6.
Condonatio debiti qualis debeat esse, ut debitum extinguat? 6. 2. 1. Qui certus est de voluntate saltem præsumpta creditoris de debito remittendo, excusatur a restitutione; non tamen si de ea dubitet. 6. 2. 6.
Confessarius omittens monere pœnitentem de restitutione facienda, num ipse teneatur restituere? 1. 1. 12.
Confessarius quomodo se gerat cum obligato ad restituendum? 1. 5. 1. Quando potest permittere dilationem? 1. 5. 2. Num in articulo mortis posset ægrotum absolvere, antequam restituat? 1. 5. 3. Num ipse ad restitutionem teneatur, si omisit culpabiliter monere pœnitentem de restitutione facienda? 1. 5. 7., & 2. 1. 5. Num possit absolvere illum, qui promisit restituere, & non stetit promissis? 1. 5. 6. Debet se accommodare opinioni probabili pœnitentis. 1. 5. 3.
Consentiens in damnificationem quando tenetur restituere? 3. 4. 2.
Consuetudo ut præscribat contra legem, quid requiritur? 6. 5. 13.
Consulens damnum num teneatur resarcire damna consiliarii? 3. 3. 1. Quinam veniant sub nomine consulentis? ib. Quid requiritur, ut revocato consilio ad restitutionem non teneatur? 3. 3. 2. Quid si dubitetur an consilium influxerit? 3. 3. 4. Quid si damnum etiam fieret sine tali consilio? 3. 3. 6. Quid si consilium detur non ex malitia, sed ex ignorantia graviter culpabili? 3. 3. 7. Bona fide consulens damnum probabilius etiam ex justitia tenetur damnum impedire, si potest. 3. 3. 9.
Consulens minus malum parato inferre majus, num peccet, & ad restitutionem teneatur? 3. 3. 10. Quid si detur consilium de inferendo malo minori Petro ei, qui determinatus est inferre malum majus Paulo? 3. 3. 11.
Contumelia de se fert positivam inhonorationem non oppositam Observantiæ, sed Justitiæ commutativæ. 7. 3. 1. Compensatur universim per petitionem veniæ. 7. 3. 2.
Contumeliis atrocibus affectus quid possit ad se defendendum? 7. 1. 10.
Creditores hypothecarii præferendi sunt Chirographariis. 5. 5. 9. Num possit creditor per hoc quod petat, præferri non petenti? 5. 5. 12. Num pauper diviti? 5. 5. 14. Qui injuste præfertur, poteritne retinere quod sibi debetur? 5. 5. 13. Creditores reales habent jus in re, & actionem ad rem debitoris: Creditores vero personales habent jus ad rem, & actionem in personam debitoris, non in ejus bona. ibid.
Creditori creditoris si fiat restitutio a debitore, num hic satisfecerit? 5. 1. 6.
Culpa interne gravis, si sit externe levis, non satis est ad incurrendam censuram, irregularitatem, reservationem, sicut neque onus restitutionis. 1. 4. 11. Sicut nec culpa interne levis ex imperfecta deliberatione, quamvis sit externe gravis. 1. 4. 3. Ad quid tenetur Dominus, si absque sua culpa servus ejus, aut animal damnum intulit? 1. 4. 4. Damnificans graviter ex negligentia leviter culpabili, ad quid tenetur? 1. 4. 8.
Culpa Theologica requiritur ad contrahendam obligationem restituendi. 1. 4. 2. Levis culpa juridica non semper excusat Commodatarium, aut Locatarium; (licet excuset Depositarium,) quia fere semper in iis conjungitur cum gravi culpa Theologica. 1. 4. 9. Culpa levis Theologica ex imperfecto consensu excusat a restitutione etiam in materia gravi. 1. 4. 3. Sicut si culpa sit interne gravis, & externe levis. 1. 4. 11. Quid si dubitetur num culpa fuerit gravis, an levis? ibid. Non obligant in conscientia leges civiles præsumptivæ, si non supponant culpam. At dispositivæ obligant post sententiam Judicis. 1. 4. 5. Num detur aliquando obligatio gravis restituendi, præsupposita culpa duntaxat levi? 1. 4. 6. Qui volens leviter damnificare, graviter casu damnificet, ad quid tenetur? 1. 4. 8. Quid si grave damnum inferatur cum ignorantia concomitante? 1. 4. 12. Ad restitutionem tenetur, qui volens comburere agrum inimici, per accidens comburit, agrum amici. 1. 4. 13. Quid si amicum pro inimico occidat? ibid.
Custodes vectigalium, saltuum, &c., ad restitutionem damni tenentur, non vero ad restitutionem pœnæ, quam subiret damnificans. 3. 5. 7.

D

Debita certa præferenda sunt incertis. 5. 6. Num etiam debita ex delicto debitis ex contractu ? 5. 5. 7. V. *Ordo servandus* .
Debitor non solvens tempore suo num teneatur ad interesse, quamvis non moneatur ? 2. 3. 10.
Debitor, qui non est solvendo, non potest donationem, aut hæreditatem repudiare. 5. 5. 16.
Detractio in quo differat a contumelia, susurratione, & derisione ? 7. 2. 1. Quatuor modis habetur directa detractio, & totidem indirecta. 7. 2. 2.
Quænam sit materia gravis in detractione ? 7. 2. 3. Num sit mortale manifestare uni, vel alteri viro prudenti verum crimen alterius? 7. 2. 4. Aut citra asseverantiam crimina audita referre ? 7. 2 5. Aut crimen in uno loco, aut tempore publicum manifestare, ubi, & quando est occultum ? 7. 2. 7. Aut infamatum in uno genere infamare in alio ? 7. 2. 8. Quid si quis seipsum infamet ? 7. 2. 5.
Detrahentem audiens ad quid tenetur ? 7. 2. 10. Quonam pacto fama restituenda sit ? 7. 2. 11. Octo de causis potest quis a restitutione famæ excusari. 7. 2. 12. Si famma restitui nequit, non datur onus compensandi illam pecunia. 7. 2. 13. Num tamen possit infamatus aliquid clam accipere ab infamante in compensationem ? ibid. Num peccet mortaliter, qui sibi falsum crimen imponit, ut liberet a morte patrem, aut amicum ? 7. 2. 9.
Derisio fert inhonorationem cum animo confundendi derisum, & de se est mortalis, si prævidetur derisus graviter contristandus. 7. 1. 3. Derision fit verbis irrisoriis ; Subsannatio vero signis derisoriis. ibid.
Dilatio restitutionis quando potest a mortali excusari ? 5. 3. 3. Quando est licita ? 6. 1. 1. Non potest differri ne debitor magno lucro privetur. 6. 1. 4. Quænam impotentia dilationem permittat ? 6. 1. 6. Num differens licite restituere teneatur ad interesse ? 6. 1. 7. Sola cessio bonorum sine impotentia non excusat. 6. 1. 9. Differre potest restitutionem, qui est in gravi necessitate, non tamen furari. 6. 1. 5.
Distributiones potest lucrari infirmus, & detrusus in carcerem injuste, aut injuste excommunicatus, quamvis absit a Choro. 7. 9. 8. V. Canonicus.
Dominium rerum quomodo acquiratur ? 1. 1. 6. In quo differat ab Usu, & Usufructu ? ibid.
Dubitans num bona filii sint Castrensia, an Adventitia, aut Profectitia, quomodo se gerat ? 7. 5. 11. In dubio an vectigalia sint justa, num sint solvenda ? 7. 7. 2.
Dubitans num possessio stet pro libertate, an pro lege, quomodo se gerere debet ? 2. 5. 11. Quid si quis dubitet an horas recitaverit, ita ut satisfecerit ? An votum emiserit ? An sit elapsa media nox in ordine ad jejunium ? An debito satisfecerit ? An jurisdictio expirarit ? An illam habuerit ? An votum emiserit ante septennium ? An comederit post mediam noctem ? An beneficium sit tenue ? An peccatum sit reservatum ? An censuram incurrerit ? An teneatur gabellam solvere ? An teneatur sine æquivocatione respondere Judici interroganti ? An fluxerit suo consilio in homicidium ? An dispensatio obtenta sit valida ? ibid. Quid si dubitas de valore actus, puta Matrimonii, Professionis, Dispensationis, &c. ? 2. 5. 13. Adulter dubitans num proles sit sua, an mariti, ad quid tenetur ? 3. 1. 6. Quid si Judex dubitet, an suo suffragio concurrerit ad sententiam injustam ? 3. 1. 5. An sua actione influxerit in damnum secutum ? 3. 1. 7.
Dubitans num ex gravi, an ex levi culpa damnificaverit, ad quid tenetur ? 1. 4. 10. Quid si certus sit de culpa gravi, sed dubitet an ex illa damnum secutum sit ? ibid.
Dubius rei possessor. V. *Possessor dubiæ fidei.*

E

Eleemosynæ magnæ a ficto paupere acceptæ cuinam restituendæ sint ? 2. 1. 3.
Emens rem bona fide a fure, domino comparente, ad quid tenetur ? 2. 2. 5. Quid si res aliena bona fide empta functionem recipiat, & sit immixta cum propria ? 2. 2. 7. Num teneatur contractum rescindere, qui bona fide rem emptam a fure vendidit alteri, ubi deprehendit rem esse furtivam ? 2. 4. 5.
Episcopus conferens Beneficia minus dignis, omissis dignioribus, num teneatur ad restitutionem ? 1. 1. 8. Num peccet mortaliter conferendo Beneficia simplicia minus dignis? 1. 1. 9.
Episcopi, & Judices, si suo malo exemplo inducant alios ad furandum, num teneantur ad restitutionem ? 3. 5. 8. Num contrahant censuras, & irregularitatem, si non impediant homicidium ? ibid.
Episcopus relate ad debita incerta facere potest compositionem in sua Diœcesi. 4. 3. 3.
Excommunicatio lata contra furantes non incurritur ab eo, qui furando rem levem infert damnum grave. 7. 5. 5.
Excommunicatio lata contra plures, qui modicum ab eodem abstulerunt, si non restituant ; non incurritur ob peccatum mortale injustitiæ, sed inobedientiæ. 3. 6. 8. & 7. 5. 8.
Excommunicatus toleratus non privatur fructibus Beneficii, si præstet munus suum. 7. 9. 7. Quid de excommunicato vitando? ibid.

F

Fama quonam pacto restituenda sit ? 7. 2. 10. Quid si quis confecerit libellos famosos ? 7. 2. 11. Præter famam restituendum est lucrum cessans infamato propter infamiam. 7. 2. 10. Quid de audiente detractiones ? ibid. V. *Detractio* . Plurimæ causæ excusant a restitutione famæ. 7. 4. 12.
Famæ læsio num debeat pecunia compensari, si aliter resarciri non possit ? 7. 1. 4.
Famam restituere tenetur, qui alium inadvertenter infamavit, ubi id advertit 1. 3. 7. Num ad id teneatur ex injusta acceptione ? ibid.
Famuli ex justitia non tenentur impedire furta domesticorum, sed extraneorum. 3. 5 6.
Famuli, & alii inservientes quandonam possint aliquid occulte surripere ab Heris suis. 7. 5. 10.
Filii quid possint quotannis occulte a parentibus citra mortale surripere de bonis profectitiis, ac de adventitiis ? 7. 5. 11.
Filius laborans pro patre num possit sibi clam accipere id, quod daretur externo pro tali labore ? 7. 5. 11.
Fructus rei quinam dicantur Naturales, quinam Industriales, aut Mixti ? 2. 3. 4.
Fiscus non habet jus ad pœnam ante sententiam, & ideo non tenetur ad restitutionem, qui impedit, ne tale jus acquiratur. 2. 1. 8.
Fur, qui per aliquod tempus inculpabiliter non restituit, num teneatur ad interesse ? 2. 3. 12. Quid de furto rei mox demergendæ ? 2. 5. 8. Quid de melio-

lioramentis rei alienæ, sive necessariis, sive utilibus, sive voluptuariis? 2. 5. 9. Fur prævidens, quod damnum sit alteri imputandum, tenetur huic etiam damnum compensare. 3. 4. 13.

Furtula quandonam pariant gravem obligationem restituendi? 1. 4. 6., & 3. 6. 7., & 7. 5. 7.

Furtula repetita sæpius citra mortale num trahant onus grave restitutionis ex titulo injustæ acceptionis? 7. 5. 7.

Fur potest aliquando ex furto lucrari. 2. 3. 7. Furtivæ rei fructus cuinam restitui debent? 2. 3. 9. Fur fugiens num possit occidi? 7. 1. 10.

Furtum specie differt a Rapina, quæ vim infert, & injuriam personalem. 7. 5. 1. Excusatur a mortali, qui rem accipit domino invito quoad modum, non quoad substantiam. 7. 5. 2. Licentia præsumpta, seu ratihabitio de futuro hac in re excusat etiam a mortali. 7. 5. 3. Quantitas notabilis in materia furti quænam sit? 7. 5. 5. Quid si plures concurrant ad damnum grave singuli furando rem levem? 7. 5. 8. Quid possint filii a suis parentibus, & uxor a marito occulte surripere citra mortale quotannis? 7. 5. 11. Num peccet contra justitiam, & ad aliquam restitutionem teneatur, qui retrahit aliquem ab ingressu Religionis, aut qui alium inducit ad peccandum? 7. 5. 13.

Fur tenetur solum restituere; sed Raptor tenetur etiam satisfacere. 1. 1. 3.

H

Homicidium tam casuale, & indirectum, quam voluntarium obligat ad resarcienda damna illata, supposita gravi culpa contra justitiam. 7. 1. 6. Provocatus ad pugnam, & invasus ab altero, si illum occidat cum excessu aliquali moderaminis debiti, ad quid tenetur? 7. 1. 1. Clericus potens fugere, si alium occidat cum moderamine debito, num peccet contra justitiam? 7. 1. 2. Artificem occidens quid debet restituere pro lucro cessante ex exercitio suæ artis; nec non creditoribus occisi? 7. 1. 3. Quid restitui debet pro vita, pro vulnere, pro cicatrice, pro fama, pro occisione servi, aut animalis alterius, & pro homicidio perpetrato a filio? 7. 1. 4. Quid de collocante cadaver occisi ante fores alterius, cui homicidium tribuatur, si id prævideat, sed non intendat? 7. 1. 5. Quid de occidente alium in ebrietate? Quid de volente occidere Petrum, si casu occidat Paulum? Quid de vulnerante Petrum, qui deinde ex oscitantia Medicorum pereat? 7. 1. 7. Num sit compensandum damnum illatum aliis ex homicidio, præsertim hæredibus necessariis? 7. 1. 8. Num liceat aliquando seipsum occidere, aut mutilare? Et num liceat pueros castrare ad vocem conservandam? 7. 1. 9. Num possit innocens aliquando occidi indirecte? Num possit dari pharmacum prægnanti cum periculo occidendi fœtum? Quando, & quomodo licite possit invasor occidi? 7. 1. 10.

Hypothecarii creditores an sint præferendi Chirographariis? 5. 5. 9. Quid sit Hypotheca, quid Pignus? 5. 5. 3.

I

Ignorantia concomitans num excuset a restitutione graviter damnificantem? 1. 4. 2.

Impediens aliquem a consecutione boni debiti ex justitia tenetur ad restitutionem; Sicut etiam si malis artibus impediat illum ab alterius boni consecutione. 2. 1. 5. Quid si impediat a consecutione Beneficii, aut officii publici? 2. 1. 6. Quid si ex odio impediat pauperi eleemosynam? 2. 1. 7. Impediens malis artibus, ne fiscus acquirat jus ad pœnam, num teneatur restituere? 2. 1. 8.

Indicia dubia satis sunt, ut aliqualiter subditus a Superiore puniatur, quatenus non abstinet a specie mali. 7. 3. 9

Infans baptizatus an possit conculcari a fugiente ad salvandam propriam vitam? 7. 1. 10. Non baptizatus conculcari non potest. ibid.

Innocentem indirecte occidere quandonam licet? 7. 1. 10. Innocentes pueri Saracenorum num possint occidi, ne deinde fiant hostes Christianorum? ibid.

Interesse extraordinarium num sit restituendum, si monitio creditoris non præcedat? 2. 3. 11.

Interitus rei alienæ mox apud dominum interituræ num excuset a restitutione? 6. 6. 1.

Interruptio moralis actuum nostrorum quomodo habeatur? 1. 2. 8.

Invasor quando, & quo pacto occidi possit? 7. 1. 11.

Inventæ res an sint dandæ pauperibus? 2. 2. 2. Inventi thesauri cui debentur? 2. 2. 3.

Irregularitas, & Censura non incurritur propter culpam interne gravem, sed externe levem. 1. 4. 11.

Judex dubitans, an suo suffragio influxerit in sententiam injustam, ad quid tenetur? 3. 1. 5. Si omittat ferre suffragium, ex quo sententia injusta declinaretur, tenetur restituere. 3. 4. 4.

Judex tenetur restituere id, quod accipit pro ferenda sententia justa; non tamen pro injusta, patrato scelere. 1. 3. 8. Si blandis verbis, aliisque modis contra charitatem a reo confessionem extorqueat, non tenetur ad restitutionem, si ille damnetur. 1. 3. 6.

Judices, & Episcopi, qui malo suo exemplo inducunt alios ad damnificandum, num teneantur ad restitutionem? 3. 5. 8.

Judicis famuli num possint aliquid accipere a Titio, ut illum prius introducant, & expediant? 4. 2. 6.

Judicium, & Suspicio temeraria. V. *Suspicio*.

Juramento Ecclesiasticorum, aut eorum nuncii stare debent custodes vectigalium, si illi jurent res esse suas, atque adeo non subjectas vectigalibus. 7. 7. 8.

Jus in re, & jus ad rem in quo differant? Et quid sit Dominium, Usus, & Ususfructus? 1. 1. 6., & 3. 5. 2.

Jus patronatus citra Simoniam vendi non potest. 7. 8. 6. Quomodo transferatur tam jus patronatus reale, quam personale? 7. 8. 8.

Justitiæ Distributivæ, Vindicativæ, aut Legalis læsio non trahit onus restitutionis, si non lædatur simul justitia commutativa. 1. 7. 7.

L

Labor in administrandis Sacramentis quinam sit materia Simoniæ? 7. 8. 6. Num labor Concionatoris, & docentis Theologiam sit hujusmodi? 7. 8. 7.

Legatum relictum in testamento minus solemni num debeatur in foro conscientiæ? 6. 3. 13. Quid de hærede ab intestato adversus eum, qui bona defuncti possidet ex testamento minus solemni? ibid.

Leges civiles de compensando damno obligant in conscientia post sententiam Judicis, si sint dispositivæ, non tamen si sint præsumptivæ, quando abest culpa. 1. 4. 4. Leges circa thesauros inventos an obligent in conscientia? 2. 2. 3. Quid de legibus vetantibus Judici, ne munera accipiat? 4. 2. 8.

Man-

M

Mandans damnificationem revocato mandato ad restitutionem non obligatur. 3. 2. 2. Quid si mandatarius excedat limites mandati? 3. 2. 4. Quando ratihabitio æquiparatur mandato? 3. 2. 6. Num teneatur mandans compensare damna mandatarii? 3. 2. 5.

Mater tenetur prolem alere usque ad tertium ætatis annum inclusive; deinde tenetur pater, quousque possit filius sibi de alimentis providere. 7. 6. 3.

Medicus si nullum salarium accipiat, peccat solum contra charitatem negligendo curam ægroti, qui propterea moritur. 1. 3. 6. Si ægrotum occidat ex negligentia leviter culpabili contra justitiam, ad quid tenetur? 1. 4. 8.

Metus mortis num excuset remigantes in triremibus Turcarum adversus Christifideles? 3. 4. 11. Num etiam custodes, qui præbent furi claves ad furandum? ibid.

Missæ stipendium num possit citra Simoniam in pactum deduci? 7. 8. 6. Num pariter dari congrua sustentatio pro ingressu in Religionem? 7. 7. 7.

Moniales absentes a Choro num teneantur privatim horas recitare? 7. 9. 14.

Monopolium committens emendo simul omnes merces, ut eas carius vendat, num teneatur ad restitutionem? 1. 1. 13.

Monitio creditoris num debeat præcedere, ut debitor teneatur ad interesse extraordinarium? 2. 3. 11. Sine prævia monitione non solet fieri censuum solutio. 5. 3. 2. Nisi ob verecundiam, aut timorem omittatur. ibid.

Munera donata Judicibus, eorumque officialibus, & famulis num possint retineri? 4. 2. 6. Quid de legibus id vetantibus? ibid. & 2. 2. 3.

Mutus, non obstans, non manifestans, quando ad restitutionem obligantur? 3. 5. 1. Quid si taceant, quando damnum impediri non potest? 3. 5. 3. Qui non tenetur ex officio furem revelare, num possit a fure aliquid accipere, ne revelet? 3. 5. 9.

N

Necessitas gravis permittit dilationem restitutionis, si creditor non sit in pari necessitate; sed non permittit furtum. 7. 5. 9.

O

Ordo servandus inter personas, quæ debent restituere, quando plures fuerunt causa damni. 1. 6. 1. Ordo servandus inter personas, quibus fieri debet restitutio, quando non potest debitor omnibus satisfacere. 5. 5. 1. Res debita in individuo, si dominus ignoretur, danda pauperibus, antequam aliis creditoribus satisfiat. 5. 5. 4. Si sit vendita credito, præferendus est venditor aliis. 5. 5. 5. Debita certa incertis præferenda. 5. 5. 6. Pro rata satisfaciendum debitis ex delicto, ac debitis ex contractu absque ulla prælatione. 5. 5. 7. At debita ex contractu oneroso preferenda sunt debitis ex contractu gratioso. 5. 5. 8. Quid de Creditoribus hypothecariis? & Chirographariis? 5. 5. 9. Num creditor petens preferri possit non petentibus? 5. 5. 12. Num pauper diviti præferri possit? 5. 5. 14. Qui aliquid recepit ab eo, qui non est solvendo, ad quid tenetur? 5. 5. 15.

P

Palpo. V. *Adulator*.

Participans cum fure non possit ratione gravis metus aliquando excusari. 3. 4. 11.

Pater ad restitutionem num tenetur, si deneget filiis alimenta, quæ eis debet ex pietate. 3. 5. 5.

Peccatum veniale num possit aliquando trahere onus grave restituendi? 1. 4. 6.

Pensio num sit materia Simoniæ? 7. 8. 9.

Pluribus damnum inferentibus, ad quid teneantur singuli? 3. 6. 1.

Pontifex num possit incurrere Simoniam juris Ecclesiastici? 7. 8. 11.

Possessor bonæ fidei quinam dicatur? 2. 3. 1.

Possessor dubiæ fidei quando comparatur possessori bonæ, quando malæ fidei? 2. 3. 2. Quid restituere debeat possessor malæ fidei? 2. 3. 3. Quid possessor bonæ fidei? 2. 4. 2. Quid si res aliena bona fide sit consumpta? 2. 4. 4. Quid si in tela aliena bona fide fiat pictura excedens pretium telæ? 2. 4. 7. Aut si in agro alieno seratur frumentum proprium, vel frumentum alienum in agro proprio? 2. 4. 8.

Possessor dubiæ fidei quinam dicatur? 2. 5. 1. Ad quid teneatur? 2. 5. 3. Qui in ludo per fraudem vicit, & dubitat, num ob fraudem, an casu vicerit, ad quid tenetur? 2. 5. 9. Ad quid tenetur, qui possidens rem bona fide incipit dubitare, an sit aliena? 2. 5. 6. Et qui possidens rem mala fide incipit dubitare, an sit sua? 2. 5. 7. Qui rapit rem ab alio bona fide possessam dubitans, aut opinans, quod sit sua, tenetur integre illam restituere. 2. 5. 9. Quomodo concilientur illæ duæ regulæ, *In dubiis melior est conditio possidentis, & in dubio tutior pars est eligenda?* 2. 5. 5., & 2. 5. 10. Duplex assignatur regula ad dignoscendum, num stet in possessione libertas, an præceptum? 2. 3. 11.

Possessor malæ fidei quo loco debeat reponere id, quod debet? 5. 2. 1. Quonam vero loco possessor bonæ fidei & cujus expensis? 5. 2. 3. Quo loco ea, quæ debentur ex contractu? 5. 2. 4. Ubi res donatæ ex testamento, res commodatæ, & pensiones? 5. 2. 6. Quid si sine magnis expensis res restitui non possit? 5. 2. 7.

Præceptum restituendi diversum est a præcepto non furandi. 1. 2. 5. Affirmativumne sit, an negativum præceptum restituendi? 1. 2. 4.

Prægnanti num possit pharmacum dari cum periculo occidendi fœtum? 7. 1. 10.

Prælatus, & quivis Superior, qui ex officio tenetur custodire famam subditorum, si detractiones non impediat, num peccet contra justitiam, & teneatur ad restitutionem? 7. 5. 10.

Præscriptio legitima, & Usucapio liberant a restitutione facienda. 6. 1. 1. Quinque sunt præscriptionis conditiones. 6. 5. 3. Quænam res præscribi non possunt? 6. 5. 5. Bona fides orta ex ignorantia juris num prosit ad præscribendum? 6. 5. 9. Titulus probabiliter præsumptus non est adeo requisitus, quam sit bona fides. 6. 5. 10. Usucapio quantum temporis requirat ad præscribendum sine titulo? 6. 5. 12. Quid requiritur, ut consuetudo contra legem præscribat? 6. 5. 13.

Præstimonia sunt materia Simoniæ. 7. 8. 5.

Princeps conferendo officia Gubernatoris, & Judicis minus dignis, num teneatur ad aliquam restitutionem? 1. 1. 12.

Probabile debitum probabilitate potiori juris, num possit in aliquibus casibus occulte compensari? 6. 3. 12.

Pro.

Proximi bona non tenemur defendere, si is renuat; secus vero vitam. 7. 1. 11.
Pueri num licite castrentur ad conservandam vocem? 7. 1. 9.
Pupillus num teneatur solvere, quæ debet ob contractum onerosum? 2. 1. 3.

R

RAdix, ex qua provenit obligatio restitutionis, est duplex, videlicet injusta acceptio, & res accepta. 1. 3. 1. In quo differant? 1. 3. 2. Citra culpam Theologicam non habetur obligatio restitutionis. 1. 4. 2. Culpa venialis ex imperfecta deliberatione nullam trahit obligationem restituendi in materia gravi. 1. 4. 3. Num leges præcipientes compensationem damni obligent in conscientia? 1. 4. 4. Num aliquando ex culpa veniali oriatur grave onus restituendi? 1. 4. 6. Quid si plures ab eodem modicum quid furentur? 1. 4. 7. Quid si dubitetur, num res perierit ex culpa gravi, an levi? 1. 4. 10. V. *Culpa Theologica*.
Rapina superaddit furto violentiam, & injuriam personalem. 7. 5. 1. Hinc specie differt a furto. ibid.
Raptor tenetur restituere simul, & satisfacere; fur vero solum tenetur restituere. 1. 1. 3.
Ratihabitio de futuro, seu licentia præsumpta num excuset a furto, & Religiosum a vitio proprietatis? 7. 5. 3. Ea non sufficit ad Sacramentaliter absolvendum, & ad dispensandum. ibid. Restitutio facienda ob vectigalium fraudationem. V. *Vectigalia*. Ob Simoniam. V. *Simonia*. Ob Horarum omissionem. V. *Horæ Canonicæ*.
Ratihabitio quando æquiparatur mandato de damno inferendo? 3. 2. 6.
Recursum præbens, seu receptans furem quando ad restitutionem obligatur? 3. 4. 6.
Regula illa *In dubiis tutior pars eligenda est* quomodo est interpretanda? 2. 5. 5. Et quomodo illa alia *In dubiis melior est conditio possidentis*? 2. 5. 12.
Regulæ, quæ a Doctoribus assignantur ad dignoscendum, num possessio stet pro lege, an pro libertate, exponuntur. 2. 5. 11.
Religionem ingredi num possit ære alieno gravatus? 6. 6. 2. Num teneatur hic in Religione laborare, ut creditoribus satisfaciat? 6. 6. 3. Num acceptare legata, & donationes? 6. 6. 4.
Religiosus, præsertim Prælatus, qui alios damnificavit, ad quid tenetur, ut satisfaciat? 6. 6. 5.
Remissione debiti facta principali, minus principalis ad nihil tenetur, sed non e converso. 3. 6. 10. At remissa actione in judicio adversus Principalem, potest creditor agere adversus minus principalem. ibid.
Res domino nocitura num sit restituenda, aut etiam a domino auferenda? 4. 5. 6. Num possit ea res restitui, quando dominus est abusurus contra alias virtutes a justitia. 4. 5. 8. & 5. 4. 2.
Res restituenda si pereat, antequam perveniat ad dominum, num debeat fieri iterata restitutio? 4. 4. 3. Quid si transmittatur per Confessarium? 4. 4. 4
Restituendane sint accepta ob turpem causam? 4. 1. 1. Num pretium sic acceptum a filio, uxore, servo spectet ad patrem, maritum, dominum? 4. 1. 5.
Restituere qualiter teneantur concurrentes ad damnificationem, sive positive, sive negative. 3. 1. 1. V. *Concurrentes*.
Restituere quinam teneatur; 2. 1. 1. Recensetur præcipuæ actiones injustæ, quæ pariunt onus restitutionis. 2. 1. 2. De impediente aliquem a consecutione alicujus boni, V. *Impediens*. V. *Possessor bonæ fidei*. Ad restitutionem tenetur, qui comburit agrum amici, invincibiliter putans illum esse sui inimici, 2. 4. 9. Quid si occidat Petrum amicum, quem putat esse Paulum inimicum? ibid.
Restituere quonam ordine debent, quando plures concurrunt ad damnificandum? 3. 6. 1. Quinam ordo servandus inter Personas, quibus facienda est restitutio, quando bona debitoris non sufficiunt? 5. 5. 1. Qui possidet rem alienam in individuo, ante omnes restituere debet, deinde possessor malæ fidei. 3. 6. 2. Postea mandans ante executorem, & consulentem. 3. 6. 3. Post executorem æque principaliter tenentur aliæ concausæ tum positivæ, tum negativæ in solidum. 3. 6. 8.
Restitui debet, quod acceptum est pro opere debito ex justitia, non vero pro alio opere honesto. 4. 2. 1.
Restituine aliquid debeat pro vita, pro mutilatione, pro cicatrice, pro fama? Et quid de occisione servi, aut animalis alterius; Quid pro homicidio facto a filio? 7. 1. 4.
Restitutio cui facienda est? 5. 1. 1. Differens dare rem donatam Cajo usque ad mortem donantis, num teneatur ad integram restitutionem tum Cajo donatario, tum hæredibus donantis? 5. 1. 3. Qui bona fide rem restituendam impendit in opera pia, ad quid tenetur, si dominus compareat? 5. 1. 5. Num res restituenda Titio restitui possit creditoribus Titii? 5. 1. 6.
Restitutio facienda a Beneficiariis non residentibus 7. 9. 15.
Restitutio facienda a Beneficiariis propter omissionem Horarum quænam sit? 7. 9. 1. V. *Beneficiarii*.
Restitutionis dilatio. V. *Dilatio*.
Restitutio facienda ob homicidium. V. *Homicidium*. Ob detractionem. V. *Detractio*. Ob contumeliam. V. *Contumelia*. Ob violationem secreti. V. *Secretum*. Ob furtum. V. *Furtum*. Ob stuprum. V. *Stuprum*. Ob adulterium. V. *Adulterium*.
Restitutio ob usuras, & ob ludum facienda. 7. 8. 23.
Restitutio non est ad salutem necessaria necessitate medii, sed præcepti. 1. 2 2. Num præceptum restituendi sit affirmativum, an negativum? 1. 2. 4 Quot peccata committit, qui oblata opportunitate restituendi non restituit? 1. 2. 7. Quomodo actus moraliter interrumpantur? 1. 2. 8.
Restitutio presse dicta est actus justitiæ commutativæ. 1. 1. 1. In quo differat justitia commutativa a distributiva, vindicativa, & legali? 1. 1. 4. Si distributiva violetur sine violatione commutativæ, non datur onus restitutionis. 1. 1. 5. Num ad restitutionem teneatur Episcopus conferens Beneficia minus dignis? Et Princeps sic conferendo officia Gubernatoris, aut Judicis? 1. 1. 8. Quid si testis in judicio neget veritatem cum alterius damno? Quid de Confessario, qui omittit monere pœnitentem de restitutione facienda? Quid de Advocato, Gubernatore, & similibus? 1. 1. 12. Num restituere teneatur, qui emit omnes merces, ut eas carius vendat? 1. 1. 13.
Restitutio pretii Simoniaci dantine, an pauperibus facienda est? 7. 8. 19. Quid si conferens rem sacram privet se in gratiam alterius commodo aliquo sive temporali, sive spirituali? 7. 8. 21. Emens rem Sacram Simoniace non tenetur illam restituere, quamvis vendens teneatur pretium restituere, quod pro illa accepit. 7. 8. 22.
Restitutio ubi fieri debet? V. *Possessor malæ fidei*. Ea statim facienda. 5. 4. 1. Non solet fieri censuum

solu-

solutio sine prævia monitione? 5. 4. 2. Num possit restitutio fieri per alium? 5. 4. 1. Quid si fiat per Parochum, & res non perveniat ad dominum? ib. & 4. 5. 8. Ad infamiam declinandam num fingi possit, quod res restituenda donetur? 5. 4. 4. Num satisfaciat, qui immemor debiti donet tantundem creditori? 5. 4. 5.

S

Satisfactio in quo differat a restitutione? 1. 1. 3. Fur solum tenetur restituere, sed raptor tenetur etiam satisfacere. ibid.

Sigillum naturale secundum se non violatur citra mortale. 7. 4. 1. Quid si uni, vel alteri viro prudenti res reveletur? 7. 4. 2. Compensanda sunt damna, quæ ex tali violatione proveniunt. 7. 4. 3. Num graviter peccet, qui aperit literas sigillo munitas? 5. 4. 4. Quid si sigillum vergat in grave damnum Communitatis, aut innocentis? 7. 3. 6. Num possit secretum revelari ad vitanda gravia tormenta? 7. 3. 5.

Simonia quid sit? Quid munus a manu, a lingua, ab obsequio? 7. 8. 1. Requiritur ad Simoniam pactum saltem implicitum. 7. 8. 2. Dividitur in Realem, Conventionalem, & Mentalem, quæ requirit actionem externam positam animo Simoniaco. 7. 8. 3. Simonia confidentialis in Beneficiis ad quod genus reducatur? Et quas pœnas trahat? ibid. Solum Simonia juris Ecclesiastici patitur materiæ parvitatem. 7. 8. 4. Quænam sit materia Simoniæ? 7. 8. 5. Quid de Cappellaniis, de Commendis, de Vicariatu Episcopi, de Rectoriis Hospitalium? 7. 8. 6. Num possimus aliquem rebus temporalibus allicere ad conferendas res spirituales? 7. 8. 7. Num pro concione, aut pro Theologia docenda possit quicquam accipi? ibid. Quid de transferente jus patronatus pro pretio? Quid de resignante similiter Beneficium? Quid de commutante res spirituales lucrum afferentes? 7. 8. 8. Num sit materia Simoniæ pensio? Num resignatio Beneficiorum? Num redemptio vexationis in Beneficiis? 7. 8. 9. Pro actibus Jurisdictionis Ecclesiasticæ nihil accipi potest. Quomodo Curia Romana aliquid accipiat pro dispensationibus? 7. 8. 10.

Simoniam juris Ecclesiastici num possit Pontifex incurrere? 7. 8. 11. Quid si quis illam exerceat sciente, & dissimulante Pontifice? 7. 8. 12.

Simonia sex de causis declinari potest dando temporale occasione spiritualis. 7. 8. 13. Quid si quis celebret occasione stipendii, aliter non celebraturus? 7. 8. 14. Quid si quis det aliquid intercessori mediato ad obtinendum Beneficium? 7. 8. 16. De actibus Simoniacis irritis. 7. 8. 17. De Censuris in Simoniacos. 7. 8. 18. De restitutione facienda propter Simoniam. 7. 8. 19. Simonia ficta num sit quoad pœnas Simonia? 7. 8. 3.

Simoniacum pretium cui restituendum? 2. 1. 3., & 4. 1. 5.

Stuprator ad quid tenetur, si non promisit Virgini matrimonium? 7. 6. 1. Quando Virgo consentit sponte, tunc non dicitur stuprum sed fornicatio. ibid. Quid si ficte stuprator matrimonium promisit? 7. 6. 2.

Subsannatio fit signis derisoriis; derisio vero verbis irrisoriis. Utraque est mortalis, si ferat gravem animi conturbationem. 7. 1. 3.

Suspicio, & Judicium temerarium reducuntur ad detractionem, tanquam actus internus ad externum; trahuntque onus restitutionis; & de se sunt mortale; inducunt quippe contemptum proximi. 7. 3. 5. Facilius a mortali excusatur suspicio, quam judicium temerarium. Quando indicia sunt probabilia, suspicio, ac opinio non dici debet temeraria. 7. 1. 6. In dubiis non possumus male opinari de proximo, sed tenemur assensum suspendere. 7. 3. 7. Quando tamen agitur de damno evitando, possumus indicia dubia in deteriorem partem interpretari solum conditionate. 7. 3. 8. Ob indicia dubia possunt Superiores aliqualiter subditum punire, quatenus non abstinet a specie mali. 7. 3. 9.

T

Taciturnitas, & tolerantia Principis non semper arguit consensum. 7. 8. 12.

Temporale spirituali annexum quando est materia Simoniæ? 7. 8. 1. Trifariam annecti potest temporale spirituali, antecedenter, concomitanter, & consequenter. ibid.

Testamentum minus solemne. V. *Legatum*.

Testis, qui in judicio veritatem negavit cum damno alterius, num teneatur restituere? 1. 1. 12. & 3. 5. 4.

Thesauri inventi cui debentur? 2. 2. 3.

Titulus probabiliter præsumptus qualiter requiratur ad præscribendum? 6. 5. 11. Sine tali titulo potest haberi præscriptio, sed non sine bona fide. ibid.

Transactio in re beneficiaria num sit Simoniaca? 7. 8. 9.

V

Vectigalium lex num sit pure pœnalis? 7. 7. 1. Quid si in rebus usualibus imponantur? ibid. In dubio num sint justa, daturne obligatio ea solvendi? 7. 7. 2. Etiam exteri ad solutionem vectigalium obligantur. 7. 7. 3. Ecclesiastici quandonam tenentur vectigalia solvere? 7. 7. 6. Quid de Clericis conjugatis? 7. 7. 7. Si custodibus non constet, quod bona sint Ecclesiasticorum, juramento istorum debent stare. 7. 7. 8. Custodes, qui ex justitia tenentur obstare fraudibus, ad restitutionem tenentur, non tamen ad restitutionem pœnæ, quam fraudantes solverent, si manifestarentur. 7. 7. 5. Num debeant sponte Custodibus aperiri merces subjectæ vectigali. 7. 7. 4.

Venationem, & piscationem potest Princeps sibi reservare. 4. 3. 6. Qui habenti jus venandi damnum intulit tenetur compensare, quin teneatur feras captas restituere. 4. 3. 7. Quid si Princeps reddat incapaces dominii subditos relate ad feras captas in nemore suo? 4. 3. 6.

Vicariatus Episcopi num sit materia Simoniæ? 7. 8. 6.

Votum paupertatis num violetur a Religioso per licentiam præsumptam, seu per ratihabitionem de futuro? 7. 5. 3. Votum comparatur cum licentia tanquam cum conditione; at cum dispensatione comparatur tanquam cum ejus destructivo, aut vulnerativo. 7. 5. 4.

Usucapio, V. *Præscriptio*. Sine titulo ad præscribendas res mobiles requiritur præter bonam fidem spatium triginta annorum; at cum titulo satis est triennium inter præsentes, & quadriennium inter absentes. 6. 5. 12.

Uxor quid possit quotannis occulte surripere de bonis mariti citra mortale? 7. 5. 12.

FINIS.

51485

239.02
V837
VIVA, S. J., DOMINICUS
AUTHOR
Opera Omnia Theologico-Moralia
TITLE Editio Novissima
Tomi I et II.

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE RETURNED
	STORAGE - CBPL	

51485